Pſalmorum libri quinque ad He-
BRAICAM VERITATEM TRADVCTI, ET
ſumma fide, paríque diligentia à Martino Bucero enarrati.

EIVSDEM COMMENTARII

In librum Iudicum,
&
In Sophoniam Prophetam.



Oliua Roberti Stephani.
M. D. LIIII.

ORDO IN HIS PSALMORVM ENARRATIONIBVS OBſeruatus.

Præfatio qua & verſionis Pſalmorum, & explanationis redditur ratio. Et de optimo genere interpretandi & explanandi Scripturas, déque fide commentariorum Hebræorum, autoribus Pſalmorum, & inſcriptionibus diſſeritur.

Pſalmi centum quinquaginta planius, quàm vulgò verſi.

Iidem Pſalmi omnes redditi ad verbum.

Singulorum Pſalmorum argumenta.

Explanatio eorundem familiaris, qua præter ſcopum & ordinem dictorum, ſingulæ propè voces explicantur.

Tractati aliquot loci communes, ſed ex fonte Scripturarum, adhibita autoritate patrum.

Omnia Eccleſiæ iudicio permiſſa ſunto.

CLARISSIMO AC PIENTISSIMO PRINCI-
pi,Frãciſco Valeſio,Chriſtianiſſimi Galliarum Regis primogenito, & Delphino,Martinus Bucerus Salutem precatur.

QVi Principibus lucubrationes ſuas in Sacræ ſcripturæ libros dedicãt, Principum illuſtriſſime iuxtà & pientiſſime,maieſtatem Diuini verbi non ſolùm non proſtituere, ſed aſſerere & illuſtrare mihi videntur. etenim lucerna illud eſt, ſicut cunctis mortalibus neceſſaria, ita in eiuſmodi candelabrum collocanda vnde luceat vniuerſis. Atqui Princeps Chriſtianus iure Principẽ in Eccleſia locum obtinet,adeò vt quæ eius conſpectui oblata fuerint,ſint omnium ſimul oculis expoſita. Deinde quũ iudicari diligẽter quæcunque, nomine ſanctæ doctrinæ,Eccleſiæ ingeruntur, cõueniat(ſua enim quiſque,nemo aliorum fide viuit)dicata pio Principi ſcripta, in ſuum iudicium adducta meritò putantur. Qui nanque Princeps munus ſuũ dignè obit,Deúmque(cuius primarium ſimulacrum eſt)ex animo colit,nihil prius operam dabit, quàm vt viuifica Lex Dei, purè ſynceritérque iis quos in fide ſua habet, tradatur:eóque iuxta decretũ Dei, cui geſti principatus reddendã rationem nouit, nõ modò ipſe illam ſemper habere ob oculos,probéq; callere ſtudebit: ſed & Leuitis, hoc eſt viris illam ritè doctis,doceréque potentibus, nudari latus ſuum haud vnquam patietur. Dei nanque maieſtas eſt,non hominis,qua præſtat:proinde præcipuè Deum referre, quæcunque circa ipſum ſunt: ac quandam Dei aulam interiorem exhibere addecet. Quapropter pernicioſè, nõ tãtum malignè ii de munere principali iudicant,qui illud profanis duntaxat rebus addicunt. Dei figmẽta homines ſũt Fictori tam chara, vt totam orbis machinam ſeruire illis voluerit: æthereos ſpiritus miniſtros aſſignarit:pro reſtituendis eis,Verbũ ſuũ noſtra mortalitate induerit,& in ea mortẽ duriſſimã oppetere iuſſerit: vt denique cuſtodire ſe illos tãquam oculi pupillam, & ſeueriſſimè vlturum ſiquis eos offenderit, toties in arcanis Literis profiteatur. His iam teſtatur vbiq; in arcanis Literis ſuis Deus ſe Principes nõ dominos,ſed miniſtros:non exactores,ſed paſtores:nõ tyrannos qui eis pro ſua libidine imperitent,ſed patres qui ſeipſos pro illorum ſalute impendãt,præficere:exigeréque vt eos ex ſua,non ipſorum ſentẽtia paſcãt, omnia huc cõferentes vt in primis ipſum conditorem ſuum tanquã ſupremum Principem,ritè agnoſcant,colántque quàm religioſiſſimè. In hoc igitur quum Deus conſtituerit eos, quos principali poteſtate pollere voluit: quis tam Deo vacuus qui eat inficias, Principi primam ſacræ Legis, omniúmq; rerũ Diuinarum curã cõpetere,magis quàm vlli mortalium alii? Neque enim ſatis Principi eſt vt ipſe rectè de Deo ſentiat,omnia Diuina ſuo loco & numero habeat, vt ſanctè & inculpatè viuat: ſed tot millium præterea,quos ſuo ſubiectos imperio regit,præſtare religionem,pietatẽ,innocentiam debet. O ſanctiſſimũ & verè Diuinũ munus, ſed quo iuxtà nihil ſit difficilius homini mortali. Quã neceſſariũ hoc loco conſtitutis nõ ſolũ Legi Dei ſtudere, ſed cum Vate regio habere familiarẽ adeò vt eam dies noctéſq; meditentur,vt carminũ vice ſumma cum voluptate modulentur,nec alios cõſultores audiant frequentius. Vt ergo apud Principes arcem decet eſſe religionis,& primã Sacræ doctrinæ curiã,haud aliis rectiꝰ ſua ſcripta qui dignè illa iudicari volũt,quàm Principibus offerent. Poſtremò, quũ nihil æquè hominũ ſalutem promoueat(quod quidem per homines queat

adminiſtrari)atq; ſana doctrina,par eſt eos qui Diuinas literas tractãt, huc quo ad poſſunt,eniti vt his quæ rectè tradiderint ſit cũ autoritas ſacroſancta,tũ gratia ſummè popularis. Quod vtrunque ſecundũ Deũ à Principib' rectiſſimè petitur. Primùm enim qui ſua ſcripta dicare Principib' auſus fuerit,is ſanè optima ſe fide ſcripſiſſe(quandoquidẽ nuſquã maiore in luce illa proſtare poſſint, nuſquã à pluribus & exactius iudicari) haud obſcuro argumẽto teſtatur. Tum ſi approbataeo in iudicio illa fuerint,quo nullũ eſt nec celebrius,nec ſanctius,quid poſſit eis eſſe,apud eos quidem qui Deum timẽt,magis fide dignum, aut æquè plauſibile? Proinde qui his de cauſis inſcribere Principibus libros explanationẽ duntaxat Sacrorum continentes,quo illi & ſuo loco iudicentur,& Eccleſiæ non niſi probati ingerantur,tum ita verbo Dei ſua autoritas vindicetur,& apud Dei filios augeatur quoq; & illuſtretur,maximè decere exiſtimo:ſtatui & meas haſce in ſacros Pſalmos lucubrationes Principi dedicare.Omnino enim mihi perſuaſi(liceat de dono Dei in gloriã eius qui dedit vera confiteri)multis Scripturarũ & Dei ſtudioſis lectionem earum non inutilem fore. Verùm diſpicienti, ac diu hæſitãti mihi cuinam Principum illas offerrem , apud quem nimirum dignum ſe iudicium inuenirent,tu quanlibet pueritiam vix egreſſus, & occurriſti prim', & perſtitiſti vltimus. Quàm enim non multi ſint Principum qui cum ſacris literis rem habere ſe dignum putent(& ſi ſint aliqui, quàm rarus & inter hos exiſtat cui id non tam per profana negotia, quàm morem etiam publicum , plúſque graue quàm exactum iudicium eorum qui primas apud illos obtinent , liceat) magno ſuo incõmodo orbis multis iam ſeculis tam exitialibus bellis colliſus,nec minus degenerãte indies Eccleſiaſticorum vita,atque doctorum diſſidiis exagitatus,experitur.Tu autẽ procul adhuc,nõ bellicis modò,ſed & aliis turbulẽtioribus aulæ negotiis, ſub piẽtiſſimo illo & literatiſſimo tuo præceptore, aliiſq, viris non minus ſanctimonia venerandis, quàm iudicii dexteritate ſuſpiciẽdis,ſic ad religionẽ , ſic ad rectã gerendi Principatus rationem inſtitueris ac formaris,nõ ſequax modò,ſed quantúvis accuratã curam ſanctiſſimorũ iuxtà & doctiſſimorũ virorum præcurrens, vt ſi vſpiam apud te certè eum liceat ſperare Senatum, qui poſſit iuſtè de religioſis ſcriptis iudicare, quíque (vt modò dixi) debeat apparere Principibus perpetuó. Et cui dubium, quum opulentè adeò te Deus Spiritu ſuo donarit, vt hactenus omnium bonorum quãtumvis amplam de te expectationem viceris,eundem hæc pulcherrima vitæ tuæ initia,cõtinuis virtutum incrementis ſic prouecturum vt magis in dies admirandus euadas:rebúſque Gallicis iam(merentibus ita peccatis noſtris) annis aliquot afflictis, nõ tantùm ſuum decus olim reſtituas,ſed nouum & incredibile concilies? Sic ſanè eſt bonorum de te expectatio, per te,ceu alterum Dauidem, imò Salomonem, Arcam fœderis olim ſuo loco conſtituendam,cũctáque regni ex toto (vt aiunt) organo inſtruenda: quãdo propter graues adeò ſeculi huius motus,& iram Numinis nõ in ſolas Gallias,ſed multo atrociùs in alias nationes deſæuientẽ, ſperare nondũ audẽt vt id præſtãtiſſimo alioqui Regi, & hæc nõ ſemel molito,parẽti tuo Pater cæleſtis cõcedat. Nihil profectò mediocre pollicetur rarus iſte tuus in hac ætate religionis feruor : haud vana erunt tot ſanctiſſimorũ hominũ de te præſagia. Siquidẽ vera dixit Veritas, Quærẽtibus nobis regnum,iuſtitiámque Dei, omnia pro animi ſentẽtia cadent. Vbi fide & pietatis ſtudio veri Iſraelitæ euaſerim',quæcũque illis Diuina bonitas vnquã promiſit,meritò(ita docente

D.Paulo)nobis quoque expectabimus. Quis autem id nos futuros dubitet,nactos Principem verè Iſraelitã, verè Chriſtianiſſimũ? Sic ſanè ſemper vſu venit, vt quum Deus pietatem,& cum hac fœlicitatem vellet ſuo populo reſtituere, dederit Principes pietatis vindices ardentiores. Quum itaque tãta huius te cura teneat, vt tui hinc conuictores, per iocum ſuperſtitioſulum nonnunquã vocent,& totæ Galliæ prædicẽt te vt heroica forma corporis, ingenii dexteritate, oris admirãda facũdia,animi ingenti magnitudine patrem:ita ſanctimonia vitæ,religioniſq; flagrãtiſſimo ſtudio referrre matrem,fœminam quam ad mira culum vſque,innocentiæ & religioni deditam fuiſſe, cum Galliis & aliæ nationes celebrant:nihil eſt fœlicitatis quod à pientiſſimo Principe iure expectetur, quod per te nobis adfuturum dubitemus: præſertim tam ſeueriter in iſta ætate cruce Chriſti exercito: qui cum fratre D. Ludouico duce Aurelienſi, heroici pectoris puero,exilium dicam an captiuitatem? eámque pietatis ergò,quippe pro redemptione parentis,Principis(vt verbo decora eius complectar)planè maximi,tãto iã tempore pertuleris. Sic Moſcheh,ſic Dauid,ſic omnes per quos præclarè Deus humano generi conſuluit,plurima vitæ aduerſitate probatos,ad gerendas res peruenire oportuit. His ergo diuis quum te tempeſtiua adeò malorum tolerantia indulgentiſſimus Pater conſociarit, ſpes planè eſt & magnitu dine,fœlicitatéque rerum gerendarum olim coniuncturum. Quanquam his diebus nuntius quidam,pacem inter Chriſtianiſſimum Regem parentem tuum, ac Cæſarem tandem confectam,téque cum fratre rediturum adnuntians,emortuas ferè Gallias,indicibile quãti cum ſpe gaudii reuiuiſcere fecerit. Faxit Deus, ne vanus hic nuntius fuerit. Quum itaque talem te nobis Deus dederit,talẽ ſperare quoque faciat: piis abundè liquebit, rationem mihi huiuſce inſcriptionis probè conſtare: aliorum iudicium ſatis eſt vt feram, ſequi haud decet. Supereſt vt tam beneuolo hanc animo tu excipias, quàm ego tuæ celſitudinis ſtudioſo illam mihi permiſi. Certè quocunque numero meum hũc laborem habeas(nõ dubito autem vbi cognoueris,aliquo eum dignaturum) ſacratiſſima Regii Poetæ carmina Regis filius tanti facies, (quippe ex quibus plurimum & antea cum cõſolationis,tum doctrinæ acceperis,ac ſis porrò accepturus,) vt ſis vel horum gratia,meas quoq; in illa explanationes liberali animo excepturus. Eſt quoque ſpes, eadem opera gratiam me initurum & ab illuſtriſſimo fratre tuo Abdenagone Angoliſmenſium Principe,quem his ſacratiſſimis Odis (vt par erat filium Regis)pientiſſimus ille,& eruditiſſimus ſenex Iacobus Faber Stapulenſis nuper inſtituit. Quid autem conſilii in verſione cæleſtium hymnorum, ac etiam explanatione ſequutus ſim,in ſequenti præfatione, pio lectori ſimpliciter & fide optima exponam. Chriſtus Rex Regũ maieſtatem parentis Regis optimi max. clariſſimæ heroidis auiæ tuæ,D.Ludouicæ,amitæ Margaritæ Reginæ Nauarræ, tuam & fratrum incolumem ſeruet: fœlicitérque ſemper ad ſuam gloriam & Reip. Chriſtianæ ſalutem prouehat.

PRAEFATIO AD PIVM LECTOREM, QVACVM VERSIONIS SANctorum Pſalmorum,tum Explanationis ratio redditur.

Quo animo,quâque lege liber hic Eccleſiæ editus eſt.

EAs cæleſtis doctrinæ copias in Diuinis literis eſſe reconditas, vt à nullis mortalibus, quantolibet ſpiritu polleant,exhauriri queant,nemo eſt,eorum maximè quibus illæ vel à limine ſalutatæ ſunt,quóſque Dei aliquod ſtudium tenet, qui dubitet. Id velim Chriſtiane lector, æquè perpendas, quum animum tuum,conſpecto hoc opere admiratio ſubierit,vnde ego terræ filius, poſt tot cum ſanctimonia,tum eruditione ſuſpiciendos ſcriptores tam priſcos quàm recentiores,has ſacratiſſimas Diuini Spiritus Odas tractandi,animos ſumpſerim. Quiſquis enim ſum, Chriſtianum me profiteor, cui (gratia cæleſti Patri) perſuaſum eſt huc me Chriſti ſanguine adſertum vt Dei filius habear, & hæres. Quare quas ille dedit ad filiorum ſuorum & eruditionem & conſolationem Scripturas,mihi quoque verſandas meritò putaui. Pio verò ſtudio verſanti illas,is qui vnus ſenſum harum aperire poteſt,conditor earum æternum Verbum Patris, Primogenitus filiorum Dei, non potuit deeſſe, quum promiſerit apud ſe inuenturum quicunque quæſierit, accepturum qui petierit, intromittendum qui pulſarit. Iam omnium qui Chriſto nomen dederũt,non poteſtas modò, ſed officium eſt, ſiquid acceperint quod aliis quoque ad pietatis inſtaurationem momentum aliquod adferre poſſit, id in medium date à ſedentibus iudicandum. Quum itaque in explicandis ſacris Pſalmis, & mihi Diuinitus cõtigiſſent quæ non quidem præ aliorum in hunc librum commentariis, ſed cum illis à multis haud abſque fructu legẽda nihil ambigam: partes eſſe meas credidi,dona Dei fratribus nõ inuidere. Ne autem mea commenta pro donis Dei venditem,nihil omnium quæ communis orthodoxorum conſenſus non recipit,affirmaſſe volo. Imò nec ea quæ omnium rectè ſentientium calculis probatum iri non dubitó, à quoquam meo præiudicio recipi volo. Sua iuſtus fide viuit, non aliena: ſuo itaq; iudicio de verbo Dei quiſque arbitretur oportet. Proinde quicquid in hoc opere ſcripſi,non ſolum procerum Eccleſiæ,non ſolum ſacrã Theologiã profeſſorum,ſed omnium omnino Chriſtianorum iudicio & cenſuræ ſubiicio:ac quicquid hic adulterinum,quicquid à verbo Dei alienũ quiſquam iudicarit, illud nõ modò non poſtulo vt ferat,nedum recipiat, ſed volo explodat, reiiciat,damnet. Ipſe quoque quicquid vnquam tale agnouero,eius palinodiam libentiſſimè canam. Et in præſenti,quicquid tale eſt quod verbo Dei,quod placitis Eccleſiæ ſanctæ Dei,orthodoxorúmque patrum ſententiis aduerſatur,pro indicto,próque recantanto haberi volo,iubeo, poſtulo. Quum itaque hæc ſcripſerim,ac vulgarim,animo ſancta duntaxat ſtudia iuuandi:quũ perſuaſus ſim ea non paucis profutura:quum nullis vel priſcorum, vel recentium ſcriptorum, qui Chriſtum modò quærãt, præferri hæc mea velim:quum nihil denique recipi petam quàm quod quiſque ſuo iudicio,ſuo ſpiritu ex Deo profectum agnouerit:ſpero qui ſancta Scripturarum ſtudia cupiunt promota,ſi non probabunt has meas lucubrationes,ſaltem ferendas putabunt,vel conatum interim laudi ducturi.

Omnia Eccleſiæ iudicio offeruntur.

Ratio verſionis & quodnam ſit vertendi optimũ genus.

Iam verſionis vt paulo liberioris, ita ſpero nonnihil quoque planioris,reddenda ratio eſt. Nemo eſt eorum qui literas vel primis (quod aiunt) labris deguſtarunt, qui ignoret ſic vnamquanque linguam ſua habere, vt in aliam eadem ſignificantia, nedum gratia, tranſponi haudquaquam poſſint. Hinc fit vt nullos quanlibet fidos & accuratos interpretes inuenias, qui eadẽ eiſdem verbis transferant,& non ſenſum quoque,etiamſi reddant eundem, alius alio efferat ἐμφαντικώτερον & dilucidius. Id quũ vſu veniat omnibus, ex quacũque lingua in aliam quidpiã trãſfundentibus,interpretibus Scripturæ ſacræ præ aliis accidat neceſſe eſt. nec id ſolum quòd Hebrææ linguæ ſtudium iam inde ab Eccleſiæ primordiis,nunquam à noſtris eſt magnopere cultum(quod vel tot D.Hieronymi cõtra ſanctiſſimi laboris ſui calumniatores apologiæ,tum D. Auguſtini de Doctrina Chriſtiana libri duo abundè probant)ſed etiã quòd nulla alia lingua ſit (vt equidẽ perſuaſus ſũ) quæ omnia loquatur æquè propriè & argutè. Quúmq; quaſlibet copia longè ſuperet,vt ex reliquiis eius (nam præter illos XXIIII libros, quos iure Sacra Biblia vocam',nullus idoneus liber hac lingua cõſcriptus extat)luce meridiana clarius patet, in nulla tamẽ dicũtur omnia breuius atque magis cõciſè:& quod vnũ plurimũ ambiguitatis affert,ad exprimẽdos cũ affectus,tum quæ ἤθη vocãt,æquè appoſitè. Quãdo enim plurimæ adeò rerũ(de quibus in Scripturis mentio fit)hiſtoriæ nos penitus lateãt, indoles moréſq. hominũ, & affectus ignorentur,locorũ ingenia,temporum ratio, vitæ vſus & inſtrumẽtum prorſus neſciatur: quid quæſo mirum ſi quos tot in locis planè diuinare oportet, rem ipſam nõ ſemper aſſequãtur, aut non aſſequãtur pari fœlicitate? Nemo autem hæc ita accipiat quaſi deſpondenda propterea ſit certa cæleſtis doctrinæ cognitio, variantibus adeò tã interpretibus Scripturarũ,quàm enarratoribus: aut nõ impiè illi dicant,qui iactãt æquè blaſphemũ,atq; illepidũ & Barbarũ illud pro-

Varietas verſionum utilis.

uerbium,Scriptura eſt naſus in omnia ſequax.Iſtuc,vt omnia,prouidentia Dei in noſtrum bo-
num inſtituit.Primùm enim agnoſcis hinc Scripturarum maieſtatem quam nulla queant ho-
minum vel ingenia vel linguæ aſſequi: deinde habes ingens incitabulum , vt dum interpretes
tibi varia adeò referunt,linguæ Sacræ diſcendæ operam naues, quo ipſos Sacros ſcriptores ſua
loquentes lingua, poſſis intelligere. Quod verò ſi non liceat, hoc tamen commodi ex interpre-
tum varietate percipies , vt nulli te addicas, ſed ex omnibus(quoad fieri poteſt)ſenſum Scriptu-
rarum venêris certum & proprium. Quam vtilitatem ſatis inſigniter commendauit & D Au-
guſtinus libro 2 de Doctrina Chriſtiana,capite 12 . Quibus verò nec hoc datum fuerit , nihil ta-
men habebunt quod de tranſlationum varietate iurè querantur. Sic namque ſaluti noſtræ Diui-
na bonitas conſuluit,vt nulla ſit ſiue veterum,ſiue recentiorum Bibliorum verſio,ex qua(ſi mo-
do fides adſit , & vnicus animorum formator Spiritus) homo Dei non queat ſic inſtitui , vt ſit
ἄρτιος,quemadmodum D.Paulus ſcripſit, id eſt integer, cõſummatus,nempe ad omne bonum o- 2.Timo.3.d.17.
pus inſtructus. Hæc nactus,vitam poſſidet æternam: quid iam eum moueat, quòd vt veterũ ex-
emplaria, ita recentiorum quoque verſiones,inter ſe multis in locis parum cõueniunt? Vt enim
neſciat huiuſmodi pleraque, quæ Scriptura de dictis factiſque gentis Iſraelis, de ſitu & natura
terræ Chenaan,de ingenio & moribus vicinarum illi gẽtium,& huius generis alia quæ citra pie
tatis iacturam ignorare poteſt,memorat : nouit tamen Deum ſuum vt ſeſe illi dedat,vt in eo æ-
ternum viuat. Porrò quibus otium eſt, quibus facultas ingenii,quibus docendi alios demandá-
ta prouincia : hos par eſt ſacratiſſima Dei oracula religioſa veſtigatione habere exploratiſſima:
nec Diuinum Spiritum vſque audire per tam variantia loquentem ora interpretum: ſed perce-
pta Diuinæ linguæ cognitione,ipſum poſſe ſua lingua docẽtem percipere. Ab eo deterrere iſtos,
quòd nulli adhuc interpretum contigit ita Scripturam reddere, vt aliis vertendi eandem cauſa
ſublata eſſet,tam non debet quàm non deterret ſtudioſos eloquentiæ,quòd illa nulli adhuc con-
tigit perfecta. Eſt quodam prodire tenus,ſi non datur vltrá. Quùmque vident iſtos,Ciceronẽ,
Titum Liuium, Plinium,ac ferè Poetas omnes, propterea nequaquam abiicere,quòd ſunt in il-
lis pleraque nullis adhuc Vallis, Politianis, Budæis , Eraſmis , & huius ordinis linguæ Latinæ
inſtauratoribus intellecta:nec hi ſanè ſuos ideo conatus debent remittere,quòd nulli hactenus da
tum videre in Scripturis omnia. Singulis Deus ſua dona admetitur : nulli verò vniuerſa. Hæc
qui ritè perpenderint,ii æqui boníque(ſcio)facient, quòd poſt tot eruditiſſimos ſanè viros, cum
priſcos tum recentes , & ipſe vertendo ſacros Pſalmos periculum fecerim ſiquid datum ſit ſtu-
dioſos horum iuuare: & ſicubi me ab iis qui ante me hoc opus tranſtulerunt, viderint variare,id
non minus in deteriorem partem rapient,quàm quòd illi inter ſe quoque ſæpe diſſident.

At verò quòd fui vertendo aliis paulo liberior (quanquam nondum eam mihi liberta- Qua opinione re-
tem quam in vertendis Sacris adhibendam omnino exiſtimo,permiſerim) multorum ſuperſti cto vertendi liber-
tioni dicam, an plus ſatis anxiæ religioni, pluſculum quàm quorundam paucorum ſano iudi- tas.
cio deferens,hanc rationem reddendam puto , Nihil eſt quod certius & planius cognoſci debe-
at,quàm Scriptura ſacra: nihil igitur vertendum dilucidius; nullis in ſcriptis æquè cauenda o-
mnium ambiguitas & obſcuritas. Iam ait diuus Hieronymus in præfatiuncula libri , quo vitã
D.Antonii conſcripſit,Ex alia in aliam linguam expreſſa ad verbum tranſlatio ſenſum operit,
& veluti læto gramine ſata ſtrangulat. Idem teſtatur & Hilarius in libro de Synodis.Horatius
quoque ita præcipit,Nec verbũ verbo curabis reddere fidus Interpres. Atqui nuſquã minus
quàm in Scripturis operiri ſenſus,ſtrangulari ſata,aut non fidũ agere interpretẽ oportet. Exci-
pit quidem D.Hieronymus ab hac libertate Diuinas ſcripturas,in Epiſtola ad Pammachiũ,de
optimo genere interpretãdi:quòd & verborũ ordo in illis myſteriũ ſit. At quàm multis tamẽ in
locis ipſe quoque ab adnumeratione verborũ,ad appẽſionẽ ſenſuum ſe recipere coactus fuit? E-
uertit ergo,aut obſcurauit quod habebat in illis ordo verborũ myſterium? Minime,ſed ſenſum
de ſenſu exprimens, illud quicquid myſterii fuit, obtulit ritè cognoſcendũ. Ecquid myſterii in
omni Scriptura,quàm ita cognoſcere Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtũ,vt ab ipſo nihil no-
bis nõ expectãtes,bonitatẽ eius ſedulò æmulari ſtudeamus? Hoc certè promouebit ita Scriptu-
ras vertere,vt quæ in illis Deus nobis tradidit,intelligantur planiſſimè. Scio,timet quidam ſi à
verbis recedendi facultas omnibus fiat , multos ſua commenta pro oraculis Scripturæ allatu-
ros. Iſtos verò ego planè vereor, volentes vitare Scyllam incidere in Charybdim. Dum enim
verbum è verbo exprimitur,plurimis in locis prorſus nullus ſenſus redditur:& ideo non occa
ſio,ſed neceſſitas obiicitur tam legẽtibus,quàm enarrantibus,vt quiſque inferat ſuum: ſic diſcer
pitur Scriptura in tot ſenſus,quot eam legerint, quótque enarrare ſuſceperint: quum interpres
liberior, etiamſi aliquot in locis ſuũ pro Scripturæ ſenſu admiſceat,id tamẽ nõ facilè admittet,

quàm in locis vbi nullum eſt ſanæ doctrinæ periculũ. Præterea plurimos locos, & eos præcipue
pietatẽ docentes, exprimet propriè iuxtà & planè: eóque certo cũ fructu perueniente ad eos qui
verſa legerint. Huic profecto cõſilio, Nõ eſſe à verbis recedendũ, debemus quadrigã illã enarra-
tionũ, allegoricã quam ipſi vocant, anagogicã, moralem & hiſtoricam: vnde & illud vſu venit,
quòd iam multis annis nó pauci Scripturarũ explicationẽ profeſſi, ex quolibet quodlibet dixe-
rũt. Quãto igitur præſtiterat D. Auguſtini cõſilium amplecti, & dare Sacræ linguæ ipſi diſcen-
dæ operam: vt quum multi hac inſtructi eſſent, ad eos reiiceretur ſiquid ſubtiliorem excuſſionẽ
requireret, ſiquid variè eſſet à tranſlatoribus redditum. Nam quaſcunque dederis verſiones, ſi-
qui illis ſolis freti velint de Scripturæ ſententiis accuratius diſſerere, non poterunt non paſſim
hallucinari: nunquam autem fœdiùs, quàm ſi ſequãtur verſiones in quibus redditum verbum
verbo eſt. Tum enim ignorãtes idiomata Linguæ ſanctæ, de omnibus pro ratione linguæ quã
ipſi potiſſimum tenent, philoſophabuntur. Nullus autem inficias eo, Spiritum ſanctum poſſe
præſtare cui velit citra linguarum peritiam omnia. Quanquã hic quum Apoſtolis ſubitò Scri-
pturarum cognitionem donaret, ſimul donarit & linguarum. Scripturarum ſanè trãſlationes
iis ſolùm proſunt qui contenti ſententiis præcipuis Scripturæ, operam nauant vt vita illas ex-
primant potius, quàm verbis ſubtilius explicent: id quod nemo vnquam Sacræ linguæ cogni-
tione deſtitutus tentauit fœliciter. Sic habere quum res ipſa clamet, vt per me licet cuique Re-
gi ſuam Reginam pulchram haberi: ita mihi exactè admodum hæc conſideranti, aliter videri
non poteſt, quàm longè præſtare, reddere vertendo ſenſum aliquem, quàm nullum: vel certè ne-
ceſſitatem ingerere vt tot ſenſus excogitentur, quot Scripturas legerint: id quod innumeris in
locis accidere neceſſe eſt, ſi verbum velis exprimere è verbo. Volo & ego ſaluam Scripturæ ſu-
am authoritatem: volo viam præcludi, ne quiuis pro illius oraculis ſua ingerat commenta: ſed
hæc tum obtinebimus, ſi non in illis ſolùm vrbibus in quibus id fieri Pontifex Clemens præ-
cepit, ſed omnibus ſacris collegiis Hebrææ literæ docerẽtur, multique adeò fuerint qui Scriptu-
ram in ſua lingua intelligant: non ſi conati verba Scripturarum exprimere, inhærendo ſuper-
ſtitioſè caſibus & figuris, & verba & ſenſus obſcuramus. Repugnat etenim ſenſui communi, il-
lud quod oporteat omnibus eſſe expoſitum maximè, ſic vertere vt intelligatur à nemine. His au-
tem nemo putet me voluiſſe quorundam diligentiam & eruditionem, quam Eccleſiæ iure ſu-
ſpiciunt, qui verbum è verbo exprimere ſtuduerunt, traducere. (ſcio enim illos partim hoc nõ
ſuo iudicio, ſed volentes cum diuo Paulo, & inſipientium debitores eſſe, feciſſe: partim ſic quo-
que voluiſſe indicare opes Scripturarum, palámque facere quàm nemo poſſit illas vertẽdo ad-
ſequi, atque ita ad ipſius linguæ ſtudium prouocare: quare etiam commentariis pulchrè illu-
ſtrarunt quod verterunt obſcurius: & complanarunt quod reddiderunt aſperius) tantùm illos
placare cupio quos mea paulo liberior verſio forſan offendet: & ſimul monere omnes, vt de to-
to hoc transferendi Diuinas Scripturas negotio iudicent aliquanto, quàm vulgò fit, exactius:
probéque perpendant, ad quidnam ſint nobis Scripturæ datæ, nimirum vt vulgo planiſſimè
omnia cognita, vita exprimenda, non exagitanda multis commentationibus, tradantur. nec
poſſe de ordine formíſque dicendi quenquam cum fructu præcipere, niſi qui ipſam in qua tra-
ditæ Scripturæ ſunt, linguam calleat: atque ideo dum idiomata Hebræa Latinè tantùm ſcien-
tibus ingeruntur, aliud non fieri quàm præberi illis anſam vt ſe & alios friuolis cõmentis occu-
patos, à ſolida doctrinæ cæleſtis veritate auertant, ſed nec illis interim conſuli qui Sacram lin-
guam diſcere cupiunt. Nihil enim ii ex huiuſmodi verſionibus plus referunt, quàm ex Lexi-
cis, nempe vocum ſingularium ſignificatus: vſum verò, vim, proprietatem, & ordinem, ex quo-
rum cognitione tota rei intelligentia pendet, non ſolùm non percipiunt, ſed ita præterea ſylla-
barum & literarum obſeruatione occupantur, vt ad veram Scripturarum ſcientiam nunquam
aſſurgant. Quod malum pulchrè caueretur, & ſimul voces & vocum vſus ritè perciperentur, ſi
non verbum pro verbo redderetur, ſed ingenitum genus omne verborum, víſque exprimere-
tur. Hæc de ratione Scripturas vertendi, & pro mea in Pſalmis libertate: cui libertati (ſi iudici-
um eius ii ſolùm fecerint quibus ſolida Sacræ linguæ conſtat cognitio) nihil ſanè timeo.

Ratio explanationis.

Porrò quid in explanatione ſequutus ſim, forſan Lector requiret. In hac totos ingenii
neruos huc intendi, vt germanè ſingula, & ante omnia iuxta hiſtoriam enarrarem: ne ſcilicet
vel Iudæis occaſio eſſet, hæc Sacra ridendi: vel argutulis inter nos ea faſtidiendi, ne dicam de e-
is ſubdubitandi: tum vt quæ de Chriſto ſeruatore atque Eccleſia interpretantur, fundamen-
to hiſtoriæ iuxtà perſtarent firmius. Inter enarrandum non ita frequenter adduxi noſtrorum
ſententias, & quòd alioqui modum ſuum liber exceſſurus videbatur, & præſtare putarim il-
las in ſuis libris legere. Eadem cauſa & Græcorum editionem ita vt ad nos peruenit, adducere
ſæpius prætermiſi. Nam variat hæc ab Hebræis plus nimio: & indubitatum habeo, eam quæ ab

Aldo quidem primùm edita eſt, haudquaquam Septuaginta illorum interpretum eſſe, ſed ex illorum forſan, ac aliorum interpretationibus conflatam. Quæ enim D. Hieronymus, quæ Hilarius, quæ alii nomine Septuaginta adducunt, cum iis quæ illa vulgata Græcorum editio habet, plurimis in locis, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ diſſonant. Et nequis in linguam noſtram verſis non eſſe fidendū dicat, adducit D. Hieronymus in Epiſtola de optimo genere interpretandi, verbis Græcis illud Zach. 12. c. 10, ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο: id in vulgata illa editione legim⁹, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. In eodem libro adducit D. Hieronymus locū ex Ieſch. 64 a. 4, ſed Latinè: verùm quis huic interpreti non fidat: quem ait ſic à Septuaginta redditum, A ſeculo non audiuimus, neque oculi noſtri viderunt Deum abſque te: opera tua vera, & facies expectantibus te miſericordiam. Hæc habet editio Græcorum, poſt Viderunt Deum, in hūc modum, πλὴν σοῦ, καὶ τὰ ἔργα σου ἃ ποιήσεις τοῖς ὑπομένουσιν ἔλεον, id eſt præter te, & opera tua, quæ facies expectantibus miſericordiam. Multò magis diſſidentia inuenies, ſi cum hac Græca verſioue cōferas eam quæ ſub nomine Septuaginta, cum D. Hieronymi verſione ante paucos annos excuſa eſt Baſileæ. Sed hæc ab his quoque diſſonat quæ D. Hieronymus ex Septuaginta adducit in Epiſtola de optimo genere interpretādi. Ad hæc (ſi Ioſepho credimus) Septuaginta illi nihil Ptolemæo, niſi quinque libros Legis Moſebeb trāſtulere. id hic ſcriptor apertè affirmat in præfatione hiſtoriarum antiquitatum Iudaicarū: item lib. 12. cap. 2. Hæc verò non ſcribo, quòd quenquam à lectione editiouis Græcæ velim absterrere, quum æquè nulla verſio ſit tam mala, atque nullus liber (quemadmodum Plinius ſcripſit) vt non aliqua ex parte proſit: ſed quòd cupiam legendam cum iudicio, nec temerè illi fidem exemplarium Hebræorum poſthabendam. Quoties ſiquidem conſidero incredibilem iſtam curam & diligentiam qua illa per Iudæos ſeruata ſunt (qui tamen hūc nobis theſaurum, non ſibi, propter velamen quo oculi eorum obtecti ſunt, haud ſecus quàm formicæ Indicæ aurum, cuſtodierunt) admirari & exoſculari cogor immenſam Dei in nos ingratos adeò bonitatem, qui tam illibatas nobis cæleſtes iſtas opes ſeruarit, & per gentem qua nulla noſtræ religioni æquè infeſta eſt. Incredibili ſiquidem religione ſingulos etiam apiculos obſeruarunt: & ſi vetera exemplaria in vnico elemento, in punctulo variare deprehenderunt, id in libro ſuo quem מסורה id eſt Meſarah, quòd in eo dictiones inter ſe concilientur, vocant, quàm diligentiſſimè annotarunt. quū interim in commentariis ſuis miſerum in modum Scripturas torqueant & inuertant, quo ſua propugnent. Et quo ſuos errorum compedibus fortius adſtringerent, perſuaſerunt eis, Scripturam non eſſe niſi iuxta traditionem maiorum ſuorum, id eſt Thalmudicorum, intelligendam: finxeruntque quemlibet locum poſſe ſeptuaginta modis enarrari. Obtinuit quoque ſic apud eos authoritas rabbi Salomonis, qui non impiis ſolum, ſed plenè ridiculis nugis ſacra Biblia cōſpuit, vt ſolum ſeqnendum putent: ac iurent ſine huius ope nihil à quopiam in Diuinis literis ritè intelligi poſſe. Præterea habent mille effugia, quibus Prophetarum dicta eludāt. præcipuū, quòd quicquid de populi fœlicitate, de reſtitutione Iſraelis & Siionis prædictum eſt, id ſibi ſolis vendicent, & contendant externū fore. Tot modis quum veritati inſidias ſtruant, fatendū tamē eſt omnibus qui in his iudicare poſſunt, nihil vnquam eſſe ſanctius quàm quòd iſti ſeruarunt lectionem ſacrorum Bibliorum, quódque (mirum portentum) ſic nobis Bibliorum ſynceram lectionem conſeruant, quū ipſi horum ſtudium Thalmudicis nugis longè poſthabeant iam aliquot ſeculis. Habent tamen inter alios, duos, Abrahamum filium Ezra, & Dauidem Kimbi, qui germanam vocum proprietatem, & dictorum ordinem genuinum (exceptis iis locis vbi vrgentur vaticiniis de ſpirituali regno Chriſti, ac interna ſolidáque iuſtitia, quæ fide conſtat Seruatoris) magno ſtudio perſequuti ſunt: nihil ferè abſque autoritate conſonantium locorum interpretantes: quos etiam, præter aliorum Hebræorum morem, magna proprietatis obſeruatione citant. Ab his fateor in gloriam Dei (cuius donum eſt quicquid vtile) me in enarratione Pſalmorū plurimum eſſe adiutum: quod & paſſim indicaui. neque enim candidi ingenii eſt, diſſimulare per quos profeceris. At quanlibet diligentibus & fidis nuſquam tamen fiſus ſum, verùm indicata ab illis Scripturæ loca inter ſe contuli: & quod agnoſcere potui, argumento cuiuſque Pſalmi, phraſi & idiomati Scripturarum magis congruere (conſiderata ante omnia fidei in Ieſum Chriſtum analogia) id demum amplexus ſum, fideque quàm potui optima expoſui, ſed iudicandum ab Eccleſia Dei. Ab anagogicis interpretationibus mihi temperaui, quòd illæ non ſine labefactandæ Scripturarum autoritatis periculo ingerantur, ſi id temerè fiat: deinde quòd cognita hiſtoria, quiſque ipſe, ſubducente Spiritu, illas ſibi facilè formet. Quæ enim ſolidæ ſunt, & animum valent paſcere, illæ ſolius Spiritus docentis in Sanctorum pectoribus opus ſunt. Denique videmus in his Apoſtolos perparcos fuiſſe: hiſtorico autē ſenſu vbique vſos. Hos nobis præ aliis conuenit imitari: præſertim quum nihil pietatis ſit quod hiſtoria non abūndè doceat.

Thalmudici

Scio denique quoſdam deſideraturos orationem puriorem & elegātiorem: iacturóſque illud Ciceronis, Mandare quenquam literis ſuas cogitationes, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare

poſſit:nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio &
literis. His nihil habeo quod reſpondeam, quàm non datum ſcribere elegantius, & in hoc opere
maiorem dictioni curam adhibere non licuiſſe: tum iis ſolùm ſcripſiſſe quos ſperaui condona-
ta ſermonis mei ruſticitate, & ſcabritie, ſatis habituros me Pſalmis lucem aliquam, etiam qua-
licunque orationis lucerna, inuexiſſe. Agnoſco ingenuè hæc ſacratiſſima Dei oracula longè a-
lia dictionis puritate & elegantia tractanda eſſe, quàm ego vnquam me conſequuturum auſim
ſperare. Nec excuſo meam barbariem ſancta infantia Apoſtolorum, quæ, vt vis Spiritus præcla
rius eluceret, quauis accurata eloquentia potior fuit. Sed dum qui eloquentia valent, aliis (proh
dolor) in rebus facundiam ſuam exercere malunt: præſtare putaui, hæc vel barbarè tractari ab
aliquibus, quàm prorſus à nemine: præſertim quum haud parum multa adhuc in Diuinis ſcri-
pturis latitent, quæ eruta, & in lucem producta, haud contemnendam ſtudioſis pietatis frugem
adferent. Iaculum illud Ciceronianum exiſtimo, ne in me hæreat, ſic poſſe repelli: nihil minus
in animo mihi fuiſſe, quàm meas hîc cogitationes literis mandare: ſed propoſitū, mẽtem, quoad
liceret, Pſalmorum aperire. Hanc ſcio tanti eſſe piis, vt illatinæ dictionis faſtidium, modò illam
intueri clarius poſſint, haud grauatim ſint toleraturi.

Hactenus de meis lucubrationibus potius, quàm ipſo Pſalmorū opere præfatus ſum, quum
de hoc potiorem præfationis partem inſumere conueniebat. Sed huc perpulit me animus ab
offenſione bonorum, etiam quorumlibet, abhorrens. De autoribus Sanctorum hymnorū pri-
mùm, deinde de inſcriptionibus, poſtremò de dictione Selah, diſputari ſolet. De his (vt abſoluā
De autoribus Pſalmorum. omnia quàm breuiſſimè) ita ſentio. Certi ſumus quotquot orthodoxi ſumus, Spiritum ſanctū
eſſe vt totius Scripturæ, ita & Pſalmorum autorem. Per ea autem organa hic autor Pſalmos de-
diſſe videtur, quorum nomina in inſcriptionibus leguntur. Quibus autem nulla ſcriptorū no-
mina prænotata ſunt, hos veteres noſtri crediderunt ab iis compoſitos, quorum proximè nomi
na in præcedentium Pſalmorum inſcriptionibus expreſſa habentur. Quúmque hac Lege Pſal
mus nonageſimus nonus Moſeos eſſe debeat (nam huius nomen proximè in inſcriptione Pſal
mi 90 præmiſſum eſt) fiat autem in illo mentio Moſcheh & Schmuel, qui diu poſt Moſen vixit:
confugitur ad propheticā præcognitionem: qua & Ioſiæ regis nomen, multis antè ſeculis quàm
naſceretur, prædictum à propheta legimus, 3. Reg. 13. a. 2. Hæc & ſimilia multa partim ex veterū
traditione, partim ex aliis coniecturis, de ſcriptoribus, numero, ordine, & inſcriptionibus Pſal-
morum memorantur ab iis qui Pſalmos expoſuerunt: quæ quoniam certa non ſunt: & in ple-
riſque, diuerſa æquè probabilibus cõiecturis dici poſſunt: malo in totū ea prætermittere, quàm
excutiendo dare curioſulis in quæſtionibus vt infinitis, ita pietatem nihil inſtaurantibus, rixā-
di occaſionem. Id quoque veteribus conuenit, ab Eſdra in vnum volumen has Sacras odas col-
lectas & digeſtas eſſe. Apud Hebræos autem hoc Sāctorum carminū volumen in quinque præ-
terea libros ſectū eſt: quod D. Hilarius nō recipit, eo quòd à D. Paulo in Actis liber Pſalmorum
citetur. Sed mihi hæc diſtinctio nihil obſtare videtur quin vnus liber vocari poſſit: ſicut & apud
Hebræos pro vno cenſetur, vtcunque diuiſus ſit in quinque partes. Vt verò ego nolim inficiari,
ab Eſdra hunc librum cæleſtium odarum primùm digeſtum ex iis quæ tum reliquæ extabant
(nam cum mille & quinque vnus Salomon compoſuit, dubium non eſt intercidiſſe quamplu-
rimas) ita nō dubitarim à poſterioribus aliquot adiectas, maximè religione inſtaurata per Ma-
chabæos. Etenim 75. 79. 80 Pſalmos, de ea populi calamitate quam ab Antiocho pertulit, cane-
nere, non habeo cur ambigam. Etenim quòd hi Aſaphi nomine prænotati ſunt, apud me non
plus euincit quàm compoſitos ab eo ſacrorum cantorum ordine, quorum Aſaph pater & prin-
ceps fuit. Nam autorum ſuorum nomina hi ordines vſque ſeruarunt: tum conſtat Pſalmos nō
eſſe iuxta rerum quas canunt, ordinem digeſtos. Qui enim tertio loco habetur, de ſeditione Ab-
eſchalomi memorat: & 140, de perſecutione Schaulis. ſic & alii multi poſteriore loco poſiti, res
prius geſtas continent, & contrà.

Conati aliqui ſunt, nunc numerorum, nunc ordinis myſteria explicare: ſed ad eum modū
nihil eſt in prophanis quoque ſcriptoribus quod non æquè myſteriorum fœcūdum videri poſ-
ſit, vt & pia mens Dei ſui ſeriò amans, quæcunque illi obueniunt, non minus materiam ſibi fa-
cit beneficia ſimul & iudicia Dei cogitandi, expendendi, ſeſéque ad profectum veræ iuſtitiæ ac-
cendendi, quàm ſunt omnia Dei figmenta & opera, potentiam, ſapientiam, & bonitatem auto-
ris ſicut indicantia, ita & ad eius imitationem incitantia. Ego verò dum minimè multi adhuc
ſunt qui quæ Pſalmi ipſi myſteria ex profeſſo & apertè canunt, dignè ſatis excuſſa perpenſáque
habeant, malui in his (quantum Dominus dedit) indicandis exponendiſque, quàm in commen-
tandis iis, quæ vt forſan pios oblectare, ita nec docere ſolidè, nec exhortari magnopere poſſunt,
operam inſumere. Fides enim æquè certo Dei verbo augetur, atque naſcitur.

De inſcriptionibus Pſalmorum. De inſcriptionibus Pſalmorum nihilo certiora aſſeruntur, tam ab Hebræis quàm noſtris,

Quæ ex his hiſtorias ſacras notant, clauium vice hactenus ſunt ad Pſalmos intelligendos. Ac præter apertè indicatas hiſtorias, habent ferè dictiones quaſdam, quarum intelligentia ne Hebræis quidem adhuc peruestigari potuit. Omnium occurrens frequentiſſima eſt למנצח, quod Græci reddunt εἰς τὸ τέλος, id eſt in finem: נצח enim ſæpe pro perpetuo, vel in finem vſque accipitur: alii reddunt, Vincenti: alii, Ad victoriam: alii, Ad inuitatorium. Probabilior verò inter alias viſa eſt ſententia A. Ezræ & D. Kimhi, qui putant per מנצח ſignificari præfectum cantorum, & eorum qui inſtrumentis muſicis admodulabantur: vnde reddidi, præſuli. Nam מנצחים 2. Paralip. 2.a.2, ἐργοδιῶκται, id eſt præfecti operarum dicũtur: ſicut נצח propriè inſtare, incumbere, perducere, ac inde peruincere & perficere ſignificat. Ergo Pſalmi qui למנצח, id eſt Sacrorũ cantorũ ac modulatorũ præſuli inſcripti legũtur, hos crediderim huc peculiariter deputatos fuiſſe, vt in ſacris cœtibus, à toto grege ſacræ muſices ſub ſuo præſule collecto decãtarentur publicitus: forſan maiore apparatu, & toto inſtrumento muſico, tam vocum quàm organorum. Niſi fuerit ex cantorum principibus ſingularis aliquis, ſiue iuniorum inſtitutor, ſiue alius quiſpiam cui ob munus quod in his gerebat, מנצח, id eſt actori & moderatori nomen fuerit, cui ii Pſalmi quibus hæc vox præmittitur, cantandi fuerint nominatim aſſignati. A. Ezra ſcribit Higaion dicere iſta inſcriptione ſignificatum, Pſalmos qui ea inſigniti ſunt, oportuiſſe cantari לנצח, id eſt perpetuò & iugiter. Sed in Pſalmorum titulis non eſt לנצח, verùm מנצח, quod nomẽ eſt, impulſorem, actorem, moderatorem ſignificans, vt eſt dictum. Sunt ex noſtris qui ex eo quod in primo τῶν παραλειπομένων capite 15.c.20.21 legimus, Cantorũ quoſdam cymbalis, quoſquã fidibus על עלמות, quoſdam in citaris על השמינית, coniiciunt, למנצח notam fuiſſe Pſalmorum, ſublata voce cantantando. Videtur enim his עלמות, quod poſſis abſcondita reddere, demiſſas & obſcuras modulationes, & השמינית octauam, & לנצח, ad enitendum, ad ſuperandum ſignificare; vt ſic per למנצח clariorem, & pluſculũ in ſublime enitentem modulationem deſignatam intelligas. Rabi Schlomoh cenſet, hoc commune Leuitarum nomen fuiſſe, ab eo quòd illorum fuerit, ſacris cantionibus & modulationibus inſtare, & iugiter incumbere. Adeò variant omnes, quia ignoratur qui fuerit ordo, quæ munia, quæ vices, quæ ratio cantandi & modulandi Leuitis ſacræ olim muſicæ deſtinatis, quorum Dauid inſtituerat quatuor millia: primo libro Paralipomenon, capite 23.a.5. Mihi prima opinio videtur vero propior.

Iam præter hanc vocem למנצח, pleræque aliæ in inſcriptionibus identidem recurrunt, haud plus noti ſignificatus vel Hebræis vel noſtris. hæ ſunt, Alamoth, Neginoth, Schigaion, Schiginoth, Maæloth, Githith, Schoſannim, Nechiloth, Michtã, Machalah, Scheminith, Maſchil. His putãt ſignificari alii modos & genera certa melodiarũ, alii inſtrumenta, alii initia carminum, ad quorũ modos ſint Pſalmi cãtati quibus hæc prænotata legũtur. Alii ſingularũ etymõ excutientes, quærũt myſteria. Nam ſiquis originem harum vocũ conſideret, licebit ſingulis ſuum commune ſignificatum aſſignare: etſi earum, ea formatione qua ponuntur in Pſalmorum titulis, ad illa communia ſignificata, in ſacris Bibliis vſus non ſit. Vnde apud eos Hebræos qui & doctrina præſtant, & certiora ſectantur, omnia propria nomina habẽtur vel modulationũ, vt dixi, vel inſtrumentorum muſicorum. Sed ne vel qualibuſcunque harum vocum interpretationibus lectorem fraudem: qui volunt has voces communes notas eſſe, ii dicunt ſignificare Alamoth, abſconditas, vel adoleſcentulas: Neginoth, modulationes: Schigaion, ignorantiam: Schiginoth, ignorantias, vel curas: Githith, torcular: Schoſannim, lilia vel roſas: Nechiloth, hæreditates: Michtam, inſignem: Machalah, congregationem, vel infirmitatem: Scheminith, octauam: Maſchil, erudientem, vel intelligentiam: Maæloth, gradus. Alii alias ſignificationes afferunt: ſed ſiquas habent communes, hæ quas expoſui, cum radicibus earum rectius conueniunt. Incerta ſunt autem omnia, & infirmiſſimis nixa coniecturis. Quum itaque tam ingens copia ſit eorũ, quæ certa nobis hæ Sacræ odæ, & non ſine ſingulari pietatis incremento conſideranda, excutienda, & tractanda offerunt, indignum nobis fuerit, quibus certum fidei verbum cõmiſſum eſt, lectorem diutius detinere dubiis. Fateamur ergo quod & doctiſſimos & vetuſtiſſimos Hebræorum fateri non piguit, inſcriptiones haſce, vbi nullas notant hiſtorias in ſacris Bibliis memoratas, à nobis cognoſci non poſſe: propterea quòd inſtitutum ſacrorum cantorum, & rationem has ſacras cãtiones modulandi, penitus ignoramus.

Nunc videndum de nomine Pſalmorum: hos vocarunt ſacra lingua מזמורים, id eſt carmina. Nam מזמור quum à זמר deducatur, carmen ſignificat. Odam ego reddidi, alii Pſalmum: ſed eruditis ſignificat Pſalmus ſonum citharæ. Ad inſtrumenta certa decantatos Pſalmos nemo eſt qui neſciat, ſed ſic vt modulatio organorum animum pararit ad percipienda plenius verba ſacri carminis. De cãtorum & modulationum organis inſtitutione, legitur in libris Regum & Paralipomenon. Porrò quum quorundam inſcriptiones habeant, מזמור שיר, id eſt vt vulgò reddunt, canticum Pſalmi: quædam מזמור שיר, id eſt Pſalmum cantici: quædam tantùm מזמור, id eſt Pſalmum,

quædam ſolum שיר,id eſt canticum:tractantes hæc noſtri dicunt, Pſalmum eſſe ſonum organi, ceſſante voce humana:Canticum,quum hac fit modulatio, ſine concinente organo: Canticum Pſalmi,quum vox humana concentum ſequitor organi:Pſalmum cantici,vbi contrá.Hebræorum doctores differentiæ huius rationem ſe ignorare ingenuè agnoſcunt . Quare dum in ambiguo adhuc res eſt,properandum videtur ad certa.

Supereſt vox Selah,quæ quum ſæpe adeò occurrit, ſolet & ipſa in præfatione tractari, ſed vt præmiſſa omnia,varié.Ego vt his me tandem labyrinthis expediam, vero propiorem opinionem Kimhi habeo.Hic putat notam fuiſſe vocis exaltandæ,eóque monitorium cogitationis animi intendẽdæ:quod in explanatione vbique ferè indicaui. In priore editione ſacrum nomen יהוה reddideram per Autophyes.Nam occurrẽdum videbatur ſuperſtitioni Iudæorum, qui hoc nómen pridem ineffabile fecerunt:& vbicunque יהוה in Scriptoris habetur,legunt pro eo אדני, id eſt Dominus,quod & Græci & Latini poſtea imitati ſunt . Verùm quũ Dominus ipſe qoid hoc nomine ſignificetur ſatis expreſſerit,quum rogatus à Moſcheh nomen, reſpondit, אהיה אשר אהיה, id eſt ſum qui ſum:& poſtea, Sic dices filiis Iſrael,אהיה miſit me ad vos:Quis non videat quid per ſubiectum illic & hinc deductom nomen Iehouah ſignificare voluerit? nimirum exiſtenti ſibi nomen eſſe,& quòd ſolus à ſe, ac ideo ſemper exiſtat . Id verò quàm non exprimat nomen Dominus,quis non videat? Atqui in hoc Deus nomen illud ſoom protulit(quod negabat Patribus ſe notum feciſſe, tantis ſcilicet,támque portentoſis rerum immutationibus pro ſalute ſuorum editis)vt non ſolum cognoſcamus,ſed probè quoque perpendamus, ipſum vnum eſſe qui & per ſe exiſtat, & exiſtendi omnibus virtutem ſuppeditet, qoo totos nos ipſi committamus. Proinde putaui hic nonnihil audendum eſſe, ſed reuera contra ſolam ſuperſtitionem Iudæorum, & reddere hoc nomen Iehouah per αὐτοφυὴς,id eſt Autophyes, quod nomen Græcis,à ſe & per ſe exiſtẽtem ſignificat. Sic dictũ Deum ab oraculo Apollinis,meminit Lactantius lib.1.cap.7. Interea autem dum amici iudicarunt, Autophyes nomen æquo inſolentius eſſe, ſequutus horum iudicium,ipſum ſanctum nomen יהוה reliqui, noſtris literis expreſſum : quod ad id vt cognoſcatur effabile eſſe,æquè commodum erit. Significantiam eius hic iam expoſui.Ob id,ſcio,qui rem omnem recta ſecum ratione reputarit , nemo mihi indignabitur , qui ſcilicet cupiam cognitum haberi quod planè omnes ſcire refert: quódque Deus vt nomen ſuum ſempiternum , & memoriale ſuum in omne æuum, quàm notiſſimum haberi omnibus voluit . Si nãque vocem ſpectas, non minus ineffabile hoc nomen eſt,quàm quodcunque aliud,æquè ac alia,ſuis vocalibus inſpiratum. Si ſignificatum,alia non minus quàm hoc ineffabilia,ac etiam ſubſtantialia(nihil ſiquidem in Deo accidens)habentur. Sed de hoc,vt de omnibos,quiſque vt volet ſtatuat:tãtùm Deo, & in gratiam huius,innocentiæ ſtudeat.Quod ſi fecerit,facilè condonabit,ſicubi volens iuuare bonorum ſtudia, id minus ſum aſſequutus : certè non ſpectaui aliud. nouit is qui inſpector eſt cordium:ille ita doceat nos ſua placita,vt & viuere illis toto pectore conemur.

AVTORES QVORVM SCRIPTIS HAEC SVA COMMENtaria M. Bucerus vel auxit, vel poliuit.

Ab. Ezra Rabi
Accurſius
AEl. Lampridius
Ambroſius
Apollonius Eccleſiaſticus ſcriptor
Ariſtoteles philoſophus
Arnobius
Athanaſius
Auguſtinus
Bernardus
Budæus
Canones eccleſiaſt. ſcript.
Chryſoſtomi aſſertiones
Cicero
Clemens
Columella
Concilii Chalcedonenſis aſſertio
Cornelius Tacitus
Cyprianus
Cyrillus
Dauid Kimhi Rabi
Damaſcenus
Dionyſius Halicarnaſſeus
Epiphanius
Euſebius
Florentinus Iuriſconſultus
Fœlix Pratenſis
Gloſſæ author
Gregorius Magnus
Herodotus
Heſychius
Hieronymus
Hilarius
Hiſtoria tripartita
Homerus
Horatius
Hoſtienſis Cardinalis
Iaſon Iuriſconſultus
Ionas Rabi
Ioſephus Hiſtoricus
Ioſeph Kimhi
Ioſeph Paraphraſtes Chaldæus
Iræneus
Iſidorus
Iudas Rabi
Iuuenalis
Lactantius
Leges imperiales
Leſuchath libri autor
Leui Rabi
Martianus Iureconſultus
Moſes Cohen Rabi
Ouidius
Panormitanus
Perſius
C. Plinius
Plinius Iunior
Pomponius Iuriſconſultus
Proculus
Ptolemæus
Quintilianus
Saadias Rabi
Salomon Rabi
Solinus
Strabo
Terentius
Tertullianus
Thomæ Aquinæ aſſertiones
Valla
Virgilius
Vlpianus

LOCI SACRAE SCRIPTVRAE IN HISCE COMMENTARIIS vel explicati luculentius, vel ad enarrationem Pſalmorum adhibiti cómodius.

Gen. 2. a. 6 Et aſcendebat è terra nubes 446
17. a. 5 Ambula coram me, & eſto integer 217
20. b. 6 Ego noui quòd corde ſyncero iſtud feceris 118
Exod. 16. d. 18, Qui multū, ei nihil redundabat: qui parum, ei nihil deerat 121
c. 18 Et agitabatur ouis mōs valde. 308
19. a. 6 Vos eritis mihi regnū ſacerdotum, gens ſancta 407
20. b. 7 Ne aſſumas nomen Iehouæ Dei tui in vanum 152
Num. 24. a. 5 Vt fœlicia tabernacula tua Iacob 7
23. c. 25 Videbo eum, & non modò aſpiciam 195
Deut. 4. b. 9 Ne obliuiſcaris verborū quæ viderunt oculi tui 320
6. a. 5 Diliges Dominum Deum tuū ex toto corde tuo, &c 6
25. a. 4 Ne capiſtres fiſcella bouem dum triturat 125
32. a. 6 Nunquid ipſe pater tuus 23
e 35 Mea eſt vltio 357
33. d. 29 Beatus es tu Iſrael 2
Ioſue 1. b. 8 Non recedet volumen Legis huius ab ore tuo 5
7. a. 1 Liquefactum eſt cor populi. 242
Iob 3. d. 28 Vt veſtimentum depaſcet eos tinea 217
6. b. 11 Quænā virt⁹ mea vt ſuſtineā. 116
15. c. 27 Obtexit os ſuū ē pinguedine. 109
37. a. 1 Audite ſonitū, cum tumultu vox eius 172
38. a. 4 Vbi eras quū fundarē terrā: 151
39. a. 4 Nunquid parturientem ceruam obſeruaſti 173
39. b. 12 Nunquid volet tibi ſeruire vnicornis 142
Prouerb. 3. c. 16 Longitudo dierum in dextera eius 106
9. b. 7 Qui erudit irriſorem, ipſe iniuriam ſibi facit 3
17. d. 22 Cor gaudens valetudinem perficit 354
Spiritus contritus areſacit oſſa 369
19. d. 27 Abominatio eſt iuſtis, vir prauus. 90
22. a. 1 Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ 96
22. 26 Quam viam adoleſcēs inſtituerit, ſenex ab ea non recedet. 483
24. b. 16 Septies in die cadit iuſtus 196
Eccles 2. d. 21 Eſt homo qui cum ſapientia laborat 216
Eſa. 1. d. 15 Quum expāderitis manus veſtras, tegam oculos meos 164
e. 18 Si fuerint peccata veſtra vt purpura 467
f. 24 Eia ſolabor me de infeſtis meis 447
g. 26 Reſtituam iudices tuos quemadmodum olim fuerunt 4,6
2. d. 22 Subducite vos ab hominibus quorum anima in naribus mouetur 464
10. a. 5 Aſſur virga furoris mei 110
11. d. 13 Et definet zelus Ephraim 222
17. d. 13 Perſecutione agetur, ceu quiſquiliæ 8
29. c. 16 Peruerſitas veſtra profectò ſimile habet luto figuli 291
30. c. 14 Iniquitas iſta vobis adferet malum, &c. 26
51. c 8 Sicut veſtimentum depaſcet eos tinea 217
Ierem. 1 b. 5 Ego cognoui te in vtero matris 9
2. f. 28 Iuxta numerum vrbium tuarum fuerunt dii tui Iuda 101
6. c. 13 A paruo vſque ad magnū vnuſquiſque lucrum venatur 76
12. a. 1 Iuſtus es Domine quum iure tecū egero 306
31. f. 31 Hoc fœdus eſt quod cum domo Iſrael in poſterioribus diebus ſtatuam 15
Thren. 4. b. 8 Corrugata eſt cutis eorū in oſſibus 369
Ezech. 16 a. 3 Origo tua è terra Chanaan. 79
18. a. 4 Filius non portabit iniquitatem patris 398
34. f. 25 Dabo pacem, & ad quietem iacebitis 34
47. b. 12 Conſurget ad flumē in vtraque eius ripa omne genus arborum 70
Oſeæ 2. d. 18 Arcum & gladium & bellum conteram de terra 34
8. c. 11 Multiplicauit Ephraim aras ad peccandum 108
11. a. 1 Ex Aegypto vocaui filium meū. 121
Amos 3. a. 4 Nunquid rugiet leo, ſi illi nō ſit præda 140
Matth. 5. f. 34 Vobis autē dico ne omnino iuretis 155
23. d. 37 Quoties volui vt gallina ſuos pullos, colligere filios tuos 109
Iohan. 3. d. 29 Amicus ſponſi gaudet qui audit vocem eius 110
10. b. 16 Alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili 149
Act. 1. d. 20 Et epiſcopatum eius accipiat alter 396
13. e. 33 Filius meus es tu 19. 21
Rom. 6. a. 2 Qui mortui ſumus peccato, quomodo viueremus in illo: 356
8. a. 3 Lex ſpiritus vitæ per Chriſtum Ieſum 11
8. f. 29 Quos prædeſtinauit Deus, hos & vocauit 8
10. d. 17 Fides ex auditu 21
15. c. 11 Præualuit ſuper nos primùm in Iudæos, inde & ad nos Gentes bonitas Dei 414
15. d. 16 Adminiſtro Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium 250
1. Corinth. 9. b. 9 Non alligabis os boui trituranti 121
13. d. 12 Faceſſit quod imperfectum eſt,

vbi aduenerit quod eſt perfectum. 218
14.c.16 Si ſolùm benedicas ſpiritu, quomodo is qui priuati locum implet, dicet Amen? 50
2.Corinth.10.a.3 In carne agentes, haudquaquam ſecundum carnem militamus 151
b.5 Captiuam ducimus omnem cogitationem 190
Gal.3.d.28 In Chriſto non eſt mas neque fœmina 13
Epheſ.4.c.13 Occurremus ſiquidem olim in virum perfectum 9
4.d.18 Qui verſantur iuxta vanitatem mentis ſuæ 15
f 26 Iraſcimini & nolite peccare. 39
Philip.1.c.20 Vt ſemper, ita nunc quoque glorificatur Chriſtus in corpore meo 182
4.b.2 Didici ego in quibus ſum ſatis habere 160
Coloſ.3.c.16 Sermo Chriſti inhabitet in vobis opulenter 6.144
1.Timoth.2.b.5 Vnus Deus, & vnus mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus 22
1.Pet.4.c.14 Si probris afficimini in nomine Chriſti, beati eſtis 183

LOCORVM, DE QVIBVS CONTROVERTITVR, COMmunium, piæ explanationes & conciliationes.

De eo, an Chriſtiano liceat iurare 155
De confeſſione 186
De Eccleſia 94
De feriis Chriſtianorum 354
De fide 18
De ieiunio 101
De iuramento 97
De Lege 151
De libero arbitrio 11
De morte quam Sancti tãtopere olim abhorruerint 56
De organorum abuſu 189
De precatione 49
De eo, quod Deus ſcelera maiorum puniat
In minoribus 398
De Sabbatho 354
De ſimulachrorum abuſu 409
De Trinitate 24
De votis 315
De vſura 98

R. Stephanus Chriſtianis lectorib.

QVum in animo haberem reliquum tempus ætatis meæ in libris ad noſtram religionem pertinentibus imprimendis celebrandíſque cõſumere, cognoſcerémq; Spiritũ interpretationis à Patre cæleſti donatũ eſſe largẽ ac munificè Martino Bucero Theologo clariſſimo: cepi conſiliũ omnia illius egregia & præclara opera pulcherrimis typis excudere. Hoc negotium ſuſcepi etiam duabus de cauſis lubẽtius: primùm quòd verebar, ne pleraq; illius opuſcula, quæ nunc diſperſa ac diſiecta nõ facilè cõciliari poſſunt, magno Eccleſiæ incõmodo amitterentur: deinde quòd viderẽ, ſi ii libri qui hodie maximè omniũ in manibus habentur (qui profectò valde illiberaliter ac negligenter à quibuſdã typographis impreſſi fuerũt) ab aliquo deſidioſo ac diſſoluto librario denuo ad incudem reuocarẽtur, fore vt in hiſce libris pulcherrimis, idem vſuueniret quod interdũ lapillis quantũuis pretioſis ſolet accidere, vt quo pluribus ab imperitis artificibus tractantur atq; inciduntur, eo plus dignitatis ac decoris amittãt. Itaq; dum & libros quos poſſum vndique ſummo ſtudio ac diligentia cõquiro, & quos cogere potuerã caſtigandos ac repurgandos curo, quatuor hoſce præclaros & excellentes cõmentarios, qui facilè aliis omnibus huius autoris ſcriptis antecellere iudicãtur, prælis noſtris cõmiſi: ſperans (vt dixi) fore vt vnico partu vniuerſa eiuſdem ſcriptoris opera in lucem ederentur. quũ ecce mihi ad hoc negotiũ intento, in eámq; curam incumbenti amicorũ literis nuntiatur, duo reliqua eſſe illius librorũ genera, quorum mihi facultatẽ tam breui ſpatio futurã diffiderent: primum eorũ, quos idem autor ſua, id eſt Germanica lingua cõſcriptos ediderat: alterum qui partim ab ipſo informati, neque dum perfecti ac perpoliti, partim ex ipſius prælectionibus à ſtudioſis hominibus excepti nondũ in lucem cõſpectúmq; hominum peruenerant. Qua ego difficultate quũ hunc noſtrũ curſum ſuſtineri neceſſariò viderem, feci quod nautæ ſolent, inhibere iuſſi. & quoniam paratior ad vos atq; inſtructior appellere non potui, tãtiſperdum alia parantur atque adornantur, non dubitaui hæc vobis optimo animo ac ſingulari in ſtudia veſtra volũtate proponere. duabus præſertim hiſce rationibus adductus: primùm quòd horum librorum, qui à me iam impreſſi ſunt, ac domi conditi, diutius ferri non poſſe deſiderium intelligerem, meúmque conſilium in iis cõprimendis atque occultandis vehementer à bonis viris improbatum iri: deinde quòd inter omnia quæ vnquam ab hoc ſummo ac præſtanti Theologo ſcripta ſunt, quatuor hoſce cõmentarios ſine vlla dubitatione principem locum obtinere conſtet. Nam iis quidem explanationibus quæ in ipſos quatuor Euangeliſtas conſcriptæ ſunt, ita ſcienter ac perſpicuè ſingulæ religionis Chriſtianæ partes pertractantur, ita præclarè ac fœliciter Filii Dei aduentus, beneficium, iuſtitia & gratia per eum nobis acquiſita demõſtrantur, ita denique Euangelii natura & Eccleſiæ ſalus, beatitudo, fœlicitas explicatur, facilè vt appareat eum animum vnde hæc deprompta ſunt, reipſa vim atq; effectum Euãgelii perſenſiſſe.

Dauidis autem pſalmorum interpretatio ita magnã atq; accuratam cõtinet Hebræi ſermonis explicationem, ita porrò Dei potentiam, & in conſeruanda Eccleſia ſua prouidẽtiam grauiter eruditeque prædicat, vt eam qui legat, & ſummã huius excellentis Theologi eruditionem admiretur, & facilè ad Dei optimi ma-

ximi laudandam ac celebrandam miſericordiam incendatur. Nam quod ad eas attinet annotationes, quibus Iudicum hiſtoriam (quam pauci adhuc attigerunt) illuſtrauit, vix credi poteſt quanta in illis eluceat Literarum ſacrarum cognitio, quanta ætatum, hominum, rerum denique tum priuatim, tum publicè, domi, bellíque à gente Iſraelitica géſtarum ſcientia eniteat. nam etſi ex ipſius prælectionibus exceptæ, forſitan in eorum numero habendæ ſunt, quæ Græci ἀνέκδοτα, & ἀδιόρθωτα nominarunt (quorum eſſe maiorem aliquanto numerum antea dicebamus) tamen huius viri præſtantem atque excellētem quandam ingenii magnitudinem fuiſſe non obſcurè ſignificant. Iam verò, quantum ille vir in Prophetarum prædictionibus interpretandis valuerit, noſtra hæc quam vobis exhibemus, cōmentariorum in Sophoniam editio perſpicuè declarat: in quibus & quantum odium, quantáque indignatio Domini aduerſus hominum impietatem exiſtat: quantáque ſupplicia, & quàm parata perpetuò illorum improbitati fuerint: quanta denique reſipiſcentibus, & Domini miſericordiam implorantibus clementia, bonitas, ac manſuetudo parata ſit, doctiſſimè, grauiſſiméque cōcionatur: vt facilè intelligatur, ei qui obſcuriſſimi Prophetæ ſenſa tā perſpicuè ac dilucidè perſpexerit, lumen illud cæleſte Spiritus Domini præluxiſſe, & benignè myſteria ſuæ religionis enuntiaſſe: vt eius opera nos hoc tēpore in cognoſcenda ac celebranda Dei potentia vteremur. quum interim maxima pars hominum, quaſi ſempiterna nocte à diabolo ipſorum oculis offuſa, vel in infandis ſuperſtitionibus, quaſi ſues in luto, volutētur: vel depulſo timore Dei, in omne genus libidinū ac voluptatū præcipites ruant: neque maiorem quàm pecudes, religionem colāt, omnémq; Diuini iudicii memoriā aſpernētur. quorum hodie numerum augent ii vel maximè qui cognitis Papiſticæ ſuperſtitionis erroribus, Euāgeliíque doctrina deguſtata, ſatis habuerunt Papiſtarum miſeriam ac ſtultitiam irridere: Eccleſias verò in quibus Euangelii doctrina prædicatur, & Sacramenta Domini rectè atque ex ipſius inſtituto adminiſtrantur, frequentare, aut libros ad religionem Dei pertinentes tractare ac legere, pro nihilo duxerunt. Cui malo quum pro mea quoque virili parte obuiam eundum arbitrarer, ſtatui equidem omnem meam operam, ſtudium, ac diligētiam poſthac in edendis piis ac probatis libris conſumere. cuius rei cum tribus ab hinc annis (ex quo in hanc beatam, ac verè, vt prædicare iterum poſſum, beatam Eccleſiam commigraui) non exiguum ſpecimen edidiſſe videor: tum verò iſtos Martini Buceri ſtudio atque opera noſtra perpurgatos ac perpolitos libros non paruo argumento fore confido. Hac enim ratione cum Dei mei honori ac dignitati, Eccleſiæque commodis inſeruiam: tum verò teſtatum ingratiſſimis iſtis temporibus relinquam, me non vt otium quærerem, Eccleſiam Dei ſequutum eſſe: ſed eius cauſa labores & moleſtias omnes velle ſuſcipere, neque quicquā in hac vita dignius eſſe arbitrari, in quo omnis mea diligentia, ſedulitas, induſtriáque conſumatur. Valete, & mea ſtudia (quod facitis) veſtris precibus adiuuate.

Geneuæ, III Nonas Maii, M. D. LIIII.

Pſalterii Dauidis explanatio.

PSALMVS PRIMVS, in genere exegetico.

ARGVMENTVM.

Beatos eſſe ferèque prædicat qui repudiatis conſiliis & inſtitutis improborum, Legi Dei cognoſcendæ, uitáque exprimendæ, ſeſe totos addicunt: miſeros uero qui hac deſerta, ſequuntur illa.

1 BEatus ille qui conſiliis improborum non accedit,nec PARAPH.
inſtituto flagitioſorũ viuit,& cum malitioſis ſocieta-
tem nullam init:
2 Sed animum ſuum habet in Lege Iehouæ,eámque
commentatur interdiu noctúque.
3 Habebit hic inſtar arboris ſatæ in irriguis, quæ ſuũ
fructum reddit in tempore, foliiſque eſt nunquam
inareſcentibus. nam quicquid inſtituerit, id fœlix e-
rit,& fauſtum.
4 Diſpari ſorte ſunt improbi:hi ſiquidem ſimiles erunt quiſquiliis quas diſpel-
lit ventus.
5 Quare in iudicium acti improbi haudquaquam cõſiſtent,neque ſtabunt fla-
gitioſi in concilio iuſtorum.
6 Etenim vita iuſtorũ in fide eſt,curáque Iehouæ:at vita improborũ diſperibit.

AD VERBVM EX HEBRAEO VERSIO ET EXPLANATIO.

FOElicia illi uero qui non iuit in conſilio improborum, & in uia peccatorum non ſtetit, & in ſede uerſutorum non ſedit. A quibus alienos eſſe oporteat filios Dei, Vates hoc verſu docet: ſequenti, quibus eos eſſe addictos. *Beatus ille* verti, nec adieci vir. איש enim quod vir hîc vulgo reddiderunt, in Scripturis non ſolùm pro quolibet homine,ſed etiam pro re qualibet identidem accipitur. Geneſ.15.h.10, vbi de componẽdis inter ſe hoſtiarum partibus Deus præcipit,dicit, ויתן איש בתרו לקראת רעהו, id eſt pones vnam ſectæ hoſtiæ partem, è regione alterius. Quod ſi ad verbum vertere, & איש pro viro accipere velles,reddendum eſſet, Et dabis virum ſectionis ſuæ contra proximum ſuum. Superuacaneum iſtuc annotaſſe putabunt multi: ſed meæ partes erunt non huius ſolùm generis annotatiunculis eorum me tenuitati accõmodare, qui vt literis non ſunt plurimum tincti, ita religione ſtudióque Dei non vulgariter pollent. Ii ergo ſciant ideo me hîc viri nomẽ ſuppreſſiſſe,quòd dum de pietatis ratione agitur, omne & ſexus & rerum externarũ quarũlibet diſcrimẽ faceſſere debeat. In Chriſto ſiquidem non eſt mas,neque fœmina,nõ Iudæus,aut Græcus,ſed omnes vnus, Gal.3.d.28. Sunt qui hîc viri nomine maſculã animi virtutem,qua cælitus Sãcti donantur,intelligendã exiſtimant:ſed Vates iis quæ ſubiicit,Nõ ſequitur conſulta improborum, non viuit inſtituto flagitioſorum,& reliquis,abũde declarauit quemnam fœlicem pronuntiet, & qua eum cui beati nomen competat, virtute præditũ eſſe oporteat. Viſum igitur eſt me vim dicti huius plenius explicaturum, ſi redderem, *Beatus ille*, vt in hanc ſententiam ipſum accipias: Is demum(eſt enim hic ה nota emphaſeos)quiſquis ſit,mas aut fœmina, reciſo præputio nobilis Iudæus,aut ſeruato infamis Ethnicus,multiſcius Philoſophus,aut amuſus barbarus, detritus multo rerum vſu homo politicus, vel imperitus vitæ ruſticus: is inquam quiſquis aliâs ſit, qui callidis malorum vndique pro perituris ſeculi rebus tumultuantium inuentis non acceſſerit: multo minus prauis peruerſiſque inſtitutis ſceleratorum,quos iam peccare depuduit, ſeſe dediderit, animúmque fixerit: omnium autem minime ſodalitati eorum qui iam omne ius & fas rident,eóſque qui aliqua religione tenentur,ludibrio habent, nomen dederit,iam cum illis malitiam, audaciam, & impudentiam velut profeſſus: ſed longum valere his dicto, toto pectore, omníque eum auiditate ſupernæ ſapientiæ qua & Deus & Deo digna vita ,hoc eſt conſummata fœlicitas,non tam diſcitur quàm percipitur,ſeſe addixerit,nihil aliud cogitans,nihil æquè curans quàm vt Conditori vitam ſuam approbet,Legi eius conformatã:eúmque quoad eius fieri poteſt,referat filius Patrem:hic mquam beatus & bonis omnibus,atque iis certis,ſolidis,ac æternis cumulatiſſimus fuerit. Hebræis id nomen quo beatitudinem & fœlicitatem ſignificãt,plurale tantum eſt,ſicut & quo vitam:qualia apud nos ſunt diuitiæ,opes & ſimilia. Rationẽ verò huius R.Da.Kimhi reddere hãc conatur,quòd nemo ab vno & altero,ſed ſi pluribus אשרי

bonis affluat,fœlicis ac beati nomine feratur. Vtcunque hoc ſit,germana nominis huius ſignificantia idẽ indicat quod nobis fœlicitas & beatitudo. Vnde quũ Moſcheh vice Dei Iſraeli præſens in omnibus Dei auxilium,ſummã ſecuritatem,bonorúmque abundantiam omnium pollicitus eſſet,ſubiecit omnia concludens,& velut ſummãs,אשריך ישראל,id eſt Fœlicitas tibi Iſrael, hoc eſt fœlix & beatus eris, quis tibi cõferendus? populus nobilis, &c.Deuter.33.d.29. Sic Leah quũ alterum ex ancilla filium ſupra quatuor quos ipſa pepererat,ſuſtuliſſet,dicebat,In fœlicitate,hoc eſt fœliciter,quoniam fœlicem prædicabunt me matronæ. Quæ ſequuntur,ſchema habẽt quod Fabius cõgeriem vocat. Etenim hæc,Nõ ire in via peccatorum,nõ ſtare in via peccatorum,& non ſedere in ſede deriſorum propè idem ſignificant,conſenſum ſcilicet & conſuetudinem cum improbis: eóque eſt hoc loco ſenſuum qui idem faciunt,aceruatio quædã,gratia explicandi magis,atque iuxtà deteſtandi improborum & ſocietatem & conſectationem,adhibita. At Hebræi quidam, noſtri autem ferè omnes volunt in his eſſe ſpeciem amplificationis quam incrementum vocant. Stare enim plus eſſe dicunt,quàm ire: & ſedere, plus quàm ſtare. Sic leuius eſſe obiter accedere placitis malorum, quàm animum in more inſtitutóque eorum velut ſtatuere & figere. & hoc minus quàm ita illis ſe addicere atque inſerere, vt tanquam vnus ex eis malitiam palàm profitearis. Quibus verò ordo inuerſus videtur,& putant ſi incremento hîc Vates vti voluiſſet,dicendum ei fuiſſe,Beatus ille qui non modò cum impiis nõ ſedit,ſed nec ſtetit,imò ne iuit quidem : his illi reſpõdent oſtẽdere voluiſſe Vatem quibus gradibus in extremã ſcelerũ ſocietatẽ abeatur. Primùm vtcunque conſulta arrident improborũ:poſtea ſiſtit ſe in illis animus,& iuxta ea vitam inſtituit:inde totum ſe ſceleribus addicit, iámque ſedẽ ſuam inter flagitioſos firmat,& ex profeſſo peruerſa eorum ſtudia ſectatur. Proinde quod Vates ſuo & totius Scripturæ more dixit breuiter & circũſcriptè,ei haud inconcinnã incrementi effigiem indas ad hunc ſenſum licebit,Fœlix ille qui ad verſutias malorũ non reſpexit,multo minus vitã ſuã ſecundum illas inſtituit ,minime omnium in eorum ſe familiam & colluuiem eadem ſcelera profeſſus,abiecit. Quos verti *improbos,flagitioſos,malitioſos*,alii *impios,peccatores,deriſores*,hos Vates eoſdem intellexit homines malos,& Dei vacuos. Hi omni cæleſtium ac verorũ bonorũ & guſtu & ſpe deſtituti, vt qui nõ modo nõ intelligere, ſed nec audire quicquã de rebus diuinis poſſint, animales nimirũ atque ex diabolo nati, vanas & nihili res ſæculi huius inſano & perturbationis pleno ſtudio vſque perſequuntur , ſurſum ac deorſum iactantur & raptantur, nec vnquam animo vere tranquillo & placido eſſe valent. Nam ſolus Chriſtus ita cibat,vt in æternum exẽpta fames ſit:vnus potat,vt extincta ſitis nunquam infeſtet: idque ſeipſo,dum donat nobis & ſe & in ſe Patrẽ ſolidè cognoſcere:hæc ſiquidẽ vita æterna eſt. Quare quibus hoc datũ non fuerit, quos Pater Filio non attraxerit,vt ei toto ſe animo dedãt , eiúſque iugo leui atque cõmodo ceruicẽ ſubmittãt,requiem animabus ſuis nunquã conſequi poterunt. Omnia nãque præter Deũ longè infra id ſunt,vt cor hominis quod eſt capacitatis infinitæ exatiẽt. Vnde ſcitè Auguſtinus initio Cõfeſſionum ſuarũ,Quia feciſti nos ad te(inquit ad Dominũ) inquietũ eſt cor noſtrum, donec quieſcat in te. Id nunquã datur reprobis,& qui non ſunt nati ex Deo:ideo de illis Ieſchaiah,57.d.20,Improbi ſicut mare concitati ſunt,quod ſedari nequit,agitationéq; vndarum nihil niſi ſpumã & lutum efficit . Qua ſimilitudine Vates ſignificare voluit nunquam quietè viuere malos,ac ſemper rerum ſuarum ſatagere, eſſéque occupatos: nunquam tamen id aſſequi vt bene beatéque viuant. Quamlibet enim tumultuentur,& importuni per omnia ruant & volitent, adeò tamen nihil verorũ bonorũ ſibi comparare poſſunt,vt nihil niſi inanis ſpuma ſit,& inutile lutũ quicquid omni ſuo ſtudio,cura & ſolicitudine confecerint. Et ab hac animi,& actionum perturbatione,inſanóque motu,dictos רשעים R.D.Kimhi arbitratur,adducitq; locos ex quibus ſententiam ſuam liquidò probat. Iiob 34.d.29,prædicans Dei potentiam,ait, Ipſe ſedet,& quis ירשיע,id eſt cõmoueat? Itẽ Eccle.8.b.8,רשע,id eſt improba ſedulitas non eripiet eum qui illi ſe dedit. Sunt qui hoc nomine præcipuè impietatem & contẽptum Dei ſignificari putent:ſed qui diligẽtius Scripturæ loca in quibus hoc nomẽ legitur obſeruarit , videbit eum ſignificatum huic voci nequaquam perpetuum,etſi aliquãdo illo vſurpetur. Etymon ſanè eius eſt à perturbatione & tumultu. חטאים,quos ego *flagitioſos*,vulgo verò vertunt *peccatores*,non ſunt qui quovis modo peccatis obnoxii ſunt:ſed qui iam perfricta frõte ita peccatis ſeſe addixerũt, vt inde meruerint cognomen : quales ii erant qui in hiſtoriis Euangelicis peccatores vocantur, qualíſque illa in ciuitate peccatrix . Hoc certe nomine Geneſis 13.c.13, Sedomitæ : & 1.Regum 15.c.18 , Amalekitæ חטאים, id eſt peccatores vocantur . Proinde quo ego velut peccandi habitum ac profeſſionem quandam in hac voce notatam exprimerem , reddidi *flagitioſos*. Neque enim alios peccatores , quàm improbos , atque ſceleſtos Vates hîc notat. לצים quos *malitioſos* reddidi, R. D.Kimhi dicit eſſe aſtutos , & ad lædẽdum callidos : tum arrogantes , quorúmque ſtudium ſit alios infamare,& ſecreta reuelare,atq; ita cõcordiã labefactare:hoc eſt diabolos agere,ſycophã-

Geneſ.30.b.10.

חטאים

לצים

tas & perperos quoſdã homines inſignitè malos, & ad laceſſendum alios non minus appoſitos quàm percupidos. Id malitiæ vt in vno quàm alio magis emineat, eo tamẽ laborãt quicunque viuũt Spiritus Dei boni expertes. Se nanque ſolos amãt: quúmque præter præſentis ſeculi nulla bona norunt, ſic illos ſua inſatiabilis cupiditas acuit, & callidos reddit, vt in ſua generatione ingenii acrimonia atque induſtria filios lucis præcellant longiſſimè, non prudentes quidẽ, ſed verſuti & veteratores. His omnia ſacra riſum mouent, & iniuria homines affeciſſe, induſtriæ ſibi, laudique ducunt. Vnde Prouer. 9. b. 7, ſicut & hic, cum רשע id eſt improbo, לץ id eſt malitioſus coniungitur. Caſtigans, inquit, לץ, id eſt verſutũ, vt R. D. Kimhi placet, ſibi ipſi cõtumeliam aſciſcit: & qui corripit רשע, id eſt improbum, ſemetipſum commaculat. Eodem ſignificatu & aliis in eo libro locis vſum vocis huius videas. Plerique *illuſores* verterunt, nec ineptè, etſi forte non ſat plene vim nominis expreſſerint. Contẽnunt enim huiuſmodi præ ſe, & irridẽt omnes. Quúmq; his ipſis nihil ſit æquè nocẽs ac peſtilẽs, viſum eſt interpretibus Græcis eorum ſedem, id eſt cœtum, ſedem vocare peſtilentiæ. Porrò his tribus nominibus eoſdem deſignatos, reprobos ſcilicet & Deo inanes, illud manifeſtum efficit, quòd verſu 4, רשעים duntaxat repetuntur: ſed quorum nomine proculdubio cõprehenduntur ſimul & peccatores & irriſores: ſicut & vltimo verſu, ſub hoc & חטאים nominibus, comprehenſi ſunt לצים, id eſt vafri & verſipelles, ſanniones & irriſores. Conſilium improborum, aſtutæ rationes & verſutæ ſunt quibus illi & rem facere, & delicias venari, & ad nomen potentiámque eluctari ſolent, nulla aliorum ratione habita. Vim & fructum huius cõſilii admodum eleganter, Prouerbiorum 1. b. 11, Schlomoh exponit, vbi peccatores inducit ad ſua ſtudia hiſce verbis allicientes, Veni nobiſcũ, inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas. & reliqua. Via peccatorum, mores eorum ſunt & inſtituta, in quibus quaſi in via gradientes verſantur. Metaphora hæc qua per viam ratio certa viuendi, aut negotii gerundi, aut ſucceſſus, ſed & rerum quarumlibet conditio & affectus ſignificatur, nuſquam non in Scripturis occurrit. quare exempla multa adducere, quæ identidem in hoc opere vltrò ſeſe offerent, nulla ratio eſt, præſertim quum in omnibus ferè linguis eius vſus ſit. Gallicè dicitur, *Tu as prins un bon chemin, une bonne voye, continue la.* Sede verò verſutorum, eorum ſocietatem & conuictum per metonymiam ſignificare, Sacræ linguæ magis peculiare eſt. Infrà autem Pſalmo 26. b. 4, eiuſdem metonymiæ vſus eſt, Nõ ſedi cum hominibus vanis, & cum diſſimulatoribus non ingrediar. Odiui cœtum malorum, & cum improbis non ſedebo. Hîc quiuis videt, ſedere & ingredi cum malis, poſitum pro conſpirare cum eis, & ſcelerum inire ſocietatem. Paraphraſtes Chaldæus Rabi Ioſeph reddidit, Et cum ſocietate deriſorum non circumiuit. Obſeruauit Kimhi omnem hominis vitam eundo, ſtando & ſedendo peragi: nam iacere ſub ſedere comprehenditur: quanquam etiam iacendo nihil ferè geramus. eóque quum Vates requirit vt nec eatur, nec ſtetur, nec ſedeatur cum malis, omnem penitus illorum conſuetudinem, omnéque commercium damnauit. Cuius ſimul in his gradus ſuprà indicati non obſcurè notantur. Primùm enim aliquantulum arrident peruerſorum ſtudia, & ad imitationem ſui alliciunt, ſed nondum ſtamus animo in illis fixo. At ſi non illico pedem referimus, vſu facta illorum magis placebunt, & ſtabitur iam inter illos. At dum nondum quaſi reiecto pudore, & repulſo Dei metu, prorſus nos illis addiximus, prauáque eorum inſtituta profitemur, etſi cum eis ſtemus, nondum tamen ſedemus, nondum toti in eorum ſocietatem commigramus. Hos gradus ponit & D. Arnobius, Hilarius, item Auguſtinus, & quiſquis author eſt commentariorum in Pſalmos, quæ titulo feruntur D. Hieronymi. Porrò obſeruandum quòd non ait Vates, Beatus ille qui non fuerit improbus, peccator, malitioſus: ſed, qui non habuerit cum his commercium, non fuerit ſequutus horum conſilia, nec imitatus facta. Apud eos enim qui beati eſſe, & ex Lege Dei viuere poſſunt, ſemen Dei & Spiritus bonus ita obtinet, vt peccare, hoc eſt toto animo praui & peruerſi eſſe nequeant. id quod diſertis verbis Iohannes in ſua Epiſtola, cap. 3. b. 9, adſeruit, quippe qui nati ſint ex Deo. Cæterùm quotidie delinquimus omnes, vt idem confitetur cap. 1. d. 8: nec pauci identidem à malo præoccupati, conſulta ſceleratorum ad tempus ſequuntur: vt Dauidi, Petro, & aliis vſu venit: quorũ alter explẽdæ voluptatis cauſa, & adulteriũ & homicidiũ admiſit: alter cupiditate vitæ eò adductus fuit vt negaret Seruatorẽ. At hæc in reproborũ cõſiliis prima ſunt, vt vitã corporis tuearis, & eorũ quæ illud cõcupiſcit, quo iure, quáq; iniuria potiaris. Matthæus & Zachæus inter eos fortaſſe numerari poſſunt, qui in via peccatorũ ſteterunt, pleniore ſcilicet cõſilio, & certiore propoſito ſtudiis malorũ addicti. Illud ſanè hominũ ſeculi huius præceptũ ſtrenue vidẽtur ſequuti, O ciues ciues, quærenda pecunia primùm eſt, Virtus poſt nũmos. Sediſſe autẽ in ſede peruerſorum, & penitus cum illis in malitiã cõſpiraſſe videri poſſit Manaſſeh Rex Iehudah: quo nullus regum vel plus idololatriæ contra Dominũ inuexit, vel plus ſanguinis Prophetici fudit. Cum hoc non ab re forſan iunxeris latronẽ cum Domino crucifixũ. Vterque ſanè Filius Dei extitit. alioqui nec ille ex corde

Horatius.

Deum orare,& malorum ſuorum exorare veniam,neque hic municipatum paradiſi percipere potuiſſet.Qui nanque non ſunt ex Deo nati,vt nihil Diuinarum rerum intelligere quod Paulus de eis affirmat, neque audire quidem poſſunt (id quod Seruator ipſe teſtatus eſt, Iohan.8.f. 47)ita neque quærere & orare tale aliquid valent. Vterque igitur ad vitā præordinatus, & ante conditos homines ad ſalutē delectus fuit:eóque verè improbus,flagitioſus,& malitioſus,quanlibet improbe,flagitioſe & malitioſe plurima deſignarint,neuter fuit:quia apud eos plenus atq; conſummatus Dei contēptus,amórque & ſtudium prauitatis ſolidum nunquam extitit: vtcūque ſedem ſibi inter peruerſos fixiſſent,hoc eſt meditatā vitæ rationē inter eos ſtatuiſſent. Hæc non ideo moneo quòd non deteſtāda ſummè putē quæcunque improbè, flagitioſe & malitioſe fiunt,à quocunque denique fiāt: ſed quòd cupiam eorum qui ſanabiles ſunt,& in hoc diuinitus delecti vt meliore olim mente donentur,iámque etiam dum vitiis madent, eius portionem aliquam habent,rationem,curámque peculiarem haberi ,& eos nobis quoque à reliqua perditorū

Quibus notis filii Dei ab aliis dignoſcantur.

colluuie ſecerni, quos iam ab iſtis ſecreuit Deus . Qui verò huius generis ſint,ex eo licet deprehendere, ſi eos in malis ſuis ſibiipſis nonnunquam diſplicere,vitam emendatiorem vel optare: verbi Dei quo corripiuntur,eſſe non prorſus impatiēntes, etiam ſi illud nondum queāt ſequi: ſi denique ſtudia pietatis in aliis magis ſuſpicere quàm ridere,& Sanctos potius admirari quàm execrari videas. His ferè notis eos qui nati ex Deo ſunt,& adhuc penitus in caſtris merent Satanæ,ab eis qui reiecti in mortem peccant,canes & porci ſunt, quóſque monēdo deteriores reddere poſſis,meliores non poſſis,dignoſcūtur. Noſtrum profectò fuerit cum Seruatore noſtro totos in eo eſſe vt cum ipſo colligamus,& nonaginta nouem ouibus relictis, centeſimam magno ſtudio quæramus: placétque Patri vt ad cœnā ſuam,ad nuptias Filii ſui,quoſcūque licuerit, pauperes,debiles,cæcos, claudos nō adducamus modò,ſed compellamus. Quapropter quid vis illi potius quàm Spiritū Chriſti referūt, qui craſſioribus preſſos peccatis, & vitiis grauioribus laborātes,deſerendos illico,& reiiciēdos putāt,tāquam omnis ſanioris doctrinæ,atque monitionis minime capaces. Iſti probè videant,ne dum huiuſmodi abiiciunt,& quantum in eis eſt,Satanæ vel exponunt, vel cedunt , Phariſæum illum imitentur , qui magnificé Deo gratias agebat quòd non eſſet vt Publicanus , quem Deus iuſtum & inter ſuos habebat , hoc ipſo propter ſupercilium,& melioris ſe Publicani faſtidium reiecto. Pie itaque monet D. Auguſtinus vt qui triticum ſunt in area Domini,eos qui paleæ ſunt non temere reiiciant: à quibus triticum non antè ſeparari conuenit,quàm quū mox in cæleſte horreum reponendum erit. Hîc enim paleis admiſtum triticum eſſe oportet,ferendáque ſunt in proba ſegete zizania, putréſque piſces cum bonis: ne dum ii qui etſi ad tempus paleæ,zizania,& putres piſces videntur,olim gratia Domini verum triticum , ac ſani piſces agnoſcantur. Forſan conuenit & hoc annotare quod Vates primùm de eo canit, à quo Sanctos oporteat abhorrere, à conſiliis ſcilicet,inſtitutis, & vſu, atque commercio malorum:& deinde quibus ſeſe addicere,nimirum Legi Dei. Quum enim filii iræ naſcamur omnes, Epheſ.2.a.3, & ſit omnis cordis noſtri cogitatio à puero ad malū prona,Geneſ.8.d.21: primum omnium eſt,nos à conſortio & ſocietate malorū,quibus ſe caro ſemper contra Spiritum concupiſcens adiungit,ſubducere,atque eo & noſmetipſos abnegare. Virtus eſt(vt ille inquit)vitium fugere:& ſapientia prima,ſtultitia caruiſſe.

Horatius.

Sunt qui per conſilium impiorum, & viam peccatorum,denique & deriſorum ſedē,decreta,vitam, & doctrinam intelligi velint eorū qui ex hominum inuentis,& humanarum traditionū obſeruatione, iuſtitiam & ſalutem cum quærāt,tum quærendam doceant. His accedere non poſſum. Aut enim tales metu Dei tenentur, vel ſecus. Si hoc,non eſt conſilium, inſtitutum aut, doctrina eorum vt humanis traditionibus vel viuant ipſi,vel alii: ſed eas tantùm cupiditatibus ſuis prætexunt,eo quòd vident ſuam peruerſitatē & malitiam abſque prætextu aliquo ſanctimoniæ nō poſſe cōſiſtere: alioqui mallēt exleges pro libidine ſua rapere ad ſe omnia, & viuere impuriſſimé. Proinde omne eorum conſilium,omne ſtudium eſt,vt hæc quæ cupiunt adſequantur,non vt vel in ſpeciē bonis operibus ſeſe occupēt. Quis non videat quorſum eant hypocritæ ſuis precibus & ieiuniis,vtque his vnde ventri nihil ſeritur,parum delectētur! At qui aliquo ſtudio Dei,inuenta hominum,etiā præpoſtera ſequuntur,nequaquam impii aut ſceleſti iudicandi ſunt. Deo enim gratificari quærunt : neque alio animo ſua conſilia & ſequuntur ipſi , & ſequenda aliis præcipiunt,quàm quòd putant ex Deo illa eſſe. Hi,etſi alicubi zelo ferantur præter ſcientiam,filii tamen Dei ſunt,quibus ſolida olim Dei ſapientia continget,cuius iam initium timorē Dei nacti ſunt. quare longè ſupra id ſunt , quàm vt accenſeri debeant iis improbis, ſceleſtis & deploratis malis,à quorum placitis,moribus & actionibus abhorrere debent Sancti. Fateor autem eſſe planè impios quoſdā,quos metus aliquis Dei,ſed is nulla cū obſeruātia Dei,rectáq; ſpe cōiunctus, exagitat: qui quum ad ſolidam virtutem peruenire nequeant,vt morerentur ſibi ipſis,viuerent

verò per omnia Deo ſeruiendo proximis,plurimi ſunt in ceremoniis & externis obſeruatiunculis:habent ore multas preces,ieiunant ſæpius,haud rari adſunt templis, & idgenus multa ſedulò faciunt: ſed omnia abſque ſui abnegatione, abſque vero ſtudio Dei, qualiter hæc facta, à nemine pio vnquam probata ſunt. Atqui nec horum conſilium eſt vt vel ipſi, vel alii iſtis obſeruationibus Deum demereantur:ſed paciſci potius cum Deo volunt,ac velut decidere vt his ille contentus,optata,& huius & futuræ vitæ ipſis viciſſim largiatur,ſinátque eos in reliqua vita pro ſua libidine impune ferri. Hoc eorum conſilium eſt, hic finis vt ſibi viuant, non vt precentur,ieiunent,templis adſint,& iſtiuſmodi obſeruationibus ſeſe exerceant: ſed his rebus vt illud liceat,placare ſibi Deum,tum & religionis laudem apud homines comparare quærũt. Sũt denique à quibus hæc & publicus vſus,atque à puero imbibita inſtitutio vel extorqueat,vel eliciat. Sed tandem de iis in quibus eſſe ſanctos conuenit.

2 *Sed in Lege Iehouæ voluntas eius,& in Lege eius meditabitur die & nocte.* Alii *inſtitutionem*, vulgo fermè omnes reddũt *Legem*,& non ineptè,ſi modò quid Legis nomine venit,probe teneatur. Nam Lex à delectu vt & Ciceroni libro primo de Legibus placuit, nominata eſt. Iubet ſiquidem quæ eligenda faciendáque ſunt, & prohibet contraria. Omnis itaque ratio recte & pie viuendi, Lex & inſtitutio Dei iure vocatur,ſiue ea animo ſolùm inſcripta ſit,ſiue etiam literis excepta. Huic rationi rectæ vetanti praua, & iubenti iuſta,animum in primis fauere neceſſe eſt, neque fauere ſolùm,auidéque in eam ferri,ſed iuxtà meditari iugiter eam oportet:commentari,atque ita obfirmare vt huc omnes curæ, omnéque ſtudium conferatur, quo vniuerſa vita illi conformetur. Hoc eſt quod Vates voluit hoc verſu ſecundo,*Sed in Lege Iehouæ animum ſuum habet,&c.* De hoc nomine Iehouæ in præfatione abunde monui. חפץ animi propenſionem & complacentiam ſignificat. Gallice dicitur, *Deſir & affection.* vnde Geneſis 34.c.19,de Sechem filio Hæmar legitur,pacta ſibi Dina circuncíſionem acceleraſſe, eo quòd חפץ בבת יעקב, id eſt amaret,deperiret filiam Iaacob. Neque enim Legi ſatiſfieri poteſt niſi ametur,& ea animus oblectetur: quare Dominus Euangelii tempore quo plurimum iuſtitiæ prouenire debuit, inſcripturum ſe cordibus ſuorum Legem Dei promiſit: hoc eſt effecturum vt cordis affectus vltrò ad ea quæ Lex præcipit ferrẽtur, forétque ipſa Sanctorum voluntas pro lege. Porrò ex amore Legis meditatio ſedula,intentáque commẽtatio naſcitur. Nam quum ex diametro à Lege Dei,id eſt recta viuendi ratione,vita noſtra diſſideat,Spirituíque quo illa inſcripta cordibus eſt & amatur, caro noſtra, hoc eſt naturæ corruptæ ingenium continuò aduerſetur & repugnet, multo ſanè negotio, multóq; labore opus eſt vt vel aliqua ex parte Legi conformis vita noſtra euadat. Hinc ergo cuicunque datum eſt Deum verè timere, Legémque eius amare,is perpetuò meditatur,commentatur,obfirmat & conſtituit eam, apud ſe omni cura & conatu huc intentus vt vita ſua illam exſcribat, & vel aliquatenus exprimat. הגה quod per *commentari, meditari* reddidi,Hebræi ferè per loqui interpretãtur,& quadrat interpretatio in certis locis,& Pſalmo 35.d.28,Lingua mea תהגה,id eſt loquetur, aut prædicabit iuſtitiam tuam,omni die laudẽ tuam. Et Pſal.37.f.30, Os iuſti יהגה,id eſt loquetur vel diſſeret ſapientiã. Hac de cauſa hæſi aliquãdiu an verterẽ, *& de Lege eius diſſeret die & nocte.* Indubiè enim qui animo Legi addictus eſt,huic illa in ore quoque ſemper erit,nec vlla de re loquetur cupidius. Sed in his & ſimilibus locis hoc verbũ cum accuſatiuo cõſtruitur: hic autem,& in locis in quibus eodẽ quo hic ſenſu poſitum videtur, cõſtruitur cum ablatiuo intercedente præpoſitione in,& ſignificat non tam loqui,quàm intentè cogitare,meditari, cõmentari, aut certe ſecum loqui,ac immurmurare tantum. id quod conſueuerunt qui ſolicitè & anxie de re aliqua ſecũ cogitant, quibus velut ex feruẽti cogitationibus corde exæſtuare, atque ebullire ſolẽt verba incõdita quædam, vel ſuſurrium potius. Ad hunc modum verbo hoc vſus videtur Vates Pſal.63.b.6, Velut opimis & ſuauibus bonis ſatiabitur anima mea, labiis ouãtibus laudabit os meũ. Quũ memor ero tui in ſtrato meo,in vigiliis noctis,אהגה, id eſt murmurabo in te. hoc eſt raptus in te tui recordatione animus,murmur quoddã cordis in te abſorpti fundet. Sic Pſal. 77.c.13,In omni opere tuo loquar,& quaſi ſuſurrabo,& in factis tuis garriã. hoc eſt in illis animo fixus ſic ardebo vt cordis æſtus verba cõtinuò eructet. Nec alio acceptũ ſignificatu videtur hoc verbum & Iehoſ.1.b.8,vbi in hũc modum illi præcipitur,Ne recedat volumẽ Legis huius ab ore tuo,& meditaberis in eo die & nocte. Dum ab ore tuo dicit,ſatis loquelam indicat: vnde והגית,id eſt loquẽris,quod ſequitur, idẽ valere nõ abs re iudicatur: ſed vt id quemadmodum dixi, de ſermone intelligas incondito qui ex animo cogitationibus æſtuante velut exundet. Nam id ſatis liquet,tale quoddam murmur & ſuſurrium proprie hac voce ſignificari. quare per eam apud Prophetam Ieſchaiah,13.b.4,& fremitus leonis, & gemitus columbæ,39.c.11, ſignificatur. Porrò de hoc Legis Diuinæ amore,ſtudio,iugi meditatione,atque cõmentatione præcepit Dominus, Deut.6.a.4,Audi Iſrael,inquit Moſcheh,Iehoua Deus noſter, Iehoua vnus eſt. Diliges Iehouã Deum tuum ex toto corde tuo,ex toto animo tuo,omnibúſque viribus tuis: ſintq; hæc

תורה Lex dicitur.

חפץ

Ierem.31.f.33.

הגה

quæ ego tibi hodie præcipio inſculpta cordi tuo: expones ea filiis tuis, loquerīſque de illis dum ſedes domi tuæ, quum iter facis per viam, quum accubas, quum ſtas. Alligabis ea manui tuæ in ſignum, ſint tibi pro monili inter oculos tuos, inſcribéſque ea poſtibus domus tuæ, & portis tuis. Quũ enim ab incunte ætatula omnis animi propenſio ad praua detrahit, & vetus perduellis diabolus nunquam non eodem impellit, pernecesſarium ſanè fuerit à Lege, inſtitutionéque Dei & ſacroſancta doctrina animi oculos nunquam deflectere, nihil aliud cogitare aut loqui. Id quod indubiè ſtuderemus, ſi penitus cordibus noſtris Lex Dei inſediſſet, & radices egiſſet: ſi dicere illud Pſalmi 40.b.9, liceret, Gratificari voluntati tuæ Deus meus animo meo collibuit, & Lex tua in viſceribus meis, intimis ſcilicet ſenſibus, fixa eſt. Huc cum aliàs, tum ad Coloſ.3.c.16, & Paulus hortatur, Sermo Chriſti, inquit, inhabitet in vobis opulentè cum omni ſapientia: docentes & admonentes

2.Timot.3.d.16. voſmetipſos, &c. Nec alia cauſa Timotheum ſuum Sacris literis voluit adeò eſſe addictum, affirmans eas erudire ad ſalutem, hominémque Dei ita abſoluere, vt omni virtute, bonóque opere ſit inſtructus & ornatus, ſi nimirum ita vt hic Pſalmus canit, vere amentur, omnique ſtudio illis vita cõformetur. Alioqui enim mortua litera eſt, quicquid legitur: quæ vt falſa ſciẽtiæ perſuaſione inflare poteſt, ita meliorem reddere, veráque inſtruere ſapientia, quæ virtutum omnium parens eſt, non

In faſtidium verbi Dei. poteſt. Hæc verò dum vel legimus, vel canimus, quicunque Chriſto nomen dedimus, pudere profectò & pigere debet vanitatis, & vt vere dicam, inſaniæ noſtræ: qui quum ſciamus æternam vitam in iugi Legis Dei meditatione ſitam, quibuſlibet tamen cogitationibus atque ſermonibus cupidè occupamur potius, quàm commentatione ſermonéque Legis diuinæ. Qui nanque arcem ſanctimoniæ & ſibi, & multis aliis obtinere videntur, quos quæſo ſermones ferè ferunt? quæ miſcent colloquia? Quàm rarenter de Diuinis rebus ſermo incidit? & ſi forte fortuna incidat, vt parum plauſi-

Matth.12.d.34. biliter excipitur: vt pauxillum aquæ illi infunditur? At non mentietur Chriſtus, qui dixit, Ex redundantia cordis os loquitur. Si autem cor vacauerit Deo qui ſolus omne bonum eſt, quàm miſeri & infœlices ſumus? quantóque cum dedecore fidem Chriſti iactamus? Ne igitur hæc oſcitanter prætereamus, beatus eſt qui Legi Dei ſtudet, qui eam perpetuò verſat. Miſer igitur & infœlix erit quiſquis eam ſúſque déque habuerit. Mendacium & vanitas eſt omnis homo: ad mendacia igitur & vanitatem continuò, animo, ore & factis prolabimur. At quoniam totis in hoc viribus incumbere decet vt veterem hominem cum ſuis ſtudiis ponamus, & nouum ad volũtatem Dei formatum induamus: par erit vt huc nos inuicem & horum & ſimilium oraculorum admonitu, diligentiſſime incitemus & adhortemur. Thalmudici certam quandam ex Lege lectionem, cum ſignis quæ recitantes illam fronti & manibus ſolent alligare, quotidie demurmuraſſe, interpretantur iugem Legis diuinæ meditationem. O traditionem humanam, veritatis diſſolutricem, ſed à multorũ more haudquaquam alienam. Verùm audiamus quæ ſacer fidicen deinceps nobis canat.

3 *Et erit ſicut arbor plantata ad riuos aquarum, quæ fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non inare-*

εἰκὼν id eſt imaginem. *ſcet, & omnia quæ egerit, proſpera erunt.* εἰκόνα habet hic verſus, id eſt ſimilitudinẽ in qua rei cuius claritas quæritur, imago exprimitur, arboris videlicet & conuenientiſſimè ſatæ, & perpetuò virentis, & ſuo tempore fructum ſuum reddẽtis. Huius enim ſimilitudine, ſœlicitatem eius qui miſſis hominibus huius ſeculi, Legi Diuinæ ſeſe totum addixit, non minus venuſtè, quàm luculenter ob oculos po-

Qualis arbor in impius. ſuit, ſed tamen ſine antapodoſi, id eſt redditione rei aſſimilatæ. Id verò piorum animos, dum ipſi apud ſe hominem Diuinæ Legis ſtudioſum tam beatæ arbori conferunt, magis acuit. Vbi enim audiunt arbori fœliciter ſatæ, fructúmque ſuum tempore reddenti, ſempérque vernanti illum cõferri, apud ſe cogitant, Ita electi in ſolo cæleſti plantati ſunt, vbi eos Diuini Spiritus ſuccus nunquam deficit: hoc commodiſſimè irrigantur & fœcundantur: indéque ſuo tempore, quum res poſcit, quum eſt cui proſint, fructum ſuum verbis & factis vberrime reddunt: ſunt ad hæc perpetuò ſui ſimiles decentiſſima totius vitæ ratione, ac mirifico omnium quæ dicunt agúntque decoro, omnibus velut ſemper frondẽs & vernans arbor adblandiẽtes, ac præter fructum gratiſſimo quoque ſuo conuictu, ceu amœna vmbra, quoſlibet oblectantes. Vſui nanque iuxta & oblectationi ſunt in Sanctis omnia, vt qui omnibus omnia fieri enixiſſime ſtudeant. Obſeruet verò amans Dei animus, quanam hic ſimilitudine Sanctorum ſœlicitatem Vates exprimere voluerit: nempe eius rei quæ ſibi nihil, omnia autem aliis eſt & adfert. ita non ad vtilitatem ſolùm, ſed & gratiam & voluptatem, eámque veram, & cum honeſtate coniunctam, dicere & facere omnia nos addecet. Vt enim Deum Patrem noſtrum inuocamus, & de Seruatore noſtro I E S V gloriamur: ita conuenit perfectam bonitatem quæ nulli non expoſita eſt, atque beneficiis vniuerſos (pro ſua tamen quenque capacitate) cumulat, referamus. Quotus autem quiſque iam eſt qui alicuius faciat offendiſſe, quos modo liceat offendere impunè? At is in cuius verba iurauimus, & cuius tribunali appare-

Matth.18.a.6. bimus, ita accipiet quanlibet vel minimo eorum qui in ipſius fide ſunt illatam iniuriam, vt præſtare homini dixerit, appẽſa à collo mola deiici in mare. His ſi fidem haberemus, quicunque Chri-

ſti fide cenſemur, quàm ſilerent vbique fora, quàm cõcors vndique vita ageretur, quàm fœliciter in de caderent Eccleſiæ Dei omnia, ex ſancta hac conſpiratione, vnoquoque pro ſua portione, ſuóque in Chriſti corpore loco, in communem profectum aliquid cõferente! Canit ſiquidem Vates, *Et quæcunque inſtituerit, proſpera erunt*. Et quî aliter, quum quiſquis Legis Diuinæ verè ſtudioſus eſt, nihil niſi cum Dei gloriam, tum electorum ſalutem quærat ac ſpectet, ſuo arbitrio nihil tentet, ſed ducendum ſe diuino Spiritui in omnibus permittat? Ipſi ſanè, quum diligat vere Deum, bono eſſe oportet omnia. Iam quũ arbori ſimilis ſit, quæ fructum fert ſuo tempore, nihil ſuſcipi ab eo poterit quod nõ & aliis commodo exiſtat. Idcirco ſecunda, & ex ſententia, fœliciterque cadent quæcunque inſtituerit, egeritve. Huius præclara exempla habes in Abrahã, Moſcheh, Iehoſua, Danide, Paulo, præcipue autem in Domino ipſo. Quid enim inſtituerunt, quod optatum & fœlicem exitum, inuito etiam mundo, & Satana principe eius, ſortitum non ſit? Sic Sanctis omnibus, mira & indicibili proſperitate ſecundant quæcunque agenda ſibi ſumpſerint. Parabola arboris in Scripturis admodum frequens eſt. Nam vix alia re natura & ingenium, ſiue bonorum, ſiue malorum, æquè luculenter atque perſpicuè exprimitur. Boni ſiquidem omnibus fructuoſi ſunt: fructiferis igitur arboribus perſimiles. Mali ſibi tantùm viuunt, & ſua ferè commoda nonniſi aliorum parant incommodis: interim tamen plus aliis in hoc ſeculo valere putantur: eóque non modò ſterilibus, verumetiã pungentibus ſpinis, ſæpe autem grandioribus quoque, ſed infrugiferis arboribus, vt quercubus atque abietibus aſſimilantur, cúmque maiore hi ſanctimoniæ ſpecie nonnunquam ſeſe oſtentant. Ea de cauſa ficui quum pro ratione temporis folia tantùm, nondum fructus haberet, Chriſtus populum Hebræorum multum pietatis externa ceremoniarum pompa de ſe abſque ſyncero eius ſtudio pollicentem, cõtulit: maledictóque illam aridam reddens, ſignificauit inſtare vt & falſo illo virore, cultu ſcilicet externo, priuarentur loco ſuo eiecti, & per omnes mũdi regiones diſperſi. Malorum fugacem & inanem fœlicitatẽ quæ in ſpeciem multo maxima atque diuturna videtur, Pſalmo 37.g.35, exprimit imagine arboris altè radicatæ atque frondoſæ, ſed quæ ilico euanuerit, Vidi, inquit, improbum robuſtum & bene radicatum, nobilem & florentem: tranſiui, &c. Potentiam malorum Scriptura paſſim ſimilitudine cedrorum exprimit: malitiam verò & nocẽdi ſtudium, ſpinarum atque tribulorum: ſterilitatẽ verò, vineæ poſt diligentem cultum ferenti labruſcas. Contrà, vitis, oliuæ & palmæ imaginibus, Sanctorum fertilitatem, hoc eſt benemerendi de omnibus ſtudium & ſucceſſum, morúmque ſummã ſuauitatem: cedrorum altitudine, certam eorum fœlicitatem & gloriam: roſarum & liliorum, doctrinam & ſaluificum famæ odorem deprædicat. Hæc licet nuſquam non occurrant, volo tamẽ vnum & alterum locum adducere, quo hîc parabola hac fuſius explicata, inſequentibus liceat paucioribus defungi. Nume. 24.a.5, ſic de Iſraele vaticinatum legimus Bileam, Vt fœlicia tabernacula tua Iaacob, in caſtris tuis Iiſrael: ſicut valles arboribus cõſitæ, ſicut hortus iuxta fluuiũ, ſicut tabernacula quæ fixit Iehoua, ſicut cedri iuxta aquas. His fœlicitatẽ populi ex Diuina benignitate prouenientem, Bileam exponere voluit. Eandem cum optata fructuoſitate Pſalmus 92.c.13, ſic deſcripſit, Iuſtus velut palma florebit, & tanquam cedrus in Libano creſcet. Sati in domo Domini (hæc enim ſolum illud eſt quod riuuli S. Spiritus interfluunt & fœcundant) in atriis Dei noſtri florebunt. Iirmeiah 17.a.8, eadem ſic extulit, Confidens Iehouæ, erit velut arbor ad aquas plantata, quæ in ripa radices ſuas egit, nec metuit dum inualuerit æſtus, foliiſque pulchre frondet, ſiccitatis tempore nihil ſolicita, à faciendo fructu nunquam ceſſat. Iehezkel, cap. 47.b.12, vbi de fluentis Spiritus ſancti, eorumque fœcunditate vaticinatur, ait, Conſurget ad flumen in vtraque eius ripa omne genus arborum fructiferarum: nõ inareſcent illis folia, non conſumentur fructus earum, in ſingulos menſes ferent primitias: quoniam aquæ quibus irrigantur, illæ ſunt quæ de ſanctuario egrediuntur. Et erunt fructus eius in cibum, & folium eius in medicinam. Hominis enim ſolidè pii, & ſuperno Spiritu fœcundati, omnia vtilia & ſalutaria ſunt: quippe in quo Dei, fontis bonorum omnium, reſtituta imago ſit. Hæc verò ſic perpendamus vt pigeat & doleat tam tenues adhuc in nobis imaginis huius (cui tamen niſi per omnia reſponderit vita noſtra, ſalui eſſe nequimus) apparere lineolas: & oremus portionem ampliorem aquarum de cæleſti ſacrario ſcaturientium, quo fructum in quod poſiti ſumus, cumulatius feramus: ne ſi vſque inutilia ligna, ſolum vitæ huius abſque cauſa occupauerimus, fomenta olim præbeamus foco gehennæ. Vulgata vtriuſque linguæ editio habet, *& folium eius non defluet*. id vero quadraret, ſi ſcriptũ [illegible]
eſſet יבול: nunc autem יבל Vates poſuit: id non cadere aut defluere, ſed inareſcere & ſiccari ſignificat.
Et transfertur ad homines, dum velut vitali ſucco, atque inde viribus exhauriuntur & deficiunt:
vnde dicebat Iithro ad Moſcheh, נבל תבל exhauriendo exhauriris, vel deficiendo deficis & tu & po- Exo.18.d.18.
pulus, &c. Sic & Ieſchaia, quum defeciſſe populum ſignificare vult, Tanquam folium, inquit, exic- Ieſaia 64.a.6.
cati ſumus. Eadem ratione, & ad ſignificandam morum corruptelam, ingeniique deprauationem, vocem hanc tranſlatam exiſtimo. corruptis enim ingeniis, perditiſque hominibus ſuccus rectæ rationis velut exaruit. Stultos quidem in hoc ſignificatu נבלים vulgò interpretantur: ſed ſignificat

a.iiii.

hoc nomen perditos, rectóque iudicio deſtitutos, qui non viui homines, ſed velut cadauera inter recte & ordine viuentes habentur.

4 *Non ſic improbi, ſed ſicut quiſquiliæ quas diſpellit uentus*. Schemate orationis vſus eſt quod Fabius ſynecdochen vocat, quum breuitatis & argutiæ gratia verbum ſubtrahitur. quod ſatis ex cæteris intelligitur. Hebræi illud vocant דרך קצרה. Significare enim Vates voluit, non ſic habere improbos ſicut habentur Sancti: hos non eſſe vt illos vtiles & ſalutares, neque ſuccedere eis quæ inſtituunt, ſed habere vt quiſquiliæ. In eo verò iterum imagine vſus eſt, propter enargiam, hoc eſt ſermonis claritatem & euidentiam. מוץ Hebraicè minutias ſignificat palearum quæ prorſus nulli vſui accommodæ ſunt: tantùm diſperſæ vento omnia commaculant, & oculos hominum lædunt. Suprà monui hîc nomine improborum & flagitioſos atque malitioſos intelligendos, quòd in eoſdē omnia tria nomina cōpetant. Porrò non hoc ſolùm loco inanitas atque fugacitas improborū hac imagine deſcribitur. Infrà imprecatur hoſtibus ſuis, Sint velut quiſquiliæ expoſitæ vēto. Et Ieſ.17.d.13, de diſpergēda multitudine populi aduerſarii, Perſequutione, inquit, agentur, ceu quiſquiliæ in mōtibus expoſitæ vēto. His quid eſt inanius? quid æquè fugax? Sic iā ſunt omnes qui Deū ignorāt, vtcūque oculis carnis videātur nihil nō eſſe, & poſſe, atq; ſic radices egiſſe vt nulla vi queāt euelli, taceo ita ut quiſquiliæ cōminui, atq; vēto diſpelli, & prorſus diſperdi. Hoc verò ſi credere nobis planè daretur, quàm modeſtè, quàm religioſe hîc viueremus? quàm magnanimè deniq; mūdi potētiā & copias deſpiceremus? vnū hoc curātes, vt Domino omnē vitā noſtrā approbaremus: qua ſola ratione vita æterna, ſolidéq; beata cōſtat.

מוץ id eſt quiſquiliæ

5 *Propterea non ſtabunt improbi in iudicio, & peccatores in concilio iuſtorum*. Stare in iudicio per metaphoram, pro vincere iudicium, cauſámque probare accipitur. Latini cōtrario huius vtuntur, Cadere cauſa. quanquam & Terētius dixerit, Vix ſteti, pro Vix fabulā approbaui, vix cōprobatus ſū à populo. Quare quod hîc de improbis prædicitur, illud eſt quod Pſal.109.a.7, hoſti ſuo & Dei Sanctus imprecatur, Dū, inquit ſubit iudiciū, condēnetur improbitatis. Et recte ait, *Propterea*. ſi enim vt quiſquiliæ diſpergentur, quî cōſiſterent in iudicio Dei, ſenatúque Sanctorū? Neq; enim apparebūt corā oculis tuis vani, canit Pſal.5.a.5, hoc eſt nō feres eos. Dicet his enim, Diſcedite à me, & à cōcilio eorum qui ſunt benedicti Patris mei, beatā cælorum hæreditatem adituri, & ite in ignem æternum. עדה, concilium, cœtum, atque concionem ſignificat: & eam nō ſemper bonorum, vt quidā putarunt. nam Pſal.22.d.17, עדת, id eſt cœtus noxiorū dicitur. nemo igitur de eò fruſtra philoſophetur quòd cōcilium legit. Ineſt præterea huic verſiculo ſchemaquod *ἀπὸ κοινοῦ* vocant, quo ad vnū verbum plures ſentētiæ referuntur. nam verbo, Non conſiſtēt: & In iudicio, & In concilio ſubiungitur. nec abs re quidem: quādoquidem cum Domino Sancti iudicaturi ſint. Quemadmodum enim hîc Dei de hominibus ſententia per hos proponitur: ita erit & in magnis illis comitiis. Ibi Niniuitæ qui reſipiſcentiam ad prædicationem ſuſceperunt Ionah: & regina Saba, quæ vt audiret Solomonem, tam ex longinqua regione Ieruſalē petiit, condemnabunt Iudæos qui prædicationē Chriſti reſpuerunt, Ionah & Solomone infinito præſtātioris. Tūc totum Iſraelē iudicabunt Apoſtoli, primores in regno Dei. Apparebunt Domino & Angeli. Qui ergo à Domino condemnari meruerint, cauſam ſuam nec in concilio Sanctorum approbabūt: ſed pariter ab ipſis condemnati, cauſa cadent, iuſſique ire in gehennam, à conſpectu Sanctorum rapientur velut inanes quiſquiliæ vento diſperſæ. לא יקמו, quod verti, *non conſiſtent*, plerique verterunt, non ſurgent, & de reſurrectione mortuorum diſputarunt. Significat autem id verbi proprie Stare, conſiſtere: nonnunquam ſe ſtatuere vel erigere, eóque & ſurgere. At hîc quum per illationem huic, Tanquam quiſquiliæ, &c. ſubiicitur: quis nō videat Vatem dicere voluiſſe improbos & flagitioſos, qui iidem ſunt, in iudicio, & magno illo Sanctorum concilio quod aderit Chriſto venienti in maieſtate Patris ad iudicandum, minime ſtaturos, id eſt cauſa caſuros, & iri codemnatum? Cæterùm reſurgent, ſed non in reſurrectionem vitæ: aſtabunt tribunali Chriſti, ſed vt pronuntiata ſententia, mox ſe recipiant in ignem æternum paratū diabolo & huius angelis. R. Kimhi iudicium hic diem mortis cuiuſque intelligit: & cōciliū iuſtorum, cœtum ſanctarum animarum, in quem Sācti poſt hanc vitam admittētur, & ex quo reprobi excludētur, vt qui pereant animo & corpore, ideóque non habeāt ſtationē, & vt verbū verbo reddam, Non ſurgant, conſiſtant, ac permaneant inter iuſtos. צדיקים, *iuſtos* omnes reddunt, & proprie. nam omnino id nobis ſignificat, modò iuſto ſuo ſignificatu accipiatur. Iuſtus enim is dicitur qui iuſtitia præditus eſt. ea autem affectio & habitus animi eſt quæ ſuum cuique tribuit, ſocietatémq, humanæ cōiunctionis munificè & æquè tuetur: cuius vt fundamentū ſūt fides & charitas, ita comites nunquā deſunt pietas, liberalitas, benignitas, comitas, quæque ſunt huius generis alia: id quod Cicero de Fin. Bon. lib.5, & Off.1, & 2, locupletè probat. Etenim, vt idem inquit, ex hac vna virtute boni viri nominantur: nec poteſt quiſquam iuſtus eſſe, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egeſtatē timet: aut qui ea quæ his ſunt contraria æquitati an-

Luc 11.d.31.
1.Reg.10.a.1

צדיקים

teponit. Sicut ſanè Paulus rectè dicit, in hoc vno verbo, Diliges proximũ tuũ ſicut teipſum, totam
Legem cõtineri, perficique hoc vno præcepto ſeruato. nam qui vere alterum ſicut ſeipſum diligit,
nullo officiorum genere illum demereri ceſſat: ita hunc demum iuſtum. atque ideo omnibus vir-
tutibus ornatum dicemus, planéque bonum & Deo ſimilem, qui ſolida erga proximos dilectione
fuerit præditus: propterea quòd niſi qui perinde atque ſemetipſum alios homines diligat, ſuum
cuique tribuere, & ſeſe omnibus velut ſeruum, quod Lex requirit, addicere poſſit nemo. Hanc au-
tem dilectionem Deus, hoc eſt ipſam ſuam naturam (Deus enim charitas eſt) nonniſi ſuis filiis,
quos ſuo obſignat agitque Spiritu, donat. Proinde quos Scriptura צדיקים, & Latini iuſtos vocãt, iure
intelligimus eos qui proximos verè diligunt: eóque Legem totam ſeruant, omni virtutum genere
ornati, atque Spiritu Dei donati, indéque germani Filii Dei, ſancti & boni. Hæc verò, quum hic in-
choata tantùm & imperfecta omnia Sanctis adſint, ideo imperfecte quoque iuſti ſunt quicunque
hoc nomine in præſenti vita cenſentur. Veruntamen ita vocantur quibuſcunque eſt iuſtitiæ ſtu-
dium, eo quòd in quibuſcunque hoc fuerit, ii plenam olim & conſummatam iuſtitiam percepturi
ſint. Iuxta illud, Quos prædeſtinauit Deus, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos verò
iuſtificauit, hos & glorificauit. Ro. 8.f.29. Occurremus ſiquidẽ olim in virum perfectum, in men-
ſuram plenè adultæ ætatis Chriſti quotquot ipſi inſiti ſumus. Eph. 4.c.13. Hinc ipſe quoque Do-
minus teſtatur nos iam habere vitam æternam: quæ vtique nihil niſi plena perfectáque iuſtitia eſt. Ioh.5.b.24.
Paulus affirmat ſaluos eſſe: quod vtique aliud non eſt quàm iuſtitia abſolutos: & tamen inchoata
ea duntaxat eſt in nobis, ſed inchoata diuinis, nõ humanis auſpiciis, inque arrha Spiritus ſancti ob- Rom 8.c.16.
ſignatis, quo perhibente teſtimonium ſpiritui noſtro Dei nos filios eſſe, ipſum patrẽ inuocamus:
eóque ſalui tandem, iuſtique ad plenum reddamur oportet. Saluus enim erit quicunque ipſum in-
uocauerit, & proculdubio tandem plene atque conſummaté. Hæc de iuſtitia & iuſtis, quoniã hæc
nomina vbique in Pſalmis occurrunt, ſemel annotare volui. Sunt qui Surgerẽ vel ſtare in iudi-
cio, pro eo interpretantur quod eſt iudiciaria poteſtate fungi, & agere principẽ & iudicem: ſed nuſ-
quam potui inuenire locum, quanquam diligenter veſtigarim, vbi hæc loquutio ſic accipiatur. Id
enim Scriptura dicit Conſtitui iudicem, iudicare, facere iudicium.

6 *Quoniam nouit Iehoua viam iuſtorum, & via peccatorum peribit.* Via iuſtorum, vita & inſtitutum
iuſtorum eſt. Hos Deus, vt ſuos agnoſcit, fouétque: ideo & vita, & omnes actiones eorum ei curæ
ſunt. Contrà autem reprobis dicet, Amen dico vobis, non noui vos. hoc eſt, inter meos nunquam Math.7.d.23.
habui. hinc neceſſe eſt vt vita horum, omnéque quod inſtituerint, tandem diſpereat, vtcunque ad
tempus videantur florere, poſſéque multa. *Nouit Iehoua viam iuſtorum.* Tropus Synecdoche eſt, qua
ex eo quod præcedit, id quod conſequens eſt intelligitur. Neque enim quicquam ignorat Deus: ſed Quid Dei noſſe.
cognitionem ſolet amor, cura, & proſpectio cõſequi. his Deus proſequitur vitã Sanctorum: ideo
& hic fructifera eſt; & in futuro diuina eam ſors atque fœlicitas conſummata excipiet. Hanc itaque
curam, atque paternam prouidentiam Vates ſignificare voluit, dum id quod præcedit, dixit, nem-
pe *nouit viam, &c.* Hic verò tropus in Scriptura frequens eſt, Quid eſt homo, quòd agnoſcis eũ? Pſal.
144.a.3. Et, Agnouit in tribulatione animam meam. Pſal. 31.b.8. Ego cognoui te in vtero matris,
Ierme.1.b.5. Altera verſus particula ſimpliciter dicta, prioris tropum aperit. Quum enim ſecun-
dum rationem contrapoſitionis dicendum fuerat, Viam autem improborum ignorat: dicit, pe-
ribit. Metaphora qua per viam vita, actio, inſtitutum intelligitur, abunde nota eſt. Via reprobo-
rum interibit, per metonymiam accipi poteſt, pro impii diſperibunt vnà cum vita & actibus ſuis.
id quod canit verſus vltimus Pſalmi ſequentis. Et hic ſenſus probatur D. Kimhi. Sed quid eſt in-
teritus malorum, quàm vitæ eorum deſtructio & abolitio? Hic verò verſiculus cauſam expri- Prima radix fœlicitatis ſanctorum.
mit fœlicitatis quam hîc Pſalmus Sanctis tribuit, & in eo collocat quòd ſunt frugi, iucũdique o-
mnibus: nihil non ex ſententia animi ſemper vſibus proximorum inuigilantis cadente. Hæc e-
nim omnia inde Sanctis obueniunt, quòd eos Dominus inter ſuos agnoſcit, curámque eorum
paternam gerit: eam quam ſanè cepit antequam eſſent, & qua vt ſui eſſent præcognouit, iuxta
illud Apoſtoli, Quos præcognouit, & prædefiniuit, vt ſint conformes imagini Filii ſui. Hac ratio- Rom.8.f.29.
ne quum non ſint præcogniti & agniti Domino reprobi, Spiritu eius bono non donantur: atque
ideo id quod nati ſunt, mendacium & inanitas perſeuerant, regenerationis expertes, æternum de-
mum pereunt, omníſque vita eorum euaneſcit: niſi quòd animæ eorum ad tormenta ſeruantur,
ad quæ & olim corpora reſtituentur. Habent vero hæc, ſi animo Dei ſtudioſo penſiculentur, ve-
hementes in ſe flammas quæ cunctas in nobis terrenarum cupiditatum ſordes meritò exurant,
purgatóſque & abſtractos ab omni malorum ſocietate, in cæleſtia ſubuehant. Quid etenim deſi-
derent boni qui Deo curæ ſunt, quos inter ſuos agnoſcit? Contrà, quid mali nõ expectent quos il-
le ignorat, cuius ſolius cognitione & prouidentia ſeruantur & conſiſtunt omnia? quóſque perituros
ros pronuntiat neſcius falli Spiritus Dei? Quid ergo hos miramur? cur eorum ſocietatem ambi-
mus? Cur eos denique timemus, aut eis inuidemus? Sic ſanè Lex Dei meditari, ſic oracula diuini

Spiritus debent expēdi. Niſi enim meliores à Diuina lectione, hoc eſt à more, cupiditate, & ſtudiis improborum remotiores, & actionibus quæ decent filios Dei addictiores ſurrexerimus, contumeliam facimus Magiſtro cæleſti, cuius ſanctiſſima, iuxtà ac ſaluberrima monita ſic contemnimus: indigna habentes quæ animaduerſione preſſiore excuteremus, animíſque noſtris imprimeremus. Fuſius paulo hunc Pſalmum, quanquam longe adhuc infra copiam diuitiarũ ſpiritualium quæ in eo quamlibet breui, Spiritus ſanctus nobis propoſuit, explanauimus: deinceps annotaturi omnia ſtrictius, quòd alioqui in immenſum excreſceret opus. Conücere autem hinc licet quàm inexhauſta inſit in his ſanctiſſimis odis vis opum cæleſtium: quas nemo quamlibet Diuinarum rerum cum ſcientia, tum facundia pollens, ſatis indicauerit. Nec id facere operæpretium, vt equidem arbitror, foret. Præſtat enim vt quiſquis admiſſus huic theſauro fuerit, ipſe ſingula animaduertat & conſideret: ſic maiore accendetur admiratione, & potentius animo rapietur. Satis igitur feciſſe muneri meo arbitrabor, ſi poſthac linguæ & phraſeos, quoad eius licuerit, in iſtis tegumentum infirmioribus oculis, vt per illud traiicere viſum poſſint, ſubduxero: & vel paucula ex infinitis iſtis ſupernæ ſapientiæ theſauris indicauero. Qui huius deſiderio ſapientiæ tenentur, eos Spiritus Dei quo imbuti ſunt, indubie vel tantillum adiutos prouehet, pluráque videnda dabit, quàm oſtendere quiſquam poſſit mortalium. Porrò quum ſint quædam in hoc Pſalmo quæ & in reliquis creberrime recinuntur, quorum occaſione quæſtiones quædam moueri ſolent, & hæ non inutiles, ſi ita vt Dei filios omnia ad vitæ emendationem referentes, decet, ſobriè & religioſè, non impure adeò & tumultuoſè, vt hodie quibuſdam in more eſt, tractarentur.

Quomodo de rebus ſacris differendũ, & iudicandum.

Omnia ſanè ſupernæ philoſophiæ in hoc nobis donata ſunt, vt in Diuinæ naturæ conſortium euehamur, Deum Patrem iam eius filii omnimoda bonitate referentes, atque ad huius imitationẽ quoſcunque liceat adducentes. Quanta igitur ſanctiſſimæ doctrinæ iniuria, quantũ eſt offendiculum Electorum, ſic quæ Scripturæ tradunt diſputare, vt & ipſi in non ferendã impudentiam atque temeritatem, plerunque etiam beluinã quandam rabiem efferamur, omnem ſemel candorem & humanitatem exuti, & alios cum ipſa animi impotentia, & diſſentientium intolerantia, tum nouationis præpoſteræ inuidia, & reiiciendi recepta tam intempeſtiua audacia dicam an impietate, multas Dei timore imbutas mẽtes, ab hac ſaluifica doctrina absterreamus & repellamus? Quis enim Diuina inde expectet, vbi videt humanos quoque ſenſus periiſſe? Proinde oro & obſecro per tremendum Conditoris numen, per nunquam ſatis veneratam Scripturarũ maieſtatem, per omnium filiorum Dei (quos alioqui infinita à cæleſti hac philoſophia auocant) ſalutem, quicunque de Sanctis commentari, ſtatuere vel diſſerere volent, meminerint ſe in ſchola verſari Spiritus ſancti, in palæſtra ſapientiæ Diuinæ, ponant omni ſtudio affectus carnis: qui quo adhærent tenacius, hoc verſentur in omnibus ſolicitius: agant, dicántque cum timore & tremore omnia, ita

1.Cor.2.4.3.

vt Paulus (tanto nobis ſpiritualior) ſe apud Corinthios Sacra tractaſſe teſtatur: agnoſcãt ſe ſuis hîc viribus nihil poſſe: Dei Spiritus eſſe munus vt veritas rite cognoſcatur. Hunc prece ſedula inuocẽt: nec ſi quædam prima facie non arrident, ideo ilico abiiciant, ſi ea modò præ ſe ferunt ſtudiũ Dei. Non dantur omnibus omnia, nec quibuſvis momẽtis docet Spiritus Dei: ſinit nõnunquam experiri nos quàm ſine eo nihil valent quantælibet vel ingenii vires, vel doctrinæ opes. Longiſſimè verò abſint à pronuntiandi temeritate, nec minus à nouãdi ſtudio. Habuit ſuos Deus iam inde à primordiis mundi omnibus ſeculis, quos ſua minimè celauit. quare iure piis ſuſpectum eſt quicquid vt nouum venditatur. Denique inhumanum eſt, nedum indignum filiis Dei, vere pios, veréque doctrinæ ſacræ ſtudioſos, ac non parum de Eccleſia Chriſti ſuis ſcriptis meritos, temere adeò in ordinẽ cogere, adeóque omnẽ illis authoritatẽ derogare. id quod plerique ſibi neſcio quo ſpiritu, turbulento hoc noſtro ſeculo nimium quàm licenter permiſerunt. Attingam equidem ſubinde quæ in quæſtione apud Scripturarum ſtudioſos verſantur, ſed paucis: dabóque magis operam vt quæ rectè Patres ſancti cenſuerunt, & vſque apud orthodoxos vt rectè iudicata perſeuerarunt, ſic quoque habeantur: & cum Scriptura omnis veritatis regula, tum & aliorum qui veritati ſubſcripſerunt, tam huius, quàm ſuperioris temporis tam Ethnicorum quàm noſtrorũ ſententiis congruere agnoſcantur. Sui enim ſimile verum eſt à quocunque dicatur: & latet ſæpe ſententia eadem ſub verbis in ſpeciem diuerſis. Vſu compertum habeo præcipuas tam apud priſcos quàm recentes, diſſenſiones, tantùm in verbis, non in re ſitas: quibus tamen interim cælum terræ, & terra cælo miſcetur. Qui Satan dicitur, & eſt aduerſarius noſter, & ad officiendum intentiſſimus, nihil prius habet quàm diſcordes nos reddidiſſe, quorum ſalus in ſola concordia, mutuáque charitate conſiſtit. Noſtrum igitur eſt omni ſtudio artibus & conatibus eius ire obuiam, & omni vi fugientem etiam concordiam retinere: ac ideò probe ſemper ſummáque fide & diligentia expendere ac diſpicere prius quæ nobis primo intuitu parum vere dicta videntur, quàm vt ea damnemus: ſtudioſè veſtigare num ad Dei gloriam dicta ſint, ſiue aliqua ratione huc trahi poſſint cõmoda interpretatione. Diabolicum ſanè eſt quærere quod carpas, quod damnes: neque hominis,

diſſentire cupidè. Hic candor, hoc cõſenſus ſtudium quum omnibus debeatur, (omnes omnibus enim fratres ſumus, maioréque quàm humana amicitia deuincti) præcipuè debetur iis quos multis iam ſeculis & ſapientiæ & ſanctimoniæ nominibus totus ferè orbis ſuſpexit, & veneratus eſt. Hæc præfari hîc volui quo bonis inſtitutum meum facilius approbarem, qui ſic vera atque ex Scripturis deprompta dicere propoſui, vt ab Eccleſiæ Chriſti conſenſu nihil, & ſanctorum patrum ſentẽtiis quàm minimũ variem: & rurſus ſic recepta ab Eccleſiis & ſcripta à Patribus ſectari, ne his Scripturarum authoritatem poſthabeam. Tum vt à iudicaturis hæc, ſiqui modo erunt qui ea ſuo iudicio dignabuntur, affectuum impetrarem reiectionẽ, qui certe quũ de veritatis iudicio agitur, debent abeſſe longiſſimè: cauerémque hoc pacto nequis vel ambitioſe gratiæ ſiue nouitatis, ſiue vetuſtatis nimium addictus, néve cupidè ſuæ ſententiæ plus ſatis amans, néve demum ſordidè in cenſendis dogmatis regni cælorum, rationem facultatum huius vitæ habendam aliquam exiſtimans, iudicium de his faceret: ſed verè potius, ſed candidè, ſed religioſe, quiſque hæc arbitrari velit. Nunc ad inſtitutũ.

De Legibus & lib. Arbitrio.

Ponit hic Pſalmus omnem fœlicitatem in amore, iugique ſtudio Legis Diuinæ. Hinc de nomine, natura, ac vi Legis, quæ vere lex naturæ, qua iuſta & iniuſta omnia cenſeri debeant: inde huius occaſione, de libertate arbitrii humani: tum quæ Diuinæ Legis nomine habenda ſint: denique quatenus ea nos teneant quæ vocantur legis humanæ, delibare paucula, non abs re fore exiſtimaui, vel eo quòd quũ harum rerum in omnibus ferè Pſalmis incidit mentio, hîc initio luce aliqua eis illata, liceat poſtea in enarrãdis Pſalmis pergere expeditius. Primùm ergo quantum ad nomen attinet, iam id ſuprà ex Cicerone de Legibus cõmemini. A delectu enim nominata eſt, vt Græcis dictus ἀπὸ τοῦ νέμειν ὁ νόμος, quòd vnicuique ſuum tribuat. Lex ergo ratio vocatur quæ iubet rectè facere, vetat delinquere, impellítque vt eligamus iuſta, reſpuamus iniuſta. Hæc ratio ſiue impreſſa hominum mentibus, ſiue excepta literis, vt omnia bona, à Deo deriuetur neceſſe eſt: cuius prouidentia quum ad bonum cuncta adigantur, & reuocentur à malis, princeps lex, legúmque fons iure dicetur: id quod & Cicero 1. de Legibus, præclare & orthodoxe diſſerit. Inde habitus ille animorum quo ad deligendum recta, & repudiandum praua propendent, Legis nomine cenſetur. Tertium gradum obtinent quæ populis præſcribuntur ad honeſta eos vocantes, & ab inhoneſtis reuocãtes. Vt autem hominibus recta ratio nimium imminuta eſt: ita ſemper in iis quæ ſtatuunt, non parum iuſtitiæ deſideratur. Quapropter ſuum Deus Spiritum ſanctis Moſcheh & aliis adflauit, donauítque eam vitæ rationem præſcribere quæ erudit, quæ ad ſalutem & ad omne bonum opus expedit, vt de ea D. Paulus, 2. Timot 3.d.17, teſtatur: Ita quicquid eſt vel recti iudicii in animis mortalium, vel probæ legis in ſcitis populorum, ſapientúmque quorumlibet placitis, reſponſis & inſtitutis, denique & ipſæ arcanæ Scripturæ, omnia principi illi legi ſapientiæ cuncta tuentis & regentis Dei, accepta referenda ſunt. Hinc ipſa de ſe Dei mens, ſapientia & lex prima ſic prædicat, Mei muneris eſt prudentia, ſolertiam *Sap 8.b.14.* ego confero, penes me eſt conſilii & vera videndi facultas, ego intelligentiam & animi robur ſuppedito: meo numine Reges rite regna adminiſtrant, & principes recta ſtatuunt: meo numine optimates, cunctique magiſtratus ſuo munere funguntur. Lex itaque in vniuerſum, ratio *Quid Lex in vniuerſum.* eſt rectè & ordine viuendi, vt cuncta noſtra dicta & facta ſummo cum decoro, in vſum & ſalutem omnium quibuſcum vixerimus cedant. Hãc quum omnium animis inſculptam quidam exiſtiment, legem naturæ vocant, ſoláque natura duce ad perfectam peruenire virtutem, omnibus in manu eſſe arbitrantur. Inter hos & Cicero eſt, qui lib. de Leg. 1, ſcripſit non ſola virtutum ſemina, & quos ipſe vocat igniculos, naturæ ingenio hominum indita: ſed ſimul datum vt ipſa etiam per ſe natura longius progrediatur: ac nullo docente profecta ab iis quorum ex prima & inchoata intelligentia, genera cognouit, confirmet ipſa per ſe rationem, & perficiat, vt nemo ſit cuiuſcunque gentis qui ducem naturam nactus, ad virtutem peruenire nõ poſſit, & eo vt ſeſe haud plus quàm alterum diligat, ſeruétque illud Pythagoricum τὰ τῶν φίλων κοινά, id quod modò habetur incredibile. Quibuſcunque enim data ratio eſt, iiſdẽ putat datã & rectam rationem, quæ lex eſt: & hanc vbi obtineat, efficere, vt ſui nemo tam ſimilis ſit, quàm omnes ſint omnium. Quod quominus fiat, deprauationi conſuetudinum, & opinionum vanitati tribuit, quibus animorum imbecillitas à naturæ ductu torqueatur. Huic ſentẽtiæ partim aſſentiunt Damaſcenus, Iſidorus, Thomas, ac alii multi. Thomas ſiquidem in priore partitione ſecundæ partis quæſtionum Theologicarum, quæſt. 94, quæſtiuncula 2 & 3, iuris & legis naturæ eſſe agnoſcit quicquid hominibus communiter inſitum ſentimus: horum primum facit vt ſe homo tueatur, quod commune habet cum omnibus rebus: deinde vt genus ſuum prouehat, procreatione & educatione prolis, quod ei commune eſt cum vniuerſis animãtibus. Tertium, quod peculiariter naturæ hominis ſit, facit propenſionem ad cognoſcendum & colendum Deum, ad benefaciendũ iis quibuſcum viuit, ſectãdúmque quicquid fuerit honeſtum

& laudabile. Rationis ſiquidem quum ſit, vera falſis, bona malis, virtutes vitiis præferre, & vo-
luntas rationẽ ſequatur, agnoſcit humano ingenio naturale eſſe quicquid virtutis ſit. Ad hæc
confirmanda adducit Damaſcenum lib.3, dicentem omnes virtutes, naturales eſſe. Hanc ſen-
tentiam & Iſidorus ſequutus eſt, qui iuris naturæ fecit, quicquid continetur in Euangelio &
Lege, hoc eſt vitam in his præſcriptam: vt nimirum quiſque cum altero ita agat vt agi ſecum
ab illo velit. Hinc illa axiomata nata ſunt, Per ſe mala eſſe, nec ab vlla poſſe poteſtate indulge-
ri, quæ naturali legi aduerſantur. Ex lege naturæ leges omnes cenſendas, & arbitrandas: qui
legem ſequatur naturæ, ex æquo & bono cum omnibus viuere. Ad hunc modum & Auguſti-
nus de naturæ lege multis in locis loquitur. Hoc autem variant hi orthodoxi à Cicerone, quòd
dum tanta naturæ tribuunt, naturam vt condita erat, aut vt rurſum Spiritu Chriſti reſtitu-
ta eſt, non vt modò imminuta & ſibi relicta perdita eſt: aut certè ſecundum qualeſcunque veri
ac boni reliquias, non ſecundum innatam iam corruptelam, conſiderant. Agnoſcunt quoque,
non tam ex Sacris literis, quàm propria experientia docti, deprauationes humanæ vitæ non
ſolum à parentibus, nutrice, magiſtro, Poeta, ſcena, conſenſu multitudinis, denique illa boni i-
mitatrice, malorum autem omnium matre voluptate, quæ penitus in omni ſenſu implicata
reſidet, quam Paulus ἐπιθυμίαν, id eſt concupiſcentiam, Moſcheh vero יצר לב, id eſt figmentum &
propenſionem cordis vocat, Gen.8.d.21, prouenire, vt Cicero cenſuit: ſed plurimum ſimul ad
Eph.6.b.12. mala pertrahere pernicioſam illam vim ſpirituum quos Paulus principatus & poteſtates, mũ
di rectores, potentes tenebrarum ſeculi huius, & Dæmonia verſutiæ & noxæ, è cæleſti ſtatione
nobis imminentia nominat: contra quos perpetua nobis dimicatio eſt. Agnoſcunt præterea
illam ſiue voluptatem, ſiue concupiſcentiam, ſiue יצר לב tantum valere ad malum, vt legem na-
turæ de qua loquimur, rectam ſcilicet rationem, nec vere habere, nec ſequi homines queãt qui-
cunque renati, diabolique poteſtate exempti non ſunt. Quæ renaſcentia quibus penitus nega-
Ioh.8.f.44. 1.Ioh.3.b.8. ta eſt, eos Chriſtus ipſe & Iohannes ex diabolo natos affirmant, Paulus captiuos ad volunta-
tem eius, 2.Timoth.2.d.26. Sicut dominari eum in omnibus, quibus credere veritati nondum
datum eſt ſcribit Epheſiis, vocãs eoſdem peccatis mortuos, hoc eſt omni recta vita deſtitutos.
Ad Epheſ.2.a.5. A qua morte, ſeruitute, & captiuitate, in quam omnes naſcimur filii iræ, vnus
ſeruator noſter Ieſus Chriſtus liberat, dum quem morte ſua meruit bonum Spiritum ex vo-
luntate Patris electis ſuis adſpirat: quo vt ſe iam Dei filios & hæredes agnoſcunt, & ſpe ſolida
vitam æternam obtinẽt: ita in gratiam, & ad imitationem bonitatis Diuinæ omnia omnibus
fiunt: nec prius quicquam habent quàm exacta viuere ſanctimonia, & frugi eſſe vniuerſo ge-
Quid propriè lex naturæ neri humano. Hinc videtur, ſi id dicendum ſit quod res eſt, & libet cõgruentem rei appellatio-
nem vſurpare, eam quam naturæ legem vocant, non ineptè nominari rectam rationem electis
adſpiratam cælitus. Reliquos enim quũ peccatis mortui ſint, vt Paulus inquit, quũ nequeant
etiam quæ ſunt Spiritus Dei percipere, vt idem teſtatur 1.Cor.2.d.14: quomodo dicemus recta
ratione, id eſt lege præcipiente bona, vetantéque mala, præditos? Fateor & perditis cogitatio-
nes ſubinde quibus malorum ſuorum ac iudicii Diuini admonentur adflari: ſed quibus non
modò non emendantur, verùm redduntur etiam deteriores, omníque excuſatione nudantur.
Recta monita reprobos reddunt deteriores Quid enim aliud putemus efficere immiſſa animis reproborum Diuina monita, quàm quæ
auribus Schaulis Dauid, & proditoris ſui ingerebat Seruator? Vtrunque quòd non eſſent nati
ex Deo, nec liberati à Filio, tanto propius Satan gehennæ impulit, quanto pluribus inde ſan-
ctis monitis reuocabantur. Idem vſuvenit & Pharaoni, accidítque ex diabolo natis, id eſt de-
ploratè malis, vaſis æternæ iræ vniuerſis. Quanquam & cæteri mortalium, inquantum pec-
Auguſt. catores ſunt, ſub diabolo ſunt, vt inquit D. Auguſtinus ad Bonifacium contra duas epiſtolas
Pelagianorum: niſi inde eruantur per Chriſtum. At quia ex filiis Dei ſunt, quanuis adhuc di-
A ſolo Chriſto eſt verus liberi arb. vſus. ſperſi, & in poteſtate tyrannidis Satanicæ, non licet illi in hos quod in illos. Porrò verè liberi
tum erunt, quando Spiritu libere amãdi & ſectandi quæ iuſta ſunt, à Domino fuerint donati.
Hanc liberationem cum aliàs, tum ad Romanos, 8.a.3, Paulus egregiè & copioſe prædicat,
cap.7.d.23. Lex, inquit, Spiritus vitæ per Chriſtum Ieſum, liberum me reddidit à iure peccati & mortis.
Hoc verò ius tam violentum paulo antè queſtus fuerat, vt diceret captiuum ſe redditum le-
gi peccati: ídque adeò vt faceret quod deteſtabatur malum, & quod bonum optabat non face-
ret. Per Chriſtum autem vbi donatus fuit lege Spiritus vitæ, hoc eſt Spiritu Dei bono, men-
téque recta, quo iam ad bonam & ſanctam vitam volens & libens inclinabatur, iure peccati,
& eodem mortis (nam eadem vis eſt qua in æternam mortem depellimur, & qua trahimur
ad peccatum) etſi nondum plene abolito, plurimum tamen infirmato. Vnde Auguſtinus lib.
De gratia & libero arbitrio ad Valent. eam liberi arbitrii in homine inopiã agnoſcit, vt quæ
Lex bona iubet, non modò ſi afflatu Diuinæ gratiæ non iuuetur, facere nequeat, ſed deterius
peccato addicatur. Nam ait, Huiuſmodi homini nihil Lex erit, niſi virtus peccati: augetur e-

nim concupiſcentia, & maiores vires recipit Lege prohibente, ſi nõ adiuuet Spiritus gratiæ.
Hic verò Spiritus, quũ ab vno nobis Chriſto contingat, probè Paulus ei dicto, Virtus pecca-
ti Lex: ſubiecit, Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum
Chriſtum, contra peccatum. Quod à prima ſcilicet origine nimium in nos iuris habet, à Lege
auctum magis ſæuit, efficiente id nõ ipſa Lege quæ ſancta eſt, ſed ingenii noſtri corruptela. Eõ-
dem valet quod & Coloſſenſibus ſcribit, Qui eripuit nos à poteſtate tenebrarũ, & tranſtulit in   Coloſſ.1.b.13.
regnũ Filii ſibi dilecti, per quem habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, &c. Hoc ve-
rò redemptionis & reſtitutionis noſtræ myſterium quum à ſeculis abſconſum fuerit, vt toties
Paulus teſtatur, mirandum non eſt Ciceronem naturæ tantum tribuere, vt ſcribat ipſam per   Ciceronem re
ſe longius progredi: quæ etiam nullo docente profecta ab iis quorum ex prima & inchoata in-   ipſa cum veritate
telligentia genera cognouit, confirmet ipſa per ſe rationem, & perficiat, quam adultam & per-   conuenire.
fectam ſapientiam rite nominandam cenſet, omnium bonarũ artium matrem. Porrò quum
quis expendit quid hìc naturam vocarit, nempe vim illã ingenii qua nobis conſtat cum Deo
agnatio quædam, qua bona & intelligere & proſequi datũ eſt (quam Numinis adflatu regi, in ſe
cũdo de Natura deorũ Balbus teſtatur: cuius diſputatio Ciceroni ad veritatis ſimilitudinẽ vi-
ſa eſt propenſior) ſatis apparet ad integriorem, & cæleſtibus coniunctiorẽ hominum naturam,
quam ſequi ducem non ſit cuiuſuis, Ciceronẽ reſpexiſſe, & de hac illud ſcripſiſſe, Nec eſt quiſ-
quam gentis vllius qui ducem naturam nactus, ad virtutem peruenire non poſſit. Qui ducem
inquit, naturam nactus, id quod perpaucis contingit: naturam inquam & ingenium, quod Di-
uinum munus eſt quo hominem quem principium reliquarum rerum eſſe voluit, Deus pecu-
liariter ornauit, quóque homini cum Deo ſimilitudo eſt. Hanc certe naturam, hanc Diui-
næ particulam mentis cui datur ſequi (quod non fit niſi potentiore ſuperni Numinis adflatu)
in eo maleſuada voluptas opprimitur, incẽtórque eius Satanas repellitur: ipſéque, prælucente
Dei Spiritu, citra doctrinam hominis, ad ſolidam poteſt virtutem (quæ Ciceroni nihil aliud
eſt quàm in ſe perfecta & ad ſummum perducta natura) peruenire: hoc eſt, vt noſtris verbis lo-
quar, priſtinam integritatem, depulſa labe quæ à corrupta natiuitate contracta eſt, recuperare.
Hæc ipſa autem redemptio & liberatio noſtri eſt à tyrannide tenebrarũ, ſanguine Chriſti per-
fecta: & ille Numinis adflatus, Spiritus ſanctus eſt quo Filii Dei aguntur, & natura reſtituitur:
cuius donum eſt omnis veri & cognitio & amor: quíque vnquam recte ſapuerunt, id ab hoc
Spiritu, & Seruatore noſtro qui æternum Patris verbum eſt, venit. Quicunque igitur & ex no-
ſtris ſcriptum reliquerunt lege naturæ omnem conſtare iuſtitiam: & qui naturam ſequatur,
eum piè & iuſtè viuere: id de natura hominis, vt condita primùm eſt, non vt poſtea prolapſa,
intellexerunt. Nam ingenue omnes non veteres modò, ſed & recentes Theologi, inter quos
haud iniuria ſatis ſit vnum Thomam laudaſſe teſtem, liberum arbitrium, niſi & moueatur &
iuuetur à Deo, ad bonũ nihil valere confitentur. Non ineſt igitur iis quæ de libero arbitrio
Patres quidam, aut etiam neoterici adſeruerunt, ea quam nonnulli putant impietas, ſi hæc ri-   Thom. Aquinas.
te modo accipiantur, & ſic vt ipſi ſcriptores ea accipi voluerunt. Senſui ſanè communi aduer-   Eſſe bonum
ſatur, negare nos agere libero iudicio, deliberatione, & voluntate. Quis enim nõ videat, nequa-   liberum arb.
quam nos impetu ſenſuum vt beſtias agi: aut vi rapi externa, vt lapides? Quis ea quæ veriſſima
de Seruatore audierit, non apud ſe antequam amplectatur, liberis cogitationibus excutiat, &
perpendat num vera ſint: quúmque vera deprehenderit, tum demũ ſua ſponte & vltronea vo-
luntate animi ſui amplectatur? At hoc liberum arbitrium vocatur Latinis. nam aliud Græci
ſignificare volunt per ſuũ αὐτεξούσιον. Quid verò aliud faciebant Theſſalonicenſes illi qui Scri-
pturas ſcrutantes, diſquirebant an ita haberent quæ Apoſtoli eis adnuntiauerant? Act.17.c.11.
Nunquid hi libero de Euangelio arbitrio ſtatuebãt, neque niſi ſuo & iudicio & ſponte illi cre-
debant? Nequaquam. id autem hi ſtuduerunt, non ſolo freti (vt Pelagiani blaſphemabant) na-
turæ beneficio hac facultate initio donatæ: ſed vt orthodoxi vno ore omnes confitentur, quia
adſpirauerat illis ſuum Spiritũ Deus, quo ea quæ ψυχικοῖς hominibus ſtultitia ſunt, nec cogno-
ſci poſſunt, vera & ſaluifica agnoſcerent, ac ita agnoſcerent vt omnia libẽret præ illis con-
temnere, inque diſcrimen offerre, ſeſéque ſummis periculis eorum cauſa obiicere. Suo ſanè,
& eo libero iudicio, arbitrio & volũtate iſti vſi ſunt: ſed niſi cæleſtium capacem mentem il-
lis Deus adflaſſet, ne ſomniare quidem de Chriſti myſterio potuiſſent, nedum illud ample-
cti, quamlibet arbitrii libertate præditi. Piè itaque Hieronymus de hac re ad Cteſiphontẽ con   Hieronymus.
tra Pelagianus, Quam arbitrii intelligit libertatem, nos libenter amplectimur: ita duntaxat vt
agamus ſemper gratias largitori, ſciamúſque nos nihil eſſe, niſi quod donauit, in nobis ipſe
ſeruauerit, dicente Apoſtolo, Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Velle &   Rom.9.d.16.
currere, meum eſt: ſed ipſum meum, ſine Dei ſemper auxilio non erit meum. Dicit enim idem   Philip.2.b.13.
Apoſtolus, Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere, &c. Ac paulo pòſt, Non mihi ſuffi-

cir quod ſemel donauit, niſi ſemper donauerit. Vide, liberum arbitrium, ſuum agnoſcit, & non ſuum. Eo certe eum agat, non ex neceſſitate cogente, non abſque deliberatione, ſpōteque propria, ſuum arbitrium rectè vocat: quod rurſus dum ad bonum ſine afflatu impulſūque Dei ferri non poteſt, itidem non ſuum rectè cōfitetur. Nam quid boni velit libere homo qui nihil veri boni ex ſe poteſt cognoſcere? Dei eſt ergo quicquid rectè iudicamus & volumus. Ipſe bona oſtendit, ipſe agnoſcere donat, ipſe vt ea amplectamur efficit: omnia in omnibus operatur & perficit vnus. Operatus eſt initio condens omnia: & modò operatur vnà cum Filio, & per Filium. Quem locum appoſitè ad præſens propoſitum D. Hieronymus adduxit. Hinc D. Auguſtinus in libro de Spiritu & litera, cap. 3. Nos autem dicimus humanā volūtatem ſic diuinitus adiuuari ad faciendam iuſtitiam, vt præter quòd creatus eſt homo cum libero voluntatis arbitrio, prætérque doctrinam quæ ei præcipitur quemadmodum viuere debeat, accipiat Spiritum ſanctum, quo fiat in animo eius delectatio, dilectióque ſummi illius atque incommutabilis boni quod Deus eſt, etiam nunc quū per fidem ambulatur, nondum per ſpeciem: vt hac ſibi velut arrha data gratuiti muneris, inardeſcat inhærere Creatori, atque inflāmetur accedere ad participationem illius veri luminis, vt ex illo ei bene ſit à quo habet vt ſit. Nam neque liberum arbitrium quicquam, niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via. Et quum id quod agendum, & quò nitendum eſt cœperit non latere, niſi etiam delectet & ametur, nō agitur, non ſuſpicitur, non bene viuitur. vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per arbitrium liberum quod ſurgit ex nobis: ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Hactenus Auguſtinus. Vel hoc ſolum caput ſanctiſſimi patris, iis qui veritatem ſynceriter quærunt magis quàm contentionem, ſatis quid de libero arbitrio ſentiendum ſit, expoſuerit. Liberum nobis arbitrium eſſe concedit (ratione enim viuimus, non vel impetu ſenſuum, vel vi externi agentis tantùm impellimur) verùm eiuſmodi, quod ſi nobis præter doctrinam nihil diuini Spiritus impertiatur, ad peccādum tantum valeat: eóque neceſſe habeat vt per Spiritum ſanctum & veritas indicetur, & amor eius in nobis accendatur. Hac ratione nec hominis dignitas qua eum Conditor dignatus eſt, negatur: & rurſus Diuinæ gratiæ virtutique Spiritus ſancti nihil detrahitur. Non poſſum verò temperare mihi quin adſcribam & quæ idem pater eodem libro de Spiritu & Litera, de hac re admodum eleganter & pie ſcripſit: mira enim facilitate hanc quæſtionem expediunt. Liberum ergo, inquit, arbitrium euacuamus per gratiam? Abſit: ſed magis liberum arbitrium ſtatuimus. Sicut enim Lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, ſed ſtatuitur. Neque enim Lex impletur niſi libero arbitrio: ſed per Legem cognitio peccati: per fidem impetratio gratiæ contra peccatum: per gratiam ſanatio animæ à vitio peccati: per animæ ſanitatem, libertas arbitrii: per liberum arbitrium, iuſtitiæ dilectio: per iuſtitiæ dilectionem, Legis operatio. Ac per hoc ſicut Lex non euacuatur, ſed ſtatuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam qua Lex impleatur: ita liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, ſed ſtatuitur: quia gratia ſanat voluntatem qua iuſtitia liberè diligatur. Hæc ille. Sed vt ad vim Legis explicandā reuertamur, quando aliàs nimium ad Sacra calligat mens mortalium: poſcere res ipſa videtur vt de eis loquamur quàm fieri poteſt planiſſimè & craſſiſſimè, ne ſit eorum intellectus multa veſtigatione quærendus, ſed vltrò in animi oculos incurrat. Eóque quū naturæ nomine vulgò id intelligatur quod ſit æquè cōmune omnibus hominibus, præſtare exiſtimo ne tanta legi naturæ tribuamus: nimirū præceptionem omnis iuſtitiæ & pietatis, & vetationē omnis iniuſtitiæ & impietatis. Nam qui Spiritu filiorum Dei præditi non ſunt, etſi non omnino nullas boni notiones, & ad idem propēſiones habeant, quæ D. Auguſtinus extrema imaginis Dei in nobis lineamenta vocat, at ea tamen recta ratione quæ vitia potis ſit emendare, & virtutes commendare (atque ideo Lex iure vocetur, nempe præceptio veri, prauique depulſio) deſtituūtur, vt, teſte Apoſtolo, quæ Dei ſunt ne intelligere, nedum amare queant: & vt Dominus ipſe, veritatis ſermonem audire non ſuſtineant. Propterea vt Lege quæ vere hoc dicatur, quæ ad vera ſcilicet bona impellat, & à malis reuocet, animi horum prædıti non ſunt: ita eam, naturæ legem quæ eſt omnium, ſi propriè loquimur, vocare haudquaquā licebit. Quod enim D. Auguſtinus lib. Confeſſ. 2. ſcripſit, Lex ſcripta eſt in cordibus hominum, quam ne vlla quidem delet iniquitas: non ita proprie legem accepit: ſed legis nomine, vt etiam Thomas Aquinas cenſet, primas illas intellexit notiones animo impreſſas, quæ cupiditate facilè auertuntur vt ad iuſtam facti præceptionem peruenire nequeant. Sed nec Paulus in Romanis de aliis affirmat quòd Legem habeāt in cordibus ſuis inſcriptam, quàm qui natura quæ Legis ſunt faciunt, Iſti, inquit, nō habentes Legem, ſibiipſis Lex ſunt, qui quidē demonſtrant vim Legis inſcriptam cordibus ſuis. His autem quis dubitat naturam ſuperno Numine reſtitutam, atque ab illa æterna & principe lege virtutem hanc adſpiratam qua ad rectè facta vocentur, & à peccatis auocentur? Etenim de Ethnicis & Spiritu

D. Aug. 3.
Quæ ratio liberi arbitrii.

Lex non impletur niſi lib. arbitrio
Redde gratiam.

Quid de naturæ lege ſentiendum.

Rom. 2. b. 15.

Dei deſtitutis ſic ſcribit Apoſtolus ad Ephe.4.d.18, Qui verſantur iuxta vanitatẽ mentis ſuæ, obtenebrati intelligentia, eóque alieni à vita Dei propter ignorantiam qua tenentur, & cæcitatem cordis eorum. Omnis ſiquidem bumani cordis cogitatio, à puero tantùm ad mala propendet. quare quibus meliorem mentem mens vltima & princeps, Verbum & Sapientia Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, per quẽ vt condita ſunt, ita reguntur omnia, nõ adſpirauerit, ii venũdati, & ſerui peccato facti, lege quoq; peccati omnia apud eos obtinente, tanto aguntur ad iniuſta impetu, tantáque vi reuocantur à iuſtis, vt rectam rationem, qua repudiare quæ mala ſunt, quæque bona amplecti poſſent, nunquam conſequãtur. Regnat enim apud iſtos Spiritus malus qui potentiam ſuam exercet inter eos quos Paulus filios vocat inobediẽtiæ, eo quòd Eph.2.a.2.
neſciant recte monitis parere. Hinc negauit Dominus quenquam poſſe videre regnum Dei, niſi renatum: hoc eſt Spiritu è ſupernis bono donatum, vnde quicquid vſpiam veri & boni eſt Iohan.3.a.3.
venit. Verius igitur naturæ ius definiſſe videtur Vlpianus, qui eſſe dicit quod natura omnia animalia docuit. quanquam quæ ſubiicit exempla, vt liberorum procreationem & educationem, & ſimilia, ad legem naturæ animantium, non vel vniuerſalis rerum vel bominũ tantùm attineant: id enim naturale hominum ius dicemus quod humana omnes natura docet. Ius naturæ.
Id fermè eſt quod aliàs vocant Ius gentium, quo omnes ſcilicet humanæ gentes vtuntur. Huius facit Pomponius Iureconſultus religionem, vt & parentibus ac patriæ pareamus. Et ſanè in vniuerſum natura omnium gentium buc vocat: propterea quòd multos melior Dei adflatus vere eò impellit, & reliquos vitæ neceſſitate, vt vel in ſpeciem ſanioribus iuſſis pareant: tum & vi numinis quo humanum genus ſeruetur, eodem adigũtur. Haud pauci tamen qui etſi igniculos prætenues harum rerum ſubinde ſentiant, natura tamen & ingenio toto longe aliò ferantur: vt ſi proprie loqui libeat, ne hæc quidem naturæ humanæ omnibus communi tribuere liceat. Florentinus Iureconſultus iuri naturæ tribuit vim vi repelle: id etſi naturæ ſit quæ nobis cum beſtiis communis eſt, attamen hactenus & bominum naturæ rectè tribuitur, quòd ea boc ipſum omnes homines doceat. Quare Accurſius in his haudquaquam cæcus fuit, qui ſcripſit nos iure naturali moueri ad peccandum: id enim in omnium mortalium natura deprehenditur. Ex his omnibus liquere exiſtimo, legem, id eſt rationem recte & ordine viuendi, quæ ſola proprie lex dicitur, nequaquam naturæ, ne humanæ quidem, ſed Diuini eſſe opus Spiritus. Hunc Deus quum non ſit Iudæorum tantùm, ſed & Gentium Deus, pluribus ab initio orbis adflauit: ii ſæpe rerũ potiti, iuſtas religiones, & leges vitæ cõſtituerunt, publicámque virtutis curá ita plantarunt, vt qui ab ea animo etiam abhorrebant, ſimulare tamen aliquod ſtudium eius vel æſtimationem coacti ſint. Hinc factum eſt vt ingenitam omnibus rectè viuendi rationem putarent, cui tamen multorum ad quævis ſcelera proiecta vita, reclamauit fortiter. Cotta ſanè Pontifex apud Ciceronem de Natura deorum lib.1. ſic loquitur, Itaque ego ille Pontifex qui cerimonias, religioné ſque publicas ſanctiſſimè tuendas arbitror, is hoc quod primum eſt, eſſe Deos, perſuaderi mihi nõ opinione ſolùm, ſed etiam ad veritatem planè velim. Multa enim occurrunt quæ cõturbant, vt interdum nulli eſſe videantur. Sub buius Cottæ perſona, Cicero vir prudẽtiſſimus indicare voluit minime paucos eſſe quibus in ſpeciem videatur nihil religioſius: qui tamen opinione magis, quàm ad veritatem vel eſſe Deum perſuaſum habeant. vt ergo natura non omnes mortales religionem docet, ita non eſt ea legis naturæ. Proinde bunc Deo bonorem tribuemus vt agnoſcamus peccatis planè mortuum vniuerſum humanum genus: & adeò vt deintegro renaſci oporteat, quicunque ad id, vt ſolidæ iuſtitiæ, boc eſt regni Dei participes euadant, Diuinitus deſtinati ſunt. His ipſe bonorum omnium largitor, mentem illam vitiorum emendatricem, & virtutum commendatricem, quam legem naturæ vocant, adſpirat & donat. Quod quum poſt Chriſtum glorificatum facere Deus cumulatius deſtinaſſet, ab omnibus Prophetis prædictum eſt, vbi Chriſti regnum aduenſſet, fore vt quampluribus bonus hic Dei Spiritus adflaretur. Hinc inter cæteros Irmeiah 31.f.31, Hoc fœdus eſt, inquit, quod cum domo Iſrael in poſterioribus illis diebus ſtatuam, dixit Iehoua, Immittã Legem meã intimo eorum, & cordi eorum inſcribã: eróque illis pro Deo, & ipſi mihi pro populo. Ergo vt tandem de his finiam, Lex quæ animis bominum, ſed Sanctorũ adflata & impreſſa Diuinitus eſt, recta ratio viuendi eſt naturæ morbos cõtinuo Quid Lex in ſcri-
reprimens, & in gloriã Dei ad vſum gratiámque proximorum vitam omnem attemperans. pta mentibus.
Hæc Lex quibus non fuerit adſpirata cælitus, hi animales perſeuerãt, & quæ Dei ſunt proſtultitia habent: tam abeſt vt ſua duce natura recte viuere poſſint. Iis omnis quoque externa doctrina non fruſtra ſolùm, ſed etiam cum detrimento, vt ſuprà diſſerui, adhibetur. Irritantur enim concupiſcentiæ eorum, & ex prauis redduntur ſcelerati & deplorati. Porrò electos, & ex Deo natos, etſi Paracletus eorum & patronus, quo rectè ſentire & cupere cœperunt, Spiritus Dei vnus in omnem veritatem inducat, poſſitque id æquè abſque omni externæ adminiculo

Ad quid ſcriptura data. doctrinæ:attamen quo nos magis inter nos amicitia conſtringeret,voluit mutuis admonitionibus ſanctam illam ab ipſo adſpiratam mentem excitari,quo intẽtius Diuinæ bonitati & cognoſcendæ,& imitandæ noſipſos addiceremus.Atque in hunc vſum Sacrã ſcripturã donauit, cuius admonitu in reprimendis affectibus carnis, & formanda ad vtilitatem hominum gloriãque Dei vita,conatus animi nonnihil iuuentur. Cuius gratia,& multa alia perclarè ſcripta impertiit.omne enim verũ,vt Auguſtinus rectè ſcripſit,Sancto ſpiritui acceptũ ferimus. Vnde Legis Dei nomine iure cenſebiturquicquid vſpiam veri,boníque præceptũ legitur.Nam quæ ad veram pietatem, ſolidámque iuſtitiam quoquo modo attingunt, vniuerſa quidem, at non ſingula, ſacris literis explicata ſunt . Quare Dominus id ſemper vrſit, à quo omnis iuſtitia & rectè viuendi ratio pendet,dilectionem proximi. Nominatim nuſquam præceptũ erat vt mu-
1. Cor. 11. A. 5. lieres in cœtu ſancto velatæ, viri autem nudis capitibus eſſent:ex Lege tamen Dei id Paulus à Corinthiis exigebat:erat enim decorum,& cœtum commendabat:eóque in lege continebatur veræ dilectionis, quæ ad voluntatem & gratiam aliorum, quãtum per Deum licet, hominem totum comparat & format. Sic Cicero de facto Coclitis, Nec quia nuſquam erat ſcriptum vt contra omnes hoſtium copias in ponte vnus obſiſteret, à tergóque pontem interſcindi iuberet, idcirco minus Coclitem illam rem geſſiſſe tantam fortitudinis lege atque imperio putabimus.Nec ſi regnãte Tarquinio nulla erat Romæ ſcripta lex de ſtupris,idcirco nõ contra illã legem ſempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit. Erat enim ratio profecta à rerum natura,& ad rectè faciendum impellens, & à delicto auocans. Hanc ſequutus Cocles, vitam ſuam ſaluti patriæ poſthabuit: Tarquinius autem violauit,dum admiſit quod ne ipſe quidem culpa vacare,bonóque viro dignũ iudicare potuit. Pro Ethnicis igitur Dominus & antè,& poſtquam eos Scripturarũ participes redderet, inſignis & admirãdæ ſapientiæ plurima à Poetis,Philoſophis, & Hiſtoricis,tum & Legum conditoribus conſcribi donauit,quibus æternam & ad omnia pertingentem vim illam Legis ſuæ explicauit,& ad vitã fru-
Scripta Ethnicorum nequaquam contemnenda. gémque bonam humanum genus reuocauit. Quare & ingrati Deo ſunt, & ſibiipſis ſalutaria monita inuident,qui legere tam Ethnicorum pleraque,quàm Sanctorum ſcripta cõtemnunt, dum liceat.Neque enim ſine præcipuo & inſigni Dei beneficio à Poetis,Hiſtoricis,& Philoſophis tam multa præclara,quæque eximium ad probam vitæ inſtitutionem momentũ habẽt, & ſcripta,& ad nos vſque ſeruata ſunt.Siquid in operibus artium mechanicarum excellentius ingenium oleat, Diuinam benignitatẽ quæ id ingenii donauit,iure admiramur: & quæ de virtutibus,de religione, de omni ratione rectè &ordine viuendi inimitabili dexteritate & elegantia plerique Philoſophorum & Poetarum ſcripſerunt,nõ admiremur,exoſculemur, & vt ſingularia & ſumme ſuſpiciẽda Dei beneficia,ambabus(quod aiunt) manibus excipiamus? non faciemus,quicunque Deum rite veneramur? Chriſti vox eſt quicquid verum eſt,quicquid recti aliquid præcipit:eam vndecunque ſonuerit,exaudiemus atque ſequemur. Proinde Diui-
Quid Lex Dei. næ Legis cum nomine, tum loco habebimus ante omnia Literas ſacras, quæ Legem, hoc eſt doctrinam Dei conſummatam,& vndique perfectam continent:id nullis alius ſcriptis conceſſum eſt.In his igitur citra delectum adorabimus omnia. Proximo loco erunt nobis eorũ monumenta qui ex profeſſo de religione Chriſti, vitæque innocentia præcipiunt: quanquam ex his ſine iudicio & cum Diuinis præceptis diligenti collatione, nihil amplectemur. Nam qui
Abac. 2. a. 4. Dei toti ſumus,eius quoque iuſſa omnibus præferamus oportet. Tum viuit ſua, non aliorum
Rom. 1. b. 7.
Gal. 3. b. 11. fide iuſtus:idcirco opus vt quiſque proprio iudicio vocem Dei agnoſcat. Poſtremò neque prophana omne genus ſcripta,quum locus & tempus fuerit,lectione dedignabimur. Si enim verè
Plinius. ille ſcripſit, non eſſe librum tam malum ex quo non poſſit aliquis fructus percipi, & fructum nullum niſi Dei verba adferũt:certe Dei verba contempſerit,qui vel Ethnicorũ ſcripta in totum repudiet: quanquam vtiliora ex his deligi conueniat,quæ nimirum Dei in creaturis ſuis
Thorah, id eſt, Lex. bonitatem certius indicant, & de virtutibus purius præcipiunt. תורה quam Legem vulgò vertimus, Hebræis ab indicando, docendóque dicitur. Et vocãtur illis hoc nomine toti quinque libri Moſcheh : licet non ſolum præcepta vitæ, ſed & hiſtorias multas contineant. Verùm dum omnia bonitatem Dei indicant, & ad imitandum illam inuitant, & vniuerſi illi libri totum Vtriuſque teſtamenti inſtrumentum: denique quicquid vſpiam veri & recti ſiue de Deo ipſo,ſiue de conditis ab ipſo rebus: ſiue denique de moribus & inſtitutis humanis traditum eſt, Lex non ineptè dicitur. Hæc ſi probè expendiſſent qui tractando illam quæſtionem,Quate-
Quatenus ligent Leges humanæ. nus teneant nos leges humanæ, pridem & nuper cælum terræ,& cælo terram permiſcuerunt, potuiſſent decidere vt longe minore cum tumultu,ita cũ fructu multo cumulatiore.Concors enim omnium ſententia eſt Theologorum tam recentium quàm veterum Philoſophorũ, iuriſque conſultorum,& ipſorum legiſlatorũ,nec minus Pontificum quàm Principũ,quæcunq; ſtatuta aduerſa religioni & iuſtitiæ deprehenduntur , ea neque legũ nomine dignanda, neque vlli obſeruanda eſſe. Potiorem enim habendam rationem eorũ quæ præcipit Deus,quàm quæ

homines:quæque códucunt Reipublicæ, quàm quæ priuatæ libidini. Porrò ſiqua ſtatuantur,
etiam planè iniqua & tyrannica,poſſint autem citra violationem eorum quæ præcepit Deus,
& è re ſunt publica obſeruari,omitti autem non ſine offendiculo,trāſgreſſione eorū plus dan-
te perturbationis & incommodi,quàm eorum vnquam adferret obſeruatio:Chriſtiano homi-
ni obſeruanda ſunt:eíque hìc de iure ſuo concedendum,& maxilla altera obuertenda: pallium
cum tunica proiiciendum: & cum cogente ad vnum, eundum miliaria duo. Eius enim qui ſe
Chriſto cóſecrauit,profeſſio eſt,fieri omnibus omnia, & nihil non ferre quod auertere cū gra-
tia & cómodo eorū quibuscum viuit, nequeat:quippe qui & inimicos diligere debeat,idq; non
fucatè,nó voto verbóve tantùm:ſed toto corde, ſed re ipſa,expromptáque ſemper beneficētia. Matth.5.d.4.
Quū itaque iniqua Principes pro libidine ſua præcipiunt & exigunt,ſed quæ præſtare,etſi mo
leſtū,graué que & iniquum ſit,nó tamē impium eſt, non lædens alios,vt plurima hodie tam ab
Eccleſiaſticis quàm prophanis Principibus cōſtituūtur, Chriſtianus,quicquid huiuſmodi eſt,
æquo animo & prōpto ſeruabit. Attamen cenſet Thomas,Art.2. quæſt.96, prioris partitionis Thomas.
partis ſecundæ, quandoquidem eiuſmodi nulla iure indicuntur, ſi citra ſcandalum & pertur- Aquinat.
bationem omittantur,nulla obligare religione:Nam ad hæc,inquit, non extendit ſe ordo po-
teſtatis Diuinitus inſtitutus,qui vtique ad publicam vtilitatem,& nullius detrimentum dun-
taxat datus eſt. Quod etenim non fuerit Lex, tenere filios Dei non potuerit: & vt Auguſtinus Auguſtinus.
de Libero arbitrio inquit, Lex non eſt, quæ iuſta non eſt. Vnde diſt.4. ita ex Iſidoro cauetur, Iſidorus.
Erit autem lex iuſta,honeſta,poſſibilis,ſecundum naturam, & cōſuetudinem patriæ,loco tem
porique conueniens,neceſſaria & vtilis: manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem incau
tum captione teneat, nullo priuato commodo, ſed communi ciuium vtilitate conſcripta. In
his autem ſemper malet iniuriā quamuis ferre, & de ſuo iure decedere Chriſtianus, quàm vel
minimam dare ſignificationem animi ſua vſpiam ſpectantis, propriámque cauſam agentis.
Tum qua eſt modeſtia,plurima quæ iniqua ſunt, ille æqua eſſe ſibi perſuadet, ſuíſque in rebus
ſuum nunquam non ſuſpectum iudicium habet. Denique quando mori mauult quàm offen-
dere etiam quoſuis,quum occaſio quoque eſt in ſpeciem commoda,vt videatur citra vllius of-
fenſam ſubducere poſſe iniquis oneribus humeros, & iuſſum aliquod tyrannicum negligere:
malet tamen ſubire quæuis quamlibet iniqua onera,quàm vel timere,vel quenquam offende-
re,nedum huic ſe ſciens facere affinem. In vniuerſum igitur de legibus humanis, tam Pontifi-
ciis quàm Principalibus in ipſis Pontificū decretis cenſetur,quæcūque iuri naturali,quo præ-
cipi vetarique eadē quæ Diuino creditur, ſiue Eccleſiaſticæ ſiue ſæculares conſtitutiones con-
trariæ comprobantur, eas eſſe excludendas. Diſtin. 8.in Canone,Quo iure,& in Can.fin.9.di-
ſtin. Adducuntur ibi & præclara de hac re S. Patrum dicta,quibus omnis & conſtitutio & con-
ſuetudo Diuinæ Legi aduerſa,fugiēda docetur. Inter cætera recitatur Auguſtini ſentētia me-
morabilis ex libro Confeſſionum ſecundo, Quum autem Deus aliquid contra morem, vel
contra pactum quorumlibet iubet fieri,& ſi ibi nunquam factum eſt,faciendum eſt:& ſi omiſ-
ſum eſt, reſtaurandum eſt: & ſi ſtatutum non erat,inſtituendum eſt. Item & Cypriani,Si ſolus
Chriſtus audiendus eſt,non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putauerit:ſed
quid prius qui ante omnes eſt,Chriſtus prior fecerit: neque enim hominis conſuetudinem ſe-
qui oportet,ſed Dei veritatē. Quum per Eſaiam prophetā loquatur Deus, & dicat, Sine cau- Eſa.29.d.13.
ſa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes: quis ex his non videat quid ipſæ Pō-
tificum leges, de ſe & aliis ſiue legibus,ſiue moribus ſtatuant: & quatenus velint vel ſibi,vel il-
lis Chriſtianum eſſe obſtrictum:quatenus nimirum cum Diuinis præceptis cōgruentia con-
tinent:id quod pio,Deóque viuere ex animo quærenti, Spiritus,Dei, quo qui filii Dei ſunt a-
guntur,in tempore indicabit. Is enim vnctio: illa eſt quæ docet Sanctos de omnibus, 1.Iohan.
2.d.27:& Paracletus ille qui in omnem inducit eos veritatem,vt dixit Chriſtus ipſe. Ad idem Iohan.16.c.13.
verò & ſedula Scripturarū lectio plurimū conferet. erudit enim ad ſalutem, & inſtituit omni
bono opere, 2.Timo.3.d.16.17. Enimuero quicquid vllæ leges, vlla inſtituta, vlli mores, vllæ
cōſuetudines boni cōtinēt,id Scriptura ante docuit:quæ verò nó docuit,neque bona,aut obſer
uāda exiſtūt. At hìc grauiter multi errāt,dum ea duntaxat docere Scripturā agnoſcunt, quæ
nominatim exprimit:vt nó occidendū,parentes colēdos, & huiuſmodi alia. Hi admodū intē-
peſtiuè illud iactant, Deut.12.d.32, Nihil Dei mandatis adiiciendū, aut detrahendū. Quod ſi vt
iſti volunt accipiendū eſſet, ne Chriſtus quidē audiēdus fuiſſet, qui Euangeliū omni creaturæ
prædicandum,ritúmq; Baptiſmi & Euchariſtiæ inſtituit,quorū nullo verbo Moſcheh memi-
nit: neque audiendus Paulus, qui pleraque ordinauit quæ nominatim ne à Chriſto quidem
fuere inſtituta. Infinita ſunt quæ in vita hominis accidunt: vnde quum nequeant de ſingulis
leges propriæ condi, Deus præcepto dilectionis proximi ſummauit omnia. Id vnū Chriſtus

Rom 13.b.8 exegit,eiúſq; obſeruatione ſuos diſcipulos agnoſcendos affirmauit,& Paulus omnẽ in ea Legẽ impleri ſcripſit. Qui enim verè alterũ diligit,iuuare in omnibus eum,lædere in nullo,toto pe-ctore ſtudet. Nihil igitur indecens vel dicet,vel aget,imò ne cogitabit quidem, dilectione ſem-per profutura proximis,hoc eſt verè ſancta, Deóque grata ſuggerẽte. Sed hac dilectione nemo pollebit,niſi filius Dei ſit,& Spiritu ſuperno ampliter adflatus. Non iniuria igitur Chriſtus de hac vna,ſuum & nouũ,idémque vetus præceptũ dedit. Siquidem ſi ea apud nos non obtineat, vt primum Diuinæ Legis caput à quo reliqua omnia pendent,ſoluimus, ita rei omnium iure,
Iac.2.b.8 vt Iacobus inquit, agimur, & fruſtra de præceptis aliis ac legibus diſputamus. Si autem huic verè & ex animo ſtuduerimus, nemini obeſſe, prodeſſe autem omnibus pro viribus dabimus operam: eóque ſimul legum omniũ & inſtitutorum, quæ bona modò & obſeruãda ſint Chri-ſtiano,obſeruantes erimus. Hæc qui ſimplici & veritatis purè ſtudioſo animo arbitrabitur,fa-cilè ab ipſo Dei Spiritu apud ipſum manẽte,diſcet quantũ ſe leges,inſtituta & mores hominũ teneant:ſed & ita in his ſeſe habebit vt ad Dei gloriã ſua omnia cum dicta tum facta dirigat,vt nullum vlla in re offendiculũ obiiciat vel Iudæis,vel Gẽtibus,vel Eccleſiæ Dei,vt Paulus præ clare monet, ſuiq; ad id exemplũ proponit qui per omnia omnibus placere ſtuduerit, & quod ſibi vtile,nuſquam,verum quod multis vt ſalui fierent,quæſierit vbique.1.Cor.10.g.33.Quum enim nõ nobis,ſed proximis viuere debeamus: eóſque ita amare vt pro eorum ſalute mortem exemplo Domini perferre debeamus, quid quæſo eſſe poſſit tam grauè,tam moleſtũ, quod nõ ſit ſiue perferendum,ſiue faciendum,ſi proximo expediat:& vitandum,ſi minus,quicquid no-ſtri aliás iuris fuerit? Multa ſiquidem ſæpe per ſe nobis licent, quæ dum parum expedire a-gnoſcuntur,iam licent minime. Si enim Dei ſumus, noſtri non ſumus, ſed eorum quibus ſer uos nos ille addixit,id eſt proximorum:tantùm oretur Spiritus bonus,ne dum illis conſulere nos putamus,officiamus. Vita ſiquidem æterna eſt, Chriſtum rite agnouiſſe. Huc ergo ante o-mnia promouendi ſunt, & corporis bona bonis animæ ſemper poſthabenda: ſic tamen vt ne-que illa deſiderare proximos patiamur, quantum quidem illa verè conducunt. ſiquidem filii Dei ſumus, & ipſi dii quidam ſumus: ídque omni officiorum genere declarandum eſt ſtudio-ſiſſime. Hæc de nomine, natura, & vi legum,tam Dei, quàm hominum, quoniã de his paſſim Pſalmi canunt,hoc loco diſſerere nõ ab re eſſe putaui:de omnibus ſit penes lecturos iudicium. nolo enim quiſquam aliquid recipiat, niſi quod ſua ipſius conſcientia, verum & Diuinis ſcri-pturis conſonum agnouerit. Videri poſſit hic quoque locus fuiſſe de abrogatione quarũdam Legum Dei,quæ nimirũ de externis ceremoniis & ritibus datæ fuerunt, diſputandi:ſed quum de his canat peculiariter Pſalmus 50,in eum vſque locum hanc quæſtionem differemus.

PSALMVS II.

ARGVM. *Inimicos Dei mire importunis, ſed plane irritis conatibus contra Chriſti regnum ruere: Deo patre hoc interim fœliciſſime prouehente, & illos opinione citius exturbante: eóque unam uiam ſalutis eſſe, iurare in uerba Chriſti, eiúſque ſe fidei committere.*

PARAPHR. 1 ECquid tumultu Gentes conuolant,fremunt incaſſum populi?
2 Adſunt potentes imperio terrarum Reges, firmant ſe cõiuratione Prin-
cipes,& id contra Iehouam,quémque hic ſibi Regem vnxit.
3 Inquiunt,Dirumpamus quæ hi nobis vincula nectunt: amoliamur à nobis
quos iniicere funes intendunt.
4 At is qui in cælis ſuam ſedem habet,hæc ridet:Dominus iſtos ſubſannat.
5 Eritque quum eos appellet iratus,exterreátque indignatione feruidus.
6 Ego,inquit,hunc meum regem regno meo Sioni ſancto principem dedi.
7 Prædicabo igitur quod decreuit Iehouah,qui ad me dixit, Tu meus filius es:
hodie te genui.
8 Pete à me,& dabo Gentes tibi in hæreditatem,omnémque ad fines vſque,ter
ram in poſſeſſionem.
9 Confringes illos imperio ferreo,confringes eos veluti teſtam figulinam.
10 Nunc igitur Reges ſapite,corrigi ſuſtinete terrarum arbitri.
11 Inſeruite Iehouæ religione ſoliciti,ſtudio trepidi lætamini.
12 Agnoſcite oſculo Filium:ne illo iraſcente,quum videlicet ſubito ira eius ex-
arſerit,vita veſtra intereat. fœlices qui huius ſe fidei committunt.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 A*D quid tumultuantur Gentes, & murmurant inaniter Populi?*
2 *Aſsiſtunt ſe reges terræ, & conſulti principes ſimul fundantur aduerſus Iehouam & vnctum eius?* Et Thalmudici memorant, vt ſcribit R.D.Kimhi hunc Pſalmum olim prioris partẽ habitum, eóque in idem verbi אשרי hunc finire, quo prior incipit. Argumentũ certe huius, materiæ præcedẽtis cohæret. Canit ille eorum qui reſpuentes ſtudia malorum Legi Dei toti incumbunt, fœlicitatem: hîc eum per quẽ Legis amor & ſtudiũ, atque inde vera fœlicitas venit. Horum admonere volui, nequis miretur cur Paulus in Actis 13.e.33, citans illud ex 7. verſu, Filius meus es tu, &c. dixerit id primo Pſalmo contineri. Vnde autẽ factũ ſit vt poſtea ex vno duos Pſalmos librarii fecerint, non laborabo dicere, quando id pietatis doctrinæ nihil intereſt. Alioqui & eius rationem reddere oporteret, quòd Græci & Latini ex nono & decimo apud Hebræos vnum, ſicut & ex centeſimo decimoquarto, & centeſimo decimoquinto item vnum cõflauerint: tum centeſimum decimũ ſextum, & centeſimum quadrageſimum ſeptimum, vtrunq; diuiſerint in duos. Vt germanè & ad fidei incrementũ Pſalmos intelligamus, nõ quo numero collocemus, nobis curæ ſit. De Chriſti ſeruatoris ſaluifico regno canere hunc Pſalmũ apud neminem orthodoxorum vnquam dubitatum eſt, quũ præter Paulum, alii quoque diſcipuli eum de Chriſto interpretati ſint. Sed ſicut pleraque alia de Domino vaticinia nõ abſque typo, & eo regni Dauidis, cantata libenter agnoſco: ita in præſenti Spiritum ſanctum in eodem Dauide Chriſtũ adumbraſſe, nullus inficiar: veritati enim id nihil officit, & facit omnia clariora. Hiſtoria igitur quã Vates de Chriſti regno canens reſpexiſſe creditur, ea eſt quæ ſcribitur 2. Schmu.5.c.17, de Philiſtæis qui contra Dauidẽ, poſtquam audierãt eum in regem ſuper omnẽ Iiſraelem vnctũ vniuerſi aſcenderant, idque quũ ille iam Siionẽ quæ poſtea ipſius ciuitas vocata eſt, expugnaſſent. Contra hos Dauidi Dominus inſignem victoriam ſemel atque iterum dedit, regnúmque ei miris incremẽtis auxit & roborauit, atque Siionẽ in regni caput, in qua & ſacrarii ſui ſedem eſſe voluit, euexit. Nam eò Dauid ſimulatq; Philiſtæos deuiciſſet, arcã fœderis trãſtulit. Tum verò Deus declarauit Dauidem ſibi verè percharum filium eſſe: planéque eo die illum regem genuit, patefacto ſimul quàm riſerit conatus hoſtiũ: firméque ſtatuerit, vt ii qui Dauidi nollẽt ſe in iis finibus qui populo Dei olim fuerant promiſſi, ſubiicere, interirent: bene autem haberent qui ſe ei dediſſent. Ergo Vates quaſi videat vndique Philiſtæos turmatim concurrere, eorúmque principes anxie cõſpirare, réſque ſuas certis cõſiliis fœderibúſque firmare, quomodo Dauidẽ captum perdant, regnúmque Iiſraelis quod iam ipſis formidabile eſſe incipiebat, diſſoluant, per hypotyposim dicit, *Ecquare conuolant Gentes, &c.* Quia autẽ verus noſter Dauid, rex ſupernæ Ieruſalem, & verioris Iiſrael, Dominus noſter Ieſus Chriſtus eſt, hæc appoſitè in eos dicta accipiuntur qui contra eius ſeſe regnum armant, & extinguere illud fruſtra, æternáque ſua cum pernicie, annitũtur. Eum ſiquidem Deus regem ſuper veram Siionẽ, ciuitatem Sanctorum ea lege conſtituit, vt non modò irritos oporteat eſſe conatus eorum qui deiicere eum regno moliuntur: ſed ſimul neceſſe ſit penitus interire, quicunque ipſi ſe non ſupplices ſubmiſerint, regémque ſuum adorauerint. רגשו, quod vulgata editio *fremuerunt*, alii *tumultuati* verterunt: hoc loco turmatim & per tumultum congregari ſignificat. quod animaduertens Græcus interpres reddidit ἐφρύαξαν. id ſignificat, autore Heſychio, concitati ſunt; nam φρυάσσεται per ἐπαίρεται interpretatur. Hinc infrà Pſal.55.c.15, In domum Dei ibimus ברגש, id eſt in cœtu. Et Pſal.64.a.3, Abſcondes me à cõſilio noxiorũ, & מרגשת, id eſt à turba vel colluuie ſtudentiũ prauitati. Significantiſſimè ergo Vates hoc verbo vndique excitos, & gregatim accurrentes, ſeſéque conglomerãtes Philiſtæos expreſſit: quod & cum hiſtoria Schmuelis perpulchrè cõuenit. 2.Samu.5.c.17. Nam memorat illa Philiſtæos quum audiſſent vnctum Dauidem in regem ſuper Iiſrael, vniuerſos aſcendiſſe ipſum inquiſitum & perditum. Non minus verò & id ad enargiam facit quod ſequitur, *Et inaniter fremunt populi.* Eo enim expreſſit quàm feruidè, quàm cupidè conuolarint ſibi ipſis iam victoriam pollicentes, & iam animo omnia vaſtantes & perdentes, adeò vt anheli in Iiſraelis deuaſtationem fremerent, incõditáſque ſummæ confidentiæ & inſolentiæ voces iactarent. הגה enim vt in ſuperioris Pſalmi verſum ſecundũ annotauimus, ferè ſermonem vel murmur potius affecti & exæſtuantis animi ſignificat: id quod nimirum apud noſmetipſos fundimus, & ceu eructamus verius quàm loquimur. R.D.Kimhi interpretatur de verbis quæ iactarunt dũ concurrerẽt, & victoriam ſibi fruſtra pollicerentur elati adhuc, & ſibi omnia arrogantes ex ea victoria qua cæſis rege Schaul & filio eius, dira clade Iiſraelẽ affecerãt. Quia verò hæc eorum inſolentia & audacia magno ipſorum malo retuſa fuit, rectè dixit Vates, *Quod fremunt populi.* ריק, id eſt inane. Non ſolùm enim non ſucceſſit eis quod propoſuerant, verùm cæſi grauiter, tandem eius agnoſcere imperium coacti ſunt quem venerant perditum.

Gentium & populorum nominibus, plebem: Regum, eos qui rerum potiebãtur: Principum Gentes, populi, reges, principes a ſtuerunt.

qui his à conſiliis erant,& prudentia celebres intelligit: eóque omne genus hominũ apud Philiſtinos, cunctóſque ordines cõtra Dauidem excitos armatóſque ſignificat. Reges dicit aſtitiſſe, hoc eſt ſe bellum Iiſraeli illaturis præſto exhibuiſſe, promptiſque animis adfuiſſe. Quod de principibus dixit, ſi verbum ex verbo reddam, fundati ſunt, vel fundarunt ſeſe: Græcus interpres probe expreſſit, συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, id eſt coacti ſunt in vnum. Hoc autem quid aliud quàm coniuratio quædam erat? Quo ergo plenius id quod Vates dixit ederem, reddidi, *firmant ſe coniuratione.* Sunt apud Hebræos qui iſtud נוסדו à סוד, quod ſecretum, conſilium ſignificat (de quo dicemus in Pſal.15. & 55.) deducunt. verùm ratio grammatica magis conſentit Dauidi Kimhi, qui illud à יסד, id eſt fundauit deriuat,& pro conſultaſſe accipit, eo quòd conſilium, vt ait, rei gerendæ ceu fundamentum eſt. Fundatos igitur eſſe, aut ſeipſos fundaſſe per tranſlationem dicuntur Principes dum belli conſiliũ ſtabilierunt. Nec alio ſignificatu vſurpauit hoc verbum Vates Pſal.31, verſ.14. בהוסדם יחד עלי, id eſt vt firmati ſunt ſimul contra me, vtique cõmunicatis inter ſe conſiliis,& quadam quaſi cõiuratione inita. רוזנים,& Iudic.5.a.3,& Prouerb.8.b.15, cum regibus coniunguntur, & in Prouerbiis tribuitur eis leges condere: vnde coniectura eſt eos Principes ſignificari hoc nomine quorum prudentia & conſiliis reges regna adminiſtrant.

Conuenerunt.

Contra Iehouam.

Contra Iehouam & unctum eius. Quum enim Dauid à Deo conſtitutus rex eſſet, non tam contra ipſum, quàm contra Deum erat quod Philiſtæi moliebantur. Dicitur autem hoc cum emphaſi. quanquam enim nihil ſit verius atque Deo ipſi aduerſari eum qui miniſtris eius aduerſarius eſt, nihil tamen mundo difficilius perſuaſeris. inde tanta contra Sanctos rabie efferantur. Ii autem quia vocationis ſuæ certi, norunt cui crediderunt, cuíque ſeruiunt, nõ queunt illorum ſanè amentiã nõ admirari. Porrò iſti hoſtes Dauidis typum geſſerunt plebis, populique Iudaici, principum Herodis & Pilati, Sacerdotum & Legis peritorũ qui omnes quiſque pro ſe opprimere Dominũ Ieſum, ſed fruſtra,& cũ ſua pernicie annixi fuerunt. In quo perpẽdendum, verè ſtupendam & diram eorum qui Dei Spiritu renati non ſunt, inſaniam. Nihil erat in orbe gente Iudæorum vel ſapientius, vel ſanctius: & tam indicibili tamen furore nõ ſolùm mobile vulgus, ſed quo quiſque plus religionis & Diuinarum ſcripturarum ſcientiæ ſibi arrogabat, contra Dominum (quo nemo vixit vnquã modeſtius & innocentius: nemo magis admiranda, Diuinitatémque luculentius teſtantia facinora edidit, nemo docuit certius, efficacius, Diuinius) efferari potuerunt. Sed ſic ſolent apud quos obtinet Satan: quo quiſque præſentius Deum refert, hoc importunius contra eum iſtiuſmodi homines furiunt. Iam & hodie mundus, mundus eſt, & ſui haud diſſimilis Satan princeps eius: quare ſi verè Chriſto militabimus, vt ipſum odio ſemper habuerunt,& perſequuti ſunt quotquot in poteſtate Satanæ fuerunt: ita nobis qui huius generis ſunt nequaquam blandientur. Videamus igitur ſi nos mundus diligit, ne quod ſuum eſt diligat. Animet autem & duret ſi nos inſectatur, quòd non nos, ſed Chriſtum in nobis, & Patrem, hoc eſt vnum verúmque Deum inſectatur, qui ridet conatus eorum: vt iure Propheta mirari, & ſtupere ſe amentiam eorum ſignificet. Orandum itaque vt & nos præſidentem in cælis, irritóſque hoſtium conatus ridentem ritè agnoſcere poſſimus: ſic ſtupebimus horum dementiam, ſibi ipſis æternum malum conſciſcentium: tantum abeſt vt vim eorum vel tantillum expaueſcamus.

Chriſtum in his admirarum.

3 *Dirumpamus uincula eorum, & ligamina eorum à nobis proijciamus.* Hanc vocem in hoſtium perſona Vates poſuit, ita ſe ad opprimendum Iiſraelem inuicem cohortantium,& ſignificantiũ, niſi regnum Dauidis quantum poſſint extinguant, fore vt ſeruire ei cogantur: experti enim ſæpe virtutem Dauidis fuerant. Per vincula, vel funes & ligamina, Iſraelitarum intelligitur imperiũ quod imminere ſibi Philiſtæi videbant, regno Dauidis tam fœliciter creſcente. Habuerant diu Iiſraelitas tributarios ſui imperii vinculis conſtrictos: nunc mutatis rebus verebantur ſibi iniicienda vincula, funéſque imperii Dauidis. Vt enim per עול quod iugũ ſignificat, ita & per מוסרות, id eſt vincula, imperiũ tranſlatione ſignificatur. Iirmeias, 2.d.20,& 5.a.5, priore loco memorat Deus ſe Iiſraeli fregiſſe iugũ, dirupiſſéque vincula: intelligens ſeruitutẽ quam populus ſeruiuit addictus Gentibus: poſteriore expoſtulat cum populo, quòd is ſuum iugum fregerat, & vincula ruperat, id eſt iuſſa ſua cõtempſerat. Huiuſmodi tranſlatio & in Pſalmo 107.b.14, eſt, item Pſalmo, 116.d.16. Quo magis miror cur Dauid Kimhi fœdus, & arctiorem Iiſraelis coniunctionem per hæc vincula atque ligamina intellexerit. Quanquam ſi ſic hanc metaphoram accipias, in idem veniat. Cur enim coniunctam iam, communique omnium tribuũ fœdere, & vnanimi Dauidis in regem omnium vnctione, ceu præfortibus vinculis & funibus conſtrictam ac ſuccinctam Iiſraelis potentiam illi rumpere, & à ſe amoliri quærebant, niſi quòd fore facile augurabantur ſe Dauidis iugum ſubituros, niſi augeſcentem, ac gliſcentem vim regni eius in ipſo ſtatim exortu retudiſſent? Hoc idem re & verbis contra Chriſti regnum & initio, & ſemper adhortatos, atque adhortari ſe quos ad Filium Pater non traxit, qui anim-

Quid funes & ligamina.

aduertit facile deprehendit. Vna omnium vox eſt, Nolumus bunc regnare ſuper nos. Quare quo vident veritatis potentiam magis creſcere, eo maioribus ſe eidē viribus opponunt. Chriſti enim leni iugo, & optatis vinculis, iugo principis mundi alligati, ceruicem ſubmittere non ſuſtinent. Odio habēt Patrem & Filium. Ecqui ferret faſtus imperium modeſtiæ: auaritia, iuſſa paupertatis: luxus, faſces crucis: ambitio ſceptrum cōtumeliæ: effrænis licentia, frænum cōtinentiæ? Atque vtinam hodie hoc Philiſtinorum genus nō vndique exaudiatur in hunc modum contra noſtri Dauidis regnum iactare, ſeſeque excitare. Quid enim aliud ſunt qui omnia prius & tentant, & experiuntur, quàm vt profligatiſſimam ſuam licentiam, & execrandam vitæ impuritatem vel vlla ex parte circuncidi patiantur? מוסרות iugum verterunt vulgò. ſignificat autem funes, quod ex Iudic. 15.c.13, infrà Pſal. 118, & 129 Iechez. 3.g.25, & aliis multis locis patet. Iugum autem verti bæc vox ideo forſan cœpit, quòd funibus iugum ceruicibus boum alligetur: alioqui iugum Hebræis עול dicitur.

4 *Sedens in cælis ridebit, Dominus ſubſannabit eos.*

5 *Tunc loquetur ad illos in ira ſua, & in indignatione ſua terrebit eos.* Hîc cauſam reddit cur tumultū, conſilia, & conatus hoſtium regni Dauidis tantopere demiretur. Eſt ſiquidem hypotypoſi in his verſibus iuncta proſopopœia. Nam inducit ſeipſum Vates, vt qui & hoſtes concurrentes, conſpirantes, cōſultantes, & Deum contra illos ridentem atque ſubſannantem coràm videat: denique iam tum quæ illos mala maneant proſpiciat. Elegantem præterea cum præcedentibus hi duo verſus habent antitheſim. Illi cum tumultu conuolant: Deus autem contrà quietus ſedet, & quidem in cælis, quò nulla pertingit prorſus perturbatio. illi non ſeriò ſolum, ſed anxiè, ſed feruidè multa loquuntur, conſulunt, ſtatuunt, moliuntur: Deus verò ridet eos, tanquam conantes impoſſibilia, ceu ridere fortem athletam oporteat, ſi eum ſternere puſio aliquis annitetur. illi, multi, & ex omni hominum genere, adhæc virtute ac dolo egregie inſtructi: porrò Dominus vnus quū iuſtū tempus appetierit, ſolo nutu exagitat eos atq; diſperdit. Hæc ita Vates proponit, quaſi ob oculos poſita cuncta cernat & cōtempletur: indéq; præ ſe fert admirationem eam, ſtuporémq; quē in prioribus verſibus expreſſit. In eo verò quòd ait *Tunc*, vaticinatur, ac per proſopopœiam inducit ſe iam illum temporis articulum cernere, quo declaraturus ſit Deus quàm inſanè & demēter Philiſtæi fecerint Dauidi bellum inferendo. Is articulus Tum, quod ad Philiſtæos attinet, venit quando eos ter grauiter cæſos Dauidis imperio Dominus ſubiecit. Id quod 5, & 8. cap. 2. lib. Regū legimus. Quòd autem Propheta Deum ſedentem, ridentem, ſubſannantem, in ira hoſtibus loquentē facit, vt dixi, fictio perſonæ eſt adhibita quo bumaniter dicta penitus ſenſibus inſiderent. Anthropopathiam veteres figuram hanc vocarunt, qua humani adfectus Deo, dum propria eius nobis incomprehenſibilia ſunt, tribuuntur. Similis verò proſopopœia habetur & Pſal. 37.b.13, Ridebit eum, quoniam videt quòd adueniat tempus vltionis eius. Et Pſalm. 59.b.9, Tum Iehoua ridebis illos, ſubſannabis omnes gentes. Per hoc autem Dei *ridere* ſynecdochicōs ſignificat illos impoſſibilia conari: vt per *loqui in ira*, Dominum illorum conatus cum ipſorum clade fracturum. Porrò quod adiecit iræ indignationem, & loqui perturbare, repetitionis ſpecies eſt poematis Scripturæ familiariſſima, Hebræis dicta כפל הענין במלות שונות, id eſt geminatio ſenſus, dictionibus mutatis. Vtinā verò & nobis donet hos Vatis oculos Deus, quò videre & ſtupere, nō autem pertimeſcere poſſemus omnium Chriſti regno aduerſantiū inſaniā & dementiam, quam ille ad tempus ridet dum in ſalutem ſuorū omnia quæ moliuntur torquet: demū autem ſæuè reprimit, dum meritas de ipſis pœnas ſumit. Sic enim quamleuiſſimum nobis foret quoſlibet in nos inſurgentes ſuſtinere, & intrepidè atque alacriter Chriſti maieſtatem in medio eorum aſſerere. *Loquetur ad eos in ira ſua,* liptote eſt: plus enim intelligendum eſt quàm exprimatur, nempe ipſa vltio. Verùm quum Domini dicere, eius facere ſit, rectius quàm ſi de bomine ſermo eſſet, per appellationem iratam, vindictam Vates ſignificat. Porrò cum דבר peſtem quoque, grauiorémque Domini vltionē Scriptura vocet, ſunt apud Hebræos qui hîc ידבר non loquetur, ſed peſte perdet, legunt. Sed prior interpretatio quia ſimplicior eſt, D. Kimhi magis probatur. Illud in Scriptura frequentius eſt, vt quas ſumit Deus de improbis pœnas per terrorem ſignificet. Ridere Dei.

6 *Et ego vnxi regem meum ſuper Siion montem ſanctum meum.* Deum ipſum inducit de rege ſuo à ſe cōſtituto teſtificantem. *Vnxi* dixit, ſed per tropum ſynecdochē ſignificat ſe illum regē cōſtituiſſe. Super Siion addit, per id metonymicōs intelligens vniuerſum populum ſuum. ideo autem, Siion nominauit, quòd illic regni, vt & ſacrarii ſui ſedem delegerat, vnde & montē ſanctū ſuū vocat. Cæterùm quia mōtuoſa eſt terra Cbenaā, montis nomine, & tota & partes eius ſæpe in Scriptura vocantur. De Chriſti regno quod idem Dei eſt, præcipue hic Pſalmus canit. Huius ciuem eſſe quū ſit æternā viuere vitā, ideo tam magnifice illud Vates prædicat, ac Deū ipſum

de eo teſtantem introducit. Hoc ipſum da Pater vt certò credamus: ſic ſecuri rerum omnium, Chriſti tui nos præſidio penitus committemus: ſic vnius iuſſa perſequemur, ſic vera bonitate in omnes & comitate præditi, germani tui filii agnoſcemur: ſic denique in ſalutem noſtram hìc pauliſper cruce exerciti, beati in cælis te æternùm celebrabimus.

7 6 *Memorabo ad Legem, iehoua dixit ad me, Filius meus tu, ego h. die genui te.* Quo Vates Dei in ſe typũ Chriſti, bonitatẽ, & in hac Chriſti ſimul maieſtatẽ auguſtius prædicet, recitat quid Deus de ſe, deinde ac præcipuè de Chriſto ſtatuerit, idque ipſius Dei verbis quẽ inducit ſe, & in ſe Chriſtũ alloquẽtẽ, ſibique & illi teſtantẽ quòd eius filius ſit vterque, regnúmque eius adminiſtret. quanquã hanc appellationẽ is cui ea videtur cõtigiſſe priori, ab eo acceperit qui hac apud homines quidem inſignitus eſt poſterior. Eſt autẽ verſus hic ambiguus, eo quòd variã habeant exemplaria lectionem. Vulgatiora legunt אספרה אל חק, punctatio cum ſægol: quædã autem cum ſere. Et ſic legerũt Chaldæus paraphraſtes, Græcus interpres, & ipſe quoque D. Hieronymus. Nam habet Chaldæus, Recitabo Dei pactum. Græcus, *διαγγέλλων τὸ πρόσταγμα κυρίου.* D. Hieronymus, Annuntiabo Dei præceptum. אל ſiquidem cum ſere, Deum ſignificat. Hebræi autem, R. Schlomoh, Aben Ezra, & Kimhi communiorem lectionem ſequuntur, cui & Sacræ linguæ compoſitio magis fauet, legúntque אל cum ſægol, quod ad ſignificat: eóque hunc ſenſum huius verſus reddunt, Ad legem, hoc eſt pro lege, vel ex lege, ſtatutóque certo memorabo, & celebrabo id quod Dominus dicere ad me dignatus eſt, Tu es filius meus, &c. Hunc ergo ſenſum quia & non dubito certiorem, ac germaniorem, ſic reddendum præſentem verſum exiſtimo, *Ex ſolenni iam ceremonia hoc memorabo. iehoua ad me dixit, Tu meus filius es, hodie te genui.* Eſt enim hìc חק accipiendum, vt Pſal. 81. b. 5, כי חק לישראל, Nam ſolẽnis ritus, mos, vel lex eſt Iiſraeli. Loquitur autem de feſta Dei celebratione, cantibus & organicis muſicis. Ita in præſenti ſignificat Vates ſolẽnem ſibi fore ceremoniam, canere & celebrare fauſtum illud & optatum Dei ad ſe oraculũ, *Tu es filius meus, &c.* Cæterùm hæc in typo & Chriſto ipſo conſiderare licet. Dauid primùm alloquitur hoſtes ſuos ita, Fruſtra turbatis Philiſtæi, impoſſibilia molimini, narrabo vobis quid de me ſtatuerit Deus: id certe vos homunculi in perniciem veſtram oppugnare poteritis, expugnare non poteritis. Dixit ille ad me quum per Schmuelem me vngeret in regem ſuper Iiſraelem, *Filius meus es tu, hodie te genui:* alium iam te reddidi, ex paſtore ouium paſtorem & principem populi mei. Quum iam omnia euaneſcent citius quàm vt excidat Dei verbum, ipſi videritis quem ſucceſſum euentúmque belli quod mihi mouetis, ſperare debeatis. Hoc ipſum eſt & quod Dominus concilio Iudæorum reſpondebat, Ex hoc tempore erit Filius hominis à dextris virtutis Dei. His enim apertè ſatis, decretum & conſtitutionem de ſe Patris illis narrauit, regémque ab ipſo creatum ſe palàm profeſſus eſt, quod & coram Pilato non tacuit. Sunt qui de æterna Verbi Dei generatione hũc locũ intelligãt, quorũ nolo autoritatẽ imminuere: quanquã malim eũ de præclara illa Seruatoris in regnum cælorũ inauguratione facta quũ à Iohãne baptizaretur, viſo ſuper eo Spiritu ſancto in ſpecie colũbæ, auditáque voce Patris, Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacitũ eſt, intelligere. Paulus certè Act. 13. e. 31, de regno Mediatoris quod vt homo adminiſtrat, hunc locũ intellexiſſe videtur. Sic enim ait, Et nos Euãgelizamus vobis promiſſionẽ factã Patribus, quòd eam Deus filiis illorũ nobis præſtitit, reſuſcitato Ieſu, quemadmodũ in primo Pſalmo ſcriptũ eſt, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quũ enim hunc locum Paulus in hoc citarit vt ex eo oſtenderet reſuſcitãdum fuiſſe Dominũ, cum de Seruatore, vt homine vtique accepit. Homo enim & mortuus, & à mortuis reſuſcitatus eſt. Pulchrè verò quod propoſuerat, hinc Paulus probat. Quia enim Dominus vnicè charus Filius Dei, & omniũ primogenitus erat, tum ab eo genitus quãdo in regnũ cælorum ipſum deſignauit, vnxítque Spiritu ſancto præ participibus ſuis: oportuit vt tãdem regnũ ſuum deſtructis hoſtibus auſpicaretur, ipſúmque adminiſtrare inciperet: ergo reſuſcitari à mortuis fuit neceſſum. Nam quũ regnum eius non eſſet hinc, ab immortali & cæleſti iam adminiſtrari oportebat. Eodem ſenſu & Epiſtola ad Hebræos locum iſtum accepit. Et Chriſtus (inquit) non glorificauit ſeipſum: ſed is qui dixit ad eum, Filius meus es, &c. Et hic ſcriptor ineſſe in hoc loco promiſſionẽ de Chriſti glorificatione, & ea quæ à reſurrectione eius facta eſt intellexit: nam mox illud ſubiecit, Tu es Sacerdos in æternum. & reliqua. Iam glorificatio Chriſti, & in Sacerdotẽ, hoc eſt mediatorẽ euectio, hominis eſt: iuxta illud, Vnus Deus, & vnus mediator Dei & hominũ, homo Ieſus Chriſtus, 1. Timo. 2. b. 5. Sic quoque Pſalmi pulchrè ſtabit antitheſis, vt intelligamus hæc Dominum hoſtibus ſuis nequicquam ſe oppugnantibus dicere, Vos vt me extinguatis nihil non experimini, nihil nõ tentatis: at ne ſitis neſcii, vos ipſos, nõ me hoc veſtro furore perdetis: narrabo quid de me quamlibet humili fabro fabri (vt putatis) filio decreuerit atque ſtatuerit Pater. *Dixit ad me, Filius meus es tu, hodie genui te.* Vos igitur me Dei filium, à Deo in regem omnium gentium conſtitutum, extinguetis? Ipſe potius frangam & comminuam vos: ita enim præte-

Certior & ſolennior verſus ſeptimi verſio.

Recitabo decretum. Matth. 26. f. 64.

Matth. 3. d. 17.

Heb. 1. b. 5.

rea mihi dixit, *Confringes eos ſceptro ferreo, &c.* Nemo verò abſurdum putet quòd Dauidem tum genitum Deo filium dixerim, quum ab eo in regem fuit vnctus. Vt enim paterna beneuolentia omniū prolixiſſima eſt: ita quibus ampliter Deus benefacit, & peculiari dignatione bonis ſuis præ aliis cumulat, filios Dei Scriptura vocat, tum ab ipſo genitos quum primùm ſuam illuſtriorem illam charitatem erga eos prodidit. Sic Iiſraelitæ filii Dei, Deut.14.a.1, & aliàs dicti ſunt, quòd præ omnibus mūdi populis beneficiis Diuinis ornati eſſent. Eos verò ſibi tum in filios genuiſſe dicit, quū fœdus cum eis in monte Sinai percuſſit vt ipſe illorum Deus, & illi ipſius populus eſſent. Ad hanc certe peculiarem eorum cooptationē reſpexit Moſcheh, Deut. 32.a.6, quū cecinit, Nunquid ipſe pater tuus, nutricius tuus, ipſe fecit te, & perfecit? Non enim hìc de prima creatione loquitur, vt D.Kimhi vere cenſet: ea enim omnium gentium communis eſt: ſed de noua, & his peculiariter exhibita beneficentia qua eos ſibi Deus velut regenuit, & peculiaris indulgentiæ nutricatione tanquam vnicè charos filios educauit, hoc eſt fecit & perfecit. id quod illis exprobrat Ieſchaiah, 1.a.2. Ad eundem modū quū Dauidi Deus de filio eius Schlomoh prædiceret, illique eximia multa promitteret, primum omnium poſuit, Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Id enim etſi in Seruatore completum ſit, in Schlomoh tamen, vt typo eius etiam verum extitit. Nam illico ſequitur, Qui ſi peccauerit, caſtigabo eum caſtigatione humaniore, &c. Ex eadem cauſa docuit nos Chriſtus, poſt reuelatum gratiæ regnum promiſcuè Deum Patrem inuocare, quem antea Sancti ferè Dominū & Deum, rarius Patrem appellabant. Decuit ſanè vt quo amplior iam Diuinæ nobis bonitatis cognitio contigit, hoc fiduciæ plenioris appellatione Deum appellaremus. id tamen nulli vere poſſunt, niſi quos huc fiduciæ erigit Spiritus ille adoptionis, Spiritus Chriſti, qui cordibus noſtris perſuadet Deū velle nos filiorū loco habere: atque ita excitat, vt ſicut patris eum loco habemus, ſic & patris nomine appellemus. Id quod ideo veteres rarenter vſurparunt, quia illis Spiritus timoris, & non liberioris ac filialis fiduciæ (quem adoptionis Paulus vocat) contigerat. Porrò ſiqui præſentem locum, de diuinitate Seruatoris accipere velint, in hunc ſenſum eum intelligent, Fruſtra & malo veſtro regnum meum oppugnatis. nam ne neſciatis, volo Patris de me ſententiam vobis indicare. *Dixit ad me, Filius meus es tu*, id eſt Deus verus: *ego hodie*, hoc eſt ante & extra omne tempus *te genui*. Qua igitur ſpe adeò tumultuamini contra eum qui natura Deus eſt, æqua cum Patre poteſtate, non homo tantùm qualem videtis? Hic ſenſus ſicut cum ipſa veritate conſonat, ita nolo iis qui eum amplectendum hìc putant, repugnare: quāquam illud *Hodie* videatur ad certum tempus referendum quo Chriſtum Pater in regem Sanctorum velut vnxit, miſſo ſuper eum Spiritu ſancto forma corporali tanquam columba, & voce de nube lapſa, de eo teſtificatus, Hic eſt Filius meus ille dilectus in quo mihi complacitum eſt, vt Lucas memorauit. Sic ſanè typo Dauidis res ipſa in Chriſto pulchrè conuenire agnoſcitur. Nam ſimulatque Dauidem Schmuel coram fratribus ſuis vnxiſſet, fœliciter eum in omnibus ab eo die & deinceps, duxit egitque Spiritus Iehouæ. Continuò enim hoc Spiritu adflatus alius fuit, cunctáque illi ex animi ſententia cadebant. Sicut ergo de hoc die Dominus dixit Dauidi, *Hodie genui te*, hoc eſt alium feci Spiritu donatum verè regio: ſic & Seruator noſter, etſi Deus ipſe eſſet ſubſtantia idem cum Patre, & vt homo apud Deum tum genitus quum eſt ab eo præordinatus, vt D.Petrus inquit, hoc eſt ante omnia ſæcula: denique in vtero quoque matris Spiritu Dei plenus, & in lucem editus, Spiritu, vt Lucas ſcribit, roboratur, & ſapientia, ſicut & ætate creuerit: attamē vſquedum baptizatus inciperet Iiſraeli reuelari, ceu priuatus fuit: & fabrum, vt creditur, ab eo quo id per ætatem potuit, egit. Certè nihil eorum geſſit quæ proprie ſui muneris erant, propter quod in mundum hunc venerat. Hæc enim omnia à baptiſmo, & velut vnctione & inauguratione ſua circa baptiſmū facta, gerere cœpit. Hunc ipſum igitur diem, ſi notatū in eo, *hodie genui te*, intelligamus, & cum ratione typi res ipſa pulchrè congruet, & conſtitutionis in regem ratio quam hic Vates canit, melius conſtabit. Secundum diuinitatē enim non ex conſtitutione, ſed natura Patris, & Filius eius, & Rex eſt omnium. Sed non tam multum retulerit ad quodnam tempus hoc dicti referamus, quàm vt ei ſolidam habeamus fidē, certò perſuaſi Seruatorem noſtrum, primogenitum illum & regē eſſe per quem vt & nos filii atque hæredes Dei ſimus percipere liceat. Hæc ſanè cauſa eſt cur Apoſtolus, Chriſti vt hominis quoque gloriam & potentiam (vt qui ſuper omnia exaltatus, omnia reconciliet Patri, inſtauret & perficiat caput Eccleſiæ) identidē prædicet, miríſq; præconiis extollat. Neque enim vitam ritè cōpoſitā, Deóque dignā viuemus, niſi huc impellat amor & ſtudiū Dei. Hæc inde autem vigent & ardent, ſi probè agnoſcamus, & indubitatò animis perſuaſum habeamus ad beatam nos immortalitatē deſtinatos, iámque Deo inter filios numerari. Hæc iam fides, hæc perſuaſio, tanto vtique magis augeſcit & roboratur, quāto Chriſti nobis myſteriū fuerit cognitum penitius, & expenſū religioſius, quòd verus homo, nobiſq; per omnia, ſolis exceptis peccatis, ſimilis, à vita

Vnde ſit v: filii Dei ſancti.

2.Sam.7.b.14.

Luc.3.e.22.

Luc.2.g.52.

Quæ vera Chriſti cognitio & prædicatio.

ærumnoſa, & morte durissima, nō ſolùm in vitam immortalem & beatam, ſed in regnū ſuper omnes creaturas, etiam Angelos euectus ſit, vniuerſis arbiter vitæ & necis: ſuis autem eiuſdem immortalitatis & fœlicitatis ſempiternæ autor & largitor. Profectò ſiquis iſta præſēte animo perpendit, preſſéque ſecū cogitat, vt videlicet ille ex ingenti noſtri amore, mortis vſqueadeò horrendæ & execrandæ duriſſimos cruciatus vltrò voluerit noſtræ ſalutis cauſa perſerre, hinc quonam pacto ad redamandum vnicè eum, ſuſpiciendum, adorandúmque, omnia ſibi ab ipſo expactandum, eique toto pectore gratificandum, ac ita repudiandum quæcunque improbat, amplectendum ſectandúmque quæ probat, in quo omnis innocentiæ & integritatis, veræque iuſtitiæ ſtudiū conſiſtit, non prouocaretur, impelleretur, accenderetur? Porrò hæc tam magna & Diuina de Seruatore, vt homine, credere nunquam licebit, niſi eundem & Deū eſſe nobis perſuaſum ſit. In cuius ſanè conſideratione neceſſariò mens cōſcendit, quum quantus ille ſit, quantáque præſtet, homo ſancta curioſitate veſtigarit & perpenderit. Ibi tū inæſtimabilis illa Dei in nos dignatio relucet, qui verbum ſuum per quod omnia condita ſunt & ſeruantur, voluit carnem noſtri cauſa fieri, verum Deum, verū hominem, vt nos dei euaderemus, hactenus Diuinæ naturæ conſortes, vt prorſus iuſti, & ſolidè olim & in perpetuū beati ſimus. Hæc ritè expenſa & conſiderata, dici non poteſt vt rapiant in Deum animum, pigeréque ac pudere efficiant omniū quæ carnis ſunt, deſiderio autem & ſtudio cæleſtium rerum & actionum penitus

Eph. 1. d. 12.

flagrare efficiant. Quare cum Epheſiis, tum aliis Paulus horum cognitionem pleniorem tam obnixe orare ſolebat. Eandem oremus & nos: neque enim alia ratione in vitæ nouitate proficiemus, terrenarúmque rerum cupiditates ex cordibus alio pacto euaneſcent.

De ſacroſancta Triade, contra Iudæos.

D. Kimhi docet ſuos dum nos ex hoc loco Chriſtum Deum probamus, eo quòd oporteat Filium eiuſdē naturæ eſſe cuius Pater ſit, reſpondere nobis, Deum ſummam vnitatem eſſe, nec augeri eum aut minui, vel diuidi poſſe, ſed neque prioris aut poſterioris rationē recipere. Id verò libēter & nos fatemur. neque ita Patrē Deum, Filium Deū, Spiritum ſanctū Deū dicimus, vt Diuinæ ſubſtantiæ inter eos ſectio ſit, ſed vnum ſumma ſimplicitate Deū, tantùm perſonali diſcrimine, in Scripturis prædicatū confitemur. Verbū enim, ſiue virtutē Dei, vt Paulus vocat: item Spiritum atque omnia viuificantem & ornantem Dei adflatū, Sacræ literæ prædicant. Iam Verbum, Spiritúmq; Dei à Deo ipſo diuerſa quis faciat? Natura igitur ſunt inter ſe vnum idémque Deus, Verbum, & Spiritus, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Rurſum quū Scriptura ſub diſtinctis perſonis de his loquitur, quis corriget linguā Dei? Pii itaque pectoris erit ſic apud Deū Verbum initio fuiſſe agnoſcere, vt ſimul agnoſcat Deum ipſum Verbum eſſe. Ita Paracletum docentem omnia, atque perficientem, à Patre & Filio proficiſci, vt tamen natura ſubſtātiáque eundem ipſum Deum cōfiteatur. Omnia ſiquidem docere & inſtaurare, ſolius Dei eſt. Verùm, de his cum Iudæis fruſtra diſputaueris, iis duntaxat quibus fiduciam generis, & æſtimationem nimiam ceremoniarum Legis non antea ex animo exemeris. Quare religioſi pectoris fuerit, Deum ſuum pluris facere, quàm vt temere de tanto myſterio verba fundat. Ad timorem Dei potius adhortabitur. hic eiuſmodi ſapientiæ initium eſt, vt eo recepto, Deus ipſe deinde docturus ſit omnia, iuxta illud Pſal. 25. c. 14, Secretum Domini timentibus eum. Atque vtinam hic timor Domini apud omnes nos obtineat. quod ſi fiat, tam hoc quàm alia Scripturæ myſteria non ſolùm cognitu ac creditu facilia nobis erunt: ſed ſimul ſic omnia percipiemus ac tractabimus vt inde meliores euadamus, hoc eſt nobis magis moriamur, & proximis viuamus ſtudioſius. Attamen quoniā omni poſcenti, noſtræ ſpei reddenda ratio eſt, equidē ſi vrgeat Iudæus, ingenuè fatear & de Dauide hoc dictū, *Filius meus es tu*, intelligi poſſe: nō enim minus charus Deo extitit, quàm Schlomoh, de quo Deus reſpondit, Ero illi pater, & ipſe mihi filius: ſed & vniuer-

2. Sam. 7. b. 14

ſum Iſraelem filium ſuum primogenitum vocauit. Deinde quum & ipſi Iudæi fateātur inde homines filios Dei vocari quòd vt filius patri, Deo obediant, ac voluntati eius ſtudeant: tum de Chriſto Prophetas prædixiſſe non ſolùm ipſum per omnia iuſſis Patris ſatiſfacturum, ſed & effecturum vt alii quoque id ſtudeant: hoc autem non ſit virtutis humanæ, ſed Diuinæ: neceſſe eſt eum & Deum, eóque cum Patre ſubſtantia eundem eſſe. Hæc ſi Iudæo minus, ſatiſfacient tamen aliis quibus cordi pietas ſit, præſertim dum loca illis aliquot oſtēdam, quibus de Chriſto aperte prædictum legitur, eum filios Dei purgaturum & iuſtificaturū, iuſtitia & pace omnia repleturū, qualia paſſim in Prophetis occurrunt. Hinc illud quoque liquebit, non Dauidi, aut cuiquam alii vnquam datum vt filius Dei eſſet, & diceretur quàm per Chriſtum ſeruatorem: eóque ipſi vt primogenito cum primis quæ hic & alibi de dignitate filiorum Dei leguntur, competere: neque id niſi quòd ſimul verus Deus eſt, æternum Patris Verbū per quod omnia ſunt, mouentur & viuunt, atque ideo etiam parantur & inſtaurantur.

8 *Pete à me, & dabo Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam fines terræ.* Hoc eſt, Adeò nihil officient regno tuo Gentes iſtæ, quamlibet tumultuentur & moliantur, vt ad tuam eas voluntatem

daturus tibi ſim in poſſeſsioné propriá, atque hæreditariá. Perſtat enim in proſopopœia Dei hæc ad Dauidem vt typũ, Chriſtũ autem vt per typum hunc deſignatũ, loquentis. Gentes dicit ſe daturum in hæreditatem, quo expreſſit eas in vniuerſum dominio ſeu imperio eius ceſſuras, ita vt poſſidemus quæ ceſſerũt ex hæreditate. Sicut autem hæreditas & poſſeſſio, ita Gẽtes & fines terræ pro eodem accipiuntur per ſynonymiam, vel congeriem. Per fines enim terræ, ſynecdochicῶs, omnes regiones hoſtiũ vſque ad vltimos terminos regni Iiſraelitici, ſi de Dauide hæc accipias: ſi de Seruatore, vſq; ad terminos terræ habitabilis intelligit, ac inde metonymicῶs, per regiones, inhabitatores. Quòd autem inducit Dominum dicentem, *Pete à me*: ſignificare voluit ſummam Dei erga Chriſtum ſuum beneuolentiam atque indulgentiam, vt qui omnia voluntati eius concedere velit. Magni enim principes his verbis oblata optione ſuam ſolent beneuolentiam declarare. Sic Herodes ſaltatrici iurabat daturum ſe quicquid poſtulaſſet, etiamſi dimidium regni poſtulaſſet. Et Dominus Schlomoh, Pete quod dẽ tibi, 3. Reg. 3. a. 5. Porrò datas Dauidi gentes ad vltimos vſque ditionis Iiſraeliticæ fines habitantes, & in plenam poſſeſsioné, memorat Hiſtoria ſacra, 2. Reg. 8, 10, 12, & 1. Paral. 18, & 19. Nam omnem Syriam, Idumæam, Philiſtinorum regionem cũ Moabitis & Ammonitis, Dominus imperio illius ſubiecit. Quia Chriſto ſcimus omniũ in cælo & in terra poteſtatem cõtraditam à Patre: fines vniuerſæ terræ ſubiectos facile agnoſcimus, vtcunque perpauca ſint loca vbi hodie ita vt par eſt colatur. Pridem rerum potiẽtibus iis qui à Cõſtantino magno vſque ad Heraclium, Romanum imperium adminiſtrarunt, raræ admodum regiones in orbe erant quæ de fide Chriſti non gloriarentur. Id vtique multo cum ampliore Seruatoris gloria iterũ futurum expectamus, quum Spiritu ſuo hominem illum peccati, filium perditionis Mahomet, ac quicunque alii pro Chriſto ſe adorãdos Gentibus obtrudũt, confecerit, atque illuſtratione aduentus ſui aboleuerit: tum certe illi omne ſe genu flectet, omníſque lingua Dominum & Regem cõfitebitur. Tum verè implebuntur quæcunque ſacri Vates de regni Chriſti amplitudine & maieſtate cecinerũt. Tum vniuerſæ ipſum Gentes inquirent, & ſeruatoré adorabunt: tum & illa quæ ſub typo regni Schlomoh, Pſal. 72, de regni eius amplitudine canit, cõſummabuntur. Interim etſi nomini eius aduerſentur plurimi, nuſquam tamẽ Gentium deſunt qui in fide eius eſſe velint. Hoc verò hîc ſpirituale & obſcurum, & in futuro omnibus conſpicuum, ac vbique ſumma cum gloria & potẽtia illuſtre Seruatoris regnum, quum agnoſcere Iudæis negatum ſit, non eſt mirum quod D. Kimhi præſenti verſiculo ſuos contra nos fruſtra armet. Ait ſiquidem, Si Chriſtus Deus ſit, ei minime competere vt petat à Deo quod iam in manu ſua & ipſe Deus habet, neque potuiſſe potentiã eius creſcere. Vt hominem verò, nunquam terræ fines ſub imperio ſuo habuiſſe, neque quũ hîc egerit, quãdo nihil minus quàm principem egit, neque poſtea: ſemper enim fuiſſe & eſſe qui nomen eius minime receperunt, hodiéque recipiant. Nos verò vt homini confitemur non ſolùm quicquid eſt hominum, ſed etiam Angelorum ac ſpirituum Patrem ſubieciſſe: ídque tum apparíturum quum plane reuelatus fuerit, adueneritque in maieſtate Patris iudicaturus viuos & mortuos. Dixit enim illi Pater, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Hæc nos ergo qui Chriſti eſſe volumus, propius & preſſius conſideremus. Si enim his fidem habuerimus ſolidam, præter ipſum nihil vel in cælo vel in terra metuemus: nihil mirabimur, nihil iuſſis eius præferemus: nihil denique promiſſis eius nos magis eriget & accendet, nihil gratiæ eius non cum voluptate poſthabebimus. Ad hæc qui ita in verba eius iurauimus, vt omnia noſtra huc inſtituamus quo regno eius adducamus quamplurimos (ipſe enim ait, Qui non colligit mecum, diſpergit) dabimus certè operam vt omnibus omnia nos exhibeamus, quo vel aliquot lucremur. Noſtrum ſiquidem fuerit omnia huc impendere quo tam latè regnet, quàm conſtituit Pater. Hoc ſi perpenderent hodie multi, daretúrque eis agnoſcere quæ ſint hac in re ipſorum partes, multo modeſtius, & longe alia ratione in gubernandis, atque docendis Eccleſiis ſeſe haberent. Qui verò velit ſcire quid huius cum ſibi, tum aliis deſit, conferat ſe & illos exemplo Paulino, & videbit quid requiratur ab eo qui ſub Chriſto ſeruatore meret: quæ cura, quod ſtudium, qui feruor augendi regnum eius ineſſe nobis debeat. Fuſius & explicatius de his diſſerere non eſt opus illis quibus hæc ſcribuntur: nempe ſynceriter Deum quærentibus: alios citius offendat quàm in viam reducat, quicquid de hoc myſterio in medium afferas. Totus orbis Chriſti eſt: eum vt agnoſcant ſinguli & adorent, quiſque pro ſe magis quàm vitam ſuam curare debet: regnum Dei ſiquidem quærendum ante omnia. hinc quis non per ſe videat quãtum hîc in ſe & in aliis deſideretur? Oremus igitur obnixius, ſi plura non licet, Adueniat regnum tuum: extra quod nulla ſalus, nihilque boni eſt.

9 *Confringes eos virga ferrea, ſicut vas figuli comminues eos.* Hæc de iis prædixit qui ex tumultuantibus Gentibus, & inania iactantibus populis, Regibus conſpirantibus, & coniurantibus principibus aduerſus Deum & chriſtum eius à Dauide poſtea trucidati, deletique fuere. Reliqui enim ceſ-

Sceptrum ferreũ

ſerunt ei in hæreditatẽ & poſſeſſionem peculii. Per ſceptrum ferreum, aut virgam præduram, durum Dauidis imperium, vímque illam Diuinam qua cunctos ſuos hoſtes fregit, contriuítq; ſignificat. cuius inſigne auſpicium erat ſæuum illud bellũ quo primùm Pbiliſtæos, deinde Syros, Ammonitas, & Moabitas domuit. Tertiò enim cæſos Philiſtæos imperata facere coegit: Moabitas dimidiatos deleuit: Ammonitas funditus excidit: Idumæos & Syros ſæpius percuſſos, penitus attriuit. Hæc in citatis ſuprà Sacræ hiſtoriæ locis leguntur. Quàm ferrea autẽ fuerit virga, qua Chriſti hoſtes apud Iudæos cæſi ac deleti ſunt, Ioſepbus copioſe in libris belli Iudaici memorauit Certe ſæuum & atrox adeò fuit iſtorũ excidium, vt Seruator ipſe teſtatus ſit, poſt memoriam bominum magis diram calamitatem & internecionẽ nullis vnquam ſuperueniſſe, aut poſtea ſuperuẽturam. Iam quibus, quámque horrendis fatis & ex Gentibus extincti ſint plurimi qui præ aliis Cbriſti ſe regno oppoſuerũt, paſſim hiſtoriæ narrant. Quanquam in hac vita quicunque ſe imminutæ maieſtatis Filii Dei obſtringunt, malis ſuis haudquaquã perfunguntur. Hic enim in eum qui lapis eſt, in fundamẽtum ſacri ædificii à Patre poſitus, nullius creaturæ viribus ſubmouẽdus, furore ſuo impingentes velut diffringuntur, cunctis eorum cõpagibus deluxatis. Nam iſtis & ratio ac virtus animi, mirum in modum perturbatur & impeditur: tum rerum omnium quas prudentiſſime prouiſas exiſtimant ſucceſſus, de repente, ac inopinatò plerunque intercipitur. Cuius præclarum exemplũ in ipſis Chriſti hoſtibus Iudæis ex Euangelicis hiſtoriis videre liceat. Neque enim conſilio, neque viribus, iam ſimulatque ſeriò Cbriſtum oppugnare in animum induxerant, quicquam valebant. At vbi illa hora appetierit, qua Pater modum illis viuendi, ſimul & furendi contra Chriſtum ſuum ponere ſtatuit, cadet hic ipſe lapis quem reiecerunt: conſtitutus autem nihilominus eſt in caput anguli à Patre ſuper illos, & commolier, comminuẽtque totos ſemel exutos omnibus tam huius quàm futuri ſeculi bonis, & gehennæ in æternum addictos. Quod Cbriſtus & ſub regis parabola qui perfidos colonos occidit, ciuitate eorum igni tradita, & eius qui iubebat occidi eos qui nolebant ipſum ſuper ſe regnare, minatus eſt. Has parabolas vtinã & ad ſe pertinere qui bodie Chriſti ſe regno hoſtes faciunt, hoc eſt quicunque veritatem, innocentiam & iuſtitiam oppugnant, deputarent. Id autem dum hi nequeunt, orẽt Patrem, in quibus Chriſti regnum vim patitur, vt ipſis credere hæc detur: ſic iucundum erit quidvis pro nomine eius perpeti, & boſtes miſericordia potius quàm odio dignos babere: vt quos breui Chriſtus quem ipſi infœlices oppugnant, ferrea virga confracturus ſit, atque ceu vas teſtaceum, vas figuli in minutiſſimas partes contriturus atque diſperſurus. Perelegãs imago: vtinam verò ſint oculi iis quorum maxime intereſt, vt eam preſſius intueantur.

Ierem.19.c.10.

Irmeiah quo craſſos Ieruſalemitas, & ad minas Dei plus nimio ſtupentes, metu imminẽtis vltionis vel aliquatenus commoueret, iuſſus à Domino, teſtaceam lagunculam coram ſenioribus tam populi quàm Sacerdotum confregit, adiiciens ex ore Domini, Sic populum iſtum & vrbem iſtam confringam, ſicut hoc vas figuli confringitur, quod reparari nequit. In bac ergo imagine boc ipſum animaduertẽdum, hoſtes Chriſti ſic confringendos & comminuendos, vt in æternum nunquam reſtitui poſſint, quia inſtar vaſis figuli confringẽtur. Ieſcha. 30. c. 14, eadem imago contra Ieruſalem, AEgypti pluſquam Dei præſidio confidentem, & ſecurè ideo in peruerſitate atque oppreſſione pauperum perſeuerantem, adhuc fuſius explicatur, ſic minitante Sancto Iiſraelis, Propterea adferet vobis iſta iniquitas malum ſimile ruinæ decidenti, ſciſſo pariete præualido, cuius confractio incidat ſubitò & derepente. Confractio bæc veſtri erit velut confractio lagenæ teſtaceæ cui nihil parcitur, & adeò conteritur vt non maneat reliquum teſtulæ fragmen ad excipiendum de foco ignem, aut hauriendum de puteo aquam. Diſcendum igitur ex hac imagine eos qui Cbriſti regno bellum indicunt ita in nihilum redigendos vt nullius prorſus vſus eſſe queant. Breuiter & circunſcriptè ſanctus Spiritus loquitur: at ſi paſci ex his animi noſtri debeant, neceſſum eſt omnia pia cõſideratione & excuſſione velut cõmanducemus, ac memoriæ ſtomacho, inde actionibus ſanctioris vitæ ſuccum ac vires ſuffecturo, commodum digerenda præparemus. Niſi enim vitæ innocentia atque ſincerior religio, incrementum ex Sacra lectione accipiat, non fruſtra modò, ſed & cum contumelia Diuini Spiritus, libros eius in manus ſumpſimus.

10 *Et nunc reges eſtote prudentes, erudimini iudices terræ.*

11 *Seruite Iehouæ in timore, & gaudete in tremore.*

12 *Oſculamini filium, ne ſuccenſeat, & pereatis de uia: quum ardere breui cœperit ira eius, beati quicunque illius ſe tutelæ commiſerint.* Hæc Prophetæ admonitio eſt ad reges & principes qui ſubiicere ſe vncto Domini renuunt, boc ſenſu ſuperioribus ſubiuncta, Admiratus ſum, & ſtupui cur aduerſus Deum & Cbriſtum eius adeò Gentes cum regibus & principibus ſuis tumultuarentur, omniáque tentarent quo iugum eius à ſe reiicerent: cum huius imperium agnouiſſe, ſolida ſit fœlicitas: & illo ſe ſubducere, non ſolùm humanis viribus impoſſibile, ſed etiam conãtibus ſempiternam ca

lamitatem afferat. Dei enim voluntas qui ipſum regnare in Sion,& imperio ſuo vniuerſas nationes ſubiicere,boſtéſque eius penitus deſtruere inſtituit, mutari non poteſt. Hæc ergo quum ita habeant, quicũque rerum potimini reges & principes,qui veſtræ poteſtati à regno Dei fruſtra timetis,quum non alia ratione ea ſtabiliri queat quàm ſi vncto Dei nomẽ detis,ſapite recte, & rationem ritè ſubducite,vt agnoſcatis,quæ ſtatuit Deus,ea & optima eſſe,& irrita fieri nequire. Hactenus ſi ſapere vobis datum non ſit,ſaltem modò ſuſtinete vos moneri,& doceri id quod vobis ſaluti erit. Veſtræ vos cupiditates, veſtra ambitio huc adigit vt imperium Chriſti à vobis reiiciatis.bis pernicioſis conſiliariis nolite acquieſcere:quin potius in ſeruos vos illi addicite. Non Dauidi,nõ Filio bominis Ieſu,quem male cõciliati nihil niſi fabrum & fabri filium eſſe putatis,ſed Iehouæ ipſi ſeruietis:cui ſeruire,regnare eſt: hoc eſt optatiſſima, & beata libertate frui. Iehouæ igitur,non bomini ſeruite: & ſeruite cum timore,id eſt cum reuerentia,ſtudióque ſummo. Huic ſuprema maieſtas eſt: ea itaque illi obſeruatione & diligentia inſeruiendum eſt, vt planè tremor quidam membra inuadat,non ille ex formidine auerſante & expaueſcẽte tanti regis ſæuitiam, ſed ex anxia cura gratificandi tam optato ſaluatori natus. Nam planè gaudendum & gratulandum eſt hunc vobis regem contigiſſe,qui æternùm ſaluat quicunque in fide eius eſſe voluerint. Hunc itaque Regem à Deo conſtitutum,primogenitum vniuerſæ creaturæ oſculamini ex animo,eius vos regno committentes,& cupidè in verba eius iurantes,ne ſuccenſeat vobis: cui nimirum datum vt vas figuli boſtes ſuos comminuere: & ita pereatis de via hac, vita & omnibus optatis rebus excidẽtes: quum nimirum breui,&omnium opinione citius accenſa ira eius,vltionẽ de rebellibus ſumpſerit. *Beati ergo quicunque ipſum regem agnouerint,cuíſque ſeſe fides commiſerint.* Quod dicit in verſu 10, *Et nunc,&c.* ad tempus reſpexit, quo bellum contra Chriſtum nõdum incruduit, quo nondũ ipſius ira planè exarſit. Iudices terræ in Iiſraele olim erant,qui prima ac ferè conſulari,non tamen regia poteſtate populum gubernabant. hotum aliquot hiſtorias habet liber Iudicum. Cæterùm vocabantur etiam iudices,quibuſcunque diſceptandi cauſas officium erat. Hic tamen quoniam regibus coniunguntur, intelligendi ſunt qui vel regia,vel regi proxima poteſtate pollent, quales principes erant Pbiliſtinorum. Reges& iudices terræ,boc eſt magiſtratus & principes nominatim vt ſe Chriſto ſubdant,hortatur. Nã iſti ferè ſemper ſuæ tyrannidi à regno Dei malè,ſed fruſtra,metuunt. Vnde huius adſertores Prophetæ,Seruator ipſe,Apoſtoli,ac quicũque alii,ſeditionis ſemper traducti ſunt:cuius & ipſi quãtum ad mundi principem Satanam,cui merent quicunque Deo non merent, ſeſe obligãt. Toti enim in eo ſunt vt ab boc pernicioſo tyranno homines ad Deum deficiant. Quum autem omnis poteſtas à Deo conſtituatur, ſitque ea poſita in manu Seruatoris, verè ſapiunt qui huius ſe præfectos agnoſcunt,& regnũ eius proferre,non accidere ſtudent: inſani & dementes qui contra illud feruntur, ſuáque conſilia inſtituunt. At quotuſquiſque hodie eſt principum qui hanc ſapiẽtiam vel ipſe ſibi perſuadeat, vel perſuaderi ferat à monitoribus? Profectò ſi eſſent, haudquaquã crudeliſſimis bellis omnia ita vaſtarentur,malis neutiquam tanta licerent,bonæ & Sãctæ literæ minime ita negligerẽtur: innocentiæ denique & pietatis lõge alia ratio baberetur: aulæ mera templa, & omnis virtutis ſcholæ, atque aſyla quædam eſſent iuſtitiæ, quæ nunc ſunt quod quique boni ingemiſcũt. Quare ſi vnquam operæpretium fuit orare Deum pro regibus & principibus,hac tempeſtate intentiſſimè id faciendum eſt,quo per eos ſi non poſſumus iuuari,liceat ſaltem viuere vitam cum honeſtate & pietate trãquillam. Indubiè enim grauis Dei in nos iræ argumentum eſt, tam paucos babere principes qui Cbriſtum regem ex animo & ſeriò colendum ducant. Porrò boc verſu 11,hortatur ad ſeruiendum Deo:& 12,ad oſculandum,id eſt recipiendum,ſalutandum,bonorandúmque vt regem Filium: id oſtẽdit idem eſſe Chriſti & Dei,ac omnium qui ex Deo imperãt regnum. Et bæc illa prudentia, illáque eruditio eſt quam vult Vates principes recipere, vt agnoſcant id Dei regnũ eſſe quod Chriſtus adminiſtrat. Emphaſim enim *Iehouæ* iſtud babet, quaſi dicat, Non iubeo homini mortali, ſed Deo omnipotenti vos ſubdere. Sceptrum Dei,non carnis eſt, quod datum Cbriſto eſt. Non igitur ſeruiendum vobis tepidè,ſed cum timore,hoc eſt ſumma reuerẽtia,ſtudióque ardentiſſimo. Quod verò ait, Gaudete cum tremore: ei opponitur quòd caro de regno Chriſti dolet, & ab eo ſibi male metuit. Ex eo autẽ quòd tremor cum gaudio coniunctus eſt, quidam de tanto gaudio id intelligunt quod faciat corpus tremere. Sed quia tremor & aliàs ſolet cum timore cõiungi,quod & Paulus facere conſueuit: & hîc timor præmiſſus eſt, quo vtique intenta diligentia ſignificatur: videtur Vates idem quod per timorem, & tremoris nomine, ſed nonnihil auctius ſignificare voluiſſe. Nec pugnat hîc tremor gaudio,imò ex eo naſcitur. Quo enim plenius cognoſcitur quanta ſit ſalus Chriſtum regem habere,eo vtique maiore gaudio, timore,ac tremore datur opera vt tanto Regi rite ſeruiatur,& grata illi noſtra habeantur. Id in probo filio erga parentem,& bene morata vxore ẽrga maritum videre liceat. ad aduẽtum ille parentis, hæc mariti toto animo com-

mouetur,& gaudio ſimul & timore,ſed qui ex nimio gratificandi ſtudio naſcitur,penitus cõcutitur. Sic affectos decet nos eſſe erga regem Chriſtũ,eóque ardentius quo pluris ille nobis & charior eſſe debet,quàm mortales ſint mortalibus. In illo 12 verſu,*Oſculamini filium*,ſynecdoche tropus eſt, qua ex ſigno id quod ſigno,repræſentatur,intelligitur. Oſculo ſiquidẽ manus regiæ & hodie in pleriſque regnis teſtãtur ſubditi,ſe velle in fide ac poteſtate regis eſſe. Filium dicit,eo quòd ſuprà Patrem induxit dicentẽ,Filius meus es tu. Sũt ſanè dii,& filii Altiſſimi,propter potentiæ maieſtatẽ principes vniuerſi,vt canit Pſalmus 83.b.6: at Seruator noſter omnium caput & primogenitus eſt,à quo reliqui habent vt filii Dei ſint & vocentur. vnde cõmodùm per antonomaſiam Filiũ hîc Vates nominauit. At verò quũ בר hîc habeatur,quod alicuhi etiam purum ſignificat,D.Hieronymus vertit, Adorate purè: adorate poſito pro oſculamini: hoc ipſũ enim adorationis quædã ſpecies eſt. Græcus interpres habet,*Apprehendite diſciplinam*,fortè per Apprehẽdere diſciplinam intelligens,ſubiicere ſe regi Chriſto,& eius diſciplinã atque caſtigationem recipere. Chaldæa ſanè paraphraſis idẽ reddidit per *ſuſcipite doctrinam*: id quod omnino faciũt quicunque Chriſto regi ſeſe verè addicũt,iuxta illud, Tollite iugũ meum ſuper vos,& diſcite à me, id eſt mei eſtote diſcipuli,quum ſim mãſuetus,vt nullius ruditate offendar:cordéq; humilis, vt nullius indignitatẽ auerſer. Cæterùm בר pro filio, quanquã Chaldæũ magis ſit quàm Hebræũ, & Prouerb.31.a.2,Schlomoh vſus eſt. Hebræorum quidam hunc quoque ſenſum afferunt,accipientes בר pro puro. *Purus hic corde eſt, & Rex conſtitutus diuinitus*. Oſculari igitur eum, & veſtrũ regem agnoſcere debetis,nõ oppugnare. D.Kimhi probat & aliam lectionem, vt בר valeat idem quod electus. Nam 1.Schmuelis 17.b.8,legitur,ברו לכם איש, Legite vobis virum. Sunt verba Goliath gigantis ad Iiſraelẽ,poſcentis vt deligerent qui ſingulari ſecum certamine cõgrederetur. Sic ſenſus foret,*Oſculamini quem elegit in regem Deus: ne ſuccenſeat, & pereatis de via*. Summã in vos poteſtatẽ vt in omnia,habet: & ob nihil niſi quod ſaluti veſtræ obſit,iraſcitur: maximopere igitur eius ira pertimeſcẽda eſt. præſertim quũ eo iraſcente neceſſe ſit viam veſtrã,id eſt vitam perire. Græca editio de ſuo adiecit,*iuſta*. Per *viam*,vita intelligitur: *viam* igitur poſui. Etenim D.Kimhi eundem putat ſenſum hoc dictũ habere quem illud in fine Pſalmi ſuperioris, *Et via improborum*,id eſt vita *interibit*. vnde hypallagen hic admiſſam arbitratur, adducens aliquot exempla . Arborem enim dicit Scriptura areſcere,quum folia areſcant:& lacerum veſtibus,quum veſtes, non homo, laceratæ ſint. Id tamen ſatis liquet Prophetam ſignificare voluiſſe,ſuccenſente Chriſto,vita & omnibus bonis excidere quotquot ipſum regẽ adorare noluerint. Vtque magis terreat,addit, *Quum breui ira eius exarſerit*: ſignificãs citius opinione adfore vt pœnam de contemptoribus ſuis ſumat. Sunt qui כמעט interpretentur, *ſi uel parum ira eius accendatur*. ſed illud Scripturæ magis familiare eſt, vt breui accẽdendam iram Domini moneat. Iram verò per catachreſim Vates Chriſto tribuit: affectuum enim iam immortalis liber eſt. *Beati quicunque illo confidunt*. Epiphonema eſt, adiectum non ſine affectu qui in eo notatur, quòd illud per quandam apoſtrophen velut exclamat: ac ſi dicat, Quid opus verbis? quid multis moneo vt huic regi vos addicatis, quando is eſt vt planè beati ſint quicunque ipſum regem adorant? ſatis ſit hoc vno verbo accinuiſſe, *Beati quotquot illo fidunt*. hinc nemo nõ intelligit,miſeros & perditos eſſe quicunque ipſum contempſerint,nedum oppugnauerint. D.Kimhi ad Deum,non ad Regem hoc dictum epiphonematicum refert,ſicut & illud ſuprà, *Ne iraſcatur*. Sedulò enim dant operam vt quæ auguſtiora Chriſto in Scripturis tribuuntur, ad Deum referant, Chriſto detracta: non intelligentes miſeri quòd quum idem vnúſque Deus ſit Chriſtus & Pater, qui tituli Chriſto deferuntur, Deo propterea minime adimuntur. Hîc quis non videat de Filio Vatem hoc *Beati, &c.* ceciniſſe: Nam Dauid quum nihil niſi homo fuerit,non beatus,ſed maledictus foret quicunque eo confideret. Hic ergo Rex & Filius de quo iſte Pſalmus canit ſub typo Dauidis,vnigenitus Dei eſt, Deus verus, & homo verus Ieſus Chriſtus: cui qui ſe credunt,in quo qui fidunt,vitam habent æternam. Idipſum Vates Deo plenus,eóque ardens iam in gloriã Chriſti eius extollendam,dicere hoc ſuo epiphonemate voluit, eóque vniuerſos Dei ſtudioſos in fidem Chriſti pellicere. Ipſe enim vnus ille eſt per quem gratiam pro gratia,& bonum Spiritum atque facultatem dediſcendi innatos carnis affectus,& è cælis præſcriptam diſcendi vitam, eóque ſolidam & iuſtitiam,& fœlicitatem percipimus. Id quod probè experiuntur,quibuſcunque fidere in hoc Rege & Seruatore noſtro datum eſt. Oremus itaque Patrem vt ad Filium ſuum nos trahat, cognoſceréque ſolidè donet, in quo ſumma ſalutis & fœlicitatis ſita eſt.

DISPVTATIO DE FIDE.

Quoniam epiphonema quo Pſalmus hic clauſus eſt,fidei in Chriſtum eximium habet elogium(nam ea conſtare fœlicitatem affirmat)de nomine,natura & virtute fidei,paucula hîc adnectere viſum eſt: in quibus & illud decidam, An ſola fides iuſtificet: de quo vtinam eo fidei ſtudio diſputarent multi,quo ſolent contentionis ardore. Fides etſi Latinis ſonet dictorum,cõuen-

torúmque conſtantiam & veritatem, vt eam Cicero lib.de Off.1,definiuit:publicus tamen Sa-
cra tractātium vſus obtinuit, vt fidei nomine intelligāt certum oraculorum Dei aſſenſum,at-
que perſuaſionem,quam Græci πίστιν,à πέπεισμαι, id eſt perſuaſus ſum, vocant. Hanc Hebræi אמונה
appellant:ſed eodem nomine vocant & eam fidem quæ(vt Cicero definiuit)dictorum & cōuen
torum veritas eſt,& conſtantia.Proinde quam Theologi fidem nominant,Laurentius Valla,il
le non Latinæ modo linguæ,ſed & omnis recti iudicii admirandus inſtaurator, tum & incom-
parabile Galliarum decus G.Budæus, perſuaſionem Latine vocari cenſent: qua de re lege An-
notationem Budæi in lib.1.de Ser.corrup.verſu,Quod ait prætor.Hæc de fidei appellatione.

Naturā fidei definitione quæ Hebr.11.a.1,legitur, explicari, nemo ferè Theologorum ambi-
git. ea ſic habet,Fides fundamenrum eſt rerum quæ ſperantur, & index eorum quæ non viden-
tur.Spes etenim noſtræ innouationis, atque totius ſalutis eo nititur quòd perſuaſi ſumus,Deū
nos in hoc delegiſſe vt ſanctificet & glorificet: neque alia indicatura tantam hanc Dei erga nos
dignationem, aliáque ſiue præſentia, ſiue futura eius beneficia conſpicimus. Recte igitur re-
rum ſperādarum fundamentum, & non apparentium indicem,fidem Apoſtolus dixit. Infun-
di Diuinitus hanc virtutem, neque humanis poſſe viribus comparari, nemo orthodoxus non
confitetur. ψυχικὸς ſiquidem homo non poteſt quæ Dei ſunt capere. Et captum itaque, & aſſen- 1.Cor.2.d.14.
ſum horum,ipſe Deus inſpiret neceſſe eſt. Proinde fidem in Deum recte definiemus,ſi dicamus
indubitatam eſſe perſuaſionem, Deum eſſe vt omnium rerum authorem, bonorúmque fōtem Fides quid.
ita & noſtrum cōditorem, ſeruatorem,atque æternum beatorem:ſic fidem Chriſti certam per-
ſuaſionem, eum noſtrum eſſe redemptorem ac inſtauratorem. Ad hūc certe modum ſcribitur
Exod.19.b.10,& Moſcheh ſuo populum Iiſrael credidiſſe. nā nihil aliud eo intelligitur, quàm
quòd viſis tot portentis Dei, fidem illi habuerint, perſuaſi iam ipſum à Deo miſſum vt dux li-
berandis ipſis eſſet. Eundem ſenſum habet quod eodem capite legitur, Dominum Moſcheh di-
xiſſe,En veniam ego ad te in denſa nube,vt audiat populus verba mea quæ tecum faciam,& cre
dant etiam in te perpetuò: id eſt nunquam de tua legatione dubitent, ſed ſemper vt meum ad
ſe interpretem audiant. Ex eo ergo quòd fidem Scriptura pro certa & indubitata perſuaſione
accipit, hæc tāta ei tribuit, Iuſtum ea viuere,quod Apoſtolus ex Abacuc 2.a.4, ad Romanos & Rom.1.d.17.
Galatas adduxit,nos ea iuſtificari,ſaluari,æternámque vitam poſſidere, quod identidem & Ser Galat.3.b.11.
uator ipſe affirmat.Etenim qui verè perſuaſus eſt,Deum eſſe Deum, hoc eſt ſolum iuſtum, ſa- Vnde tanta fide tribuantur.
pientem,potentem & bonum,bonorúmque omnium fontem & autorem eſſe:qui metuentes ſe
malis omnibus liberare, & bonis ſolidis atque æternis ditare: tum nihil à nobis niſi quæ ſaluti
nobis æternæ ſunt requirere: contemptores denique ſuos ſempiternis cruciatibus addicere ve-
lit:hic profectò haudquaquam poterit eum non metuere, venerari,colere,ac etiam amare,atque
ad voluntatem eius pro viribus vitam ſuam conformare. Natura ſiquidem ita conditi ſumus,
vt penes quem ſupremam credimus eſſe poteſtatem,eum ante omnes metuamus:quē omnium
ſapientiſſimum,in primis audiamus:quem omnium veraciſſimum,eius promiſſis potiſſimum
credamus:quem deniq; optimum,atque benigniſſimum,ſummopere ſuſpiciamus & colamus.
Hinc iam facile intelligere eſt vt iuſtus fide viuat: vt iuſti fide & ſalui reddamur. Iuſtus enim cū
agnouerit Deo omnia poſtputanda, nulla res in orbe eſt quæ planè iuuare,exhilarare,recreare,
oblectare eum queat,præter hoc vnum quòd indubitatò perſuaſum habet ſe in cura & fide Dei
eſſe:hunc ſibi Patrē in omnibus proſpicere,tandémque plenè iuſtū & beatum redditurum:hæc
illi vita eſt,hæc animi ſecuritas,iucunditas,voluptas,fœlicitas. Hinc nihil in gratiam Dei nō a-
nimoſe perfert, & aggreditur:nihil non æquo & lubenti animo & facit & vitat, ſpe optima ple-
nus, eóque in omnibus alacer, lætus,& cœleſti quadam vita florens. Sic iuſtus fide ſua viuit. Ex Fide iuſtificari
his æquè iam liquet fide nos iuſtificari atque ſaluari:etenim nos iuſtificari,nihil aliud eſt quàm quid.
nos iuſtos, eóque & ſaluos reddi. tum enim ſalui ſumus quum recte valemus, & ita vt conditi
ſumus,habemus, Diuina imagine,hoc eſt omnimoda bonitate ornati. Hæc iam nō aliunde no-
bis contingunt, quàm quū datur de Deo id quod eſt ſentire, certóque de eius erga nos bonitate
eſſe perſuaſis. Id enim vbi per Spiritum Dei contigit,Deum ex toto corde,vt quo nihil melius
nobis credimus, amamus:hic tū amor totos Diuinæ voluntati cōformat, reprimit cupiditates
rerum ſeculi,accendit deſideria cæleſtium,ſtudium excitat & producit virtutū omnium. Nam
efficit vt ſicut Deo nihil habemus charius,ita quoque nihil prius ſit quàm ei per omnia proba-
ri. Hinc eſt quòd Seruator primum totius Legis caput à quo omnia reliqua pēdent,fecerit præ
ceptum de dilectione Dei ex toto corde, &c. Vt itaque ſola fide Deum rite cognoſcimus, & ad Math.22.d.37.
amandū eum rapimur: ita ſola vtique fide verā iuſtitiā & virtutes vniuerſas adipiſcimur, quia & 38.
ipſius dilectionē omnium parentem cōſequimur. Proinde quum dicimus fide nos iuſtificari &
ſaluari,hoc eſt iuſtos & ſaluos euadere, non eſt vt quis putet bona opera hac loqutione exclu-
di. Si enim nos fides iuſtificat, reddit vtique iuſtos, affert iuſtitiam, hoc eſt ſimul omnem virtu-

tem. Certè nondum cognitum Deum nec amare quiſquam,nec colere poteſt: cognoſcitur au-
tem ex oraculis quæ nonniſi fide percipiuntur. Nihil potuit igitur dici verius,ac etiam ſignifi-
cantius,quàm nos fide iuſtificari,hoc eſt ſolidæ iuſtitiæ,quæ in ſe totam hominis perfectionem
cõtinet,cõpotes reddi. Et quum Sola adiicitur(quod Hilarius,Ambroſius, & Cyrillus adiiciũt)
non excludũtur bona opera,quaſi ad iuſtitiam noſtram & ſalutem non pertineant: quum hæc
nihil aliud ſit quàm quibuſvis bonis operibus diuitem eſſe : ſed quia nulla alia virtus, nullum
bonus opus iuſtitiam in nobis pariat,imò contingere nobis ſine fide poſſit. Id quod Paulus vo
Rom.3.d.28. luit quando Romanis ſcripſit,λογιζόμεθα,id eſt Cenſemus,colligimus igitur hominem iuſtificari
abſque operibus Legis. Paulus vocat hoc loco opera Legis,ceremonas. Nam ideo & Gentium
& Hebræorum qui ante Legem fuerunt iuſtitiam, quæ fide illis abſque ceremoniis Moſaicis
contigerit & contingat,memorat. Sed quid aliud poſſunt præſtare quàm ceremonias quicunq;
fide carent? Impoſſibile ſiquidẽ eſt placere Deo abſque fide. nihil igitur omnino quod Lex tra-
dit,rite faciet,fide quicunque fuerit deſtitutus. Deum ſanè is quum penitus ignoret,nullus dili-
get,eóque nec proximum. Soluta igitur hac Legis ſumma, nihil omnino præſtabit quod Lex
docet præter ſolas ceremonias, & bonorum operum externas quaſdam inanéſque formas. In
quibus quia nihil veri,nihil ſolidi, nihil eſt quod Lex quæ ſpiritualis eſt requirit, ne in his ipſis
quidem ceremoniis Legi ſatiſfacit. hinc D.Bernardus viti fidem, palmitibus reliquas virtutes
opera verò botris,non inſcitè comparauit. Et Chryſoſtomus in Matthæum, lampadi fidem aſ
ſimilat,quòd vt lampas domum, ita fides animam illuſtret. Itẽ Auguſtinus de fide & operibus,
cap.7,Niſi præcedat fides,vita bona ſequi non poterit. De hac itaque viua,ſolida, & vt recentio
res Theologi loquuntur,formata,hoc eſt dilectione per quam operetur inſtructa fide,intelligẽ-
da ſunt præclara illa quæ innumera tam apud recẽtiores quàm veteres leguntur elogia,quibus
fidei nihil ferè nõ tribuitur:vti & nihil prorſus boni eſt,cuius illa parẽs non exiſtat. Eſt in pra-
uis hominibus de rebus Diuinis opinatio quædam verius quàm perſuaſio,quam diuus Iacobus
fidem mortuam vocat. Huic nemo ſanæ mẽtis quicquã boni tribuerit: mortua enim eſt,eóque
ſimulachrum potius fidei quàm fides. Id enim experimur vnumquẽque ita agere vt perſuaſus
eſt. quare qui verè ſit de Deo id quod eſt perſuaſus,vt labatur interdum, lucem fidei retro cupi-
ditatum fumo auertente,nunquam tamen in malo perſeuerabit. Hæc ipſa enim ſemẽ illud eſt,
quod quum apud Sanctos manet(vt Iohan.cap.3.b.9,Epiſtolæ prioris teſtatur)peccare neque-
unt,id eſt peccatis vſque eſſe dediti. Hinc Cotta apud Ciceronem lib.de Natura deorum primo,
optabat perſuaderi ſibi non opinione ſolùm,ſed etiam ad veritatem eſſe deos.ex eo enim quòd
multi viuũt adeò perditè & ſceleratè, clarum exiſtimauit eſſe haudquaquam omnibus perſua-
ſum deos eſſe. Iam de vera fide quũ Scriptura loquitur, & hanc ſequuti Patres eam cordis per-
ſuaſionem certam & indubitatam quam aliàs Paulus πληροφορίαν, id eſt experientem quandam
Spiritus certitudinẽ vocat:intelligunt quæ totũ hominẽ immutat,& in Deum rapit. Hinc Au-
guſtinus libro iam citato,Inſeparabilis eſt quippe bona vita à fide quæ per dilectionẽ operatur:
imò verò ea ipſa eſt bona vita. Ex his puto ſatis manifeſtũ eſſe quid ſibi Dominus voluerit quũ
diceret,Qui credit in me,habet vitã æternã:& Paul9,iuſtificari nos & ſaluari fide:atq; hinc ſãcti
Patres,fide, & nõ aliter,vt Cyrillus:ſola fide,vt Hilarius,& Ambroſius,nos iuſtos euadere,& alii
aliis,ſed idẽ valentibus verbis ſcripſerũt. Indubiè enim cui datum fuerit,viua in Deum fide vi
uere,is Dei amore ſtudióque ardebit,veráque iuſtitia in omnes pollebit: quæ ipſa vita filiorum
Dei eſt,& æterna,tametſi hic nondum perfecta. Quum autem ex his parũ probe intellectis qui-
dam inani opinatione potius quàm fide ſibi placerent,nullis bonis operibus incumbentes,qui-
bus tam non poteſt deſtitui fides vera quàm ignis calore, quàm ſana ac vigẽs arbor ſuo tempo
re fronde & fructibus: D.Iacobus & Patrũ non pauci,præcipue verò inter hos Chryſoſtomus,
ſola fide nos iuſtificari, pie & recte negarũt : ſed de fide id intellexerunt quæ bonorum operum
ſterilis ſit,eóque mortua,atque ideo iam nec fides. Quòd autem fidem vocarunt quæ nulla pro-
ferat bona opera,figura vſi ſunt quæ imitatio dicitur. Ad imitationẽ enim illorum qui de mor-
tua fide,eóque non fide tanquam de vera viuáque gloriabãtur, & ipſi fidem quam illi iactabãt,
hoc nomine dignati ſunt,pie adiicientes eam non iuſtificare, neque vllam fidem quæcũque vo
cetur,ſi nõ ſimul adſint bona opera. Nam vera iuſtificatio quid aliud eſt quàm bonis operibus
ornari? Hæc autem non debent rapi eò,vt propterea dicamus improprie dixiſſe Dominũ, Qui
credit in me,habet vitam æternam:&,Fides tua te ſaluum fecit,& ſimilia:item illa Apoſtoli,Fi-
de iuſtificamur & ſaluamur . Nam vbi verè creditur, ibi certa adeſt perſuaſio,quam fidem vo-
camus:omnia bona adſunt vt ſatis oſtendi. Contrà autem quia danda nobis opera eſt nequem
vel verbulo offendamus , nemo grauari debet quum videt offendi homines quòd Sancti ſcri-
bunt nos ſola fide ſaluari: adiicere,viua,formata,per dilectionem efficaci,aut quid huiuſmodi.
Nam qui offenduntur hoc dicto,putãt eos qui illud vſurpant, iuſtitiam in inanibus animi co-

gitationibus collocare, bonorum operum ſtudio tanquam fruſtraneo repudiato. Vt igitur ne veris quidē quiſquā offendendus eſt, ita ſatis habebo, vocibus vti Scripturæ, & dicere Iuſtū fide viuere, Fide nos iuſtificari & ſaluari: omiſſo quod tātopere offendit SOLA. Tū & hæc ipſa interpretari, ac dicere, Fide gignitur in nobis Dei amor: hic parit ſtudium virtutum omnium, totóſque perficit & beat: nihil pigebit. At nolim & ſimul ſanctiſſimos Patres, qui ex Scripturis ſuum SOLA mutuati ſunt, ideo dānari. Verbis certe, dum de ſenſu cōſtat, offendi, Chriſtianorū nō eſt.

PSALMVS III, in genere communi vel miſto, & *diuac.*

Demiratur Dauid, & apud Dominum queritur, hoſtium cōtra ſe uenientium & numerum & confidentiam. Vt uero ipſius opem implorat, ſentit ſtatim ſpei ſuæ robur mirificum ſuffici. Quo fretus, ſe præſidio Domini ſumma ſecuritate committit, certus illum hoſtes extemplo percuſſurum, eo quòd & nemo alius ſaluare, & ſalutis nulli, niſi qui ipſo fidunt, queant fieri participes. ARGVM.

1 O De Dauidis, quum fugeret Abeſhalomum filium ſuum. PARAPH.
2 Iehoua, ecquid tā multi qui me infeſtant? multi qui contra me inſurgūt:
3 Multi qui apud ſe de anima mea ſic cenſent, Non eſt iſti à Deo ſalus ſperanda. Selah. *nimeſu.*
4 At tu Iehoua, præſidium es & decus meum, dignitatíſque meæ vindex.
5 Iehouam prece mea inuocaui, & annuit mihi de monte ſancto ſuo. Selah.
6 Securus quieti me componam, dormiam: ipſéque quum cōmodum erit expergiſcar: nam Iehoua me ſuſtentat.
7 Non vel myriades populi qui vndique me cingentes obſideant, expaueſcam.
8 Exurge Iehoua, ſerua me Deus mi: nam hactenus quibuſlibet meis hoſtibus impegiſti alapam, dentes improborum fregiſti.
9 Iehouæ eſt ſeruare: & populi tui, vt beneficentia tua iuuetur. Selah.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 P*Salmus Dauid quum fugeret à facie Abeſhalom filii ſui.* Secūdo Schmu. à capite 15, vſque ad 20, hiſtoria quæ in inſcriptione Pſalmi notatur, deſcripta eſt. Eo enim quòd Dauid adulterio & homicidio id etiam ſceleris adiecerat, vt quo tectius occideret Vriah, victoriam hoſtibus vltrò concederet, ac ita faceret illos Deum (contra cuius populum ea vice præualuiſſent) blaſphemare, Dominus minatus fuerat gladio & cædi domum eius ſemper fore obnoxiam: ſéque afflictionem de domo eius ſuſcitaturum: accepturum vxores eius, & alteri qui palàm eas conſtupraret traditurum. Iſta legis 2. Schmu. 12. quæ omnia per Abeſhalomū Deus perficit. Qui quum aliquādiu blanditiis, populi corda ad ſe inclinaſſet, tandem coniuratione præualida facta, Regem ſe per omnem Iiſraelis ditionem proclamari curauit. Quúmque hunc præter Achitophel (cuius conſilia, mera habebantur oracula) & alios proceres aliquot, vniuerſus Iiſrael toto corde ſequeretur, omnem animum eò verterat vt Patrem quò tutò pro eo regnaret, perimeret. Hæc cōiuratio, & impium hoc filii parricidæ conſilium, quum nuntiatum Dauidi eſſet, eueſtigio fugā cum iis quos reliquos ſecū habebat, accelerans: Ieruſalémque relicta, recepit ſe primùm in campeſtria deſerti, inde tranſiuit Iordanem. Ibi collecta aliqua manu eorum qui in fide perſtiterāt, diuiſóque omni exercitu in tres turmas, contra Abeſhalū direxit: qui & victoriam cæſo illo retulerunt. Quum ergo in hoc periculo tam ancipiti, & rerum ſuarum ſtatu perturbatiſſimo, (quum omnia certum exitium, neque id qualecunque, ſed maxime fœdum & probroſum, nempe à filio, & prætextu ſcelerum ſuorum intentarent) à Domino mirifice adeò adiutus eſſet, tam leui manu toto Iiſraele fuſo: compoſuit de his præſens carmen, Domini in ſe bonitatem, fidei in illum virtutem, qua fracta eſt omnis ferocia & vis hoſtium, deprædicans. Tam enim de periculo, quàm inde liberatione, ac animi ſui in vtraque conditione, hoc carmen canit: in quo more ſuo ſe per hypotypoſim, ceu iam in eo periculo conſtitutum, & orato tantùm Dei contra hoſtes auxilio, cætera ſecurum, & in vtranque aurem dormientem introducit: volens ſcilicet ſuo exemplo ad fidēdum Domino, qui ſuos nullo in diſcrimine deſerit, prouocare: & Dei pro ſuis benignam, & præſentem ſemper curam prædicare. *Hiſtoria Pſalmi.*

2 *Iehoua, quod multiplicantur infeſtatores mei? multi inſurgentes contra me:*

3 *Multi dicentes de anima mea, Non eſt ſalus ei in Deo. Selah.* Inducit ſe Vates, ceu iam videntem quàm multi, nempe cuncti Iiſraelitæ, quáque confidētia perſuaſi, nimirum ne Deum quidem ipſi adfuturum, contra ſe concurrant & armētur: ídque coram Domino cum admiratione queritur, & querendo admiratur. Tale verò quid indubiè expertus fuerat, quum in vertice montis Oliuarum egreſſus Ieruſalem, ad Dominum precem fuderat, cuius ſacra hiſtoria, 2. Schmu. 15,

meminit. Ibi vtiq; animo eius ſuccurrit quàm ãpliſſimè de toto populo fuerat meritus, quámque peruerſis ac malitioſis ſe oppugnarent cõſiliis ii quibus nihil æquè atque religio & iuſtitia inuiſum in ipſius imperio erat: quàm denique ſtulto & inſano impetu populus à ſe tam fido paſtore ad pernicioſiſſimos tyrãnos deficeret: qui certe populi in ſuam ipſius perniciẽ ruentis furor, non minus eum quàm fera illa ingratitudo vrebat. In hac autem animi ſumma perturbatione,& anxietate, quia Domino querebatur, æſtúſque ſuos in huius ſinum effundebat, nihil reſpectans ad creaturas: non potuit Pater miſericordiarum, Deúſque totius conſolationis filium tam ſupplicẽ, támque afflictum aſpernari, quãuis dirã caſtigationem meritum. Sancto igitur Spiritu ſemper vt ſolet, ſuam æſtuãti miſeréque cõflictanti cõſolationẽ immiſit, de ſua ſperãda benignitate, auxilióq; mox adfuturo teſtatus. Hinc ille ſtatim paratiſſimo animo, omni ſeſe illi calamitati obtulit, atque ſubiecit, de ope Domini iam abunde ſecurus. Simul ergo vt hanc precatus eſt, ad res ſuas inſtituendas animum conuertit. Hãc verò ſecuritatem eo primùm indicat ſibi oſtenſam, quòd admirationi & querelæ ſuæ ſubiecit, *At tu Iehoua præſidium es, &c.* Ter *multos* figuratè dixit, propterea quòd & filius, & Amaſha cognatus eius, cum innumeris aliis regni proceribus, & totus Iiſrael, & quidem toto corde in necem eius conſpirauerãt. Illud tamen, *Inſurgunt contra me*, de peruerſis & hoſtilibus multorum cõſiliis D. Kimhi intelligit. *Multi dicentes*, Ego verti, *Multi ſic apud ſe ſtatuunt*. animi enim ſermonẽ נפש creberrime ſignificat, & ſic etiam hîc interpretatur D. Kimhi. *Animæ meæ* idẽ eſt quod de anima mea. Sic Geneſ. 12. b. 12 dicebat Saræ vxori Abrahã, Dic mihi, Frater meus eſt: id eſt de me ita dic. Et eodem libro cap. 26. b. 7, Interrogauerũt viri loci vxori eius, id eſt de vxore eius. Sic autem cogitaſſe illos, affirmaſſéque apud ſe de anima ſua memorat, quòd eam inuiſam Deo & prorſus reiectam putarent ob facinus Vriah: ídque impoſuit callidiſſimo alioqui Achitophelo, ac aliis innumeris. nec aliunde & infandum illud conſilium eiuſdem, vt Abſhalom cõcubinas Patris ſui coram vniuerſo Iiſraele ſtupraret, profectum fuit. Fortè enim in populum emanarat quòd per prophetã Nathan iſtuc Dauidi Deus fuerat minatus. Sperabat itaque veterator ille populum, ſi videret circa Dauidem omnia ita vt Vates ille prædixit, geri, confirmandum vt Abſhalomo adhæreret, & Dauidem quem Dominus nollet regnare, deſererent, & perderent. Niſi enim iuxta verbum Domini Abſhalom viſus eſſet hoc facinus deſignare, per ſe tam execrãdũ erat, vt populi animos magis ab illo alienaſſet. Iam id conſilii dederat Achitophel, vt eo facto totus Iiſrael in coniuratione conſtabiliretur.

Illud, *Non eſt ei ſalus* באלהים, id eſt in Deo, non ſine emphaſi dictum eſt. Nam hoc nomen Domino, à virtute & robore, quòd ſolus omnia poteſt, ſuóſque vindicare & tueri contra vim quamlibet ſoleat, Scriptura tribuit. Huius ergo fauore & ope exiſtimabant iam Dauidem deſtitutum. alioqui quum hic antea auxilio Dei tam multas & inſignes victorias ab hoſtibus retuliſſet, nũquam adduci populus potuiſſet vt contra eum armaretur. In nomine *ſalutis* Hebræo paragoge eſt, ſchema ſyllabarum. nam quum ישועה ſalutem ſignificet, poſuit hîc ישועתה, adiecta vna ſyllaba: ea D. Kimhi ſignificationem intendi putat, & eius aliquot exempla adducit. Secundum huius ergo ſententiam, ſignificare Dauid voluit, hoſtes ſe prorſus omni ſalute & auxilio Dei deſtitutum: eóque tam huius quàm vitæ futuræ, crediaiſſe. Sed & illud imitationis ſchema, quo hoſtium verbis ipſorum cogitationem retulit, *Non eſt illi ſalus, &c.* cum eleganter, tum affectui mouendo appoſitè adhibitum eſt. De Selach dictum in præfatione eſt. Ideo autem hanc exaltandæ vocis notam hîc Vates poſuiſſe videtur, quo penitius animis auditorum infigeret anguſtiæ & tribulationis pondus, quo fuerat preſſus. Quum enim piis vnus Deus ſit omnia, facilius cuncta ferunt, quàm eius ſibi gratiam & opem negari. In his verò & Chriſti & omnium filiorum Dei typus, ac velut ichnographia quædam exhibetur. Certe totus ferè Iiſrael cũ omnibus ſuis principibus cõtra Seruatorem cõſpirauerant: vnde anguſtiatus & ipſe in mõte Oliuarum Deum Parem orauit, & conſolatus fuit: ac etiam paulo pòſt egregie è manibus illorum liberatus, ipſi verò funditus extincti. Eandem ſortem qui vere Chriſti ſunt, & ſemper experti ſunt, & hodie experiuntur: vt & ab iis de quibus ſunt egregie meriti, ac domeſticis ſuis & cognatis extrema patiãtur, totúmque mundum, & in eo præcipue illos qui viribus & induſtria præ aliis pollent, in ſe vno animo, & eo obfirmato ſæuire experiantur. Ea ergo dum incidunt, memores ſimus & Dauidi hæc, imò & Chriſto ipſi Deo noſtro accidiſſe: & vt Dauid atque Seruator, ita & nos illa prono animo excipiamus: neque ad aliam quàm Dei opem, qui omnia in ſalutem noſtram attemperat, confugiamus.

4 *Et tu Iehoua clypeus pro me, gloria mea, & exaltator capitis mei.* Hoc verſu canit vt ſe receperit ex æſtu ſtuporéque animi, ingentem illam, & in momenta ſingula augeſcentem calamitatem apud ſe cõſiderantis, eámque Domino querẽtis, de quo cecinit verſu 2. & 3. Habet verò hunc ſenſum, Incredibili certe numero, ingenti animorum cõtentione, & ſumma cõfidentia in me ruit Iſrael totus: & quo quiſque viribus, gratia, cõſilio plus valet, hoc ſæuit in me impotẽtius: perſuaſúmq; habent, nec te quidem ô Domine, opem mihi laturum. At fuiſti hactenus clypeus pro me, hoc

eſt vice clypei me tueri es ſolitus:gloria mea es, id eſt is qui in hunc me dignitatis locum euexiſti,& hac regia gloria decoraſti:caput quoque meum extuliſti iam ſæpe donato fœlici rerũ ſucceſſu. Neque nunc igitur deſeres, feréſque vt horum quoque proſpere conatus cedãt qui regno me deiicere,&omni exuere gloria,& ignominia obruere laborãt.Creberrima Pſalmis metaphora eſt,Deum ſcutũ vocare, eo quòd ſibi fidentes ita protegat atque defendat, vt eos nulla hoſtiũ iacula attingant,nulla re lædantur, iuuentur autẽ omnibus etiam iis quæ in malum eorũ mali intẽdunt.Græcus tropum hunc ſimpliciter reddidit, ἀντιλήπτωρ μου, id eſt defenſor,protector,propugnator meus.Idẽ enim valet atq; ὑπερασπιστὴς, βοηθὸς,authore Heſychio. D.Kimhi per כבוד, quod gloria vel decus verti ſolet,hìc & multis aliis locis mentẽ intelligit,eo quòd hac nihil ſit in homine præſtabilius, ſítque illud vnde homini tota ſua dignitas conſtat. Hinc putat ſcutum hic ſumendum in hunc ſenſum , Iehoua ſcutum es pro me, hoc eſt corpori meo: & ſcutum es כבודי, id eſt menti meæ.Sed ſicut lux & vita noſtra Deus per metonymiam dicitur,quòd vitam & ſalutem,hoc eſt lucem nobis præſtet,quid inſolens,ſi ita & gloriam ſuam Dauid vocet,quòd eſſet gloriæ & dignitatis ſuæ autor? Et Kimhi non reiicit, poſſe ſimpliciter quoque vocem hanc & per antitheſim ad fugæ ignominiam accipi: quaſi dixiſſet,Nunc inglorius,ſumméque contemptus fugio,vt & peſſimo cuique ludibrio ſim. at tu Deus gloria mea es:dum te ſcio mihi propitium, & opem laturum, ſatis ſupérque glorioſum me exiſtimo. Caput deiiciunt qui pudore ſuffunduntur,vel etiam grauius lugẽt:erigunt qui honorantur & exhilarantur.ideo capitis ſui exaltatorem vocat contra infeſtos hoſtes , qui dedecore pariter atque mœrore eum obruere, ac ita caput eius deiicere inſtituerant.Sic demiſſo capite ingrediebatur Achab,quum de cæde Na- 3.Reg.21.g.27.
both pœnitẽtiam teſtaretur.Et Pſal.35.h.14,inquit,Sicut lugens matrem,pullatus incuruabar. At Pſalmo 110.b.7,vbi de victoria exultantis habitus deſcribitur,De torrẽte,inquit,ſanguinis hoſtilis in via bibit,propterea attollit caput. Ad hũc modum ſæpe iam Dauidi Deus caput extulerat,certúſque erat iam idem facturum.Hæc verò nos ita conſideremus,vt & noſtrum præſidium,veræ gloriæ conciliatorem, atque capitis noſtri euectorem Deum credamus.Non eſt acceptor perſonarum Deus:quare ſi vt Dauid,fidem ei habuerimus,non minus quàm Dauidi nobis præſens in omnibus aderit . Cogitet autem, & diligenter perpendat animus Dei ſtudioſus, quanto in diſcrimine res Dauidis hic fuerint,&quàm luculenta victoria eum in regnum Deus reſtituerit, quamlibet hanc ſeditionem probè commeritum . Hinc ſanè multam ſibi contra omnem aduerſitatem,conſolationem parabit.

5 *Voce mea Iehouam inuocabam,& reſpondebat mihi de monte ſancto ſuo.*

6 *Ego me in lectum reponam,dormiam,excitabo me:nam Iehoua ſuſtentabit me.*

7 *Non formidabo myriades populi qui ponunt circunquaque contra me.* His,qua ratione,& quãtam animi ſecuritatem à Domino ſibi impetrauerit,gloriatur,inque exẽplum canit.Hoc verò ſenſu ſuperioribus cohærent:Periculum quod me deprehendit,ingens quidem eſt:ſed quum hactenus expertus ſim Dominum mihi defenſorem, & gloriæ fœlicitatiſque omnifariæ fuiſſe conciliatorem,ad eum & hiſce malis preſſus,me conuerti,precéque pulſaui,ídque,vt ſemper,ceſſit fœliciter.Nam grauiſſima licet merito,illico tamẽ annuit:hócque tam certò atque clarè, quàm ſolet Sãctis ſuis de Propitiatorio quod in hoc ipſum in ſacro mõte collocatum eſt. Proinde ſic mecum, accepto ſacro reſponſo, id eſt luculenta Spiritus conſolatione cogitabam , Ego verò depulſa omni ſolicitudine,& anxietate,cunctiſque curis in Dominum reiectis,ſecurus rerũ mearum,lecto me committam, libero dormiam animo,nemine mihi ſomnũ intercepturo.Quum naturæ ſatiſfactum fuerit,expergiſcar ipſe,tãquam in altiſſimo otio,rerúmque omnium quiete.Dominus enim eſt qui me ſuſtẽtabit ne cadã.Hic cauſam meam ſuſtinet agitque: ideo nulla in re nocere poterunt hoſtes:meritóque ego animo quieto & otioſo ſum,nihil mihi metuẽs, nihil expaueſcens,ſi etiã me obſideant innumera populi millia. Pleonaſmus ille, *Voce mea inuocabo*, quum ſatis futurum videatur dixiſſe *inuocabo*: cum multis ſimilibus Scripturæ admodum familiaris eſt : ſed nequaquam ſi Sanctorum affectum conſideres , vitium eſt , quia minime otioſus. Per mõtem ſanctum etſi alicubi cælos, hoc eſt reuelatiorem Dei præſentiam & gloriam Vates intelligat,vt infrà Pſal.14 c.7,& alibi:in præſentiarum tamen Propitiatorium,de quo Dominus reſponſa precantibus daturũ ſe promiſerat,quod tum in monte Siion erat,deſignaſſe videtur . vt ita hac loquutione certitudinem promiſſi auxilii exprimere voluerit: acſi dixiſſet, Ipſe Dominus ſuo ipſius oraculo,eóq; tã certo & indubitato auxiliũ pollicitus eſt,atq; ſi id ex ſacro illo quod in mõte Siion poſitũ eſt,Propitiatorio edidiſſet. Certus igitur auxilii eius,nihil timebo,&c.Siquis tamẽ de cælo intelligat,acſi dixiſſet, De veriore tabernaculo & Propitiatorio,aut monte ſancto ſuo,nempe è cælis,mihi Dominus reſpondit:non erit id abſurdũ.Nam omnino hoc dicto voluit ſignificare certò ſibi auxilium promiſſum.Hinc & Selah adſcripſit, volẽs Sãctos hìc immorari,vt certè digniſſima ſunt perquam religioſa animaduerſione,Deum Dauidi

ſic commerito tam benigne adfuiſſe, precémque eius tantum valere voluiſſe. Nemo ergo quálibet peccator diffidat, ſi orare Dominum poterit, & exorare poterit quidvis. Synecdoche verſus 7, ſummam ſignificat ſecuritatem. Nam qui ad quietem ſeipſum cóponit, dormit: & quum libet, nullo alio excitáte euigilat, is nullis diſtentus curis, nulla eſt conſtrictus anxietate. Iam verò cogitet animus Chriſto deditus quanto in diſcrimine, quámque in certo periculo tum Dauid fuerit: ſed cui reſpondet & adeſt Deus, hoc eſt qué ipſe ſuſtentat, vt Pſalmus loquitur, quem fulcit, quem geſtat: is in ſumma rerum perturbatione, ſumma pace & tráquillitate fruitur, ſciés bono ſibi eſſe vniuerſa. Elegás verò metaphora, *Quoniam Iehoua me ſuſtentat*. Qui enim ſolidæ & firmæ rei innititur, non poteſt moueri: iam nihil immotius Deo, vnde & petræ ac rupi ſubinde aſſimilatur. Porrò huius tropi quo per ſecurum ſomnum, rerum optata pax atque tranquillitas deſignatur, nó vno in loco Scripturæ vſus eſt. Inter bona quæ populo Iiſraeli, ſi Legem ſeruaſſet, Dominus promiſerat, & hoc legimus, Dabo pacem (inquit Dominus) & ad quietem iacebitis, nec erit qui exterreat. Iechez. 34. f. 25, de ouibus ſub paſtore ſuo Dauide, Habitabunt in deſerto ſecure, & dormient in ſaltibus. Et Hoſe. 2. d. 18, Arcum & gladium & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter. Verſus 8, idem ſimpliciter dicit quod ſeptimo dixerat tropicω̃s, *Non timebo myriades*, id eſt quantumvis numeroſum populum. רבבה myriadem, id eſt dena millia ſignificat. Iam hoc poſuit in numero plurali, quia ingentem voluit multitudinem exprimere. Illud, *Qui ponunt circunquaque contra me*, ſubaudit D. Kimhi bellum. ſed videtur hoc verbi ſignificare obſidionem. Ieſchaia 22. b. 7, שת שתו השערה, id eſt obſidendo obſidebunt portam. Idem capite 26. a. 1, ישועה ישית חומות וחל, id eſt ſalus obſidebit, cingétque muros, & muniméta. Obſidere igitur reddidi, quum hic ſignificatus pulchrè quadret. Græca verſio huc accedit, *Οὐ φοβηθήσομαι ἀπὸ μυριάδων λαοῦ τῶν κύκλῳ συνεπιτιθεμένων μοί*, Non metuam à myriadibus populi circunquaque me obſidentibus. Videtur ergo hîc eſſe ſpecies amplificationis, quam per ratiocinationem Fabius fieri meminit, hoc ſenſu, Si etiam me innumera millia planè obſiderent, ac iam vndique cinxiſſent, non timerem tamen, Dei nimirum præſenti nixus præſidio: quanto magis nunc ſecurum eſſe me putatis, quem nondum ita obuallatum concluſiſtis? Etenim ex hoc dicto colligitur, eum animo fuiſſe omnium ſecuriſſimo. Hæc verò táta ſecuritatis in extremo diſcrimine amplificatio, ſi credimus hæc nobis ſcripta, haud debet inexpenſa prætermitti, vt vel à longe ſi non videre, coniicere ſaltem incipiamus, quanta ſit vis fidei in Deum: quid ſolida præſtet in eo collocata fiducia, ne nos quodvis arboris folium deterreat adeò vt vel à recto detorqueat, vel ad humana præſidia reſpicere cogat.

8 *Surge Iehoua, ſerua me Deus mi: quia percuſſiſti omnium inimicorum meorum maxillam, dentes improborum fregiſti.*

9 *Iehouæ eſt ſalus: ſuper populum tuum benedictio tua. Selah.* Hîc eam cuius in præcedentibus meminit, precationem ponit, eámque verbis breuem, ſed affectu prolixiſſimam, Iehouá vocat: quo nomine imméſam Dei potentiam & bonitaté, ipſámque Diuinitaté ſibiipſi in hoc in memoriá reduxit, vt omni in eum ſe fiducia cor eius reiiceret. Adiecit verò, Deus mi, quod idé eſt atque tu, cuius ſolius virtute nitor, ſerua me. Id autem quod ſequitur, videtur húc ſenſum habere, Tot iam hoſtes expertus ſum: tu omnes retudiſti, velut impacta alapa dentes eorum fregiſti: hoc eſt inflicta plaga, omné eorum vim & ferociam repreſſiſti. Nunc paratam mihi per te quietem ab omnibus hoſtibus meis, filius meus, præcipuíque amicorum perturbant: quúmque iam defunctus mihi periculis videbar, hi ſupremú & grauiſſimú moliuntur. Et hos igitur alapa cæde, détéſque eorú confringe, ne me cócerpant, id quod quibuſvis beluis efferatiores, conátur. Nam vt aliàs, per dentes beluinam quandam ferociam & truculentiá, à beſtiis immanioribus mutuata ſimilitudine, exprimere voluit. Pſalmo 58. b. 7, apertius hoc tropo vſus eſt, Deus (inquit) cóminue détes eorum in ore eorum, maxillares quos inſtar leonú habent, obtere ô Iehoua. Nata hæc tráſlatio ab altera eſt, qua nocentes & pernicioſi homines, canes, lupi, vrſi, leones & vnicornes dicũtur, beſtiæ dentibus formidabiles. Quod verò orauit, etiam exorauit: nam Deus grauiſſima data alapa, ſemel hoſtium furorem cófecit omnem. Nam ſimulatque turmæ Dauidis multo licet infirmiores exercitu Abeſhalomi impreſſioné feciſſent, fugit, atque diſperſus eſt vniuerſus populus, vt ſaltus plures quàm gladius abſumeret, eóque vnico prælio vniuerſus Iiſrael deuinceretur. Scriptura certè teſtatur grandé cladem factá, quia viginti millia eo die deſyderata fuere. Quia verò plures (vt eadé memorat) ſaltus quàm gladius abſumpſerit, & vnicú illud præliú omne bellú ſuſtulit, Domini alapá præualidá ſcilicet, qua dentes ſemel omnes cóminuti ſunt, fuiſſe demonſtratum eſt. Certè maiore negotio, & cum crebrioribus, tum grauioribus præliis, antea victoria illi ſæpenumero cóſtiterat. Illuc *ſurge*, idé eſt quod profer, declara contra hoſté in meam ſalutem, tuam potétiam. Iacêre enim, & ceu quieſcere Deus dicitur, dum ſinit malos eorum libidine ferri. Figura hæc nuſquam non occurrit. Sunt autem qui כי hoc loco pro Quum accipiunt, ac ſic verſum legunt, *Quum impinges omnibus hoſtibus meis alapam, dentes improborum infringes.*

Leuit. 26. a. 6.

Verſus vltimus epiphomena eſt, vt abruptè, ita non abſque affectu adiectum, hoc ſenſu, Iure ſic ſecurus ſum, ope Domini inuocata. Hic enim vnus eſt qui ſaluare poteſt. Et quo adhuc ardentiorem affectum indicaret, ſubitò perſonam mutat, & Deum alloquitur, & inquit, Super populum tuum benedictio tua: hoc eſt, Tu Deus populum tuum, id eſt tibi fidentes ſeruare ſoles, bonı́ſque cumulare. id enim benedictionis nomine in Scriptura ſignificatur. Hoc quum piis maximopere memorandum penſiculandúmque ſit, Vates *selah* adiecit. Et certè ſi huic vni ſententiæ fidem habere poſſemus, vnius Iehouæ eſſe vt ſaluet, neque beneficentiæ eius quenquam, niſi ipſius populum, hoc eſt ab ipſo fide pendentes, participes euadere poſſe: quid non liberet pro ipſo contemnere? quàm plena fiducia ipſius nos voluntati addiceremus? Auge ergo nobis fidem, tuíque cognitionem ô Deus: qui ſi nos ad te non trahis, & bonitatem tuam prior oſtendis, vltróque exhibes, infœlici errore vſque circumacti, ſalutis, hoc eſt tuæ benedictionis perpetuò expertes erimus.

PSALMVS IIII, in genere miſto, partim εὐχαριστικός, partim εὐκτικός.

Beneuolentiam erga ſe Dei ac præſens in coniuratione Abeſhalomi auxilium prædicat. Procerum Iiſraelis contra ſe cõſpirantium dementiam arguit. Ad reſipiſcentiam reuocat. Tum de reſtituto Domini beneficio rerum abundantia, pace & ſecuritate gloriatur. ARGVM.

1 PRæſuli in Neginoth, Ode Dauidis. PARAPH.
2 Inuocanti mihi annue ô Deus, vindex iuſtitiæ meæ, coartato expedi ſpatium, miſerere mei, & audi deprecationem meam.
3 O viri, quouſque meam gloriam conuertitis in dedecus, rebus ſtudetis inanibus, ſpes perſequimini mendaces? Selah.
4 Cognoſcite quòd Iehouah eum qui bonitati ſtudet, ſibi ſelegit, intérque egregios habet: Iehouah audiet, quum ipſum inclamauero.
5 Commouemini, cauete peccare, reputate in ſtratu omnia cum corde veſtro, & conquieſcite. Selah.
6 Cædite hoſtias cum cultu iuſtitiæ, & in Iehouah fiduciam habete.
7 Multi apud ſe dicũt, Vtinam liceat cernere quod optamus: at tu irradia nobis ô Iehouah iubare aſpectus tui.
8 Quòd illis iam frumenta & vinum copioſè proueniunt, perfudiſti cor meum lætitia.
9 Nunc pace cum illis fruar, dabo me quieti, dormiam ſecurus: nam tu ô Iehouah me meo iure, & tutò habitare donas.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

PRæſuli in Neginoth, Ode Dauidis. Hic primus verſus in Præfatione explicatus eſt.
2 *In inuocãdo me, reſpõde mihi Deus iuſtitiæ meæ: quum coartarer, dilataſti mihi. miſerere mei, & audi precem meam.* Dauidi Kimhi indubitatũ eſt & hunc Pſalmum de coniuratione Abeſhalomi eſſe cõpoſitum. ſecũdum illam ergo eum enarrabimus. Secundus hic verſus proſopopœiam habet: nam inducit ſe Vates, ceu iam periculo coniurationis deprehenſus, ad Deum pro auxilio orãtem: quo oſtẽdit & qua ſemper fuerit fiducia, & quàm paratã ſibi opem Diuinam habuerit. iuxtáque Dei bonitatẽ prædicat, & ad fidendũ illa alios inuitat. Sentẽtia à capite verſus præciſa per ἔκλειψιν, affectu haudquaquã vacat. Nam dicendum erat בקראי, id eſt, Quũ inuoco te, &c. Significat ergo ſe in ancipiti periculo conſtitutum, ſubitã opem imploraſſe. Et ſanè proximè interitũ acceſſerat. erátque actum de eo, niſi derepente Deus adfuiſſet, & per Huſhai Aracitem Achitophelis conſilio intercepto, feciſſet ſpatium fugiendi. Hinc ergo diſcamus, nunquam in tãtum nos poſſe diſcrimen venire, vt Deus non queat, & quo virtutem ſuam nobis luculentius declaret, libenter etiam ſoleat, ſalutem, infidelibus incredibilem, afferre. Vocat Dominũ, *Deum iuſtitiæ ſuæ*, eo quòd apud ipſum vnũ iuſtitiæ ſuæ præſidium eſſe agnoſceret, omni iã Iiſraele ſe iniuſtitiæ cõdemnante, & tãtæ quidẽ vt à Deo quoque reiectũ, & planè ſacrũ, interituique deſtinatũ haberẽt: id quod & præcedenti Pſalmo teſtatus eſt. Iuſtitiã autẽ ſuam, innocentiam, & animũ de omnibus bene merendi, intellexit. His ſanè eximiè præſtabat, & longe ab eo erat cuius eum Schimei filius Gera inſimulabat, quaſi dolo & vi regnum inuaſiſſet. Enimuerò ingentibus in totum populũ beneficiis, & præclariſſimis pro eius ſalute editis facinoribus, oblatũ ſibi illud, obtruſúmque à Domino adierat: exceptóq; vno in Vriã ſcelere, ſanctè & innocẽter adminiſtrauerat. Hãc iuſtitiam in gloriã Dei, atque vt Sãctos ad pia ſtudia prouocet, nõ vno in Pſalmo celebrat: co- 2.Sam.16.b.

pioſius verò Pal.17,26,& 101.Et Sacra hiſtoria 2.Schmu.8.d.15, inſigni elogio de eodem teſtificatur.Faciebat,inquit,Dauid iudicium & iuſtitiam omni populo. Huius perraræ iuſtitiæ,nulla iam ratio apud omnem Iſraelem reliqua erat.Dominum ergo iuſtitiæ ſuæ Deum,id eſt vindicem inuocat.Id enim hoc nomine אלהים ſignificatur, cuius & in verſum 3.Pſalmi præcedētis paucis memini.Propter poteſtatem ſiquidem & officium tuendi, & ab iniuria defendēdi homines Magiſtratus quoque & Iudices in Scriptura אלהים vocātur,Exodi 22.d.28,& Pſal.82.6,& alibi.Ad eundem modum & Moſcheh, quum per Korah, Dathan & Abiram cōtra ipſum ſeditio
Nume.16.d.15. coorta eſſet,ad Dominum vt iuſtitiæ ſuæ vnicum iudicem & vindicem,confugiebat.Ne reſpicias,inquit,ad munera iſtorū:ne aſinū quidem à quoquam eorū abſtuli,neque iniuria quēquam ex eis affeci. Et hæc iuſtitia erat,cui defenſionem cōtra ſeditioſos quærebat. Eandem iuſtitiam & Schmuel de ſe coram vniuerſo Iſraele teſtabatur.En,inquiebat,reſpōdete mihi coram Iehouah & vncto eius, cuius vnquā bouem acceperim, cuius aſinū, quem deſpoliauerim, aut quem oppreſſerim,à quo acceperim munus quo redimi iudicium paſſus eſſem:& tegam coram illo oculos meos,teſtatus pudorē,atque reſtituā vobis. Et dicebat ad eos, Teſtis ſit Iehouah erga vos, & teſtis vnctus eius hoc die quòd nihil deprehēderitis in me,&c.Nō diſſimiliter ad Corinthios atque Theſſalonicēſes & Paulus de ſua innocentia,ſynceritate & fide in Euangelio prædicat.In
QVa ratione sancti suas laudes memorent. priore ad Theſſalonic.Epiſtola,totū ferè ſecundū caput in ſuis laudibus cōſumit. Inter cætera verò ſcribit, Vos teſtes eſtis,& Deus, quàm ſanctè & iuſtè & inculpatè apud vos qui credidiſtis, vixerimus.Sāctis magna & in omnibus ſimplicitas & veritas:eóque quòd à Deo acceperunt,vt temere,& in ſui ipſorū gloriam nunquā iactant, ita in cōſcientia ſua apud Deum,& vbi aliqua inde expectatur vtilitas,etiam apud homines memorare ſolent.Conſcius ſibiipſi erat Dauid ſicut & Moſcheh,tātùm ſalutē populi ſe quæſiſſe,ac quærere:neq; ſibi,ſed Domino poteſtate ſua functū eſſe atque fungi. id ergo & corā Deo,ingrati populi furoribus in periculū adactus vterque cōfidenter cōmemorant,hácque ratione ſuā in Domino fiduciam ſuffulciebāt, & cōtra inſtantem,& prementē cōiuratorum vim ſeſe durabant. Ita & Hizkiiah quū nuntiata ſibi à Domino mors eſſet,ipſe autē in medio iam curſu reuocandi ſuos ad Dominum,& Legē eius in locum ſuū reſtituendi ferretur,viderétque fore ſe defuncto vt omnia relaberentur: innocentiam & pietatem ſuam Domino,ceu cauſam cur ſibi vitam prorogari deberet,admodum magnificè
Ieſa.38.a.3. prædicabat,Obſecro Iehouah, dicebat, memor ſis quæſo quòd vixerim coram te in veritate,& corde integro,quæque probas geſſerim. Iā hic homo fuit, & abſque peccato non vixit : at quia cultum Dei & omnem in populo iuſtitiam ex animo cuperet reſtituere,neque prius aliquid haberet quàm Domino gratificari,& apud ſe piè hæc cogitauit,& tam coram Domino,ad firmādam ſpē exorādi quod orabat, quàm poſtea corā populo, quo & alii ad ſimile innocētiæ ſtudiū inuitarētur,atque agnoſcerent quanti illa apud Deum haberetur,quídve poſſet,vtiliter ſanè &
Luce 18.b.11. piè cōmemorauit.Phariſæus ille apud Lucā,qui gratias agebat quòd nō eſſet vt cæteri peccatores,condēnatus fuit,quia confidebat in ſe,& animū tollebat:cōtra verò alios aſpernabatur.non ſic autem Sancti,dum dona Dei in ſe prædicant:eo enim ſemper Dei,non ſuam gloriam,homi-
1.Sam.12.a.3. númque ſalutem promouere ſtudent.Quod ſanè Schmuel de continentia & iuſtitia ſua coram Deo & populo teſtabatur,indubiè fecit,vt moneret & populum ſuæ ingratitudinis,& nouū regem officii . Ita Paulus ſuis laudibus nihil aliud quàm Euangelio fidem , & innocentiæ ſuæ in Chriſtianis æmulationem quæſiuit . Ad hunc ergo modum intelligi debet quod de ſua iuſtitia in hoc & aliis Pſalmis Dauid iactat.Non enim iactat niſi quam verè habuit:neque id ſui cauſa, ſed & Dei gloriam,& timentium eum ſalutē promouēdi.Aliena eſt à Sāctis ambitioſa illa propriæ innocētiæ diſſimulatio,qua hypocritæ ſeipſos quo magis deiiciūt, hoc magis cupiunt attollere: ingenuè & mala & bona ſua dū prodeſt,cōfitentur. Dei dona quātulacunque ſunt,vera ſunt,& ſolidè ſentiuntur.cur igitur ea, quū ad illuſtrandam Dei gloriam momentum aliquod habeāt,qui ea poſſident,non præ ſe ferrent & cōfiterētur? Quis neſciat an Deum timeat?an cupiat ex eius voluntate viuere?an conſultum velit proximo? hæc iam ſi habet,à Deo habet:& in hoc habet, vt alii id ſciant,& ſentiant. Non accendit lucernam Deus vt occulatur. Si in vobis ardet ignis fidei,debet vtique ſpargere ſuam lucem bonis operibus. Porrò hîc carnis ſimul dolus diligenter obſeruandus,ne dum videmur prædicare Deum in nobis,nos ipſos ex donis Dei extollamus,ac ita Dei gloriam potius obſcuremus, & proximos offendamus. Abſit ſuperſtitio quæ certa Dei dona,quámque quis ex benignitate Dei innocentiam verè poſſidet, in loco memorare vetat:ſed faceſſat ſimul omnis ſeipſū prædicandi cupiditas:vera ſint & ſyncera omnia: abſit tam bonorum quàm malorum & ſimulatio & diſſimulatio : adſit autem omni loco & tēpore dicendi & tacendi,inque Dei gloriam & proximorum ſalutem diſpenſandi ſancta prudētia.Natura adeò corrupti ſumus,& ſuum quique tantopere pulchrū habetur,vt non iniuria,ſi
Prouer.27.a.2. quis vulgo ſeipſum laudet,exibilari ſoleat. Quare & Schlomoh præcepit vt alieno,nō proprio

ore laudemur. Sed non ſunt è vulgo Sancti, ſeipſos abnegarunt verè, nunquam non in ſeſe deſcēdunt, ſuáque omnia perſpecta habēt. Hi aliud non quærūt quàm Dei nomē illuſtrari, quàm fratres iuuari: quóq; re ipſa, hoc eſt donis Dei verè maiores ſunt, eo magis ſeſe ad omnium obſequia ſubiiciunt: iſtos nequaquam decet, propter corruptum vulgi iudicium ſeſe ſtultè mirantis, eóque ne veras quidem aliorum laudes ferētis, Dei in ſe beneficia in loco tacere. Hæc fuſius hìc diſſerere volui, quòd creberrime in Pſalmis occurrat, vbi Sācti de ſua innocētia magnificè teſtātur: vt vel ſemel exponerem, quanam ratione Sancti, Dei in ſe dona iure prædicēt. Quibuſdam enim perſuaſum eſt, iſtud tantùm priſcorum & maiorū Gētium Sanctorum fuiſſe, quum omniū filiorū Dei ſit, Patris ſui cæleſtis beneficia, in quocúque illa exiſtāt, in loco deprædicare.

Dum coarctarer, ſpatium feciſti. Hæc tranſlatio in Scripturis, ac præſertim in Pſalmis admodum frequens eſt. Dum enim affligimur, & aduerſis premimur, quaſi in arctum & anguſtum cogimur: inde verò vbi liberamur, velut in latitudinem emittimur, datúrque ſpatium pro ſuo arbitrio verſandi. Qui nanque quò libet ſe cōfert, is ſui iuris ſit, & à nemine infeſtetur oportet. Quum itaque immineret Dauidi Abeſhalom vt vix manus eius daretur effugere, angebatur, ac ceu in arcto conſtringebatur: nullus ſiquidem illi ferè in omni Iiſraelis ditione locus patebat. Vbi autē ille interiiſſet, & in regē ipſum populus iterum poſceret, velut ex anguſto in latiſſimum ſpatium deducebatur: tum nihil obſtabat, nihil impediebat. Vertere & conferre ſe quò libebat, licebat, Dominus fecerat ei ſpatium. *Miſerere mei.* Geminat precem, quo & pondus anxietudinis qua cōpreſſus fuerat, & ſuæ tum precationis ardorē indicaret. Vbi enim vndique omnia cruciāt, & angoribus animum Dei cōpotem cōficiunt, dictu impoſſibile quāto ille cum affectu, quámque flagranti prece ad Dei ſui opem implorandam exæſtuet: apud quem certam & cumulatam ſibi ſalutem quantumvis hic differat, repoſitam certò nouit. Sed in ſequentibus Pſalmis affectus precantis copioſius deſcribuntur. In illis itaque dabo operam, ſi pro rudioribus vim veræ precationis poſſim nonnihil explicare. nam perpaucis ea ſatis perſpecta videtur.

3 *Filii viri, quouſque gloriam meam ad ignominiam? diligetis inane, inquiretis mendacium?* Apoſtrophe eſt cum proſopopœia. nam ſe velut alloquentem Iiſraelis proceres, contra ſe adhuc machinantes introducit. Hos *filios viri*, id eſt viros vocat, quum vulgus ſoleat filios Adam, id eſt hominis nominare. Nam איש nonnunquam præcipuum virtutéque ſingulari præditum virum ſignificat. Vnde 1. Schmu. 26. c. 15, clamabat Dauid ad Abner principem militiæ Schaulis, Num tu vir? & quis tibi ſimilis in Iiſrael? Et Iudic. 7. d. 14, Gedeon filius Ioaſch, vir in Iiſrael. *Quouſque gloriam meam ad ignominiam?* Reticentia eſt. reticuit enim, *perducere conamini*, aut quid ſimile. Ea autem non tam indignationem quàm commiſerationem exprimere voluit, eo quòd impoſſibilia illi, & ſibiipſis tantùm noxia molirētur. Vnde quod dicere voluit, huiuſmodi eſt, Deus me regem conſtituit, & in hāc gloriā euexit, quouſq; vos illā ad ignominiā perducere, & ea me ſpoliare, mortis dedecore, & quidē probroſe fœdatū, nequicquā molimini? Vnde & ſubiicit, *Quouſque amabitis inane, & conſectabimini mendacia?* ריק enim & כזב, hoc eſt inane & mēdaciū, vocat fruſtranea eorū contra ſe cōſilia & conatus irritos. Sic ficus mēdax, & arcus mēdax in Scriptura dicitur, quòd fallāt & eludāt ſpē & expectationē quæ de eis habetur. Ita fruſtrarunt hoſtes Dauidis ſua conſilia, dū id minime præſtiterunt quod de ſe pollicebātur, nēpe Dauidis extinctionē. Hoc ergo canit ceu præuideat fore, eiúſque illos præmoneat. Eóque & ſuam in Deum ſecurā fiduciā, & illorū reſupinam notauit ſocordiā, qui quum omnia videre ſibi viderentur, hoc ipſum non viderūt. D. Kimhi ſuū כבודי, pro anima accipit. licet & ſimplicē eius interpretationem nō reiiciat, & hāc enim ſuæ ſubiunxit. Adſcripta eſt hic intendendæ vocis nota, *ſelah*, vtique quòd intendi hic animi cogitationem Propheta voluerit, & perpendi. Primùm, quo in diſcrimine ipſe fuerit, oppugnātibus eum ſumma vi non imperitis plebeis tātùm, ſed & optimatibus populi. Sic enim quicquid orbis habet admirandum & formidabile, id armare ſolet in filios Dei. Deinde quàm deſipuerint, imò inſanierint quique ſapientiſſimi in populo & callidiſſimi, vt qui morte dedecoroſa extinguere in animum induxerant, & omni vi nitebantur, quem in regia viuere gloria decreuerat Deus. Perſuaſerant ſibi à Deo illum reiectum: ſed iis coniecturis quas ſi non erroris ſpiritu acti fuiſſent, ſomniis habuiſſent vaniores. Ad hunc verò modum dementat Deus quotidie credentium ſibi hoſtes, ſi tantùm quæ pro nobis miracula facit, animaduerteremus. Poſtremò, quàm egregia ſibi Dominus dederat, ſimulatque eum precatus fuerat, animi eſſe ſecuritate, vtcunque omnia interitum minarentur. Ita enim ſuprà quàm non experti queant credere, cōſolatur, & animis inſtruit Pater ad ſe ſeria precē confugientes, oſtendens כזב ריק, id eſt inane & mendax eſſe ſomnium quicquid contra eos mali machinantur.

Cur adſcriptum ſelah.

4 *Et cognoſcite quoniam Iehouah ſeparauit ſibi bonum, audiet quum inuocauero eum.* Senſus eſt, Quid adeò deſipitis prudētes? quid tam cæci eſtis, qui aliis eſtis oculorum vice, vt non videatis quàm vana, quàm fruſtranea moliamini? Agnoſcite quæſo, ſuſtinete animaduertere eum qui bonitati

ſemper ſtuduit, qui de omnibus etiam inimicis mereri optimè operá dedit, à Deo ipſo in hoc ſegregatũ atque electum vt Iiſraelis regno potiatur. Quare ſi etiam illum Deus ad tépus ſinit veſtris furoribus exerceri, illico tamen ei aderit. audit ſiquidem eum ſimulatque inuocauerit. vos ipſos igitur, non hunc veſtris conſiliis perdetis. Deſinite ergo, quando viri, nõ pueri eſtis, amare quod inane ſomniũ, & ſectari quod fallax cogitatio eſt. Quòd dicere maluit, Cognoſcite quòd Deus ſibi ſelegit חסיד, bonitatis ſtudioſum, tãquam de alio loqueretur, potius quàm Cognoſcite quòd Deus me qui bonitati ſtudeo, ſibi ſelegit, quũ tamẽ de ſe id voluerit intelligi: minimè otioſum eſt. quũ enim exprimere vellet quid maximè proceres populi à perſequutione ſui deterrere deberet, efficaci' erat iſtud infinite ponere, & teſtari Deum habere inter ſuos reliquorũ hominũ numero exẽptos, atque defendere peculiariter quicunque bonitati ſtudẽt, ipſúmque Deum fictorem ſuum, & Patrem beneficentia in quoſvis imitantur. Tanta ſanè extabant in populum Dauidis beneficia: támque ſtrenue officiis Schaulis & aliorum malitiam vicerat, vt ſatis cauſæ cuique fuerit ex hac generali ſententia ſic apud ſe de illo colligendi, Si Deus bonos in ſua fide & cura peculiariter habet, vt certe habet, non poteritis Dauidẽ hunc expugnare, quo nemo homo melior, & in quoſvis etiam hoſtes ſuos officioſior, viuit. Habet verò & hoc ſingularem vim, quòd illico ſermonem vertit ad Deum, *Quum ad te clamauero, audies me*. eo ſiquidem Deum quaſi huius tam certæ fiduciæ ſuæ teſtem citabat. Quaſi diceret, Nolunt iſti, licet ſibi ſapientes videãtur, cognoſcere quòd mei ſingularem curam geris, ita vt bonitati ſtudere dediſti: at ego ſcio, & expertus ſum te audire me, ſimulatque te inuocauero. Hanc tu ipſe mihi de tua beneuolentia & fide παρρησίαν animo meo immiſiſti: eóque me haudquaquam inani ſpe vt hoſtes mei, niti hac ipſa fiduciæ meæ profeſſione quã ipſe donaſti, teſtaris. Quod verti, *ſelegit*, vulgata editio habet, *Mirabilem fecit*. הפלה ſiquidem rem admiratione dignam ſignificat: ſed ideo quia ſignificat quid inſolens ac rarum, atque ab reliquis velut ſeparatum & ſelectum, cuiuſmodi res admirari ſolemus. Etenim הפלה, ſignificat ſeparauit, ſeiunxit, ſelegit. ita Exodi 9. a. 4. legimus הפלה, id eſt ſeparauit, diſcrimen poſuit Iehouah inter pecora Iiſrael, & inter pecora AEgypti. Sic ſe prædicat hìc Dauid à reliquo populo ſeparatũ Diuinitus & ſelectum vt regnum adminiſtret: idque monet vt cognoſcãt ii optimates qui deiicere ſe regno quærebãt. חסיד, id eſt bonum & animo præditum demerendi quoſlibet, etiam inimicos. Quòd ait, *Elegit ſibi*, hoc eſt in peculiarem dignationem & curam, id eſt quod mater Schmuelis canit, Cuſtodit pedes חסידיו, id eſt bonorũ ſuorum. Monemur verò eodem vt nos quaſlibet iniurias boni conſulamus, & contrà in omnes beneficia conferamus. Tales enim Deo curæ ſunt. חסד, vnde חסיד, ſicut à צדק dicitur צדיק. Vulgatus interpres, vbique ferè ἔλεος, id eſt miſericordiã vertit: vt mirer cur חסיד hoc loco ὅσιον id eſt Sãctum, qui קדוש dicitur, vertere voluerit. Vt enim חסד bonitatẽ & animum omnibus benefaciendi ſtudioſum, nõnunquam etiam ipſum beneficium ſignificat, (Gallice vocatur *pitie*,) ita חסיד proprie bonitate huiuſmodi & animo ad benefaciendum propẽſo præditum ſignificat, quem Galli vocant *piteyable*. id quod in ſequentibus cumulatius probabitur.

5 *Contremiſcite, & ne peccetis, cogitate in cordibus veſtris ſuper cubilibus veſtris, & ſilete. Selah.* Perſtat in monendis primoribus Iiſraelis ſe regno deturbare quærentibus: & ſicut Pſalmo 2, ad principes [illegible] dixit *Seruite Iehouæ cum timore*: item *Oſculamini Filium, ne ſuccenſeat*: ita hìc ad ὁμοφύλους, id eſt contribules ſuos, ait, Contremiſcite, expaueſcite, mihi quem tuetur Deus bellum inferentes: & ne peccetis, ne erretis, ne quæ fruſtranea ſunt ſectemini: quin in cubilibus veſtris, quum maximè vacui, aliíſque curis liberi eſtis, iuſta lance omnia expendite: cum corde veſtro reputate quidnam id ſit quod agitis, vt ab hoc tumultu vobis ipſis, non mihi pernicioſo, conquieſcatis. Nolite torquere vos, excogitandis quas mihi tendatis inſidiis: non capietis, non perdetis, quem in hoc ſelegit Deus vt vobis ac vniuerſo Iiſraeli imperet. Et quia ſæpe Dei volũtas erga ſuos admodum latet: probéque & diligenter proſpiciendum eſt ne in Deum iniurii ſimus, dum nobis videmur impetere homines commeritos: adiectum hìc Selah eſt. Etenim Dauidis ſcelus optimates Iiſraelis minime latebat, mala quæ ei Deus per Nathan minatus erat ſciebant: tam fatalis erat illa filii contra patrem cõiuratio, & publicus in hanc totius populi conſenſus, vt certo certius haberent Dauidem à Deo penitus reiectum, Deóque gratificari quicunque illum expugnaſſent. Sed quantopere falſi fuerunt? Nihil igitur temere contra Dei ſeruos, quamlibet videantur preſſi peccatis, & mala commeriti, agendum. Sæpe enim quos maxime inuiſos Deo arbitramur, ei longe chariſſimi exiſtunt. Id quod Christus cum aliàs, tum in parabola Publicani & Phariſæi grauiter ſanè monuit. רגזו Hebræi omnes, *contremiſcite vel expaueſcite* reddunt, neque male quadrat. Iure enim expaueſcere & conſternari debebant, cogitantes ſe contra regem conſtitutum Diuinitus coniuraſſe, atque hinc ab inſtituto tam nefario deterreri. Galli dicerẽt, *vous deuriez trembler, & auoir horreur*. In vniuerſum autem ſignificat hoc verbũ cõturbari, cõmoueri, aliquando metu, nõnunquã dolore, interdum etiam indignatione. Primi exẽpla multa ſunt,

Exodi 15.c.14, Audierunt populi, conſternabuntur, dolor acerrimus apprehendet habitatores Paleſtinæ. Et Deut. 2.c.25, Hoc die incipiam mittere in populos qui ſub cælo ſunt, metum tui & formidinem, qui audiét auditionem tuam, & conſternabuntur. Item eodem libro, cap 28.g.65, Et dabit tibi illic Iehouah cor cõſternatum. In his locis omnibus vbi cõſternari poſui, Scriptura habet רגז. Secundi exemplum, vbi hoc verbo commotio mœroris ſignificatur, habetur 2. Schmu.cap.18.g.33, vbi memoratur Dauid audita nece Abeſhaló fuiſſe animo cõmoto & conſternato, id eſt רגז. Tertii exemplum habetur Geneſ.45.g.24, dicebat Ioſeph fratribus אל תרגזו, id eſt ne contendatis in via, vel ne conturbetis, aut iurgemini, aut conuiciemini inuicem. Sic enim & Chaldæus Paraphraſtes interpretatur. Hoc certe loco ſignificat cõmotionem iræ. Græcus interpres ferè per ὀργίζεσθαι, id eſt iraſci reddit, etiam vbi aperte metus perturbationem ſignificat, vt Exod.15.& Deuteronimii 2. Hanc ergo apud Græcos inuulgatam verſionem ſequutus eſt & D.Paulus, Epheſ. 4 f.26, vbi ſcripſit ὀργίζεσθε, καὶ μὴ ἁμαρτάνετε, id eſt Iraſcimini, & ne peccetis, ſol non occidat, nõdum ſedata veſtra commotione. hoc eſt, reſideat ira veſtra priuſquam claudatur dies. Hæc ferè in hunc modum interpretantur. Etſi nonnũnquam cõmoueri vos indignitate rei contingat, in tempore tamẽ, animi motum reprimite, ne iniuriam retalietis, & peccetis. Sed quũ Paulum cõſtet hoc loco, vt & aliàs, vulgatã Græcorum verſionẽ ſequutum eſſe, ea autem ὀργίζεσθαι ponat etiam vbi hoc verbum רגז formidinis commotionem, & metus cõſternationem manifeſtò ſignificat, poterit fortè etiam quod Paulus dixit ὀργίζεσθε, pro ea animi perturbatione accipi, qua nobis ipſis potius dum vlciſcendi cupiditas obrepit, quàm lædentibus nos, iraſci conuenit, cõmouente nos cum metu Diuini iudicii, tum cautione, nequid Chriſtiano indignum admittatur. Paulo pòſt enim adhortatur Apoſtolus vt cum vitiis aliis omnis quoque ira profligetur. Et hìc ἐπὶ τῷ παροργισμῷ, id eſt ſuper leuiuſcula animi concitatione, noluit vt occidere ſolẽ pateremur. Quod igitur dixit, *Iraſcimini*, idem eſt acſi dixiſſet, commouemini, conſternamini dum contra fratres ira ſubit, nequid præter dilectionem illis facientes, vel dicentes, peccetis. Si tamen omnino commoueri vos contingat, animum continete, & operam date vt is motus citius quàm ſol occidat, componatur, & gratia ſarciatur. In hanc interpretationem ideo propendeo, quòd omnino ſe Dauid hoc loco introducit, à coniuratione contra ſe dehortantem, & inanem optimatum Iiſraelis, ipſiſque tantùm perniciosũm furorem verbis mitigãtem. Quare non videtur quadrare vt iraſci iuſſerit, aut etiam permiſerit: nulla enim huius apparet cauſa. At quum monuiſſet eos vana ac impoſſibilia conari: tum hortatus eſſet vt animaduerterent ſe à Deo ſelectum in regẽ, ideo ipſos fruſtra conari ſe regno exuere: appoſitè poſt hæc ſubiicit, *Expaueſcite & deterreamini à nefario cœpto*, néve vltrò vobis ipſis perniciem demẽtes conſciſcite, Deo, non mihi homini bellum inferentes. Id verò quo intelligerent, & ad hunc modum rem habere animaduerterent, commodùm iubet noctu quum maxime vacat, rationem omnium ſubducere, quódque agerent, iuſta trutina ex pendere: quo à tam impio, & ipſis exitiali auſu ſeſe reciperent, ac quieta potius ſub ſe rege Diuinitus conſtituto pace fruerentur. Cui hæc interpretatio parum arriſerit, is & vulgatam habet adſcriptam. quãquam non ſolùm Pſalmi huius argumẽto, ſed & in vniuerſum tam Apoſtolo quàm Vate dignior videtur hæc interpretatio Hebræorũ.

חטא, vti & Latinis peccare, in Scripturis pro labi & errare aliquando accipitur, vt Iud.20.c.16, de fundibulariis Beniamitarũ ſcribitur, eos iaciendi adeò fuiſſe peritos vt quiſque ad pilum lapides iaceret, nec חטא, id eſt peccaret, à pilo aberrando. Si hoc ſignificatu peccare hìc accipiamus, ſenſus erit, Cõterreamini, tam nefaria, nec minus noxia vobis tentantes, vt in tempore deſiſtatis, & non peccetis, vobis ipſis, dum me petitis, perniciem imprudentes adducturi. Sin communi ſignificatione accipere vocem hanc libet, ſenſus eſt, Ne pergite in peccato rebellionis.

Et ſilete. Hic tropus, ſiue ſynecdochen, ſiue metalepſin vocemus (nam & ex vno aliud intelligitur, & gradatim de vno ad aliud tranſitur) paſſim in Scripturis vt & aliis in linguis, occurrit. Dum nanque pacata omnia ſunt, nemo queritur, nemo clamitat, nemo tumultuatur, omnia ſilent. Ita & dum metus omnia tenet, & velut opprimit, æquè ſilentium agitur. Quod ergo ait, *Et ſilete*: nihil aliud eſt quàm, agnoſcentes contra quem ſeſe efferat furor veſter, nempe contra Deum ipſum, cœpto deterreamini, & quietem agite. Sic quum Sancti Vates tremendũ Dei aduentum prædicunt, Sileat, inquiunt, à facie eius omnis terra: hoc eſt metuens à maieſtate eius, tota ſeſe illi ſubdat, ſeſéque ab omni tumultu repugnãdi iuſſis eius, cõtineat. Chaldæus Paraphraſtes habet hìc, *Et mementote diei mortis*. Forte id ſpectauit, quòd נדמה idem valeat quod periit, actum eſt. Tacentur enim & conquieſcunt, &c. qui interierunt. Vnde Latinis, Silentes vocantur. Verùm iſtud verbi etiam ceſſare, ſuſtinere, continere ſe ſignificat, vt Iehoſua 10.c.12, dicitur, שמש בגבעון דום, id eſt ſol in Gibeon ſubſtitit. Et 1.Schmuelis cap. 14.b.9, Si dixerint ad vos, דומו ſubſiſtite, aut ſuſtinete. quare rectius & plenius erit, hoc verbi hìc per quieſcite, vel continete vos, reddere. Id enim ſatis liquet hoc verſu admoneri, atque ab inſano inſtituto ſuo reuocari, qui con-

tra Dauidem tumultuabantur. Græcus interpres habet κατανύγητε, id eſt compungamini. ſignificat ſiquidem דמה cogitauit, meditatus eſt. Iam debebat ſeditioſis iſtis rectè ita ſuum furorē ſecū reputantibus, compungens meritò, & conſternens oboriri cogitatio, veráque ſubire pœnitudo.

6 *Sacrificate ſacrificia iuſtitiæ, & ſpem in Iehouah figite.* Reſipiſcentes, & veniam ex animo Deum orātes, ſolebant id aliquo ſacrificio (quod propterea חטאת & אשם peccatum & delictum dicebatur, vt Leuit. 4.a.3, legimus) teſtari. Huiuſmodi ſacrificia à pleriſque citra iuſtitiam, hoc eſt ſolidam reſipiſcentiam fiebant: vti hodie ſua ſubinde preſbyteris peccata multa fatentur, & pleraque faciunt quibus ſe pœnitere peccatorum mētiuntur: qui nunquam tamen in animum ſeriò inducunt ſceleribus ſuis verè renuntiare, & iuſtitiæ ſe ſtudio addicere: id quod palàm omnis eorum viuendi ratio abunde teſtatur. Iā Deus abominatur quicquid non verè & ex animo geritur, eóque magis quo maiore id fuco venditatur. Hortatur igitur Dauid eos qui in cōiuratione cōtra ſe grauiter in Deū peccauerant, vt veniam à Deo orent, & id ſacrificiis teſtētur, ſed iis cum certò iuſtitiæ propoſito coniunctis: ſic ſacrificia iuſtitiæ, id eſt ſolidæ iuſtitiæ ſtudio commendata facturi. Id quo plenius exprimerem, reddidi iſtud, *cum cultu iuſtitiæ.* Chaldæus Paraphraſtes reddidit hūc verſum, Domate cōcupiſcentiam veſtram, & reputabitur vobis ſicut ſacrificia, & ſperate in Deo. Vidit hìc Vatem per id quod adiecit ſacrificiis iuſtitiam, aliquid vltra ſacrificia requirere: eóque id poſuit quod cæſæ hoſtiæ ſignificarunt, nempe carnis noſtræ mactationem. id quod & diuus Paulus ſenſit, quum Romanos hortatus eſt vt corpora ſua exhiberent hoſtiam viuam, puram, &c. Verùm hoſtiæ non ſolùm repreſſionem malorum affectuum, ſed omnimodam noſtri immutationem adumbrarūt, qua de re in Pſalmum 20 dicemus: quare immolationi Chriſti præcipuè præluſerunt. Tum vt id temporis quo hæc ſcripta ſunt, ſuum adhuc victimæ locum habuerunt: ita has ſimul Vates exhiberi voluit: at nō ſolas, aut citra reſipiſcentiam, iuſtitiæque omnifariæ profeſſionem certam & ſolidam. Plenius igitur mentem Prophetæ accipiemus, ſi iuſtitiæ cultum in quo omne genus virtutum dictum eſt, vnà cum hoſtiis, exactum hic intellexerimus. *Et ſpem figite,* inquit, *in Iehoua:* hoc eſt illo vno nitimini, non Abeſhalomo, non propriis viribus, neque vlla re alia. Hinc ergo diſcamus omnis cum mali, tum boni radicem, vnde ſit ad ſcelera defectio, & in quo ab illis ad iuſtitiam reditio. Deo vno niti & fidere, & in eo ſolo omne præſidium habere conſtitutum, eorum eſt qui verè reſipiſcunt, qui faciūt ſacrificia iuſtitiæ non expertia. Ergo in alia animo inclinare, & à creaturis ſua bona quærere, radix, fons, & fundamentum eſt omnis iniuſtitiæ. Orandum itaque, vt detur nobis & Dei potētiam & bonitatem, tum hominum ac omnium rerum extra Deum inanitatem & fugacitatem plene agnoſcere. Cui enim hoc datum eſt, ei haudquaquam poſſibile eſt nō in Deo ſolo fiduciā omnem collocare, & præ eo cuncta pro nihilo ducere, indéque ad Dei imaginem penitus reformari. Porrò ſiquis quærat quibus nos deceat ſacrificiis reſipiſcentiam teſtari, Paulus ea indicat Rom. 12.a.1. Noſtra ſiquidē corpora hoſtias viuas, Deóque vnice gratas mactare, hoc eſt gloriæ ipſius, & eorum quibuſcum viuimus, vſibus cōſecrare, vt viuere nobis Chriſtus, & mori lucrum ſit, oportet. Hoc ſi primum fecerimus holocauſtū, tum & munera offeremus, ſacras eleemoſynas, & quotidiana in quoſlibet officia: quibus hoſtiis (vt Epiſtola ad Hebræos habet) præcipue nos Deo approbamus, qui ſibi factum interpretatur quod minimis eius fecerimus. Veteres varia ſacrificia habuerunt, ſed quibus vni Chriſti ſacrificio præludebatur. nam per illa, ſacrificantes peccatis purgari haudquaquam potuerūt. Vnus eſt enim ſanguis Chriſti qui commiſſa noſtra expiat & nos Patri reconciliat, Hebræ. 9 c.11. Pro hoc & nos in ſacra Euchariſtia ſolennes agimus gratias, ac idem pia commemoratione & gratiarum actione velut repetimus. Sic enim legimus de Conſ. diſt. 2. cap. Quū frāgitur, Quū frangitur hoſtia, dum ſanguis de calice in ora fideliū funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiúſque ſanguinis de latere effuſio deſignatur? Vnde & Thomas parte 3. quæſt. 73, Euchariſtiam ſacrificiū ratione eius quod præteriit, vocari ſcripſit, quatenus in ea paſſio Dominica, quæ verum ſacrificium eſt, commemoratur. Quotieſcunque enim de hoc pane edimus, & poculo bibimus, vt D. Paulus ſcribit, mortem Domini annuntiare debemus donec veniat. Hoc qui ex vera Chriſti religione faciunt, ita ſanguine & corpore Domini paſcuntur: ſic pia conſideratione quòd horū immolatione in vitam æternam reſtituti ſunt, recreantur, & amore Seruatoris inardeſcunt, vt totos ſe illius voluntati dedant, inque gratiam eius cum fratribus verè in vnum corpus & eundem panem coaleſcāt. Fide hac qui carent, vt indignè huic adſunt myſterio, ita in iudicium ſibi manducant & bibunt, & quidvis potius quàm ſacrificia iuſtitiæ habent.

Hebr. 13.a.14. Qvæ noſtra ſacrificia.

1. Corint. 11.f.26.

7 *Multi dicentes, Quis oſtendit nobis bonum? attolle ſuper nos lumen vultus tui Iehoua.*

8 *Dediſti lætitiam in corde meo: à tempore frumentum eorum & vinum eorum aucta ſunt.*

9 *In pace vnà cum illis cubabo & dormiam, quoniam tu Iehoua ſeorſum confidenter me habitare fecisti.* Bifariam hæc exponuntur, & vtrique expoſitioni conſonant cū Pſalmi argumentū, tū verba. Prior ex-

poſitio quam Hebræi ponunt,hoſce multos Dauidis hoſtes intelligit, qui cõtinuis votis optabant cernere Dauidem extinctum.Hebræis optandi formulæ ſunt quæ & interrogãdi. Vnde מי יתן מי יראנו,id eſt quis det,quis oſtendat,hoc eſt exhibeat: idem illis eſt atque Vtinam detur,ô ſi cõtingat,vtinam videre liceat. Iam טוב pro placito,pro optato vſurpãt,dicentes, Hoc eſt bonum, illud malum in oculis meis:pro,Hoc placet,illud diſplicet mihi. Quia ergo tranſuerſos regni proceres furor egerat vt perdere Dauidem inſiſterent:cernere tandem, hoc eſt in manibus habere victoriam de illo,voto perpetuo optabant. Sic enim videndi verbo vtuntur:quod & Seruator obſeruauit quum diceret Nicodemo,Nemo niſi renatus,poteſt videre regnũ Dei. Eandem Iohan.3.a.3. ſiquidem ſententiam mox repetens dixit, Non poteſt introire regnum Dei. Erit ergo ſenſus, Multi iſti hoſtes mei,apud ſe cogitationibus vota ingeminant,O ſi tandẽ quod cupimus,quod bonum nobis quærimus,videre liceat,nimirum proſtratum Dauidem. Ego autem cõtrà oro, vt tu Deus nos,me & illos beneuolo aſpicias vultu, faueas, benigne iuues. Opto enim malum illorum vincere bono. Proinde votum meum eſt vt illos ſerues, omnéque genus beneficiis cumules. Etenim quũ dederis illis copioſe omnia prouenire, méque cum eis pace optata frui,(id quod nobis in tuis viis ambulantibus promiſiſti) me beaueris, ſummáque cor meum lætitia perfuderis. Hanc tradunt expoſitionem R. Dauid Kimhi, & R. Aben Ezra. Altera ſic habet, Hortor vt reſipiſcere,iuſtitiáque colere Deum velitis, omni fiducia in Domino fixa: hoc ſanè pacto veris bonis licebit vobis adfluere. quæ enim nunc ſectamini, inania ſunt & falſa. Me ergo audire & imitari libeat. Multi dicunt,imò omnes qui Deum non habent,Quis bona exhibeat: Ea enim hi ſemper deſiderant,quærunt,optant,conſequuntur nunquam. Ego verò ad bonorum omnium inexhauſtum fontem,vnicúmque largitorem me conuerto,orans, Irradia tu modò nobis propitio aſpectu:faue tantũ,& erimus per omnia beati. Hæ preces haudquaquam irritæ ſunt,vt nũc videtis,frumento muſtóque iſtorum qui mecum Domino fidũt, tam vbertim proueniente. Hæc certe à Domino nobis fœlicitas eſt,id quod illi fateri oportet. Tu ergo, inquam,ô Deus, cor meum gaudio repleſti:ab eo,vel propterea(vtrũque enim valet מעת)quòd tempora donaſti in quibus bonis ſic omnibus abundamus. Altiſſima iam pace cum meis fruar,liber,ſecurúſque omnium,ita vt nobis in Lege tua es pollicitus. Sic enim habet tua promiſſio, Leuit.26.a.5, Continget vobis tritura meſſem,& meſſis continget ſementem: comedetis cibum veſtrum ad ſatietatẽ,& ſedebitis in terra veſtra ſecuri. Et dabo pacem in terra,& dormietis,nec erit qui exterreat. Huic expoſitioni omnia ferè tam argumenti, quàm verborum Pſalmi, non minus quàm priori fauere videntur: tametſi prior,argumento Pſalmi inhæreat propius. Poſſet & hoc mouere,quòd non multorum,ſed omnium hoc votum ſit,Quis oſtendet nobis bona? Tum illud, Attolle ſuper nos lumen faciei tuæ: precatio fermè eſt eorum qui vrgentur aduerſis,quibúſque calamitatum ingruunt tenebræ. Quanquam in vniuerſum quibus fauemus, hos ſuauiter aſpicimus, & vultu animi beneuolentiam teſtante intuemur, qui aſpectus,velut quædam optatæ lucis irradiatio eſt: vnde per lucem aſpectus Diuini, Dei fauor, & beneuolentiæ declaratio,rectè intelligitur. נסה A.Ezræ & D.Kimhi idem valet atque נשא. Nam ס & ש,ה & א inter ſe commutantur,eo quòd eiuſdem propè ſoni ſint. R. Schlomoh נסה à נס,quod ſignum militare ſignificat,deducit,vt ſit ſenſus, Suſtolle ceu ſignũ nobis gratioſum aſpectum tuum. Eodem videtur ſpectaſſe & Græcus interpres: habet enim ἐσημειώθη, id eſt ſignatum, vel ſigni vice ſublatum eſt,lumen vultus tui. Verſum verò octauũ ſic ille reddidit, *A fructu frumenti,vini & olei eorum,multiplicati ſunt.* id eſt, vt Hebraiſmũ explicemus,aucti,magnique facti ſunt. Oleum neſcio qua occaſione adiectum ſit: nihil enim vel affine huic Hebraica habent. A fructu reddiderunt,quod Hebræis eſt מעת,id eſt à tempore:forſan quòd per metonymiam tempus fructuum,pro fructu poſitum crediderunt. Illud אתה יהוה non abſque emphaſi dictum eſt, & cum ſignificatione quadam antitheſeos: quaſi dixiſſet, Tu æterne & omnium fictor Deus, is es qui hanc nobis rerum abundantiã, certámque fœlicitatem paraſti: nemo igitur illam turbabit: & miſeri infelicéſque erunt quicunque aliunde rebus ſuis conſulere quærunt. Sedere לבדד idem valet quod per ſe,ſuo iure,ſuo arbitrio, nemine faceſſente negotium, nemine obturbãte(Græci habent κατὰ μόνας)habitare. Id quod de Iiſraele Bileam prædixit, הן עם לבדד ישכן,id eſt ecce populus per ſe habitabit, & nõ reputabitur inter Gentes. Voluit enim dicere,eum egregium & liberum fore,ſuiſque legibus victurum. Moſcheh quoque omne hoc de quo hic Dauid gloriatur, Numer.23.b.9. Iiſraeli precatus legitur Deuteron.33.d.28, Habet, inquit, Iiſrael, בטח בדד, id eſt ſecurus ſolus. Iaacob terram aſpicit frumentoſam & vitiferam: etenim & cæli ei rorẽ in tempore ſtillabũt. R. Schlomoh vetus Scripturæ interpres (cui tamen Hebræi plus merito tribuunt) interpretatur hic בדד,id eſt ſolum,de ſingulis,quòd ſeorſum quiſque ſub vite ſua & ficu, ſedem ſuam,quo Mica.4.b.4, pacem prædicit,habeat,non habentes neceſſe in vnum coire,& in munitis deſidere vrbibus. At mihi arridet interpretatio prior. Kimhi לבדד ad Deum refert, ita vt legas, In

pace ſimul cubabo & dormiam, quando tu Iehoua vnice vel ſolus,confidenter me feciſti habitare.Etenim לבדד ante æthnachtha punctum qui præcipuam periodi ſectionem Hebræis perficit,colónque cõſtituit,ponitur,& לבטח poſt cum punctũ. Sed quia iſta puncta, in Pſalmis præſertim,& cantui ac rationi carminis ſeruiunt,fit nõ rarò vt etiam ille perfectioris diſtinctionis punctus æthnachtha ſecet quæ ſenſu cohærent,commáq; faciat, non colon.Me,vt populo Dei vtrunque לבטח & לבדד tribuerem impulit, quòd ei in benedictionibus Legis coniũctim vtrunque promiſſum eſt. Vtinam verò doceat Dominus hæc nobis vera fide percipere,ab ipſo vno veram & pacem, & rerum copiam eſſe petendam. Id vnum enim vitam emendatiorem efficeret,virtutúmque ſtudium valide accenderet. Sed illud animaduertendum,& ſecuritatem, & rerum abundantiam eiſdem penè verbis à Moſcheh prædictam, quibus de his Dauid hoc loco gloriatur, nequis indignum tam cæleſti pectore putet, cor ſuum prædicare lætitia perfuſum ob externam populi fœlicitatem. Pueri inſtar habebat ille populus, vt Paulus ad Gal. 4.a.3, ſcripſit, & ad cæleſtia non ita valebat ſeſe attollere: neque non fœliciter cum eo agebatur, quando vel ex præſentibus bonis, Dei erga ſe beneuolentiã potuit agnoſcere. quod vtinam & hodie Chriſtianis multis, quos tamen oportebat hanc puerilem ætatem exceſſiſſe, cõtingat. Hinc paſſim in omnibus promiſſis & minis Dei populo huic factis, bona & mala vitæ huius propoſita legimus,quibus nimirum,vt notioribus plus mouebantur. Quanquam enim Pſalmi, vt & omnis Scriptura, propter omnium ſeculorum Dei filios ſcripti ſint, & proprie ad omnes pertineant quicunque Deum colunt:attamen cui dubium omnia congruiſſe, atque accõmoda iis quoque fuiſſe, quibus primùm & ſcripta & decantata ſunt: In Eccleſia Iiſraelis Pſalmos decantari Dauid inſtituerat, idque indubie vt fide in Deum, iuſtitiæque ſtudio erga proximos populus promoueretur. nota igitur,& rationi qua illos tum Deus ducebat,attempe rata,eam oportuit. Proinde nemo inſolens putet quòd ſiue hæc, ſiue alia, etiam pro temporis quo primùm edita ſunt ratione enarramus, quum illa de Seruatore & Eccleſia plerique ſanctorum patrum interpretati ſint. Neque enim hoc noſtro inſtituto ſanctorum patrum interpretationes damnantur,ſed ſtabiliuntur,dum præmiſſo typo,& adumbratione earum rerum quæ in Seruatore & Eccleſia perfectæ ſunt,atque quotidie perficiũtur, & clarius omnia intelliguntur,& profundius animis infiguntur: tum Iudæis anſa, noſtra calumniandi, hac ratione bona ex parte præſeinditur. Quis adeò tardus qui modo fide Chriſti verè imbutus ſit, qui conſiderans vt contra Dauidem quicquid erat in populo maſculum,cordatum, ſuſpiciendum coniurauerit: fruſtra autem tentaſſe illum regno deiicere, quòd à Deo in regem eſſet ſelectus: nõ illico cogitet, Ita & Seruatori noſtro accidit, quique ſanctiſſimi & potẽtiſſimi apud Iudæos, perdere eum fruſtra annixi ſunt: neque maiore ſucceſſu poſtea & hodie in credentibus ei ipſum oppugnarunt & oppugnant, qui mundo videntur omnia eſſe & poſſe. Selegit illum vere & vnice bonum & benignum, vtcunque mundus nihil minus ſuſtineat perſuaderi vt rex ſit omnium. Quare ſeipſos perdunt quicunque contra eum coniurant. Idem curam habet ſuorum, qui & ipſi à Deo ante conditum mundum ſelecti ſunt, vt regni eius participes ſint. Huc eos promouere hoſtes poterunt, auertere hæc non poterunt. Tum quando Chriſti ſtudioſi audiunt de quanta pace & rerũ affluentia Dauid gloriatur, quî non veniret eis extemplò in mẽtem pacis incomparabiliter altioris,& abundantiæ præſtantioris qua ſub veriore Dauide Chriſto perfruuntur quicunque ſe eius fidei permiſerunt! Solus enim cõſummatã donat ſuis requiem, Matth. 11.d.29. Vnus paſcit potátq;, ne amplius eſuriamus aut ſitiamus, Iohã. 4.b.14,& 6.d.35. & 10.f.51. Beat enim iuſtitia,& omnibus bonis reddit abſolutos. Sed neque eorũ conuellitur interpretatio qui illud *in pace cubabo & dormiam*, de Seruatore, ſecurè mortẽ ſuſcipienti interpretati ſunt. Dauid enim de ſumma ſecuritate his verbis gloriatus eſt, de ampliore gloriatus Chriſtus eſt: & eiuſmodi quidẽ, vt & mortẽ in bonis poſuerit, & quæcunque Pater immitteret, nõ æquo ſolùm, ſed cupido etiam animo exceperit. id quod ſtudẽt quicunque Deo ſeſe ex animo conſecrarunt. Hanc quoque pacem & ſecuritatem, non qualẽ mundus agnoſcit, ſuis eſt pollicitus.

Bonis temporis populus vetus ducebatur.

Quomodo hæc ad Chriſtum.

PSALMVS V, in genere communi,& δικτικός.

ARGVM. *Grauia paſſus, grauiora expectans à ſumme ſceleratis & malitioſis Schauls adulatoribus, preces quas quotidie fundebat audiri enixe & ardenter orat: ſolam ſe eo quòd nec improbi Deo probari, nec ope eius qui eum ſerio colunt, deſtitui poſſunt. Ab hoc ergo ſe regi ac defendi: & hoſtium, quorum dolos & malitiam ſimul deſcribit, pernicioſa conſilia euerti: ſicque exhilarari bonos, celebréque fieri quàm benigne ſuis faueat Deus, deprecatur.*

PARAPHR. 1 PRæſuli ad Nechiloth, ode Dauidis.

2 Admitte ô Iehouah auribus tuis quæ loquor, cognoſce quæ cogitabundus immurmuro.

3 Aduerte aurem ô mi rex, ô mi Deus, clamori meo, quum ad te preces fundo.

4 Iehouah,fac matutino me audias,qui matutino ſemper ad te vota dirigo,opémque præſtolans ſuſpicio.

5 Nec enim eiuſmodi Deus es cui probetur improbus: nec erit apud te quicquam loci noxio.

6 Veſani in conſpectu tuo neutiquam apparebunt: odiſti quicunque ſtudent prauitati.

7 Perdes qui loquũtur mẽdaciũ:Iehouah cædi & fraudibus intẽtos execratur.

8 Fretus ergo tua benignitate, domum adibo tuam: verſus Sacrariũ ſanctum tuum adorabo religione tui pauidus.

9 Tua ô Iehouah iuſtitia deducito me & regito:quúmque iſti me infenſi obſeruent,muni mihi viam tuam.

10 Nam in ore illorũ nihil recti eſt,intra ſe pernicioſos dolos cõcinnant: ſermo eorum velut patens ſepulchrum,hominem haurit,falſò blandiuntur.

11 Fac fallantur,excidant ſuis conſiliis:ob multa ſua ſcelera diſturba eos.

12 Lætentur autem qui tuo fidunt præſidio, in æternum ouent. nam tueberis illos:ideo exultabunt qui tuo ſtudent nomini.

13 Tu nanque ô Iehouah, iuſto benigne facies: beneuolentia ceu clypeo eum coronabis.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 PRæſuli ad Nechiloth,ode Dauidis. Hic primus verſus in Præfatione explicatus eſt.Quia præcipuè de mẽdacibus & dolo blãdiẽtibus inimicis Dauid hîc queritur,videtur hoc Pſalmo precationẽ memorare quã habuit in exilio, pulſus à Schaule patria: cuius furorẽ Doeg ac alii quidã adulatores ſuis continuò mendaciis, falſiſq; criminibus incendebant. In eo exilio plurima Dauidi quotidie mala accidebant: inde odii, dolíque eorum qui technis & fallaciis ſuis, horum malorum vel authores erant, vel cumulatores,ſemper ei veniebat in mentem. Quum ergo vreretur grauius, ad Dominum prece confugiebat, & animo ſuo cõſolationem petebat. Qua percepta,quum liberiore iam animo eſſet,cum in ſolatium ſui ipſius,tum vt & alios ad fidendum pariter Deo extimularet, Pſalmum huiuſmodi componebat. Si nanque & prophana hoc carmina habent vt curis & moleſtia animum leuent, quanto hoc efficiant potentius carmina ſacra, diuinóque dictata Spiritu? Maior ſiquidem vis ineſt animos componendi, & moleſtiam auertendi carminibus, quàm quiſquam facile explicauerit. Eam verò quũ admodum fœliciter attigerit Ouidius libro Triſtium quarto,Elegia 1, libuit aliquot & huc verſus adſcribere.Inde enim pio in promptu eſt colligere quantum Dauid ex his ſanctis carminibus in ſummis etiam malis exhilaratus fuerit,ſanctéque conſolatus.Sic verò ille ſcripſit,

Nos quoque delectant,quanuis nocuere,libelli:
Quódque mihi telum vulnera fecit,amo.
Forſitan hoc ſtudium poſſit furor eſſe videri:
Sed quiddam furor hic vtilitatis habet.
Semper in obtutu mentem vetat eſſe malorum,
Præſentis caſus immemorémque facit.
Vtque ſuum Bacche non ſentit ſaucia vulnus,
Dum ſtupet Idæis exululata modis:
Sic vbi mota calent ſacro mea pectora thyrſo:
Altior humano ſpiritus ille malo eſt.
Ille nec exilium,Scythici nec littora ponti,
Ille nec iratos ſentit habere deos.
Vtque ſoporiferæ biberem ſi pocula Lethes,
Temporis aduerſi ſic mihi ſenſus abeſt.

En carmina non ſolùm prophana, ſed & quæ nocuere: Poetæ tamen omnem malorum ſenſum,quæ innumera ſcribit ſe & multo grauiſſima paſſum,eximere potuerunt:quanto igitur putamus id efficacius Dauidi præſtitiſſe Diuina, quæque nunquam nõ eximie profuerũt! Non mirum igitur quòd ad ea ſcribenda idẽtidem ſeſe receperit, & de malis quæ expertus eſt, non ſingulas,ſed tanto numero odas conſcripſerit.Quantopere autem ipſum adulatorũ quo-

rundam qui Schaulem contra ſe incitabãt, improbitas & artes ſceleratæ diſcruciarint, plurimis adeò Pſalmis abunde teſtatus eſt:& in eo etiam declarauit quòd Schauli dicebat, quũ ereptis dormienti haſta & ſcypbo exprobrabat quòd ſe innocentem perſequeretur. Sin incitant te (inquiebat)contra me filii hominum,ſunt illi coram Iehoua execrati, quoniam expulerunt me nę in hæreditate Iebouæ hærerem,& dicunt,Cole Deos alienos. Nihil enim habebat antiquius quàm cum piis Deum colere:ideo nihil illi potuit æquè moleſtum accidere,atque quòd verſari inter idololatras extorrem oporteret. Hoc ergo quum debere ſe partim falſis Doeg, atque aliorum quorundam adulatorum delationibus,malignîſque artibus recordaretur, non potuit animo non grauiter affligi: atque ideo,dum hæc mentem ſubibant,preces ad Deũ fundere ardentiſſimas cogebatur:ac inde vbi animum paulíſper recepiſſet, eaſdem adſtringere numeris ſolebat, eo ſibi ægritudinẽ penitus depellens. Ex bis iam precationibus eſt & quam hoc Pſalmo refert: quare tanta eam verborum idem ſignificantium congerie deſcribit. Nam omnibus illis precãdi verbis nihil aliud vult quàm vt votis ſuis Deus annuat,& tot malis ſe eripiat. Id autem quũ inenarrabilibus gemitibus ſæpe oraſſet,eum animi æſtũ,& deſiderii vehementiam,vt qualitercũque verbis referat,tam multis vſus eſt. Propter decorum autem carminis, varietatem adhibuit & ordinem. Verba petit admitti auribus, attendi vociferationi:murmur autem,boc eſt inconditam querulationem ex afflicto corde exæſtuantẽ intelligi. Dominum, regem & Deum ſuum appellat: qua quidẽ geminatione quàm ægro & perturbato animo fuerit,ſed quia adhuc totus à Domino pẽderet, omníque fiducia in eum ſeſe coniiceret, expreſſit. Denique & illud empbaſi baudquaquam vacat, *Quum ad te precem fundo.* Id enim valet, Te regem meum & Deum agnoſco: tuo vnius præſidio confido, neque alium vindicem quæro: ad te ſiquidem,& non ad alium vota mea dirigo, precem fundo: ne igitur deſeras me. Pone tandẽ modum furori boſtium meorum,tam inſignite ſceleratorum,qui me à tuo populo,à tuo cultu depellunt. Sed neque illud abſque ſignificatione affectus ardentioris fecit, quòd tam multis verbis admitti ſuam precem orat,nec tamẽ exprimit quid petat. Sic enim grauiter adfecti ſolent, opem multis implorant,Audi,reſpice, iuua Deus:cur me negligis? cur obſurdeſcis meis precibus:& multa buiuſmodi. rem autem quæ premit tacent,arbitrati ſcilicet,quod ipſi ſolùm ſentiunt,id neminem latere. Hinc verò diſcamus,quàm ſeriis,quàm ardentibus conſtet deſideriis & votis vera oratio. Sed de buius natura & proprietate,poſt Pſalmi enarrationem aliqua ſubiiciemus. אמרי,id eſt ſermones meos,& הגיגי id eſt meditationem meam,vel affecti animi inconditum murmur. Aben Ezra pro eodẽ vtrunque accipit,& geminationis ſchema agnoſcit. Kimhi prius ad os,alterum ad cor refert:eóque בינה,id eſt intellige,ei adiectum exiſtimat:ſed vtrunque ſic affectis,ſic adflictis, & cordis & oris eſt. Vnde quum loquũtur, cor ſuum effundere dicunt: quúmque ſecum tantùm rem cogitant, imprudentes ore quoque verba immurmurãt. De voce rurſus dictum eſt in verſu 2. Pſal. 1. Hic autem vſus Vates eſt ſchemate ἐπένθεσις,media litera a duplicata,quo vim intentionémque affectus voluit exprimere. הקשיבה ſubiecto ſuo caret, quare id ſubaudiendum: omnino enim Hebæis quod hìc habetur,id valet quod nobis, *Aduerte voci clamoris.* hìc deſideratur id quod aduerti debet. Subaudiunt igitur אזן,id eſt aurẽ. כי in eodem verſu alii, etiam Græcus interpres, rationalem faciunt, ſicut vtrunque valet, & quia & quum. Hoc pacto ergo ſi hanc particulam legas, ſenſus erit, Audi me quum ad te ſolum precem meam dirigam,nullum aliud mihi præſidiũ quærens. Quòd equidem illud per *quum* reddidi, cauſa mihi fuit quòd Vates ſtatim de quotidiana ſua ſupplicatione, quam quotidie matutinò habuerit, ſubiicit. Græca in his duobus verſibus nihil variant.

4 *Iehoua mane audies uocem meam: mane dirigam, & ſuſpiciam.*

5 *Quia non Deus probans improbitatem tu: non morabitur tecum noxa.*

6 *Non apparebunt coram oculis tuis ueſani: odiſti omnes operantes prauitatem.*

7 *Perdes loquentes mendacium: uirum ſanguinum & fraudis execratur Iehouah.* Hiſce quatuor verſibus canit vt ſenſim ſibi in precatione cui quotidie incumbebat,ſuboriri cœperit cõſolatio. Hunc enim ſenſum habent, Oro anxiè, vt me audias: regem te & Deum meum vnicum adoro: ad te & nullum alium precem meam fundo,idque quotidie & matutino, orandi tẽpore ſumme opportuno. Oriatur igitur tandem illud mane, quum ſingulorum dierum exortum ſanctis ad te precibus excipio:ad te velut è ſpecula ſuſpiciam,quando me tandem iuues. Nam tu haudquaquam es vt dii gentium,qui vt Dii non ſunt, ſed noxii dæmones: ita flagitiis, fraude, & omni improbitate delectantur, tibi probari improbi haudquaquam poterunt: non patebit apud te noxiis, quibus obeſſe aliis voluptas eſt, locus. Veſani qui nihil recta ratione gerunt, ſed ita vt ferunt inſanæ eorum cupiditates raptantur, planéque furiunt, in conſpectum tuum non admittantur. odiſti quicunque iniquitati ſtudent: perdes qui mendaciis negotiũ bonis faceſſunt, viros ſanguinis auidos, & fraudi deditos auerſaris. Iam qui me in hoc exilium egerunt, atque

in eo detinent, quantúmque in eis eſt, à te ad idola Gentium depellunt: huiuſinodi ſunt improbi, noxii, væſani, ſtudioſi prauitatis, vt mendaciis innocentes circumueniant, innoxium ſanguinem fundant, vt fraude omnia inuoluant, & perturbent, intentiſſimi. Declarabis igitur in his quàm non probes, quàm non feras, quàm videre non ſuſtineas, vt perdere & auerſari huius farinæ homines ſoleas. Valde, vt dixi, dolo, fraudibus, improbitati, ſceleri, & diritati iſtorum adulatorum Dauid infenſus erat: mirum in modum vrebatur, quòd tanta illis cõtra ſe & quoſque innocentes licerent: ideò tam copioſa verborũ farragine, animi ſui in eos indignationem deprõpſit. His enim nominib' improbitatis, noxiæ, væſaniæ, prauitatis, mẽdacii, cædis, fraudis voluit animos illorũ & mores ad omnẽ dolum, iniuriã, vim & crudelitatẽ proiectos, plenámque eorum & importunã malitiam exprimere. Sicut his verbis, Non probabis, non erit apud te locus, nõ apparebũt tibi, odiſti, perdes, auerſaberis, Dei de illis iudicium notat: qui quum eos maximopere deteſtetur, haud feret diu bonis eſſe moleſtos. Et hoc Dei iudiciũ, dum adflictus auxilium Dei cõtra hoſtes ſuos oraret, conſiderando, ſpem ſuam mirificè ſuffulcit. Id quod & nobis vſu veniet, ſi certa hæc fide perceperimus, & in tempore expenderimus. *Mane, inquit, audies me.* Hic verſus legi poteſt & enuntiatiuè, & optatiuè. Nam Hebræis futura in vtrunque valent, quippe qui nullum voce Optatiuum habeant, optationem vel futuro indicatiui, vel imperatiuo exprimentes. Si legis enuntiatiuè, firmati ſpe animi vox eſt, quaſique cõceptæ certitudinis expreſſio in hunc ſenſum prioribus verſibus ſubiecta, Petii vt me tandem audias, inſtanter ad te preces fundentem. Id ſcio facies. Ego mane, id eſt quotidie matutino te precibus fatigo, animique ſuſpenſus dum opem feras expecto. Hoc non ſines me facere incaſſum, nec vſque vota mea differes. Certus ſum, erit illud quoque matutinum, in quo me audias, votorúmque compotem facias. Si verò legis hunc verſum precatiuè, quod pluſculum quadrare videtur, ſic connectetur præcedentibus, Oro vt tandem meas preces, quas ad te continuò fundo, admittas. Quotidie mane tibi appareo, precéque tuam bonitatem pulſo: patere te tandem exorem, & manè me audias. Quum enim matutino præcipuè precibus eſſet intentus, eidem tempori & exauditionem adaptauit. Simile eſt in Pſalmo 90.d.14, Satiabis nos manè bonitate tua. Item Pſalmo 143.c.8, Audire me fac manè bonitatem tuam. Solet alioqui Scriptura nominibus tenebrarum & noctis, aduerſum: lucis & diei, proſperum tempus ſignificare: at hîc, & in ſimilibus locis ad ſolẽne illud Sanctis precationis tempus reſpicit. Nam matutinum cum veſpertino tempore, in lege ſua Deus ſacrificio, precibus & hymnis deputauerat. Nume. 28.a.4, & 1. Paralip.23.d.30. Ea ergo tempora, præcipuè autem matutinũ, Sancti etiam priuatim precaturi obſeruabant olim, hodiéque obſeruant, cum quòd hoc tempore animus ad precandum aptior eſt, tum quòd ita ſe publico Dei inſtituto accommodare gaudent. Sic Pſal.88. c.14, Manè oratio mea præueniet te. Hinc & illa, Manè celebrabo bonitatẽ tuam, Pſalmo 59. c.17. Ad annuntiandum manè bonitatem tuam, Pſalmo 92.a.3. R.Schlomoh *mane* hoc refert ad tempus iudicii in improbos exercendi, affinéque videri vult illi in Pſalmis לבקרים אצמית כל רשעי ארץ, id eſt, Ad matutina cõficiam omnes improbos terræ. Nec videtur id de nihilo eſſe. licet enim alii hoc לבקרים ſingulis matutinis intelligant, tamen quia Dauid nec improbos trucidaſſe indemnatos credendus eſt, hunc ſenſum habere poteſt, Quotidie quum matutina iudicia exerceo, purgo terram improbis. Certe quum in Pſal.49.c.15, legimus, Et dominabuntur illis recti לבקר, id eſt manè, diem iudicii per mane & Kimhi intelligit. Sed hîc vt prius mane, ad iudicii tempus trahi poſſit: alterum tamen & poſterius nonniſi de precationis tempore accipi ſuſtinet. quare conuenit & prius pro eodem accipere. Refert tamen noſſe, & hunc vocis huius *mane* vſum. In illo, *Mane inſtituam, uel dirigam tibi*, Eclipſis eſt, ſubaudiendum autem precẽ. Græcus habet παραστήσομαί σοι, id eſt aſſiſtam, vel adero tibi. Hieronymus, præparabor. Chaldæus, ordinabor coram te. ſed quum actiuum ſit אערך, & Hebræa non minus quàm aliæ linguæ, paſſim eclipſes admittãt, probabilior videtur lectio Aben Ezræ, & Kimhi, quam ſequutus ſum. Illud אצפה, quod Græcus reddidit ἐπόψομαι, videbo, contẽplabor: ego, quia Vates habitum anxiè orantis Deum exprimere voluit, verti, *præſtolans ſuſpicio*. Eſt enim ethopœia. Quẽ enim quis aliquid anxiè orat, in eum intentos perpetuò oculos habet. Hunc habitum vehemẽtiore cum affectu expreſſit Pſal.69.a.4, Defecerũt oculi mei præ expectatione ad Deum meum: hoc eſt præ nimia ſuſpectione ad eum, ita vt fit dum diu & intentè aliquò aſpicitur: id quod patiuntur qui vehementi aliquem deſiderio expectant aduenturum: atque ideo ſemper eò oculos habent intentos, vnde venturum eum præſtolantur. eodem ſchemate vſus eſt & Hizkiah, Sublati ſunt oculi mei in excelſum. Cæterùm ſignificat צפה, intente aliquid videre, & quaſi contẽplari. vnde Pſal. 37.f.32, volens exprimere Deum ſemper videre, præſentémq; mẽtem intendere tam improbis quàm iuſtis: Salomon Prouerb.15.a.3, tam malis, quàm bonis: Pſal.66.b.7, gentibus: vſus eſt hoc verbo צפה. Eadémq; de cauſa ſpeculatoris nomen ab hoc verbo deducunt. Hic ergo quum

Mane precari ſolenne.

Pſal.101.b.8.

Eſa.38.b.14.

Vates ſignificare voluerit quàm anxie & enixe orarit, mentémque inde & oculos ad Deum ſuſtulerit, intentóſque habuerit (id quod ſolent qui opem Dei anxiè implorant) non ſolùm *ſuſpicio*, ſed *præſtolans ſuſpicio*, reddere viſum eſt, ſequutus Kimhi. רשע & רע, id eſt improbitatem & noxam verſu quinto dixit, ſed intellexit improbos & noxios. Græcus habet *ἀνομίαν καὶ πονηρευόμενον*, id eſt iniquitatem & nocentē. לא יגרך, id eſt non habitabit tecum, nihil aliud eſt quàm non patebit ei apud te locus, nō feres. Græcus habet *παροικήσει*. הוללים inſani dicuntur, & furentes: id quod ſe

1.Samuel.21.d.13. ſimulabat Dauid, agnitus apud regem Achiſch regem Gath, quum inter manus ſeruorum huius regis faciem immutaſſet, & ſaliuam deſpumaret. Ibi enim hoc verbi ſacra hiſtoria vſurpauit. Transfertur autem ad inſanientes improbitate. Hoc ſignificatu huius verbi vſus eſt & infrà Pſalm. 73.a.3, & 75.b.5, & 102.b.9, ītē Eccleſiaſtes multis in locis. Conſonat hîc cum Scriptura dogma Stoicorum, quibus omnes improbi & ſtulti inſanire dicuntur. Et quæ demētia, quæ inſania grauior, quàm mētem datam Diuinitus in hoc vt omnibus recta ratione proſimus, totam ad lædendum homines conuertere: Id quod iſti ſtudebant quos hoc loco Vates הוללים, id eſt væſanos dixit. Græcus cōſonans, reddidit *παρανόμους*. Nō apparebūt ante oculos tuos: idē valet quod, Non ſuſtinebis eos venire in conſpectū tuum, tantopere illos execraris. Et eſt anthropopathia. quos enim homines vehementer deteſtantur, eos nō poſſunt intueri. פעלי און operarios iniquitatis vertere vulgò ſolent, qui verbum verbo reddunt, ſicut און omnino prauitatem & iniquitatem ſignificat. Græcus habet *ἐργαζομένους τὴν ἀνομίαν*. Huic ergo qui dediti ſunt, & quorū omnia facta praua & iniqua ſunt, eos Scriptura פעלי און, id eſt operatores prauitatis, qui toti ſcilicet in hoc ſunt, vocat. Per loquentes mendaciū, vtique mendaciis, quibus aliis negotium exhibeant, deditos, Vates intelligit. אנשי דמים, frequens in Scripturis appellatio eſt, & ſignificat eum qui ſanguinem innoxium fundendi facilis, aut etiam ſtudioſus eſt, quem nos ſanguinarium dicimus.

8 *Et ego in multitudine bonitatis tuæ ueniam domum tuam, ſupplicabo ad templum ſanctum tuum in timore tui.*

Senſus eſt, Dum tua, ô Deus, iudicia tecta mecum via reputo, ſatis bona ſpe eſſe incipio. Certum eſt te improbos iſtos prorſus odiſſe, & ferre coram te non poſſe. Erit igitur vt horum inſidiis per amplam tuam bonitatem liberatus, quum illos nimirum ita vt merētur perdideris, adeam ego domum tuam: & adorans verſus ſacratiorē Nominis tui ſedem, gratias tibi de tantis in me beneficiis agam, dignéque ſemper colā: quem iſti modò prorſus negligunt, imò impietate plurima offendunt. Nam de tempore Schaulis Dauidem corā principibus & concio-

1.Par.13.a.3. ne Iſraelis teſtatum legimus, quādo ad reducendū arcā fœderis hortabatur, In diebus Schaulis, arcæ Dei noſtri nullam rationem habuimus: nō inquiſiuimus, hoc eſt religione aliqua adiuimus, לא דרשנהו. Vt enim Deum vero animo colebat, ita nihil in ſuo exilio ferebat tam moleſte, quàm ſe à ſocietate religionis & cultus Dei excluſum eſſe, quod cū expoſtulatio illa cum Schaule quam ſuprà adduxi, tum multi in Pſalmis loci indicant. Pſal. 27.a.4, Vnum, inquit, hoc ab Iehouah petii, id ipſum quæram, ſedere per omnem vitam meā in domo Iehouæ. Item Pſal. 42.a.1, Quemadmodum ceruus præ ſiti vociferatur ad riuos aquarum, ita vociferatur anima mea ad te Deus, &c. Toto hoc Pſalmo miris affectibus deſiderium ſuum deſcribit, quo flagrabat iterum in Eccleſiam Dei perueniēdi, & cum Sanctis Deum adorandi, precandíque. Quod ait, *in multitudine bonitatis tuæ*: idem valet atque, ampla tua bonitate fretus qua nimirum ſperabat ſe omnibus tandem periculis ereptum, religionibus optatò vacaturum. Per templum ſanctū intelligit interius ſacrarium in quo Arca ſtabat, quod Sanctum ſanctorum dicebatur. Nam ſicut hanc ſacratiorem ſedem ſuam fore Deus promiſerat, ita faciem huc vertebāt precantes. Cæterum היכל, ſignificat palatium, adytum, & ſacratiorem aulam. nam Schlomoh templum illud ſuperbum nondum extruxerat. Non ſunt autem hæc ſic accipienda quaſi Dauid externum illud tabernaculum tanti habuerit. vbique enim Deus ſuis præſens eſt, & adorari debet: quanquam eo temporis, quo populus commodius in religionis vnitate conſeruaretur, voluerit peculiarem habere cultus ſui locum: ſed quòd eum magnopere vreret, quòd oporteret verſari inter impios idololatras, & plurimum adfligeret deſiderium ſanctæ cum timentibus Deum ſocietatis. Nam qui Deum vere amant, nullum maius tormentum habent, quàm non licere laudes eius palàm, & cum aliquo pietatis fructu deprædicare: ſicut nulla re æquè delectantur, quàm in illis cum filiis Dei eſſe toti. Hinc & Paulus tam anxiè cupiebat fratres ſubinde inuiſere, & ex mutua fide ſibi & illis conſolationem atque robur pietatis adferre. Eo autem quod ait, *in timore tuo*: ſignificat, quàm ſolicita, quàm feruēti cupiat in Eccleſia Dei religione & veneratione ipſum prædicare. Paſſim enim timoris nomine Scriptura religionem, trepidámque Dei venerationem ſignificat. אשתחוה, id eſt *ſupplicabo*, vel *adorabo*, quod eſt ſummam venerationem teſtantium: eóque hoc verbo omnem venerationis cultum quem cupiebat in Eccleſia Dei exhibere, intellexit per ſynecdochen.

9 *Iehouah, deduc me in iuſtitia tua propter inſidiatores meos, rectam fac coram me uiam tuam.*
10 *Quoniam non in ore eorum rectum, intimum eorum fraudes, ſepulchrum apertum guttur eorum: lingua ſua falſo blandiuntur.*
11 *Fac fallantur, ô Deus, cadant conſiliis ſuis: in multitudine ſcelerum eorum expelle eos, quoniam rebellarunt tibi.*

Precando ad Deum Sancti conſolantur, & conſolatione erecti, ad orandum confidentius rurſum èxcitàtur. Ita Dauid improborum perſequutione preſſus, & animi anxius, ad Deum prece confugit. in ea continuò ſuccurrit ei iuſtitia Domini: quæ vt improbos quoſque execratur, ita ferre diu non poteſt, ſicut & eos nequaquam deſerere quos & diligit. Hæc ergo ſpe animatus, orat nunc iterum Dominum vt ſe *iuſtitia ſua* deducat & moderetur. Bifariam verò poteſt hæc particula intelligi. Primùm, vt ב idem valeat quod per, ſicut Pſalmo 31.a.1, In iuſtitia tua libera me. Et Pſal.35.d.24, In iuſtitia tua vindica me. Et Pſal.71.a.1, In iuſtitia tua libera & eripe me. His enim & multis aliis locis, pollet hæc præpoſitio ב, quæ idē quoque valet quod per: & accipitur iuſtitia Dei pro ea qua Deus ipſe iuſtus, hoc eſt ſumme bonus eſt. Quum ergo inueniatur iſtud verbi נחה alicubi ſine ablatiuo cum præpoſitione in, vt Deuter. 32. a.2, Iehouah ſolus deduxit nos: & aliquot locis aliis, ſicut & nos deducere vſurpamus: verti hanc verſus particulam, quaſi orauerit ſe per Dei iuſtitiam, id eſt bonitatem deduci atque regi. Alio modo poteſt iuſtitia Dei accipi pro ea quam nos docet, & in nobis probat. Si ſic accipias, ſenſus erit, Dirige, rege, duc me ò Iehoua, vt iuſtitiæ tuæ viam ingrediar: iuſtitiæ veræ & ſolidæ, quam tu ſolus & doces & donas ſtudeam. Pluribus enim in locis inuenias verbum נחה cum ablatiuo ſignificante viam, vel ſemitā in qua fiat deductio: vt Gen.24.f.48, Iehouah deduxit me in via. Et infrà Pſal.23.a.3, Deduxit me in ſemitis iuſtitiæ. Et Pſal.27.d.11, Deduxit me in tramite recto. Hic ſenſus pulchrè ſanè congruit cum ſequenti particula, *& uiam tuam muni, rectam fac coram me.* Eandem enim iuſtitiam & viam Domini hoc pacto dixerit, ſolito ſcilicet vſus geminationis ſchemate. Vnde & Aben Ezra, & Kimhi hunc ſenſum hìc amplexi ſunt: & ego dum ſingula expendo, propè in eundem inclino. Priorem ſenſum in verſione reddidi, quòd rarenter adeò reperias iuſtitiā Dei dici, quā nos præditos eſſe oporteat: plerunque autem, qua Deus iuſtus, hoc eſt vndiquaque bonus eſt. Tum id quod habemus Exod. 15.b.13, Deduxiſti populum iuſtum בחסדך, in bonitate tua: ſimile videbatur: ſicut & illud, In columna nubis, id eſt duce, & prælucente nube, vel per columnam nubis. Qui iam malit Hebræos ſequi, is verſus huius ſenſum ſic reddat: *Illi infenſi me obſeruant, inſtrue ergo & rege me, ô Iehouah: ut iuſtitiæ quam tu doces, ſtudeam, uitámque quam tu probas, mihi expedi.* Eſt enim verſus hic allegoria, ſolo iuſtitiæ vocabulo ſimpliciter vſurpato. Allegoriam compleueris ſi cum Hebræis ſic legas, Deduc me via iuſtitiæ tuæ, & dirige viam tuam coram me. Vt enim is qui aliquem deducit via cōmoda, & ſemitam munit, hoc eſt rectam facit, expedit & dirigit, efficit vt ille inoffenſe gradiatur, & ad optatum terminum perueniat: ita docente nos Domino ſuam iuſtitiam, veram ſcilicet omnium dilectionem, & facilem reddente viam, ex hac comparatam quæ via eius dicitur, nuſquam offendimus, & fœliciter ad præfixam nobis metam, vitam dignam Chriſto Domino noſtro peruenimus. Græcus habet, Dirige viam meam in conſpectu tuo. Immutata verba, ſed ſenſus idem. Tum enim via, hoc eſt vita noſtra coram Domino directa eſt, quum datum eſt ex ipſius eam volūtate, inſtitutóque comparare: id eſt quum via ipſius nobis directa, expeditáque, vt per eam graſſemur, fuerit. Denique quū Deus charitas ſit, hoc eſt æterna, & ad omnia pertingens, ínque omnibus rebus ſummè elucens bonitas, & in huius imitatione noſtri conſummatio ac fœlicitas, ſicut & Legis impletio conſiſtit: eadem certe Dei & noſtra cum iuſtitia, tum via eſt, qua quidem inſiſtere filii Dei debemus, & eò quò ille nos deſtinauit perueniemus. Quod ergo ait, *Dirige in conſpectu meo uiam tuam*, hoc eſt fac id agam, in eo verſer, illud inſtitutum ſequar quod tu probas, cuius in te ipſo exemplum exhibes, cui ſoli verum ſucceſſum adſpiras: idem orat Pſal.25.a.4, Notas fac mihi Iehouah vias tuas, & ſemitas tuas doce me: hoc eſt, doce me vitam te dignam, fac in Lege tua viuam. Enimuero viuendi ratio quam exigit Dominus, ſola recta eſt: at nobis non ita agnoſcitur: tum ergo hanc ipſe viam dirigit, munit, expedit ante conſpectum noſtrum, dum donat agnoſci rectā & planam, vt iam nihil æquè libeat, quàm in illa graſſari. *Propter inſidiatores meos*, ſenſus, Illi ſummo me ſtudio obſeruant ſicubi noceant, ſicubi præcipitent, nec licet niſi tuo ducatu, tua proſpectione, horū euadere inſidias. quo ergo hi magis intenti ſunt vt me euertāt, hoc tu benignius mihi adſis, ipſe me ducens & regēs, vt tuis inhæreā placitis, tuæ incūbam iuſtitiæ. Hoc vbi dederis, & tuus me Spiritus in omnib' ad tua iuſſa deduxerit, bono erūt mihi omnia: nihil officient, quālibet vigilanter & intentè mihi improbi iſti inſidiētur. שוררי dicuntur à שור, quod videre ſignificat. Num.24.c.17, אשורנו ולא קרוב, Videbo eū, vel intuebor, ſed nō propè. Inimicos ſuos hoc nomine appellat, quòd intentos in ſe oculos haberent, quærentes ſcilicet occaſionē eum ſubuertendi. Græcus reddidit, ἐχθρῶν. Chaldæus Paraphraſtes, *Propter laudē meam*

Exo.13.d.21.

poſuit:forſan,quòd שיר canticum,& inde laudem,noménque ſignificat. ſed nihil ad rem. Pſal. 54.a.7, *arguentes* reddidit. Eſt verò vocis huius vſus maxime in Pſalmis, vt Pſal. 27.d.11,& 54.a.7,& 56.a.3. Porrò non hoc ſolũ loco propter hoſtes ſuos ſe iuuari poſtulat Vates. Eo autem indicat, tanto certius nobis à Deo ſperandum auxilium,quanto acrius infeſti mali fuerint:& eo curam & defenſionem Dei præſentius nos ſenſuros, quo grauius odiũ preſſerit peruerſorum.

Huius ergo cauſa repetit de dolo, fraude & verſutia hoſtiũ ſuorum: *Nihil recti*, nihil veri queritur eſſe in ore illorum: *intimum eorum*, id eſt quæ in corde cogitant,eſſe dolos & technas. *Guttur eorum* eſſe velut patulum ſepulchrum, eo quòd ſermone ſuo, quem ex gutture blandiuſcule eliquant,homines illectant, ineſcatos deglutiunt ac perdunt: vt nõ minus de eo qui illecebris ſeu blanditiis eorum acceſſerit,actum ſit,quàm de eo qui iam poſitus ſit in ſepulchro. Vtque apertum ſepulchrum iamiam mortuum expectat, ita illi noxia ſua blandiloquẽtia ſemper in hoc intenti ſunt, vt homines illectos & captos, vorent & extinguant. Id amplius explicat eo, *lingua*
יחליקון *ſua falſò blandiũtur*. Significat enim Hebræis verbum quod hic poſitum eſt, diuidere, partiri. Qui enim falſò blandiuntur,non vt res habet,non vt in corde cogitant loquuntur, ſed diuidunt & partiuntur verba ad gratiam eorum quibus volunt imponere,quæque vera ſunt,corde tegunt
Iac.3.a.12. quo illaqueent. quos D. Iacobus ait, ex eodem ore dulce & amarum proferre:& communi prouerbio dicũtur,ex eodem ore calidum & frigidum ſpirare. Talis Doeg atque reliqui Schaulis adulatores erãt. Proinde petit vt Deus eos falli faciat,& excidere, hoc eſt fruſtrari *ſuis conſiliis*, ac ita diſturbari , confundi & euerti in omnibus rebus ſuis. Cauſam adiicit, *pro multitudine ſcelerum eorum*. Et, *tibi rebelles ſunt*, hoc eſt tuo imperio obſiſtunt, téque reiiciunt, dum tuæ erga me conſtitutioni tanto furore obnituntur. *Fac fallantur*, eſt Hebræis האשימם, quod verbum ab אשם ducitur, id peccatum ſignificat. Hinc legunt alii, Condemna eos: alii, iudica. qui enim cõdemnantur, rei peracti,peccatores fiunt:id quod hoc verbi ſignificare,ex forma hiphil videtur. Sed quũ attendimus quod hic ſanctus orat,ſe inſidiis & noxiis inimicorum ſuorum conſiliis, in quibus illi toti erant,liberari: magis quadrat expoſitio Hebræorum אשם, ſicut אשמה pro errore accipiunt. vt ſit ſenſus, Fac eos peccare, id eſt errare, falli, conſiliis ſuis fruſtrari. Quæ ſcelera verti, פשעים Propheta dixit: ea ſunt, vt placet D. Kimhi in interpretatione Pſalmi 25. & probatur multis Scripturæ locis, in quibus vocis huius vſus eſt quæ ſcientes & volentes contra Deum delinquuntur, vnde פשע per מרד, quod rebellionem ſignificat, Kimhi interpretatur. Ita nanque ſcribitur de Moab, quòd ויפשע בישראל, id eſt, deficit ab Iiſraele, 2. Regum 1.a.1. Et 1. Reg. 12.d.19, de Iiſraele, quòd defecerit à domo Dauid. Ea ergo peccata, quibus velut à Domino deficimus, & quodammodo rebellamus, פשעים dicuntur. Ea conſummata rebellione committuntur à reprobis: ideo ſemper ferè reprobis ea in Scriptura tribuuntur: Sanctis autẽ חטאות, quòd horũ commiſſa propemodum omnia ex ignorantia accidãt. Sed quia his quoque vſu aliquando venit vt cum ſcientia, eóque & voluntate peccent, vti ſcelus fuit quod Dauid in Vriah deſignauit, inuenitur vbi & Sanctis פשע tribuitur, vt in Pſalmo 5.b.27,& locis aliis: quanquã plena rebellione à Deo hi nunquam deficiant. Cæterùm eſt in hoc verſu quædam ſpecies amplificationis per incrementum. Primùm enim orat vt Deus improbos peragat reos, conuincat mortem meruiſſe: proximum, & hoc primo nonnihil amplius, vt cadant ſuis ipſorum conſiliis: pœna enim exprimitur. Iam vtroque maius eſt vt Dominus ipſe eos impellat. eo enim impellente, neceſſe eſt eos decidere in gehennam, omni ſpe reſurgendi ſublata. Hæc verò metaphora impulſionis Diuinæ admodum frequens in Scripturis eſt, & ideo probe conſideranda atque pertimeſcenda. Præcipitatio enim eſt, & omnium conſiliorũ atque actionum eiuſmodi perturbatio, vt neceſſe ſit ſic impulſos penitus interire. Orandum igitur vt & nos Dominus pro ſua iuſtitia deducat in via ſua, eámque nobis ita muniat, planámque faciat, ne latum digitum ab ea deflectamus. Nam ſi deflexerimus, vt iam contra Dominum ferimur, metus eſt vt omnia noſtra conſilia tandem euertantur, ipſique pereamus funditus, ſic vt par eſt rebellantes Deo ſuo.

12 *Et lætentur omnes tibi fidentes, in æternum ouent, & proteges eos, & exultent in te diligentes nomen tuum.*

13 *Nam tu, ô Iehouah, benefacies iuſto, coronabis eum beneuolentia, uelut clypeo.* Orauerat Vates Dominum, vt hoſtium ſuorũ conſilia euerteret, ac ita eos perderet. nunc orat vt eos qui ipſius ſe fidei addixerunt, ita iuuet, vt ſempiterno gaudio lætẽtur, & ouent, lætitia planè exultantes. Cauſam ſubiicit, *& defendes eos*. Deo enim defendẽte, non ſolùm nemo poteſt nocere, ſed omnia etiam cedunt ſaluti iis qui diligunt & ſuſpiciunt nomen eius. Vnde additur, *Quoniam tu benedicis iuſto*. hoc eſt benefacies tandem, non ſines vſque à malis & peruerſis iſtis hominibus iuſtitiam colentem diuexari: *dignatione & beneuolentia tua eu ſcuto circundabis*, & cinges vndique eum. non ita fidere ſignificat, vt ſubditi fidunt ſuo principi, quũ eius ſe fidei & protectioni committunt. Gallice dicitur, *ſe mettre en la ſauluegarde, protection, & defenſe*. Atque hoc ſenſu illud Pſalmi ſecundi de Chriſto epiphonema intelligitur, Beati qui confidunt eo: id eſt regem illum ſuum agnoſcunt, & eius ſe

protectioni committunt.

DISPVTATIO DE PRECATIONE.

Quia verò precatio in hoc Pſalmo, & ea feruens admodum deſcripta eſt, de natura & ratione religioſæ ac veræ precationis paucula hîc ſubiicere conſtitui. Capax adeò bonorum eſt animus hominis, vt cum nihil prorſus, præter Deum exatiare queat. Hunc verò tum demum poſſidet, dum plenè cognitum, plenè item amauerit, ac per omnia ad eius voluntatem fuerit formatus. Huc igitur donec perueniant, qui ex Deo nati ſunt, & diuinarum rerum aliquẽ guſtum perceperunt, perpetuò ſuſpirant. Qúmque Deum ſuper omnia amant, mirum in modum eos vrit, quòd illum reliqui mortales non æquè amant & ſuſpiciunt. Et hic iam ſempiternis votis exæſtuant, vt regnum Dei paſſim obtineat, & à quamplùrimis bonitas Dei & agnoſcatur, & vita exprimatur. Quoniã itaque infinita ſunt quæ tam in ipſis Sanctis, quàm in aliis gloriæ Diuinæ aduerſantur, iugi deſiderio inſtaurandæ eius ardẽt, & inenarrabilibus gemitibus Diuinas aures, vt Spiritum ſuũ largius effundat, indeſinenter pulſant: fitq; interdum vt mens, eo quòd Diuinæ gloriæ curſus vel in ſe, vel aliis præter ſolitũ remoretur, angoribus paulo acrioribus exagitetur: ibi, quandoquidem nouit, omnia Deum pro bona ſua voluntate moderari, ac neminẽ alium poſſe rebus afflictis conſulere, ſubducit ſeſe identidẽ à negotiis aliis quibuſvis, & religioſis cogitationibus cum Deo colloquium miſcet: queritur vt Patri quæ angunt, implorat eius opẽ petitque peráxiè cum ſibi, tum aliis, præcipue quos in Domino peculiariter cõplectitur, Spiritũ bonũ vberius impartiri: memorat quæ cum ſibi, tum aliis, Deus beneficia largitus eſt, agitque pro his gratias. tum hinc erigitur, & accẽditur, tam ad optimam de voluntate erga ſe Dei ſpem, malorúmq; omniũ tolerantiã, quàm ad ſtudiũ reprimendi prauos carnis affectus, vitámq; omnẽ inſtituẽdi, quo ſit hominibus frugi, & Deo gloriæ. Hæc illa oratio eſt quã in clauſo cubiculo ad Patrẽ fundendã Chriſtus monuit. In huiuſmodi precibus ſubinde ipſe quoque pernoctauit: tale cum Patre & in Oliuarũ monte colloquiũ miſcuit. Huius generis fuerunt & Pauli orationes, in quibus ſuorum meminiſſe, & incrementa eis Spiritus Chriſti orare ſolebat. Hæc vera mentis eſt in Deum eleuatio, & cordis, non oris oratio: in qua eo quiſque eſt frequentior, quo Spiritu Dei amplius eſt donatus. Porrò ad hanc precationẽ, & hoc cum Deo colloquiũ incitandi, momẽta nõ exigua habet præter reliquã Scripturam, & Pſalmorũ, aliarúmq; ſanctarũ precationũ recitatio, preſſáque conſideratio. Hinc & D. Paulus in cœtu fratrũ, Pſalmorũ, hymnorũ, & ſpiritualiũ concionũ vſum inſtituit, ſed ſic vt in cordibus noſtris canamus & pſallamus. Ephe.5.d.19, & Col.3.c.16. Tertullianus in Apologetico ſuo, cap.39, memorat, poſt ἀγάπας, id eſt conuiuia, quæ alendæ & exercendæ dilectionis mutuæ gratia olim Chriſtiani celebrabãt (nã quoſq; inopes eo refrigerio, vt ipſius verbo vtar, iuuabãt) morẽ fuiſſe vt poſt aquã manualem & lumina, in mediũ prouocaretur canere, vt quiſque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poſſet: & hinc probatũ fuiſſe quomodo bibiſſet. Meminit & Plinius iunior in Epiſtola ad Traianũ de Chriſtianis, ſibi narraſſe eos qui Chriſtiani fuerãt, ſolitos fuiſſe ſtato die ante lucẽ conuenire, carménque Chriſto quaſi Deo dicere. Pace Eccleſiis reddita, pſallendi vſus creuit, ſed adeò citra incremẽta ſancti in Deũ ardoris, vt diuus Hieronymus ſua iã ætate horrenda ſanè vitia in pſallẽtibus notarit: quòd nẽpe in tragœdiarum modum guttur & fauces medicamine linirent, vt in Eccleſia theatrales moduli audirentur, & cantica: quũ Deo corde, nõ ſola voce cantandum ſit. Hoc mali ſucceſſu temporis ita auctũ eſt, vt diuus Gregorius queratur, in ſancta Romana Eccleſia pridẽ irrepſiſſe cõſuetudinẽ valde reprehẽſibilem, vt quidam ad ſacrũ altaris miniſterium conſtituti, cãtores eligerentur: & in diaconatus ordine conſtituti, modulationum vocibus inſeruirent, quos ad prædicationis officium & eleemoſynarum ſtudia vacare congruebat. ac inde factum plerunque, vt in ſacro miniſterio, dum blanda vox quæreretur, congrua vita negligeretur: & cantor miniſter Deum moribus ſtimularet, quum populum vocibus delectaret. Quare ſub pœna anathematis hic ſanctus Pontifex cauit, ne deinceps ii qui altaris miniſterio deputati eſſent, cantarent: ſed tantùm lectioni Euangelicæ incumberent. Hæc leguntur in Canone, In ſancta, Diſt.92. Quid cauturum hunc ſanctum Patrem credamus, ſi in præſenti, Pontificatu fungeretur, quum hodie omnis ferè Eccleſiaſticus ordo, vel ſolis cantibus, & iis à pauciſſimis intellectis, denique ob ſolam pecuniã, addictus eſt, in eíſque ita ſe habeant quamplurimi, vt videãtur ex profeſſo velle Deũ irridere? Nam quid aliud eſt, Deũ ſacris verbis, & à religioſiſſimis mẽtibus cõpoſitis, quæque ſacratiſſimos affectus teſtãtur, inuocare, & nihil minus quàm Deũ in animo cogitare, Dei omnia ridere, totámque mentẽ in quibuſvis habere flagitiis abſorptã? Vbi fides apud Iudæos deerat, & innocentiæ ſtudium, Deus etiam à ſe inſtitutas ceremonias ſibi moleſtas, & abominationi eſſe affirmabat, vt caput primũ Ieſchaiah multis ſanè teſtatur: quomodo credemus, eum iam ad iſta quorundam non tam ſacra cantica, quàm ludibria, affici? Certe, vt omnes

[Marginal notes: Cur ſe precentur. — Quid oratio. — Quæ orationem promoueant. — Quid Gregorius ſtatuerit de cantu Eccleſiaſtico. — Ieſ.1.c.11. — In Canone. Sedulo diſtinc.92.]

Sanɛti cenſuerunt, & Auguſtinus libro De catechizandis rudibus ſcripſit, non ſunt voces ad aures Dei,niſi affectus animi. Referuntur in gloſſa ad textum Hieronymi,in diſt.92. Canone, Cantores,verſiculi,quos quum admodum pii ſint,adſcribere libuit.

Non vox,ſed votum:non chordula muſica,ſed cor:
Non clamans,ſed amans,cantat in aure Dei.

Quouſque verba precationis extendenda. Proinde diuus Thomas in altera partitione ſecundæ partis,Quæſt.83,ſequutus diuum Auguſtinum ad Probam, piè cenſet,verba precationis non eſſe vltrà quàm ad excitandum interioris deſiderii feruorem conducant, extendenda. Quare & diuus Auguſtinus in memorato iam libro,fratres in AEgypto in exemplum laudat, qui breuiſſimas, & raptim quodammodo iaculatas orationes habuerunt,ne illa animi intentio,qua vere oratur,per productiores moras euaneſceret, atque hebetaretur. Ad idem citatur in Canone, Non mediocriter. de Conſecra. diſt.5.ſub nomine D.Hieronymi dictum: quod vtinã tãtum hodie valeret,quàm verum & Apoſtolicæ doctrinæ cõſonum eſt, Melior eſt quinque Pſalmorum decantatio cum cordis puritate, ſerenitate, ac ſpirituali hilaritate, quàm totius Pſalterii modulatio cũ anxietate cordis atque triſtitia. Sed & Chryſoſtomus ſanctè & elegãter de eadẽ re,ne longi in precãdo ſermones extendãtur, in Homilia quadã De oratione, præcipiens inter cætera ait, Si corpore bumi proſtrato,& ore incaſſum nugãte,mens totã domum & forũ circumeat,quomodo talis dicere poterit quòd in conſpectu Dei precatus ſit? Ex his quis non videat quantũ ab inſtituto Seruatoris,qui multiloquiũ ſine mente deteſtatus eſt, à doctrina & vſu Apoſtolorũ, primæ & ſanctioris Eccleſiæ,diuorũ patrum ac Pontificũ,atque omniũ denique rectè ſentientiũ diſſideat,quicquid ferè paſſim precationũ & ſanctarũ cantionũ nomine non ſolũ iactatur,ſed nimis magno etiam venditur? Qui iam ſcimus à nobis requiri vt Deum adoremus in Spiritu & veritate,quî fit vt ab iſtis adeò Spiritu & veritate vacuis precibus & cantibus, nobis iram Dei non metuimus? An putamus nunc Deũ hypocriſi & ceremoniis ſine fide adhibitis, cõtra naturam ſuam delectari? Taceo hîc quòd quũ publicitus iſta in Eccleſiis, & ingentibus ſalariis cõducta exhibeantur:plebis tamen ædificandæ, vel expoſitis ei quæ aliena ipſi lingua dicuntur & modulãtur, nulla adeò ratio habetur, quaſi nihil ad nos attineret quod diuus Paulus 1.Cor.14.a.5, de eo tam diligenter præcepit, nequid in Eccleſia diceretur,aut cantaretur quod non intellectum ab omnibus,omnibus vtilitatem adferret. Diuus Auguſtinus, vt loco ſuprà citato legimus, in publicis precibus barbariſmos atque ſolœciſmos, perturbatámq; diſtinctionẽ corrigi voluit, quò populus planè omnia intelligens,diceret Amen,quod & Paulus poſtulat. Aliud certè cenſuit Iuſtinianus Imperator. Legimus ſiquidem in 123, conſtitutione Authentici,Adhæc iubemus vt omnes Epiſcopi pariter & Preſbyteri non tacito modo,ſed clara voce quæ à fideli populo exaudiatur, ſacram oblationem & preces in ſancto Baptiſmate adhibitas celebrent: quo maiore exinde deuotione in depromendis Domini Dei laudibus, ad audientiã animi efferantur. *1.Cor.14.c.16.* Ita enim diuus Apoſtolus docet,dicens in 1.Corint. epiſtola, Enimuero ſi ſolummodo benedicas ſpiritu, quomodo is qui priuati locum implet, dicet ad gratiarum actionẽ tuam Deo ipſum Amen? quandoquidẽ quid dicas nõ videt. Tu quidem pulchrè gratias agis, alter autem *Rom.10.b.10.* non ædificatur. Et rurſus in epiſtola ad Roma.ſic inquit, Corde quidem creditur ad iuſtitiam, ore autẽ fit confeſſio ad ſalutẽ. His igitur de cauſis conuenit vt inter cæteras preces & ea quæ in ſancta oblatione dicũtur,clara voce à religioſiſſimis Epiſcopis & Preſbyteris Domino noſtro Ieſu Chriſto Deo noſtro cum Patre & ſancto Spiritu proferãtur, ſciturus religioſiſſimis Sacerdotibus,quòd ſiquid horum neglexerint,& in horrendo iudicio magni Dei & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti,de his rationem reddent: neque nos hæc cognoſcentes conquieſcemus, relinquemúſque inulta. Hæc ille. Vtinã autem hæc cura vel Epiſcopis modò ſit. Nam hac tempeſtate ſic ſacra omnia habentur,vt populus non ſolùm nõ planè, ſed prorſus nihil intelligat, eóque ædificari doctrina & exhortatione, quamobrem iſta inſtituta ſunt, nequeat: & vtinã ea vel cantãtibus ad pietatis inſtaurationem intelligerentur. Sed quum hic publicitus peccetur, nec ſit id emendare,niſi eorum qui publica poteſtate funguntur, debet interim quiſque pro ſe cauere,ne dum precatur,aliud agat animo,quando non ſit niſi animi opus vera ad Deum precatio: & quicquid verborum adhibetur,vt cum Auguſtino omnes rectè ſentientes agnoſcunt, in hoc tantùm adhibeatur quo animi feruor excitetur. Verba enim ſine mente in precatione fundere,quid aliud quàm Dei irriſio habeatur? Certe nemo hominũ ferret ſibi ſic verba fieri.

Quæ oranda. Porrò quæ oranda ſint,nuſquam ſuccinctius & clarius,quàm in precatione Dominica traduntur. Primum omnium eſt,vt Dei nomen ſanctum paſſim & celebre habeatur: Vt regnum eius per Euangelium,quo recepto in verba eius plurimi iurent,vbique adueniat. Vtque qui illi nos addiximus,prõpte & vltrò ita vt cælites,voluntati eius ſtudeamus. Hæc dum precamur, *Precationis Dominicæ enarratio.* regnum Dei, Deique iuſtitiam, quæ ante res vitæ præſentis quærenda eſt, precamur. Deinde

quoniá omnia, etiá vitæ præſentis bona, à Domino proficiſcūtur, precamur pie & illa & hæc
ſub nomine panis quotidiani. Quanquá & eorum qui hic potius cibum cæleſtem, intelligunt
cognitionē Diuinæ erga nos bonitatis, qua ad id vt ſponte in nobis Dei voluntas fiat, mirificè
alimur, haudquaquam abſurda ſententia eſt. His itaque docuit nos Seruator quæ à Deo pre-
caremur, quæ aut omnia ſpiritalia ſunt: aut ſi illud Panem noſtrum, de neceſſariis vitæ huius
intelligimus (quod nequaquam Sanctis indignum eſt) poſt ſpiritualia, & quæ proprie pietatis
ſunt, precandum inſtituit. In reliquis docuit quæ deprecaremur: quorum primum eſt, com-
miſſorum cōdonatio, quæ quum impudenter petatur ab iis qui non ita fractis animis ſunt, vt
omnibus omnia remittant, adiecta eſt profeſſio, qua profiteamur nos iam omnibus in nos ad-
miſſa condonaſſe. Quum autem ſatis non ſit, admiſſa mala nobis condonari, niſi iuxtà ſerue-
mur, ne noua admittamus: iuſſit poſt hæc precari, ne in tētationem nos Pater inducat, permit-
tens nos peruerſis Satanæ ſuggeſtionib⁹, ſed liberet potius ab huius improbitate & vi. Etenim
Satanam & alibi τὸν πονηρὸν, id eſt malum, per antonomaſiam Dominus vocauit. Mala illa ex- [illegible]
terna, quádo Chriſtiana profeſſio, ſi ad nullum peccatum adigunt, inter bona numerat, depre-
cari Seruator non docuit. Etenim precationem hanc ſic compoſuit, vt contineret quæ in vni-
uerſum Chriſtiani orare fide poſſint. Sæpenumero autem fit vt mala externa, quoniam verè
mala, id eſt gloriæ Dei in nobis aduerſantia non ſunt, ab orantibus fide deprecari nequeant.
Semper enim præferunt fide præditi ſuo, iudicium Dei, eique quum id ex iis quæ accidunt co-
gnoſcunt, ſe totos ſummittunt, tametſi iuuet interim infirmitatem eorum Spiritus inenarra-
bilibus gemitibus: quibus quum ipſa mala non liceat, niſi ad tempus à bona Patris voluntate
conſtitutum deprecari, animū tamen orat & impetrat cum fructu illa ferendi, ac mirandam
denique in ipſis malis conſolationem. Hinc, ſi illis grauius preſſi, animi moleſtiam inter pre-
candum coram Deo effundant, vti & Seruator in monte Oliuarum fecit, ea magis querulatio Matth. 26. d. 39. & 42.
quædam eſt, quàm deprecatio. Semper nanque Dominum imitati, ſubiiciunt, At non mea, ſed
tua volūtas fiat. Neque aliter depelli & aliis mala corporis orant, niſi Spiritu Dei edocti ſcian-
eorum depulſionem certò ad Dei gloriam facturam, eam abſolutè minime precantur. Ita ſa-
nè Apoſtoli dum ſanarunt prece ægrotos, aut mortuis vitam reddiderunt, à Spiritu Dei certi
facti erant, quæ orabant, gloriam Dei pro ipſius voluntate illuſtratura, nunquam alioqui ea
citra conditionem oraſſent: eo quòd nihil melius potuerunt habere quàm quæ vellet Deus,
neque etiam ab eo alia ſperare. Hinc iam & illud liquere poteſt, cur Sancti qui omnium ſa- Vnde vt hoſtibus ſuis Sancti dira imprecentur.
lutem ſummopere cupiunt, tam dira nonnunquam hoſtibus ſuis imprecentur, vti in multis
Pſalmis legere eſt. Vera precatio, vt dictū eſt, opus animi eſt, cogitationibus cum Deo collo-
quentis, eóque diuino Spiritu huc attracti & afflati. In quo mira ſæpenumero & docetur, & pa
titur, multáque interdum Dei iudicia ei reuelantur. Ita & Dauid & alii Sanctorum, incredi-
bili quodam in ſuis precibus ardore in Deum rapti, plerunque viderunt, oſtendente Spiritu
Dei, quàm deplorati hoſtes eorum eſſent, quæque eos mala manerēt. Tum quæ optimū Deum
optime decreuiſſe certò agnouerunt, ea non potuerunt non optare confiteri. Quúmque com-
poſitis hymnis & pſalmis canere de eiuſmodi Dei iudiciis occaſio fuit, inducunt ſe diriſſimè
deuouentes, quibus diriora diuinitus decreta mala, iam in ſuo illo cum Deo colloquio didice-
rant: volentes quadam dinoſi deterrere malos, & conſolari bonos, vt qui in eo Dei interpre-
tes eſſent. Etenim quū Sancti diligant ſuper omnia Deum, non poſſunt quicquam ab eo pete-
re quod non ſperant eum vltrò daturum: alioqui non orarent ex fide, certò ſcilicet perſuaſi ſe
exoraturos quod orāt. Iam hæc perſuaſio, hæc ſpes, munus Dei eſt, & opus Spiritus cæleſtis, vt
in confeſſo eſt apud Theologos vniuerſos. Proinde nihil recte oratur, niſi de quo Spiritus Dei
ſpiritui noſtro teſtimoniū præbeat, id iam Deo decretum eſſe vt nobis largiatur. Iam peccant
ad mortem quidam, hoc eſt in Spiritum ſanctum, præſentem Dei virtutem non modò in ſa-
lutem ſuam non admittentes, ſed etiam blaſphemantes & oppugnātes. horum peccatum quia
nunquam, teſtante Domino, remitti poteſt, non iubet Iohannes pro eo orare: qui tamen pro i- 1. Ioh. 5. d. 16.
nimicis & ipſe orabat, & idem docere alios ſolebat. Vnde verò hæc inclementia? Quia condo-
nari nequit horum ſcelus, quia nullus Sanctorum afflari poteſt vt credat ſe eis cōdonationem
exoraturum. Iam citra fidem Deum aliquid orare nemo valet Sanctorum: nam id illuſio Dei
eſſet. Afflantur autem nonnunquam, vt certò videant ſempiternam de illis vltionem ſumen-
dam. eam ergo, dum aliter illi ab oppugnanda Dei voluntate depelli non poſſunt, orant pro
bono Patris decreto accelerari, vímque eius ſubinde verbis explicant, quo primùm illis ipſis
perditis, omnis excuſationis prætextus adimatur: deinde qui ſanabiles ſunt, ab eorū ſtudiis de-
terreantur: denique & qui ab eis affliguntur, ſpe bona confirmentur. Hinc tam diræ impre-
cationes, immanéſque deuotiones cum in reliqua Scriptura, tum in Pſalmis leguntur. Cæte-
rùm omnibus, etiam infenſiſſimis hoſtibus fauent Sancti, & ex animo pro eis orant, quantum

exorare docti Spiritu Dei poſſunt. ſed quum Deũ iure ante mortales quoſque ament: vt eius voluntate (qua nil melius) delectantur, ita nihil quoque prius queunt à Deo precari, quàm illam perfici. Poſtremò ſubiiciam & hoc, Rogant quidam, Quum nihil aliud fieri poſſit, nec aliud Sancti fieri velint quàm quæ Deus vltrò facere decreuit, & illa ipſe facturus ſit, ſi etiam nemo eum roget, ad quid Sancti tam multi ſint in precibus. At qui iſtuc rogant, nõdum didicerunt quid ſit verè Deum orare. Bene morata & amans viri vxor, nihil prorſus petere virum auſit, quod illum non cum gratia & vltrò, etiamſi non rogetur, facturum ſperet: adhuc de iis rebus ipſis quæ ſcit maritum velle, libenter cum eo colloquitur: vtque cupit iam illa, vel ex eo quòd probâtur marito, vidétque eum decreuiſſe ea facere, ita precatur vt faciat. Quanto magis iam hunc in modum comparatus ſit animus verè amans Dei, quum nihil poſſit vel cogitari melius, quàm quæ facere Deus ſtatuit? Quis enim non optet, petâtque quæ agnoſcit omnium optima? Ea igitur non poſſunt non precari Sancti, quamlibet ſciant ea Dominũ, etiam nemine orante facturum. Eſt præterea & alius precum vſus. Monemur ſiquidem precando, omnia in eius manu eſſe quem oramus: & quæcunque contra hunc bonorũ omnium autorem deliquimus, inter precandum nobis, velut ipſo exprobrante, occurrunt: vera animum pœnitentia ſubit, ſanctum purius deinceps viuẽdi votum concipitur, modíſque omnibus ſtudium innocentiæ veræque pietatis incenditur. Hæc tanta bona quum religioſa precatio pariat, quis miretur Sanctos cum ipſos in orationibus eſſe frequẽtes, & ardentes, tum ad eandem alioſquoque tãtopere inuitare? Nec alia certè cauſa fuit cur Paulus, qui ſciens cui crediddiſſet, certúſque ſe Deo probari, enixè adeò in omnibus epiſtolis petierit vt pro ſe fratres orarent. Sciebat ſicut Chriſti gloriã, ita illorum profectum, vtrunque apud illos, nulla re efficacius obtineri quàm ſanctis precationibus, quibus ſe homo totum Deo conſecrat: ſciebat, vel ſui ergo ſtudio ad has inuitare quærebat. Enimuerò quum Paulo illi orabant libertatem, dexteritatem, cõſtantiam prædicandi Euangelii, id quod ab eis ille petebat, quî potuiſſent non & ipſi huius propagandi deſiderio accendi, eóque in ſe tam ſeriò deteſtari quodcunque huius curſum remorari potuit: & amplecti quæ illud cum apud ſe, tum alios promouere poſſint omnia? Erat ergo è re iſtorum vt pro Paulo preces funderent: idque Paulus ſpectabat, nihil alioqui ſui vſpiam quærẽs. Porrò quum etiam externa oramus, habet id quoque in ſe fructum ampliſſimum. aut enim ea impetraturi oramus, aut ſecus. Si illud: experimur Deum facere volũtatem timentium ſe, & amore ſtudióque eius hoc magis inardeſcimus. Et ſolet hoc Deus, quum benefacere ſuis deſtinauit, excitare eorum animos vt idipſum à ſe orent, quo nimirum & ſe, & donum ſuum, illis tanto chariorem faciat, quanto id illi ardentius cupiuerint, & ab ipſo orauerint enixius. Dici enim non poteſt quantum eos oblectet, quantúmque ignis Diuini amoris in eis accẽdat, quòd ſentiunt Deum ſic in ſe indulgentem, ſic facilem, ſic denique benignè ſuis votis reſpondentem. Sin alterum, mirificè tum conſolamur quum quæ premunt mala, Deo querimur: intérque orandum diſcimus quòd ea, mala nobis nõ ſint, & ad ferenda ea pulcherrimè duramur. Ex his iam ſatis liquet, etſi mutari Dei voluntatem impoſſibile ſit, nec mutari eam Sancti velint, ingentem tamen eſſe piæ precationis fructum, ſiue id quod oramus impetremus, ſiue minus. Attollit enim ſemper nos ad Deum verè religioſa oratio, noſtrámque Diuinæ voluntati, quæ ſola bona eſt, conformat, in quo ſita omnis noſtra & ſalus, & fœlicitas eſt. Hactenus de precatione hoc loco. alibi dabũtur reliqua, præſertim de ieiunio & vigiliis, quæ Sancti in precationibus grauioribus ſemper adhibuerunt: noſtro autem ſeculo, ne nomina quidem horum à pluribus rectè tenentur.

Cur oremus, quæ vltro Deus facit

Præcipuus precum fructus.

Quis fructus quũ oramus externa.

PSALMVS VI, in genere miſto, & εὐκτικός.

Precatio eſt multo uehementiſſima, intolerabiliter ægrotantis: & mortem, ne illa, gloria Dei aliquid obſcuretur, plurimum horrentis: non de reſtituta ſibi ſalute glorIantis, hoſtibúſque ſuis piè inſultantis.

1 PRæſuli in Neginoth, ſuper Scheminith, Ode Dauidis.
2 Iehouah, ne corripias me iratus, néve caſtiges indignatione feruidus.
3 Miſerere mei Iehouah, nã fractus morbo ego ſum: ſana me, ô Iehouah, nam
concutit terror oſſa mea.
4 Terror concutit vltra modum animam meam, tu verò Iehouah quouſque?
5 Recipe ab ira te ô Iehouah, eripe animam meã, ſerua me pro tua bonitate.
6 Etenim inter mortuos nemo tui memor eſt, apud inferos quis te celebret?
7 Defatigatus ſum ſuſpiriis, macero ſingulis noctibus torum meum: lachry-
mis meis lectum meum colliquefacio.

8 Facies mea præ indignatione carioſa:propter infeſtos mihi,planè cadauero-
ſa euaſit.
9 Faceſſite à me,quicũque prauitati ſtudetis:nã Iehouah audit queſtus meos,
quos cum fletu profundo.
10 Audit Iehouah deprecationem meam,Iehouah precem meam ſuſcipit.
11 Pudefient & conſternabuntur cuncti inimici mei: repellentur, & pudefient
ſubitó.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 P*Ræſuli in Negiloth,ſuper Scheminith,Ode Dauidis.* Hic verſus in Præfatione explanatus eſt.
2 *Iehouah,ne in ira tua corripias me,& ne in furore tuo caſtiges me.*
3 *Miſerere mei Iehouah,nam morbo fractus ſum ego:ſana me Iehouah,quia conterrita ſunt oſſa mea.*
4 *Conterrita eſt nimium anima mea,& tu Iehouah uſquequo?* Non parũ ad veritatis ſimilitudinem
propendere videtur D.Kimhi ſententia, qui cenſet hunc Pſalmum à Dauide compoſitum de
ægrotatione aliqua ſua, & in eo iis qui morbo aliquando tenerentur, velut precandi formam *Qua occaſione hic Pſalmus conſcriptus.*
præſcripſiſſe. Tale ſanè quid verba ſonant: neque exigua eſt huius Odæ cum precatione illa
Hizkiiah regis,quam legitur ſeruatus à morbo exitiali,compoſuiſſe,Ieſcha.38.a.1,cõgruentia.
Equidem extra dubiũ eſſe rem ipſam conſiderantibus puto, omnes eos Pſalmos in quibus periculi aut incõmodi alicuius fit mentio,poſt depulſionem illius,à ſanctis Vatibus cauſa prædicandæ Dei erga ſe bonitatis,& inuitandi quoſlibet ad fidendum eidem & viuendum, eſſe conſcriptos. Sic vtique feciſſe Hizkiiah regem,loco iam citato Propheta memorat. Proinde arbitror, correptum fuiſſe Dauidem graui aliquo & ancipiti morbo, quo extinguendum eum hoſtes,homines ſcelerati & nefarii ſperauerint. Quum ergo perpenderet ſua morte fore vt perditi illi, gloriæ Dei & hominum ſaluti plurimum obſiſterent, peranxiè & obnixè Deum pro ſalute oraſſe: quam quũ exoraſſet,tum hoc carmen condidiſſe, in quo & animi ſui ex morbo ſimul & hoſtium inſultatione mirum in modum afflicti æſtus & preces,deinde & de recepta ſanitate lætitiam & gloriationem commemorauit. Et more ſuo,velut iam ſic afficeretur,energiæ cauſa iſta cecinit,vſus proſopopœia. A verſu igitur ſecũdo vſque ad verſum nonum,inducit ſe dolore ſupra vires diſcruciatum, tantam iræ Diuinæ vim miris affectibus deprecantem: in reliquis verò de reddita ſalute, & confundendis hoſtibus gloriantẽ. Totus ſiquidem Pſalmus inſigniter patheticus eſt. Scio pleroſque omnes,quæ morbũ & mortẽ deprecans Vates hìc canit, allegoricῶs interpretari, & ad Spiritum rapere. Sed dum nulla cogit ad allegorias neceſſitas, neque certiores ad illas inuitent coniecturæ, neque minus dignum Dauidi fuerit huiuſmodi de ſe ſcribere,quàm Hizkiiah:ſequar ego ſimplicem horum interpretationẽ. Qui allegoricam malunt,habent eam apud alios. *Iehouah*. Hæc ipſa Dei inuocatio,animi ſummos ferentis cruciatus indicium eſt: *Ne*,inquit, *in ira tua*,&c. id eſt,ne adeò diriter ceu iratus, grauiq; indignatione accenſus. Correptionem patre dignam non deprecor: at ſæuam tãtopere & immanem qui feram: Miſerere mei:nam planè morbus me fregit,viribus exhauſtus, ac propè cõfectus ſum. id enim אמלל ſignificat. Tales certè Iudæos fuiſſe ſignificare volebat Sãballat præfectus regis Perſarum, quãdo irridens conatus illorum, vbi cœpiſſent ruinas Ieruſalem excitare,dicebat, מה היהודים האמללים עשים, id eſt,Quid faciũt Iudæi iſti,fracti,& viribus omnibus deſtituti? Nehem.
4.a.2. Sic & mater Schmuelis deiectam,effœtámque intellexit,quãdo canit,Donec ſterilis pariat ſeptem, id eſt multos, & aucta liberis אמללה. Cæterũ apud Ieſchaiah, Iirmeiah,Hoſea,Ioel, *1.Sam.2.a.5.*
Nachum,regionũ,vrbium,hominũ, agrorum, & omniũ quæ è terra naſcuntur, defectionem, vaſtitatem,ac velut extremã virium confectionẽ ſignificat. Iungitur ſæpius cum אבל,quod lugere,ac inde per Synecdochẽ Scripturis familiarẽ,actum eſſe ſignificat: nonnunquã cum בהל, vt hîc,quod conſternari,atque deiecto eſſe animo ſignificat. Græcus reddidit ἀσθενής: ſed non infirmitatem modò,verùm ſummam & acerrimam vim morbi,qua iam ſibi penitus confectus, omnibúſque viribus deſtitutus videbatur, exprimere hac voce voluit. *Sana me Iehouah*. exprimit verò & hæc appellationis geminatio affectum. *Nam conterreme facta ſunt oſſa mea*. hoc morbi vehementiam ſignificat,qui omnia concuſſerit vt in oſſibus quoque deſæuiret. בהל,ſignificat terreri proprie, vt & Pſal.2.a.5, eo vſus eſt: vnde de mortis terrore oſſa quoque peruadente,eo támque animã penitus deiiciente,non ineptè intelligas. Grauiorẽ enim metũ,& oſſa cõcutere experimur: vnde & Virgilius, Gelidúſque per ima cucurrit Oſſa tremor. Et rurſum, Poſtquã pauor oſſa reliquit. Animã hìc pro corpore D.Kimhi accipit. Sed non inepte omnẽ illã virtutẽ qua viuimus & ſentimus, fuiſſe morbi cruciatibus, & mortis horrore ſummè deiectã & cõſternatã intelligemus: vti de ſe & Seruator dicebat in mõte Oliuarũ, Anima mea mœſta eſt *Matth.26.d.38.*

vſque ad mortem. *Et tu Iehouah quouſque?* Plena affectus reticentia: ſubauditur, ſines me cum morbo tam difficili & ſæuo conflictari? quouſque opem tuam ſic diuexato, cōturbato, & planè fracto differes? Secundo verſui ſimile quid habet Iirmeias 10.d.24. Caſtiga me Iehouah, ſed cum æquitate iudicii, non in ira tua, ne me imminuas. Ad eundem modum & Pſalmus 38, incipit.

5 *Reuertere, ô Iehouah, libera animam meam, ſerua me propter bonitatem tuam.*
6 *Nam non in morte memoria tui, in inferno quis te laudet?* Redi Iehouah, inquit. Nam videbatur
ei Deus auerſus, ac velut aliò ſe recepiſſe, quū tanto eum diſcruciari dolore ſineret. Orat igitur vt ad ſe reuertatur, hoc eſt fauorē ſuum iterum exhibeat, & velut ab ira ſe recipiat. *Eripe animam meam,* ne morbus hic me abſumat, *ſerua me pro tua bonitate*, meis meritis nihil poſco. *Neque enim in morte*, id eſt apud mortuos, memoria tui eſt. Et בשאול, id eſt in ſepulchro (quidam vertunt, in inferno, etſi ſepulchrū propriè ſignificet) quis te celebret? his cauſam reddidit cur mori adeò reformidarit. Gloriæ Dei erat longe ſtudioſiſſimus: hanc ſtatuerat, & cœperat mirū in modum illuſtrare. ſi hinc migraſſet, videbat futurū vt hoſtes ſui, perditi & nefarii homines, obſcurare illam pro viribus fuiſſent anniſi. Hinc ergo tam anxiè orat in vita ſeruari, memorans mortuos & ſepultos, Dei beneficia in hoc ſæculo, & inter mortales minime prædicare: iam par eſſe vt & hæc vita habeat, qui conditoris bonitatem dignis laudibus extollant. Planè idem & Hiſ-
Eſa.38.d.18. kiiah in ſuo carmine poſuit, Neque enim infernus, vel ſepulchrum, hoc eſt defuncti hac vita, celebrabunt te: mors non laudabit te, id eſt mortui non memorabunt veritatem tuam, deſcendentes in foueam, id eſt demiſſi in ſepulchrum, &c. Et Dauid Pſal.118, Nō moriar, ſed viuam: vt enarrem opus Iehouæ. קבר, שחת, בור, שאול, His omnibus ſepulchrum ſignificatur, ſed diuerſa ratione. שאול, quòd ſepulchrum videtur ſemper patere: abſumit enim omnia. בור, quòd effodiatur, ſitque fouea quædam. שחת, à corrumpendo. nihil enim non corrumpitur & diſſoluitur quod fuerit ſepultum. קבר, item à fodiendo. Quum autem de ſtatu Spirituum noſtrorū poſt hanc vitam, perparum memoretur in Veteri inſtrumento, deſunt & nomina eius. Satis nanque habuit Deus in eo præſentis vitæ rectam rationem præcepiſſe: quam ſi hîc amplexi fuerimus, non poterimus non optimè habere in ſeculo futuro. Vt igitur Latini, ab eo quòd terra reconduntur mortui, ac ita infra nos ponuntur, Inferos dixerunt: ita & Scriptura, à ſepulchro mutuato nomine, eorundem conditionem, שאול, id eſt quod infernum reddunt, vocat. Iaacob dicebat, Deſcēdam lugens שאולה, id eſt in infernum, ad filium meum. Geneſ.37.g.35. De ſeditioſis Korah & coniuratis eius, ſcribitur quòd viui deſcenderint שאולה, id eſt in infernum, Nume. 16.e.33. Quis autem dubitet, Iaacob vnquam aliò peruenturum ſe ſperaſſe, quàm quò tranſlatus ab angelis fuit Lazarus, in ſinum Abrahæ, in beatum fidelium patrum concilium: ſeditioſos autem illos longe aliò deſcendiſſe? Significatur ergo hoc nomine שאול, quod per infernum ferè redditur, ſtatus mortuorum, tam bonorum quàm malorum. Malorum autem peculiariter à Seruatore Gehenna dicitur, ſicut etiam Hebræi eam iam tum vocare cœperant, nomine deducto à גיא בן הנם, id eſt valle filii Hinnom, in quā cadauera, & quicquid ſordiū Hieroſolymis erat, efferebatur, vbi & Molech liberos ſuos impii adoleuerunt. de hac legis Iirme.7.g.31, & 19. a.2, & 32.f.35. Hunc ergo locū cōtracto nomine גהנם, id eſt gehennā vocarunt: & eodem per trāſlationem, cōditionem eorum qui æternis addicuntur ſuppliciis. Hi enim ſunt ceu mundi excrementa, quibus in Ieruſalem ciuitate Sanctorum, locus eſſe non poteſt.

7 *Laboraui in gemitu meo, omni nocte macerabo lectum meum, lachryma mea ſtratum meum colliqueſaciam.*
8 *Tabidus eſt præ indignatione oculus meus, inueterauit in omnibus coartatoribus meis.* Hæ audentes hy-
perbolæ ſunt, doloris amplificandi cauſa adhibitæ. Laboraſſe ſe inquit, ſuſpirādo & flēdo, planéque fuiſſe defatigatum: eam lachrymarum vim ſingulis noctibus, quū & morbus grauius ſæuit, & ſolitudo dolori habenas laxat, fudiſſe, vt innatarit in eis lectus. vnde macerare ego reddidi. Nam macerari dicuntur quæ in aquis aliquandiu tenentur, molliuntur, & extenuantur. Gallice dicuntur, *eſtre mouillez & deſtrempez.* Huic ſignificatui tū pulchrè conſonat id quod ſequitur, Et lachrymis meis ſtratum meum colliquefaciam, vel diſſoluam. Nam quæ ſupra iuſtum tempus macerantur, tandem putrefacta liqueſcunt, diſſoluuntur, & diffluunt: vt de lino fit ex quo chartæ conficiuntur. Vt autem nimio dolore & fletu facies contrahitur, & velut corroſa à tineis apparet, id deinceps accidiſſe ſibi queritur, factámque carioſam. Cauſam adiicit, indignationem in aduerſarios & inimicos ſuos. Hæc enim quum morbo acceſſiſſet, penitus eum confecit. Hi autem coartatores & inimici eius, iidem & Dei erant. quare quum de eius morbo potiſſimum hac cauſa gauderent, quòd ſperarēt fore vt extincto hoc rege, religionis perquàm ſtrenuo vindice, rurſus pro ſua graſſarentur libidine, omnéque fas & ius peſſundarent: doluit id pio principi, ſuprà quàm dici poſſit. vnde tantis vſus hyperbolis eſt. Quod verti, *Defatigatus ſum ſuſpirio*: alii reddunt, *in gemitu meo.* ſignificat enim אנחה gemitum vel ſuſpirium, licet

etiam anxietudinem nonnunquã. At quia dixit Vates, *in gemitu uel ſuſpirio meo macerabo lectum meum*, ſatis liquet non de quouis ſuſpirio, ſed fundente lachrymas, & quidem plurimas, eum intellexiſſe, quibus ſcilicet lectus maceraretur & diſſolueretur. Id enim ſignificat מסה, vt ex Ieſ. 25. d. 11, liquere poteſt. ערש, quod *torum* verti, fulcrum magis, & tori ſpondam, quàm ipſum torum vel lectum ſignificat: ſed ex iuncto verbo pro eo quod fulcro inſternitur, vſurpatum intelligitur. Culcitram ſiquidem & ſtragula lacbrymis rigaſſe ſe, dicere voluit. Peraudax eſt verſus huius hyperbole, ſed talibus vti ſolent qui dolent acerbius. Sic Ouidius, Pérque ſinus lacbrymæ fluminis inſtar eunt. Et, Hument incultæ fonte perenne genæ. עששה ab עש deductũ eſt, quod tineam ſignificat, carioſam ſcilicet & tabidam, ac velut à tineis corroſam, penitúſq; deformatam, ac pluſquam ſenilem factam faciem ſuam dicere voluit. עתקה reddidi *cadauerosa facta eſt*. Intellexit enim ex nimio dolore de impia inſultatione boſtium ſuccum ſibi omnem corporis deperiiſſe, ſéque prorſus contabuiſſe, facie iam aduſta, indéque carioſa & cadaueroſa, ceu iam capulari ætate eſſet, reddita. Et hæc ſanè byperbole, quam Hebræi vocāt גוזמא & הבאי, rem ipſam admodum excedit. Sed conceditur, inquit Fabius, dicere amplius, quãdo dici quantum ſatis eſt, non poteſt: meliúſque vltrà quàm citrà, ſtat oratio. עין, id eſt oculum, pro facie Scriptura ſæpè vſurpat: ſicut nos, os pro tota facie dicimus. Nos verò hinc cogitemus, quàm inexplicabili dolore, & ob vim morbi, & improbitatem boſtium ſuo malo gaudentium diſcruciatus fuerit, vt hi tanti queſtus eum non minus decuerint, quàm Seruatorē id quod dicebat, Mœſta eſt anima mea vſque ad mortē. quod quàm verè dixerit, ſanguineus ſudor quē mox exudauit, abunde teſtatus eſt. Qui enim nobilioribus, & ideo magis teneris ſunt ingeniis, maiore item vi affectuũ, etiam quorumlibet, feruntur. Iam quæ Sacræ literæ de Dauide memorant, liquidò oſtendunt eum fuiſſe compoſitione naturæ ſubtili, ingenio mirè acri, affectibúſq; admodũ ardentibus. Hinc quocũque afficeretur modo, acrem & vehemētem ſe in eo exhibuit, etſi nihil præter decorum, nihil per impotentiam, excepto facto Vriah, admiſerit. *ἀπάθειαν* Deus in ſuis non requirit, vnde ne Seruator quidem eam præſtitit. Neque contra Dei voluntatē vi affectuum rapiantur Sancti, ſtuduiſſe ſatis babent vt non afficiantur: ſicut Deus nequaquã poſtulat, ipſi nihil in id laborant. Et ſi abeſſet illis dolor, quid quæſo paterentur? quæ foret illis crux? Cruciari igitur, doleréque eos oportet. Id verò queri apud Deum, & opem eius implorare, animi eſt Deum pro Patre habentis: quo quũ nibil ſit indulgentius, nihil æque miſericors, queſtibus huiuſmodi delectatur, non offenditur. Semper enim horum querelis Spiritus ſuccinit, At non mea, ſed tua voluntas fiat. *Dolere & queri apud Deum Sanctis non dedecet.*

9 *Faceſſite à me omnes operarij prauitatis nam audiuit Iehouah uocem fletus mei.*

10 *Iehouah audiuit deprecationem meam: Iehouah precem meam ſuſcepit.*

11 *Pudefiant & perterrebuntur ualde omnes inimici mei: uertentur & pudefient ſubito.* His verſibus canit vt animum receperit, ſpéque fultus de ope Domini, iam velut victor hoſtibus ſuis piè inſultarit. Faceſſere à ſe iubet inimicos, qui ſumma ſpe & auiditate mortē ſuam expectauerant. Prædicat tandem ſe flebilibus querelis ſuis Deum exoraſſe, & admiſſam ab eo ſuam deprecationem: iámque planè exultat eò rem rediiſſe, vt à conatu ſuo nefario inimici ſui repulſi ſint: ac ita ſubitò pudefiant, idque ingenti cum perturbatione & terrore, eo quòd iam viderent, oportere eius quem tantopere oderant, & extinctum iri ſperauerant, imperium perferre. Faceſſere verò iubet inimicos. frequentes enim aderant ei, amicos ſe ſimulantes: interim autem nihil quàm interitũ eius expectantes, de quo canit Pſalmo 41. b. 6. Vbi itaque ſenſit morbũ remitti, & Dominum ſuam precem audiiſſe, cogitauit hæc apud ſe, Vota veſtra ſunt ò peruerſi, Quando tandem morietur, quando abſumet eum vis morbi? Faceſſite ſpe veſtra impia deluſi. Frequentes adeſſe mibi viſi eſtis, tanquã ex officio humanitatis me inuiſuri: ſed hoc vobis explorare voluiſtis, quãdo ego morte mea, graſſandi vobis pro veſtra libidine viam iterũ aperirē. nũc pudefacti dilabemini, conſternati & confuſi, ídque ſubitó. Spe enim de morte Dauidis iam ſecuri erant, quũ ſubito Dominus vires ei, depulſo morbo reſtitueret. ישבו, id eſt reuertētur, Hebræi bifariã interpretantur. vno modo, per pœnitebit eos: alio, iam mecũ redibunt in gratiã. Mihi videtur quũ iunctũ ſit cum יבשו, id eſt pudefient, idem valere atque Mutabunt cũ cõfuſione conſiliũ, & velut à cœpto ſuo retrocedent. Apparet enim allegoriam eſſe ſimilitudine mutuata à victis in prælio, qui pedem cum ignominia referunt. Quanquã ſiquis conſideret quòd ad Dauidem hi venerint ſpe vidēdi mortē eius: vnde ille vbi opē Domini ſenſit, in animo ſuo eis dixerit, Faceſſite, diſcedite à me, fruſtrati expectatione veſtra: non male quadret vt in hunc ſenſum hoc accipiamus, Spes mortis meæ iſtos tanto numero acciuit: nunc quũ ſe fruſtratos vident, dilabentur, rurſúſq; ad ſua reuertentur pudefacti. Enallagen temporum & perſonarũ, ſicut & aliorum accidentium, perpetuò in Pſalmis admitti, in Præfatione dictum. Congeriem adhibet in verſu vltimo, quo gaudii ſui, & gratulationis vim plenius explicet. Omnia ardent

affectibus. vera enim viuáque ſunt, vigent & agunt in Sanctis omnia. Quòd autem tantopere
gaudet de hoſtiũ deiectione, perturbatione & ignominia, dilectioni ſynceræ nihil aduerſatur.
deplorari enim erant, de qua re in Pſalmũ ſuperiorem quædam diximus. Nihil debet ſanè o-
ptatius Sanctis accidere quàm vt fiat quod bona ſua voluntate decreuit Deus. ideo nõ poſſunt
non gaudere,& lætitia planè exultare vbi ita euenit, quantouis id cum malorũ incõmodo fiat.
Impius fuerat horum de quibus canit, conatus: ita enim Dauidis regno aduerſati erant vt ſi-
mul regnum Dei apud populum quærerent extinguere, non tam Dauidis, quàm Dei hoſtes.
repulſis igitur iſtis,& cœpto ſuo nefario deiectis, qui non fuiſſet homo Dei eximiè gauiſus at-
que gloriatus? Certè quum noſtrum ſit ante omnia regnũ Dei quærere, nullos certè hoſtes ha-
bebimus, quàm qui iidem ſint hoſtes Dei. Porrò in his omnibus geſſit Dauid typum Chriſti.
Qui igitur huius hoſtes ſunt, perditi & ex diabolo nati, in hos ſuas imprecationes ſtrinxit,& de
horum exitio tantopere lætatus & gloriatus eſt. Nos pro omnibus qui non ad mortem pec-
cant, orare debemus: quia præter hoc, omnia peccata (inquit Seruator) hominibus remittẽtur,
ſúntque tales nobis vt cæli ciues diligendi, ferendúmque ſiquando nos perſequantur: neſciunt
enim quid faciunt. & eo quòd ex ignorantia in infidelitate peccant, cum Paulo veniam conſe-
quentur, 1. Tim. 2. c. 13. Oratio vera, vt in ſuperiorem Pſalmum dixi, opus Spiritus eſt: is ſcru-
tatur profunda Dei, 1. Cor. 2. c. 10: idémque ſenſus Dei reddit Sanctos cõpotes, eóq; vnus docet
quid cuique boni vel mali precandum ſit, & de quo dolendum vel gaudendum. Hoc aguntur
qui Chriſti ſunt, Roma 8. c. 14. Cauendum autem nequando ſe carnis affectus pro hoc Spi-
ritus Dei inſtinctu ſuggerat: eóque nemo temerè nõ certus de voluntate Dei, cuiquam impre-
cari mala, aut de malis cuiuſquam gaudere hinc diſcat. Potius ex hiſce Sanctorum impreca-
tionibus diſcamus quàm ſacri, quàm execrati & perditi ſint, quoſcunque (quia eos ad Filium
Pater nõ traxit) Satan contra Filium armat,& furere efficit. Cæterùm vbi Spiritus aderit Da-
uidis, ibi & affectus, verbáque Dauidis locũ habebunt. Hæc & quæ de deuotione inimicorum
in Pſalmo 5. diſſerui, velim Lector, diligenter expendas. nã repetere ea, quoties in Pſalmis ſimi-

Quare priſci Sancti mori tantopere horruerint.

lia incidunt, propter libri modum nõ licet. In hoc,& aliis aliquot Pſalmis videtur Dauid ſic
de morte corporis loqui, acſi eam omnis vitæ, laudiſque Dei in ſe terminum crediďiſſet. Nec
aliud præ ſe ferunt & quædam reliquorum Vatum querelæ quibus mortem deprecantur, om-
nium verò maximè quæ leguntur apud Iob. Iam dubitari non poteſt, hos quũ Deo verè cre-
diderunt, vitam ſperaſſe æternam. Huiuſmodi ergo querelæ, quum & deinceps aliquoties oc-
currẽt, erit forſan operæpretium hoc loco de eis aliquid diſſerere. Tres omnino arbitror cau-
ſas, ob quas migrare ex hac vita Sancti tantopere horruerint. Prima, quòd illis ratio vitæ fu-
turæ non tam reuelata fuit, atque poſt glorificatum Chriſtum. Neque enim fruſtra id Serua-

Matth. 13. b. 16.

tor dixit diſcipulis ſuis, Beati eſtis qui videtis & auditis, quæ videre & audire multi Reges &
Prophetæ optarunt, nec tamen viderunt & audierunt. Et Paulus nuſquam ferè nõ gloriatur

Diſcrimen veteris & noui populi.

de cognitione Diuinæ erga nos bonitatis, quæ à condito ſeculo fuerit abſcondita. Hinc & po-
pulum veterẽ puero, nos ad iuſtam iam viri ætatem adoleſcenti, ſimiles fecit: illis ſpiritum ſer
uitutis ad timorem, nobis Spiritũ adoptionis, in quo ita Dei in nos charitatem percipimus, vt
Patris ipſum nomine, veri eius Filii & hæredes inuocemus, tribuit: Rom. 8. c. 15. Quo igitur ve
teres bona vitæ futuræ minus habuerũt perſpecta, etſi nõ dubitarint ea omnia mortaliũ vota
infinito excedere, hoc fuerunt vitæ præſentis amantiores. Neque enim ſatis eſt vtcunque cre-
dere, in futura vita nos bonis fruituros quæ æſtimari nequeant, ad hoc vt ſit animus vitã hanc
ponẽdi quum ad illa tranſeas. Nemo ſiquidẽ eſt Chriſtianus qui nõ credat ſibi apud Chriſtum
beatam manſionẽ paratã, in qua olim incredibili fœlicitate in æternũ viuat. at quotuſquiſque

Philip. 1. d. 23.

tamen ex animo dicat cum Paulo, Cupio diſſolui,& eſſe cum Chriſto? Inuenias quidẽ & huius
fidei aliquot, ſed plures qui huc nondũ venerũt: etſi adeò credant apud Deũ beatã ſe vitã victu
ros, vt hanc diris cruciatibus poſituri ſint citius quàm Dominũ abnegaturi. Proindè peculiari
ad hoc vt mori pro lucro habeamus, πληροφορία, hoc eſt ampliore quadam de bonis futuræ vitæ
perſuaſione opus eſt. Pro modo enim cognitionis de rei cuiuſque bonitate, eſt & amor illius,
atque deſiderium. Quum itaque palàm Scriptura priſcis Sanctis, minus de futura fœlicitate
reuelatum eſſe teſtatur, conſequens eſt vt in hac vita colere & prædicare Deum ſummo ſem-
per deſiderio quæſierint, & grauatim præmaturè hinc migrarint. Altera cauſa eſt, quòd iuſtus
vitæ modus per ſe, Diuinæ beneuolentiæ documentum,& optabile beneficium eſt, etiam San
ctis Noui teſtamenti: & contrà, argumentum Diuinæ indignationis, ac quoddam genus pœ-
næ, præmatura hinc morte rapi. Quòd enim quibuſdam beneficii loco intẽpeſtiua mors ob-
rigit, id per accidens fuit: vel quòd tam calamitoſa inſtarent tẽpora, ob quam cauſam & fœli-

Luc. 23. d. 29.

ces dicuntur quæ non pepererunt: vel quòd periculum eſſet, corrumpi mentem, vti Sapien. 4.
b. 10, de iuſto ſiue Henoch, ſiue alio dicitur, ne malitia mutaret intellectũ eius: vel deniq; quòd

eiuſcemodi morte ſingulare Chriſto teſtimoniũ, & promiſſis futuræ fœlicitatis firmamẽtum
exhibendum eſſet. Paulus ſanè quum Dominus Epaphroditum reſtituiſſet, amplexus id eſt vt
ſingulare eius beneficium, ſcripſitque, Non ſolùm, inquit, illius, ſed & mei Dominus miſertus
eſt, ne haberem dolorẽ ſuper dolorem, Philip.2.d.27. Et Corinthiis, quòd multi apud eos mor-
bis implicarentur, plerique etiam morerentur, Diuinam eſſe vltionem, ſocordiam eorum exci
tantem interpretatus eſt, 1.Corinth.11.g.30, Sed quid opus verbis? Quæ Deus inter bona nume-
rat, & diligentibus ſe pollicetur, quis dubitet & per ſe bona, Sanctiſque expetenda eſſe? Iam non
ſolùm in catalogo illo Diuinarum promiſſionum & minarũ, qui Leuit.26.a.3, legitur, ſed paſ-
ſim in Scripturis longæuam vitam, in præcipuis ſuis donis ipſe collocat. Hæc ratio in regno
Chriſti haudquaquam mutata eſt, etſi futuræ vitæ bonis plenius reuelatis acerba vitæ præſen-
tis meritò ſint tolerabiliora. Nũquam quidẽ nõ melius eſt agere cũ Chriſto huius ſeculi ærum
nis defunctum, quàm tot hic iactari malis à Domino peregrinantem, ſi inter ſe vtriuſque con-
ditionis ſors cõferatur. Verùm quoniam cuique id optimum & expetẽdum vnicè eſt, vt Deum
ſummum bonum quantum poteſt exprimat (quamobrem dare ſemper beatius eſt, quàm acci- Act.20.g.35.
pere) tanto plus in ſe fœlicitatis habet hac vita fungi, quàm defungi, quanto plus hic quàm illic
hominum licet vtilitatibus inſeruire. Hic ſanè laboratur, illic quieſcitur: hìc ſacrorum talẽto-
rum exercetur fœnus, illic negotii bene geſti fructus percipitur: hic exhilaramus, amamúſq; a-
lios, illic nos gaudio perfundimur, & bonis perfruimur. Viri ætas potior pueritia & adoleſcen-
tia eſt, Autumnus optatior Vere: at quis nõ malit ſuum etiã minori ætati tempus tribui, & ver
na quoque ſe ſpe oblectari, quàm illico vtili grauitate pollere, Autumnique fructibus abũdare?
Imò quis otium & quietem ſenectutis, quanlibet eximium in ſe fructum habeat, ſic appetat vt
non cupiat antè iuuẽtutis quoque laboribus & periculis ſuo tempore exerceri? Nihil per ſe eſt,
ſi recte loquimur, ſed ſunt in Deo omnia: ita nihil cuique rei per ſe, ſed id demum cuique bonũ
eſt ad quod eam deſtinauit Deus. Quum ergo vulgari ſua Lege Deus tempus aliquod homini-
bus hîc peregrinandi ſtatuit, bonum & optabile eſt id ipſum decurrere, & tum demum cæleſti
quiete donari, quum hora illa venit quam præfixit Dominus. Hæc itaque hora quia Dauidi,
quum iſte de quo hic Pſalmus queritur, morbus excruciaret, mortémque intentaret, nondum
aduenisſet, ſicut nec Iiob, vel Hizkiæ, quum hi ſuas querelas funderent, mirum non eſt quòd
à morte tantopere abhorruerint. Agit ſiquidem filios Dei Spiritus profundorum Dei ſcruta-
tor, ſæpéque imprudentes ad ea expetenda orandáque impellit quæ largiri illis Deo viſum eſt.
Vult enim videri & ſentiri indulgens Pater, qui votis reſpondeat ſuorum. De quo in diſputa-
tione de precibus in ſuperiorẽ Pſalmum nõnihil diximus. Tertia cauſa cur Sancti mori ma
turius adeò refugerunt, eſt quòd proſpiciebant ſuo diſceſſu religionis imminere ruinam, & re-
rum potituros ſceleratos. Id quod apertè anxium habuiſſe videtur Hizkiiah. Quàm autem id
non abſque cauſa, in eo declaratum eſt, quòd ipſo etiam diu pòſt mortuo, quúmque iam ad Le-
gem Dei reformata eſſent pulcherrimè omnia, adhuc tamẽ omne regnum ad impietatẽ illico
relapſum fuit, indubie quòd impii eſſent regni proceres quos pius rex facile cognitos habebat.
Sunt qui ideo tam grauiter mortẽ hunc horruiſſe dicãt, quòd nullũ adhuc haberet filium: quã
cauſam priori libenter adiunxerim. at habere potiorem, non eſt ratio: quũ enim tantopere pius
eſſet, & toto corde Deũ coleret, quis dubitet eum moleſtius quàm effari poſſit tuliſſe quòd vin-
dicari à ſe cœptam religionem, lapſuram iterum proſpiceret: & longè acerbius ei fuiſſe, nulla
religione, quàm nullo filio ſuperſtite, hinc migrare? Iam Dauidi, ſiquis ſtatum regni eius, & in-
genia filiorum atque procerum (vt hæc in Sacra hiſtoria deſcribũtur) preſſius conſyderauerit,
eàdem cauſam fuiſſe, vt mortem maximopere deprecaretur, nihil ambiget. Certe Amnonis in 2.Sam.13.& 15.
ſororem flagitium, Abeſhalomi coniuratio, Adoniah regni inuaſio, tum principum perfidia, 1.Reg.1.
qui ſe his ſcelerũ adiutores cõſtituerunt, ſatis indicant quàm nihil boni potuerit de regno ſpe-
rare Dauid, donec in throno ſuo Schlomoh videret, de cuius ſapientia promiſſionem peculia-
rem acceperat. Nemini verò mirum ſit, Dauidem tam afflicti animi voces, hac de cauſa in hoc
carmine poſuiſſe, quum Paulus ſcripſerit Philippenſibus, ſe fuiſſe perplexum, neque ſibi cõſti- Philip.1.d.23.
tiſſe vtrum eligeret, an diſſolui & eſſe cum Chriſto, quod ſibi melius agnoſcebat: an in vita hac
manere, quod videbat vtilius fratribus. Quanquã & hoc obſeruandum, etiamſi Dauid ipſe am-
pliorem de bonis futuri ſeculi reuelationem fortaſſe habuiſſet, nec egiſſet eum ad huiuſmodi la
menta Spiritus Dei, qui nondum vitæ eius finem impoſuerat: ſed nec ſolicitaſſet metus reciſu-
ræ religionis: adhuc tamen quum hæc populo ſcriberet, debuit quoque ea nõ immeritò ad mẽ-
ſuram reuelationis quam Eccleſiæ ſuæ tum Deus impertiuit, attemperare. Pueri erant, vt pue-
ros duci Deus voluit, donec tempus adueniret quo Vnigenitus nobis palàm de Patre annutia-
ret, & de futura gloria & fœlicitate amplius edoceret. Huius diei aurora, à Babylonis primùm
exilio nonnullos ſpargere radios cœpit: vnde & apud Babylonios, ac pòſt in Iudæa ſub Antio-

cho,futuræ fœlicitatis martyres,id eſt teſtes, Deus aliquos dedit. Ante hæc tempora pueri æta-
tem populus Dei degebat:ita ergo vt pueri duci debuerunt.Quãquam non tam vulgare,aut te-
nue eſt quod quibuſdam creditur, Deũ vel ex huius vitæ bonis cognouiſſe, hæcque ipſa vt Dei
opera & dona amplecti atque vſurpare. Plurimi,niſi in vltramundanis rebus nihil Dei cogita-
re poſſunt:ideo in vita hac verborum tam multum,at virtutis prope nihil exhibẽt. Malũ quod
primos perdidit parentes, infeſtum toti generi eſt. Altiora nobis quærimus, & quæ ante pedes,
ínque manibus ſunt, ínque oculos incurrunt, ſúſque déque habemus . quo ſanè fit vt tam rara
ſit fides, tam frigida dilectio . Quin quum omnia Dei ſint & opera & dona, & horum nihil tam
minutum,in quo elucentem,ſeſéque prolixe exhibentem Dei ſapientiam,bonitatem,& poten-
tiam quiſquam ſatis agnoſcere, admirari & obſeruare queat, in omnibus Dei beneficiis ipſum
præſentem,& indulgẽtiſſimè nos fouentem amplectimur, exoſculamur,colimus? id ſolum ca-
uẽtes,ne huiuſmodi beneficiorum oblectatio Dei benefacientis amorem ſtudiúmque excludat
aut remittat:néve his emolliamur quo minus maſculè & aduerſa ab ipſo indulgentiſſimo Pa-
tre noſtro,in certam noſtram ſalutem diſpẽſata excipiamus.Quod vtrunque nulla res ſubmo-
uebit potẽtius,quàm omnia vt Dei dona & gratuita beneficia vſurpare,ſempérque in his ipſius
in nos bonitatem animaduertere , atque ob oculos habere . Et quæ Theologia efficacior quàm
in vſu rerum quarumlibet continuò cogitare, En modò paſcit, veſtit, curat , fouet, oblectat te
Deus fictor tuus,ídque amore tui vltroneo,nihil tale meritum. Et quum videtur hæc inuertere,
& quaſi indignantis faciem obuertere, En hac calamitate,hoc morbo, hoc damno, hoc dedeco-
re,hoc funere corripit te Pater tuus cæleſtis,peccatis tuis offenſus.Certe qui in his Deum ſuum
non agnouerit,is ſublimibus illis & ſupramundanis diſputationibus ſeipſum pulchre delude-
re, & mendax quoddam religioſæ mentis ſimulachrum fingere ſibi poterit, vera ſe inflamma-
1. Iohan. 4. d. 20. re religione non poterit. Diuus Iohannes ſcribit, Qui fratrẽ ſuum quem videt,non diligit:quo
modo is diliget Deum quem non videt? Ita ſicui nullos ad currendum in via Domini ſubdunt
ſtimulos,quæ ab ipſo profecta bona maláque in ſingula momenta ſentit: quî mouebunt quæ i-
maginamur? Habent ergo Sancti ſibi,& iis rebus in quibus ſunt, quæque vſurpant,animã præ-
ſentem,vtque in proſperis indulgẽtiam amorémque Patris cæleſtis exoſculantur, ſumma, ſed
morata,& nóniſi in gloriam Dei, verúmque virtutum ſtudium exultante iucunditate deliniti:
ita dum premunt aduerſa verè quoque dolẽt, verè lamentantur , ídque impotentius quo ex his
iratum Deum & Patrem ſuum intentiore animo cogitant: ſed & hìc tamen nihil præter deco-
rum admittunt. Neſciunt ſiquidem Sancti,illam à Stoicis quidem verbis pulchrè fictam, re au
tem vera à nemine vnquam præſtitam ἀπάθειαν . Homines nos Deus condidit, homines quoque
agamus:ſibi ſuæque voluntati addictos requirit,affectúſque nequaquam eximi,ſed ſuo modera
ri regique Spiritu poſcit . Ex his qui ea rite apud ſe excuſſerit , ſatis videbit iſta quæ vel hîc vel
alibi lamenta Sanctorum leguntur,mortíſque deprecationes nihil habere in ſe illis indignum.
Ad Dominum omnes querelæ ſunt, & vltimum ſemper votum, Nõ mea,ſed tua fiat voluntas.
Quò autem euadere tandem volebat Spiritus Dei,eodem ſi Sanctorũ animi affectúſque,& qui-
dem flagrantes ferebantur,quid inſolens? Quúmque vellet illos Deus nonnihil cruciare,atque
in hoc futura bona parcius oſtendebat,& inſtantia atque impendentia mala,tam priuata quàm
publica in ſenſibus eorum exaggerabat, quid aliud quàm cruciatorum illos habitus, vocéſque
decebant? Veros enim eſſe oportuit, Deum in veritate colentes.

PSALMVS VII, in genere miſto, ᾠδή.

ARGVM. *Seruari ſe ab ingente nimiúmque infeſta perſequutione Schaulis precatur , innocentiam ſuam memorat . Vindicari ſibi
deſtinatum regnum,quo ad Deum populus colligatur,depulſa improbitate ſceleratorum, orat. Tum canit,ſuo ipſorum gla-
dio illos perituros,& laude Dei Pſalmum claudit.*

PARAPH. 1 SChiggaion Dauidis,quod cecinit Iehouæ de negotio Chus,filii Iemini.
2 O Iehouah Deus mi, in te præſidium meum poſui : ſerua me ab omnibus
qui perſequuntur me,& eripe me.
3 Ne corripiat iſte, tanquam leo animam meam: dilaceret, nemine eripiente.
4 O Iehouah Deus mi,ſi iſtuc commiſi,ſi praui aliquid molior:
5 Si iuncto mihi peculiari pacis fœdere , malum rependi : imò eum qui me in-
ſectabatur ſine cauſa,defendi:
6 Perſequatur hoſtis animam meam , & aſſequatur , deiiciat in terram vitam
meam,dignitatem meam ſepeliat.Selah.
7 Conſurge Iehouah,attolle te,vltione digna infeſtantium me iram reprimẽs:
fac potiar tandem iure quod contuliſti.

8 Nam ſic ad te colligetur concio populi:vel huius ergo adſerendæ cauſa,potẽtiam tuam deprome.

9 Iehouah arbiter populorum,iudica me pro iuſtitia & integritate mea.

10 Faceſcat obſecro noxa reproborum , & da ſucceſſum iuſto, explorator cordis & renum Deus iuſte.

11 Tutela mea in Deo ſeruatore eorum qui ſunt corde integro.

12 Deus iuſtus iudex eſt,& Deus cuius vltio in ſingulos dies parata eſt.

13 Si à malo ſe iſte non reuocat,ſed acuet vſque gladium ſuum,tendet arcum,& inſtruet eum:

14 Parabit ſibi ipſi iacula lethiſera,& in eos qui cum illo me inſectantur,ſagittas confecerit:

15 En enititur prauitatem,concepit moleſtiam,& parit mendacium.

16 Puteum fodit,eúmque excauauit,& incidet in foueam quam facit.

17 Mala quæ intendit mihi,in caput ipſius recident,&vis quam mihi inferre conatus eſt,in verticem ipſius recumbet.

18 Celebrabo Iehouam ſecundum iuſtitiam eius,& canam nomini Iehouæ omnium ſupremi.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Schiggaion Dauidis,quod cecinit Iehouæ de negotio Chus filii Iemini.* R.D.Kimhi videri Schiggaion fuiſſe ex inſtrumentis ad quæ Pſalmi fuerint decantati, aut certum genus melodiæ,in Præfatione memini. Alii alia dicunt:ſed quid infinita perſequar?Quicquid fuerit,ſatis liquet,ab eo hanc Odam eſſe denominatã.Eam cecinit Dauid ſuper verbis,hoc eſt negotio Cbus filii Iemini.Hunc Schaulem eſſe, Kimhi cum multis aliis Hebræis arbitratur:& Cbus potius,quàm ſuo nomine appellatũ putat,propter reuerentiam dignitatis regiæ,cuius Dauid ſemper admodum obſeruãs extitit.An autẽ ideo Chus, quod AEthiopẽ ſignificat, eum nominarit, quòd eſſet pertinacis,& mutari neſciæ peruerſitatis,ſicut nequit immutari cutis AEthiopum(qua ſimilitudine vſus eſt Iirmeiah 13.d.23)ſiue ob aliam cauſam,nemo certum conſtituerit. Attamẽ in regem ſub alieno nomine ſcribere,neque ab ipſius more,neque ab aliorum ſcriptorum exemplo alienũ eſt.Porrò quod addidit,*Filii Iemini*, ſatis videtur expreſſiſſe Schaulẽ, qui è domo Iemini erat. nam & ipſe ſe filium Iemini apud Schmuelem vocabat,1.Schmu.9.d.21.Non igitur voluit Dauid latere de quo caneret:& ſimul tamen regiæ maieſtatis rationem hactenus habuit,vt nomen proprium, & iam ob regiam dignitatem ſacroſanctum ſuppnmeret. Regio enim munere ſanctificatũ illud erat,ſicut neque fortuitò impoſitum.Quid enim fiat fortuitò,Deo omnia in omnibus efficiente? Futurum erat vt is eſſet qui populo regem petenti primus daretur : ergo curauit Deus cuius præſenti numine ſingula fiunt,vt שאול, id eſt poſtulatus vocaretur. Abrahã Ezrah,ſapientis nomine apud Hebræos donatus, exiſtimat bunc Pſalmum, in aliquem vocatum Chus inſignem Dauidis hoſtem,qui filius Iemini, & de familia Schaulis fuerit,compoſitum eſſe. Putat enim Dauidem in vnctum Domini nunquam ita fuiſſe inuecturum. Sed quũ Dauid hîc non ſua cõuitia,ſed Domini canit iudicium:& non tam ſuam,quàm Spiritus ſancti perſonam ſuſtinet: videri poſſit vnctioni Domini detuliſſe,dum nomen iam regium factum non expreſſit: ſcelera verò quæ non minus in rege quàm aliis deteſtatur Deus , ſuis notare coloribus, forſan non fuit adeò indignum Domini Vate.Id tamen ſententiam Ab.Ezræ admodum probabilẽ facit,quòd aliàs legit Schaulis furorem in alios reieciſſe,& regiæ dignitati detuliſſe plurimum.Quid autem,ſi hic non in regem,ſed in eos qui regem inſtigabant,ſtylum ſtrinxerit, & titulum tamen fecerit,*ſuper uerbis*, hoc eſt negotio *Chus filii Iemini*,intelligens hoc nomine regẽ quidem, ſed ſe ſuis familiaribus permittentem , & nihil minus quàm regis officio fungentem? Sic quæ diriora ſunt,nihilominus non in regẽ, ſed adulatores & incẽtores eius dicta accipi poſſũt.

2 *Iehouah Deus mi,in te confiſus ſum,ſerua me ab omnibus qui me perſequuntur,& eripe me.*

3 *Ne corripiat tanquam leo animam meam,dilaceret,nec ſit qui eripiat.* A profeſſione fidei ſuæ in Deum, vt Sancti ſemper ſolent,precem auſpicatur. Ex hoc enim omnis ſpes opis Diuinæ pendet.Qui ſanè Deo fidunt, ii deſeri à Deo nõ poſſunt, quum neque vir bonus deſerere eum queat qui ſuæ ſe fidei penitus commiſerit. Neque alii à Deo quicquam vel orare, vel exorare poſſunt. Perſequutores de quibus queritur,Schaul & adulatores eius fuerũt:peculiariter autẽ ipſum Scbaulẽ qui regia potentia formidabilis erat,denotare videtur,quũ ait, *Ne corripiat tanquam leo animam meam.*

Et hoc ipſum quod nihil hîc nominis expreſſit, reuerentiæ videtur dediſſe nominis regii. Eleganter autem imagine leonis, prædam corripientis, & dilaniantis, ferociam & ardorem ſe perdendi hoſtium expreſſit.

4 *Iehouah Deus mi, ſi feci iſtud, ſi eſt prauitas in manibus meis.*
5 *Si rependi habenti pacem mecum malum, imò defendi qui me ſine cauſa coartabat:*
6 *Perſequatur inimicus meus animam meam, & aſſequatur, & conculcet in terra vitam meam, & dignitatem meam in puluerem collocet. Selah.* Geminata inuocatio, *Iehouah, Deus meus*, ardentem afflicti animi affectum indicat. *Si iſtud commiſi.* Falſò illi ab adulatoribus Schaulis impingebatur, machinari eũ in necẽ Schaulis. Imprecatur ergo ſibi extrema ſi id fecerit, ſi iniqui & praui aliquid molitus ſit: ſi malum iuncto ſibi peculiari pacis fœdere rependerit. hîc verò Schaulem videtur denotaſſe ſocerũ ſuum, quocum ſingulare habebat affinitatis fœdus. Quantum enim ex his locis in quibus hoc nomine שלום Scriptura vtitur, cõiicere licet, ſignificat peculiariter cõiunctum & ſocium, quocum ſingularis pacis fœdus habeatur. Pſalmo 41.b.10, שלומי, id eſt habẽs mecum pacem (alii vertunt, pacificus meus) quo nitebar, qui meo veſcebatur cibo. Hic arctiore certè amicitia iunctum ac planè domeſticũ deſcripſit. Pſal. 55.d.21, Iniecit manus ſuas בשלמיו. in ſocios ſuos, & irritum fecit fœdus ſuum. Hic ſatis liquet cõfœderatum hoc nomine deſignari. Eodem ſignificatu voce hac vſus eſt Iirmeiah 20.c.10. Quũ itaq; omnino videatur hic Pſalmus in Schaulẽ ſcriptus, exiſtimo conſequens eſſe vt D. Kimhi ſequuti, eundem dicamus à Dauide hîc ſuum שלום, id eſt confœderatum, ſocium & amicum vocatum, eo quòd eius ſocer eſſet, & ipſe ei inter primos aulæ bellique duces. Quod ſequitur, variè interpretantur etiam Hebræi. ואחלצה enim ſignificat & eripiam, & deſeram, & nudabo. Kimhi ergo interpretatur quaſi dixerit Dauid, Non ſolùm non rependi malum, cui debui pacem Schauli iſti, ſed etiam perſequentem me nulla cauſa defendi, præſentique periculo eripui, dum Abiſhai eum ſua ipſius lancea perfodere vellet dormientem. Secundum hanc interpretationem verſus reddendus eſſet, *Si rependi iuncto meo malum, imo eripui inſtantem me nulla cauſa:* & tota altera particula, ab imo accipienda erit tanquam parentheſis inter ea quæ verſu quarto præmiſſa ſunt, & ſequentem verſum. Vna enim his tribus verſibus periodus cõtinetur, cuius ſententia hæc eſt, Si cõmiſi iſtuc, quod falſò mihi imputãt, vt nocere voluerim tam iuncto mihi ſocero meo (ſed quid hoc memoro, quum eripuerim eum præſenti letho, ídq; iam me ad necem quærẽtem?) perſequatur me iſte iam hoſtis meus ex ſocero factus, aſſequatur, &c. Argumento Pſalmi hæc interpretatio admodum quadrat: ſicui tamen verborum ordo parum reſpondere videbitur, is perpẽdat, ſi forſan hic חלץ accipi poſſit vt accipitur Hoſhea cap. 5.b.6, pro deſerere. Ibi legimus, Cum ouibus ſuis & bobus, venient ad inquirendum Iebouam, nec inuenient eum. חלץ, id eſt diſceſſit ab eis. Hoc ſignificatu ſi libeat verbum præſens hoc loco accipere, conſtabit nihilominus amplificatio quam Kimhi indicauit, hoc modo, Si iſti iuncto meo, ſocero, malum repẽdi: imò ſi vel deſerui eum, & ope mea in periculo deſtitui, ídque quum iam nihil minus quàm ſocerum & iunctum, ſed hoſtem, & quidem implacabilem, ſumméque atrocem ſeſe exhiberet, méque pertinaciſſimè ad mortem quæreret: perſequatur hoſtis, &c. Significare ſiquidem voluit, ſe tam lõge ab eo ſcelere cuius inſimulabatur (vt regi ſuo qui eum in generum & principem apud ſe locum euexerat, pro tantis beneficiis malum rependiſſet, vitæ eius, & regno inſidiatus) abeſſe, vt ei ne tum quidem non modò ipſe nocere ſuſtinuerit, ſed neque alios permiſerit, quum iam ex ſocero hoſtis crudeliſſimus, ex rege ſæuiſſimus tyrannus factus, immerentem crudeliſſimè & pertinaciſſimè inſectaretur, vtque perderet, nihil prorſus intẽtatum relinqueret. Etenim in ſpelunca niſi ſuis obſtitiſſet, verbiſque illos fregiſſet, actũ de Schaule erat. 1. Schmu. 24.a.6. Idem ei præſtitit auertens Abiſhai qui iamiam dormientem erat cõfoſſurus, 1. Schmu. 26.b.9. Hinc verò diſcamus, quàm ſynceriter etiam inimici diligendi, quantóque in pretio munera Dei habenda, quibus quum ne deploratiſſimi quidem omnino deſtituuntur, nulli erunt quibus non dilectio & reuerentia debeatur. Deuotio verſu 6, admodum vehemens eſt, quia animi ſibi optimè cõſcii. Animæ nomine ſeipſum, vel corpus ſuum intelligit: id quod in Scripturis haud rarò fit. Vitæ in terram cõculcatio, vitæ eſt extinctio: ita gloriæ in puluerẽ collocatio, eſt nominis & memoriæ qua ſibiipſis boni ſuperſtites ſunt (in memoria enim æterna viuit iuſtus) abolitio. Adſcriptũ Selah eſt: vere enim memorandum hîc candidi & in omnes etiam hoſtes, beneuoli animi exemplum deſcriptum eſt. Pſal.112.b.6.

7 *Surge Iehouah in ira tua, exaltare contra commotiones inſtantium me, & euigila ad me, iudicio quod mandaſti.*
8 *Et cœtus populorum circundabit te, propter eum in altum reuertere.*
9 *Iehouah iudicabit populos, iudica me ô Iehouah, ſecundum iuſtitiam meam, & integritatem apud me.*
10 *Deficiat quæſo noxa improborum, & diriges iuſtum, probans corda & renes, Deus iuſte.*
11 *Clypeus meus ſuper Deum qui ſeruat rectos corde.* Superioribus verſibus deprecatus eſt Dauid periculum in quo erat, ne in manus Schaulis incideret: ſéque impietatis in regem & ſocerum,

cuius falſò infamabatur, dira ſatis imprecatione purgauit. Nunc orat oppreſſionẽ hoſtium, & ſui in eum locũ exaltationẽ in quem erat iam diuinitus deſtinatus. Dum ſinit Deus improbos impunè cõtra bonos graſſari, ſimilis videtur iacẽti & dormiẽti: aut certe deiecto, viribúſque deſtituto. Quos enim maxime vult defenſos, ii indefenſi, iniuriæ patent eorum quos odit. Talis iam viſus fuerat permiſſo Dauide Schaulis odio & perſequutioni. Orat ergo, *Surge*, hoc eſt exere potẽtiam tuam: *in ira tua*, hoc eſt vltione qua infeſtantium me cõmotiones, grauéſque iras reprimas. fac te omnibus altiorem, & cunctis tuam potentiam ſupereminentem illi ſentiant. Sũt qui illud בעברות ad Deum referãt, ſic diſtinguendo, Surge in ira tua, exaltare in cõmotionibus, ſubaudi tuis, contra infeſtantes me. Sed quum hoc TVIS in Hebræo non ſit, & ſic legendo oporteat & ad *infeſtantes* adiicere, contra, aduerſus, vel aliquid ſimile: denique quum punctus paſek poſitus ſit poſt יהוה, videtur ibi commodum fieri diſtinctio vt vertimus, *Surge Iehouah, in ira tua exaltare, &c.*

Euigila ad meiudicio, hoc eſt mihi te vigilare demonſtra, idque eo iudicio, id eſt iure quod mihi decreuiſti, quod adiudicaſti, nempe munere regio. Hunc igitur ſenſum vt qualitercunque redderem, verti, *Fac tandem potiar iure quod contuliſti*. In regem populi ſui fecerat illum Deus inungi, tãta tamen Schauli in eum aliquandiu permittebat, vt nuſquam in toto regno, vel latitandi ei locus pateret. Eo temporis ergo videbatur Deus dormire: quamobrem precabatur Dauid vt euigilaret ad ſe in ſui vindicationem, iuriſque ſui quod dederat, regni ſcilicet defenſionem & aſſertionẽ. Ne verò ſuam dignitatem videretur precari, & nõ potius Dei gloriam, populique ſalutem, ſubiungit ceu cauſam cur adſeri ſibi demandatũ ius precaretur, *Et concio populorum*. Pro ET, poſui NAM: vt prioris cauſam ſubiectam indicarem: nam ſæpe id valet. Impiis ſiquidem regnantibus populus ad impia deducitur, & ceu à Deo abducitur: pii quum imperãt, Deus imperat, & populus ad Deum quaſi colligitur. Ait ergo, Et te circũdabit cõcio populi, hoc eſt per me ad te reuocabitur, & in tuum cultum adunabitur. Propter hãc igitur in altum reuertere. Dum ſinis eam per impios tyrannos diſpergi, videris ſolium regni tui reliquiſſe: quum tuorum te declaras vindicem, videris illud repetere, & iterum in altum cõſcendere. id & modò fac tui populi cauſa qui non poteſt nõ agere infœliciter dum à te diſtrahitur per principes ſceleratos. D. Kimhi omnino diuerſam interpretationem poſuit, quaſi Dauid hãc implorati auxilii cauſam ſubiiciat, Nõ me, ſed teipſum Deum, hæc populi turba circundat & oppugnat: contra eam ergo in altum reuertere, & repetiiſſe te tribunal tuum, impios horum conatus frangendo, declara. Adducit verò ad ſtabiliẽdam hanc interpretationem illud Zachariæ 2.c.10, Qui lædit vos, lædit pupillam oculi eius. Sed lector iudicet vtra enarratio germanior ſit: mihi arriſit prior, cui quæ ſequuntur, ita exiſtimo cohærere, Precatus ſum vt potentia tua reprimeres furorem hoſtium quo adſereres mihi quod munus contuliſti, ac ita vindicares tuum ipſius verbum, tuam conſtitutionem, quam certè non cõcedes iſtis ſceleratis. Deinde oraui id te facere, vel populi tui cauſa qui me rege ad te colligetur: impiis autem rerum potientibus, à te diſtrahitur. Nunc peto vt etiam meæ hic innocentiæ & iuſtitiæ rationem habeas. Nihil eſt ea quidem, ſi tuæ conferatur: verùm ſi me cõponas cum iſtis qui me perſequuntur, cõſcius mihi eius iuſtitiæ & integritatis ſum, vt ſciam me abs te iuuãdum: id ergo precor præſtes. Iudex es omnium populorum, etiam gentium quæ nomen tuum ignorãt: non ſines igitur me qui ex toto corde te colo, vſque ab improbis diuexari. Obſecro igitur iudices me ſecundũ iuſtitiam & innocẽtiam meam. Scio me, tuo dono, tuam gloriam ex animo quærere, quam iſti pro viribus proculcare laborant. Iam illi aduerſarii mei ſunt, tu inter nos iudicare debes. Quî ergo quum iuſtus omnium iudex exiſtas, non potius ſecũdum me pronunties, & illorũ me violentiæ & crudelitati eripias? Deficiat ergo, deſinat ac faceſſat, obſecro, noxa & malitia improborum, quæ me nullo meo in eos peccato affligũt: & dirigas iuſtum, hoc eſt des ei rerum ſucceſſum. Cordis enim & renum, hoc eſt ſummè intimarum cogitationum & cupiditatum explorator es: te nihil latere poteſt: vides vbi ſit ſyncerus tui amor, vbi fucus. Quare Scriptura per renes, reconditiores affectus ſubinde ſignificet, dicam quam potero cauſam in Pſalmum 16. De fiducia & iactatione propriæ iuſtitiæ, in 4. Pſalmum dixi. Si cõferamur Legi Diuinæ, non poteſt quiſquam iuſtus haberi. hinc precatur Pſal. 143. a. 2, ne ſecum in iudicium Dominus ingrediatur: at dum res eſt cum ſceleratis, quum certa ſint ac ſolida Dei dona, non poſſunt ea Sanctos latere. Iam ex Spiritu Dei ſciunt pro ſe Deum iudicaturum: & iuſtitiam, qualemcunque dedit, contra eos qui omnis iuſtitiæ hoſtes ſunt, defenſurum. Inde ergo cõfidunt, & fidenter idipſum quod pro ſua iuſtitia facturum Deum, indicante & perſuadente ſancto Spiritu, non dubitant, orant: ac oraſſe poſtea in exemplum aliis deprædicãt, nihil ſibi tamẽ in iis omnibus, ſed Diuinæ bonitati cuncta tribuẽtes. Verſus 11, quaſi epiphonema habet ad ea quæ præmiſit, *Clypeus meus ſuper Deum*. Clypeum pro fiducia per tranſnominationẽ accepit: nec aliud eſt quod dixit, quàm ſi poſuiſſet, Fiducia mea in Deo eſt, &c. Clypeus enim cum à iaculis tueatur, fidentem reddit & ſecurum, id hic à Deo expectat. גמר in 10, verſu, tan-

Renes quid ſcri- pturis.

quam neutrum verbum reddidi per *Faceſſat*. Græcus habet *συντελεσθήτω*, id eſt cõſumatur. Chaldæ', deſtruatur: & conſentiunt Hebræi aliquot. Nam Pſalmo 12.a.1,& 77.b.9, manifeſtò abſolute vſurpatur, nempe pro deſiit, vel finem accepit .גמר חסיד, id eſt deſiit bonus. Et גמר אמר, id eſt deſiit ſermo. AbenEzra tamẽ & Kimhi(qua ratione adducti neſcio)actiuè iſtud verbum hic exponũt, húncque ſenſum reddunt, Noxa, quæſo improborum, ipſos conſumat, aboleátque improbos, & iuſti via dirigatur. Sed prior interpretatio viſa ſimplicior eſt, ideo ſum eam ſequutus.

12 *Deus iudex iuſtus, & Deus ſuccenſens omni die:*

13 *Si non conuertatur, gladium ſuum exacuat, arcum ſuum tendat, & diriget eum:*

14 *Et ſibi parauerit inſtrumenta mortis, ſagittas ſuas fecerit perſequentibus.* His verſibus canit Dauid de vl-
tione hoſtium quam ei dum precaretur, Dominus reuelauit, hoc ipſo eum cõſolatus. Deus inquit, eſt iudex iuſtus: ideo non ſinet inultum quod contre immerentem me improbi iſti committunt. omni die indignatur, quia iſti nouis in horas eum ſceleribus irritant, idque breui declarabit, quum pedem illi ab improbitate ſua non reuocant, perſequutionem mei ne tantillum quidem remittentes. Gladium ſuum hoſtis continuò acuit, arcum tendit & collimat, hoc eſt in omnem intentus occaſionem eſt vt me perdat, nihil non huius cauſa tentat, nihil nõ experitur. Sed quid efficiet? Vaſa mortis, id eſt arma & iacula illa lethifera ſibiipſi parat, iiſq; qui me cum ipſo, & in eius gratiam perſequuntur. ſagittas cõficit. nam ſe & illos ſuo nefario conatu perdet. Eſt in his verſibus multum ambigui, hinc fit vt variè enarrentur. שופט צדיק poteſt & iudicans iuſtum, reddi: ita אל זועם, Deus ſuccenſens, & irritans Deum. Sic in verſu 13, *Gladium ſuum acuet*, & ad Deum referri poteſt, & ad eum cui iraſcitur Deus. Kimhi ergo hoſce verſus ſic enarrat, Deus iudex omnium iudicat & iuſtum ſecundum iuſtitiam eius, & prouocantem quotidie ſe & irritã tem improbum ſecundum improbitatem ſuam. Maxime quũ hic improbus (אם enim per כי & כאשר accipitur) non conuertatur ab improbis ſuis cœptis, ſed potius quotidie gladium ſuum de nouo axacuit, arcum tendit, &c. hoc eſt ſe magis & magis contra innocuos armat & inſtruit. Eo autem peruerſo ſtudio ſibi parat inſtrumẽta mortis, hoc eſt lethifera tela, ſagittas facit perſequẽtibus ſecum iuſtos, ſeipſum nimirum, & improbitatis ſuæ cum ſocios, tum miniſtros ſuis conatibus perditurus. Aben Ezra, illa זועם & צדיק ad Deũ refert, & ſicut interpretati nos ſumus, intelligit Deum quotidie magis ira in improbos accendi, quòd illi à prauis ſuis ſtudiis non reuertantur. His Græca verſio & Chaldæa Paraphraſis conſentiunt niſi quòd Græcæ lectioni aliunde quædam voces verſui 12, inſertæ ſunt, *ἰσχυρὸς* & *μακρόθυμος*, id eſt fortis & longanimis. Item initium verſus 13 pluraliter babet, & in ſecunda perſona, Niſi conuerſi fueritis. Atque conſequẽter ad Deum refert ſubiecta, *Gladium ſuum acuet, &c.* Nec videtur diſſentire Paraphraſis Chaldæa. לדולקים & ardẽtibus & perſequẽtibus ſignificat. prius ſignificatum reddiderunt Græci, poſterius Hebræi omnes, quod & hic magis quadrare videtur. At ſi Græcos ſequi malis, ſenſus erit, Deus ardentibus, ſcilicet odio, & inſectãdi iuſtos ſtudio, improbis fecit ſagittas, hoc eſt parauit mala.

15 *En parturit prauitatem, & concepit moleſtiam, & peperit mendacium.*

16 *Puteum excadit, & eruit eum, & cadet in foueam [quam] faciet.*

17 *Reuertetur moleſtia eius in caput eius, & ſuper verticem eius uiolentia eius deſcendet.* Quo viuacius exprimeret, quàm improbè & obnixè Schaul cum ſuis in ſuam perniciem incubuerit, ſubiicit per admirationem, En parturit prauitatẽ, cõcepit moleſtiã, peperit fraudẽ. Volens hac tranſlatione ſignificare, totos eos fuiſſe in excogitãda & cõcinnanda iniuria, fraude & violẽtia, neq; aliud verſaſſe in animo, egiſſe verbis, denique facto curaſſe, quàm vt ipſum ſiue dolo, ſiue vi perderẽt. Cogitationem conceptui, conſiliorum anxiam diſpoſitionem, ac concinnationem parturitioni, factum partui aſſimilat. Hac metaphora & aliàs Scriptura vtitur, vt Ieſa.33.b.11, & alibi. Prauitatem, moleſtiam, & mẽdacium pro eodem accipit, pro iniuria ſcilicet doloſa & violẽta. Hac verò non ſe, ſed ipſos hoſtes perituros canit, apertiore iam allegoria vſus, quæ eſt in verſibus 16, & 17. Quibus verſibus nihil aliud voluit quàm ipſos hoſtes deprehenſura & abſumptura quæcunque Dauidi mala cogitarent, pararẽt, & omni vi intenderẽt. Id euenit, occiſo cũ ſuis Schaule à Philiſtæis.

18 *Celebrabo Iehouam ſecundum iuſtitiam ſuam, & canam nomen Iehouah altiſſimi.* Iuſtũ Dei judiciũ cecinit rectè igitur ſubiicit, Celebrabo Iehouah ſecũdum iuſtitiam eius, qui me ſui cultorem ab impiis illis eripuit, cóſque vt meriti ſunt, perdidit. Nemo iam eſt quem non quotidie Deus ab hoſtibus ſuis mirabiliter ſeruet, ſi non ab externis & viſibilibus, certe ab internis, peruerſis ſuis cupiditatibus, & verſutiis ſceleſtis, quos hoſtes, licet non videmus, ſentimus tamen. Et nobis itaque incumbit, vt ex animo Deum pro iuſtitia & bonitate ſua prædicemus, & feramus laudibus nomen ſanctum eius qui omnibus ſupereminet. Ea ſiquidem laude & deprædicatione cum amor, tum fiducia in Deum, ad hæc & tolerantia in malis, mirum in modum creſcet, omniſque in nobis pietas incrementa accipiet.

PSALMVS VIII.

Hymnus eſt quo cum ſumma admiratione, inæſtimabilē Dei omnium conditoris, ſempiternam ſuam uirtutem & amplitudinem celebrat: ubique indicibili gloria oſtentantis, in humanum genus dignationem, beneficentiam & liberalitatem. ARGVM.

1 PRæſuli, ad Githith, Ode Dauidis. PARAPH.
2 Iehouah, Domine noſter, quàm ſuſpiciendum in omni terra nomē tuū, qui magnificentiam tuam ſupra cælos extuliſti!
3 Vel ex ore paruulorum adhuc lactētium, laudem virtutis tuæ contra tibi infeſtos confirmaſti, vt retundas hoſtem atque vltorem.
4 Etenim ſuſpiciam cælos tuos, ii opera ſunt digitorum tuorum, lunam & ſtellas, cas tu concinnaſti.
5 Ecquid eſt homo mortalis, quòd ſic eius rationem habes? quid ex homine natus, vt tantam eius curam geras?
6 Paululum ſiquidem eſt quo diis inferiorem illum feciſti, tanta cum dignitate decoréque cumulaſti.
7 Dominum cum operum quæ tuæ manus parauerūt, conſtituiſti, cuncta eius pedibus ſubdidiſti,
8 Greges & armenta vniuerſa, ac etiam feras:
9 Volucres quæ in aere, & piſces qui in aquis verſantur, ac quicquid in mari innatat.
10 Iehouah, Domine noſter, vt ſuſpiciendum eſt in omni terra tuum nomen.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 P*Ræſuli ad Githith, Ode Dauidis.* Hic primus verſus in Præfatione explicatus eſt.
2 *Quàm admirandum nomen tuum in uniuerſa terra, qui dediſti laudem tuam ſuper cælos!* Non eſt vnde omnis vitæ innocentia, veráque religio efficacius inſtauretur & promoueatur quàm expreſſa, ſed religioſa Diuinæ cum potentiæ tum bonitatis perpenſione: ideo omnes ferè Pſalmi huius præconia habent, quidam nihil aliud canunt. Inter hos præſens numeratur, in hoc compoſitus vt excitet ad conſiderādam immenſam Dei in homines bonitatem & indulgentiam: quæ quo attentiore animo intueremur, ſimul nunquam dignè admiratam virtutem & ſapientiam, vel in cælis relucētem, vno, quarto ſcilicet verſu memorat. His vtique qui animum aduerterit, non poteſt non in Deum pia admiratione rapi totus, indéque ad voluntatem eius quātus eſt formari. Ergo more ſuo Vates, quo ardens ipſe alios accendat, introducit ſe conſideratione ineffabilis Dei in nos mortales, benignitatis atque indulgenriæ, iam planè ſtupētem, neque continere ſe amplius potentē quin exclamet, Quàm ſuſpiciēda, quàm ſtupēda tua ô Iehouah Domine noſter, quem vnum colimus, in cuius ære toti ſumus, maieſtas & Diuinitas in vniuerſa terra, qui tuam nunquam ſatis laudatam magnificētiam, decus inæſtimabile, ita tua in nos dignatione & beneficētia auxiſti, eóq; euexiſti vt ſuperet cælos. Satis notum eſt, Dei nomine in Scriptura ipſum Deum, vel potius maieſtatem & gloriam eius deſignari: ſic ergo reddidi. D. Kimhi hoc loco de Deo ſcripſit, Nomen eius ipſe, & ipſe nomē ſuum. De ſacroſancto nomine יהוה quidam Hebræorum hoc dictum intelligunt, ſed de eo in Præfatione. Hoc ipſum autem ita proprium Dei & ſubſtantiale faciunt, vt reliqua ad vnum adiectiua & epitheta putēt. atque ideo ſecundum eos, hoc *Quàm admirabile eſt nomen tuum*, idem valet quod quàm admirandus es tu? Sed ſatis liquet, Vatem per Dei nomen, non hìc ſolùm potentiam eius, & ex ſua bonitate conciliatam gloriam ſignificare, quod ipſum & adiecta eodem hoc verſu particula declarat הודך, id eſt magnificentia tua. Nam eſt in hoc verſu ſchema illud, nuſquam ferè in Pſalmis non occurrens, quo ſenſus idem facientes aceruantur. Nōnihil ſimile habet illud Pſal. 108. a. 5, Nam magna eſt ſuper cælos bonitas tua, & vſque ad nubes veritas tua. Attolle te ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloriam tuam. Quemadmodum enim his verſibus Vates canere voluit, tam magnam fore Dei ſuper populum ſuum bonitatem & veritatem, id eſt certam & ſolidam beneficentiam, vt vſque ad nubes ea pertingeret, ac ſupra cælos etiam ſeſe extolleret: & ſicut orat vt ſe Deus & gloriam ſuam ſuper omnem terram attollat, id eſt ſe omnibus ſupereminentem declaret, & gloriam ſuam in omni terra celebrem reddat: ſic in præſenti Pſalmo canit, nomen, hoc eſt virtutem & amplitudinem Dei, vbique in omni terra ſuſpiciendam & tremendam apparere, adeò vt cælos vſque pertingat, omnia ſui admiratione replens. Sic & Pſal. 113. a. 5, Excelſus ſuper omnes Iehouah, ſuper cælos gloria eius. Nam vti de ingenti luce quæ omnem terram re-

Nomen Dei.

Magnificentia Dei ſuper cælos.

תנה *infinitiuus pro præterito.* יסדת *infantium enim in ſe omnes modos compleƈtitur, antehac cibus.*

pleat,& ſuper cælos vſque ſeſe attollat:ita de magnificẽtia,amplitudine,& gloria Dei loquitur: quæ vtique tam latè expenſa, & tam longe protenſa, támque altè ſublata eſt, quàm latè, longè, altè bonitas Dei cernitur,& percipitur:ea autem nuſquam ſeſe non exhibet & viſendam & fruendam.Et hæc illa latitudo,longitudo,profunditas,& ſublimitas eſt,quam vt comprehenderẽt Epheſii, Paulus flexis ad Deum genibus orabat, Epheſ.3.d.18. Etenim cui contigerit hanc immenſam Diuinæ bonitatis amplitudinem vel aliquatenus comprehendere : is à ſtudio, amore, veróque Dei cultu nunquam auelletur.

3 *Ex ore infantium & lactentium fundaſti robur propter infeſtos tuos,ad abolendum inimicum & ultorem.* Kimhi & Abraham Ezra יסדת,id eſt fundaſti, pro initium feciſti intelligunt : fundamentum enim,initium eſt ædificii. Kimhi autem exiſtimat hìc cani,Deum initium facere virtutis ſuæ prædicandæ ex ore infantium, quum primùm ſugere incipiunt: adeò admirandum illud eſſe miraculũ, & præclarum virtutis eius indicium vt tam tenello puero , papillarum modus tam egregie attemperatus ſit,lactiſque copiam affatim ſuppeditet. Abẽ Ezra autem initium hoc tum fieri arbitratur , quum loqui incipiunt quo munere homines omnia inferioris conduturæ eximiè antecellunt. Vtrunque præſtãtiſſimum ſanè Dei donum, & nobile prædicandæ virtutis Dei initium eſt,at non ſola hæc: omnia ſiquidem in pueris referta miraculis exiſtunt. Annon enim & illud planè ſtupendum,tantam ineſſe etiam malis hominibus erga ſuos infantes charitatem,& infantibus tam inuictam gratiam,vt illos quum ipſi nihil niſi vagitu obſtrepere, ſordibus nauſeam ciere, infinito denique labore & cura diu noctúque moleſti eſſe poſſint, parentes tamẽ minime faſtidiant,nullis adeò vel ſordibus vel laboribus offenſi,vt etiam voluptas ſit illis inſeruire?Hæ ſanè Diuinæ in nobis imaginis & bonitatis tã admirandæ reliquiæ ſunt, vt ex illis Dominus nos colligere iuſſerit quid ſit nobis expectãdum à Patre cæleſti, Si vos, inquit,quũ mali ſitis,hoc eſt amore veſtri deprauati,poteſtis tamẽ bona data dare filiis veſtris,nulla etiam expectata gratia:quanto amplius dabit Pater cæleſtis bonum Spiritum ſe petentibus,qui ſolus omne bonum exiſtit?Ad hæc quantis quotidie periculis infantes, nonniſi manifeſta Diuini numinis ope, Angelorúmque ſanctorũ miniſterio eripiãtur, facile quiuis videt. Videtur itaque Propheta,quum inſtituiſſet immenſam Dei in humanum genus indulgentiam prædicare,& in dignam eius admirationem pios excitare, poſt exclamationem ſuæ admirationis teſtẽ, de pueris ſtatim ſubieciſſe, in hunc ſenſum , Bonitate Dei in humanum genus adeò plena eſt omnis terra,vt ad cælos vſque pertingat,imò illos ſuperet: hanc ita admiror & ſtupeo,vt nihil ſuprá. Vndique enim quocunque me verto, ea in oculos incurrit,radiis ſuis mẽtem meam impetit: nam quid opus verbis?vel in ſolis infantibus ita effulget, ita reſplendet, vt tãtùm ex illorum ore qui adhuc fari nequeunt,abũdè confutentur & confundantur omnes Dei hoſtes,quique ideo quòd nullum Deum eredũt,ſibiipſis dii eſſe,& proſpicere,ſeſéque vindicare volunt. Hæc autem quo maiore dinoſi dicat,ad Deum ea loqui ſe facit. Per os itaque paruulorum(non ſermonẽ,quia infantes dicit,& ſugẽtes)virtus Diuinæ laudis cõfirmatur,dum hi bonitatem eius quàm mirificè adeò viſendã exhibent,ſuo modo prædicant. Illud יסדת,*firmaſti*,malui quàm ſecundum Kimhi & Ezra, *initium feciſti*, reddere. Neque enim initium eſt Deum prædicãdi à pueris iam in lucẽ editis & ſugentibus: ſed multo magis dũ in vtero matris tãtis miraculis, de quibus canit Pſal.139. a.1,formãtur,augẽtur, & ad prodeundum in lucem parantur,tãdémque è materni vteri latibulo producũtur.Quæ itaque in eis iam ſugentibus apparẽt Dei beneficia,virtutẽ Dei,hoc eſt laudẽ eius,non tã incipiunt quàm fundant & confirmãt. Virtutẽ ſiquidem pro laude virtutis, per metonymiã dixit. Porrò infeſti Deo,propter quos Propheta canit,Deum ex ore paruulorũ ſuã virtutẽ in laude & celebratione confirmaſſe,nulli alii eſſe poſſunt quàm ἄθεοι illi qui eò impietatis proruperũt,vt Deum eſſe auſint negare,totique in id incũbere,vt eum ex ſuis, tum aliorũ pectoribus omnẽ Dei cultũ profligẽt.Hi enim vel ex miraculis quæ in ſolis infantibus ſcatẽt,cõfutari & cõfundi poſſunt. Hos ipſos notat & quum ait,*Ad abolendum inimicum & ultorem*. Heteroſis numeri eſt.Iidem enim Dei,& Deum colẽtium hoſtes ſunt, & ſui ipſorum vltores ac vindices: quia Deum cui ſuam cauſam cõmitterent,nullum habent. In Matth.cap.21.b 16,legimus Seruatorem hoc verſiculo reſpondiſſe principibus Sacerdotum & Scribis, indignantibus quòd pueri ei in templo acclamarẽt,Hoſanna filio Dauid,Nũquam legiſtis,inquiebat,Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?Hoc verò reſpõſum mirificè in illos quadrabat,quos hoſtes Dei puerorum voces pulchrè cõfutabant. Neque obſtat quòd ii pueri non fuerint infantes & ſugẽtes:quòd enim paulo maiores eſſent,ita per hyperbolen vocabãtur.Etenim ſuos Dominus iã natu grandes νήπιοι id eſt paruulos vocat, eo quòd paruulis ſimplicitate & ruditate eſſent perſimiles . Equidem tamen ſi conſtaret apud Hebræos morẽ fuiſſe pueris Pſalmos decantare, mallem de puerorum populi Dei vocibus,id quod verſus tertius canit,intelligere, ac ita per hyperbolẽ infantes & ſugentes accipere pro pueris,etſi non adhuc in infantili, tamẽ in ætate hu*ic*

Math 7.b.11.

Locus Matth.21.

proxima cõſtitutis. Quaſi Vates ita dixiſſet, Quàm ampla eſt Deus, tua in nos homines bonitas! en prædicare illã iſtis dediſti pueris, vt ita confundas omnes hoſtes tuos, qui eam contẽnunt & oppugnãt. Certè ingẽs eſt adeò vt demirari illã ſatis nequeã. etenim quũ cælos ſuſpicio, video te nihil auguſtius: dũ hominẽ contẽplor, ô Deus quàm ſuperãt omnẽ mortaliũ cogitationẽ quibus eum donis cumulaſti? Porrò dum de ritu eiuſmodi nihil compertum habeam, dubitare autem nequeam quin ad populi cui Pſalmi cantabantur captum omnia attemperata fuerint, ſequutus ſum in explicatione verſus huius mẽtem Hebræorum. Ex eo autem nequaquam colligi poteſt, Seruatorem non appoſitè hunc verſiculum citaſſe. Nam & illa puerorum in tẽplo acclamatio, opus diuinæ bonitatis fuit, præcipua admiratione dignum, & hoſtes Dei confutabat, non minus quàm reliqua beneficentiæ Dei quæ in infantibus miracula cernuntur. *Inimicum & vltorem.* Enallage numeri eſt, idẽmque valet quod inimicos & vltores. Hos Aben Ezra & Kimhi intelligunt impios, qui negant Deum eſſe, eóque ad vlciſcendũ & puniendum eos qui Deo credunt, propẽdent. Huiuſmodi enim Satan pro ſua libidine contra veritatem armat & impellit. Deſtruuntur autem hi, ac velut abolentur, quum Pater cæleſtis arcana ſua, quæ à ſapientibus & prudentibus abſcondit, reuelat quamplurimis νηπίοις, hoc eſt mũdi iudicio humilibus, & ſuo ſummè modeſtis, nihilque eximium ſibi arrogantibus.

4 *Etenim ſuſpicio cælos tuos, &c.* In hoc verſu cauſam ponit cur tãtopere Dei in homines dignationẽ miretur. Quũ enim cælorum opifex ſit, & lunæ ſtellarúmque conditor, nequit Sanctus ſatis mirari, quòd ſe adeò demittat ad humilitatem hominum, tãtíſque illos donis ornet. Omnia verò ſic canit, vt ſinguli ferè apices, ſingulas ex ſe affectuum flammas eiaculẽtur. Deũ alloquitur, neque ſatis habet dixiſſe, Suſpiciam cælos: ſed dicit, cælos tuos: addit præterea, *Opera digitorum tuorum.* neque his contentus, quum ſtellas ſubieciſſet, ſuccinit, *Quæ tu paraſti*: quum tamen ſub operibus digitorũ Dei eſſent cõprehenſæ. Quid iam hæc aliud ſibi volũt quàm huiuſmodi aliquid? Iure demiror immenſam tuam, ô Deus, in nos mortales bonitatem, qua ſic omnis terra referta eſt, vt ſupra cælos euadat: quam etſi inſani quidam oppugnant, pueri tamen & lactentes deprædicant. Nam ſi tantùm oculos attollo, ſi cælum ſuſpicio, bone Deus, quantũ opus, quàm ingens decus tuum vel in illis reſplendet! ibi luna, & ſydera reliqua, ornatus infinitus. Quis hæc conſiderans, non extra ſe admiratione rapiatur, quòd tu tantus, támque immenſi operis artifex, noſtri caducorum & nihili homunculorum, tam benignè, tam prolixè, támque paternè curam geris, quòd ſic euehis, ſic auges, ſic ornas? Solis non meminit, quòd quo tempore videntur luna & ſtellæ, is non videatur. Dum ergo ſe hæc ſuſpicere canit, appoſitè de ſole tacuit.

5 *Quid homo, quòd memor eius es: & filius hominis quòd inuiſis eum?*

6 *Et feciſti eum diis paululum minorem, & dignitate & gloria coronaſti eum.* Admiratio qua de Dei in homines indulgentia ſe affectum, & quaſi extra ſe raptum, Vates ſingulis fermè Pſalmi huius verbis indicat: inde erat quòd primùm conſideraret quàm latè illa diffuſa eſſet, vtque terram omnem ad cælos vſque repleret, quod vel in ſolis infãtibus ſuprà quàm effari poſſet apparet. Hæc cecinit verſu 2, & 3. Deinde quòd perpenderet quàm ſit Dei omnibus ſupereminens virtus & maieſtas: id quod vel ſoli cæli, eorúmque ornatus, luculentiſſimè prædicant. Hæc cecinit verſu 4. Poſtremò, quòd iuxtà intueretur & hominis ſordes, atque abiectiſſimam humilitatẽ. Id iam canit hoc verſu 5. In 6, & deinceps explicat quanta eum dignitate extulerit. Porrò emphaſim habet quòd אנוש, quo nomine miſeria hominis ſignificatur, potius quàm אדם dixit. Eandem verò [illegible] expreſſit in eo quod ſubiecit בן אדם filium hominis, natiuitatis conditionem bis ærũnoſam & ſordidam notãs. Quare quò Seruator teſtaretur, omnem noſtram humilitatem ſe, & miſeriã, ſolo peccato excepto, ſubiiſſe, Filium hominis, id eſt mortalem, ærũnoſum, abiectũ, & vnum è vulgo, ac infima plebe ſeſe vocabat, eúmque titulum ſibi proprium fecerat. Meminiſſe Dei hoc verſu idem eſt quod cognouiſſe: de quo in vltimo verſu Pſalmi 1. Eſt enim Deum beneficiis declarare, nos ſibi curæ eſſe. Idem valet & פקד, id eſt inuiſere & rationem habere: quod tã in malam quàm bonam partẽ in Bibliis accipitur. Vt enim benefactis declarat ſe Deus rationem habere ſuorum in bonum: ita vltione manifeſtũ facit, ſe rationem habere reproborum in malũ. Sed quid Vates per Meminiſſe Dei, & Rationẽ habere, hic intelligat, ſequẽti verſu ipſe ſatis aperuit: id vtique quòd Deus hominem diis paululo inferiorem fecit, admiranda dignitate, ac mirifico decore cumulatum. Solo etenim corpuſculi onere, & poſt primi hominis lapſum, neceſſitate moriendi, beatis cælitibus (qui ideo dii vocãtur, quòd diuinitas illis quàm aliis creaturis plenius cõmunicata eſt) minores ſumus. Cæterùm hic ſubiecta habemus omnia: quíque ex Deo nati ſumus, vitam iam cæleſtem & æternam per fidem viuimus, in qua illi ipſi cælites nobis miniſtrant: certóque expectamus vt beato olim cum his æuo fruamur, iuſti & beati. Quis hanc dignitatẽ, quis hoc decus ſatis æſtimet? Epiſtola ad Hebræos, 2. b. 6, hunc locum de Chriſto interpretatur, idque iure. Per Seruatorem enim Filium Dei primogenitum omnia Diuinæ

dignitatis,reliquis nobis cóciliata ſunt, eiúſque beneficio illa percipimus. Propterea quicquid de hominis dignitate Scriptura prædicat,Chriſto primùm, vt generis noſtri capiti & inſtauratori competit, ac de eo iure intelligitur. Cuius dignitatis tanto quiſque amplius particeps euadit, quãto Chriſti Spiritu fuerit largius donatus. Etenim quam præcipue hîc Vates dignitatẽ prædicat, nẽpe poteſtatem quam nobis in reliquas creaturas Dominus conceſſit, dum ipſi Conditori ſubditi eſſe noluimus, bona ex parte amiſimus. at iis qui Chriſto verè credunt, & dæmones, & montes, ac quicquid vſpiam eſt, dicto audit.

7 *Dominum eum conſtituiſti ſuper opera manuum tuarum: omnia poſuiſti ſub pedibus eius:*

8 *Gregem & armenta omnia, ac etiam pecudes agri:*

9 *Volucres cælorum, & piſces maris, iter faciens ſemitis marium.* His dignitatẽ & gloriam humani generis, quam tãtopere mirabatur explicat. Illud ſiue Dominum cõſtituiſti, ſiue dominare feciſti: nihil aliud eſt quàm virtutem ſuppeditaſti, vt imperio & ditioni ſuæ cuncta ſubiugaret: iúſque feciſti rebus à re conditis perinde atque ſuis vtendi. Exprimere ſiquidem Vates illud Geneſis 1.d. 28, voluit, Et benedixit illis Deus, id eſt hoc beneficio affecit: & dixit eis, Gignite, & augemini, & terram replete, eámque vobis ſubiicite, atque poteſtatem exercete in piſces maris, hoc eſt in animantia aquatica: volucres cæli, id eſt omnia volatilia quæ ſub cælo feruntur in aere: & in omnes animantes quæ mouentur in terra. צאן verterunt ferè oues: ſignificat gregem, & non ſolùm ouium, ſed & caprarum, & omnium minorum pecudũ. Singulare verò poſitum pro plurali eſt. אלפים, boues reddũt, ſed ſignificãtur hoc nomine pecora maiora quæ cum homine degũt, vt ſunt equi, boues, aſini, cameli, idcirco armenta reddidi. Ita dum dixit, וגם בהמות שדי, id eſt & etiã pecora agri, hoc eſt intellexit feras agreſtes. Nam has quamlibet truces, quamlibet cautas venatu capimus, & vtilitatem ex eis multam percipimus. In eo autem quod ſcripſit, *& etiam*, auxeſis eſt, qua intendere admirationem voluit. acſi dixiſſet, Videte Dei in nos inexplicabilem benignitatem: ſatis non habet tot pecudes cicures, vſibus noſtris mancipaſſe, adiecit & feras. Nullæ tam ſunt immanes, tam feroces, tam noxiæ, quin eas homo ſuo imperio ſubiiciat, & vtilitatem ex eis capiat. Quid fortius elephanto? quid leone formidabilius? quid pernicius & ſæuius tigride, quid draconibus immanius & atrocius? quid tot ſerpentum generibus nocentius, & magis peſtiferum? at nihil horum eſt vnde non luculẽta ad hominem vtilitas perueniat: id tamen in iis qui in Chriſtum iuris & dignitatis huiuſce reparatorem verè credunt, præcipuè verum adparet. Nam mõtes dicto, ſi operæpretium ſit, tollere, omnes depellere morbos, eiicere dæmonia, viſum cæcis, vitam reſtituere mortuis, ſerpẽtes illæſos attrectare, toxicum citra periculum bibere, verbo truculentiſſimas beluas manſuefacere: & vt Pſalmus 91.c.13 canit, ſuper leones & aſpides gradi, calcare leunculũ & draconem, & vt vno verbo dicam, efficere quiduis, atque pro arbitrio vti omnibus poſſunt. Hoc verò imperium, hãc poteſtatem per Chriſtum ſeruatorem
Iſaia 11.b.8. reſtituendam, Ieſchaiah cum aliàs, tum in eo notauit, quòd in regno eius fore prædixit vt puer lactens ludat ſuper foramine viperæ, & ad cauernam reguli manum ſuam mittat ablactatus. Hinc nõ inſcitè in precatione quadã Eccleſiaſtica canitur, Deus, cui ſeruire regnare eſt. Et ſuperi enim, & inferi, ei qui ſe penitus Deo ſeruũ addixerit, ſubiiciũtur & inſeruiũt. Nec aliunde eſt vt à tot rebus damna ſubinde accipiamus, quàm quòd Cõditoris nos voluntati vt par eſt, non addicimus. Quæ ergo Pſalmus hic canit de inexplicabili Dei in humanũ genus dignatione, attẽte cõſyderemus, quo grati & religioſi ipſum qui nobis ſubiecit omnia colẽtes, iis quæ ſubiecit in noſtra cõmoda vtamur. Regnũ verum in res cõditas obtinebimus, ſi Cõditorem vt regẽ noſtrum rite adorauerimus. עבר, *Tranſiens ſemitas marium.* Hoc Kimhi de facultate tranſeundi nauibus mare interpretatur: ſed quũ hic Propheta ea enumeret quæ homini Deus ſubiecit, & nominatim animantes, terreſtres, aereas, aquatiles: malim illud, *Tranſiens ſemitas marium*, intelligere de marinis omne genus animalibus, quæ adeò diuerſis ſunt ſpeciebus, omnémq; numerũ ſuperãt, vt exiſtimẽ Prophetæ viſum, ſe nominatis piſcibus, imperiũ hominis in res aquaticas nõ ſatis explicuiſſe, quũ & in marinas beluas poteſtatẽ mirã exerceat, quæ tam variæ, támq; innumeræ ſunt, vt haud bene ſub piſcium ſe nomine eas cõprehendiſſe putauerit. Quis monſtrifica maris omnia, ingentes balenas, orcas, priſtes, & phyſetros, aliáſque animãtes innumeras, piſcium nomine cogitet? Ad hæc, non de nihilo eſt, vt & Plinio lib.9.cap.2, viſum eſt, illa vulgi opinio, quicquid naſcatur in parte naturæ vlla, & in mari eſſe: prætérque multa, quæ nuſquã alibi. Et ſubiicit idem, Rerum quidem nõ ſolùm animalium ſimulachra, ineſſe licet intelligere intuentibus vuam, gladium, ſerras, cucumim, vero & colore & odore ſimilẽ, quo minus miremur equorũ capita in tam paruis eminere cochleis. Et fortè quia in aliis maris regionibus, aliæ beluæ, aliáque mõſtra viſuntur, ſemitas mariũ dixit potius quàm maris. Quanquã Scriptura hoc plurali nõ infrequẽter vtitur, propterea forſã quòd maris Mediterranei varii flexus ac ſinus vulgò quoq; maria dicuntur. Alterũ igitur, & terreſtri ampliorẽ mũdum, quid mirũ ſi piſcium nomẽclaturæ Vates noluerit includere? Chaldæa Paraphraſis poſuit hîc Leuiathan, quo cete ſignifican-

tur ob immanem magnitudinem. Si enim ad nauigationem hæc rapias, ipſe homo tranſit mare, non habet ſibi, vt alterius generis creaturam, ſubiectum id quod tranſit. Attamen ſicui interpretatio Kimhi arrideat, ſic verſum nonum reddere poteſt, *volatilia cælorum, & piſces maris, tranſeuntia ſemitas marium*. Vt intelligas quæ Vates præmiſit, ſubiecta homini qui inter cætera dignitatis atque potentiæ ſuæ miracula & hoc habeat vt confectis nauibus in mari diſcurrat. Græca cōſentiunt nobis: ſic enim habent, τὰ διαπορευόμενα τρίβους θαλασσῶν, id eſt tranſeuntia ſemitas marium. Nec enim hoc vulgaris interpres Latinè probè reddidit, Qui perambulāt ſemitas maris: quaſi ad piſces id referēdum ſit: nam hoc in neutro genere poſitum eſt, quum piſcium nomē Græcis maſculinum ſit. vnde hîc legitur, τοὺς ἰχθύας.

10 *Iehouah Domine noſter, quàm admirandum eſt in vniuerſa terra nomen tuum?* Admiratione qua Pſalmum cœpit, eadem & finit: niſi quòd nō addit hîc, *Qui magnificentiam tuam ſupra cælos extuliſti*, quo datur intelligi eam particulam, prioris tantùm explicationem eſſe. Commodùm autem poſtquam aliqua ex parte Dei in hominem dignationem expoſuit, dignitate & præſtantia hominis memorata, iterum admirabundus ita exclamauit. Nam memorando Dei in humanum genus tā præclara munera, non potuit non amplius admiratione Diuinæ bonitatis accendi. Id ergo, quo flammam eandem trāſmitteret in alios, de ſe in loco teſtatus eſt. Rurſus cum admiratione exclamando illud, *Domine noſter*: (quod in 2. verſu præteriit) vt familiaritatis vox accipi debet: ſic enim ſeruuli heros ſuos compellāt. Proinde hoc Vates ſignificare iſta appellatione voluit, Iehouah, Deus ſempiterne, cōditor quidem es omnium, at peculiariter Dominus noſter, nos tui ſeruuli. Omnes quidē omnia à te habent, perpauci autē ſunt qui id agnoſcant: nos in hoc delegiſti, & tibi mācipaſti, vt virtutē & bonitatē tuā agnoſceremus, & prædicaremus: iuxta illud, Deut. 26.d.18, Iehouah ſecreuit te hodie vt ſis ei populus quē peculii vice habeat, quemadmodum tibi loquutus eſt, vt ſerues præcepta eius, & vt ponat te celſiorem cunctis gentibus: quē ſibi fecit vt inde laudē, nomē & ſplendorē haberet, & vt ſis tu Iehouæ Deo tuo populus ſanctus, ſicut loquutus eſt. Hinc & Ieſcha. 44.a.1, Et nūc audi Iaacob, ſerue mi Iiſrael, quem ſelegi mihi. Sic dicit Iehouah effector tuus, & fictor tuus, ab vtero vſque tibi auxiliator, ne timeas ſerue mi Iacob, qui recte inſtitutus es, quem elegi. Hac de cauſa videtur Chaldæus Paraphraſtes hîc pro Domine, præceptor poſuiſſe. Nos iam ſi Iehouah in Deum noſtrum ſelegimus, ſi fidei eius nos commiſimus, verè filii Iaacob, & ſerui Dei ſumus, modò ſeruorum officio non defuerimus.

PSALMVS IX, in genere miſto,

Epinicion eſt quo Dauid gratias agit pro inſigni quapiam victoria, præcipuíque hoſtis, quem Goliath nonnulli arbitrantur, occaſu. Tum iuſtitiam Dei qua ſuos in tempore vindicat, pluribus attollit. Denique precatione, vt improbos Deus compeſcat, Pſalmum claudit. ARGVM.

1 PRæſuli, ad almuth Labben, Odę Dauidis. PARAPH.
2 Celebrabo Iehouam ex toto corde meo, memorabo omnia miracula tua.
3 Gaudebo & lætabor de te, canam nomen tuum ô Supreme:
4 Propterea quòd terga dederunt hoſtes mei, impegerunt, atque perierunt à facie tua.
5 Secundum me etenim iudicaſti, cauſam meam aſſeruiſti, ſediſti pro tribunali iudex iuſtus.
6 Increpuiſti gentes, perdidiſti improbū, nomē eorū aboleuiſti in ſempiternū.
7 Nūquid, ô hoſtis, confectæ ſunt vaſtitates ſempiternæ, vrbes excidiſti, interiit memoria illorum vnà cum ipſis?
8 Sed Iehouah in perpetuum regnat, tribunal eius ad iudicandum paratum eſt.
9 Hic orbem iudicabit ex iuſtitia: & ius dicet populis ex æquitate.
10 Iehouah perfugio eſt oppreſſis, perfugio quum tempora afflicta ſunt.
11 Te nitentur qui nouerunt nomen tuum: non enim deſeres ſtudioſos tui, ô Iehouah.
12 Canite Iehouæ præſidi Siioni, annuntiate in populis facinora eius:
13 Nam de effuſo ſanguine quæſtionem inſtituit: habuit rationem eius, non eſt oblitus vociferationis afflictorum.
14 Miſerere mei ô Iehouah, reſpice afflictionem meam quam ab iis quibus odio ſum, perfero: attolle me de limine mortis:

15 Vt commemorem omnes laudes tuas intra portas Siiõ,læter de ſalute quam tu tuleris.

16 Demerſæ ſunt gentes in foueam quã pararunt: reti quod abſconderunt, irretitus eſt pes ipſorum

17 Celebris eſt Iehouah à iudicio quod fecit,improbus ſuo ipſius opere irretitus eſt. Laus,Selah.

18 Recident ad inferos improbi,omnes gentes quæ obliuiſcuntur Dei.

19 Neque enim perpetuò obliuioni dabitur inops: neque in ſempiternum peribit expectatio afflictorum.

20 Exurge Iehouah,ne præualeat mortalis,exerceatur abs te in gentes iudicium.

21 Incute ô Iehouah iſtis metum: diſcant gentes,ſe mortales eſſe. Selah.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 P*ræſuli ad alemuth Labben,Ode Dauidis.* Hic primus verſus in Præfatione explicatus eſt.

2 *Celebrabo Iehouam in omni corde meo,memorabo omnia mirabilia tua.*

3 *Gaudebo,& exultabo in te: canam nomen tuum Altiſſime.* Plerique Hebræorum exiſtimant hunc Pſalmum de victoria contra Goliath, quo cæſo omnis quoque Philiſtæorum exercitus fugit,compoſitum. Sunt autem cum quibus Abr. ben Ezra facit, qui pro victoria hìc gratias agi arbitrãtur, quæ habita ſit contra aliquem principem Philiſtinorum vocatum Labben: vnde verſum primum interpretãtur ſuper morte Labbẽ,de quo in præfatione. Non deſunt etiam qui victoriam hìc celebrari velint habitam contra Amalekitas. Nos de his, quoniam infinita ſunt,nõ erimus ſoliciti. Siue pro victoria cõtra Goliath & Philiſtæos,ſiue hoſtes alios hîc Propheta gratias agat:inſignem illam fuiſſe declarat Pſalmus totus. Nos igitur quàm ardenter,quámque religioſe gratias decãtet,quàm magnificè Dei iuſtitiam prædicet,potius conſyderemus. Verſu 2,&3 grati animi affectus,& eos ardentiſſimos promit. Inde vſque ad 8,de admirando Dei contra hoſtes iudicio canit. Ab 8,vſque ad 14,in vniuerſum Dei iuſtitiam,ſuos ab oppreſſione malorum in tempore eripientis, celebrat. Poſt hæc inſerta prece, quam in periculo ad Deum fuderat,iudicium contra hoſtes magis explicat: more ſuo cupiens aliis mouere affectum gratitudinis,Deíque celebrandi. Eodem ſeſe planè ardore non fingit,vt Oratores profani ſolent, ſed teſtatur,& præ ſe fert. Summa ſiquidem,inquit Fabius, circa mouendos affectus in hoc poſita eſt vt moueamur ipſi. Quàm igitur ardeat,palàm facit quum ait,*Celebrabo Iehouam in toto corde meo*: hoc eſt ex animo in hoc vnum affecto, hoc ſolùm cupienti & ardenti. Eundem affectum indicat & apoſtrophe,quod ad Deũ conuerſo ſubito ſermone,*Memorabo*,inquit,*omnia mirabilia tua*. Ecquì memorabit omnia,quum ſint memoratu impoſſibilia,quia infinita? Hyperbole eſt,& ipſa flagrantis animi index. Quod enim vult,non quod poteſt,facturum ſe recipit. Tanta ſiquidem ex præſenti illo & admirando auxilio, quod Dominus tulerat, prædicandi eius laudes eum cupiditas inceſſerat, vt iam non de eo ſolùm quod tũ erat expertus, ſed ſimul omnia facinora Dei eius in ſalutẽ populo facta, ferre laudibus & cuperet,& conaretur: quúmque ſingula nequiret,vniuerſa tamẽ canere inſtituit. Eo verò quod deinde ait,*Lætabor*: ſignificat ſic ſe exhibitam opem exiſtimare, tantíque pretii habere,vt in perpetuum de ea lætaturus ſit, atque gloriaturus, tum & gratias acturus. Quin neque illud abſque affectu adiectum eſt, *Altiſſime*. Expreſſit enim eo animi ſui de experta iam omnibus ſupereminente Dei potentia & benignitate exultationẽ. Has verò tantas grati,dignéque in Deum affecti animi flammas,ſic conſiderare nos decebit, vt tandem inealeſcamus & nos quibus multo maiora Diuina bonitas cõtulit,nempe de Satana hoſte mentiũ, æternam per Chriſtum victoriam atque ſalutem. Quin & quotidie ab innumeris nos malis eripit quæ intentat caro & ſanguis.

4 *Quum uerterent inimici mei retro, impegerunt & interierunt a facie tua:*

5 *Quia feciſti iudicium meum, & cauſam meam, ſediſti pro tribunali, iudicans iuſtitiam:*

6 *Increpuiſti gentes, perdidiſti improbum, nomen eorum deleſti in ſeculum & uſque.* Præmiſit Vates verſu 3, ſe lætaturum ac gloriaturum de Domino, atque nomini eius cantaturum: ſubiicit iam huius cauſam. Id quo planius perciperetur, verti *Propterea quòd terga dederunt,&c.* Dei enim virtus hoſtes fugere,& terga obuertere,impingere, cadere,& interire fecerat. Porrò quòd ad Dominum tanquam hominem victorem,dicit,*à facie tua*,anthropopathia eſt. Victi enim,& terga dãtes,cõtra faciem eorum penes quos victoria eſt, ſtare non ſuſtinent. ideo à facie eorum ſe vertunt: quúmque illi inſequuntur,facile fit vt impingant aliquò,indéque cadant,& pereant. Hæc iam omnia dicũt Hebræi, his à facie illorũ accidere,intelligentes,ab illis aduerſa imminẽtibus, cõtinẽterq;

inſiſtentibus,& facie ac præſentia ſua tantopere vrgentibus. Habent verſus quartus & quintus exultãtem gloriationem in hunc ſenſum, Putabant hoſtes non eſſe qui nos ab ipſorum oppreſſione liberaret:te vindicare nos haud poſſe ſibi perſuaſerant. At nunc,dum à facie tua,tua virtute in fugam acti ſunt,ceciderunt & interierũt,experti tandem ſunt quid tu poſſis,quàm tibi nos curæ ſimus. Verè ſediſti pro tribunali,iudicium exercuiſti,&iudicaſti ſecundum me,cauſam & ius meum vindicaſti. Nam dum ſuperiores hoſtes erant,videbatur Deus aut tribunali ſuo abeſſe,aut certe cauſam populi ſui negligere. גערת Kimhi & Ahr. Ezra hic pro imminuiſti,vel perdidiſti accipiunt:quem ſignificatum habere hoc verbum dicunt, quum ſine ſequẽti præpoſitione ב ponitur,vt Pſalmo 106.b.9, ויגער בים סוף, Et increpuit in mari caricoſo,id eſt ipſum mare increpuit. Ieſcha.17.d.13,ויגער בו ונס, Et increpuit in eo, & fugit. Sic ferè inuenias conſtrui hoc verbum,vbicunque increpare ſignificat. At Maleachi 2.a.3, ponitur ſine ſequenti præpoſitione ב,& ibi valet imminuere:ſic enim habet Propheta,הנני גוער לכם את הזרע,hoc eſt,En imminuo vobis ſementẽ. Adducit hîc Kimhi & illud Pſalmi 68.f.31, גער חית קנה, vbi eodem modo accipiẽdum גער putat,vt valeat,imminue, vel diſperde cœtum lanceatorum. Sed inſolens Pſalmographo non eſt, præpoſitiones huiuſmodi interdum omittere ſubaudiendas. Sequi itaque libuit hic Paraphraſtem Chaldæũ,qui נזפת, id eſt increpuiſti poſuit. Græcus huic conſentit qui habet ἐπετίμησας. Senſus ergo erit, Tu gentes iſtas incircuncisſas tantùm increpuiſti, & periit improbus, ſiue ille dux eorũ,in quem confidebãt,Goliath,ſiue alius quiſpiam. Quanquam à more Pſalmographi alienũ nõ ſit,ſingulare pro plurali ponere,vt & ſic accipere hæc poſſis, *increpuiſti gentes, & interierunt iſti improbi*. Illud, *à facie tua*, bifariã accipi poteſt. vno modo vt expoſui,Vrgẽte eos tua præſentia,& vultu illo quo exagitas perdiſque tibi aduerſantes. ſicut מפני accipitur, quum dicitur,à facie iræ tuæ,hoc eſt vrgẽte ira tua. Alio modo,ſicut illud,Ne proiicias me à facie tua:vt ſenſus hic ſit,Interierunt vt corã te nihil loci habeant, & ita interierunt penitus. Psal.51.c.13. Nomen eorum aboleuiſti, hyperbole eſt, qua ſignificare voluit omnimodam eorum internecionem, vt nulla ſupereſſet cauſa cur nominarentur. Aut certè per nominis abolitionem,intellexit ſublatam nominis eorum celebritatem. Ad verbum hîc ſequitur, *in ſeculum & uſque*, deficit enim alterum עולם, ídque crebrò fit. Ex his nos diſcamus,Domini ſolius eſſe hoſtes deuincere & extinguere, ídque in tempore facturum,ſuóſque vlturum,vtcũque videatur nonnunquam eos deſeruiſſe,quo ipſius nos præſidio plena fiducia committamus.

7 *O inimice,conſummatæ ſunt vaſtitates in ſempiternum,& ciuitates euertiſti,periit memoria eorum,ipſi.*

8 *Et Iehouah in ſeculum ſedet,inſtruxit ad iudicium tribunal ſuum.*

9 *Et ipſe iudicat orbem in iuſtitia,diſceptabit populos in æquitate.* Verſus ſeptimus variè enarratur. Mihi videtur inſultatio aduerſus hoſtẽ,qui ſibi perſuaſerat vaſtaturum ſe apud Iiſraelitas omnia. Ea ſanè confidentia Goliath fuit. Cæſo itaque illo,& in fugam verſis cunctis Philiſtæis,inſultare vtique hunc in modum illi Dauid potuit,Nunquid,ô hoſtis qui animo iam omnia vaſtaras, confectæ tibi ſunt vaſtitates æternæ?nunquid vrbes noſtras euertiſti?En interiit memoria eorũ quibus extrema minabaris:vnà cum ipſis omnia cõfeciſti, & internecioni dediſti. Ita tu quidẽ tibi promiſeras:ſed Iehouah præſidet in ſeculũ,ſempiternum regnum obtinens. Nunquam nõ pro tribunali ſedet, iudicium in tempore omnibus facit. Vniuerſus ſiquidẽ orbis ab eo iuſtum iudicium expectat, ius dicet cunctis populis ex ſumma æquitate. Qui igitur tuam tuliſſet ſuperbiam, nóſve ſui nominis cultores,tibi hoſti ſuo, & maieſtatis ſuæ blaſphematori permiſiſſet? Sicut verò hîc Vates ex eo quòd Deus iuſtus orbis iudex eſt, colligit non potuiſſe eum permittere hoſti, vt ex ſua libidine in populum Iiſrael graſſaretur: ita ex eodem Paulus colligit Rom.3.a.6, Deum non poſſe iniuſte vindictam de iniquitate ſumere. Quomodo, inquit, alioqui iudicabit Deus mundum? *interiit memoria eorum una cum ipſis.* Hebræis habetur tantùm ipſi:ſed ſolita Sacræ linguæ eclipſis eſt. Sephaniah 2.d.12, Et vos AEthiopes vulnerati gladio meo,illi, id eſt vnà cum illis. Dauid Kimhi interpretatur,ſicut illi. Porrò verſum ſeptimum quem dixi variè enarrari, Dauid Kimhi in hunc ſenſum interpretatur: hoſtis, irreparabiles & æternas vaſtitates in terra noſtra perfeciſti,excidiſti vrbes,vt aboleretur nomen noſtrum,ita & tu vaſtaberis,noménque tuum abolebitur. Parens huius,Ioſeph Kimhi putat ſignificari eo quod Vates cecinit,Perfectæ ſunt vaſtitates,finem iam impoſitum vaſtationibus hoſtis. Ahr. Ezra hãc Prophetæ ſentẽtiam facit,Vaſtaſti ô hoſtis, irreparabiliter omnia,& ideo putas nunc te quietè rerũ potiturũ:non ita eueniet:ſedet enim in ſeculum Deus,iudiciúmque facit omnibus: is te vt meritus es peſſundabit,noménque tuum abolebit. Adduxi haſce Hebræorũ enarrationes,quo quũ locus ſit nonnihil obſcurus,lector habeat eligẽdi facultatẽ. Quòd autem nulli harum accedam, in cauſa eſt quòd nullus hoſtis quem Dauid deuicit,ſic regionem Iiſraelis exciſis vrbibus deſolauerit, vt dici potuerit, perfeciſſe eum vaſtitates æternas, & aboleuiſſe memoriam Iiſraelitarum vnà cum ipſis. Goliath, & freti eo Philiſtæi, videbantur quidem Iiſraelitis facturi ea quæ

intétabant,ſed non ſolùm nó perfecerűt,verùm ipſi paſſi ea ſunt ab illis. Proinde quű n nota ſit interrogationis,& tã ironicæ quàm ſimplicis,viſum eſt & verbis Prophetæ,& Pſalmi argumẽto nó parű quadrare vt tanquã inſultationẽ verſum hunc acciperẽ. חרבות frameas quidã vertűt, ſicut & Græcus interpres:ſed linguæ Sanctæ peritiores, magis probant *vaſtitates*. Porrò id quod Vates hic canit, Deum omnium iudicem ſemper pro tribunali ſedere, & orbẽ iudicaturum ex iuſtitia & æquitate.& conſoletur,ſi iniuriam oporteat pati,& deterreat ab inferenda.

10 *Iehouah erit arx obtrito,arx temporibus in anguſtia.*

11 *Et nitentur te qui norunt nomen tuum:quia non deſeris inquirentes te ô Iehouah.*

12 *Canite Iehouæ ſedenti Siioni,annuntiate in populis ſtudia eius.*

13 *Nam inquirit ſanguinem,memor eius fuit,non eſt oblitus clamoris pauperum.* Quæ his quatuor verſibus canit,ex prioribus ſequuntur. Si enim Deus orbem iudicat,& iudicat ex iuſto & æquo, & iudicat omni tẽpore:neceſſe eſt oppreſſo ſit perfugium,& eripiat eum tum maxime,dum præcipue opprimitur,id eſt tempore aduerſo. Auertere quidem hoc tempus poſſet,ne vnquam incideret:ſed quum iudex æquus ſit,& ſui quoque quotidie admittant quæ ſunt animaduerſione digna, iudicio ſuo familiam ſuam primùm caſtigat & in viam reuocat, ne planè cum reliquo mundo cõdemnetur, eóque aliquid in eos ſceleratis permittit: ſed in tempore eos vlciſcitur, manibus illorum ereptos. Hinc quicunque nouerunt nomẽ Domini,id eſt ipſum, eóque vt iudicẽ omniű qui ſolus ex iuſto & æquo iudicat,agnouerunt,ipſo vno nituntur,& cõfidunt,ad neminẽ alium in tribulatione reſpiciunt,quòd certi ſint deſeri ab eo non poſſe qui ipſi ſtudent,hoc eſt eum inquirunt,de eo ſoliciti ſunt,quibus cura eſt vt ei vitã ſuã approbẽt, verè religioſi atque timentes eum. Id vocat Vates דרשי יהוה,ſolicitè quærere Deű. Ad hæc cõmodùm hortatur vt canãt Sancti Deo laudes, quẽ præſidẽ Siion vocat, etſi quum hãc quam hic Pſalmus victoriam celebrat daret,nódum eſſet in Siion Arca fœderis,apud quam peculiarem præſentiæ ſuæ locum eſſe voluit. Imò ea vrbs adhuc erat in manibus Iebuſæorum. Kimhi putat ex reuelatione Dauidem prænouiſſe illic fore locum adorationis. Sed quum Pſalmos hos Siioni primùm publicitus in Eccleſia populi Dei cani per Dauidem inſtitutum ſit,nó eſt mirum,ſic Deum hic appellatum, etiam ſi lõge antè Pſalmus compoſitus fuiſſet:facile enim fuit appellationẽ mutare. Quanquã equidẽ veriſimile habeam,Dauidẽ bonã huiuſmodi Odarum partẽ tum cõſcripſiſſe, quum in regno confirmatus à bellis otioſus, augendis pacis & religionis ornamentis ſeſe totum dediſſet. In populis iubet annuntiare facinora Domini,hoc eſt paſſim,quo Dei potentiam & bonitatẽ plurimi cognoſcãt. עלילות facinora reddidi.nam omnino facta ſunt habẽtia inſigne & notabile aliquid. Inde verbo vnde hoc nomẽ deducitur, ſignificatur patratio miraculorű in AEgypto. Exo.10.a.2. Et Num.22.f.29,declinatio ex itinere aſinæ Bileã. Deut 22.b.14,hoc ipſo nomine furtiuus virginis cõcubitus ſignificatur. Ex quibus ſatis liquet dici עלילות facta quæ notam aliquam & inſigne aliquid habẽt. ea iam Latinis facinora vocãtur, & æquè in partem vtrãque vſurpãtur,vt עלילות Hebræis. Verſus 13,cauſam cur vbique prædicari Deus debeat,iterum ſubiungit:nã & ſuprà eam poſuerat verſibus 9 & 10. Inquirit,inquit,de ſanguine,de cæde:inultum ſanguinem innocentem non relinquit, neque obliuiſcitur vociferationis afflictorum, etiamſi aliquandiu negligere eos videatur. Hæc iterum moneãt, ſiquid indignè patiamur,Deum id vlturum,cui vni cauſam noſtram committere addecet.

14 *Miſerere mei Iehouah,vide afflictionem meam ab oſoribus meis.exaltator meus à portis mortis:*

15 *Vt celebrem omnes laudes tuas in portis filiæ Siion,læter in ſalute tua.* Quia dixerat Dominű non obliuiſci vociferationis afflictorum, in ſeipſo id verum oſtendere volens, interponit his Domini laudibus precem,quam in periculo conſtitutus,& eo maximè ancipiti,vnde ex portis lethi,& ipſis mortis faucibus ſe exaltari orans ad ipſum fudit. Orauerat autẽ vt ſui Deus miſereretur,reſpicere ſuam afflictionem,quam ab iis quibus erat odio,ſuſtinebat:& de portis mortis,quo ſe ſignificat proxime mortem,vſque ad limẽ eius acceſſiſſe,attolleret,vt in portis & cõuentibus Siion, in Eccleſia populi Dei laudes celebraret, & palàm de accepta ab ipſo ſalute lætitiam teſtaretur. Sic tantùm Dei gloriæ viuere Sancti petunt,de quo plura in verſum 7,Pſalmi 6.

16 *Demerſæ ſunt gentes in foueam quam fecerunt,in reti quod abſconderunt illaqueatus eſt pes eorum.*

17 *Notus Iehouah iudicium fecit,improbus in opere manuum ſuarum irretitus eſt. Higgaion ſelah.*

18 *Recident improbi ad inferiorum,omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum.*

19 *Nec enim obliuiſcetur in ſempiternum inopis,[non] peribit in ſeculum expectatio manſuetorum.* Redit ad decantandum iudicium Domini quod contra hoſtes populi ſui fecerat. Bellum intulerant Iſraelitis Philiſtæi quo perierűt. Freti ſuo Goliath, ſe omnia vaſtaturos ſibi perſuaſerant. is ipſe fuit qui eos peſſűdedit. Blaſphemiis enim ſuis irritauit Deű,vt mereretur à Dauide cadere, ſuóque caſu Philiſtæis pugnãdi animos ſemel ſuſtulit. Id iã eſt quod Dauid parœmia ſua,qua & ſuprà 7. Pſal. vſus eſt,canit, Demerſæ ſunt gẽtes in foueã(ſepulchrű intelligit)quam fecerunt. Sic

nanque inſtructi ad id bellum venerant, vt nihil certius haberent quàm Iiſraelem periturum, iámque illis paraſſe ſepulchrum ſibi videbantur. Idem ſibi vult & alterum prouerbium, hæſiſſe pedem eorum in reti quod Iſraelitis poſuerunt. Nam quo vniuerſum Iiſraelis exercitum deleturos ſe ſperabãt, is ipſe cauſa fugæ illis & interitus fuit. Cæterum allegoria illa, Incidit in foueam quã fecit, qua vtimur dum quis eo perit quo alium perdere inſtituit: mutuata eſt à venantibus. Hi foueas fodiunt, & quod feras illiciat imponunt, cuius auiditate quũ in foueas illæ inſiliunt, capiuntur, non potentes inde rurſus emergere. Lupi præcipuè hoc modo capi ſolent. Metaphora retis ab aucupibus ſumpta eſt. Porrò verſu 17, videtur peculiariter caſum Goliath canere, quem ſuo ipſius gladio confecit, lapide fundæ deiectum, quod vtique inſigne auxilii Diuini miraculum fuit. vnde iure cecinit, Nobilis Iehouah ex iudicio quo factum eſt, vt immanis Goliath, propè pueri manibus deiiceretur, & ſuo ipſius enſe capite truncaretur. Id ſignificare creditur, dum canit, *improbus in opere manuum ſuarum illaqueatus eſt*. Allegoriæ enim ſunt parœmiales. Sĩpliciter dixiſſet, ſuo ipſius gladio decolatus eſt. Hoc ideo inſigne Diuinæ opis miraculũ, quia dignè conſiderari, & ſatis admirari nequit, ſummámque Dei laudẽ poſcit, adiecit, הגיון, quod nomẽ à verbo הגה (de quo plura in verſum ſecundũ primi Pſalmi) venit, intentiq; animi murmur, & ex grato pectore eructantẽ Dei laudẽ ſignificat. Voluit ſiquidẽ hac voce monere Eccleſiã vt nunquã ſatis admirandã Dei benignitatem, in tã ſtupendo miraculo preſſius conſyderaret, indéque accederetur ad prædicãdas Dei laudes totis viribus: tũ excitaretur ad fidẽdũ Deo, quouis in periculo, quãdo ille tam inſperatò, & mirificè ſoleat adeſſe ſuis. Ad idem & Selah adiectũ arbitror. Hebræi laudẽ & celebrationẽ Dei hoc nomine intelligũt, ſicut & Chaldæa paraphraſis quæ reddidit, Iuſti ouabunt. Græcus præteriit & hanc, & vocem Selah, hoc loco. Verſus 18, & 19, velut epiphonema ad omnia ſuperiora habent, ex animo de ſalute præſtita exultante profectum. *Reuertentur*, inquit, *improbi ad inferos*. Hic admodum quadraret reddere *ſepulchrum*, vt intelligeretur alluſum ad illud quod ad corpus attinet, Puluis es, & in puluerem reuertẽris. Etſi enim filios Dei hæc quoque conſtringat neceſſitas, animis tamen hi ſuperos petunt. Verùm dum improborum manes ad tormenta rapiuntur, verti *inferos*, vt intelligas non ſolùm corpore illos redire in puluerem, ſed animis etiam in ignem paratũ Diabolo & angelis eius, ex quo & nati ſunt teſte Domino. Loquitur enim hìc de gentibus quæ Dei obliuiſcuntur, hoc eſt nulla prorſus religione tenẽtur. Rationem huius ſubiicit, quòd nequeat Deus pauperum vſque obliuiſci, id eſt eos ab improbis vexatos negligere, eo quòd deſyderium & vota eorum dum opem implorant, non poſſint perpetuò eſſe inania. In hoc verſu eſt ſchema ἀπὸ κοινοῦ: ad לא, id eſt *non* ſemel poſitum, duæ ſententiæ iunguntur. ad verbum enim habetur, *Quoniam non in perpetuum obliuioni erit pauper, expectatio afflictorum interibit*. ſed intelligitur, *non interibit*. לא enim, id eſt non, vno loco poſitum, in duobus ſeruit. Id figuræ frequens in Scripturis eſt, præſertim in Pſalmis. In fine huius verſus alterum ſchema eſt præciſionis: nã לעד habetur, id eſt *vſque*, & omiſſum eſt עולם, id eſt *ſeculum*: facile enim id etiam non expreſſum intelligitur.

Gene.3.d.19.

Iohan.8.f.44.

20 *Surge Iehouah, ne roboretur homo, iudicentur gentes coram facie tua.*

21 *Pone Iehouah illis qui eos exterreat: ſciant gentes quoniam homo ipſe. Selah.* His verſibus Deum orat, vt ſicut contra Goliath præclaram victoriam dedit, ita velit populo ſuo contra quoſlibet impios adeſſe, & pro ſuis ita exurgere, ſic potẽtiam ſuam declarare, ne illi criſtas erigãt, ſuíſque viribus ſe efferãt. Subdit, *Vt iudicentur coram ipſo*: hoc eſt vt in eis palàm fiat Dei iudiciũ, meritas pœnas perſoluẽtibus. אנוש non ſine emphaſi vtroque verſu vtitur, quòd indignitatem hominis exprimat, eóque ſpem Sãctis confirmet, nihil eos valituros contra Dominum. Ductum eſt enim hoc nomẽ ab אנושה, id eſt dolore & moleſtia, cui homo natura ſcilicet obnoxius eſt. Porrò quicquid hìc orat, idem & prædicit futurum, quum nihil oraſſe ſe memoret quod non & exorarit. Verè nanque ſurrexit tum Deus, hoc eſt vltricem virtutem ſuam in hoſtes populi deprompſit: cauítque pulchrè ne homo (quod illi erãt, ac præterea nihil, & quidem אנוש, id eſt quoddam doloris & cruciatuũ mancipium) roboraretur, valerétque ſuprà quàm gloriæ ſuæ ſubſeruiret. Poſuítque eis מורא, id eſt formidandum, grauémque moderatorem, ipſum ſanè Dauidẽ, quem exciſum, extinctúmque venerant. Hunc nanque agnoſcere regem, & quæ ei libuiſſet ipſis imponentẽ, ferre Diuinitus coacti fuere. Hic docuit eos agnoſcere tandem ſe eſſe אנוש, hoc eſt ærumnis & omni miſeriæ natos, qui antea ex nimio rerum ſucceſſu dementati, putabant ſe deos eſſe, & humanis caſibus altiores. Videtur autem & id notabilem humilitatis expreſſionem in ſe habere, quòd אנוש hìc poſuit in ſingulari, cum plurale ſit & nomen ac verbum quæ præcedunt, & quod ſequitur pronomen. Habetur enim, *ſciant gentes*: & ſequitur המה, id eſt *ipſi*. Simile enim videtur acſi nos diceremus, Vt ſciant ſe mortale & miſerum eſſe. מורה hic habetur, & eſt ה pro א poſitum iudicio omnium Hebræorum, vt territorem, concuſſorem, talémque principem qui ſubiectis for-

midini & terrori ſit, intelligas ex hac voce. Chaldæus reddidit, *Incute eis Deus timorem*. Græcus autē vertit νομοθέτην, id eſt Legiſlatorem. Si enim vocem hanc à ירה, quod docere & legem dare (vt in 1. Pſalmo dictum) ſignificat, deducas, doctorē, ſiue legiſlatorem rectè reddideris. Sed quum certũ ſit, ſæpe ה & א inter ſe permutari, & pluſculũ ac grauius aliquid in hoſtes Dauidem oraſſe hîc conſtet, quàm vt doctor eis daretur (id quod ſingularis beneuolētiæ documentum, atque filiorũ Dei propriũ eſt, vt Ieſcha. 30. c. 23, & alibi legimus) propior vero videtur enarratio Hebræorum. Cæterùm præteriit Græcus in verſu vltimo pronomē המה, quũ id reddiderit ſuprà verſu 7, *cum ſonitu*. Significat enim המה ſine daggeſch, ſtrepitũ vel ſonitum. at ibi daggeſch habet, ac non aliter quàm hîc & in multis aliis locis, in quibus Græcus ipſe, illi vel ipſi vertit, punctatur. quare tutius fuerit ſequi & in illo 7 verſu, Hebræos. Fefellit illum ה per paragogē adiectũ: alioqui dicitur הם. Porrò ſi etiam ſcriptum fuiſſet המה, ita vt ſtrepitum, ſonitum, vel tumultum ſignificat, non eſſet tamen id ita accipiendum vt vulgò enarrari ſolet, quaſi hic ſonitus, hominum ſermones ſignificaret: acſi Vates dicere voluiſſet, Peribit memoria illorum ita vt nullis amplius hominũ ſermonibus celebrētur. Nam non hunc ſonitum המה ſignificat, verùm fremitum potius, & fragorem, ſtrepitúmque horriſonum. Vnde ſi ea voce hîc Vates vſus eſſet, foret ſenſus, Peribit memoria eorum velut horrenda quadam tempeſtate, & caſu, ingentem edente ſtrepitum vel fragorem, qualem improborum ruinam Scriptura multis in locis deſcribit, volens vtrunque ob oculos ponere, quàm horrendè illi pereāt. Sed ſimplicior & certior eſt lectio Hebræorum. Nos quàm emphatica hæc ſint, Vt cognoſcant gētes ſe אנוש, id eſt miſerum & ærumnoſum quid eſſe: ipſi perpēdamus. nihil enim difficilius nobis perſuaderi poteſt, ita vt nos nihil quoq; ſalubrius didicerimus, quàm agnoſcere id eſſe nos quod ſumus miſeros, calamitoſos, bullas, vmbras, imò vmbræ ſomnium, & nihil. E re itaque eſt noſtra, vt & nobis ſubinde imponatur concuſſor aliquis & durus monitor, ſiue is ſit externus tyrannus, ſiue ſæuior aliquis morbus, ſiue quæ alia calamitas. Hinc appoſitum Selah eſt. Quanquam id huius quoque hîc monere nos debet, Chriſtũ ſeruatorem noſtrum, cuius typum Dauid geſſit, tandem hoſtibus ſuis imponi Dominum, qui eos pedibus ſuis vice ſcabelli ſubiectos exterreat, vtcunque modò ſecure ferociāt. Huius quum membra nos ſimus, eius item exaltatione & potētia niti debemus: certi fore vt ſe mortales, miſeros & deploratos tandem ſentiant & defleant, qui nunc Deo ipſi minitari videntur.

PSALMVS X, in genere miſto, εὐκτικὸς καὶ ψεκτικός.

ARGVM. *Precatio eſt contra peruerſos, malitioſos & importunos homines, qui tum dolo, tum vi quoſcunque poſſunt innocuos, ſed inopes, deſertos, afflictos opprimunt, obterunt, conficiunt. In qua ſimul intoleranda horum ſuperbia, impietas, & nocēdi tam artes quàm conatus deſcribuntur.*

PARAPH. 1 CVr ſtas procul, ô Iehouah, tegis oculos tempore quo affligimur?

2 Præ ſuperbia inſectatur improbus afflictum: obſecro, illaqueentur fallaciis quas comminiſcuntur.

3 Nam laudat improbos, eo quòd illi pro ſua libidine feruntur: quæſtuoſum prædicat, & Iehouæ conuitiatur.

4 Improbus præ faſtu ſuo nihil penſi habet: non eſſe Deum, id verſatur in omnibus cogitationibus eius.

5 Quæ inſtituit, ſemper ei ſecũdant: altè ſublata eſt ab eo animaduerſio tua, omnes aduerſarios ſuos exibilat.

6 Cogitāt ſecum, Non nutabo: per ſecula ero abſque incommodo.

7 Scatet ſermo eius periurio, fraude & technis: quicquid lingua eius profert, iniuria eſt & prauitas.

8 Inſidet atriis tanquam leo inſidiarum, clandeſtinè occîdit innocentem, intētos oculos habet in miſeros.

9 Struit latenter inſidias ſicut leo in luſtro, inſidiatur vt corripiat afflictũ: corripiet afflictum, dum in rete ſuum pertraxerit.

10 Dolenti ſe ſimilem facit, & depreſſo: at cadunt robore eius miſeri.

11 Cogitat apud ſe, Deus horum nullā curam habet: auertit faciem ſuam ne vnquam videat.

12 Exurge Iehouah, Deus attolle manum tuam, afflictos ne negligas.

13 Cur enim inceſſit improbus maledictis Deum? nam dicit intra ſe, te non in-

quiſiturum.
14 At vides,tu enim iniuriam & indignationem intueris: quum libuerit, id re-
ipſa declarabis:tibi miſer ſe committit,qui pupillo ſoles eſſe adiutor.
15 Confringe robur improbi & noxii: de improbitate eius quæſtionem inſti-
tue,& nuſquam apparebit.
16 Iehouah Rex in ſempiternum,interierunt gentes de terra eius.
17 Vota adflictorum audiuit Iehouah:vt ſint animo æquo efficies,auris tua il-
lis attendet.
18 Vt vindices pupillum, & oppreſſum,ne vltrà terreatur mortalis in terra.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Quare ſtas procul Iehouah,abſcondis ad tempora in adflictione?*
2 *Præ ſuperbia ſua inſectatur improbus adflictum.* Habet hic Pſalmus haud parum obſcuritatis, non quidem in argumento, ſed in verbis, quæ in nullo ferè verſu non ambigua ſunt: vnde & Hebræi admodum inter ſe variant. Quum verò neceſſe ſit ſingula vnicum tantùm ſenſum habere: quem agnouero certiorem, eum adferam. Ne autem lectorem deligendi facultate,& iudicii copia fraudem,memorabo & aliorum ſententias. Adflicti itaque & oppreſſi à fraudulentis & violentis,iiſdémque nefariis & impiis,ad Dominũ precantur, Cur, ô Iehouah,ſtas vel manes procul,permittens nos fraudibus & violentiæ ſceleratorum? De anthropopathia,qua Deus,dum permittit perditos pro libidine ſua ferri,& bonos diuexare,dicitur ſtare procul, auertiſſe ſe, dormire, & ſimilia, ſæpius iam dictum eſt. Illud *Abſcondis*, eclipſis eſt: nam deeſt oculos, vt Rabi Schlomoh & Aben Ezra arbitrantur. Idem ſchema eſt & in ſequenti particula, *Ad tempora in tribulatione*. Voluit enim in perſona afflictorum dicere, Deum longe abeſſe:aut ſi adſit,oculos ſuos tempore quo ipſi tribulatione exagitantur,tegere,ne videat iniurias, quas ab improbis perferunt. Iuſtus enim ſciens nihil mali tolerat quod queat auertere. Deus igitur quum vel ſolus iuſtus ſit,& poſſit omnia,videtur afflicto,quibus iniuriis diuexetur non videre,dum eas nõ arcet. Neque enim poteſt animus mœrore oppreſſus, abyſſum iudiciorum Dei,qui ſuos præſens & ſciens,ac etiam illis beneuolus, malorum improbitati aliquandiu exercendos concedit, cognitione conſequi. Secundus ergo verſus cauſam dicit cur Deus videatur aut ſtare procul,aut oculos clauſiſſe,Improbus præ ſuperbia ſua perſequitur eos, qui alioqui afflicti ſunt,& miſeri. Solet nanque Deus afflictis & humilibus adeſſe,& ſuperbos deiicere. Quum itaque non ſolùm id non facit,ſed conniuet præterea,vt ſuperbiens improbus laceſſat, diuexet,perſequatur,& opprimat miſeros,videtur aut abeſſe procul,aut non videre quæ impii deſignant. Hæc expendens animus pius, & inde angore affectus, vt Deo Patri ſuo ea queri cogitur,ita non poteſt non auxilium eius contra ſceleratos illos inuocare. Hunc iam animi perturbati,& Deo querentis ſuam moleſtiam affectum, voluit Vates exprimere, quum ſubiecit, *Comprehendantur in conſiliis quæ commeniſcuntur*. Græcus habet ἐμπυρίζεται ὁ πτωχὸς, id eſt incẽditur pauper. Hieronymus, ardet. Vt enim in Pſalmo ſeptimo dictum, ſignificat דלק etiam ardere. Sed hîc magis quadrare videtur ſignificatio perſecutionis. Hîc eſt Hebraicè מזמה, quas in verſu quarto verti cogitationes: ſignificat autem ferè prauas & ſceleratas cogitationes,peruerſáque & noxia conſilia. Vnde in Pſal.37.a.7, Ne tibi bilem moueat, quum ſuccedit viro facienti מזמה, id eſt quæ malitioſe & peruerſe cogitauit. Et Pſalmo 21.c.12, Cogitarunt מזמה, malum conſilium, quod nequiuerunt perficere. Geneſis 11.a.7, cõſilium hominum de ædificanda ciuitate & turri in cælos vſque pertingente,hac voce ſignificatur. Leuitici 18.19,& 20,illicitus concubitus hoc nomine vocatur. Rabi Schlomoh hanc particulam,non vt precationẽ contra malos,ſed querelam de captione bonorum accipit. Sic enim legit, Miſeri illaqueantur conſiliis quæ cogitãt mali. Sed videtur hæc interpretatio à phraſi Hebræa alienior. quare & Aben Ezra & Kimhi priorem ſequuti ſunt.

3 *Nam laudat improbus de deſiderio animæ ſuæ, & lucro intentus benedicit: maledicit Iehouæ.*

4 *Improbus præ faſtu ſuo non inquiret: non Deus, omnes cogitationes eius.* Orauerat vt improbi conſiliis & malis artibus, quibus capere miſeros quærunt, ipſi irretirentur: nunc quàm dignè hoc precatus ſit,expoſita impietate,ſuperbia,malitia & diritate eorum,declarat. Promiſcuè numero plurali & ſingulari vtitur. non enim de vno aliquo, ſed improbis quibuſlibet canit. Synecdochen hanc,omnis Scriptura frequens vſurpat. Primùm omnium canit,metu Dei vacare iſtos de quibus queritur. id ita omnis peruerſitatis, vt timor & obſeruãtia Dei, omnis integritatis,veræ ſcilicet ſapientiæ probæque vitæ,initium eſt. Verſus tertius variè enarratur,vt ſanè multum habet amphiboli. Kimhi ſenſum hunc adfert, Improbus laudat ſeipſum, propterea

quòd deſideria animæ perficit, quòd voti ſui compos euadit: tum prædicat quæſtuoſos & lucro intentos bomines, quòd nimirum ſuum inſtitutum buiuſmodi ſectentur. Ex eo iam tertium ſequitur, vt Deum blaſphemet, cui nēpe derogat, quòd poſſit de manu ſua eripere quem ipſe premit,& compilat,aut quòd res buius vitæ curet,vel iudicaturus ſit. Diuus Hieronymus ברך ſicut הלל abſolutè accepit, & רשע atque בצע pro eodē. nam ſic vertit, Quia laudauit impius deſiderium animæ ſuæ, & auarus applaudēs ſibi blaſphemauit Dominum. Ad eundē modum & R.Schlomob verſum bunc enarrauit. Ab. Ezra repetit nominatiuum agentis ex præcedēti verſu,& bunc ſenſum reponit, Improbus laudat improbum, prædicat auarum vel quæſtuoſum,qui Deo cōuitiatur. At quum הלל & ברך actiua ſint, quæ requirunt accuſatiuum perſonæ patientis: videri queat Ab. Ezræ expoſitio hactenus probabilior, quòd repetit agentis nominatiuum ex verſu præcedenti, vt רשע in hoc verſu & בצע accuſatiui ſint: vltimū autem נאץ inalim de eodem improbo,vel improbis potius(nam ſingulare hic pro plurali vſurpatur)intelligere, quàm de quæſtuoſo: vt ſit ſenſus, Non immeritò oro,ô Deus, vt illaqueari & irretiri facias improbos iſtos ſuis ipſorum ſceleratis conſiliis: nam nihil illi ad ſummam impietatem reliqui faciunt:non ſolùm ipſi in omnia flagitia & ſcelera effrenes ruunt,verùm alios quoque eodem ruere gaudent. Laudant enim & prædicant,quicūque vt ipſi pro libidine ſua feruntur, quæſtui & lucro intenti ſunt. Eo iam quid aliud quàm te ô Deus,blaſphemant? Quæ enim tu ſummè vituperas & execraris, improbitatem & auaritiam, ea iſti ferunt laudibus. Hic ſenſus ab argumento Pſalmi minimum abludere videtur. Illud autem,ſi bunc ſenſum receperimus, ampbibolum erit,על תאות נפשו: poterit enim hoc ad laudantem & laudatū referri. Sed ad vtrūuis, & ſenſus propè idem erit,nēpe cauſam buius laudis eſſe qua improbus improbū impartit, quòd vterque eiſdē vitiis ſtudeat.Nam ſi ad laudantē referas,idem valebit acſi dixiſſet,Improbus laudat pro ſuis affectibus, dum videt eiſdē affici improbos alios.Si verò ad laudatum,Improbus laudat ſuos cōplices alios improbos propter ea quæ in animis ſuis cupiunt:eadē enim & ipſe ſectatur.Prior ſēſus apparet verior, vt intelligas improbos pro ſuis ſtudiis & affectibus alios laudare, eiſdem malis addictos. Græcus הלל & ברך accepit impersonaliter, & נאץ יהוה vertit, παρώξυνε τὸν κύριον.nam verſum ſic reddidit,Quum laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniurius benedicitur,irritauit peccator Dominum. Cbaldæa Parapbraſis in parte cōſentit, ea ſic habet, Quare iectatur impius ſuper concupiſcentia animæ ſuæ: & qui benedixit hominem raptorem,reiicit Deum? Tam varias bic adduxi verſus buius enarrationes,vt hinc oſtenderem quàm ſæpe etiam in Sacris ſudent quique doctiſſimi : tam & multis in locis conciſa & amphibola breuitas. Proximæ vero ſunt quā tradidit Kimhi,& quā Ab. Ezra. Omnino enim eorum,quales hîc improbi deſcribuntur,fuerit, & ſeipſos,& alios peruerſitatis nomine, eóque cum aperta contumelia Dei & blaſpbemia laudare: ſicut vere ſtudioſorū pietatis, tam in aliis, quàm in ſe, deteſtari. *Præ faſtu ſuo.* Hoc ſi omnino verbum è verbo reddere velis, ſic habet, Improbus præ ſublimitate naſi ſui non requiret. Faſtuoſi ſiquidem faciem(quam hic Pſalmograpbus per naſum,eminentiorem faciei partem ſignificat)ſublimem ferunt,eóque faſtum animi produnt.Idem fit attollendo ſupercilio.vnde dicunt Latini,tales attollere ſupercilia. Græcus אף per iram reddidit, Secundum multitudinem iræ ſuæ non exquiret. Diuus Hieronymus,Impius ſecundum altitudinem furoris ſui non requiret, nec Deus in omnibus cogitationibus eius.Sed hoc ſatis liquet, Vatem immenſam arrogantiam, & minime tolerandum faſtum, bis voluiſſe exprimere: hic verò faſtus efficit vt improbi nihil penſi habeant, neminem metuant, nunquam inquirant liceat nécne, deceat aut minus:ſuo non arbitrio, ſed libidine in omnibus feruntur.Huius cauſa ſubiicitur,Non Deus, id eſt non eſt Deus: id ſunt omnes eorum cōgitationes,id caput illis eſt omnium conſiliorum.R.Schlomoh illud, Non inquirit, ad Deum refert:quaſi ita ſecum improbus cogitet, Deus nō inquiret, imò non eſt Deus qui hæc vindicet. Sed videtur magis quadrare ſenſus prior.Kimhi interpretatur,Non inquiret improbus Deū: non orat eum, quia omnes eius cogitationes ſunt quòd non ſit Deus qui de rebus quæ hîc fiunt,iudicet.ideo nullam babet rationem,aut metum Dei. Inſedit ſiquidem adeò Dei notio, omnium etiam perditorum mentibus,vt penitus excutere eam nequeāt. Auertere igitur quantum poſſunt illam,& ſibiipſis ſuadere aut nullum eſſe Deum, aut noſtri nullam babere rationem, enixè in omnibus ſuis conſiliis conantur: alioqui nunquam effrenè adeò & licenter in mala quævis ruere poſſent. Chaldæa Parapbraſis habet,Dicit in corde ſuo,Nō ſunt manifeſti ante Deum omnes cogitatus mei.Græcus,Non eſt Deus in conſpectu eius.

5 *Proſperantur viæ eius in omni tempore,altæ à conſpectu illius iudicia tua,omnes aduerſarios ſuos flabit in eos.*
6 *Dicit in corde ſuo,Non mutabo in ætatem & ætatem,quòd ſine malo.* יחילו דרכו.Initium verſus quinti
& Hebræi varie interpretantur. Rabi Schlomob & Rabi Ioſeph, Paraphraſtes Chaldæus, ſic
accipiunt,Viæ eius,id eſt inſtituta proſperantur.Ab.Ezra & Kimhi, viæ eius diſcruciāt.ſecun-

dum Kimhi, pauperes quos diues ille & potens opprimit: ſecundum Ezra, prudentes, qui vident ei præter meritum cuncta ſuccedere. Rabi Moſcheh Cohen, viæ eius, id eſt placita animi venient illi, hoc eſt potietur cupitis. Nam alicubi hoc verbum aduenire ſignificat, vt 2. Reg. 3. f. 29, יחולו על ראש יואב, id eſt veniat ſuper caput Ioab: loquitur ibi Dauid de ſanguine Abner, quē Ioab dolo occiderat. Mihi viſum eſt, quādo ſatis liquet his duobus verſibus, quinto & ſexto, improborū fœlicitatē deſcribi, ſequi Chaldæū paraphraſtē, & Rabi Schlomoh. Ideo verti, Quæ inſtituit, ſēper ei ſecundāt. Etenim & Iiob cap. 20. d. 21, hoc verbo pro Proſperari vſus eſt, על כן לא יחיל טובו, propterea non proſperabitur, vel augebitur bonum eius. חיל opulentiam ſignificat: fortè ab eo (vt nonnunquam à nominibus verba deducuntur) formatum hoc verbū eſt, quòd ditari & in rerum ſucceſſu gaudere ſignificet. Græcus habet, Inquinatæ ſunt viæ illius. deduci enim יחילו credidit à verbo חלל. Queruntur ergo hic Sancti ab improbis diuexati, quòd viæ, id eſt inſtituta illorum, omni tempore eis ſecundent, & lucra ferant: eóque ſubiungunt, Altè ſublata eſſe ab eis Domini iudicia, id eſt dignam illis animaduerſionem procul ſemotam. Si enim illos, vt meriti ſunt, iudicaret Deus, nequaquam tanta rerum fœlicitate florerent. Ab. Ezra מרום ad Deū refert, & in hunc ſenſum legit, Iudicia tua ô Excelſe, ab illis ſublata ſunt. Iam & quod ſequitur, Omnes aduerſarios ſuos flabit in eos: non eodem ſenſu ab Hebræis intelligitur. Rabi Schlomoh putat hic cani, improbum ſolo oris flatu proſternere aduerſarios ſuos: neque diſplicet hæc interpretatio Kimhi. Ab. Ezra autem יפיח, pro illaqueabit accipit, vt intelligas Pſalmographum canere, adeò omne incōmodum abeſſe improbis, vt aduerſarios ſuos pro arbitrio implicent, & dolis ſuis conſtringant, nequid ipſis officiant. Hactenus vtraque interpretatio conuenit, quòd malos aduerſariis ſuis ſuperiores facit. indignationi autem afflictorum, qui hæc queruntur, magis illa hyperbole accommoda eſt, vt dicant, illos, vel ſolo ſpiritu aduerſarios ſuos deiicere. Et haud ſcio an ad illud alluſerit quod improbi, dum eis pro animi ſententia omnia cedunt, mirum in modum tumere & turgere, tum immane ſpirare, præſertim quū irati ſunt, ſoleant. Inde certe iactatur apud Græcos prouerbiū *μέγα πνεῖν*, Magnum ſpirare. Et Perſius, Grande aliquid quod pulmo animæ prælargus anhelat. Verùm eodem redit ſenſus, vt querantur Sancti, tantum potentiæ & ſucceſſus ſceleratis datum, vt vel ſolo nutu, ſi tantum moti grandius ſpirare incipiant, infeſtos ſibi ſternant, & conficiant. Pleonaſmus hic eſt, ſed non otioſus. licet enim ſatis fuiſſet dicere, *Aduerſarios ſuos difflabit:* addidit tamen *in eos*, quo pro afflictorum indignatione, potētiam malorum, & cōtra ſuos inimicos ſucceſſum, magis exprimeret: veluti geminatione quadam vſus. Dauid Kimhi, aduerſarios improborum, quos ſolo flatu ſternunt, vel illaqueant, eos intelligit quos illi perſequuntur. ſed non video cur illos malorum aduerſarios & infeſtatores, Vates diceret, quos prorſus deiectos & planè confractos facit. Ad hæc, bonis ſemper ſatis eſt ſi à malis queant tuti eſſe: nūquam infeſtare illos viciſſim in animum inducunt, vt qui de omnibus bene mereri, & offendere neminem ſtudeant. At mali & ſæpe graues inter ſe inimicitias exercent, dum quiſque primas habere, & cum incommodo alterius ſua augere commoda quærit, ſolet quoque Deus non rarò malos per malos frangere. Querūtur ergo hic Sancti, ſuos hoſtes non ſolum ipſis inermibus, quique accipere quàm inferre iniuriam malunt, ſed omnibus etiam inimicis ſuis, non tam voluntate aduerſandi illis, quàm potentia præditis, præualere, vt nemo prorſus ſit à quo crudelitas illorum modum acciperet: quippe qui infeſtos ſibi vel ſpiritu ſolo, aut certe verbis deiiciant. Hinc illis ſummæ ſecuritatis perſuaſionem conſequenter Vates tribuit, quum canit, Dixit in corde ſuo, hoc eſt, apud ſe cogitauit improbus. Non nutabo ad ætatē & ætatē, hoc eſt per multa ſæcula, eo quòd nihil mali, nihil infortunii experiar, nihil accidet incōmodi. Ait, Quòd non in malo: præciſa locutio eſt, ſed apta cogitanti: ſubaudiendum autem, ero. Qui malorum aduerſarii.

7 *Periurio os eius ſcatet, fraudibus, dolo: ſub lingua eius moleſtia & prauitas.*
8 *Sedet inſidians in atriis, occidet innocentem. oculi eius in pauperem intenti ſunt.*
9 *Inſidiatur in occulto ſicut leo in luſtro, inſidiatur ut corripiat afflictū: corripiet afflictū, cum trahet eū in rete ſuum.*
10 *Comprimit ſe, deiicit, & cadit viribus eius cœtus confractorum.*
11 *Dixit in corde ſuo, Oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam, ne videat in perpetuum.* Vt prioribus duobus

verſibus deſcripſit improborum fœlicitatem & ſucceſſum, ita his quinque deſcribit nocendi vias, quibus innoxios depeculātur, & opprimunt. Deierare nulla illis religio: ideo in promptu ſemper periurium habent. hinc eſt vt dicat Vates, os improbi periurio ſcatere. מלא autore Kimhi non adiectitium, ſed verbum eſt: velut ibi, Et gloria Iehouæ מלא, id eſt replet tabernaculum. Vnde ſic legit, Improbus implet os ſuum periurio. Exiſtimat enim id à Vate notatum, quod falſuri ſcelerati iſti pleno ore, hoc eſt multa obteſtatione deierant, præ ſe verbis & geſtu ferentes, ſe ex animo & vere iurare. תוך, quod aliàs medium ſignificat, ideo ad ſignificandum fraudem deductum idem putat, quòd in medio cōrde, dolus & fraus concinnetur. Illud, Sub lingua eius

moleſtia,ſiue iniuria,& prauitas: reddidi, Quicquid lingua eius profert, iniuria & prauitas eſt. mendacia enim illorum & fallacias, quas verbis adornant, voluit Vates hac congerie deſcribere. חצרים, Kimhi deſtructas vrbes intelligit, in quibus tanquam deſertis locis latrones ſolent latitare. Id ſatis liquet, Prophetam inſtituiſſe hoc loco, artes & conatus improborum, in deiiciendis & opprimendis afflictis deſcribere. Sicut ergo eos verſu nono, leoni in luſtro ſuo inſidianti, & prædam expectanti aſſimilauit: ita videtur hoc verſu eos ſimiles facere latronibus, qui in deſertis pagis & villis latitare ſolent, vt inde prætereuntes adoriantur: quanquam quum & principalia atria hæc vox ſignificet, quid ſi Vates hunc ſenſum voluerit exprimere, Inſidiantur iſti & latrocinantur, ſed non vt vulgò ſolent latrones, è ſyluis & ſpeluncis ſuis cum periculo, verùm in ipſis principalibus atriis & aulis: vnde Græcus habet, Cum diuitibus. Ab. Ezra pro atriis habitatis accipit, hócque impiis hic tribui agnoſcit, quòd quũ alii in deſertis, hi domi & in vrbibus inſidientur, & latrocinentur. Etenim ampliorem horum fœlicitatem Propheta in præcedentibus verſibus fecit, quàm vt conueniat eis nunc tribuere latrociniũ, quod quidem perditiſſimorũ eſt, ſed ferè parum fœlicium & inopia laborantium. Habent ſiquidem opulenti illi & beati improbi, cõmodiores ſibi & minus cum periculoſas, tum laborioſas vias latrocinandi, hominéſque deſpoliandi, quàm vt in deſertis locis latitent. Sic ſanè arte & potentia hi ſua ſpolia & iniurias tuentur, vt quo plus rapiunt, & grauius nõ ſingulos tantùm ciues, verùm & totas reſpublicas depeculationibus ſuis premunt, eo maiore habeãtur in pretio, & vel ſoli tam in principum aulis, quàm in vrbibus ſuſpiciantur & colantur: id quod certè aſſucuti pridem ſunt pecunioſi mercatores illi, qui hodie vt primos reges & principes, ita totam ferè Europam in ære ſuo habent, pro libidine ſua de quibuſuis rebus vectigal quantum libet extorquentes. Nam quid aliud eſt, dum pauci, quaſcunque voluerint res vndique coemunt, & poſtea quanto volunt pretio diſtrahunt? Verùm dum hi prædæ ſuæ aliquantulam partẽ principibus decidunt, non ſolùm ad hunc modum compilare orbem eis permittitur, ſed etiã pluribus ad id priuilegiis iuuãtur. At verò leuis foret pecuniarum iactura. hoc magis dolendum, ab his orbis deſpoliatoribus, non minus vitiorum regionibus importari, quàm pecuniarum exportant, ſuáque luxuria, modum omnem excedente, ad pernicioſum quæſtũ quoſlibet pellici: vt hodie quorumlibet ordinum homines, qui ingenio humaniore præditi, & facultatula aliqua inſtructi ſunt, ſordidis iſtis & ſceleratis quæſtibus liberos ſuos deuoueant, omnium honeſtarum artium ſtudiis contemptis, & nulla prorſus profeſſionis noſtræ, quæ requirit vt omnibus proſimus, obſimus nemini, ratione habita: vt & de nobis iam dici illud Iirm. 6.c.13, poſſit, A paruo vſque ad magnum vnuſquiſque lucrum venatur. Iam vanum haudquaquam erit,
Matth.6.c.24. quod Seruator dixit, Mammonæ nos ſimul & Deo ſeruire non poſſe. Sed nobis ad Pſalmi enarrationem reuertendum eſt. At ſi legere malis vt Kimhi, Inſedit in deſertis villis, &c. tranſlatio erit à latronibus in ruinis ſe continentibus, qua exponere Vates voluit, quàm ſint improbi illi ad opprimendum innocentes, & ope deſtitutos, ſoliciti & intenti, vt latrones qui in deſertis locis iuxta vias latitant, quo inde tanquam ex inſidiis prætereuntes, & nihil tale ſuſpicantes, adoriãtur. Porrò villulas & pagos ſignificari hac voce, ſatis teſtatur caput Gen. 25.b.16, quod memorat Iiſmaelitas בחצריהם habitaſſe, quos villas inhabitaſſe, non vrbes muratas, ex multis Scripturæ locis colligitur. Item ex cap. 13.c.23, & 15.f.47 Iehoſuah, vbi vrbes memorantur, cũ חצריהן ſuis, id eſt vicis & villis. Eo verò quod ait, In abſcondito occidet innocentẽ: ſignificat, potẽtes illos improbos ſic ad euertendũ, & nõ tã rebus ſæpenumero, quàm vita ſpoliãdos pauperes, ſuas artes ſuóſque prætextus habere, vt vulgò vis & crudelitas eorum aut lateat, aut certè puniri non poſſit. *Oculi eius in pauperem intenti ſunt.* Hoc eſt, ſemper totis in hoc viribus incumbit, vt ab his qui ſuæ auaritiæ & violentiæ nequeunt reſiſtere, aliquid rapiat, eíſq; oppreſſis, opum ſuarum cumulum augeat. חלכה Kimhi idem ſignificare dicit quod חלך, in fine ה per paragogen adiecta, hoc eſt oppreſſum, viribus exutum, confractum: ſic vocat Pſalmus innocentes, quos improbi illi deſpoliant & obterunt: volens eo exprimere, quales ab illorum improbitate & rapacitate reddantur, nõ quales fuerint, anteaquam illis facti eſſent obnoxii. Quid enim iam confractis, & ad ſummã inopiam redactis inſidiarentur, qui ſola vndique lucra venantur? Illud יצפנו Ab. Ezra idem eſſe putat quod יצפו, per epentheſin נ interiecta. nam alioqui יצפנו abſcondent, vel latebunt, non videbunt ſignificat. צפה ſiquidem conſiderare, & צפן abſcondi & latere eſt. Si quis autem omnino malit יצפנו pro abſcondere accipere, poſſet forſan hanc particulam ſic legere, *Oculi eius ad pauperem abſconditi erunt*, hoc eſt non patietur vt in eũ oculis ſuis intendat, vt eum obſeruet, vt occaſionem quærat eum capiendi & perdendi. Sic idem ſenſus reſultabit. Verſus nonus idem canit quod octauus: niſi quòd leonis ſimilitudinem adducit. Omnia per tranſlationem dicuntur, quod vel illud indicat, Quum traxerit eum in rete ſuum. Voluit ſiquidem Vates his ſimilibus dicere, improbos iſtos ſtudio venandi pauperes, & inſidi-

andi eis, artibus pluſquam latrones in itinerantes, quàm leones in prædam, quàm aucupes in aues, flagrare & eſſe inſtructos. Afflictos & pauperes dicit, qui ab illis affliguntur, & pauperes fiunt. Corripere, quod improbis (mutuatum à beluis corripientibus prædam) Vates per metaphoram tribuit, eſt ſubitò innocuos, & magna vi inuadere, boniſque omnibus euertere. Verſu decimo iterum leoni prædam inuaſuro aſſimilat. Vt enim ille tum cõprimit ſeſe, & incuruat ac deiicit, vt eo fortius in prædam inſiliat: ita ſignificat, ſceleratos illos pauperum oppreſſores interdum ſeſe demittere, & deiectis ſimiles exhibere, ſed quo commodius, eóque potentius, poſtea miſeros deiiciant & comminuãt. Eo ſiquidem robore ſunt, vt omnem pauperum cœtum facile ſternãt. חלכאים quod hic vna dictio eſt, vt duæ legitur, חל כאים, id eſt cœtus oppreſſorum & miſerorum. Porrò hanc improborum ſimulationem, iſtos dolos, non eſt opus multis explicare: nimium quondie in iis quoque qui inde alios reuocare debebant, vidẽtur, & à bonis probe ſentiuntur. Verſus vndecimus, omnium quæ præmiſſa ſunt cauſam exprimit. Quòd enim totis adeò viribus in hoc improbi incumbunt vt decipiant, irretiant, fraudẽt, deſpolient, euertant, extinguant, quicunque eorum dolis & vi reſiſtere nequeunt, vt in hoc nocendi & perdendi pauperes ſtudio, rapacitatem latronum, truculentiam leonum, dolos aucupum ſuperãt, inde eſt quia apud ſe continuò cogitant, Deum rerum præſentium nullam habere rationem, nullam curam: auertiſſe faciem ſuam, ne vnquam iſta quæ hîc fiunt videat. Hoc etenim (vt ſuprà dixi) etſi penitus perſuadere ſibi nequeant, fortiter tamen ſuadent: ideo grauatim adeò de Deo aliquid audiunt, & veram religionem atrociter perſequuntur, ridéntque quicunque Dei prouidentiam ſuſpiciunt. His hodie omnia proh dolor referta ſunt, vt nulla ratio ſit quæ de eorum improbitate, fraude, & impietate Propheta cecinit, explicare latius. *Deus [illegible] eſt.*

12 *Surge Iehouah, Deus exaltetur manus tua, ne obliuiſcaris afflictorum.*

13 *Cur laceſſit improbus maledicto Deum? dicit in corde ſuo, Non requires.*

14 *Vides, nam tu moleſtiam & indignationem conſideras ad dandum in manus tuas: ſuper te relinquetur oppreſſus, pupillo tu eris adiutor.*

15 *Confringe brachium improbi, & noxij: inquires improbitatem eius, non inuenies.* His iam verſibus precationem ponit Sanctorum, qua orant vt Deus de improbis illis innocentium oppreſſoribus, quorum ingenium & nocendi vias ſuperioribus verſibus expreſſit, vltionem ſumat. Primùm ergo in verſu duodecimo precantur, vt contra illos Dei potentia, quæ illis pro libidine ſua graſſantibus velut retracta videbatur, ſeſe exerat. Vſus eſt autem hoc verſu Propheta ſolitis ſuis tropis, qui iam in verſum octauũ Pſalmi 3, in 7 & 8 Pſalmi ſeptimi, in verſum 20, Pſalmi 9, & in primum huius, abundè explicati ſunt. Quòd verò Sancti non ſua, ſed præcipuè gloriæ Diuinæ gratia, vindictam exigendam de reprobis petant, indicat verſus 13. Quare laceſſit improbus maledicto Deum? Hoc maledictum plenius exprimit verſus decimus. Etſi autem blaſphemia cordis, Deo perinde ſit atque ore prolatum maledictum: attamẽ quũ ex cordis redundantia os loqui ſoleat, quæ impii in corde contra Dei prouidentiam maledicta cõcipiunt, pluſquam impudenter iuxtà euomunt. id dum Dei ſtudioſos multo grauius quàm vllæ quas ipſi ab illis iniurias & contumelias perferunt, commouet, atque ad precandum Dei in illos vltionem, vel ſolum extimulat. Affectũ verò indignationis, indicat interrogatio, Cur laceſſit, &c. Idem facit & mutatio perſonæ: denique & oratio tam præciſa, *Non inquires.* Non minus verò ardentem affectum habet & initium verſus 14, *Vides*. Senſus enim eſt, Dicit ille impiè maledicus, te ô Deus, de improbitate & ſceleribus ſuis non inquiſiturum, neque nos ab ipſius vi & dolis vindicaturum: at ſecus experietur. Vides ſiquidem tu, & reſpicis omnia, moleſtiam quam nobis inferunt, & indignationem iuſtiſſimam, quam in nobis, nõ tam iniuriis quibus nos obterunt, quàm diris blaſphemiis, quibus tuam maieſtatem imminuũt, excitant ſemper, intueris, & cõſideras: idque ad ponendum in manu tua, hoc eſt vt ſimul atque iuſtum huius tempus aduenerit, manum tuam cõtra illos depromas, eóſque prorſus extinguas. Poni in manus Dei, pro eo dicit quod eſt, eum iudicium facere, & re ipſa vindicare ſuos. metaphora ab operantibus deſumpta, qui tum opus perficiunt, quũ illud in manus acceperint. Impii putant Deum nullam habere rerum quæ hic geruntur ſcientiam, eo quòd impunè ipſos ſinat aliquandiu diuexare innoxios: at pii norunt eum intueri omnia: etſi cauſam ipſorum non illico in manum ſuam ponat, hoc eſt iudicium exerat, & vltionem de eorũ oppreſſoribus ſumat: ideo æquanimiter bonam Dei ſuper ſe voluntatem præſtolantur: id eſt quod ſequitur, Super te relinquet, hoc eſt cauſam ſuam tibi committet oppreſſus. Pupillo enim adiutor eſſe ſoles. Synecdoche eſt: ex pupillo ſiquidem intelligit quicunque & ſua & aliorum ope deſtituti, quorumlibet iniuriæ patẽt. Aliàs ſolent adiũgi viduæ, quæ & ipſæ malorũ improbitati peculiariter, quòd defenſoribus careãt maritis, iniuriæ ſolent eſſe obnoxiæ. Quũ autẽ Deus præcipue iis qui ab hominibus maximè deſeruntur, luculentius auxiliari conſueuerit, Scriptura propè adagii loco

Poni in manus Dei.

Super te relinquet.

identidem iactat, eum vindicem eſſe viduarum & pupillorum, vt Deuteron. 10.d.18, & Pſal. 146.c.9,& alibi legitur. Hinc ergo eſt quod verſu 14 canitur, Super te relinquet: id eſt ſe tibi committet oppreſſus, quādo tu is es qui pupillorum & viduarum, ac omnium afflictorū, quos nemo alius ab iniuria malorum adſerit, patrocinium tibi peculiariter deſumis. Huius conſideratione, velut ampliore fiducia recepta, orat deinde, Confringe brachium improbi & noxii, id eſt potentiam. & Inquires de improbitate eius, hoc eſt animaduertas in eam. Sic *non inuenies.* Apoſiopeſis. Kimhi ſubaudit improbos: quòd vltione ſumpta de illis in quos hic Pſalmus inuehitur, alii ab improbitate deterreantur. Cum hoc conſentit Rabi Schlomoh. At Ab. Ezra ſubaudit eos ipſos contra quos Pſalmus orat. quaſi dicat, Si tantùm quæſtionem inſtitueris de improbitate horum, nuſquam apparebunt. tanta ſiquidem illa eſt, vt ſimulatque iudicium tuum cōtra eos exerueris, penitus euanituri ſint. Hæc nos perpendamus, vt nihil dubitemus, & quæ nos indignè patimur, Deum videre, & in manum ſuam cauſam noſtrā in tempore ſumpturum, atque vindicaturum, quam nos ipſi penitus ei permittamus, qui vindex eſt pupillorum & viduarum, & omnium qui humano patrocinio deſtituti, ab improbis diuexantur. Omnia ſic dicta ſunt, vt acres & vehementes affectus indicent. Eo verò Propheta voluit pondus indignationis innocentum, dum à peſſimis quibuſuis exagitantur & raptantur, exprimere. Deum ſiquidem iſti ardenter amant, & eo ardentius, quo minus in hoc ſeculo habent quod amare poſſunt. Quum ergo vident ex indulgentia Dei, eò impietatis improbos illos prorumpere, vt iam Deum planè rideant, & iudicium eius quod non ſentiunt, in totum negent, ac inde ad quoduis ſcelus, vim, crudelitatem ac tyrannidem ferantur, dici non poteſt quàm flagrantibus votis petant vt tandem Deus de illis pœnas ſumat, vt inſolentiam eorum & impietatem retundat, ne illis & ipſe, & ipſum colentes, ludibrio vſque habeantur.

16 *Iehouah Rex ſeculi & vſque, interierunt gentes de terra eius.*

17 *Deſiderium afflictorum audiuit Iehouah: diriges cor illorum: intendit auris tua*

18 *Ad iudicandum pupillum & oppreſſum, ne ſit vlterà ut formidet mortalis de terra.* His verſibus canit more ſuo, de lato diuinitus auxilio gratulationem. Neque enim deſerere ſuos Deus poteſt: ideo ferè in omnibus Pſalmis, in quibus precatio eſt pro liberatione à malis, ſubiuncta ſimul eſt & gratiarum actio pro liberatione iam percepta. Sic & in hoc Pſalmo, poſt ardentem cōtra impios pauperum oppreſſores precationem, tanquam impetrata iam & confecta illorum vltione, gloriari Sanctos, hoſtibúſq; inſultare facit, in hunc modum. Iehouah Rex ſeculi & vſque: ſubaudi, in ſeculum: hoc eſt vt verti, in ſempiternum. Negabant illi Deum curā habere rerum humanarum, propterea quòd ad tempus pro ſua libidine impunè ferebantur: ridebant eos qui Deum omnia regere, omnia iudicare prædicabant. At nunc experti ſunt, eum ſempiternum omnium regem & iudicem eſſe, rerúmque perpetuò potiri: interierunt ſiquidem de terra eius, vt & nullo illam iure occupabāt, quippe impuræ gentes, & nihil minus quàm Iiſraelitæ: quippe qui Deum Iiſraelis non ſolùm non agnoſcerent, ſed diris etiam blaſphemiis conſpuerent. *Audiuit tandem deſiderium & vota afflictorum.* Et porrò ô *Deus diriges cor eorum*, hoc eſt cordis eorum vota, optata eis concedens. attendit ſiquidem eis auris tua, vt illicò voti compotes reddas. Tale enim quid hic verſus Sanctis pollicetur quale ipſe Dominus, Ieſch. 65.d.24, promiſit, Antequā inuocauerint, ego audiā. Id verò in eo præſtat, quòd pupillos & oppreſſos, hoc eſt omnes innoxios, quibus præter ſe nihil eſt præſidii, nihil tutelæ, ab iniuria improborum adſerit, ne ſit vlterà ab improbis illis formido miſeris, qui alioqui ex naturæ conditione multis ærumnis obnoxii ſunt. Id ergo Deum ſuis præſtaturū hic Propheta canit quod in Lege ſua promiſerat, vt ſecurè habitarent, nemine exterrente: de qua ſecuritate in vltimum verſum Pſalmi 4, nonnulla diximus. Kimhi לערץ tranſitiuè accipit, quaſi petant hic Sancti vt efficiat Deus ne mali vlterà ſe terreant. Rabi Schlomoh ערץ hìc pro cōfringere accipit, quod & alicubi ſignificat: vt ſenſus ſit, Effice Deus, ne vlterà mali confringant & conterant bonos. Sed videtur magis quadrare vt אנוש pro afflictis hìc accipiamus. id ſi libet, iam non erit verbo ערץ, nominatiuus agentis. Simplicius igitur exiſtimo ſi ita legamus, Audiet Deus ſuorum vota, vindicabit eos, atque efficiet vt abſque metu in terra viuāt. Certè ערץ pro formidare neutraliter accipitur, Deut. 1.e.29, & 7.d.21, & 20.a.3, Iehoſ. 1.b.9, Ieſ. 8.c.12, & locis aliis. Huic verò ſententiæ ſubſcribit Ab. Ezra. Illud in verſu 16, *interierunt gentes de terra ſua*: Hebræos quoſdam mouit vt de afflictione & vexatione Iiſraelis, quā à Gentibus patiuntur, Pſalmum hunc canere arbitrentur. Verùm non hoc ſolum loco Scriptura impios Iiſraelitas, Gentes vocat. In Pſalmo 59.b.6, quē vel ex inſcriptione liquet, de dolis & violētia eorū qui ex Iiſraelitis Dauidem perſequebātur eſſe compoſitum, ſic Vates precatur, Deus Iiſrael exurge vt vltionem ſumas de cunctis gentibus, ne miſerearis omnibus qui ſtudioſè prauitatē committunt. Hìc eoſdem, gentes, quos & cōmittentes prauitatē dixit, peruerſos vtiq; Iiſraelitas, de quibus Pſalmus 58.a.4, cecinit, Alienati ſunt improbi

à vulua,errauerunt ab vtero,hoc eſt ſimul atque nati ſunt,à vero Iiſraelis ſemine degenerauerunt.Hinc de Ieruſalem Dominus per Iechezkielem 16.a.3.dixit,Origo & generatio tua è terra Chenaâ,pater tuus Amorrhæus,& mater tua Chethæa.Ad hunc ergo modum arbitror per conuitium vocatos Gentes,qui carne Iiſraelitæ erant. Gentiũ autem impietatem & in amantes Deum crudelitatem animo & moribus referebant:ab eo igitur iure nominabãtur.Etenim quæ hic Vates de fraude & vi, quibus improbi innoxios opprimebant, queſtus eſt in multis Pſalmis,impiis populi ſui tribuit, ſicut & alii Prophetæ ea paſſim illis exprobrant. Porrò omnia Pſalmi nos ſic conſideremus,vt tandẽ diſcamus ſæpe ita iuſtum Dei iudicium ferre vt ſceleratiſſimi homines, innocuos ad tempus modis omnibus opprimant, & Deum horrende blaſphement, omnibus rebus interim pro animi eorum ſententia cadentibus, nunquam tamen eum ſuos vltrà quàm eis proſit, deſerere, & in tempore declarare, ſe omnium Regem, & potẽtem oppreſſorum vindicem eſſe,idque in ſempiternum, quo libeat inter pupillos potius, & afflictos in hoc ſeculo,quàm potentes illos & impios pauperum oppreſſores,nomen dare.

PSALMVS XI, in genere miſto, ἀκεφαλός.

Expoſtulat cum iis qui ſe,negato latitandi loco, ex omni Iſraelis ditione depellebant: ſimul prædicans cum ſuam in Deum fiduciam,tum Dei in bonos & malos iudicium ARGVM.

1 PRæſuli Dauidis. In Iehouah præſidium meũ poſui,cur mihi dicitis, Deuola è monte veſtro *ceu* volucris? PARAPHR.

2 Nam ecce tetenderunt improbi arcum,impoſuerũt iam neruo ſagittas ſuas, vt illis corde integros deprehenſos in latebris figant.

3 Nam nuſquam eſt conſiſtendi locus,iuſtus quid commeruit?

4 Iehouah in ſacroſancta regia ſua, Iehouah in cælis ſolium ſuum habet, eius oculi aſpiciunt,eius intuitus explorant filios hominum.

5 Iehouah iuſtum examinat:improbum autem & violentiæ amantem odit animus eius.

6 Immittet in improbos ignem inſtar pluuiæ,ardentia fulmina,ſulphur & accenſum turbinem:hæc ſors illorum.

7 Iuſtus enim Iehouah,iuſtum amat,rectíque ſtudioſo fauet vultu ſuo.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *PRæſuli Dauidis. In Iehouah confido,cur dicitis animæ meæ,Migra monte ueſtro uolucris?*
2 *Nam ecce improbi tetenderunt arcum,diſpoſuerunt ſagittas ſuper neruum,ad iaciendũ illis rectos corde in obſcuro.*
3 *Nam fundamenta diruta ſunt,iuſtus quid fecit?* Alloquitur Dauid his verſibus eos qui ſibi exuli nullum tutò latitandi locum,in omni Iiſraelis ditione concedebant,continuò ipſum Schauli prodentes,quocunque fugiſſet.quo tandem coegerunt vt relicto regno Iiſraelis, ad Philiſtæos concederet, vt legimus 1.Schmu. à capite 22. vſque ad caput 27. Idipſum verò,à populo Dei migrare ad idololatras, quũ Deum vnice amaret,erat illi multo moleſtiſſimũ, de quo nonnihil dixi in verſu 2 & 3 Pſalmi 5. Cum his ergo velut expoſtulat, & tantam crudelitatem exprobrat,dicens, *in Iehoua confiſus ſum*:quare vt deſeri ab eo non poſſum,ita dignus eram quem vos Dei cultores foueretis, & tueremini: vnde igitur vobis tanta inhumanitas? vnde tanta feritas, vt nuſquam,ne in deſertis quidem,& nullis hominibus habitatis locis,perfugium concedatis, & continuis proditionibus veſtris, demigrare de latebra in latebram, ceu oberrantem auiculam, cui nuſquam nidulari conceditur, compellatis? Indigna profectò, non ſolùm Iiſraelitis, ſed & hominibus,iſta crudelitas eſt.Nam videtis improbos qui me perſequuntur,inſtructiſſimos & paratiſſimos eſſe,vt me & meos, qui ſimplici & innoxio animo ſumus, alicubi in biſce obſcuris & horridis locis deprehenſos perimant.Fundamenta diruta ſunt,hoc eſt nuſquam in omni regno Iiſraelis,pro quo tanta pericula adii,de quo tam ampliter meritus ſum,datur cõſiſtendi locus. Iam iuſtus,quem dirè adeò improbi illi inſectantur, quid fecit?quid commeruit? Agnoſcite obſecro quàm indignè mecum agatis.Qui etiam meriti in exilio circumerrãt,dum ad mortẽ quæruntur,qui humaniore ingenio præditi ſunt,eos miſericordia dignãtur:& ſi poſſunt,periculis eripiunt. iam me iuſtum & recto corde, qui nemini vnquam iniurius fui, beneficiis autem affeci,& quidẽ inſignibus quamplurimos, inaudita crudelitate ſceleratiſſimi perſequũtur, & ita ſolicitè,ita ſtudioſè, vt ſimiles ſint iis qui iã tenſo arcu & ſagitta impoſita prædam collimant:& non ſolùm in vrbibus, in pagis,aut villis, vbi homines degunt, ſed ne inter feras quidem in opacis hiſce, ſqualidis & horrendis deſertis locus manendi mihi conceditur.

Quocunque fugio, vbicunque latitare inſtituo, vos me proditis, & illi eueſtigio adſunt, & parata iacula intentant. Primus verſus nonnihil obſcuri habet, quòd per mimeſim affert quid ſibi dicãt cum quibus expoſtulat: & ſubitò iterum in ſua perſona loquitur. Illud Migra, vox inſidorum eſt, quos arguit: quúmque commodùm ſubieciſſet, E mõte noſtro: dixit veſtro. Sed nihil his aliud voluit, quàm illos quocunque fugiſſet, dixiſſe animæ ſuæ, hoc eſt ſibi, vt à montibus ſuis, in quibus latibula quærebat, migraret: id quũ adeò crebro ei accidiſſet, adiecit ſimilitudinem vagæ volucris: quæ dum nidulari quærit, nec datur commodus locus, de monte in montẽ cõtinuò errãdo demigrat. Porrò ſimilitudinis nota (vt & aliàs ſæpe fit) prætermiſſa eſt. Geneſis 49.b.9, ſcribitur, Iehudah habitabit leo: pro, ſicut leo. Et Iſſachar accubabit aſinus: pro, ſicut aſinus. Quòd autem ſe erranti, & hinc inde volitanti auiculæ ſimilem facit, nemo mirabitur, qui perpẽdat quàm ſæpe mutare latibula, dum eum Schaul perſequeretur, coactus ſit. Primùm enim quũ certò apud Schaulem decretũ eſſe vt ſe occideret, per filiũ didiciſſet, fugit ad regem Achis, 1. Schm. 21. c. 10: vbi quum agnitus fuiſſet, cõceſſit in ſpecum Adullam, quoad eum fratres & cognati, aliique viri afflicti collecti fuerunt propè quadringenti. Inde tranſiuit ad regem Moab: cui quũ parentes commendaſſet, ſeceſſit in munitionem, fortè prope terram Moabitarum. Inde Propheta Gad iuſſit migrare in regionẽ Iehudah. recepit ergo ſe in ſaltum Hareth, 1. Schm. 22. Inde ex iuſſu Domini petierat Keilah, oppidum tribus ſuæ: à quo quũ depuliſſet Philiſtæos illud oppugnantes, habitauit aliquantiſper in eo: ſed mox, quum ciues eius oppidi tradituri eum eſſent Schauli, quanquam per ipſum à Philiſtæis ſeruati, iterum à Domino monitus, fugit in deſertum Ziph. Cuius deſerti accolæ quum mox eum Schauli prodidiſſent, deflexit ab eis in deſertũ Maon: vtque inibi iam ab exercitu hoſtili cinctus, nullum videret ſupereſſe effugium, nuntiabatur irruptio Philiſtinorum: quo nuntio fuit ab illo iam planè capto Schaul nõ ſine inſigni miraculo abſtractus, 1. Schm 23. d. 27. Poſtea recepit ſe in deſertũ Engaddi, ibi ſubiit Schaul eum ſpecum in quo Dauid cum ſuis latebat. Vnde quum illæſum eum abire Dauid permiſiſſet, eiúſq; beneficii egreſſum iam admonuiſſet, reduxit ille vltrò ea vice exercitum. Poſt hæc fugit Dauid in deſertum Paran: inde rurſus in deſertum Ziph, vbi ab incolis iterum proditus, & à Schaule perueſtigatus, noctu in tabernaculũ Schaulis ingreſſus, abſtulit eius haſtam & ſcyphum, & Abiſai, ne illum dormientem confoderet, prohibuit. Quod quum Schauli indicaſſet, iterum illum commouit, vt vltrò exercitũ reduceret, 1. Schm. 26. Poſtremò quũ nuſquam in omnibus Iiſraelis quamlibet abditis ſolitudinibus, tutas latebras inueniret, tranſiuit ad Philiſtæos, 1. Schm. 27. En duodecies, poſtquã ſubducere ſe à Schaulis conſpectu coactus fuerat, latibula mutauit, ídque breui admodum tempore. Non iniuria igitur tam frequentes fugas, & crebras migrationes, erroribus auiculæ hinc inde volitantis, & locum in quo nidificet quærentis, aſſimilauit. Allegoria tenſi & inſtructi arcus, & ſuprà habetur Pſalmo 7, verſu 13. ſignificatur ea, improbos Dauidis hoſtes intentiſſimos ac paratiſſimos fuiſſe vt illũ perderent: ſicut ei qui iam arcum tetendit, & neruo ſagittam impoſuit, nihil ad feriendum, quod in ipſo quidem ſit, supereſt. Ita quantum ad hoſtes Dauidis attinebat, omnia confecta & in parato erant, vt eum neci darent. אפל hic ponitur, quod caliginoſum atque obſcurum ſignificat. Hinc Kimhi per tenſum improborum arcum, paratas vndique Dauidi proditiones intelligit. illæ enim fiebant באפל, hoc eſt, vt ipſe interpretatur, in abſcondito. Putat ergo hanc vocẽ hic adiectã propter explicationem allegoriæ, qua Propheta ſignificaret latenteis ſibi proditiones vbique fuiſſe intentatas. Ab hoc vt diſſentiam, efficit quòd verſus ſecundus ita primo ſubiectus videtur, vt qui cauſam reddat eius quod in illo præmiſſũ eſt. Præmiſerat enim Vates, *Quomodo dicitis animæ meæ, Migra a monte veſtro, ſicut auis.* Sequitur iam verſus ſecundus, cum cauſali particula, *Nam tetenderunt improbi arcum, &c.* Videtur ergo hoc ſenſu accipiendum, vt cauſam prioris exprimat. Sic ergo iſta, *Tetenderunt improbi arcum, &c.* ad Schaulem, & eos qui cum ipſo Dauidi infeſti erant, referenda erunt. Etenim vbicunque Dauidem latere audiſſent, hi extemplò aderant eum oppreſſuri, vt in vaſtiſſima vſque deſerta, in abruptiſſimos & hominibus auios montes penetrantes, illum perſequerentur. Scribitur enim 1. Schmu. 24. a. 3, hos veniſſe inquiſitum illum in petris caprearum rupicolarum. Proinde ad illud, *Quomodo dicitis animæ meæ, Migra:* commodùm hoc, *Tetenderunt improbi arcum,* vice cauſæ in hunc ſenſum ſubiectum exiſtimo, Qui poteſtis adeò eſſe inhumani & crudeles, vt animæ meæ quam videtis tanto támque pertinaci ſtudio ad mortem quæri, perpetuò dicatis, Migra à nobis, concede hinc: quæ alioqui per deſerta non ſecus atque auicula, quæ vndique ne ſibi nidum extruat, depellitur, per deſerta & auia circumerrat. Nam videte quæſo, quod innocentibus nobis periculum immineat. Improbi, qui innoxios & immeritos nos perſequuntur, iam arcũ tetenderunt, &c. Per ſe, etiam vobis minime indicantibus, abunde in meam necem parati ſunt. Iam ſi hic ordo conſtet, vt quæ ſecundus verſus canit, ad Schaulem & qui cum eo Dauidẽ perimere aui-

Duodecies fugæ locum Dauid mutauit.

diſſime quærebant, referatur, באפל haudquaquã pro latenter, vt Kimhi viſum eſt, accipere licebit. Neque enim diſſimulabat Schaul quàm cuperet perditum Dauidem, quũ Achimelech Sacerdotem cum omni domo ſua, Sacerdotes octoginta quinque, vno die miniſtro Doeg interfeciſſet, trucidatis ſimul omnibus qui in oppido illorũ fuerant mulieribus, liberis & pecoribus, ídque nulla alia cauſa, quàm quòd Achimelech Dauidi, quem credebat ad negotia regia ablegatum, panes & gladium Goliath dediſſet. Proinde exiſtimo per באפל hìc deſignari obſcurũ locum, in quo deprehenſus Dauid cum ſuis nihil tale ſuſpicans, putans ſe ſatis latêre, percuteretur. Feræ enim dum denſa arboribus, & inde obſcura loca ſubierunt, ſecuræ eſſe ſolent, & ſic extra telorum iactum (vt aiunt) poſitas ſe arbitratæ, in nullis à venatoribus cõmodius ſagittis petuntur. Sic Schaul accolis deſerti Ziph mandarat vt quamdiligentiſſime peruestigarent & explorarent vbinam ſubterfugium ſeu latibulum ſuum Dauid haberet, cupiens ſcilicet in obſcuro & inacceſſo aliquo, in quo ſe tutò latêre exiſtimaret, deprehenſum, ceu feram icere. Cæterùm etiam ſqualidũ, opacum, deſertum, terra מאפליה, id eſt caliginoſa dicitur. Iirme. 2. f. 31, Nũquid deſertum vobis factus ſum, aut terra caliginoſa? id eſt vaſta. Vnde deſerta illa horrenda, per quæ populus ex AEgypto in terram Chenaan tranſiuit, eodem capite, b. 6, terra צלמות, id eſt vmbræ mortis vocatur. Quæ enim ingrata & moleſta ſunt, propter affinitatẽ cum morte (quæ omnia cæca caligine inuoluit) tenebricoſa & caliginoſa in Scripturis vocantur. Fieri itaque poteſt vt queſtus ſit, nec ſe in loco caliginoſo quidem, id eſt horrido deſerto latêre poſſe, in quo etiam nemine perſequente viuere, per ſe nimis ſæua pœna, & ſupplicii genus foret. Quod *rectos corde* adiecit, indignitatem eius quod patiebatur, magis expreſſit. Verſum tertium & Hebræi variè exponunt. השתות, quæ fundamenta verti ſolent, etiam plagas & retia ſignificant, quod ex Ieſa. 19. b. 10, apertè liquet: quanquam quũ hìc adiunctum ſit verbum diruendi, obſcurum nõ eſt pro fundamentis hanc vocem vſurpatam. Per ea itaque Aben Ezra & Kimhi conſilia, quæ rerum gerendarum initia & fundamenta quædam ſunt, intelligunt. ſicut & Pſalm. 2. a. 2, Fundarunt, vel fundati ſunt: pro, conſultarunt & cõſpirauerũt, accipitur. His ergo videtur, Dauidẽ hoc verſu iam de auxilio Dei gloriari, qui hoſtium fundamẽta ſit diruturus: hoc eſt eorũ conſilia diſſipaturus. Sed quum hic verſus, vt ſecundus, à cauſali particula incipiat, videtur mihi adhuc perſtare Dauid in querendo de iniuſtiſſima ſui perſecutione. Neque obſtat quòd futuri forma verbũ diruendi appoſitum eſt: ea enim & tendẽdi verbum præceſſit. Tẽporum enallage Scripturæ nihil æquè familiare. Proinde mihi queri videtur diruta fundamenta, id eſt res ſuas ſic deiectas, ſic verſas eſſe, vt nihil prorſus ſuperſit ſalutis. Ergo quo ad fundamentorum metaphorã alluderẽ, poſui, Nuſquam eſt cõſiſtendi locus, vndique depellor, vbiq; me arcu inſtructo hoſtis collimat, adhuc id vos ad miſericordiã mei non mouet: adhuc ſuſtinetis me nõ à veſtris vrbibus & conuictu hominum, ſed ex obſcuriſſimis, & horrore plenis ſolitudinibus, proditionibus eiicere. Non miſeret quòd aliàs anima mea velut auicula, nuſquam cõſiſtere potens, cõtinuò huc illuc errat? concedite vt vel pauxillũ reſpiret. Quidnam iuſtus cõmeruit, quid adeò delinquere potuit, qui pertinaciſſimè iuſtitiã ſemper coluit? Neque vacat epitaſi affectus, quòd in tertia perſona de ſe, & ſub nomine iuſti loquitur. Kimhi hanc particulam legit affirmatiue, húncque ſenſum affert, Fundamenta, hoc eſt conſilia improborum diruta ſunt, iuſtus autem aliquid fecit, id eſt operæpretium fecit. retribuetur enim illi ſecũdum iuſtitiam ſuam, quũ inania ſint, & autoribus tantùm noxia, quæ contra iuſtum moliti ſunt improbi. Chaldæa Paraphraſis ſic verſum reddidit, Quoniã ſi fundamẽta deſtruuntur, iuſtus cur operatus eſt bonum? Græcus, Quæ tu perfeciſti, illi deſtruxerũt: iuſtus autem quid fecit? Diuus Hieronymus, Leges diſſipatæ ſunt. Porrò obſeruãdum hic quàm ſcatẽt hic affectibus omnia. Certe quòd incœpit, *Omnia ſcatent affectibus.*
In Iehouah præſidiũ meum poſui: patheticum eſt. à multa enim anxietudine expreſſa vox eſt, qua tale quiddam ſignificare voluit, Etſi aduerſa omnia, & dura vndique immineant, támque premant, pars deſerat, pars prodat, pars ad mortem pertinaciſſimè quærat: haudquaquã tamen animos deſpondeo, ſed nec regnũ quidẽ, quia in Domino qui ſolus omnia valet, & in ſe ſperantes haud poteſt derelinquere, præſidium meum poſui. Ita interrogatio illa, *Quomodo dicitis:* tum quòd *animæ meæ* dicit, non *mihi*, indicant ſibi negari perfugium vitæ, qui ſtatus eſt ſummæ miſeriæ: denique quod iis qui iure ſe tueri debuerãt, illã vocẽ tribuit נודו, id eſt faceſſe, qua incerta fuga & dubius error ſignificatur, qualis illa è Keilah migratio eſt. Nã ſcribit Sacra hiſtoria, illũ & ſexcentos qui cum eo erãt, vt oraculo admoniti è Keilah egreſſi eſſent, iuiſſe quò ibant, id eſt quocunq; ſors ferebat. Hæc omnia miſe tandã & vbique luctuoſam fortunã Dauidis indicant. *1.Sam.23.b.13.*
Nec vacat affectu, quòd in verſu ſecundo, Collimantes arcu inſtructo, cum rectis corde, id eſt innocentibus & iuſtis committit. Quem ſiquidem non moueat, præſentem adeò mortem intentari iis qui ſunt corde innocenti & integro, & ab iis qui ſunt ſcelerati & perditi? Sed & illud mouendi momentũ habet, *in obſcuro*, ſi per illud, horrendum intelligas deſertum. Quem enim

non miſereat eius qui quum innocens ſit, non poſſit tamē vel in abditiſſimo deſerto vitæ perfugiū inuenire? Similiter iam & illa tertii verſus amplificatio, quòd *fundamenta diruta* dicit, ſuam flammam emittit, neque non ardet: & ſubiecta interrogatio, *Iuſtus quid fecit? quid commeruit?* Hæc verò præſenti animo intueamur & conſideremus. Dauid vir erat ad cor Dei formatus, in regem diuinitus ſuper populum eius ſelectus & vnctus: donatus præterea eo ſpiritu, vt præclariſſimis iam facinoribus regem, & omne regnum ampliſſimè eſſet demeritus: hunc tamen Deus quamlibet eius amantiſſimus ſic exercere, ſic ſurſum & deorſum iactare, & per mille vitæ diſcrimina raptare, antequam quietam regni adminiſtrationem concederet, voluit. Idem vſu venit Seruatori noſtro, cuius ille typum geſſit. Nam licet vnice dilectus Dei filius eſſet, in gloriam tamen regni ſui nonniſi per innumeras afflictiones, & mortem diriſſimam ingredi potuit. Huius iam ſi ſumus diſcipuli, ſi fratres, ſi membra, cur frangat, imò cur non bona ſpe firmet, quū vndequaque nos pericula circunſtant, dum amici deſerūt, deuincti beneficiis partim produnt, partim perſequuntur, dum nullum vſpiam patet perfugium? Hæc ſanè Domino & Seruatori noſtro via fuit in gloriam ſuam: ſic peruenit ad regnum ſuum Dauid: ſic ad hæreditatem cæleſtem adierunt ſancti vniuerſi. Qua fronte nobis meliorem ſortem optemus, quàm cōtigit viro iuxta Domini voluntatē facto, quàm expertus eſt vnigenitus Dei? aut quam aliā putemus optabiliorē? Diuus Paulus ſibi nihil æquè glorioſum duxit, atq; ad hanc ſortē proximè acceſſiſſe: ſicut nemo alius periclitatus eſt pluries, nemo fugit ſæpius, nemo plura tam à falſis amicis, quàm inimicis paſſus eſt. At quis qui ſimul & Eccleſiam amplius iuuerit, & maiore iam gloria in Sanctorum memoria habeatur? Sæuiente itaque in nos mundo, tam abeſt vt conſternari debeamus, vt potius terrere debeat ſi faueat, ſi blandiatur: non enim diligit ille niſi quod ſuum eſt: odit autem & perſequitur, qui ab ipſo ad Chriſtum, trahente Patre, transfugerunt.

4 *Iehouah in tēplo ſancto ſuo, Iehouah in cælis thronus eius: oculi eius conſiderant, palpebræ eius probant filios hominū.*
5 *Iehouah iuſtum probabit & improbum: & diligentem iniquitatem odit anima eius.*
6 *Pluet ſuper improbos prunas ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum: portio calicis eorum.* Iehouah: abru-
ptè velut exclamat. In regia ſacroſancta ſua: eo cauſam expreſſit fiduciæ ſuæ, & quàm indignè illi facerent, qui ipſum à ſe tam inhumaniter depellebant, tanquam eum cuius nulla prorſus eſſet ratio habēda. Nā quæ verſu quarto & quinto canit, hunc ſenſum habent, Tametſi in certū vitæ diſcrimen à vobis, quos à maximis periculis meo periculo multoties eripui, depellar: & collimantibus me arcu iam tēſo & inſtructo exponar, animi tamē mihi nondū cōcidunt: præſidium vitæ meæ in Iehouah collocatū habeo: is in cælis omnibus ſupereminēs reſidet, cuncta coràm intuetur & explorat. ille iuſtus, aduerſis rebus, quæ iuſtitiæ obſeruātibus immittit, nō odium in eos, ſed dilectionem declarat. Examinat ſiquidem eos per illa, & abſtractos à mundi illecebris, in ſe eorum animos rapit, rectiore iam iudicio & probiore voluntate donatos. Id verò eſt quod in verſu quinto ait, *Iehouah iuſtum examinat.* Sicut enim quū aurum examinatur igni, (de quo Pſalmus 17.a.3, canit) id quod ſyncerum eſt magis agnoſcitur, & maiori in pretio habetur: ſic eruit Deus, & in lucem perducit ſua in Sanctis dona, dum illos variis afflictionibus exercet. Tum enim amor creaturarū vi aduerſitatum euaneſcit, non ſecus atque ab auro in igne poſito euaporat quicquid admixtum fuerat: & amor Dei eo perfectior redditur, quo minus iam amantur creaturæ. Sic bono eſt Sanctis, ærumnis & afflictionibus ad tempus exerceri, caſtigante Deo. De hoc itaque gloriatur quum ait, Iehouah examinat iuſtum. Vt autem iudicium à domo Domini incipit, ita in ſempiternum premit reprobos, etiam ſi dum ſecunda fortuna feruntur, à Deo diligi ab imperitis credantur. Iis indubiè qui crudeliter adeò à ſe Dauidem repellebant optime de ipſis meritum, perſuaſum erat, Deū à partibus Schaulis ſtare, eúmque cum ſuis diligere: odio autem habere Dauidem, cui vſqueadeò aduerſari omnia faciebat. Contra horum igitur ſententiam dixit, Improbum & amantem violentiæ odit anima eius, hoc eſt hos ex animo deteſtatur, vtcunque id videatur diſſimulare, ſecundantibus illis ipſorum conſiliis. Verſu quarto zeugma eſt: nā ad *filios hominis,* & *oculi conſiderant,* & *palpebræ probant* refertur. Quòd verò oculis non videre tantùm, ſed etiam probare tribuit, voluit mira quadam breuitate exprimere, Deum vt omnia certò videre, ita iudicare quoque: id quod ratio humana nunquam niſi cælitus illuſtrata agnoſcit. *Palpebras* nos non ita vt Hebræi, pro oculis vſurpamus: igitur prouidè reddidi, *intuitus.* היכל, regiam verti: id enim ſignificat. nam 2. Schmuel 20.d.18, & Ieſch. 39.d.7, regia regis Babel hoc nomine appellatur. Nec alia ratione primum tabernaculum, & poſtea templum Domini היכל nominata ſunt, quàm quòd vtrunq; eſſet Deo velut regia quædam, in qua peculiarem Diuinitatis ſuæ præſentiā exhiberet. Appoſitè itaque Propheta cælos ſic vocauit. Porrò præciſa illa locutio, Iehouah in palatio ſuo, ardētis in Deū fiduciæ index eſt. Eſt quoq; emphaſis in eo quod in verſu quinto dixit, *Odit anima eius.* Intimū enim & plenum odium hac periphraſi expreſſit. נפש ſiquidem anima in hiſce locutionibus, pro animi affectu &

voluntate accipitur. vnde dicere Vates hic voluit, Deum ex animo & tota voluntate execrari improbos illos & violentos. Græcus habet, Qui diligit iniquitatem, is odit animam ſuam ipſius. Hoc licet etiam verum ſit, hic tamẽ de Domini iudicio, amore & odio agit. Verſu ſexto inexplicabilem vim vltionis, quam manere improbos prædicit, indicaturus, ſimilem eam facit illi quæ abſumpſit regionẽ Sedomorũ & AEmorah: & per allegoriã eadẽ impendêre eis cecinit. Gen.19.c.24, legimus depluiſſe à Deo ſuper Sedõ & ſuper AEmorah ſulphur & ignẽ: ſic & hoc loco Vates ignem poſuit, ſed præmiſit פחים, id eſt vt Ab.Ezra interpretatur, fulmina, quæ & infrà Pſal. 18.b.13, per גחלי אש ſignificãtur. Sed D.Kimhi interpretatur פחים laqueos: id enim vox hæc ſignificat. Græcus quoque cõſentit. פחם quidẽ carbonem ſignificat, ſicut גחלי prunas: at פחים plurale eſt à פח, quod laqueũ ſignificat, nõ à פחם, quod facit פחמים. Hieronymus itaque legit, laqueos ignis. ſed hic ignis per ſe, nõ vt præcedenti voci ſubſeruiens, à Vate poſitus eſt. Nã ſi אש à פחים regeretur, oportuiſſet ם ſublatũ eſſe, & ſcribi פחי אש. Rectius igitur Græcus legit παγίδας, πῦρ, καὶ θεῖον. Latè ſiquidẽ Scriptura laquei ſignificatione vtitur, pro quauis nimirũ implicatione & perplexitate. Tum diuinam vltionẽ ſemper ita deſcribit vt ſubitã faciat, & res hominũ irreparabiliter impediat, intricet, perturbet, cõfundat. Inde Pſal.69.c.23, Fiat menſa eorũ coram eis in laqueũ. Ieſ.24.c.17, Terrór, fouea, laqueus imminet tibi ô habitator terræ. Idẽ de Moab dicitur Irme.48.g.43. Proinde quod hic Vates canit, *Pluet ſuper improbos, laqueos, ignem, &c.* hunc ſenſum habet, Deus ſubita & omnia implicante vltione improbos corripiet. Ea vltio erit ignis quem eiaculabitur, & fulmina ſulphurea fœtore omnia replentia, quali olim vltione Deus Sedomitas hauſit. Chaldæus Paraphraſtes legit נפח, quod ſpirauit ſignificat. nam ſic hunc verſum reddidit, Deſcendere faciet pluuias condemnationis ſuper improbos, ſpirantes ignem. Sulphur addidit. nam quòd fulmina, ſulphuris odorem habent, & eorum flamma ſulphurea videtur, ſanè indicio eſt, non ſine ſulphure illa conſtare. Vt ergo multo maximus is fuit qui terram Sedomorum vorauit, ita conſequens eſt ingentem vim ſulphuris vnà cum igne depluiſſe. Huius opinor veſtigium eſſe, quòd lacus Aſphaltites, qui eo loco eſt vbi quinque illæ Sedomorum vrbes fuerunt, bituminis limum, cuius natura (teſte Plinio) ſulphuri vicina eſt, euomit. De hoc lacu ſcribit memoratu digna Ioſephus libro de Bello Iudaico quinto, capite quinto. Item Cornelius Tacitus 21, & Plinius libro quinto, capite 16. רוח זלעפות, id eſt ventum turbinis accenſum commodùm ſubiecit: nam is ſimul in illis ingentibus incendiis deſæuire ac graſſari ſolet. Rara in Bibliis vox eſt זלעף. In Threnis cap.5.b.10, Cutes noſtræ, clibani inſtar nigræ factæ ſunt. מפני זלעפות, id eſt à facie aduſtionis famis. hoc eſt præ aduſtione famis. Pſal.119, verſu 53, Inuaſit me זלעפה, id eſt vrigo propter improbos, &c. ſignificare voluit, ſe indignatione ob improbitatẽ Legem Domini deſerentium, accenſum, & velut aduſtum, contabuiſſe. Plinius libro ſecundo, capite 48, ſcribit, flatum interdum repentinum in terram deiici, obducta nubium cute: eúmque ſi maiore illatus pondere incurſúque late ſiccam ruperit nubem, vocari procellam, quam Græci vocant ecnephiam. Sin verò depreſſo ſinu arctius rotatus effregerit, ſine igne, hoc eſt ſine fulmine, vorticem dici qui typhon vocatur, id eſt vibratus ecnephias. Quòd ſi verò maiore depreſſæ nubis eruperit ſpecu, ſed minus alto quàm procella, nec ſine fragore, turbinem eſſe, proxima quæque proſternentem. Qui dum ardentior, accenſúſque fuerit, preſtèrem appellari, amburentem contacta pariter & proterentem. Hæc Plinius. Quum itaque hic Sedomitici incendii fiat mentio, & teſtentur Hebræi quoque, R.Schlomoh, Aben Ezra, & Kimhi, זלעפה ardorem ſignificare cum commotione, non dubitarim Prophetam hic per רוח זלעפות, preſtérem ventum proterentem & incendentem quæque obuia, voluiſſe ſignificare. Quoties ſanè Dominus grauius ſupplicium de gente aliqua ſumpturum ſe minari voluit, excidium minatus eſt Sedomorum, etiam ſi nullam gentem ad eundem per omnia modum, quo Sodomitas, perdiderit. Horum ſiquidem exterminium propter ſuam celebrem immanitatem, pro qualibet diriore vltione vſurpauit. Hinc in Deuter.28.d.23, Moſcheh iis qui à Domino ad idola Gentium defeciſſent, prædicebat fore vt omnis terra eorum eſſet ſulphur, ſalinæ, aduſtio, in qua nihil ſeri poſſet, quæ nihil germinaret, nullam herbam produceret: ſed eſſet ſicut euerſio Sedom, AEmorah, Ademah, & Seboim, quas Iehouah iratus & indignatione feruens euertit. Hanc eandẽ vltionem minatus eſt Ieſchaia 13.d.19, Babyloniis: Iermeias 49.d.18, Idumæis: Amos 4.d.11, Iſraelitis: Sephania 2.c.9, Moabitis. Ex his ſatis ſupérque manifeſtum arbitror, ſacris ſcriptoribus hunc morem fuiſſe ſolennem, vt per antonomaſiam quandam, ſiue allegoriam, Sedomorum euerſione, quamlibet diriorem Dei vltionem ſignificarent. Sic itaque & noſter hic Vates, quum vellet pluſquam diram vltionem ſumendam de ſuis perſecutoribus prædicere, Sedomorum euerſionem eis imminere cecinit, éamque propter dinoſim per partes ſuas explicuit. Cui verò hæc enarrandi ratio parum arriſerit, is poterit verſum ſextum preca-

Sedomorum euerſio pro quàlibet diriore vltione ponitur.

tionis modo legere: vt intelligas Dauidem hoſtibus ſuis, quos deploratos videbat, & maiora meritos, neque niſi pendendo iuſtas pœnas nomen Dei glorificaturos, hæc imprecatum eſſe. Sed ſi ſic etiam hæc accipias, nihilominus fatendum erit, per vltionem quam illis precatur, non eam ipſam quam hic deſcribit, ſed diritate parem, vel maiorem denotaſſe. Nam vt ſuprà in Pſalmum 5, de precatione diſſerui, nihil orant Sancti, niſi quod exoraturos ſe, ex indicio Spiritus certò nouerint. quapropter ſi ſimpliciter hæc accipias, oportebit hos Dauidis perſecutores, eas ipſas pœnas quas eis hîc imprecatus eſt, dediſſe: id autem nuſquam legitur. Proinde fatendum, antonomaſiam quandam hîc, ſiue allegoriam, aut certe hyperbolem eſſe, hoc eſt pro certo nomine vltionis horum, poſitam deſcriptionem vltionis Sedomiticæ: aut propter ſimilitudinem, per Sedomitarum vltionem, eam quam hi perſoluerunt, deſignatam: aut denique quũ multo grauiſſima etiã externa mala eis imminerent, Vatẽ ea per exceſſum vocaſſe pluuiam ignis, ſulphuris, & turbinem omnia proterentem & incendentem. Certè in eo hyperbole eſt quod canit, Et immittet pluuiam ignis: non ignem. eo enim ingentem vim ignis demiſſam indicauit. Paria his & grauiora, nos nõ dubitemus manere & eos qui hodie innoxios perſequũtur. ídque ita perpendamus, vt boni & æqui faciamus, ſi vt Dauid, vt Chriſtus, à mundo accipiamur: nunquam veniat in mentem, nos ipſos vlciſci, ſcientes Deum nos vindicaturum, & de hoſtibus noſtris nimis graues pœnas ſumpturum. *Portio calicis eorum.* Multa eſt in Scripturis hæc metaphora, qua per calicem, hoc eſt admenſam vini portionem, certa cuiuſque ſors ſiue merces tam optata, quàm contrà, ſignificatur. Mutuata verò eſt à potantium veteri ritu, quo per modiperatorem, hoc eſt conuiuiis præſidem, ſua cuique vini portio quam hauriret, ſtatuebatur. Hæc locutio etiam Gallis non infrequens eſt, quũ dicitur, *L'on a braſſe ton brunage donc tu auras ta part.* Sic enim Deus vnicuique ſua & quæ exhauriat mala, & quibus fruatur bonis, certa ratione definiuit. Huius metaphoræ vſus eſt Pſalmo 16.b.5, & 23.b.5, & 75.b.9, & 116.b.13, Ieſ h. 51.g.22, Iirm.25.d.15, & locis aliis.

7 *Quia iuſtus Iehouah iuſtitias dilexit, rectum intuebuntur vultus eius.* Eius quod præmiſit, Deum iuſtos aduerſis tantùm explorare & perficere, deteſtari autem improbos, & ſempiternas tandem de eis pœnas ſumere, hoc verſu rationem reddit. Quum enim Deus iuſtus ſit, non poteſt non amare iuſtitiam, eiúſque cultoribus fauere, & beneuolo vultu recti ſtudioſos intueri. Hinc iam conſequẽs fit, vt bono ſit iuſtitiæ rectique obſeruantibus, quicquid eis Deus immiſerit, & vt prorſus tandem pereant improbi, ita odio obnoxii, vt ſunt iuſtitiæ cultu inanes. Illud, Iuſtitias diligit, iuxta phraſim Hebræam valet, Virum iuſtitiarũ diligit, hoc eſt iuſtum. Sic Pſal.160.a.4, Pro dilectione mea aduerſabantur mihi, & ego oratio: id eſt eram vir orationis, orationi intentus. Ad eundem modum & rectũ hîc pro recti cultore, recto & integro homine accipitur. Vultus eius aſpiciunt, id eſt fauent. Sic promiſit Dominus ſe vultum ſuum conuerſurum ad Iſraelitas, ſi Legis ſuæ obſeruantes fuiſſent, Leuit.26.a.3. In vultu, voluntatis indicium eſt: vnde & Latini beneuolo aſpicere vultu, pro fauere & approbare dicunt. Virg. Olli ſubridens hominum ſator atque deorum, Vultu quo cælum tempeſtatéſq; ſerenat. Sed eſt ſcrupus hic, פנימו habet Pſalmus: id ſecundum Grammaticam rationem, vultus eorum, non eius dicitur. מו enim particula eſt multitudinis numerum denotans. Verùm & Iiob 22.a.2, עלימו, id eſt ſuper eos, pro ſuper eum, vſurpatum quũ legamus, licebit & hîc illud ſingulariter accipere. Kimhi huius triplicem adfert interpretationem. Prima eſt quam poſui: altera, æquitate præditi cõtemplabuntur faciem Dei: vt ſit ſimile illi infrà Pſalmo 17.c.11, In iuſtitia contemplabor faciem tuam, id eſt iuſtitia fretus intuebor te. Quo pacto ישר pro rectitudine vel æquitate acciperetur. Tertia, facies eorum, id eſt iuſtitiæ ſtudioſorum videbunt rectum, hoc eſt Deum, quòd rectus ſit. Cum ſecunda conſonat Chaldæus: habet enim, Recti videbunt iucunditatem facierum eius. Diuus Hieronymus tertiam videtur ſequi: reddidit enim, Rectum videbũt facies eorum. Græcus primam probauit: habet ſiquidem, Rectitudines, vel æquitates vidit facies eius, hoc eſt approbauit & fauere ſe rectis declarauit. Conſolatur autem hic verſus, vt in iuſtitiæ ſtudio nihil defatigemur, quamlibet malam gratiam rependat mundus, ſatis ſit Deo nos charos eſſe, eúmque ſereno fauentique nos vultu ſemper aſpicere: & tum præcipue, quũ improbi nos crudeliſſime inſectantur, & non ſolùm amico, ſed omni aſpectu dedignantur. Iudicium omnium penes Dominum eſt, non penes mortales, eiúſque fauor ſeruat in æternum, quũ horum nuſquam non adferat exitium. Neque enim fauet, niſi ſe diligentibus: at qui diligit mundum, non eſt in eo (inquit Iohannes) dilectio Patris.

PSALMVS XII, in genere mixto, θρηνητικὸς καὶ διδακτικός.

ARGVM. *Queritur iuſtitiam & fidẽ ubique concidiſſe, uerſutos & fraudulentos aſſentatores omnia occupare. Orat ut Dominus me-*

ſertus afflictorum, quos illi diuexant, opem, iuxta uerbũ ſuum, quod uel ſolum fallere non poteſt, ferat: ſuóſque à perditorum colluuie ſeruet.

PARAP.

1 PRæſuli ad Scheminith, Ode Dauidis.
2 Fer opem ô Iehouah: nam nulli ſuperſunt boni, qui fidem colant, nulli
ſunt inter homines reliqui.
3 Vanũ eſt quicquid alter alteri loquitur: falſò blandiuntur, ore aliud promũt,
corde aliud tegunt.
4 Excindat Iehouah os falſò blandiloquum, linguam loquentem ſuperba,
5 Eorum qui apud ſe cogitant, Linguis noſtris nobis autoritatẽ vendicabimus:
os noſtrum penes nos eſt, quis noſter Dominus?
6 Propter vaſtitatem afflictorum, propter eiulatum inopum, nunc exurgam,
dicet Iehouah: Feram ſalutem, ſic affabitur eum.
7 Iam dicta Iehouæ, dicta pura, habentia inſtar argenti excocti in catino ter-
reo, depurati ſepties.
8 Tu Iehouah ſerua & cuſtodi illos à natione iſta in ſempiternum.
9 Circunfluunt vndique improbi, dũ probroſi primas inter homines obtinẽt.

ADVERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *SErua Iehouah, quoniam bonus conſumptus eſt, quoniam imminuti ſunt fideles de filiis hominum.*

3 *Vanum loquuntur quiſque cum proximo ſuo, labio blanditiarum, corde & corde loquuntur.* Ad veriſimilitudinem propendet, & hunc Pſalmum contra eos eſſe compoſitum, qui Schaule rege primas in regno habebant, homines perditi fraudibus, iniuriis, & arrogãtia omnibus moleſti. De quorum improbitate & malitia, Vates & Pſalmo 5, 55, & 56, 57, 58, 59, vehementer queritur. Ergo tanquam animo iam dolore & indignatione cõtra iſtos improbos adulatores & delatores (qui primam in regno potentiam nacti, grauiter quoſque innoxios opprimebant) feruenti & exæſtuanti exclamat, Serua, ſuccurre, fer opem ô Iehouah, quia nulli ſuperſunt boni, &c. Sic ſanè exclamare ſolemus, quum nihil prorſus præſidii supereſt: & niſi ſubito Deus auxilium ferat, actum eſſe creditur. Etenim quum ſumma rerum eſſet penes peſtilentiſſimos quoſque, ex dolis & mendaciis conſutos, & bonorum fidémque colentium nulla penitus ratio haberetur, vt gubernaculis rerum nuſquam admouerentur, ſtatus regni Iiſraelitici erat vtique quamperditiſſimus: atque ideo res ipſa cogebat, Dei opem, vt rebus in ſummum periculum adductis, efflagitare. Quod enim ait, *conſumptus eſt bonus*, id eſt nulli boni ſuperſunt (enallage numeri eſt) & fidi imminuti ſunt à filiis hominum, id eſt deſierunt eſſe inter mortales qui fidem colant: de iis dixit qui tum poteſtate aliqua fungebantur. Nam ſupererant boni & fidi, quorum verſus ſextus meminit, qui à peruerſis illis opprimebantur. Verùm hi adeò deiecti & vaſtati ab illis erant, & mali quique exaltati, vt nulli prorſus iam boni ſupereſſe viderentur. Nam alioqui boni, vtpote ſilentii & quietis amantiores, ferè latitant, malis vbique ſeſe, dum licet, ingerentibus, & nuſquam non obturbantibus. Qui boni dicantur, in quartum verſum quarti Pſalmi expoſui. אמונים fidi, fideles, veraces, fidei ſeruãtes, & veritatis ſtudioſi ſunt, ex fide bona ſynceriter & candide omnia dicunt & faciunt. Hos bonis non iniuria Vates iunxit. nemo enim bonus, id eſt ad demerendum quoſlibet propenſus fuerit, qui non & fidem ex animo colat. Hinc verſu tertio, eius quod ſecundo queritur, nullos ſupereſſe bonos, nullos fideles, rationem redditurus, doli tantùm & fallaciarum quæ paſſim obtinuerant, meminit, *Vanum*, inquit, *loquuntur, quiſque cum proximo ſuo*: hoc eſt quæcunque alius alii loquitur, vana ſunt, falſæ blanditiæ, & verba duplicis cordis, nempe malum proximo quærentis, & bonum verbis ſimulantis. Mali etenim ſibi ipſis tantùm amici ſunt: ideo fallere & decipere alios, vt inde ſibi emolumenta parent, induſtriam exiſtimant dignam laude.

4 *Excindet Iehouah omnia labra falſarum blanditiarum, linguam loquentem magna.*

5 *Qui dicunt, Linguis noſtris præualebimus, labra noſtra nobiſcum, quis dominus nobis?* Pro labiis in verſu quarto, os poſui, eo quòd Latinis hæc metonymia per labia ſermonẽ tranſnominandi, non ſit in vſu. In verſu quinto, pro Linguis noſtris roborabimus: reddidi, Autoritatẽ vẽdicabimus: nã id ſignificare Vates voluit, vt & R. Schlomoh viſũ eſt, qui נגביר per נתגבר interpretatur, id eſt linguis noſtris magni & potentes erimus. Etſi verò quartus hic verſus legi poſſit vt vaticinium, quia tamẽ Vates Pſalmũ cœpit cum exclamatione, magnæ cõtra illos pernicioſos mẽdaciorũ & fraudũ cõcinnatores, qui tũ omnia poterãt, indignationis teſte, & eandẽ per totũ Pſalmũ præ ſe fert: viſum eſt perſonæ, quã exhibet, magis cõſentaneum, vt imprecationem, quæ hoc verſu

dicit,accipere.Falſis vero blanditiis & aſſentationibus iungit arrogantiam, & ſolitam perditis aulicis magniloquentiam. Nihil ſiquidem iſtis æque blãdum iuxtà, & arrogans atque faſtuoſum:neminem reſpiciunt,neminem verentur:nihil mentiri eos, nihil fingere pudet,dummodo primas in rebus omnibus obtineant, & ſint bonis formidabiles. Horum arrogantiam quo plenius Vates exprimeret, vſus eſt mimeſi, ipſorum verbis ſuperbiam & arrogantiam eorum referens. Illud, Labia noſtra à nobis ſunt: quod reddidi, Os noſtrum penes nos eſt: id eſt quod Loqui quæcunque libuerint, & facere nobis licet, nemo eſt quem veremur. Quis enim noſter Dominus eſt? Sic ſanè habent animi deploratorum, ſimulatque potentiam aliquam conſequuti ſunt:nullam ſe tenere legem putant,nulla eos inceſſit religio:nulla mouet vel Superûm, vel hominum autoritas. quo minus indignum Vate arbitremur, quòd excindi & diſperdi hoſce petit.

6 *Præ vaſtatione afflictorum,præ gemitu pauperum,nunc exurgam, dicit Iehouah:ponam in ſalute,loquetur ei.*

7 *Sermones Iehouæ,ſermones puri,argentum excoctum in catino terræ,depuratum ſepties.* Propter enargiam, deſcripſit verſu ſuperiori malorum arrogantiam ipſorum verbis:ita commodùm nunc auxilii promiſſionem ipſius Dei verbis canit. Ad dinoſim facit & illa geminatio, quòd bis præ vel propter dixit,*Propter vaſtitatem afflictorum,propter eiulatum inopũ.* Et hæc pauperum vaſtatio atque eiulatus,cauſa eſt cur Dauid ſe impiis iſtis aſſentatoribus tantopere indignatum teſtetur, atque ardenter adeò Dei contra illos opem imploret. Hos verò afflictos & inopes,bonos & innoxios intelligit, qui fraudibus & direptionibus malorũ patebant: in quos illi ita graſſabantur,vt eos penitus deuaſtarent, & ob iniurias iam intolerabiles cogerent eiulare. Neque enim otioſa eſt in vaſtitatis & eiulatus verbis amplificans hyperbole. *Ponam in ſalute*,ad verbum habetur.id interpretatur Kimhi,Ponam afflictos in ſalute:hoc eſt iuuabo eos,& eripiam. At Abraham Ezra, idem valere arbitratur, Ponam in ſalute, atque Feram opem, ſicut Prouerb.9.a.5,ad verbum habetur, Comedite in pane meo, & bibite in vino meo: pro, comedite panem meum, & bibite vinum meum. Loquetur ei יפיח לו.Hoc puto Vatem adiecisse ad exprimẽdum Diuini auxilii certitudinem: neque enim poteſt eſſe vanum quod dixerit Deus. Quo igitur oſtenderet Propheta nihil eſſe certius, quàm vt Deus innoxios violentiæ malorũ eximeret, geminare voluit Dominum dixiſſe,ſe opem laturum.Si verò לו turbã pauperum referat,intelligi datur, Deum non ſolùm apud ſe,vel alios, verùm ipſis etiam afflictis teſtari,ſe eis opem laturum. Solet ſanè Deus,& prædicat id de eo omnis Scriptura, ſuos dum affliguntur grauius, ipſe affari, certóſq; ſalutis ferendæ reddere: nam hac ſola ratione conſolari poſſunt. Proinde verti,*Sic affabitur eum*, ſubaudi,afflictum. Rabi Schlomoh iſtud יפיח לו interpretatur,loquetur de illis, vt intelligas ſic de oppreſſis pauperibus Dominum loqui,& ſalutem eis promittere. Quia autem לו ſingulare, & ferè reciprocum eſt,poſſit etiam accipi vt illud Pſalmi 98.a.1,הושיעה לו ימינו,id eſt ſaluauit ſibi dextera ſua:& intelligi quòd Vates dicere voluerit, Deum ſecum ita loquutum eſſe, ſic definiſſe,vt ſalutem afflictis ſuis ferret. Kimhi יפיח tanquam à פח,id eſt laqueo veniat, per illaqueare,vel ponere laqueos interpretatur: putátq; id ſignificare quod ſignificat Prouerb.29.b.8, Viri verſuti יפיחו, id eſt illaqueant vrbem. Secundum hunc itaque, ſenſus erit, Saluabo pauperes ab iis qui illis laqueos ponunt. Conciſior eſt hæc particula, quàm vt vnus & indubitatus eius ſenſus reddi poſſit. vnde ſic variant enarratores. Hieronymus reddidit, Ponam in ſalutari auxilium eorum: quod miror vnde ſumpſerit. Chaldæus habet,Impiis verò teſtificabitur malitia: παῤῥησιάσομαι ἐν αὐτῷ, id eſt confidenter agam in eo. Vtcunque autem hæc particula ambigua ſit, ſatis tamen conſtat, id quod pio etiam ſatis fuerit, Dominum ſuis in tempore opem ferre, etiam ſi ad tempus ſinat eos ab improbis obteri & vaſtari. Hanc ſiquidem ipſe pollicetur, ipſe dicit auxilio ſe illis fore. Iam dicta eius pura ſunt, hoc eſt ſynceriſſime vera,omni vanitate defæcatiora, quàm plumbo vel alia admixtione argentum ſit quod excoctum depuratúmque eſt ſepties, hoc eſt plúries. Scripturæ enim conſuetudo eſt, per ſeptenarium numerũ indefinitam multitudinem ſignificare. Infrà Pſalmo 19.b.8,Præcepta Iehouæ pura, & timorem mundum canit: ad eandem ſimilitudinem, vt videtur, alludens. Apertius ea vſus eſt Schlomoh in Prouerbiis,cap.10.c.20, Argentum electum, lingua iuſti. Et cap. 17.a.3, atque 27.d.21, Excoctor argento,& fornax auro: Iehouah autẽ explorat corda. quod eſt,ſicut excoctor argentum,& vis fornacis aurum,ita explorat Deus corda. Maleachi quoque 3.a.3, prædicitur de Domino, ſeſſurum,& filios Leui excocturũ atque purificaturũ ſicut argentũ,&c. Allegoricôs magis quàm parabolicôs hæc Pſalmographus extulit.dicit enim ad verbũ, Dicta Iehouæ,dicta pura,argentum excoctum,&c.idque plus dinoſeos habet,& ſonat quid ampliùs, quàm ſi dixiſſet, Sicut argentum.Ne tamen quid obſcuri eſſet,ſimilitudinis particulã adieci,ſicut & multis in locis addenda eſt,de quo verſu 1,Pſalmi 11. Quod verti,In catino terreo,eſt Hebræis,בעליל לארץ,Kimhi interpretatur dominum terræ, id eſt eximiam terram. ב enim vt radicalem accipit. Alii a vt

ſeruilem, & עליל pro catino in quo argentum excoquitur, accipiunt. Vtraque autẽ interpretatio in ſentẽtia verſus huius, qui puriſſimo, ſummæque defæcato argẽto, dicta Dei propter ſynceriſſimam eorum veritatem, & æternam certitudinẽ aſſimilat, nihil variat. Quare multis de vocula hac diſputare, foret ſuperuacaneum. Noſtra intereſt potius iſta ſic animis cõmendare, nequid dum premit aduerſitas, dum nos vaſtant ſuperbi hoſtes Dei, de his Domini dictis, quibus ſe adfore nobis ſuis verbis promittit, addubitemus. Certè parũ pura illa, parũ ſyncera ſæpenumero habentur, dum ea ægrè adeò animis vel leuiter vexatis ſufficiunt, quãlibet inculcentur. Iis verò qui proximos etiam lædũt, non modò argẽtum illa non ſunt, ſed plumbum, & ſiquid eſt plumbo vilius.

8 *Tu Iehouah cuſtodis illos, conſerua eum à generatione iſta in ſeculum.*

9 *Circunquaque ambulant improbi, ut exaltentur probra filiis hominum.* Satis liquet, precari Vatem verſu 8, pro oppreſſis vaſtatiſque pauperibus, vt illos Dominus à natione perditorũ ſeruet. At obſcuritatẽ ingerit, quòd poſteaquam dixit, Serua illos: ſubiũxit in ſingulari, cuſtodi hunc vel eũ. Kimhi videtur hoc perinde eſſe, atq; ſi in plurali dixiſſet, Eos. hunc ſequutus ſum, nec diſſentit Chaldæus. Græcus vtrobique Nos poſuit. Attamẽ à more Pſaltis nequaquam alienum foret, ſi hìc vel pro ſeipſo, vel certo quopiam amico fortè inter peruerſos illos verſante, ſiue Iehonachã, ſiue alio, peculiariter oraſſet. Haud verò vacat affectibus, quòd neq; eos pro quibus, neque eos cõtra quos orat, nominatim exprimit, ſed incertis vtroſque relatiuis deſignat, Serua illos, cuſtodi illum. Et haud ſcio an etiam quum dicit, Serua illos: certos aliquos qui à ſuperbis & impiis illis adulatoribus diuexabãtur, intellexerit, ac voluerit obſcurè ita eos deſignare, ad indicãdum vim tyrannidis, qua tum boni quique ita opprimebantur, vt non liceret tutò eis vel bene precari. Indubiè quando crudeliter adeò deſæuitum erat in Sacerdotes, ac omnes Nobe inhabitantes, eo quòd princeps Sacerdotũ Achimelech panes aliquot Dauidi dediſſet, quem tamen putabat in negotio regio verſarii haud potuiſſet abſque certo periculo, amicorum eorum qui ab impiis illis opprimebantur, in huiuſmodi oda, qua illos oppreſſores pauperũ ſuis depinxit coloribus, meminiſſe. Abraham Ezra diuerſam habet interpretationem. ſic enim iungit verſum 6, 7, & 8, Nunc exurgam, dicet Iehouah, ponam ſalutem, id eſt ſaluabo eum qui loquetur apud ſe dicta Iehouæ, dicta pura, &c. hoc eſt opem feram meditanti in Lege mea. His tum facit Vatem ſubiungere, Tu ſeruabis illos tuos ſermones, & cuſtodies meditantem in illis. Pius lector deligat ſibi quam exiſtimauerit interpretationem germaniorem. Verſus nonus cauſam habet cur à natione improba bonos ſeruari precetur. Circunfuſi, inquit, ſunt vndique improbi quũ exaltantur, quũ principatum obtinent זלת, id eſt opprobria, vel vilitates: & ſubauditur viri, vel homines. Solet nanque lingua Sacra ſubinde hac antonomaſia vti, vt epitheta ſola ponat ſuppreſſis nominibus: fortitudinem, pro viris fortitudine præditis, quos ſuo more viros fortitudinis vocat: iniquitatem pro iniquis, id eſt vt Scriptura loquitur, pro viris iniquitatis. Pſalmo 109.a.4, Pro eo quòd diligebam eos, illi odio me proſequebantur, ego autem oratio. id eſt eram vir orationis, hoc eſt orabam. Sic loquitur hìc, quum exaltantur vilitates, id eſt viri vilitatum, hoc eſt viles, probroſi, nullius pretii. Sunt qui vocem hanc deducant à זלל, quod vorare ſignificat: quaſi Vates hic ventres & heluones notarit. ſed quid hoc ad argumentũ Pſalmi? Totus enim de iis queritur qui dolo & fraudibus obtenta tyrannide, innocentes diripiebant & vaſtabant. Tales haudquaquam ſolent ingluuiei ventris ſeruire, propterea quòd nõ minus ad tuendam quàm inuadendam tyrannidem in populo libero, multo aſtu opus ſit & vigilantia. Vero igitur propius videtur, viles iſtos vocari, quòd nulla virtute eſſent inſignes, & ingeniis ſordidis, ac quorumlibet libidini addictis: quales ii ſolent eſſe, qui apud ſtultos principes adulando, potentiam aliquam conſequuntur, & in perniciem bonorum ad primas dignitates euehuntur. In hos præcipuè hic Pſalmus compoſitus eſt, quibus nulla quoque eſt regnis & rebuſpublicis peſtis nocentior. Hinc ſapiẽtes homines multo optabilius cẽſuerunt, habere principem ſtultum & malum, & conſiliarios atque miniſtros bonos & prudentes: quàm hos improbos & pernicioſos, principem verò ſapientem & recti ſtudioſum. Nam omnia ferè per aulicos ſuos, principes audiunt, vident, loquuntur & agunt. quare quum hi perditi ſunt, quamlibet boni ipſi principes exiſtant, omnia tamẽ peruertuntur, & in perniciem bonis ac toti Reipublicæ detorquentur, quantumuis ab ipſis principibus inſtituta ſint ſapienter & piè. Ex hoc itaque Pſalmo Sancti meritò excitari debent, vt contra has peſtes Deum enixè & ardenter precentur, qui vnus liberare illos poterit propitius, ſicut per eos exercet iratus. Etenim & Schlomoh ſcripſit, Dum poteſtate pollent iuſti, lætatur populus: dum autem dominantur improbi, gemit populus. Kimhi illud, Circunquaque oberrant, vel circunfluunt: pro eo accipit, Circundant improbi vndique bonos, quo eos diripiant & perdant, dum opprobria, id eſt ii qui velut fæx hominum ſunt, primas rerum fuerint aſſequuti. Iſti verò hodie in omnibus aulis

1.Sam.22. Pro.28.a.

regnant, quo minus admirandum, florentiſſima alioqui regna ſic bellis atrociſſimis collidi, & bonos vtique ita vaſtari vt nulli ferè ſuperſint: improbis autem & ſceleſtis, qui non tam homines, quàm hominũ monſtra ac carcinomata quædam ſunt, vbique agminatim diſcurſantibus, & omnia peruertẽtibus, & cõturbantibus. Dicat tandẽ & loquatur Dominus, Nunc exurgam, nunc opem feram, vt peſſundentur mali, exaltentur boni: hoc eſt regnet ipſe in bonis, profligato Satana, qui in malis contra bonos tam ſæuam exercet tyrannidem.

PSALMVS XIII, χειμαστικὸς καὶ ἀπευκτικός.

ARGVM. *Deprehenſus in ancipiti periculo, Deo, quòd ſuccurrere differat, miſerè queritur. Et ſimul ne ſuo caſu hoſtes exhilaret, ſed ſeruatus potius Dei bonitatem celebret, precatur.*

PARAPHR. 1 PRæſuli, oda Dauidis.
Quouſque perſeuerabis ô Iehouah, me negligere? quouſque reſpicere me
2 dedignaberis?
3 Quouſque deliberabo cum animo meo, diſcruciabitur quotidie cogitationibus cor meum? quouſque ſuperior erit hoſtis meus?
4 Reſpice, annue mihi ô Iehouah Deus mi, lucem vitæ irradia, ne mortis ſomnus occupet:
5 Ne dicat hoſtis meus, Præualui ei: ne gaudeãt qui me infeſtant, ſi nutauero.
6 Sed fac vt cor meum, qui de tua bonitate nitor, de auxilio tuo gaudeat: vt canam laudem Iehouæ, quum rependerit mihi.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *QVouſque, ô Iehouah, obliuiſceris mei perpetuo? quouſque abſcondis faciem tuam à me?*
3 *Quouſque ponam conſilia in anima mea, moleſtiam cogitationem in corde meo quotidie? uſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me?* Inducit ſe miſerè perplexum, multáque anxietudine cõſtrictum, ſicque cõſternatum, vt ſibi videretur ſe à Deo prorſus negligi, vtpote cuius ille oblitus eſſet, & à quo faciem ſuam, hoc eſt omnẽ fauorem, curámque auertiſſet. Hinc enim ſibi tantam rerum ſuarum perturbationem & calamitatẽ incidiſſe colligebat. Nam tum Deum noſtri rationem habere, curámque gerere ſentimus, quũ ſuo donatis Spiritu omnia ſecũdare efficit. Ergo vbi aduerſa omnia eſſent, in animo ſuo cõſilia ponebat, id eſt anxiè quid ſibi facto opus eſſet, deliberabat: quúmque non occurreret quid præſtaret, & quo ſe pacto periculo eximeret, diſcruciabatur in corde, variis & diuerſis cogitationibus diſtractus, ita vt fit dum quis ab hoſtibus circumuentus, nullam poteſt elabendi viam excogitare. Ex hoc certè animi ſui habitu quem deſcribit, veriſimile videtur & hunc Pſalmum compoſitum de præſenti aliquo periculo, in quo fuerit dum exularet, & eum Schaul proximè perſequeretur, deprehenſus. Sæpenumero enim ita à Schaule obrutus fuit, vt nullum prorſus effugiũ pateret: ſicq; pluries rerum ſuarum incertus factus eſt, vt quid ſibi faciendum eſſet, diſpicere prorſus non poſſet. Huiuſmodi ergo neceſſitate conſtrictus, ad Deum animum extulit, & eius opem implorauit. Deum noſtri obliuiſci, & ſuam à nobis abſcondere faciem, pro eo poni quod eſt nos negligere, quod tamen ita afflicto videatur, non ſit reipſa, ſatis dictum eſt in Pſalmos ſuperiores.

4 *Reſpice, reſponde mihi ô Iehouah Deus mi, illumina oculos meos, ne dormiam mortem.*

5 *Ne dicat inimicus meus, Superaui eum: gaudeant infeſtatores mei, quum nutauero.* Queſtus eſt, ſe à Deo negligi, Deum à ſe faciem ſuam abſcondere: nunc ergo orat vt reſpiciat, & animum ad ſuam afflictionem aduertat. Sic queſtus eſt, ſe anxiis cogitationibus diſtrahi & affligi, dum nullum poſſet effugium inuenire: contra hoc precatur, vt ſibi Deus annuat & reſpondeat quid ſequatur, qua demum via elabatur ex diſcrimine. Eodem facit & quòd petit vitæ lucem impartiri, illuminari ſibi oculos, hoc eſt diſpelli prementiũ malorũ velut grauedinem & tenebras, quas mortis ſomnus conſequi ſolet. Ne dormiã mortẽ, eclipſis eſt: nã dicendũ erat, Ne dormiam ſomnũ mortis. Hebræis enim vt aliis gentibus, pleraque nomina à verbis cõprehenduntur, vt inquit Ab Ezra. Ita hic dormiam, ſomnũ in ſe comprehendit. De eo quòd hoſtium inſultationẽ tantopere deprecatur, diximus in verſu 8, Pſalmi 6. Cum illorum victoria & inſultatione, vir diuinus coniunctam videbat blaſphemiam & contumeliam Dei: eam igitur, non ſuam deiectionem horrebat. Ex his verò diſcendum, dum nos Deus ſuo Spiritu non ducit, noſtris cõſiliis cumulari poſſe adflictionem, & inanibus curis animum fruſtra exedi: expediri autem & recta capi cõſilia non poſſe. Ante omnia igitur, vt nos Deus reſpiciat, ſuóq; oraculo dirigat, precandum. Qui ſi deſerat, nulla ſufficit vigilantia, nulla circunſpectio, nulla cautio, quin is ſomnus obrepat, ea occupet oſcitãtiæ ſupinitas, quam indubitatus interitus comes ſequatur. Quo enĩ magis malis nos extricare conabimur Dei Spiritu deſtituti, eo magis intricabimus:

vti Pharaoni, Schauli, & populo Iiſraeli, quoties ad alia quàm Dei præſidia confugit, euenit: & experiũtur quotidie qui ſibiipſis cõſulere & proſpicere, aut periculis quibus circumueniũtur, ſeſe expedire conantur. Quidam noſtrorum hunc Pſalmum precationem faciunt contra Satanã. Quòd ſi ſeruata hiſtoriæ veritate per anagogiam fiat, vt ſicut ſe Dauid ab hoſtibus ſuis vi ſibilibus ſeruari petierit, ita petamus nos ſeruari à vi & aſtu Satanæ, non paulo propior menti Pſaltis eiuſmodi interpretatio erit, quàm ſit Iudæorum qui de ſuo exilio queri hunc Pſalmum volũt: & quòd quater repetatur Vſquequo, quatuor ipſorum reſpondere contendunt oppreſſionibus, quas pertulerunt à Chaldæis, Perſis, Græcis, & Romanis.

6 *Et ego bonitate tua nitor, gaudeat cor meum in ſalute tua: ca nam Iehouæ quum rependerit mihi.* Vt deprecatus iam eſt gaudium hoſtium de ſuo caſu, ita nunc orat vt liceat gaudere, gratiáſque Domino agere de ſua ſalute, quum ſibi Deus repẽderit, non quidem iuxta ſua merita, ſed iuxta ſuam fidem: nitebatur enim bonitate Domini, quũ hoſtes eius ſuis confiderent & artibus & viribus. Dignus igitur erat cui Dominus opem ferret, indéque cor eius ſolido gaudio perfunderet: ſicut fidei comites ſemper ſunt pax & gaudium, vnde & iugis naſcitur gratiarum actio. Nequit ſanè cõfundi qui in Dominũ ſperauerit. Vt igitur talem voti compotem fieri neceſſe eſt, ita de percepta ſalute huiuſmodi tandem gaudeat, gratiáſque Domino agat, oportet. In verſum 1, Pſalmi 4 & 9: atque 10, Pſalmi 7, de commemoratione propriæ iuſtitiæ, & repenſione quam pro illa Sancti orant, diximus.

PSALMVS XIIII.

Omnia plena eſſe impiis & palàm perditis hominibus queritur. Ingenium eorum quo nihil magis corruptum, putidum, & uiolentum, deſcribit. Tum ultionem his, & ſalutem innoxiis quos hi proterunt, imò uorant, precatur, & ſimul prædicat ARGVM.

1 PRæſuli Dauidis. Homines nequam dicunt intra ſe, Nõ eſt Deus, deprauatis & abominandis ſtudiis ſunt: non eſt qui quod bonum ſit faciat. PARAPH.

2 Iehouah è cælis homines ſpeculatus eſt, ſi videret intelligentia præditũ, quíque Dei aliquod ſtudium haberet.

3 Vſqueadeò cunctos pariter è via deflexiſſe, periiſſe: neminem eſſe qui quod bonum ſit faciat, ne vnum quidem:

4 Nihil adeò mentis eſſe vniuerſis iſtis prauitati deditis: populum meum vorãt, ac ſiquis panem voret: nulla Iehouæ religione tenentur.

5 Illic pauore conſternabuntur: nam Deus eſt in natione iuſtorum.

6 Conſilium quod afflicti ſequuntur, vt rerum ſuarum præſidium in Iehouah ponant, illi rident.

7 O vtinam è Siion ſalus Iiſraeli cõtingat! quũ enim Iehouah populi ſui captiuitatem finiet, lætabitur Iaacob, gaudebit Iiſrael.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 D*ixit nequam in corde ſuo, Non Deus: deprauauerunt, abominandum fecerunt opus, non faciens bonum.* Ab. Ezra & D. Kimhi hunc Pſalmum in Gẽtes quibus hodie Iiſrael ſeruit, compoſitum autumant: R. Schlomoh hunc in Nebucadnezar: & æmulum eius LITI, in Titum. Nos D. Paulum ſequuti ad Romanos 3.h.10, intelligimus vtrunque & ad Iudæos pertinere: quòd mẽtio eorum hîc fit qui populum Dei ceu panem exedunt. Ab. Ezræ argumentum eſt in Ethnicos, qui opprimant & vorent Iudæos, Pſalmum hunc dictum. At quid queritur Dominus in Micha 3.a.1, de capitibus & principibus domus Iiſrael, comedifſe eos carnem populi ſui, excoriaſſe eos, oſſa eorum confregiſſe, atque ceu in ollam coquenda diſpoſuiſſe? Nec offendit quòd precatur populi Dei captiuitatem finiendam. Verè ſiquidem dum ſceleſti rerum potiuntur, ac pro libidine ſua innocẽtes diripiunt, & vt habet Pſalmus, exedunt, populus Dei captiuus tenetur, & quidem ab ipſiſſimis Ethnicis, quibuſcunque ii ſint ceremoniis initiati. Neque enim ceremoniis, ſed fide & religione populus Dei cenſetur, de quo in verſu 16 Pſalmi 10, nonnulla diximus. De conſceleratis igitur & perditis hominibus, qui dum Schaul regnum obtinebat, bonis omnibus infeſti erant, virtutem omnem peſſundabãt, flagitia euehebant, Pſalmum interpretabimur: vnde per ſe patebit, quantum eis & in alios competat. Quæ enim Scriptura ſiue de bonis, ſiue de malis habet, ferè catholica ſunt, quòd vtrique omnibus ſæculis ſui ſimiles ſint: ſicut & Chriſtus à ſeipſo in bono, & Satan in malitia, nihil variat. Quinquageſimus tertius Pſalmus, paucis exceptis, quæ & in noſtra explanatione annotauimus, eadem quæ hic habet. Simul igitur vtrũque enarrabo. Primùm itaque omnium, flagitioſorũ fontẽ Pſaltes aperit, quum ait, *Dixit*, vel *cogitauit nequam in corde ſuo, Nõ eſt Deus.* Etenim qui verè Deum eſſe agnoſcit, exactorem eſſe virtutis & iudi-

cem ignorare non poteſt, atque ideo prauis ſuis cupiditatibus frena haudquaquā laxabit. Præcipuè tamen eo abſtẽtus, quòd ſicut Deum eſſe, ita & optimum eſſe nouit. Inde enim rapitur, vt ſummo ſtudio ipſum colat, & approbare ſe ei ſummopere ſtudeat. Hinc toties negat D. Iohan-
Iohan.4.b.8. nes in ſua Epiſtola, eum neque Chriſtum neque Patrem noſſe, qui fratrem non diligat. Certò nãque parit ex ſe Dei cognitio amorẽ eius, hinc ſtudium & imitationem. De qua re in diſputatione quam de Legibus & libero arbitrio primo Pſalmo ſubiunxi: item in tractatu de natura fidei, poſt enarrationem Pſalmi 2, quædam diſſerui. Habent quidẽ & reprobi aliquid cognitionis Diuinæ, & quantum ſatis eſt, vt omnis eis ſcelerum exempta ſit excuſatio: attamen ſolida & iuſta quæ amorem ſui ſuperet, & Dei gignat, haudquaquam illis contingit, alioqui mali perſeuerare haudquaquam poſſent. Proinde qui ſeſe flagitiis addicunt, & in quæuis ſcelera præcipitāt, primùm obfirmant apud ſe quantum poſſunt, non eſſe Deum, etiamſi id penitus perſuadere ſibi nequeant: id quod eo de ſe produnt, quòd Diuinæ vltionis metu identidem exanimantur. Inde verò euadunt inquinati mente & conſcientia, atque per omnia reprobi in ſuis ſtudiis, & operibus peſſimis planè obbruteſcunt. Hebraicè habetur נבל, ſingulare pro plurali. Id ferè vertūt, ſtultus ſiue inſipiens: neque ſine ratione. Nã Deut.32.a.6, ſapienti opponitur, populus נבל, id eſt ſtultus, & non חכם, id eſt ſapiens. Verùm nõ quamlibet ſtultitiam, ſed quæ ſit cum ſcelere cōiuncta, hoc nomine ſignificat. Nam dicitur נבלה vitium oblatum Dinah filiæ Iaacob, Gen.34.a.7: ſtuprum virginis, Deut.22.c.21: ſacrilegium ex anathemate Iericho, Iehoſuah 7.c.15: ſcelus admiſſum in vxorem Leuitæ, Iudic.19.f.24: vis illata pudicitiæ Thamar, 2.Schm.13.c.12. Hæc autem nõ tam ſtultitiæ quàm perditæ nequitiæ & peruerſitatis facinora fuere. Hinc & A-
1.Sam.25.d.25. bigail de viro ſuo, qui durus & malitioſus erat, dicebat, Iuxta nomẽ ſuum ſe habet, נבל vocatur: & נבלה, id eſt nequitia & peruerſitas cũ eo. Sic & Hoſeah 2.b.10, Et nũc reuelabo נבלות, id eſt perditam ſuperſtitionibus, & aliis vitiis vitam eius, corã oculis amatorum eius. Vt igitur folium, cui ſuccus ſuus defecit: item cadauer, eo quòd exceſſerit vita, נבל dicitur: ſic puto & nihili hominẽ, cui deſit recta ratio, veræ vitæ ſuccus, נבל nominari, de quo & in verſu 3, Pſalmi 1. Galli quoque huiuſmodi contemptibilium hominũ peſtes deteſtantes, *vieille charongne* appellare nonnunquam ſolent. Hinc ergo נבל, hoc loco nequã vertere viſum eſt. Nequitiam ſiquidem putat Cicero, in 3 libro Tuſculan. quæſt. rectè opponi frugalitati, qua dicit fortitudinem, iuſtitiam, prudẽ-
σωφροσύνη. tiam complecti: ipſam autem eſſe quam Græci σωφροσύνην, Latini ferè temperãtiam dicunt: cuius proprium videlicet eſt, motus animi appetentis regere & ſedare, ſempérque aduerſantem libidini, moderatam in omni re ſeruare conſtantiam. vnde ſicut frugalitas à fruge, qua nihil melius è terra oritur, dicta eſt: ita nequitiam ab eo vocatam exiſtimat, quòd nequicquam eſt in tali homine, ex quo idem nihili dicitur. Primus itaque gradus vitæ cõſceleratæ eſt, in animo ſtatuere, non eſſe Deum: proximus deprauare vias, id eſt nihil rectè & ordinè gerere, ita vt neceſſe eſt cupiditatum ſeruos: inde Deo & bonis euadere abominationi, ſicut ſanis malè morbidi, & putida cadauera. Hinc ſiquidem mutuata abominationis metaphora eſt, in Scripturis admodũ frequens. Vt enim recto iudicio præditis, nihil habetur virtute amœnius atque illicibilius, ita vitiis nihil illis eſt æquè execrandum atque deteſtabile. Vnde Prouerbiorum 29.d.27, Abomina-
Genes.34.d.30. tio eſt iuſtis vir prauus. Hinc dicebat Iaacob filiis ſuis Symeoni & Leui, patrata cæde Sichimitarum, & oppido eorum depopulato, Defœdaſtis me vt puteam inhabitatoribus regionis Chenaan. Audito enim quòd pace ſimulata inopinãtes contrucidaſſent, nemo non abominabatur & execrabatur homines tam ſæuos & crudeles. Hinc & Paulus odorem vitæ ſe appellabat, ad vitam electis, quòd Chriſtum illis afferret, quo nihil potuit afferri illis ſuauius atque optatius: ſed contrà, mortiferum odorem reprobis. Nam & ſcelerato abominatio eſt qui recta via graditur, in Prouerbiis loco memorato. Porrò Hebræi lectionem ſic ordinant, Deprauauerunt, ſubaudi vias ſuas: abominandum fecerunt opus, hoc eſt abominanda facta deſignarunt. Vltimum eſt, quòd nemo inter hos facit quod bonum eſt, id eſt nemo quenquam afficit beneficio. Sua enim iſti vbique etiam cum aliorum iniuria quærunt. Ieſchaiah 1.d.17, vſurpatur benefacere, pro eo quod eſt iuſtè & benignè agere cum iis quibuſcum verſeris. Idem eſt & bonum facere. Quid enim Vates bonum vocet, quàm quod Lex requirit? ea autem omnia ſic inſtitui poſtulat, vt inde ad proximos ſemper aliqua vtilitas perueniat. Inde Græcus habet, οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα, id eſt non eſt faciens bonitatem.

2 *Iehouah è cælis ſpeculans eſt ſuper filios hominum, ad videndum num ſit intelligens, inquirens Deum.*
3 *[Nam] omnis deflexit, ſimul computruerunt, non eſt faciens bonum, non eſt etiam vnus.*
4 *Nunquid cognoſcent omnes operarii prauitatis? comedētes populũ meum, comederunt panem, Iehouam non inuocarũt.*

Verſus 1, Pſalmi 53, Dixit ſtultus in corde ſuo, Nõ eſt Deus: deprauauerũt, & prauitate facti ſunt abominandi. Vocem עלילה, id eſt factum, omiſit, & עול, id eſt prauitatem vſurpauit. Senſus idem eſt. Chaldæus habet, Corruperunt opera, adinuenerunt occaſiones, non eſt qui operetur bonũ.

Sed vnde deſũpſerit illud, Adinuenerũt occaſiones: non video. In verſu 3, quod verti *periiſſe*, eſt Hebræis computruiſſe: quæ metaphora durior viſa eſt auribus Latinis. Porrò quo maiore vehementia Vates conſcelcratam & perditam eorum vitam, in quos Pſalmum cõſcripſit, deteſtaretur, inducit Deum quaſi attonitum & ſtupentem, omnes adeò à recta via deflexiſſe, ſceleribus quaſi computruiſſe, neminem prorſus, ne vnum quidem, benefactis ſtudere: nihil quẽquam cogitare, nihil cognoſcere, nullam habere mentem, cunctos vorare populum ſuum, & in his omnibus nullo penitus ſui metu exterreri, ſui nũquam meminiſſe. Et quo magis hæc rudiorum animis infigat, fingit Deum è cælis in homines deſpexiſſe, & ſpeculatum eorum vitã, vt videret num quis recta intelligentia valeret, prudentia vera quiſquam eſſet præditus, & ipſius ſolicitus, quæ ſola vera demum ſapientia, prudentia, & intelligẽtia eſt. His autem ſignificat, nihil horũ rè apud ſceleratos iſtos fuiſſe. Eũ enim qui omne bonũ eſt, omnia vnus poteſt & largitur, quis vecognoſcat, nec ſimul ſuſpiciat, veneretur, & approbare ſe illi totisviribus ſtudeat? Quòd verò rectæ intelligẽtiæ inquirere Deum, hoc eſt ſtudere Deo, cura teneri ei gratificandi coniunxit, idem eſt quod Pſalmo 111.b.10, & Prouer.1.a.3, habetur, Timor, vel reuerẽtia Dei, initium ſapiẽtiæ eſt. Quid nanque ſapere eſt, quid eſſe prudẽtem, quàm ſic videre quæ vera, quæ bona ſunt, vt bene beatéque viuere contingat? At hoc vna Dei cognitio ſuppeditat, quæ quum ſolida eſt, cõtinuò ex ſe gignit Dei ſtudium & cultum, hoc eſt vitam, ſicut omni virtute ornatam, ita & veris bonis ad iuſtam beatitudinem circũfluentem. In eo verò quòd fecit Deum è cælis deſpexiſſe, ſolita Scripturæ anthropopathia eſt. Sic Geneſ.6.b.5, Et vidit Iehouah quòd multa eſſet hominũ prauitas. Et 11 a.5, Et deſcẽdit Iehouah, vt videret ciuitatẽ & turrim. Item Geneſ.18.c.21, de Sedomitis, Deſcẽdam, inquit, & videbo an iuxta clamorem qui ad me peruenit, omnia commiſerint. In Pſalmo 53, variat tãtùm principium 4 verſus. Habet enim illud, Cuncti deflexerunt pariter, affirmatiuè: quum id hic habeatur admiratiuè, Nunquid omnes deflexerunt? Habetur etiam hic סר, illic סג, ſed ſignificatum idem eſt. Tritiſſima autem eſt in Scripturis hæc deflexionis vel auerſionis tranſlatio. Qui enim iuxta Dei præſcriptum viuit, ille ceu ſeruus Dominum ſequitur: qui illud cõtemnit, velut ſe ab ipſo auertit, & aliò deflectit. Quod ergo Vates dixit omnes deflexiſſe, idẽ eſt acſi dixiſſet, Legem Dei reieciſſe. Hinc iam ſubiicit quæ & primo verſu dixerat, nempe computruiſſe eos, & neminem eorũ, ne vnum quidẽ, boni aliquid facere. Quæ vt maiore dinoſi diceret, fecit iſta Deum de ſceleratis pronuntiare, & id poſtquam è cælis proſpexit, omniáque exactè explorauit. Quo tropo voluit clarius exprimere, illos certò & palàm fuiſſe perditos & deploratos. Eodem facit & illud non ſine energia adiectum, *Ne unus quidem*. Sic autem viuere, quũ ſit in æternam ſe perniciem vltrò præcipitare, nó abs re admirari Deum cõſequenter facit, nihil adeò illos prauitatis ſtudioſos intelligere, adeò omnes recto iudicio carere, vt qui nulla Dei ratione habita, populum eius ceu panem vorarent, hoc eſt penitus expilarent & perderent. Hyperbole enim eſt, qua ſignificat bonos ab illis perditis prorſus deſpoliatos & direptos. Durior & vehemẽtior illa eſt Mich.3. cuius memini in initio Pſalmi. Non inuocare iſtos ſceleratos Deum, vltimò ponit, quòd id radix & conſummatio ſit totius prauitatis & iniuſtitiæ. Non tentabitur ſiquidem ſcelus, niſi repudiatus ſit Dei metus: ita nec in eo perſeuerabitur, niſi idem nó redeat Fit autem ſæpe vt quis religione excluſa, graue aliquod flagitium admittat: at quia recurrit illa, abſterret rurſus à cœpto. Vt igitur ita deplorare malos & perditos iſtos Vates indicaret, vt ſublata de eis omnis reſipiſcentiæ ſpes eſſet, principium conſiliorum & actionum illis tribuit Dei negationem. Et dum recenſuit quàm prauè & perditè viuãt, vt Deo & bonis ſint velut male putẽtia cadauera, nempe inter quos nemo quicquam boni faciat, nemo quicquam penſi habeat, ſed Dei populum crudeliſſimè deuorent: rectè ſubiecit eos non inuocare Deum, id eſt nullam prorſus Dei curam habere, nihil ab ipſo expectare, nihil petere. Quum *Inuocare Deum.* enim Dei cognitio efficiat vt Deum identidem homo nominet, virtutem eius prædicet, atque in omni neceſſitate inuocet, eiúſque opem imploret: quum Vates negauit iſtos in quos hîc ſcripſit, Deum inuocare, per ſynecdochem dixit eos omnis religionis inanes, metúque Dei vacuos, quamlibet ſceleratè & perditè viuerent. Cæterùm קרא יהוה & קרא בשם יהוה, id eſt inuocare Iehouam, & inuocare nomen Iehouæ, pro cultu Dei in Scripturis accipitur. Vnde quum Geneſ.4.d.26, ſcribitur, nato Enoſcb cœptum inuocari nomẽ Dei, idem valet atque Cœptus eſt Dei cultus. Ita quum ſubinde de Abraham ſcribitur, extruxiſſe aras, & inuocaſſe nomen Iehouæ, nihil aliud dicitur quàm inſtituiſſe eum loca colendi Dei, & ibi eum coluiſſe, nomen eius prædicaſſe, ad timorem eius inuitaſſe, tum ibi litaſſe, & fidem ſuam eſſe teſtatum. Chaldæus reddidit, Nomẽ Dei non prædicarunt. Porrò ex eo quòd hîc populi Dei mentio fit, quem vorãt perditi, inter quos non eſt qui bonum faciat: patet non de vniuerſo hominum genere Pſalmographum hoc dixiſſe, ſed de iis qui omnem ex animis ſuis Dei curam reiecerũt. Quanquam verum ſit omnes nos naſci filios iræ, & niſi Spiritu Chriſti detur renaſci, nihil boni nos vnquã facere, hic tamen

non hoc agit Pſaltes, ſed deplorat potius eorũ peruerſitatem qui ſuo tempore rerum potiebantur,& innoxios vaſtabãt. Neque diuus Paulus ſingulos Iudæos & Græcos, his teneri malis, adducto hoc Pſalmo & locis aliis,in Epiſtola ad Rom.cap.3.b.10 probare voluit: ſed potius vt ſuprà dixi,& apud Iudæos ita omnem pietatem apud bonam partẽ concidiſſe,vt hæc & in eos quadrarent:quique his malis liberi eſſent,eos id fide conſequutos eſſe.

5 *Ibi trepidauerunt trepidatione, quia Deus in natione iuſta:*

6 *Conſilium afflicti irriſerunt,quia Iehouah tutela eius.* Pſalmus 53,verſum tertium totũ nõ habet:& hũc
ſextũ hoc modo,Illic trepidarunt trepidatione:non fuit trepidatio,quia Deus diſperſit oſſa obſidentis te:contemnes,quoniam Deus ſpreuit eos. Satis patet Vatem deſcripta verſibus ſuperioribus malitia & vita perdita eorum in quos hunc Pſalmum compoſuit, nunc imminentem eis vltionem prædicere. Quod verò ait, Illic, Kimhi deſignari locum putat vbi potentia & ſuperbia ſua ſeſe extulerãt: & Abr.Ezra, Vbi bonis fuerant moleſti,& populum Dei vorauerãt:quod in idem conuenit. Videri etiam poſſit Vatem ſignificare voluiſſe,ſe iam præuidere vbi eſſent illi pœnas daturi & pauore exanimandi,qui tum omnibus formidabiles imminebãt, ſicut Pſal. 2,ſe induxit videre iam tẽpus quo Deus eſſet hoſtes Chriſti ſui perterrefacturus , quum cecinit, Tunc loquetur eis iratus,&c. Quod autẽ in Pſalmo 53 ſequitur,Non fuit pauor:occaſionem dedit vt noſtri ferè legerẽt, Expauerunt pauore vbi non erat pauor: id eſt aliqua pauoris cauſa,
Leuit.26.f.37. quaſi fruſtra timuerint, vt cum illo Legis cõueniat, Fugient vt à gladio homines fugere ſolent,
& cadent nemine inſequente. At Ezra intellexit locum hunc vt verti, Non fuit pauor,ſubaudi vnquam tantus.& putat ſimile illud apud Ieſcha.23.c.13,En terra Chaldæorũ,iſte populus non fuit,&c.ſubaudit enim,populus huic ſimilis. Id tamẽ alii aliter intelligũt. Verùm hoc ſatis cõſtat,Pſaltem prædicere hîc voluiſſe, fore vt ſupramodum perterrefierent ſceleſti,qui nec homines,nec Deum metuebant,& populum Dei immaniter deglubebãt:ſiue per hoc,Non fuit pauor: intellexit,nullum pauorẽ parem fuiſſe:ſiue quòd metu eſſent exanimandi,etiam vbi nulla foret metus cauſa. In Abr. Ezræ verò ſentẽtiam ideo inclino, quia non vanam vltionis opinionem, ſed vltionem veram, multóque diriſſimam iſtis voluiſſe Prophetam prædicere , veriſimile eſt, præſertim quum fecerit eos omnium perditiſſimos. In Lege quidem prædictum eſt tranſgreſſores Legis Diuinæ & id mali experturos,vt à moto arboris folio conſternarentur, & fugerent nemine perſequente:ſed inter & poſt alia ingentia mala,quibus ita atterendi & frangendi antea eſſent,vt inde tam meticuloſi & trepidantes redderẽtur. Certè quum Vates ſubiecerit,Nã Deus diſperſit oſſa obſidentis te: quod vtique ad populum Dei quem deplorati illi vorabant,dixit: ipſe ſatis indicauit,ſe deploratis iſtis populi Dei voratoribus & obſeſſoribus haudquaquam vanum metum prædicere,ſed verum, ſed ex re ipſa natum,vt quos Deus eſſet ita confracturus, vt & oſſa eorum diſpergerẽtur. Quòd autem pauorem iſtis prædixit,& quidem incomparabilem, oppoſuit incomparabili eorum ſuperbiæ & inſolentiæ,qui neque Deum,neque homines vel tãtillum metuebant.quaſi dixiſſet illis,Iam ſecure populum Dei voratis, & omnia veſtræ potentiæ addicta putatis: Deum eſſe qui arrogantiæ & crudelitati veſtræ modum poſiturus ſit negatis:quicquid incidat,veſtris vos confecturos viribus confiditis: Deum nemo veſtrum inuocat: erit breui,vt re ipſa ſenſuri ſitis,eſſe Deum & ſcelerum veſtrorum vltorem, & ſui populi quem voratis defenſorem. Expauebitis adhuc,& ego iam præuideo vbi:atque ita pauebitis, vt ſimilis pauor nõ fuerit. Sequitur,Cõtemnes:nimirum illorum minas & ſuperbiam:nam Deus ſpreuit eos. Quos ſiquidem Deus ſpernit & reiicit , bonis & Deum timentibus, furoribus ſuis prodeſſe ſemper,nunquam autem obeſſe poſſunt. Cum Deo igitur qui verè credunt,rident horum conatus, ſciẽtes breui fore vt impietatis ſuæ pœnas perſoluãt, nemini amplius præterquàm ſibiipſis moleſti futuri. In præſenti autẽ Pſalmo, nulla alia cauſa metus malorũ redditur, quàm quòd Deus eſt in natione iuſtorũ. Quia enim inter iuſtitiæ cultores Deus habitat, ipſum laceſſunt qui his negotium faceſſunt, id non poteſt illis non tandem perniciem afferre ſempiternã. Porrò Deum inter ſuos habitare ipſorum vindicem , præter alia loca , Leuit.26.b.11, ampliter promiſſum eſt. Chaldæus habet hîc, Ibi timore timuerunt mendacium,quod nõ decebat timere,quoniam verbum Dei in generatione juſtorum. In Pſalmo autem 53, Ibi timuerunt timore ab idolis eorum,& non eſt in illis cauſa qua timeantur,quoniam Deus diſperdet robur exercituum peccatorum: erubuerunt,quoniam verbum Dei abiecit eos . Græcus quoque vtrobique habet, Timuerũt timore vbi non erat timor. D.Hieronymus in hoc Pſalmo vertit vt Hebræa habent,Ibi timebũt formidine,quoniam Deus in generatione iuſta eſt. At in Pſalmo 53,ſic reddidit,Ibi timuerunt timore vbi nõ eſt timor. Porrò ex verbis præſentis Pſalmi nihil huiuſmodi habetur,nec argumento vtriuſque Pſalmi aliud magis quadrat, quàm vt intelligamus Prophetam impiis Sanctorum oppreſſoribus,qui dum eis ſua improbitas ſuccedit,nec Deum,nec homines verentur,ſummũ prædixiſſe metum: & cum hinc,quòd Deus in natione iuſta eſt, eos

defendit,& tandem eorum hoſtes perterrefacit, & metu conficit.Et ſi illud Pſalmi 53,ſic reddere libeat, Timebunt vbi non eſt timor: malim & ipſum iuxta comminationem Legis intelligere:nempe ſic improbos diuinitus perterrefaciendos, vt iugi metu concutiantur atque exanimentur:adeò vt ibi quoque ſibi timeant vbi nihil eſt formidabile, vt à folio arboris exterreantur.Non iuero tamen inficias,hoc quoque proprium impiis eſſe,ſuperſtitionibus teneri,& ibi religione moueri vbi nulla huius cauſa eſt: interim autem pro libidine ſua ferri,omni metu Numinis reiecto,vbi præcipua Numinis ira metuẽda eſt. Septimus verſus quẽ Pſalmus 53,nõ habet,cauſam cur ſceleſti illi populũ Dei,omni adeò reiecta humanitate, repudiato omni Dei metu vorẽt,magis explicat. Irridẽt enim quòd fiduciam ſuam ille in Deo collocat,quia Deum eſſe ipſi negant,& inuocare eum,ſtultum arbitrantur: quod conſilium afflictus, id eſt quiſque è populo Dei,ſolum habet & ſequitur. Dicunt ſiquidem ſceleſti illi dum afflictos huiuſmodi & miſeros diſcruciant,& in ſua iam habere manu putant,quod Pſalmo 22.b.9,habetur, Deuoluit cauſam ſuam ad Deum:eripiat eum,liberet eum, quandoquidem eo delectatur. Et haud ſcio an hunc verſum de ſeipſo Dauid cecinit, qui afflictus & extorris erat,omni humano præſidio deſtitutus,ab hoſtibus autem obſeſſus,& ſolo Dei præſidio fretus. Id autẽ quum mallet,quàm malis eſſe ſupplex, & à Deo deficere, conſilium hoc eius impii qui interim in ſublimi ferebantur, contemnebant & ridebant,putantes his ſtultum ſuam cauſam committere Deo,quem nullum eſſe ipſi ſibi perſuadere conabantur. Certè veriſimile in Pſalmo 53,illud, Diſperget oſſa obſidẽtis te,& contemnes:ad Dauidem dictum eſſe. Porrò hodie vt omnibus ſeculis ingens numerus eorum qui dum omnia in hoc ſeculo poſſe videntur, & Sanctos ſuæ libidini obnoxios habere, horum conſilium,qui præſidium Dei præſidio hominum præferunt,ſtultum putant,& ſecurè rident. Ab his ſanè prouerbium natum eſt,actum eſſe de illo,qui Deo cauſam ſuam commiſerit. Huc Chriſtiani promouimus,quorum ſalus nullo alio debebat conſilio inniti, quàm quòd omnem in Deo fiduciam collocaremus, & eius ſolius præſidio omnibus in rebus niteremur.

7 *Quis det è Siion ſalutem Iiſraeli? Iehouah conuertente captiuitatem populi ſui, gaudebit Iaacob, lætabitur Iiſrael.*

Quis det,Hebræis idem valet atque Vtinam. Sic Numeri 11.f.29, Quis det omnem populum Iehouæ eſſe Prophetas? quod idem eſt atque, Vtinã ſint omnes Prophetæ. Petit autem è Siion aduenire ſalutem,& eam qua vertatur,id eſt ſoluatur captiuitas populi Iiſraelis. Nam Siion occupata,atque inibi regno firmato, Dauid cœpit iudicium & iuſtitiam facere omni populo: vnde ſolida demum Iiſraeli libertas cõtigit. Senſus itaque eſt, Dum impii iſti rerum potiuntur,pauperes Domini vorant,& faciunt omnia habere miſerrimè. O vtinam igitur regnũ Siionis obtineat,vt inde auxilium feratur oppreſſis, & peſſundentur impii. Id autem ſolus Iehouah præſtiterit:ab hoc ergo hãc tantam fœlicitatem opto. Tum demum Iaacob,verúſque Iiſrael, id eſt Sancti gaudebunt & lætabuntur,quum Iehouah ipſe captiuitatem populi reſtituerit, hoc eſt eos impiorum tyrãnide exemerit,tyrannis extinctis. Huius voti compotes Iiſraelitæ olim euaſerunt,quũ Dauid Siioni regnans,iudicium & iuſtitiam omni populo faciebat. Hic ſimplicior & germanior ſenſus videtur: nec offendit athnaehtha poſitum ſub יוּ. ſuprà enim dictum, ſæpe cõmatis vel coli vice poni. At verò hæc regnãte Dauide fœlicitas, vmbra fuit regni Chriſti quod in Siion cœpit,& veram plenámque libertatem omnibus electis per orbem attulit. Quia ii demum verè liberi,quos Filius liberauerit, Iohan.8.e.36. De his in Pſalmo ſecundo,ac etiam in tractatu de libero arbitrio,adiecto enarrationi Pſalmi primi,plura. Et ex hoc regno Chriſti, dum electos ipſe Spiritu veræ libertatis,Spiritu filiorũ donat,vt plena cordis fiducia Deo acclament Abba Pater, certi omnia ſibi ſaluti eſſe, ſolidum quoque & proprium contingit Sanctis gaudiũ. Tum verè gaudet Iaacob,& lætatur Iiſrael. Quis enim nõ perpetuò gaudeat & exultet, quicquid incidat, qui certus ſalutis æternæ, certus ſit vitæ beatæ:id quod præſtat vera in Chriſtũ fides,hoc eſt municipatus regni Siionis? Iã fides hæc nititur teſtimonio Spiritus ſancti, noſtro ſpiritui teſtimonium perhibentis,nos Dei filios & hæredes eſſe.quo teſtimonio quid queat magis indubitatum fingi? Hoc itaque freti Sancti cum Paulo gloriantur,nulla prorſus re dilectione Dei ſe poſſe deſtitui. Rom.8.g.38. Hinc Iohãnes in Epiſtola ſua ſcripſit, Nos ſcim⁹ quòd ex Deo ſumus. Nunquam ſanè verè gaudebit Iaacob,& lætabitur Iiſrael,niſi hac fide,hac certitudine,hac plerophoria donatus. Sed quid opus hæc aſſerere verbis,quum res tota hæc nitatur eo de quo dixi, imò Paulus ſcripſit, Spiritus ſancti teſtimonio? Id quibus adfuerit, hos ita ſanè de beneuolentia Dei perſuadebit,vt ne ſuperi quidem diuerſum probare illis poterint. Hæc qui nondum apud ſe ſatis excuſſerit, legat quæ D. Paulus Romanorum quinto ab initio,& octauo verſus finem ſcripſit, tum ſuum ipſius animum examinet: non puto latebit eum, ſiquid à Domino acceperit. Id verò ita tum mentem eius tranquillam reddet atque gaudentem. pax enim & gaudium inſeparabiles fidei fructus ſunt, vt nequaquam peruerſa ſecuritate torpeſcat, & cupiditatibus ſuis fræna laxet,ſed quo de tam benigni erga ſe Dei dignatione gaudebit effuſius,&

nitetur ſecurius,eo amore eius inardeſcet quoque vehementius,& impelletur ad omnia pietatis officia efficacius.Oremus ſedulò vt adueniat Dei regnum, vt iuſti Siionis ciues ſimus. Verùm hæc nobis nullis rationibus humanis, ſed beatorum experimento Spiritus conſtare poterunt.

PSALMVS XV, in genere miſto, *διδακτικός.*

ARGVM. *Quibus oporteat eſſe moribus præditos ueros cælorum ciues, & Eccleſiæ Dei municipes, hoc Pſalmo deſcribitur.*

PARAPH. 1 ODa Dauidis. Iehouah quis deget in tabernaculo tuo? quis ſedem habebit in monte ſancto tuo?
2 Qui viuit innocenter,ſtudet iuſtitiæ,& ex animo vera loquitur:
3 Non obtrectat lingua ſua,nulla de re lædit proximum ſuum,neque quod pro
bro illi ſit iactat.
4 Auerſatur quicunque iure reiiciuntur:eos autem qui Iehouam colunt, hono
rat:quódque iurauerit,etiamſi id damnoſum ſibi ſit,animum tamen nõ mutat.
5 Pecuniam ſuam non exponit fœnori , munus aduerſus innocentem nullum
accipit.qui his rebus ſtuduerit,is in æternum nunquam nutabit.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 P*ſalmus Dauidis.Quis morabitur in tabernaculo tuo? quis habitabit in monte ſancto tuo?* Ex bis quæ Pſalmus bic requirit in eo cui locus in tabernaculo Domini & mõte ſancto eius pateat, ſatis aperte indicatur à Vate regnũ Dei,regnum cælorum,beatam Sanctorum concionem,per tabernaculum & mõtem ſanctum allegoricῶs ſignificari,ſicut ſuprà Pſalmo 11,cælos,per templum.In tabernaculo fœderis quod regnante Dauide in mõte Siion erat, Deus ſe peculiariter præſentẽ populo Iiſraeli exhibebat. Interiorem igitur illam,& beatiorem Dei in Sãctis præſentiam adumbrauit,atque ideo pro illa per allegoriam non abs re poſitum eſt. De vera autem electorum Eccleſia,& legitimo in ea municipatu hic Vatem canere,& illud quod in fine adiecit argumẽto eſt.Qui his ſtuduerit, nunquã in æternũ nutabit. Interrogauerat quis eſſet in tabernaculo Domini,& monte ſancto habitaturus: quúmque enumeratis virtutibus,quibus eiuſmodi oporteat pollere,debuiſſet ſubiicere,Qui his ſtuduerit,habitabit in monte ſancto,in tabernaculo Dei:dixit,Is nõ mouebitur,nõ nutabit.Ergo pro eodẽ accipit,non nutare,& in tabernaculo Dei locũ babere,eſſéque ciuem in Eccleſia Dei. Atqui nunquam nutare, ſed æternum ſibi conſtare,eóq; æterna vita donatum eſſe, non eſt niſi eorum qui electi ante conditum mũdum, veram in Deũ fidem nacti ſunt,& nõ bœdi,ſed oues veræ Cbriſti exiſtunt. Vtcunque igitur in Eccleſia & bœdos ferri à nobis oporteat,& non ſint ante meſſem zizaniæ cunctæ euellẽdæ,quòd nequeat hic Eccleſia penitus reprobis purgari, re vera tamen & apud Deum,ii tantùm de eius Eccleſia ſancta cenſentur, qui electi ad vitam eo Spiritu donati cælitus fuerint, vt innocentiæ & omni virtuti ex animo ſtudeant,ac ita è beatis Chriſti nuptiis,& cæleſti tabernaculo eius nunquam eiici poſſint.quod hic Vates,per Nunquam nutare,expreſſit.Ad eundem modum & Seruator loquutus eſt quum dicebat,Amẽ dico vobis,quicunque regnum Dei nõ vt puer acceperit, non ingredietur in illud.En quidam regnum Dei accipiunt,nec tamen ingrediuntur in illud. Accipiunt illud quidem apud homines qui cordis penetralia non poſſunt peruidere:verè autem & approbante Deo,in illud baudquaquã perueniunt.Nam quum reprobi ſint,animo nunquam in verba Cbriſti iurant,cum regem ſuum verè nunquam agnoſcunt,veræ iuſtitiæ, pacis & gaudii in Spiritu ſancto, in quibus ſitum regnum Dei Paulus Rom.14.c.17 prædicat, nunquam euadũt participes. Vtique eſſe regni cælorum ciuem,& ſuum diſcipulum,Chriſtus pro eodem accipit. Quum itaque ipſe pronuntiarit, neminem ſuum diſcipulum eſſe poſſe, niſi qui abnegauerit ſemetipſum,tulerit ſuam crucem,& ipſum ſectetur,ſatis liquet,neque alios ipſi regni ſui ciues baberi.Atqui quota eorum qui bodie Chriſti nomen iactant,& in Eccleſia eius eſſe videntur,portio eſt,qui huc vt peruenirent, vel ſemel ſeriò cogitauerunt:Nemo ergo ob ceremonias fruſtra animos tollat:ſed ex boc Pſalmo quilibet diſcat,quis cẽſus ciuitati Dei idoneum reddat,& quibus præditum virtutibus atque ornatum eſſe dotibus cæli ciuem neceſſe ſit.Deus veritas eſt,veris tantùm apud eum proficitur . Certè Hieronymus in Epiſtolam ad Pbilemonem, adeò non agnoſcit,de Eccleſia verè eſſe eum qui ſanctus nõ eſt, vt dicat illum qui huiuſmodi Eccleſiæ inſerat,Cbriſtum violare, Siquis,inquit,hominem qui ſanctus non eſt, ſanctum eſſe crediderit,& Dei eum iunxerit ſocietati,Chriſtum violat,cuius membra ſumus. Hæc ſententia tanti proceribus Eccleſiæ habita eſt olim, vt eam decretis Põtificiis inſeruerint.Legitur enim in Canone, Siquis,quæſt.3. Nemo tamen ob hæc exiſtimet, negari à nobis de Eccleſia eſſe peccatores:in futuro ſiquidẽ,non modò,illa omni ruga & macula carebit.Eos tantùm dicimus apud Chriſtum non haberi de Eccleſia,quibus dicet olim, Amẽ dico vobis,nunquam noui vos:qui nihil pror-

ſus fidei & dilectionis habuerunt. Quos tamē oportet nos in Eccleſia ferre, donec manifeſtis ſceleribus mereantur inde eiici. Vnde Auguſtinus de Ciuitate Dei, libro 18, Eccleſia præſens ædificatur ex bonis & malis, ſed cæleſtis ex electis ſolùm. Sed de his plura infrà in Pſalmo 24.

2 *Ambulans innocens, & faciens iuſtitiam, & loquens ueritatem in corde ſuo.* תמים, quod innocentem verti, ſi adiectiuum ſit, quod Ab. Ezræ videtur, ſubaudiēdum erit דרך, id eſt via: vt quod Vates hîc dicit, idem ſit cum illo Pſalmi 101.b.6, Et qui ambulat in via תמים, id eſt ſimplici, hoc eſt viuit innoxio inſtituto, is mihi miniſtrabit. Si verò vt ſubſtantiuum accipitur, quod Kimhi non diſplicet, idē valebit atque illud Pſalmi, Ego בתמי, id eſt in innocētia mea ambulaui. Vtrovis autē modo accipiatur, id ſatis liquet, inter ea quæ municipatus cælorum requirit, hoc à Vate primum poni, ambulare, id eſt viuere innocenter, ſimpliciter. Vertunt hanc vocem תמים, alii integrum, alii immaculatum: ſed vt Kimhi rectè tradit, ſignificat eum qui miſſa prudentia filiorum huius ſeculi, hoc eſt verſutia & calliditate ſibiipſi proſpiciendi, & ſua quærendi, innocuam & ſimplicem vitam degat, à cura & proſpectione Dei in omnibus pendēs: qualis erat Iaacob, de quo habet Scriptura, Geneſ.25.d.27, Et Iaacob vir תם, id eſt innocuus, ſimplex, minime vafer & verſutus, habitans in tabernaculis. De Eſau enim præmiſerat quòd venator fuerit, atque amans ruris. quo notauit eum callidiorem, & in ſuis negotiis magis catum atque ſolertem extitiſſe: Iaacob verò vt quietis amantiorē, ita ad res vitæ huius rudiorem, minúſque circunſpectum. Hinc Abimelech, Gene.20.a.5, dicebat vxorē Abrahæ ad ſe tranſtuliſſe בתם, id eſt in innocentia cordis ſui, hoc eſt imprudentem. Sic quum Scriptura eos qui cum Abeſchalom Hebron petebāt, coniurationis inſcios dicere voluit, eodem verbo vſa eſt, 2. Schmu.15.b.11. Cæterùm integrum hac eadem voce ſignificat: ſed vbi ad mores transfertur, ita integrum ſignificat qui non ſit fraudulentis & verſutis conſiliis velut partitus & imminutus. Vafri enim & cati homines qui ſuis tantùm commodis ſtudent, nunquam ſeſe totos exhibent, ſed diuidunt, facie & verbis beneuolos ſe profitentur, corde autem & re ipſa ſua tantùm quærunt & curant. Ita erga Deum ceremoniis religioſi ſunt huiuſmodi, animo autē & omni reliqua vita impii. Ante omnia itaque poſcit Deus vt abſit omnis fucus, vt totos & integros nos tum ipſi, tum proximis addicamus. Sic integro, ſimplici & ſyncero animo viuere, eſt ambulare ſiue in via מתהלך תמים, id eſt inſtituto ſimplici, ſiue in ipſa ſimplicitate. Faciens iuſtitiam, idem eſt quod ſtudens iuſtitiæ, deditum eſſe actibus iuſtis, vnde & Deo gloria & proximis vtilitas proueniat. De hac iuſtitia diximus in verſum quintum Pſalmi primi plura. Loqui veritatē in corde, nihil aliud eſt quàm, vt verti, ex animo veritatem loqui, hoc eſt fide optima omnia cum proximis agere, promiſſis nunquam deeſſe, neque aliud ſimulare verbis, aliud ſpectare animo. Quæ veritas, fides Latinis dicitur, & diffinitur à Cicerone Off.1, dictorum conuentorúmque eſſe conſtantiam & veritatem, quam & iuſtitiæ fundamentum iure vocat. Vnde & Scriptura ipſam vbique ferè cum iuſtitia coniungit: & vbicunque concidiſſe illam queritur, & huius ſimul caſum deplorat, vt Pſalmo duodecimo, & aliis multis.

3 *Non detulit lingua ſua, non fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non tulit ſuper proximo ſuo.* Verſu ſecūdo cecinit Vates, quibus cæli ciues deditos eſſe: hoc iam memorat, à quibus neceſſe ſit eos alienos eſſe. Primúmque malum illud notat quod plus quàm credi queat nocet, & tamen ita apud omnes obtinet, etiam eos qui ſibi boni & ſancti videntur, vt nullum aliud & latius pateat, & minus animaduertatur. Quid Chriſtiano optabilius eſſe debeat, quàm veræ cōſeruatio amicitiæ? huic autem nulla eſt nocētior peſtis, atque dum quodcunque malum viderint, audierintve homines, idque plerunque vanum, ad alios illico deferant. Summè igitur hoc cauendum & deteſtandum Chriſtianis. At quodnam colloquium, quæ cœna, qui conuentus habetur, vbi hoc malum, alienorum peccatorum denarratio, non irrepat, bonámque confabulationis partem occupet, ſi non ab ouis, quod aiunt, ad mala vſque ſolum regnet? Adeò φιλοψόγος eſt, vt ille inquit, id eſt obtrectationis amans lingua hominum. Quódque quis in ſilentio admittit, id continuò audit in triuiis. Et tolerandum, ſi ſemper verum, & non vel in totum confictum, vel ei plurimum foret affictum. Atqui ex theſauro cordis bono, non poſſunt niſi bona & ſalutaria colloquia depromi: & qui bono corde deſtitutus eſt, cæli ciuis eſſe nequit. Dei ſumus, & Deus in nobis, ſi modo Chriſtiani ſumus: quî fit igitur vt ὁ διάβολος id eſt obtrectator & calumniator ſpiritus, primas in ſermone noſtro habeat? In carne quidem hac nihil boni eſt: ſed hanc domatā, & regnare Spiritum, qui omnia ad ædificationem loquitur, oportebat. רגל quo verbo Vates hîc vſus eſt, plura quidē ſignificat, ſed hic accipitur vt 2. Schm.19.e.27, vbi Mephiboſeth filius Schaul apud Dauidem querebatur, ſe à ſeruo Siba falſò delatum, וירגל inquit, id eſt detulit ſeruum tuum apud regem Siba. R. Schlomoh, qui Gallus fuit, ſcribit id eſſe quod *Acuſer* Gallicé. Nec fecit proximo ſuo malū: id eſt nulla in re læſit. Sicut nanque ita moderari linguam decet Chriſtianos vt nihil prorſus loquātur quod non & gratiam & vtilitatem adferat audientibus, Dei verò gloriam il-

luſtret:ita nihil fieri quoque ab eis debet quod nõ ſit vſui iis apud quos verſantur, & nomẽ Dei ſanctificet. Sic enim lux fidei in nobis lucere debet, vt viſis,& in ſuam vtilitatem perceptis noſtris bonis factis, Patrẽ noſtrum homines prædicent qui in cælis eſt, & inde Spiritum ſuum omnis boni autorem nobis miſit. Matth.5.b.16. Sic & Paulus Coloſſ.3.c.17, quæcunque verbo vel facto gerimus,hortatur vt ea in nomine Domini Ieſu geramus, gratias agẽtes Deo & Patri per ipſum. Hinc videant ii qui non leue modò ducunt fratres læſiſſe: ſed ſæpenumero gaudent etiam quàm longè id abſit ab inſtituto ciuium ciuitatis cæleſtis. Nihil cuiquã mali facere,nulla in re quenquam lædere, beneficiis autem afficere quoſlibet,id demum eſt officium Chriſtianorum,& ciuitate donatorum ſuperna. *Et opprobrium non tulit ſuper proximo ſuo.* Admodum amphibolum hoc eſt. Poſſumus enim interpretari, non aſſumit, non fert quod proximo ſuo probro ſit:non conuiciatur ei, vt נשא ad eum modum hîc accipiatur, quo Exo.20.b.7, לא תשא את שם יהוה, id eſt Non aſſumes, hoc eſt non nomines nomen Iehouæ ad rem falſam. Item Exodi 23.a.1, Ne aſſumas,ne proferas auditum falſum. Et in hac ſententia ſunt Abraham Ezra & Kimhi, qui & adductos locos allegant:cum quibus & verſus 4, Pſalmi ſequentis conuenit, Non aſſumam,id eſt non memorabo nomen eorum, &c. Abraham Ezra autem, & aliam huius loci interpretationem adfert, hãc, Non adfert opprobrium ad proximum ſuum: id eſt nihil committit quod opprobrare illi vicini & proximi poſſent. Ego verò haud ſcio annõ & ſic intelligi hoc dictum poſſit, Non ſuſtinet, non fert opprobrium ſuper proximo ſuo, id eſt vindicat eum opprobrio, dum eo iniuria afficitur,& defendit. Videri enim poſſit Vates in eo quod dixit,Nõ defert:item, non facit malum proximo ſuo: & hoc dixiſſe,Non conuiciatur ei, haud temere accuſat vel infamat proximum ſuum. Tum ſequitur,contemni ab eo eos qui nihili ſunt,& iure contemnuntur,eo quòd honoret timẽtes Deum. Inter hæc ergo videtur hoc officii non ab re medium poni, defendere proximos ſuos, dum ab aliis falſis criminibus petuntur, & iniuria infamantur. Et verbum נשא multis locis tolerare & pati ſignificat. Vt infra Pſalmo 69.b.8, & Iirmeiah 31.d.19,Propter te נשאתי,id eſt ſuſtinui opprobrium. Item Ieſchaiah 1.d.14, inducitur Dominus dicens, Defatigatus ſum ferendo falſas veſtras,& prauo corde adhibitas ceremonias. Hunc certe ſenſum & Chaldæus & Græcus amplexi videñtur.Nam ſic habet ille,Et opprobrium non ſuſtinet ſuper propinquo ſuo.Hic,Non accepit opprobrium aduerſus proximos ſuos. Sed ſi Hebræos ſequamur,nihilominus conſtabit quædam in hoc verſu gradatio.Primum erit,non deferre falſò,hoc eſt verbis lædere:proximum, nihil mali facere,id eſt non lædere facto:tertium, famam proximi tueri, & non efferre quæ probro ſunt, etiamſi verè ea obiici proximo poſſint. Vtcunque autem habeat præſens Pſalmi huius dictum,ex præcipuis tamen veræ dilectionis officiis hoc ipſum eſt,famam fratris defendere,& nullum quod depellere poſſis,eius opprobrium ferre.Nomen honeſtum optabilius eſt ampliſſimis diuitiis, & gratia bona potior argento & auro, Prouerbiorũ 22.a.1. Vt igitur quiſque ſibi gratiam & famam apud bonos ſaluam optat & defenſam,ita debet ei & alterius fama & gratia curæ eſſe. Sancti nihil quidem ſui cauſa vel ſecundam famam,vel hominum gratiam morãtur: at quia ſine his proximis prodeſſe ſatis nequeũt, etiam Paulus hortatur dare operam ne vel apud Gentes male audiamus, vtcunque id vitari in totum nequeat. Odit enim nos mũdus,vt & Seruatorem odio habuit: quare bene de nobis nec ſentire,nec loqui poteſt.In Lege ſua cauit Deus,Nequis oberret obtrectator, Leuit.19.c.14.Quis ergo hoc malum auertere, & innocentem defendere poterit, qui id nõ faceret,ſi quidem timeat Deum,& fratris ſui veram dilectionem habeat? Sunt in hoc verſu duæ voces,quæ ambæ proximum ſignificãt,hoc eſt vnumquenque quocum verſeris,רעהו,& קרבו, alterum à conuictu,alterum à propinquitate & conſuetudine deductum eſt. Hoc per illum reddidi, quum prius per proximum expreſſiſſem.

4 *Deſpectus in oculis ſuis contemptus eſt, timentes Iehouah honorabit: iurabit ut affligat, nec mutabit.* Primam huius verſus particulam Abr.Ezra & Kimhi ſic accipiunt, quaſi de cæli ciue hîc Vates prædicet, eum in ſuis ipſius oculis contemptum vilẽmque eſſe, quamlibet laudatè viuat. Me autem mouet,quòd ea officia cælis deſtinati hominis Pſaltes recẽſet quæ proximo exhibentur,in quibus tota ſcilicet Lex perficitur,omniſque vitæ beatæ cõſummatio ſita eſt:tũ & antitheſis illa timentium Deum quibus non potuit Vates commodè opponere cæli ciuem, cui omnia virtutum ornamẽta tribuit,ſed potius malos & nihili homines:hæc inquam me mouent, vt hic malim in R.Schlomoh,quàm Abr.Ezræ & Kimhi ſententiam deſcendere,& intelligere, deſpici à ciuibus cælorum eos qui ob improbitatem verè deſpicabiles ſunt. Hos ferè ſolos mundus habet in pretio,& plerunque omnia poſſe videntur, vt non parum à Sanctis ſæpenumero peccetur, his nimium deferendo.Quotus enim quiſque eſt qui pauperi, ſed innocenti & timenti Deum, ita inſeruire promptus ſit vt principi viro, etſi multis vitiis laboranti, & ſæpe omnis religionis vacuo: Iam vnus Deus à nobis reſpiciendus erat,cunctis hominum perſonis cõtemptis:vt quan-

Quomodo mali a bonis debeant cõtemni.

tum velit Deus cuique à nobis tribui, tantum cuique tribueremus. Iis qui in magiſtratu ſunt, etiam impiis, plurimum deferendum eſt, quatenus Dei vicarii ſunt, ob poteſtatem publicam: ſed id vt inde neque Dei gloria, neque proximorum ſalus poſthabeatur. Sic quantum in vnoquoque Dei animaduerterimus, tantum honoris illi impendendum eſt, vt tamen quod & in aliis Dei eſt, minime lædatur. Quod ergo Vates dicit, Deſpectus eſt in oculis eius cõtemptus: ſic accipio, Qui ob ſcelera ſua meretur contemni, eum pius auerſatur, quamlibet magna potentia & dignitate apud mundum polleat. Non auerſatur quidem eum vt quicquam officioſum ei ſubtrahat quod debeatur, quum & hoſtibus ſuis qui non poſſunt non ſcelerati eſſe, inſectantes odio iuſtum, nouerit benefacere, idque ex vera dilectione: at ſic auerſatur, vt eius improbum cõuictum, quãquam ſibi lucroſum, faſtidiat & declinet: vt quum arguẽdus eſt, audacter ſuper malis ſuis eum obiurget, vt veritatem in omnibus contra eum animoſè defendat. Contrà, timentes & colentes ex animo Deum in pretio habet. His vt fidei domeſticis eo quòd negligãtur & dãnentur à mundo, peculiariter benefacit, familiariter ſe illis iungit, confidẽter innocentiam eorum tuetur: vtque plus Dei in illis agnoſcit, ita plus quoque bonoris eis impendit. Græcus conſentit, babet enim ἐξουδένωται ἐνώπιον αὐτοῦ πονηρευόμενος. nec diſſentire videtur Chaldæus: nam habet [illegible], vilis coram eo deſpectus. *Iurabit ut affligat.* Hoc R. Schomob, Ezra, & Kimbi de voto intelligunt ieiuniorum & abſtinentiæ, quibus corpus maceretur. at quia Scriptura boc ferè per נדר, id eſt vouere, non שבע, id eſt iurare, niſi ſi fortè copiæ gratia boc cum vouere iungat, vt Pſalmo 132.a.2, Iurauit Iebouah, vouit Deo: tum affligere propriam carnẽ per ענה נפש, id eſt caſtigare animam, nõ per רע, id eſt iniuria afficere vel lædere, ſignificare ſolet: deinde quòd hic, vt dixi, ea Vates officia enumeret quæ ſint erga proximũ: mibi viſum eſt banc particulam eo ſenſu quem reddidi accipere, vt inter aliqua ciuium cæli officia, etiam bæc fidei conſtantia memoretur, vt quũ quid iurauerint, etiam ſi poſtea cõtingat id illis moleſtum & damnoſum eſſe, præſtent tamen: neque vllo periculo ab eo quod iurauerint, animum deflectant. Sic Ionatban filius 1.Sam.20.g.42.
Schaul Dauidi amicitiam iurauerat: eam etſi periculoſam ſibi atque fraudi eſſe ſentiret, optima tamen fide ſynceram coluit. Ita Attilius Regulus (liceat bîc Etbnici probè factum, eóque certum Dei donum, memorare) quãquam ſciret de ſe Carthaginem reuerſo, graue ſupplicium ſumendum, vt tamen iurauerat, ita Cartbaginem repetiit. Si tanta fuit in Ethnico iuriſiurandi religio, quanta debet eſſe in bis qui per ſanctum Dei nomen quo filii Dei nibil habent magis verendum, aliquid iurauerint?

5 *Pecuniam ſuam non dat ad uſuram, & munus contra innocentem non accipit. faciens iſta non nutabit in ſeculum.* Exo.22.d.25, Leuit.25.e.35, Deut.23.c.19, nominatim Deus probibuit à fratre & populari facultatibus lapſo vſuram exigere, ſiue de re pecuniaria, ſiue eſculenta, aut quauis alia. At ab alienigena exigere permiſit, vt indicaret ſuis cultorib' omnia debere ſeruire. At nobis qui nos promiſcuè omnibus vt filios Dei exbibere debemus, neminẽ licet vlla in re grauare. Hinc & Iecbez. quoq; 18.b.8, inter officia iuſti, hoc ipſum pecunias citra vſuras mutuare numeratur. נשך quod fœnus ſignificat, à mordendo dicitur: tectè enim bominem mordet, rodit & conficit. *Munus aduerſus innocentem nullum accipit.* Et boc in Lege probibitum eſt, Exo.23.b.8, & Deut.16.d.19. Et cauſa ſubiicitur, quòd munera excæcent oculos ſapientum, & euertant verba iuſtorũ, boc eſt efficiant vt ſapiẽtes alioqui, & vt in Exodo habetur, oculati, à vero vidẽdo auertãtur: & qui alioqui iuſti ſunt, ad iniuſtitiam inclinentur. Qui igitur iuſtitiam ſeriò coluerit, nequid ſibi tale accidat, à muneribus abborrebit, vti cupidè munera accipiunt, dediti iniuſtitiæ: quod de principibus Ieruſcbalaim queritur Ieſchaia, 1.f.23. *Aduerſus innocentem* additur, quòd ii ſolùm munera offerãt, qui malã habent cauſam. Innoxii ſua innocentia quàm muneribus niti malunt. *Hæc rebus qui ſtuduerit, in æternum non nutabit.* Id eſt, fixus, inuictúſque in omnibus bonis permanebit, ſeruante & firmãte eum in perpetuum omnium rerum ſucceſſu, Deo qui efficit vt bono ei ſint omnia.

DISPVTATIO DE IVRAMENTO.

Quum hîc ciui cælorum & inter cætera hoc tribuatur, fidem iuramẽti baudquaquam violare, etiam ſi præſtare eam non ſine magno incommodo ſuo poſſit: fortè non ab re erit, aliquid de iuramentorum præſtatione (de qua re & Theologi, & Iureconſulti multa diſputant) adiicere. Iuramentum ergo quo quid pollicemur quum nibil ſit quàm volũtatis inuocato Deo atteſtatio, Quid iuramentũ.
perpendendum in re qualibet erit quid vir bonus queat & debeat velle. Iam is nihil volet vnquam quod diſpliceat Deo: nihil igitur tale vel iniuratus, vel iuratus facturum ſe recipiet. At ſi quid ſit quod probante Deo & velle poſſit & promittere, vtique & iurabit, & iuratus nunquam mutabit: niſi tale eſſe inciperet quod iã inoffenſo Deo fieri nequiret. Ita ſiquis à latronibus intercipiatur, & poſſit ſe omnibus facultatibus ſuis, ſi eas præſẽs habeat, atque latronibus tradat, à morte redimere, vtique id facere debebit: igitur & abſentes poterit volente Deo polliceri latronibus ſe daturũ, atque inde pollicitationem iuramento cõfirmare. Quod ſi fecerit, quoniam

fallere fidem etiam citra iuramentum, indignum bono viro eſt, haudquaquam licebit promiſ-
ſioni deeſſe quam aduocato in teſtem Deo confirmauit. Sic ſiquis à latronibus occidēdus, exo-
ret ſpatium aliquod quo ad ſuos reuerſus, fortè corradat quo vitam ab illis redimat, ſicut cum
Deo reditum promittere & iurare poteſt, ita mutare quod iurauerit haudquaquā licebit, etiam
ſi in mortē certam ſe ire ſciat. In eam enim antea volente Deo inciderat, & promiſſione ac iura
mento ſuo eius tantùm dilationem, non depulſionem impetrauerat. vnde redeundo, ſeipſum
haudquaquam periculo obiicit, cui Diuina voluntate antea obiectus, nondum eo liberatus eſt:
ſed quod approbante Deo promiſerat, id præſtat. Nihil ſiquidem eſſe poteſt cuius cauſa ſacro-
ſanctum Dei nomen ad fallendum adhiberi licitè poſſit. At ſiquis iuraſſet ſe amico in periculo
quovis adfuturum, & contingeret illum patriæ mouere bellum, vel quid aliud cum periculo
quidem, ſed non minus cum iniquitate coniūctum tentare: iuſtum erit vt hic amicum deſerat.
Quod quum faciet, non mutabit quod iurauit: neque enim quum vir bonus eſſet, quicquam
impium iurare voluit. Dei ſe totū atque patriæ eſſe agnouit, neque venerat vita eius in poteſta-
tem amici, vt eius qui captus erat à latronibus: quare nihil iurare amico in animo habuit quod
vel Deo, vel patriæ eſſet aduerſum, quālibet cum vniuerſitatis particula iurauerit quovis ſe il-
li in periculo adfuturum. Nulla enim promiſſa poſſunt intelligi latius patère, quàm liceat ea
extendere iurantem. Vbi autem quis in manus venit latronum (quod citra Dei voluntatem fie-
ri nequit) iam omnium aliorum poteſtati exemptus volēte Deo, vero ſuo domino, latronum eſ
ſe cœpit: à quorum poteſtate vt fraude aliqua ſeſe eximere liceat (vti ſe è manibus Achis exemit
Dauid: eiuſmodi enim fraudibus ſi ſucceſſum det Deus, rurſus & in liberatione, Dei voluntas
agnoſcitur) at fraudem Dei nomine obtrudere licebit nunquam: idque nō ſolùm propter Dei
reuerentiam (quanquam propter hanc præcipuè, quæ vtique tanta nobis eſſe debet, vt millies
mori potius, quàm falſò nomen eius adhibere libeat) ſed etiam propter publicam hominum v-
tilitatem ſeruandam. Etenim religione iuramentorum ſublata, ſublata & fides eſt, omnis iuſti-
tiæ fundamentum, & ſine qua omnis vitæ humanæ ratio interit. Si enim is qui pactus latroni-
bus reditum, iuſiurandum iure violare videatur, iam nemo latronum quenquam dimittet, quā
libet ſanctè rediturum ſe iurantem: & perire multos neceſſe eſt, qui ſe redimere poſſint ſi fides
habeatur iuratis. Præſtat igitur necari etiam vnum & alterum, vt fides obtineat qua ſeruentur
innumeri. Ex his ergo ſatis liquet, pium, ſiquid iurauerit, id nunquam mutaturum qualecūque
illud ſit, & quantocunque cum periculo cōiunctum: ſed morietur citius quàm iuret quod cum
Deo præſtari nequeat. Siquid autem tale ignorās iurauerit, id iam non eſt dicēdus iuraſſe, quia
nunquam voluit. Vnde vbi de præſtatione iuramentorum, ſicut & votorum diſputatur, hoc v-
num penſitandum eſt, an id quod præſtari debet, Deo probetur. id ſi liqueat, iam nihil ambigi
poteſt apud bonos an præſtandum ſit. Si autem deprehendatur inoffenſo Deo præſtari nō poſ
ſe, iam quū Dei ſumus, nemo poteſt dubitare, id iurare nō fuiſſe in manu hominis, etſi pius ille
ſit: nec etiam in volūtate, neque vnquam illud iuraſſe, etiamſi verbis expreſſerit. Iuramētum e-
nim, voluntatis atteſtatio eſt, quæ ſine rei iuratæ ſcientia, nulla eſſe poteſt. Sæpe multi in hiſce
rebus nodi occurrūt, quibus nihil eſſet ſolutu facilius, ſi recta mens & ſyncerus eſſet timor Dei.
At caro ſibi perpetuò viuere quærit, & tamen videri vult viuere Deo. Hinc tot diſputationum
ambages & labyrinthi. Iam certè ſudādum eſt, neque ſine multo ſtudio cōfieri poteſt, vt pietas
videatur quæ eſt impietas. Chriſtianos decere vſum iuriſiurandi, oſtendemus in Pſalmo 25.

DISPVTATIO DE VSVRA.

Porrò quia & vſuræ in Pſalmo hoc mentio facta eſt, perſtringam paucis etiam huius ratio-
nem quatenus licita, & quatenus illicita ſit habenda. Ex eo quòd vulgò omnē pecuniæ vſurā il-
licitā definierunt, caro inuenit commētum, vt ſub prætextu vectigalis & penſitationis prædiis
vel ædibus impoſitæ, pecunia tamen fœnus pariat. Eóque res abiit, vt impudens habeatur qui
mutuum petat citra fœnoris oblationem. Verùm ne de ſola pecunia vſuram videantur ſtipu-
lari ii qui pecuniam credunt, domus illis aut fundus interponitur. Id quod ita fœnoris iniuria
eum cui pecunia creditur, leuat, vt ſiquando ceſſet fœnus penſari, fœnerator eum etiam fundo
vel domo deſpoliet. Quæ verò hæc dementia, conari Deo fucum facere? Nunquid leuius foret,
ſimpliciter fœnus ſtipulari, nullo interpoſito pignore? ſic enim & apud fœneratorem aliqua
damni maneret expectatio. Nunc nihil aliud agitur quàm vt non ſolùm ſortis & vſuræ fœne-
rator certus ſit, ſed vt ſimul via pateat qua debitorem bonis ſuis tādem penitus exuat. Hinc in-
uenias hodie qui luculenta ad ſe patrimonia hac ratione pertrahant. Primùm centum aureos
dant non mutuo, ſed quibus emunt in ſingulos annos quinque: & hos imponunt fundo qui va-
leat aureis quadringētis, adiecta ſimul omni facultate, ſiquid fortè fundo decedat. Eos quinque
aureos quū cenſus venditor ſemel tantùm non ſoluerit, manus illico fundo fœnerator iniicit:
quem ſi ille intra exiguum tēpus redimere neglexerit, vendicat eum ſibi ita fundū vel domum

pretii ducentorum aut quadringentorũ aureorum,comparat ſibi centenis.Et ſi cenſuarius fortè agat circunſpectius,vendet fundum fœneratori,priuſquam illi adiudicetur ob debitum, ſed minoris multo quàm iuſtum ſit.Neque enim alia ratione elabi pedicis illius poteſt, omni patrimonio illi iã mãcipato. Hoc ergo fundo exutus quo tenuior factus eſt,eo citius & alia ſua bona illi addicit,quæ tum eadẽ via ille facit ſui iuris eſſe. Dúmq; publicis legibus in iſtiuſmodi vſurã non animaduertitur,belli homines ſe abunde innocẽtes arbitrãtur. Sed quũ in iudicium venerint,in quo ex hac vna formula,Diliges proximũ tuum perinde atque teipſum, ſentẽtia dicetur,quã adferent excuſationẽ: Quum Dominus diceret, Dãdum mutuũ vt nihil inde ſperem⁹, Matth. 5. g. 42. voluit vt citra omnẽ ſpem gratiæ,aut paris beneficẽtiæ,mutuò egẽtes fratres iuuaremus, nõ iis tãtùm mutuantes à quibus paria expectaremus, vti Ethnici & mali faciunt. Quomodo huic ſe iam approbabunt qui mutuo non modò neminem iuuãt, ſed cõpilant potius quibus mutuãt: neque ſpe ſolùm paris gratiæ fœnus eiuſmodi ſtipulantur,ſed viam muniunt qua ſenſim debitorem penitus deglubant? Interim tamẽ etiam eos puto incõſultè facere,qui quãlibet vſuram damnant,etiam quæ citra proximi incõmodum obueniat,vt ſiquod ex pecunia mutuata lucrũ debitori prouenit,aliquam creditori partẽ decidat. Lex & Prophetæ ſunt vt alios habeamus ſicut haberi volumus ab illis:ad hanc regulam omnes noſtræ actiones & cõtractus exigẽdi ſunt. Beneficium à fratre accipere, ſi illi fraudi non ſit,quid peccati? Iuſtinianus Imperator in Codice Legum ciuilium, tractatu de Vſuris, permiſit in traiectitiis contractibus ſtipulari vſuram centeſimam, hoc eſt de centum aureis in ſingulos mẽſes vnum, quo pacto centeſimo mẽſe ſors à fœnore æquatur. In aliis licitis negotiationibus beſſem centeſimæ,hoc eſt de cẽtum in ſingulos menſes,octo aurei partes,& in annum aureos octo: illuſtribus tamen quolibet contractu,nõ ſupra tertiam partem cẽteſimæ,id eſt in mẽſem quartã aurei partẽ, & in annũ aureos quatuor: vulgo autem dimidium centeſimæ,id eſt in menſem dimidiatum aureum,& in annum aureos ſex. Ad has leges ſi fœnus redigatur, mundus non habet quod culpet.at ſi interim lædatur frater,Deus habet quod damnet. Quapropter quemadmodum vt te iudicio approbes hominum, leges humanæ reſpiciendæ ſunt,ita vt Dei iudicium feras,ad Diuinas te compares oportet. Eæ omnes in hoc vno præcepto cõtinentur,quo præcipitur dilectio proximi. Qui enim proximũ dilexerit,nihil mali ei fecerit,imò iuuare modis omnibus ſtudebit. Dabit gratis ſi habeat,& ille ita egeat:aut certè mutuabit,idque non ſolùm abſque fœnore, verumetiam ſi ita res ferat, citra expectationem ſortis. Si tamen ille ſuo commodo vſuræ aliquid attulerit,ita quidem accipiet, vt vel in huius iterum, vel aliorũ vſum quãprimum depromat. Quid ergo in his & aliis hominum commerciis dilectio iubeat,nõ quid excuſent vel publicæ hominum leges, vel priuata doctorum conſulta, Chriſtiano ſpectandum. Ab hac tamen parte plurimum peccatur,quòd aliena plerique inuitis dominis vtuntur, commodíque inde ſibi non parum comparant, nec tamẽ dominis vſuræ quicquam perſoluũt. Quid iſtuc aliud quàm manifeſta rapina eſt,hoc pernicioſior,quòd nullæ hodie leges in hanc animaduertunt? AEquiores ſunt veteres Romanorũ principum leges,quæ vſuras ab iis exigunt qui aliena pecunia vtuntur,ſiue pactæ illæ ſint, ſiue minus,maxime ſiquis viduarum & pupillorum pecuniam in ſuis vſibus detineat. Si ſanè ita aliis facere debeamus vt nobis fieri optamus,certè aliorum pecuniam in noſtros vſus cõuertere aut non debemus,aut certè ſarcire quam inde illi iacturã faciunt. Iam ignauũ eſſe oporteat,qui niſi aliqua incidat calamitas,per annũ ex centum non tãtum ſupra laboris ſui cõpenſationẽ lucretur,vt ſuo cõmodo quinque pecuniæ domino vſuræ nomine perſoluat. Id ergo quum hic poſſit, & non ſine iactura pecuniam ei alter commodarit, cur non etiam faceret? Iam quod vtrinque recte fieri poteſt,haud indignũ bono viro fuerit ab altero ſtipulari,modo ſuus τῇ ἀγάπῃ omnium legum atque contractuum moderatrici locus ſeruetur. Nullæ alioqui leges,nullæ viuendi rationes tam iuſtæ excogitari poſſunt,quantum quidẽ ad externa illa hominum negotia attinet,à quibus non ſæpe remittendum aliquid ſit Chriſtiano,cuius eſt omnibus prodeſſe. Vt ergo aliis vitæ huius rationibus,quas tamẽ non ſine iniuria proximorũ ſæpe obſeruaueris, Chriſtiano vti licet,modò paratus ſit,dum illæ à recto deflectũt,charitati omnia in vſum ſuũ moderanti concedere:ita vſuras quoque paciſci licebit,dum animus modò ſit,illas nunquã cum proximorum iniuria exigere,aut etiam vltrò oblatas recipere. Hæc de ipſo vſurarum iure in ſe dixiſſe volo.nõ quòd velim Chriſtianos qui nõ quid liceat,ſed quid expediat,ſemper ſpectare debent,quicquam hac in re ſibi permittere vnde queant alii offendi. Sic certè hodie hominũ iudicia ſunt, vt citius ferant aliquem iniquis, ſed ſolitis mercimoniis,cẽſuariis, aliíſve cõtractibus mille aureos corradare,quàm decẽ ex iuſta,ſed modò inſueta vſura. Vtcunque autem hoc iudicium præpoſterum eſt,eius tamen qui ſe omnium ſeruum profitetur,nempe Chriſtiani fuerit, huic quamlibet iniquo ſe hactenus accõmodare, nequẽ offendat. Quiduis enim dãni accipiendũ potius Chriſti diſcipulo eſt, quàm vt viam videatur aperire, ſua cõmoda aliorũ incõmodis

aucupandi. Temere autem nullas accipiet, ſedulò autem dabit vſuras omnibus, quorum vel pecunia, vel rebus ſibi commoda parauerit. Nollet enim cuiquam incommodo, ſed omnibus eſſe commodo: nec gratis ſibi à quoquam benefieri ſuſtinebit, maximè ſiquis iacturam aliquam inde fecerit.

PSALMVS XVI, in genere miſto, δεητικῆς & εὐχαριστικῆς.

ARGVM. *Orat tutelam Dei. Sanctis ſe deditum, & ab idololatris abhorrere profitetur. Quòd ſe legi in Eccleſiam Dei, conſiliúmque eius ſequi, ac in omnibus eum ferre in oculis cõtingat, gloriatur. Hácque fœlicitatem, unde mortis ſecurus, beata lætitia perfruatur, expectans in conſpectu Dei adhuc plena & ſempiterna iucunditate perfundi, deprædicat.*

PARAPH. 1 Michtham Dauidis. Tuere me Deus: nam in te præſidium meum poſui.
2 Dicô anima mea Iehouæ, Beneficentia mea ad te non pertingit.
3 Sanctis igitur qui in terra agunt, & præclaris, hîc ex animo ſtudebo.
4 'Illorũ idola multa facta ſunt, alienos cupidè ſectãtur: ego autẽ libamina eorũ
quæ ſcilicet ſanguine cõſtant, haud libabo: nomina iſtorũ nunquã memorabo.
5 Iehouah portio partis meæ, calix meus, tu ſortem meam ſuſtines.
6 Sortes ceciderunt mihi in loca amœna, inſignis mihi hæreditas obuenit.
7 Laudabo Iehouah qui conſuluit mihi, intimi quoque affectus noctu me vrgent & erudiunt.
8 Propono perpetuò mihi Iehouah: dum enim à dextris mihi eſt, non nutabo.
9 Propterea gaudebit cor meum, & lætabitur lingua mea, quin etiã corpus meũ ſecurè quieſcet.
10 Neque enim deſeres animam meam vt ſepulchrum ſubeat: neque permittes vt videat bonus quem tibi delegiſti, foueam.
11 Notam mihi facies ſemitam qua vitam adeam, ſatiètas omnis lætitiæ apud te, exprompta ſemper in dextera tua omnis iucunditas.

(vel, Multæ afflictiones his qui alienum (numen) cupidè ſectantur.)

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Michtam Dauidis. Cuſtodi me Deus, in te confido.*
2 *Dices Iehouæ, Dominus meus tu: bonum meum non ad te.*
3 *Sanctis qui ſunt in terra, & præclaris, omnis mea complacentia in illis.* De voce Michtham, in Præfatione. Videtur Vates hoc Pſalmo præcipuè canere quanta ſit dignitas & fœlicitas agere in Eccleſia Dei, inter Sanctos & electos Dei habere locum. A prece Odam auſpicatur, & Dei cuſtodiam orat, qua hæc ſcilicet incomparabilis & dignitas & fœlicitas, quòd ſibi ab impuris Gẽtibus ſecerni, & agere in populo Dei ex Diuina benignitate contigerit, ſibi conſeruetur. Simile videtur illud Pſalmi 86. a. 2, Cuſtodi animã meam, quia bonus ſum: auxilium fer ſeruo tuo, quandoquidem te nititur. Omnia vota ſuperat hæc fœlicitas, populo Dei eſſe adſcriptũ, ideo miris etiam artibus eam humani generis hoſtis impetit. quo igitur Sanctis ea pluris habetur, hoc enixius Dominum orant, vt ſe ſeruet, ne ab ea vnquam excidant, aut non fœliciter in ea promoueant. Summa autem ratio orandi & exorandi tutelam Dei, ſubiicitur, Quia in te confiſus ſum, in te ſpem omnem conieci, quia tuo tantùm præſidio nitor. Quis enim bonus deſerat eos qui ſuæ ſe fidei commiſerint? At pius abnegatis omnibus, Deo vni ſeſe addicit: non poteſt ergo fieri vt eiũs curam ille non habeat, vt tueri vnquam negligat, qui & ſolus & ſummè bonus eſt. In verſu ſequenti nonnulla ineſt obſcuritas, ideo variè enarratur. ſequar eam interpretationem quæ argumento Pſalmi magis videtur quadrare, Dices, inquit. & nullum nomen adiecit. ſed quia mox fœminini generis eſt, animam Hebræi ferè omnes, etiam Chaldæus Paraphraſtes, ſubintelligunt. Et alias animam ſuam in Pſalmis alloquitur, vt Pſalmo 42. b. 6, & 43. b. 5. Hortatur ergo animam ſuam, hoc eſt ſeipſum vt Iehouæ dicat, Dominus meus es tu: hoc eſt vt ſe illi planè conſecret, & Dominum ſuum in omnibus agnoſcat. Sed ne videretur eo aliquid Deo cõferre, iuſſit præterea eam dicere, Bonum meum nõ ad te: id eſt tibi nihil confert, ad te haudquaquã pertingit: infrà eſt quàm vt tu eo iuueris. Sic enarrauit hunc locum Rabi Ioſeph Kimhi, parẽs Dauidis. Iuxta hác enarrationem commodùm tertio verſu ſubiicitur, *Sanctis qui ſunt in terra, &c.* Vt dicat anima verè pii, O Deus, tu Dominus meus es, & ego totus in ære tuo: tibi vni omnia mea inſeruire debent: ſed quid eſt quod mea opera fieri poſſit quod tibi aliquid conducat, vel etiam oblectamenti quid afferat? Celſior infinitò es quàm vt meis beneficiis fruaris. Attamen, quoniam tu Dominus meus es, & omnia mea tibi debeo, erit interim omnis meus amor, omne ſtudium in Sãctos qui hic in terra adhuc mecum degunt & peregrinãtur, inſignes pietate &

præclaros virtutibus homines:hi beneficiis à me poſſunt affici,his illa ſtudioſe impendam.Nã omnis complacentia mea in illos,id eſt toto pectore his afficior & deditus ſum, omni affectu animus meus ad eos propendet. Sanctos vocat,tanquam electos,eximios,auguſtos,quare & אדירי ſubiecit, præclaros,ſuſpiciendos.Quod epitheton Pſalmo 8.a.1,nomini Dei tribuit. Sic populus Iiſrael identidem ſanctus in Scripturis vocatur,quòd ab omnibus aliis populis ſecretus,& Lege Dei,veróque cultu eſſet donatus.Exodi 19.a.6,& Deuter.4.a.6,hæc populi Iiſraelitici ſanctitas & dignitas ſatis magnificè prædicatur. Affectus verò huius in Sanctos quem hîc Vates de ſe canit, inſigne exemplum habemus in Paulo,qui cupidè adeò fratres inuiſebat: quod ſi minus liceret,literis appellabat:ſiquando de rebus eorum incertior eſſet,plurimum affligebatur: ſi male illis res ſuccedere audiret,ſummè dolebat:ſin proſperè, ſancta lætitia geſtiebat, non ſolùm Euangelium, ſed & animam ſuam impartire illis paratus, vt Theſſalonicenſibus ſcripſit. 1.Theſſ.2.b.8.
Hinc & illud ad Philippen.4.a.1, Fratres mei dilecti & deſyderati, gaudium & corona mea. Similes ſanè affectus & deſyderia in ſingulis Epiſtolis identidem de ſe teſtatur.Hinc ergo diſcendum, in Sanctos, hoc eſt omnes Dei ſtudioſos declarandum quàm ſuſpiciamus & colamus Deum,quàm ipſum Dominum noſtrũ agnoſcamus, quàm gratificari ipſi cupiamus. Bonis ſiquidem noſtris ipſe frui non poteſt:at ſibi factum agnoſcet, quodcunque vel minimis eius fecerimus,vt Seruator de ſe profeſſus eſt,Matth.25.d.40. Caro autem ſemper hæc inuertit:Deo benefacere conatur,cui nihil dare aut facere poteſt:fratribus quibus poteſt & debet,impẽdere beneficia faſtidit. Sed ipſa ſe ludit miſera, quod Deo,quod Diuis dare videri vult, reuera in ligna & lapides,tum in ſuorum oblectationem oculorum & aurium,non Deo nec Diuis qui tantùm id ſibi expenſum habent,quod expenſum Chriſto eſt,inſumit.Quot enim hodie opulentos inuenias, qui non grauẽtur, ſi vno tãtùm aureo vicinum iuuare pauperem debeãt,quum interim cẽtum ſuſtineant inſumere in ornandas ſtatuas? Sed hinc hominum rumuſculos venantur,iudicii Patris cæleſtis,&veræ ac cæleſtis gloriæ negligentes,quæ iis erit quibus dicet Filius, Venite benedicti Patris mei. Eſuriui, & dediſtis mihi manducare:ſitiui, & dediſtis mihi potum: nudus fui, & veniſtis ad me: peregrinus eram,& collegiſtis me: infirmum & incarceratum inuiſiſtis: ideo percipite regnum quod vobis deſtinatum eſt ab initio. Vtinam in his ſentirent hodie Eccleſiarum proceres, & plebium doctores quod veteres. Scribit Ambroſius libro de Officiis, Aurum Eccleſia habet non vt ſeruet, ſed vt eroget & ſubueniat in neceſſitatibus.Quid eſt opus [illegible]
cuſtodire quod nihil adiuuat? An ignoramus quantum auri atque argenti de templo Domini Aſſyrii ſuſtulerunt? Nónne melius conflat ſacerdos pro alimonia pauperum,ſi aliqua ſubſidia deſunt,quàm ſi ſacrilegus cõtaminat,& aſportat hoſtis? Kimhi,illud Bonum meum non ad te: interpretatur,bonum quod tu mihi facis,id nullo meo merito facis,non pertinet ad te,id eſt nõ eſt ex tuo officio,ſed mera & vltronea beneuolentia. Oro igitur vt benefacias Sanctis in terra, quia plurimum moleſtiæ perferunt inde quòd tam multi te non colunt, ſed ſectantur deos alienos. Mea autem voluntas eſt erga Sanctos, vt eos imiter. Huic interpretationi ſubſcribit & Aben Ezra.Hæc certè præpoſitio & id valet in Scripturis, vt quum dicitur עליו ועליך עלי, ſuper illũ,ſuper te,ſuper me, idẽ valent quod,Hoc mihi,vel tibi,vel illi cõpetit,decet: meæ,tuæ, aut illius partes ſunt. Græcus priorem interpretationem probaſſe videtur: habet enim, Non habes bonorum meorum neceſſitatem.Hieronymus habet, Bene mihi nõ eſt ſine te. Sed Hebræa hũc ſenſum non habent.

4 *Moleſtiæ illorum multiplicatæ ſunt,alienum feſtinarunt,non libabo libamina eorum de ſanguine,& non tollam ſuper labia mea nomina eorum.* עצבות moleſtias ſignificat:at עצבים pro idolis ſæpiſſimè vſurpatur, quod ab eadem radice deducitur, fortè quòd nihil niſi moleſtiæ ab idolis,& omni ſuperſtitione expectãdæ ſint,cum à ſtultis mortalibus colãtur cauſa ſalutis.Iã quũ Hebrææ linguæ inſolẽs nõ ſit,eadẽ nomina & fœmininè per ות,& maſculinè per ים inflectere,malui עצבות idola hic vertere,quàm moleſtias,eo quòd ſequẽtia admodũ manifeſtè de ſuperſtitioſo cultu loquãtur. Idem viſum eſt & Chaldæo Paraphraſtæ.Græcus habet,infirmitates.Memorat ergo hîc Vates de impiis quod Iirmeiah de Iehudah queritur. Iuxta numerum vrbium tuarũ fuerunt dii tui Iehudah.Et Ho- Ierem.2.f.28.
ſea 8.c.11,de Ephraim,Multiplicauit Ephraim aras ad peccandũ.Non diſſimile habet & initio capitis 10. *Alienum cupidè ſectati ſunt.* Quoniam Deus ſibi populũ Iiſrael delegerat,quẽ vt peculium ſuũ haberet,& à quo ſolus coleretur,cui ſe quoq; multis & ingẽtibus beneficiis atque ſignis notum,imò familiarẽ fecerat, Deum ſe Abrahã, Iiſhak,&Iaacob identidẽ nominãs: alienos deos Scriptura vocat quæcunque alia ſibi colenda, ſtulta hominum ſuperſtitio fingit. Hinc primo decalogi capite, Nõ ſint tibi dii alieni iuxta,vel præter me. Et Deut 33.c.17,Sacrificauerũt dæ- Exo.20.a.3.
moniis,non Deo, diis quos ignorabant:alieni & caſu exorti venerunt, quos patres eorum non Deut.5.a.7.
coluerant.מהרו,quod verti,cupidè ſectati ſunt:ad verbum eſt feſtinarunt. At etiam ſignificat dotare. Hinc Abrahã Ezra interpretatur, Alienum donis venerati ſunt. Sed quia hoc ſignificatu,

de nubentibus tantùm in Scripturis hoc verbum reperio, & nullum video locum in quo ſit ad donaria deorum tranſlatum, priorem interpretationem quæ Rabi Schlomoh eſt, ſequi malui, qui æſtuans deſyderium deſeruiendi diis alienis, hoc verbo notatum exiſtimat. Kimhi probat hanc interpretationem Multæ ſunt moleſtiæ iis qui alios quàm Sanctos conſectantur, & graſſantur viis alienis quæ non ſunt viæ Domini. Secundum hanc igitur מהר defuerit, vti ad verbum ſic reddas, Multæ erunt moleſtiæ *iis qui* feſtinant ad alienum, id eſt ad alienos, non ad Sanctos. Nobis ſupplendum erit antecedẽs pronominis *illorum*: (quæ eclipſis Scripturæ admodum familiaris eſt) id ſunt impii, ſuperſtitioſi, ab Eccleſia Dei alieni. Quia autem Vates potiſſimum videtur de ſuperſtitioſo cultu loqui, vt ſequens particula apertè indicat, potius in Schlomonis ſententiam inclino. Videtur autẽ Vates admodum appoſitè cultum ſuperſtitioſum hoc verbo expreſſiſſe. Vt enim caro noſtra nihil boni in ſe habet, ita multo ſtudioſius & feruentius conſilia mala Satanæ, quàm Spiritus Dei bona ſequi ſolet. Hinc nihil tã durũ & ſumptuoſum quod idololatræ nõ faciant & ferãt, quum ſæpe qui veri Dei haud vani cultores ſunt, plus nimio in his ceſſent, quæ tamen ſciunt Deum ſuum exigere. Molech, quem Saturnũ vocari Latinis autumo, liberos ſuos exurebãt: quum vero Deo ſuo non poſſent illos tantùm paterna caſtigatione ad bonos mores formare. Sacrificuli Baal ſeſe lanceolis confodiebant, quum in gratiam veri Dei multi non ſuſtinerent in ſtatis diebus iuxta præceptum illius feriari. Sic hodie inuenias qui ſuperſtitionis gratia lõge grauiora perferãt, & plura faciant quàm religionis ſynceræ: quæ
Iac.1.d.27. eſt vt diuus Iacobus ait, orphanos & viduas in afflictionibus ſuis inuiſere, & incontaminatum ſe ſeruare ab hoc mundo. Hoc præpoſterum ſtudium, & impium feruorem in ſuperſtitionem, Vates paſſim per adulterinum amorem, qui iuſto ferè ardentior eſſe ſolet, denotarunt. Quòd verti *Libamina eorum quæ ſanguine conſtant*, ad verbũ habetur, de ſanguine: & intelligit Kimhi, quæ ſanguine & cæde parta ſint, vt cum illo conueniat quod Dominus in Malachi queſtus eſt, offerre populum hoſtias vi raptas, Malachi 1.c.8. Ab. Ezra intelligit ſãguine mixta. Id enim apud gẽtes aliquas in vſu fuit, vt ſanguinem etiam pro vino in quibuſdam ſacrificiis libarent. Iam ſtatim à diluuio Deus ſuis guſtũ ſãguinis prohibuerat: & poſtea in Lege, Leuit. 7.c.26, & Deut. 12. b.16, id præceptum repetiit, fortè vt à ſanguine hominis fundẽdo hinc faceret magis abhorrere. Sibi verò hoſtiarum ſanguinem ſacrum eſſe voluit, vt indicaret ex ipſius tantùm ſententia ſanguinem fundendum. Rationem præcepti huius Deus addidit, quòd in ſanguine anima, ſiue vita animalis ſit. ita forſan voluit monere, ſe vnum eſſe vitæ autorem, ideo ſolum vitam etiam adimere debere: nos huius nihil tentare oportere, niſi ex iuſſu ipſius. Vtrovis autem modo accipiamus hoc *Non libabo libamina eorum*: id ſatis liquet, Sãctum his verbis profiteri, ſe quàm alieniſſimum fore à ſuperſtitione impiorum, & adeò vt illorum indubiè falſorum deorum nomina non velit aſſumere, id eſt inuocare, aut per ea iurare, quod Sephan. 1.b.5, & in aliis Prophetis in Iiſraele notatum legimus. Hinc diſcamus ergo, quàm longè abeſſe deceat Sanctos ab impiorum ſuperſtitionibus. vnde & diuus Paulus tantopere à cõmercio idololatriæ Corinthios dehortatur, 1. Cor. 8.a.4, & 10.b.7. Nullus eſt qui Patris ſui verè amãs, vel ſimulet ſe iis iunctũ qui iniuria patrẽ ſuũ, & cõuitiis cõtinuò afficerent. Iã omnis falſus Dei cultus nihil eſt aliud quàm confeſſa Dei irriſio, quare & abominatio paſſim in Scripturis vocatur. quis ergo Dei ſtudioſus ferat, ſe vel videri huic tam atroci malo affinẽ? Quis iam ver⁹ ſit Dei cultus, ſatis à D. Paulo, ad Rom. 12.a.1, deſcribitur, Nos ipſos oportet ante omnia Deo offerre hoſtias rationales, boni conſulere, ac etiam laudare omnia Dei in nos iudicia: tum omnem vitam ſic inſtituere, vt vſui ſit tam malis quàm bonis. tum in ſacra Eucbariſtia mors Domini ita prædicanda eſt, vt ei conformemur, peccatis continuò morientes, & vitam iuſtitiæ meditantes. Cui qui ſe ingerit, non hoc animo præditus, is ad mortem ſibi manducat & bibit: offendit igitur grauiter Deum, non colit. Sic ſunt & quicunque publicis precibus & hymnis alia mẽte interſunt. Qui hîc aliquid ſui,
Math.21.b.13. aliquid ventris quærit, is teſte Chriſto ipſo ſpeluncam latronum ex domo Dei efficit, & Deo illudit. Iam qui ſe huiuſmodi Dei illuſoribus adiungit & participem facit, vtique iniuriam facit Chriſto, cuius quũ membrum factus eſt, vni ipſi ſuo capiti adhærere debebat, & mori citius quàm contemptoribus & blaſphematoribus eius adnumerari ſe ſuſtinere. Nulla eſt participatio iuſtitiæ cum iniquitate, nulla lumini cum tenebris communio, nullus Chriſto cum Belial conſenſus, nulla pars fideli cum infideli, nulla conuentio templo Dei cum idolis. 2. Corinth. 6. d.16. Hæc expendãt qui Chriſti eſſe volunt, nullámque putẽt eſſe aliam reuerẽtiæ & dilectionis naturam erga Chriſtũ ſeruatorem noſtrum, quàm ſit eius qua ſuſpicimus & colimus homines. Imò ſi vera eſt, cauet ea quæ illi diſplicent, & ſtudet iis quæ probat, tanto ardentius & ſolicitius, quanto pluris ille pio eſſe debet, quàm vlli mortales queãt eſſe mortalibus. Affectum indignationis indicat, quòd neque idololatras, neque idola ſuis nominibus, ſed tantùm per relatiua illorum, ſignificauit. Quanquam & perſonæ decoro in eo ſeruiit: Deo enim fecit ſe loqui, omnia

cognoſcenti. Neque populo cui hæc canebantur, obſcurum erat quid relatiua iſta referrent.

5 *Iehouah admenſum partis meæ & calicis mei, tu ſuſtentator ſortis meæ.*

6 *Funes ceciderunt mihi in amœnis, etiam hæreditas pulchra ad me.* Cauſam bis reddit cur velit longè abeſſe à ſacrificiis impiorum, nimirum hãc, quia ſibi contigerit accenſeri Sanctis qui hæreditas Domini ſunt, & ipſum ſibi pro hæreditate habẽt: quod in Leuitis adumbratũ eſt, quibus quum nullam Deus partem inter fratres ſuos attribuiſſet, dixit ſe illorum hæreditatẽ fore, Num. 18. c. 20, & Deuter. 18. a. 2. Hæreditariis bonis nihil eſt æquè proprium, eóque nihil ſolet pari diligentia excoli. Sic habent ſibi Deum Sancti, in eo omnia bona, & ea propria poſſident: neque eſt quod maiore diligentia ſtudeant quàm ipſi gratificari: in hoc vitam habẽt æternam, & beatitudinem ineffabilem. Cuius æſtimationem quo magis exprimeret, tam multas voces congeſſit, portionem, partem, calicem, ſortem, hæreditatem. Sortibus à Iehoſua, hoc eſt חבלים, vel גורלים terra Chenaan duodecim tribubus diuiſa fuit ex præcepto Domini, vt legimus Iehoſ. 14. a. 2. hinc per ſortes plerunque ipſa portio quæ ſortè obuenit, ſignificatur, vt Deuter. 3. b. 13, & alibi aliquoties legitur. Dicuntur autem & חבלים, *Funiculi*, vt & hîc quidam hanc vocem verterunt, intelligentes menſorios, quibus nonnunquam agri diuidi ſolent. Sed hîc ſatis liquet metaphoricũs per חבלים, ſicut & גורל atque calicem, Vatem voluiſſe ſignificare, ſibi contigiſſe beneficio Dei partem in populo eius, vt inter Sanctos eius agat, filius ipſius factus. Hanc ſortem amœno, iucundo, & optato fundo aſſimilat. Deum enim ipſum, & omnia Dei, huiuſmodi in æternum poſſidet. Deum canit ſuſtinere ſortem ſuam, hoc eſt vt Kimhi interpretatur, Deum ſibi adfuiſſe, ſéque iuuiſſe vt eligeret ſibi hanc hæreditatem. Abr. Ezra putat ad eundem modum accipi quo in Amos 1. b. 8, תומך שבט, id eſt geſtans virgam. vt dicat Vates, Deum ſuam ſortem, ſuam fœlicitatem hanc, quòd inter Sanctos eius numeretur, geſtare, eam ipſo niti. Mihi videtur idem ſignificare voluiſſe hac particula quod præcedenti, ipſum ſcilicet Deum ſuam ſortẽ eſſe: ſicut ſiquis de fundo qui ſibi ſorte obtigiſſet diceret, Hic fundus ſuſtinet ſortem meam, pro eo quod eſt in hunc cecidit mea ſors, hic mihi ſorte ceſſit. Obſeruandum hîc ergo quanti faciat Vates, Deum ſe agnouiſſe, in Eccleſia Sanctorum nomen dediſſe. Qui ſanè intellexerit quanta ſit hæc fœlicitas, facile agnoſcit cur de ea Vates canat tam magnificè. Sed fidei ſenſu hæc res expendenda, nõ explicanda verbis.

7 *Prædicabo Iehouah qui conſulit mihi, etiam noctibus erudiunt me renes mei.*

8 *Poſui Iehouah coram me iugiter: quia à dextera mea, non nutabo.* Prædicat iam Dei in ſe fauorem & benignitatem, qua ſibi hæc mens contigit vt Eccleſiæ Dei nomen daret. Caro ſiquidem & ſanguis nihil horũ nouit. Quod verò ait, Et renes ſe noctibꝰ erudiiſſe: indicat ſe intimis affectibus huc actum, vt omni impiorum communioni valediceret, imò eam abhorreret, & toto deſyderio ad Sanctos Dei, atque adeò ad Deum ipſum ferretur. Solet enim Scriptura interiores affectus per renes ſignificare. Vnde quũ Dominum prædicat omnia noſtra ſecreta noſſe, ſciẽtiam ei tribuit cordis & renum. Huius verò aliam cauſam comminiſci nequeo, quàm quũ gignẽdi affectus in renibus ſedẽ habeat, & is ſit omnium potentiſſimus, quòd hinc renes tanquã omnium affectuũ ſedes & origo, pro ipſis affectibus per metonymiam vſurpentur. Ergo ſicut ſiquis animo vehemẽter aliquò propẽdens, affectibus dies noctéſque ſolicitatur vt diſpiciat, cogitet, quærat quonam pacto illud aſſequatur: ſic ſignificat Vates, adeò ſua deſyderia omnia ad Sãctos Dei, ad hæreditatem & Eccleſiam Dei fuiſſe propenſa, vt his ipſis accenſus, noctibus inſomnis & cogitabundus erudiretur: & hinc impelleretur, vt quæcunque Deo diſplicent, & ſocietate Sanctorum donatum dedecẽt, ſummo ſtudio vitaret: ſectaretur autem quæcunque Deo grata, & ei qui ſeſe ipſi addixerit, conuenientia ſunt. Hic autem affectuum ardor ex conſilio Dei, hoc eſt Spiritu illo bono prouenit, qui oſtendit quàm pernicioſa ſit vanitas quicquid caro moratur: quàm vera ſint bona quæ Deus ſuis parauit. Verſus octauus id continet quod Deus conſulit, & ad quod renes ſancto iam per Dei Spiritum affectu accenſi erudiunt: nempe vt Sanctus proponat ſibi Deum ſemper, hoc eſt eum in oculis continuò ferat, nunquam non obſeruet, & omni ſtudio colat, ſicut & ipſo vno nititur. Is ſiquidem dum à dextris eſt, id eſt auxilio eſt, tanquam ſocius vel patronus latus cingens, & quidem dextrũ, vt prior ſe periculo obiiciat, & mala imminentia depellat, non nutabimus, id eſt omnium caſuum vſque ſecuri erimus. Hinc iam diſcendum vnde ſalus, vnde rebus noſtris vera petenda ſtabilitas, nimirum ex ſolo Dei timore, & obſeruatione. Et hæc cui contigit, is in domo Domini eſt, & verè inter Sanctos adnumeratur.

Cur renes pro affectibus.

[illegible] a dextris.

9 *Propterea gaudet cor meum, Lætatur dignitas mea, etiam caro mea habitat confidenter.*

10 *Quia non deſeres animam meam ad infernum, non dabis bonum tuum ad uidendum foueam.* Veræ fidei fructꝰ, vt ſuprà dictũ, ſolida animi lætitia eſt: hac ergo ſe frui poſt præmiſſa cómodùm canit. Cor gloriã ſuam, id eſt linguã & carnẽ, hoc eſt corpus memorat, vt totum ſe gaudio perfuſum indicet. כבוד quod alioqui gloriã & dignitatẽ ſignificat, aliquando pro mente accipi Hebræis, ſanè extra

dubium eſt: de quo in verſu 4 Pſalmi tertii. At Græci hîc linguam reddiderunt, quod & Latini poſtea interpretes ſequuti ſunt. Et haud ſcio annò magis hoc præſertim loco כבודי per linguam, quàm per mentem reddi conueniat: vt intelligas Vatem canere, ita ſe lætitia perfuſum vt & cor gaudeat, & lingua glorietur, & corpus omnium ſecurũ optata quiete & pace fruatur. Certè ſermo eſt, quo præcipua hominis dignitas cõſtat, vt haud inſolẽs ſit hæc trãſnominatio, linguam vel ſermonem per כבוד, id eſt dignitatẽ ſignificari. Pſalmo 30.c.13, canit Vates, Propterea canet tibi כבוד, & non ſilebit. Quid hîc magis quadret quàm lingua? Ita Pſalmo 108.a.1, Paratum cor meum Deus, cantabo, & canam, etiam כבודי, id eſt lingua mea. Vt autem cor ſuum gaudere, & linguam lætari, ita corpus ſuum ſedere confidenter & ſecurè prædicat. Vbi enim ſpiritus fide certa donatus eſt, & verum Diuinæ bonitatis guſtum percepit, redundat illico eius gaudium & in carnem, vt nihil trepidet, ſecuréque manum Domini ſuſtineat, etſi crux illi ferenda ſit, & renaſci nequeat, niſi antea deſtructa Nam illi reſurrectionis ſpes, omnia leuia & dulcia reddit: hanc verſus decimus canit: nam ait, Non deſeres animam meam in ſepulchro: id eſt non ita deſtitues me, vt anima mea morti cõcedat. Per לשאול enim, quod ſepulchrum ſignificat (vt in verſum ſextum Pſalmi 6, dixi) ſtatim & conditionem mortuorum, hoc eſt inferos Scriptura tranſnominare ſolet. Nec permittes vt bonus tuus videat foueã: id eſt in foueam demittatur. Similis Hebraiſmus ille eſt Iohã.3.a.3, Videre regnũ Dei, pro ingredi in regnũ Dei. Porrò & Kimhi teſtãte, idẽ poſteriori hac particula Vates dixit quod priore: vtraque nimirum, ſe ita diuinitus ſeruãdum, vt morti non ſit conceſſurus. Cecinit ſe propoſuiſſe ſibi Dominum, hoc eſt in eo omnem ſpẽ collocaſſe, eiúſque voluntati ante omnia ſtuduiſſe, inde ipſum ſibi ſemper adeſſe à dextris, vt ſe in omnibus tueatur, cuncta pericula depellat, ne vſpiam nutet. Poſt hæc commodùm animi ſui lætitiam profeſſus, ſecuritatẽ ſimul quam ex hac Domini tutela habeat, pluribus explicuit, ſubiiciens Dominum ſe haudquaquam ita deſerturum vt ad inferos deſcendat à morte ſuperatus. שחת Græci, per διαφθορὰν reddunt, quod corruptionem ſignificat. ſpectarunt enim vocis huius originem. Nam quòd ea ſepulchrum in Scripturis ſignificat, inde eſt quòd in ſepulchris cadauera corrumpuntur & diſpereunt. Reddiderunt ergo ſimpliciter, quod Vates dixit figuratẽ. Priorem quoque particulam לשאול ad verbum expreſſerunt. nam εἰς ᾅδου non ἐν ᾅδῃ reddiderunt. vnde liquet & ipſos intellexiſſe ſic ſeruari Sanctum, ne ad inferos deſcendat. Sic & in Actis 2, & 13, citatum hunc locum legimus. Id verò ideo annotandum duxi, quo appareat quàm conſtent quæ diuus Petrus & Paulus ex hoc loco probarunt: & habeant quoque rudiores quod hîc Iudæis calumniantibus lectionem Eccleſiæ reſpondeant. Fides noſtra habet Chriſtum inferos adiiſſe, verè mortuum & ſepultum: at neque animam apud inferos, neque corpus eius in ſepulchro detineri, atque ita corrumpi potuiſſe. Ad huius veritatis confirmationem, quum adducitur præſens Pſalmi huius locus, vti & Petrus atque Paulus eum ad probandam Chriſti reſurrectionem adduxerunt, rident nos Iudæi, atque dicunt hîc Dauidem cecíniſſe ſe ſeruandũ à Domino, quem colendum ſibi, & in quo ſperaret, vnicum propoſuerit, ne in ſepulchrum vel ad inferos deſcenderet, & ne videret foueam, id eſt ne reconderetur in foueam corrumpendus. His obiicere licebit quod diuus Petrus citato hoc loco in Actis, patrib' illorum obiecit, Patriarcham Dauidem mortuum eſſe & ſepultum, & ſepulchrum eius ad eum vſque diem, quo iſta Petrus loquebatur, fuiſſe apud Iudæos. Nõ eſt igitur in Dauide quod hic canitur, impletũ. Anima enim eius tandem ad inferos deſcẽdit, & vidit caro eius foueam, in qua & conſumpta eſt. At in Seruatore verè completum illum ſcimus licet enim mortuus & ſepultus fuerit, non tamen in morte & ſepulchro hæſit, ſed in triduo rediuiuus, immortalem & beatam vitam in corpore quoque ſuo auſpicatus eſt: vt non iniuria dicatur inferos nunquam adiiſſe, neque vidiſſe ſepulchrum. Etenim ſi de credentibus in ſe, propter reſurrectionis expectationem, Seruator dixit, mortem huiuſmodi nunquam guſtaturos: id multo rectius de ipſo, qui ipſa vita eſt & reſurrectio, dicitur. Mortuum igitur & ſepultum verè confitemur, qui verè mori & ſepeliri pro nobis ſuſtinuit. At dum adeò nihil morti in eum conceſſum eſt, vt ipſe mortem confecerit, quod in Hoſea prædictum Paulus 1.Corinth.15.g.54, citat: rurſus verè dicemus eum mortem nũquam guſtaſſe, eóque nunquam inferos adiiſſe, & ſepulchrũ nunquam vidiſſe: quæ ii ſoli planè experiuntur, qui vitam quæ Chriſtus eſt, non habent. Hanc autem quia & Dauid habuit, haud inficiamur, & de eo verè dici ſeruatum diuinitus, vt in ſepulchrum non deſcenderit, & in foueam non peruenerit, non ſolùm certo tempore, ſed in æternum. Nam etſi non illico vt Seruator, à morte ſit reuocatus, vixit tamen ſemper, viuítque animo beatus, reſurrectionis quoque corporis ſui certus. Sic autem mori, eſt non mori: ſic ſepeliri, eſt non ſepeliri: & corpore corrumpi, non eſt corrumpi, pronuntiante Seruatore domino vitæ & mortis: dixit enim iam ad vitam à morte tranſiiſſe quicunque in ſe crediderint, & mortem nunquã viſuros. Nec ergo ſepulchrum huiuſmodi vident, nec inferos. Verum vt hæc à Chriſto habent, qui & reſurgentium primitiæ

Lucas Act.2.e.31, & 13.e.35, explicant.

Hoſeæ 13.d.14.

Iohan 5.d.24.

eſt, ita quicquid huiuſmodi de priſcis illis Scriptura memorat, Chriſto præcipuè competit, in quo ſolo hæc completur,& à quo Sanctis pro ſua cuique portione, communicatum eſt. Rectè itaque & firmè Petrus dixit, Dauidem cum Propheta eſſet,& ſciret iureiurãdo ſibi promiſſum vt Chriſtus in ſolio ſuo ſederet, regens verum Iiſraelem, præſcium de reſurrectione illius iſta ceciniſſe. Chriſtum vtique, per quem omnia condita & reſtaurata ſunt, agnouit vnum humani generis ſaluatorem,& reſurrectionis autorem, per quem pericula ſua cuncta euaſit, & mortem in æternum euaſurum ſciebat. Quum ergo hîc de fœlicitate ea cecinit, quæ eſt iis qui Dominum ſibi ſolum obſeruandum & metuendum proponunt, & verè ſe ſanctis Dei iunxerunt, atque ita de vera & æterna vita, & hanc ſequente lætitia & iucunditate in conſpectu Dei, quæ omnia per vnum Chriſtum conſtant,& Sanctis contingunt: quis dubitet mentẽ eius, quũ hæc ſcriberet, in Chriſtum raptam, atque ita de ſe iſta ceciniſſe, vt & ipſe ſe Chriſti typum agnoſceret, & agnoſcendi aliis quoque occaſionem daret? Iis itaque verbis vſus eſt, quæ ſi rectè perpendas, ipſi per ſe haudquaquam competere poſſunt: ſic omnium hæc ritè conſiderantium mentes à ſe in Chriſtũ pulchrè voluit ſubuehere, in quo perfecta & cõpleta, quæ in ipſo tantùm informata & deliniata fuere, habentur. Quo ergo hæc in Seruatore plenius & certius cognoſcerentur,& Iudæi minus haberent quo noſtra calumniarentur, ſimpliciter omnia de Dauide, ſed vt Chriſti exemplari, interpretatus ſum. Verùm vti iam monui, mens Chriſto dedita animaduertat tam ea quæ hîc, quàm quæ alibi ſiue de Dauide, ſiue de aliis patribus magnifica, Scriptura prædicat, haudquaquam in Dauide, vel aliis Chriſti typis, ſed in ipſo Seruatore tantùm eſſe conſummata, atque inde & membris eius omnibus, vnicuique tamen pro ſua portione, competere, à quo & Patres illi acceperunt quicquid huius habuerunt. Nec offendat, ſi reſponſio hæc riſum Iudæorum non compeſcat. Stultitia & offendicula iſta ſunt omnibus quibus Chriſti Spiritus nondum contigit: ψυχικοὶ enim perſeuerant. Dixit itaque & de ſeipſo Dauid, Deo, Non deſeres animam meam, vt ad inferos demigret, neque permittes vt foueã videat caro mea. Nam etſi vtrunque naturæ neceſſitate, quam tranſgreſſio primorum parentum peperit, expertus ſit, attamen præ reſurrectionis ſpe,& primitiis vitæ beatæ, quas per Chriſti Spiritum poſſidebat, etiam ipſe ſe à morte ad vitam tranſiiſſe agnouit:& corporis mortem, aditum ad vitam magis, quàm mortem habuit. Hoc autem quia dono Chriſti habuit, & ex eo quòd eius Spiritu viueret, in ſe ſimul Chriſti typum exhibuit, & de ipſo vaticinatus eſt, haud fore poſſibile vt à morte (vt Petrus inquit) teneretur, vtique in ſpei ſuæ autorẽ, mentis oculos in his extulit: quandoquidem verba, ſi ea vrgeas, in Dauidem haud propriè, vt dixi, quadrant. vnde piis & veritatem, non contentionem quærentibus, ſatis liquet, appoſitè & verè de Chriſto ea ab Apoſtolis adducta eſſe, qui ſolus mortem deuicit, & æternam vitam ſuis reſtituit, cóque tam glorioſe in triduo ſtatim à mortuis ſeſe recepit, vita immortali & beata ſuſpiciendus. Sed neque non verè ex eis & Eccleſiaſtici dicunt, Chriſtum in ſepulchrum & ad inferos demiſſum, at in his nõ potuiſſe detineri. hoc nanque eſt ſimpliciter dicere, quod Vates per hyperbolem vel catachreſin dixit. Nam per id quod cecinit, Dominum ad inferos non deſcenſurum, neque corruptionem vel foueã corruptionis viſurũ: nihil aliud ſignificare voluit quàm illico eum reſurrecturum, & in morte vel ſepulchro, aut apud inferos detineri nõ poſſe. Hæc tum & Iudæi videbũt, quum ignorantiæ velum illis ab oculis, quo nunc obuelantur, remotum fuerit. חסיד & hîc Græcus interpres ὅσιον, id eſt ſanctum vertit: ſed vt in verſu tertio Pſalmi quarti diximus, bonitatis ſtudioſum ſignificat, quales Deus peculiariter ſuos agnoſcit. ipſum enim qui nihil niſi bonitas eſt, referunt Spiritu eius donati.

11 *Notam facies mihi ſemitam vitæ: ſatietas lætitiarum apud faciem tuam, iucunditates in dextera tua ſemper.* Hæc Kimhi vt precationem intelligit: at mihi magis videntur tanquam cauſa, præcedenti verſui ſubiecta. Gloriatus eſt ſe à Deo haudquaquam deſerendum vt ad inferos demigret,& in ſepulchro corrumpatur. Quibus verbis vtique de vita ſempiterna gloriatus eſt, quæ Spiritu hîc incipit, in futura autem cõſummatur. Quibus itaque hunc Spiritum Deus largitur,& ad ſe trahit, iis notam ſemitam vitæ facit, qua nimirum æternam vitam adeant. Vt autẽ indicaret conſummationem vitæ huius non eſſe ſeculi præſentis, ſed futuri, in quo Deus facie ad faciẽ, hoc eſt ſicuti eſt, videbitur: ſubiecit, Cum facie tua: id eſt in tua præſentia, apud te, eſt lætitiarum ſatietas: id eſt omnium rerum quæ verè animũ lætitia perfundere queant: quod vt exprimerem, *omnis lætitiæ* reddidi. Vbi enim Deum, qui omne bonum eſt, plenè cognouerimus, plenè quoque amabimus,& in ipſo perfruendo, omni lætitia,& ea ineffabili perfundemur. Quibus hîc enim ex parte tãtũ, ſed pleniori cognoſcitur, ii quàm celeriter omnes vitæ huius delicias, opes,& quicquid mortales oblectat, abdicant? quanto gaudio crucem in mortem vſque perferunt? At niſi horum pectus cæleſti lætitia perfuſum eſſet, præſentia bona ſic haudquaquam reſpuerent, & triſtia deligerẽt. Hinc ergo piis facilè conîici licet, quàm ſolida ſit eius gaudii futura ſatietas,&

ea abſque faſtidio,dum reuelatã Dei faciem dabitur intueri,& vt habet Pſalmus 140.b.14,apud illam habitare. *iucunditates in dextera tua ſemper.* Similis videtur oratio illi in Prouerbiis 3.c.16, de Sapientia,Longitudo dierum in dextera eius, in ſiniſtra eius diuitiæ & dignitas. nam ſignificare voluit, à ſapientia vitam diuturnam,opes & dignitatem ſuppeditari. ita quum dixiſſet, apud faciem Domini eſſe ſatietatem lætitiarum, huius quaſi rationem ſubiecit,In dextera tua iucũditates ſemper: id eſt ſemper eas manu depromis,ſemper eſt in dextera tua quo ſempiterna iucunditate tuos afficias.Ab hac interpretatione perparũ abludunt & R.Schlomoh,& Abr. Ezra.Quum autem Seruator,vt homo,Spiritum Dei omnium pleniſſimè habuit,& nihil vnquam quod Patri parũ probâretur cupere potuit,eſt ei vitæ trames præ omnibus participibus eius monſtratus,vti & apud Patrem ſumma lætitia,atque iucunditate fruitur, ſcilicet primogenitus Sãctorum,& rex populi ſupernatis. Obſeruandum verò,vt à morte ſeruemur,neceſſe eſſe vt Deus ipſe vitæ ſemitam nobis monſtret:huc naturæ viribus per ſe aſpirare nequimus.

PSALMVS XVII, in genere mixto, [illegible].

ARGVM. *Vehemens & ardens Dauidis precatio,ut eriperetur à perſecutionibus Schaulis:in qua,ſicut in ſeptimo Pſalmo fecit,ſuam innocentiam innocenter iactat,opem implorat,perſecutorum ſuperbos mores & uana ſtudia deſcribit, tum ſuam fœlicitatem in cognitione Dei ſitam confitetur.*

PARAPH. 1 PRecatio Dauidis. Audi Iehouah quæ ex iuſtitia oro, attende vociferationi meæ:precationi meæ quam ore ſyncero fundo,aures accommoda.

2 Prodeat tandem abs te me dignum iudicium: declara te eorum quæ recta ſunt habere rationem.

3 Explora cor meum,inuiſe illud, etiam nocte examina me, vt quæ probãtur igni:nihil tamen deprehendes,nulla os meum praua cogitatio tranſgreſſa eſt.

4 Factis hominum iuxta verbum tuũ attendo,obſeruo quæ ii qui ad me tranſfugerunt,ſtudent.

5 Firma obſecro greſſus meos in ſemitis tuis,ne labantur pedes mei.

6 Te ego inuoco,nam ſoles mihi annuere,ô Deus:admoue tuam aurem mihi, & audi quæ loquor.

7 Fac inſignem tuam bonitatem, qui ſeruare ſoles tibi confidentes, ab iis qui contra dexteram tuam inſurgunt.

8 Cuſtodi me vt pupillam oculi,velut ſub vmbra alarum abſconde me

9 Ab improbis qui vim mihi faciunt, ab hoſtibus meis,qui me vt vita ſpoliẽt, cingunt.

10 Præ opulentia ſua clauſerunt animum, ore ſuo ſuperba loquuntur.

11 Modò greſſus noſtros obſident: oculos ſuos habent in nos defixos, ſiquando nos ſternant.

12 Velut leo inhiat prædæ vt corripiat,velut leo iunior in abdito latitat.

13 Inſurge Iehouah, auerte illum, deiice illum, eripe animam meam ab improbo qui tibi vice gladii eſt:

14 A mortalibus iſtis,qui tibi vice manus ſunt,qua cædis: à mortalibus huic ſeculo addictis,qui partem ſuam in præſenti vita expetunt,vt ventrem modò ipſiſè theſauro tuo impleas, & ſatis habeant filii eorum, ſítque quod nepotibus ſuis relinquant.

15 At ego iuſtitia fretus, contemplabor adhuc faciem tuam:ſatiabor, quũ euigilauero,conſpectu tuo.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *AVdi Iehouah iuſtitiam,ſuſcipe clamorem meum,percipe auribus deprecationem meam,non in labiis doli.*
2 *A facie tua iudicium meum prodeat:oculi tui uideant æquitates.*
3 *Explorabis cor meum,inuiſes nocte,igne me examinabis,non inuenies:cogitatio mea non præteribit os meum.* Ipſa Pſalmi verba abunde indicant, Dauidem precationem hanc contra hoſtes ſuos ,à quibus premebatur,ſumméque anguſtiabatur, compoſuiſſe: ac ita animi ſui in maximo periculo,à ſceleratis inimicis ſuis deprehenſi, habitum hîc referre. Nam quæ hîc perſecutoribus ſuis mala

trihuit,& in aliis Pſalmis (quos ipſorum inſcriptiones teſtantur in Schaulem & aſſentatores eius ſcriptos eſſe) leguntur, vt videre licet in Pſalmis 7,55,56, & ſequentibus aliquot. Ad veri ſimilitudimem igitur propendere videtur, eoſdem & in hoc Pſalmo notari, atque cõtra eos hanc precationem eſſe inſtitutam. Id quod & Kimhi viſum eſt. Proinde contra illos orat, *Audi Iehouah iuſtitiam*: hoc eſt iuſtam precem, ex iuſtitiæ ſtudioſo corde profectam, quum illi iniuſtitiæ prorſus deuoti exiſtunt. Chaldæus, Suſcipe Deus iuſtitiam meam in iuſtitia. Græcus, Iuſtitiam meam. Hieronymus, Audi iuſtum. Vt verò referret quanto cum ardore opem Dei implorasſet, adiecit, *Attende vociferationi meæ.* רנה enim elatam, vt Kimhi tradit, vocem, & clamorem quendam ſignificat, quocunque affectu edatur, ſiue ex dolore, ſiue ex lætitia, ſiue ex ardore voti & precationis, ſiue alia de cauſa vocem exaltari contingat. Precantes plerunque ſubmiſſe loquuntur, & murmurant magis quàm loquuntur: at vbi magnis & ſubitis periculis vrgentur, ſolent etiam vocem attollere & vociferari. talem vociferationem Vates hic voluit exprimere. Cæterùm & congeries iſta, Audi iuſtitiam, attende vociferationi, auſculta precationi, quibus nihil niſi vota ſua admitti petiit: æſtuantis ex periculi & perſecutionis magnitudine animi affectum teſtatur. Quod verò adiecit, *Non in labiis fraudulentis*: ſuam innocentiam teſtatur, qui innocenti & ſimpliciore animo, omniſque doli experti precetur. *A facie tua prodeat iudicium meum.* Fieri tandem à Domino inter ſe & hoſtes ſuos iudicium petit, orat vt iuxta merita ſua Deus pronuntiet, hoc eſt ope lata declaret ſe ipſius cauſam approbare, & conſiderare æquitatem, eiúſque dignam rationé habere. Eodem verbo nin & in verſu 4, Pſalmi 11, vſus eſt, Iehouah in cælis ſolium ſuum habet, oculi eius conſiderant, & obtutus eius explorant homines. Haud verò ſcio annon præſens precatio conueniat cum illa, verſ. 7, Pſalmi 7, Euigila ad me iudicio quod mãdaſti: quod alii legunt, Excita iudicium quod mandaſti. Vt enim ea precatione Dauid regnum ſibi deſtinatum, tandem vindicari: ita dum hìc ſuum à Deo prodire iudicium orat, vtique petit ius ſuum defendi, & regnum adſeri, ac ita re ipſa declarari quid de ſe Deus ſtatuerit & iudicarit. In quo & id appariturum erat, Deum quæ recta & æqua ſint cõſiderare, & iuſtam eorum rationem habere. Quo autem animi ſui integritatem magis teſtaretur, obtulit ſe Dei quæſtioni, & illi quàm exactiſſimæ, *Explora*, inquit, *cor meum, muſe nocte*. Nocte enim dum ab externis negotiis animus vacat, ea quæ in penetralibus animi latent, magis ſeſe proferunt. Niſi quis malit hanc allegoriam ex more hominum mutuatam, qui eos quorum ſecreta noſſe percupiunt, nocte inopinatos, & omnium ſecuros, eóque ſui maximè ſimiles, & in iis præcipuè occupatos ad quæ fertur eorum animus, obruunt, & res & actiones eorum perueſtigant. Super hæc verò tertium gradum adiunxit, *Igne me examina*: quo alluſit ad probationem auri & argenti, de qua in verſu 7, Pſalmi 12. Sic verò ſe habet animus ſibi rectè conſcius, Deo ipſo quæſtionem exercente, & eam quamlibet ſeueram, innocentiæ ſuæ nihil metuit. hinc ſubiecit, *Nihil inuenies* quod vnquam contra meos iſtos hoſtes ſim prauè molitus, vti de me falſò iactant. In aliis enim ita peccatorem ſe agnouit, vt orauerit ne Dominus ſecum in iudicium veniret, Pſal. 143. a. 2. Eandem conſcientiæ fiduciam & illud teſtatur quod ſequitur, *Cogitatio mea non præteriit os meum*: id eſt nulla praua cogitatio (eſt enim hìc זמתי, de qua voce ſuprà) prodiit ore meo. Kimhi & Abr. Ezra interpretantur, Animus à verbis minime variat: vt idem ſit cum illo ſuprà, Non in labiis fraudis. Id verò argumento non male quadrat. Animum certè fidum Schauli, & ſuis ſemper verbis & factis reſpondentem exhibuit: neque aliud animo molitus eſt, aliud verbis præ ſe tulit. Significat quidem זמה, prauam & peruerſam cogitationem pluribus in locis: at Prouerb. 2. b. 11, & aliis etiam in locis, in bonam quoque partem hæc vox accipitur.

4 *Ad verba hominis in verbo labiorum tuorum: ego obſeruaui vias peruerſi.* Hoc verſu quarto ſecundũ ſententiam Abr. Ezræ, & Kimhi, teſtatur de ſe Dauid, quòd & alios à peruerſis actibus auocauerit, in eo quòd canit hominum ſe opera obſeruaſſe, & à ſemitis malorum iuxta Dei verbum quos potuerit auertiſſe. Illud enim, *obſeruaui ſemitas peruerſi*: Kimhi intelligendum autumat vt illud Gen. 3. d. 24, Collocauit Deus ante hortum deliciarum Cherubim, & aciem gladii vtrinque incidentis, ad obſeruandum viam arboris viuificæ. Obſeruari enim hanc Deus volebat, ne homo eam adiret. Sic Dauid peruerſorum hominum vias & inſtituta obſeruauit, ne quem pateretur illa ſectari. פריץ peruerſum ferè reddunt: ſignificat enim eum qui legem perrumpit, & omne ius diſſipat, eo quòd פרץ idem eſt quod perrumpere & diſſecare. Chaldæus habet, Verè ſpeculatus ſum opera filiorum hominum: in verbo labiorum tuorum ego obſeruaui viam audacis. Hieronymus, Vias latronis: Græcus, Vias duras. Hæc verò omnia voce פריץ ſignificãtur. Mihi verò conſideranti Pſalmi argumentũ, & quòd videtur de perſecutione Schaulis eſſe compoſitus, veriſimile eſt פריץ hìc ſingulariter pro plurali poſitum, & ſignificare eos qui ad Dauidem tranſfugerant, rupto & abiecto iugo ſiue Schaulis, ſiue aliorum, quo durius premebantur. Hi certè duri, audaces, & latronibus ſimiles erant. Huius rationem mox reddam. Senſus ergo e-

rit, Non ſolùm ipſe me innocenter ſeruaui, & ab iniuria eorum qui me perſequuntur cótinui, ſed & alios inde reuocaui. *Operibus hominum aliorum iuxta uerba labiorum tuorum*, id eſt iuxta tuum præceptum intentus fui, curámque habui vt mandatis tuis minime aduerſarétur: diligenter enim obſeruaui ſemitas eorum qui ad me confugerunt, perrupto quo tenebantur imperio. Propterea enim quòd collegerant ſe apud Dauidẽ quique obærati, & animis perturbati, numero plus minus quadringẽti, & ipſe illorũ princeps erat, 1. Schem. 22. a. 2, facile creditu eſt, inimicos eius plurima & infanda mala de eo ſparſiſſe, quæ contra regem & regnum moliretur. Certè Nabal ille Carmelita nuntiis illius obiiciebat, multos ſeruos ſe à dominis ſuis auellere, & Dauidi adiungere, 1. Schm. 25. b. 10. Haud igitur ab re fuit, vt ſuam innocentiam, etiam quantũ ad tranſfugas iſtos attinebat, quorum ſanè culpa ipſi præſtãda erat, teſtaretur. Hoc ſanè loco Scriptura verbo vnde פריץ deductum eſt, vtitur. Dicebat enim Nabal, Hodie multi ſunt ſerui מתפרצים, id eſt qui erumpunt, ſiue auellunt ſe à dominis ſuis. Satis ergo liquere puto פריץ etiam fugitiuum ſignificare. Durius illud videtur, Obſeruaui vias פריץ, pro eo accipere quod eſt, à viis פריץ meos arcui: quàm ſi intelligamus eum ſuorum vias obſeruaſſe, nequando ad mala deflecterent: & eos פריצים vocaſſe, ídque ideo quòd à patria & à creditoribus ſuis, aliiſq; oppreſſoribus eſſent auulſi, & quibus tenebantur, vincula perrupiſſent, latronibus iam & violentis hominibus non abſimiles. Hos autem Dauid ſic fuerat moderatus vt Nabalo cum veritate renuntiarent, paſtores illius à ſuis nulla iniuria, nullóve damno affectos fuiſſe omni eo tempore quo apud eos greges pauiſſent. Idem de illis & puer Nabali vxori eius Abigail teſtabatur, addẽs, illos ipſis valde bonos fuiſſe. Siquis autem de ſeipſo Dauidem, quæ hoc verſu continentur, dixiſſe putet, huic ex verbis nemo multum obiiciet, adeò ſunt obſcura. Neque abſurdus ſenſus fuerit, ſiquis intelligat Dauidem teſtatum ſe operibus hominum, iuxta Dei verbum fuiſſe ſic intentum, nequid mali ſequeretur: & vias peruerſorum ita obſeruaſſe, nequãdo in eas incideret. Hic ſenſus Rab. Schlomoh placuit. Priorem interpretationem ideo probabiliorem puto, quòd omnino hæc precatio inſtituta eſſe videatur contra hoſtes Dauidis, qui tam ipſum quàm eos quos ſecum habebat, indubiè multorum malorum accuſabant, vt ſatis ei cauſæ fuerit ſuam innocentiam, & quantum ad illos attinebat, defendere. Hoc autem exemplum admoneat, & eorum culpam qui à nobis aliquo modo pendent, præſtandam eſſe: eóque iure magiſtratibus imputari, quod ſubditi conniuentibus illis peccauerint. Porrò de hac innocẽtis animi fiducia & ſecura propriæ iuſtitiæ cõmemoratione, quatenus ea Sãctos deceat, pleraque in verſum 1, Pſalmi 4, & nonum ſeptimi, dixi. Sciebat Dauid ſe gloriæ Dei ſtudioſum, certus erat nullis malis artibus ad regnum aſpiraſſe: conſciúſque ſibi erat, ſe hoſtibus ſuis ſemper bene voluiſſe, illos autem contra Dei verbum niti, & immeritò ſibi infenſos eſſe: vnde haudquaquã dubitare potuit, tandem pro ſe Deum iudicaturum: id ergo orabat. Vera ſunt & ſimplicia apud Sanctos omnia. Nos autem hinc diſcamus, tam ſincero etiam in hoſtes animo eſſe nos oportere, atque omnẽ vel prauum cordis motũ adeò longe abeſſe, vt & Dei iudicium ea in re minimè vereamur. Hunc tam rarum candorem & Pſalmo 7, in exemplum Sanctis, Vates de ſe prædicauit, verſu 5. & 6.

5 *Suſtenta greſſus meos in ſemitis tuis, ne nutent greſſus mei.*

6 *Ego inuoco te, quia reſpondes mihi ô Deus: inclina aurem tuam mihi, & audi quæ loquor.*

7 *Admirandam fac bonitatem tuam, Seruator confidentium, ab inſurgentibus contra dexteram tuam.*

8 *Cuſtodi me tanquam pupillam, filiam oculi, ſub umbra alarum tuarum abſconde me.* Prioribus innocentiam ſuam, tam in ſua quàm ſuorum vita, quoad eius ipſe præſtare potuit, in gloriã Dei qui eam donauerat, cõfidenter ſanè teſtatus eſt. Ne igitur videretur ſuis hîc viribus aliquid arrogare, commodùm ſubiecit precem, qua primùm cuſtodiam innocentiæ, deinde depulſionem perſecutionis orauit. Suſtenta, inquit, hoc eſt firma greſſus meos in ſemitis tuis: dona vt perpetuò in illis perſeuerem, à tuo inſtituto nunquam deflectam, ne labantur paſſus, hoc eſt pedes mei, ne peccem tibi, atque ita & vltioni tuæ meipſum reddam obnoxium. Quia autem ſemper inter orandum Dominus ſuos conſolatur, & de auxilio quod laturus eſt, ſuo Spiritu certiores reddit, ſolet ferè Pſaltes poſt precationem ſubiicere, quibus ſpem ſuam de ferenda ope ſuffulcierit. Te igitur, inquit, inuoco, quia annues mihi, vel annuere ſoles: vtque omnibus miſſis ad opem tuam vnius confugio, ita oro precem meam clemens admittas, & lato auxilio illuſtrẽ tuam erga me bonitatem reddas Seruator confidentium. *In te*, eclipſi hîc à Vate omiſſum eſt. Ezra hac eclipſi offenſus, coniungit huic quod ſequitur בימינך, quaſi dixerit, Confidentium in dextera tua. Sed durius hoc eſt: & ſi ita voles legere, non erit quod cum *inſurgentibus* iungatur. ſubaudiendum igitur ad חוסים, id eſt confidentium, בך, id eſt in te: & בימינך, id eſt contra dexteram tuam, cum *inſurgentibus* iungendum. ב enim etiam cõtra valet. Deum ſiquidem ipſum oppugnant, & cõtra dexterã eius inſurgunt qui impugnant eos qui in fidem illius ſeſe commiſerunt. Græcus cõſentit nobis: adiecit enim verſu 7, ἐπὶ σε, in te. Et vltimam huius particulam, *à reſiſtentibus dexteræ tuæ*, con-

iunxit cum verſu ſequenti, Cuſtodi me, &c. Chaldæus habet, Vlciſcere in illos qui inſurgunt in eos, manu dextera tua. Addidit de ſuo, vlciſcere: in reliquo conſentit cum Abraham Ezra. In maximis periculis verſabatur, ideo orat vt Deus inſignem faciat bonitatem ſuam. Nam ſæpe non ſine raro miraculo, hoſtium manibus eripi potuit, vt quũ in ſpelunca eſſet deprehenſus. Item quũ eum exercitus Schaulis vndique cinxiſſet, & aliàs ſæpius. Proinde & verſu 8, exactã cuſtodiam, & non vulgarem precatur: nempe vt homines pupillam oculi, & aues pullos ſuos, quos imminente periculo ſubter alas ſuas abſcondunt, cuſtodiunt. Quòd durior tranſlatio ſit, ab auibus in Deum transferre alas (nam dixit, In vmbra alarũ tuarum) adieci, *velut*. Seruator quoque hac ſimilitudine vſus eſt, Matth. 23. d. 37. Quoties volui, vt gallina ſuos pullos, colligere filios tuos, & noluiſti? Alarum metaphora in Pſalmis identidem occurrit: nos ineffabilem Dei ſuper nos bonitatem hinc conſideremus. Nam quæ Propheta orauit, Deus ſuis cultoribus omnibus præſtat, eam curam & proſpectionem atque tutelam, vt nulla ſit in vlla creatura quæ ei queat conferri. Pluſquam ſolicita ea eſt quam aues impendunt ſuis pullis, per anxia quam homo oculis: at infinito maior, qua Deus tuetur in ſe credentes. Iam omnia ſimul Deus & nouit & poteſt. Verè igitur Scriptura paſſim beatos pronuntiat, qui fidei Domini ſeſe penitus commiſerint.

9 *A facie improborum qui me perdunt, inimicis meis, qui me propter animam cingunt.*

10 *Adipe ſuo clauſerunt, ore ſuo loquuntur in ſuperbia.*

11 *Greſſus noſtros nunc circumdederunt: oculos ſuos defixerunt, ut expandant in terram.*

12 *Similitudo eius ſicut leonis (qui) inhiat ad corripiendum, & ſicut leo iunior manens in abſconditis.* Reliqua conſonant. Mores & vim hoſtium ſuorum incipit deſcribere. Ad mores attinet quod verſu 9, improbos vocat: ad vim, quòd illos vim ſibi inferre dicit, & cingere ſe propter animam, hoc eſt, vt ei animam eripiant. vnde verti, *Qui me ut uita ſpolient, cingunt.* Chaldæus, animam ad hoſtes refert, legitque *in animam*, pro in voluntate animarum ſuarum. Sic eo quod verſu 10, canit, *Adipe ſuo concluſerunt, ore ſuo loquuti ſunt ſuperba*, conditionem perſecutorum notat. Vim & conatum opprimẽdi, canit verſu 11 & 12. Illo, Adipe ſuo concluſerunt, Kimhi ſignificari putat, quòd pinguedo eorum tanta fuerit, vt eis os clauſerit, & adeò vt præ deliciis ſuperbè locuti ſint. Incertum autem an hanc pinguedinem allegoricôs, vel ſimpliciter intellexerit. Adipe ſiquidem & pinguedine, rerum abundantia in Scripturis ſignificatur, vt Deut. 32. c. 15, Pinguis factus eſt Iſráel. & cætera. pro diues factus eſt, & opulentus. Si ita accipiamus, ſenſus erit, Præ diuitiis & opibus quibus abundant, claudunt ſiue cor, vt intellexit Rabi Schlomoh: ſiue os, vt Abraham Ezra. Certè vtrunque factioſorum hominum eſt, qui freti ſucceſſu rerum & copia ſuperbiunt, anguſto corde ſunt, neminem facile in amicitiam admittentes, ſtrictóque ore neminem facile compellãtes. Si legas, Adipem ſuum concluſerunt, vt Græcus legit, idem erit atque, Opes & copias ſuas ſibi repoſuerunt: inde ita ſuperbiunt, & faſtuoſa contra Deum & homines loquuntur. Id quod de huius farinæ hominibus, admodũ eleganti copia canit Pſalmo 73. a. 7. vtitur verò eadem metaphora pinguedinis, Præ adipe, inquit, egreſſi ſunt oculi eorum, id eſt præ nímia pinguedine vix poſſunt videre, obtegente faciei craſſitudine oculos. A quo habitu præpinguis hominis, indubiè fœlicitatis ſucceſſum deſcripſit. Vnde factum erat vt os ſuum in cælum ponerent, & lingua eorum perambularet terram, hoc eſt in Deos & in homines loqueretur, quæcunque eorum impietas & arrogãtia ferebat. Eadem allegoria pinguis craſſique hominis vſus eſt & Iiob, 15. c. 27, Obtexit os ſuum in pinguedine. Chaldæus habet, Diuitiæ eorũ multæ, adeps eorum operit os eorum, loquũtur arroganter. Hæc verò ad mouendos affectus mirè attemperata ſunt. Illi qui ſummo ſtudio innocentiam & omnem virtutem colebat, ne in abditiſſimis quidem, ſumméque deſertis locis patebat tutus latitandi locus: cõtrà, hoſtes eius homines ſcelerati, incredibili fœlicitate & potentia florebant. Non ſolùm vi, quanquam & hac multo maxima & diriſſima, verùm ſummo quoque aſtu, milléque artibus ad perdendum ſanctum Dei ſemper intentarant. Id verſu 11 & 12 canit, Modo, inquit, greſſus noſtros obſident. Quo præſens videtur periculum notare. Emphaſis eſt in *Obſident greſſus noſtros, poſuerunt oculos ut expandant uel inclinent in terram*, id eſt perpetuò in nos oculos ſuos fixos habent, ſiqua obueniat occaſio nos deiiciendi vt labamur in terrã. Kimhi interpretatur hæc, Intentos oculos habent, vt expãdant in terra, ſubaudi rete. *nta* enim etiam expandere ſignificat, ſicut & inclinare atque deflectere. Vtrouis autem modo hanc vocem accipias, ſatis manifeſtum eſt Vatem his verbis ſignificare voluiſſe, hoſtes ſuos attentos fuiſſe & inuigilaſſe vt ipſum perderent. Quod ſtudium verſu 12, vnà cum eorum atrocitate magis exprimit. Similitudo, inquit, eius, id eſt Schaulis, ſic eſt vt velut leo corripiat, & vt leo iunior, in abditis inſidet. Hac imagine vſus eſt & in verſu 9 ac 10 Pſalmi 10. Ibi eam quoque explanauimus. Summum ergo ſtudium ſe perdendi, ſummæ crudelitati coniunctum hoſtibus ſuis tribuit, dum eos ſimiles leonibus facit, prædam captantibus.

13 *Exurge Iehouah, præueni faciem illius, incurua eum, eripe animam meam ab improbo, gladio tuo,*

14 *A mortalibus manus tuæ Iehouah, à mortalibus de ſeculo: pars eorum in vita, & theſaurus tuus replebit eis ventrem, ſaturabuntur filij [eorum,] & relinquent pueris ſuis reſiduum ſuum.*

15 *Ego in iuſtitia contemplabor faciem tuam, ſatiabor ſpecie tua euigilando.* Deiici hoſtes ſuos orat, & ſortes eorum eſſe præſentis vitæ fœlicitatē notat. Præueni faciem eius, Schaulis, capitis reliquorum perſecutorū: hoc eſt intercipe illos, auerte eos à me. id quod & egregiè Dominus præſtitit, quū miſſo nuntio de incurſione Philiſtinorū, Schaulē à Dauide iam plane capto auulſit, 1. Schmu. 23.d.27. Improbum vocat gladium Dei: eo enim iudicium ſuum exercet. ſic Aſſur virga furoris Dei vocatur, Ieſcha. 10.a.5. Chaldæus reddidit, Ab impio, qui meretur interfici gladio tuo. Eadem ratione viros vel mortales manus Dei vocat, verſ. 14. Nam & manus pro plaga in Scripturis ſæpe accipitur. Vnde verti, Qui tibi vice manus ſunt, qua cædis, qua infers plagas. Eoſdē vocat homines de ſeculo: intelligēs eos vitæ præſenti addictos, & deſideria ſua præſēs ſeculū non excedere. חלד alioqui ætatem hominis ſignificat, & ſtatum vitæ præſentis, eo quòd fluxa ſit & caduca, & breui homo deſinat. nam חלד verbū deſinere ſignificat. Sic voce hac vſus eſt Pſalmo 39.b.6. Vt autem iſti nihil niſi præſentia expetunt, ita futuris bonis indigni, præſentia tantùm à Domino accipiunt. Vnde ſubiicit, Pars eorum & ſors in vita, nempe præſenti. Theſaurus tuus replebit ventrem eorum, Dabis eis quæ cupiunt, ventris peritura bona, eáque largiter adeò, vt & filii eorum ſaturentur, & pueris, id eſt nepotibus ſuis aliquid relinquant. Similia canit & Pſalmo 73, verſu 15. Chaldæus hunc verſum de iuſtis intellexit, ſed qua ratione, nō video: reddidit enim quæ in Hebræo prorſus non habentur. Sic enim habet, Et iuſtorum qui deuouerunt animas ſuas propter te in mortem de terra, pars in vita æterna: Theſaurus tuus bonis implebit peras eorum, ſaturabuntur filiis, & relinquent reliquias paruulis ſuis. Diuus Hieronymus, A viris manus tuæ Domine, qui mortui ſunt in profundo, quorū pars in vita, & quorum de abſconditis tuis repleſti ventrē: qui ſaturabuntur filiis, & dimittent reliquias ſuas paruulis eorum. Mirum verò, quum prius ממתים à viris verterit: cur poſterius, qui mortui ſunt in profundo, reddiderit. Nec illud cauſam habet, quòd pro מחלד, in profundo repoſuit. Græcus more ſuo etiam ordinem confudit, & prius ממתים ab inimicis, poſterius à paucis vertit. Rationē quā ſequutus ſit, nemo facilè reddiderit. Præſtat igitur Hebraicæ inhærere veritati. Quòd Vates ſe verſu vltimo his de quibus cecinit verſu penultimo, oppoſuit, ſatis indicat, illos impios eſſe qui præſentis tantùm vitæ bona morantur. Sic quoque hic verſus in præcedenti pulchrè cohæret. His iam ſe opponit, & eorum fœlicitati ſuam præfert, At ego in iuſtitia, id eſt iuſtitia fretus, contemplabor faciem tuam. Quaſi dicat, Iſti ſuas cupiditates ſequuntur iniuſtitiæ addicti, in ea ſibi placēt, dum externis bonis circunfluunt: ſed citius opinione hæc euaneſcunt, & dabunt ſcelerum ſuorum pœnas diriſſimas. Ergo horum proſperitas, vt ſtudia eorū ſequar, me nunquam illiciet. Iuſtitiæ, vt inſtitui, incumbam: & ſi in huius ſtudio plurima me mala experiri oporteat, minime tamen frangar. erit vt videā ô Deus faciē tuā, & ex tua præſentia vera beatitudine perfruar. Satiabor ſpecie tua, dum excitaueris me, dum euigilauero, nō tam ab iſtis quibus modò exerceor ærumnis, quàm à morte, qua hæc calamitoſa vita finem beatū accipiet. Abraham Ezra, ad Dei & operum eius pleniorem cognitionem, quæ Sanctis in hac vita contingit, hæc trahit: nec abſurdè: nam hic iſta fœlicitas incipit. Vita æterna ſiquidem eſt, cognouiſſe Deum: at conſummatio huius, futuri ſeculi eſt. תמונה, id eſt ſimilitudo vel ſpecies, & facies Dei, pro eodem hîc & alibi accipiuntur, nempe pro reuelatiore Dei cognitione, in qua eſt omnis beatitudo ſita, de qua in fine Pſalmi ſuperioris.

PSALMVS XVIII, in genere miſto, [illegible]

ARGVM. *Inſigne epinicion eſt, quo canit primùm certam ac immotam ſuam in Deum fiduciā. Deinde mala quibus fuerat obrutus. Poſtea Dei potentiam, & erga ſe uoluntatem, ſub imagine deſcriptam prægrandis tempeſtatis. Mox ſui liberationem, tum & innocentiam: atque Dei iudicia in omnes. Poſthæc victoriam malè ampliſſimam de hoſtibus potentiſſimis relatam: regníque mirandum in modum prolata pomeria, & potentiam in ſempiternum confirmatam. Laudibus poſtremo, & de Chriſto vaticinio, Pſalmum claudens.*

PARAPH. 1 PRæſuli Dauidis ſerui Iehouæ, qui dixit Iehouæ hunc hymnum, quo tempore per Iehouam iam Schaulis ac omnium hoſtium ſuorum manum, victor euaſerat:

2 Et dixit, Meritò diligo te ô Iehouah, ô robur meum.

3 Iehouah ô rupes mea, munimentum meum, ereptor mi, Deus mi, propugnator mi, huius me fidei cōmitto, clypeus meus, virtus qua ſeruor, perfugiū meū.

4 Celebrabo & colam Iehouam, & ab hoſtibus meis ſeruabor.

5 Inuaſerant me mortis anguſtiæ: torrẽtes quidam perditorum hominum me exanimarant:

6 Circundederant me anguſtiæ inferorum, laquei mortis implicuerant me:

7 Sed dum angebar, inuocabam Iehouam, ad Deum meum vociferabar: & is vocem meam in regia ſua audiuit, vociferatio mea coram eo effuſa ad aures eius peruenit.

8 Terra commota fuit & trepidauit, baſes montium contremuerunt & concuſſæ ſunt, quoniam iratus erat.

9 Aſcenderat in nares eius fumus, ex ore eius emicabat ignis quæuis vorans, carbones qui ab ipſo proſiliebant, omnia incendebant.

10 Demiſerat cælos & deſcenderat, caligo ſub pedibus eius.

11 Inequitabat ſuper volucrem, & volabat delatus alis ventorum.

12 Fecerat ſibi latibulũ, circunfundens vndique tabernaculo ſuo tenebras obſcuras, aquas denſas nubes.

13 Præ ſplendore qui apud illum fulgebat, rurſus denſæ nubes eius diſparebãt: vndique grando, & tela ignea.

14 Tonabat in cælis Iehouah, edebat vocem ſuam Excelſus, vndique grando & tela ignea.

15 Eiaculabatur ſagittas ſuas, & diſiiciebat illos: fulgura multa, & perterrefaciebat illos.

16 Te increpante ô Iehouah, & efflãte ſpiritum tuum, viſi ſunt aluei fluminum, & nudata fundamenta orbis.

17 E ſublimi demiſſa manu accepit me, extraxit me ex aquis multis.

18 Eripuit me ab hoſtibus potentibus, & odientibus me: nã præualuerãt mihi.

19 Anteuertit me auxilio, quum periclitabar, Iehouah fuit mihi præſidio.

20 Eduxit me in ſpatioſum, tutatus eſt: nam fauet mihi.

21 Rependit Iehouah mihi ſecundum iuſtitiam meam, & retribuit mihi iuxta puritatem manuum mearum:

22 Obſeruauerã ſiquidẽ plantas Iehouæ, nec improbus defeceram à Deo meo:

23 Ob oculos enim cuncta decreta eius habuerã, & leges eius nõ ſemouerã à me:

24 Integrum me illi præſtiteram, & ſeruauerã me nequid praui admitterem.

25 Retribuit itaque mihi Iehouah pro iuſtitia mea & puritate manuũ mearum qua ipſo iudice polleo.

26 Etenim bono te bonum exhibes, & viro ſyncero ſyncerum præſtas:

27 Cum candido candidè agis, & cum prauo perturbatè.

28 Etenim populum afflictum tu ſeruas, & homines elatis ſuperciliis deiicis.

29 Tu lucernam meam ô Iehouah, accendiſti: Deus meus luce ſua tenebras meas diſpulit.

30 Per te aciem infregi, per Deum meum muros tranſiliui.

31 Deus agit ſynceriter, ſermo Iehouæ velut igni probatus, clypeus eſt omniũ qui ipſo fidunt.

32 Quis enim Deus præter Iehouam? quis propugnator præter Deũ noſtrum?

33 Deus ipſe heroica me virtute inſtruxit, & dedit cœptis meis ſucceſſum.

34 AEquauit pedes meos pedibus caprearum, in quamlibet excelſa loca me ipſe conſtituit.

35 Ipſe manus meas militiæ adſuefecit, dedítque vt arcus chalybæos brachio

meo confringerem.
36 Muniuiſti me clypeo ſaluifico,& dextera tua ſuffulſit me: benignitas tua hoſtibus ſuperiorem me fecit.
37 Viam muniuiſti mihi,vt inoffenſe ingrederer,ne vel nutarent tali mei.
38 Perſequutus ſum hoſtes meos, & aſſequutus, neque reuerſus ſum donec eos darem internecioni.
39 Cecídi eos,nec potuerunt conſiſtere,proſtrati ſunt ſub pedibus meis.
40 Inſtruxiſti me ad bellum virtute heroica: & depreſſiſti eos ſubter me,qui cōtra me inſurgebant.
41 Effeciſti vt terga darent hoſtes mei,& odientes me deleui.
42 Vociferabantur, ſed nemo erat qui opē ferret:ad Iehouā, nec annuit eis.
43 Contudi eos, vt eſſent inſtar tenuis pulueris vento expoſiti: velut lutum in plateis eos comminui.
44 E rixis populi eripuiſti me,& cōſtituiſti caput Gentibus: populus ſeruit mihi,de quo nihil ſciebam.
45 Simul atque de me audierunt, vltrò ad me ſupplices venerunt, alienigenæ mihi ſeruiliter ſupplices facti ſunt.
46 Alienigenæ contabuerunt,& incluſi locis munitis trepidarunt.
47 Viuat Iehouah,laudetur propugnator meus, & exaltetur De' ſeruator meus,
48 Deus qui dedit mihi vt hoſtes meos vlciſcerer,qui ſubiecit populos ſub me,
49 Qui eripuit me de hoſtibus meis, extulit ſuper eos qui cōtra me inſurgebant, & liberauit à viro violento.
50 Propterea celebrabo te ô Iehouah in Gentibus,& canam nomini tuo.
51 Qui magnificè ſalutem attulit regi ſuo, benignè fecit vncto ſuo Dauidi, & eius poſteris in perpetuum.

ADVERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

P*Ræſuli,ſerui Iehouæ Dauidis, qui dixit Iehouæ uerba cantici huius in die quo liberauit eum Iehouah de manu omnium hoſtium ſuorum,& de manu Schaulis.* Quàm variis & difficilibus caſibus Dauid à puero ferè exercitus ſit, priores duo Regum libri (quos Schmuelis Hebræi inſcribunt) luculenter memorant.Eam hiſtoriam non modò cognitam, ſed familiarem etiam eſſe Chriſtianis oportebat,cum propter cognoſcendos Pſalmos,tum quòd inter præcipuos qui Chriſti typum geſſerunt,Dauid habeatur:denique quòd prouidētiæ Dei ratio in his mirificè prædicatur. De exilio,& multiplici fuga Dauidis, in Pſalmo vndecimo quædam perſtrinxi: ea velim optime lector in animum reuoces:tum perpēdas & quæ cæſo Schaule, & regno Iehudah ipſi delato, pericula adierit,quæ mala exhauſerit,& vt in omnibus præſentem ſemper Dei opem expertus ſit.

Pericula & victoriæ Dauidis.

Primùm ſeptem annis ſola tribus Iehudah eum regem agnoſcebat, quanquam Schmuel eum ex Dei iuſſu,regem ſuper Iiſraelem vniuerſum vnxiſſet.Eo verò tempore multa indubie ab amicis Schaul illi mala obuenerunt,vt non ſemel de regno & vita periclitaretur. Nam Iſchboſeth filium Schaulis,totus Iiſrael biennio regem habuit,vigebátque bellum inter domum huius & domum Schaulis perpetuum, quod raræ virtutis vir Abner, princeps militiæ Schaulis adminiſtrabat,totis viribus regnum ſuo regi aſſerens. Hæc ſacra hiſtoria memorat,2.Schmu. 2 & 3. Sed neque occiſo Iſchboſeth, quē totus Iiſrael ipſum iam regem recepiſſet, laboribus ei & periculis defungi datum eſt. Statim nanque ex Dei iuſſu bellum mouit Iebuſitis,quibus vrbem Ieruſchalaim ademit. Mox Philiſtæi quum audiſſent eum regem ſuper vniuerſum Iiſraelem vnctum,omnes contra eum aſcenderunt,ſperantes ſe initio regni,rebus nondum confirmatis,eum extincturū. ſed adfuit ei Deus,vt illos binis prælis funderet,ac plurimos eorum occideret. Hæc legis 2.Schmu.5, & 1.Para.14. Cum hac gente poſtea plura prælia commiſit, ac non ſemel in præſens vitæ diſcrimen venit: præcipuè autem, quum fatigato ei immineret Ieſbi ex filiis Raphah,qui & occidiſſet eum,niſi Abiſai opem tuliſſet, & Philiſtæū illum interemiſſet. vnde iurauerunt tum eius milites haud paſſuros ſe deinceps vt contra hoſtes in aciem prodiret, 1.Schmu.21.c.16, & 1.Paralipo.20. Præter multa autem & difficilima bella, quibus Philiſtæos tādem domuit, atrocia etiam geſſit cum Moabitis,Syris,Edomitis & Ammonitis,

quos omnes à Deo adiutus, tandem imperata facere coegit, & vectigales ſibi reddidit. Horum hiſtoriam legis cap.8.10.& 11.& 2.Schmu.& 1. Paralipo.18.& 19. Porrò hoſtibus alienigenis circunquaque deuictis,quum iam pacata omnia videbantur, grauiſſima erupit contra eum coniuratio: eáque autore Abeſhalom eius filio,cui aderant quique potẽtiſſimi,callidiſſimique regni proceres: quo occiſo,alteram excitauit Scheba filius Bichri.His duabus cõiurationibus ſanè non minus afflictus fuit quàm vllis antea vel Schaulis perſequutionibus, vel alienigenarum bellis. Hæc leguntur 2.Schm.à quintodecimo vſque ad vigeſimum primum. An verò hymnum præſentẽ cecinerit poſtquam harum etiam coniurationum pericula euaſiſſet, an quum alienigenas circunquaque deuiciſſet,incertum. Abraham Ezra autumat eum compoſitum quũ milites eius iuraſſent nõ paſſuros ſe illum deinceps cum hoſte manũ conſerere. Inſcriptio cunctos hoſtes, & nominatim Schaulem memorat. Sed in ſecundo Schmuelis, poſt extinctas etiam illas cõiurationes hic hymnus ponitur. Vt autem hinc nihil certi queat colligi, quum conſtet Sacram hiſtoriam, rerum geſtarum ordinẽ narrando non ſemper obſeruare, quæ tamen Pſalmus canit, victorias ab alienigenis relatas, & à perſequutione Schaulis liberationem celebrare videntur. Quo igitur planius omnia intelligantur, poſt hiſtorias exilii Dauidis,& perſequutionis Schaulicæ, quæ ſummatim perſtrinxi in Pſalmo vndecimo, ea præcipue conſideranda erunt, quæ de bellis Scriptura memorat geſtis cum Allophylis. Schaulem verò ideo nominatim expreſſit, quòd è manu eius nõniſi raris & multis miraculis euaſerit. Seruum ſe Dei prædicat, quòd toto animo, totíſque viribus illius ſe voluntati conſecraſſet.

2 *Et dixit, Diligam te ô Iehouah, robur meum.*

3 *O Iehouah tu rupes mea, arx mea, ereptor mi, Deus mi, propugnator mi: confidam eo, clypee mi, cornu ſalutis meæ, perfugium meum.* Principium ארחמך vertunt cum Græci, tum Latini, Diligam te. Et ſic quoque id reddidit Chaldæus: nam poſuit ארחמינך, id eſt Diligam te. hoc ſignificatum cum argumẽto Pſalmi, in quo canit quàm magnificè ſibi opem Deus tulerit, haud male quadrat: ſic ergo & ipſe hoc reddere volui. Hunc verò ſenſum habet, Diligam ſemper te ô Iehouah, tuóque in amore, vt meritò, ita propẽſiſſimo animo perſeuerabo. Hunc ſenſum & Kimhi probat, dicens dilectionem vltimum eſſe quod homo in hac vita, ad id vt fictori ſuo Deo accedat, præſtare queat. indéque Deum Abraham hoc nomine laudaſſe, quum dixit, Semen Abrahæ diligentis me. Porrò Abrahã Ezra vult ארחמך hîc idem eſſe atq; Petam miſericordiam abs te. Scribit enim, quum hoc verbum ſignificat alterius miſereri, vbique in Bibliis in coniugatione piel reperiri: hic autem haberi in coniugatione kal, ideo paſſiuè accipiendũ, vt illud Ierme.10.c.20, בני יצאוני. Quod verbũ ſi in cõiugatione piel poſitũ eſſet, ſignificaret, Filii mei eduxerunt me: nunc autẽ poſitũ in kal, ſignificat, Filii mei egreſſi ſunt ex me. Sic ergo verbũ רחם ſi fuiſſet hîc in piel poſitũ, ſignificaret, miſerebor tui. nunc legendũ eſt, miſericordiã petã abs te, tua miſericordia, tua paterna beneuolentia nitar. Etenim, רחמים quæ miſerationes reddi ſolẽt, quæ & præſenti verbo ſignificãtur, inde ita vocatæ ſunt quòd רחם vterum ſignificat, vt ea miſericordia, charitas, & beneuolẽtia hoc verbo exprimatur qua ſolet mater affici filio vteri ſui. Hũc qui ſequi volet, ei quod hîc Vates canit, perinde erit ac ſi dixiſſet, Tua paterna charitate & beneuolẽtia perpetuò confidã: hãc ſemper implorabo, poſtquã tam prolixè mihi opẽ tuliſti, & à puero vſque in hanc horã me mirificè adeò per mille rerũ diſcrimina duxiſti, ſeruaſti, & liberũ tandem malis omnibus in tãtam gloriam & dignitatẽ euexiſti. Quo autẽ teſtaretur quãtum fidei ſibi ex tot tentationibus acceſſiſſet, quámque aucta ſibi fiducia in Deũ eſſet, quàm denique arderet in laudes Dei, ampliſſimã vocum, quibus hæc exprimeret, congeriẽ in inuocatione poſuit, quibus nimirũ hoc ſignificare voluit, ab vno ſe Deo omnibus periculis ereptũ, ſeruatum, atque hoſtibus ſuis ſuperiorẽ factum: & idcirco hoc vno ſe in perpetuũ nixurum, hunc amaturum & prædicaturũ. *Robur ſuum* vocat, quòd omne robur, omnem virtutem ſibi ſuppeditaſſet. *Rupem & munimentum*, quòd ita in fide eius tutum refugium habuiſſet, vt ii tutos ſe putant qui ſe in præruptas rupes, & loca quædam aditu & expugnatu difficilia receperunt. Hæc loca dicuntur Ebræis מצדות. Talia parabant ſibi Iſraelitæ quũ vaſtarentur à Madianitis, Iudic.6.a.2. Dauid quoque in eiuſmodi diu agebat, dum Schaul eum perſequeretur, 1. Schm. 22.23.24. Subiicit, *Ereptorem*, quòd ſe ſæpe præſentibus periculis eripuerit, non ſecus atque ſiquis ouem è faucibus lupi eriperet. Deũ, id eſt אל (quod nomẽ à fortitudine & virtute inuicta deductũ eſt) quòd mirifica & planè Diuina ſibi virtute opẽ ſemper tuliſſet. Quidã legunt, Fortis meus. *Propugnatorem*, id eſt צור, (id à petræ robore in Deum trãſlatum videtur) quòd expertus eum eſſet defenſorem & propugnatorẽ. Deut. 32.e.30, quum Moſcheh cauſam vellet oſtendere cur non vnus perſequeretur mille, & duo fugarẽt decem millia, iuxta Dei promiſſionem ſubiecit, Quia צור, id eſt propugnatorem ſuum cõmutarunt, & Iehouã reiecerunt. Et mox, Quoniã non vt צורנו, id eſt propugnator noſter, צורם, id eſt propugnator illorũ. Sic & Hannah mater Schmuelis, Nõ eſt צור vt De' noſter. Et infrà in hoc Pſalmo verſu 31, Quis Deus præter Iehouam, & quis צור præter Deum noſtrũ? Et iterũ Deut.32.e.37, irri-

dens Moſcheh fiduciam populi collocatam in diis alienis, Vbi(inquit) ſunt dii illorum, צור in quo ſuum præſidium collocarunt? Sic & in præſenti adiecit Pſaltes, In quo præſidium meum poſui. quo vel ſolo dedit intelligere צור ſe pro defenſore & propugnatote accepiſſe. Kimhi אל & צור eiuſdem eſſe ſignificatus dicit, & vtrunque ideo Deo tribui, quòd virtute & robore omnibus præpolleat. Fuſius de hac voce præſenti loco, quo primò occurrit, diſſerere volui, quòd frequens eius vſus ſit in Pſalmis. Porrò *clypeum* vocat, quòd iacula ſibi hoſtium depuliſſet: qua metaphora vſus eſt & Pſalmo 3.a.4. *Cornu ſalutis*, quòd per ipſum confectis hoſtibus, ſalutem ſibi peperiſſet: vti cornifera animalia ſe cornibus defendunt, & contra ſe pugnãtia repellunt. Crebra & hæc in Scripturis metaphora. *Perfugium ſuum* dicit, quod alii reddunt exaltationem: ſignificat autem locum in quo quis ab hoſtium inſultibus tutus, ac velut ſuper eos euectus manet. Quod & ipſum cum in Pſal-
2.Sam.22.d.3. mis, tum in aliis Scripturis idẽtidem legitur. In ſecundo Schmuelis præterea adiectum eſt, Et refugium meum, ſaluator meus, à violentia ſeruabis me. Dei erga ſe bonitatem cupiebat & ardebat ſanctum pectus quàm magnificentiſſimè prædicare & attollere, ſuámque in eum fiduciam multo ampliſſimam aliis in exemplum exprimere. Vtraque iam maior erat, non omni ſermone modò, ſed & cogitatione: ideo tot nomina accumulauit. Ad inculcandam enim & augendam rem, figura hæc, teſte Fabio, adhibetur. Vtinã verò nobis ſit is animus, cui hæ Dei laudes inculcari poſſint. verè enim beatus fuerit, quicunque eas veras credere poterit. fidet enim in omnibus Deo, cóque & in omnibus ab eo iuuabitur ac ſeruabitur.

4 *Laudans inuocabo Iehouah, & ab inimicis meis ſeruabor.* Poſt inuocationem memorare incipit ex quibus malis ſe Deus eripuerit, & quo pacto ſalutem ſit conſequutus, indubiè vt electos Dei ad fidendum colendúmque pariter Deum prouocaret, *Laudans* (inquit) *inuocabo Iehouam*. Neque enim inuocari poteſt, de quo ſalutem non expectes: de quo verò eam ſperas, eum haud poteris citra laudis præfationem quicquam orare. Inde in omnibus precibus Sãctorum, laudes Dei præmittuntur. Sic locum hunc intelligit Kimhi. At mihi videtur, quandoquidem inuocare Deum pro cultu & adoratione Dei Scriptura accipit, vt in verſu quarto Pſalmi 14, diximus, Vatem hoc verſu, quàm religiòſè coluerit, coleréque deſtinet Deum, atque huius fructum, liberationem ab hoſtibus, in exemplum memorare. Quaſi dixiſſet, Deum meum, qui vnus mihi omnia eſt & præſtat, vnum prædicare, celebrare & colere ſtudebo, ita vt hactenus ſtudui: (poteſt enim ad vtrunque tempus referri, propter perpetuum vſum enallages temporum) is me ab hoſtibus meis ſeruauit, vt nequit ſanè deſerere, qui ex animo ipſum obſeruatunt. In confeſſo ſiquidem eſt hunc hymnum Epinicion eſſe quo ad excitandam Sanctorum fidem, Dauid Dei bonitatem & opem quam expertus erat, experturúmque deinceps non dubitabat, & aliis prædicare voluit. Conueniebat igitur ſimul rationem oſtendere qua tam prolixè Dei bonitate hactenus vſus eſſet, & vſurum ſe porrò certe adeò confideret: memorauit ergo vt cultui, laudibúſque Dei incubuerit.

5 *Circundederunt me anguſtiæ mortis, torrentes Belial terruerunt me:*

6 *Anguſtiæ inferni cinxerunt me, præuenerunt me laquei mortis.* Memorat ſummatim mala quibus fuerat implicitus. *Anguſtijs* enim *inferorum & mortis, laqueis mortis, & torrentibus peruerſorum hominum*, pericula & terrores ſignificauit quæ ſibi improbitate hoſtium ſuorum obueuerãt, proximéque mortem ſæpenumero adduxerant, vt carnis iudicio iam actum eſſe de ſe arbitraretur. In 2. Schmuelis, vbi hoc ipſũ carmẽ paucis mutatis habetur, legitur hoc loco, משברי pro חבלי. ea vox ſignificat confractiones. ſed idem vtroque ſignificatur, ſubiti nimirum, violenter perrumpentes, & omnia confringentes dolores, vt ſunt ii qui exagitant parturientes. hos enim חבלי per ſegol punctatum ſignificat, ſicut per pathah punctatum, funes vel ſortes ſignificat, de quo in verſu ſexto Pſalmi decimi ſexti. Cæterùm ſignificat hæc vox & cœtum atque congregationem, vt 1. Schmuelis 10.a.5. Chaldæus, anguſtiam, qualis eſt parturienti: Græcus ſimpliciter dolores reddidit. Qui perpenderit ſanè quibus ſæpe in periculis Dauid fuerit, & quàm prope mortem aliquoties acceſſerit, is facile intelliget quid his ſibi verbis voluerit. At cogitemus ſic exercitum, vnicè dilectum Deo, & iuxta voluntatem eius formatum virum, ne animum deſpondeamus, ſiquando & nos aduerſa premunt. Elegantem emphaſim habet, *torrentes Belial*: hoc eſt nihili & peruerſorum hominum: nam vt torrentibus, id eſt fluminibus è ſubitis imbribus vel è liquantibus niuibus cõcitatis, homines inopinantes ſolent obrui, idque vi ineuitabili: ita improbitati hoſtium Dauidis, & ſtudio perdendi eum quo illi flagrabant, & impigre omnia tentabant, nihil ferè potuit conferri. בליעל ſingulare pro plurali poſitum eſt, niſi quis vim Satanæ agentem hoſtes Dauidis, notatam hoc verbo putet.

7 *Quum coartatio mihi eſſet, inuocabam Iehouam, & ad Deum meum clamabã: audiuit de templo ſuo vocem meam, & clamor meus coram eo uenit in aures eius.* Canit quò fugerit anguſtiatus, ad vnũ ſcilicet Deũ quem intenta prece implorauit. quare vociferatum ſe dicit, & quàm non fruſtra ipſum inuocarit. Nã de templo, de palatio ſuo, nempe de cælis audiuit eum, hoc eſt opem exoratus tulit, eámque verè cæ-

leſtem & diuinam, quia non ſine memorandis cæleſtibus miraculis. De hac loquẽdi forma quædam dixi in verſum quintum Pſalmi 3. De voce היכל in verſum 4, Pſalmi 11.

8 *Et terra mouit, & contremuit, & fundamenta montium trepidarunt, & commota ſunt, nam exarſit illi ira.*

9 *Aſcendit fumus in nare eius, & ignis ex ore eius vorabit, carbones incenderunt ab eo.* His verſibus potentiam Dei canit, quam in tempeſtatibus declarat, de qua totus Pſalmus vigeſimus nonus compoſitus eſt. Septuageſimus quoque ſub finem, ferè eadem quæ præſens habet. Iiob 37, ſimilia ad prædicandam Dei potentiam memorantur. Legimus autem ſubinde Deum, quum præſentius & *Signa virtutis ac*
reuelatius hominibus ſuam voluit potentiam atque vim declarare, tonuiſſe, fulguraſſe & terram *potentiæ Dei.*
cõcuſſiſſe. Ita ſanè fecit quum Legem daturus primùm populo loqueretur, vt ſcriptum eſt Exod. 19.c.16: item quum ad preces Schmuelis declararet ſe populo offenſum, quòd regem poſtulaſſét, Schmuelis 12.e.18. Sic quum præclaram ab Aſſyriis liberationem Hieroſolymitanis promitteret *Ieſa.29.b.6.*
per Ieſchaiah, Inuiſêris (inquit) cum tonitruo, commotione, voce grandi turbine & tempeſtate, & flamma ignis vorantis. Ita orbis redemptionem, morte Filii partam, Solis obſcuratione & terræ *Matth.27.e.45.*
motu teſtatus fuit, illo in cruce expirante. Sic quum Spiritum ſanctum ſuis Seruator mitteret, tonuit, Act.2.a.2: & quum poſtea precationem eorum ſe audiſſe teſtaretur, terram commouit, Act. 4.f.31. Certe tonitru, vel alia quapiam inſigni rerum immutatione, Deum teſtari ſuam beneuo- *Deum tonitru &*
lentiam ita olim vulgò receptum fuit, vt Poetæ quoties Iouem fingunt ſupplicantibus magnis *fulmine ac benevo-*
in rebus annuiſſe, ſimul fingunt tonuiſſe, & fulminibus ſuam voluntatem eſſe teſtatum. Talibus *lentiam voluntatem declarare.*
crediderim portentis & Dauidi, quem ad res maximas delegerat, beneuolentiam ſuam teſtatum Deum aliquando fuiſſe, & auxilii promiſſionem confirmaſſe, concuſſa terra, miſſis fulminibus, fulgetris, grandine & nimbis. Nec obſtat quòd eueniſſe hæc Sacra hiſtoria nuſquam meminerit: neque enim meminit & eam tempeſtatem quam futuram in liberatione Ieruſchalaim ab Aſſyriis Ieſchaiah prædixit: at quis inficias eat, eam vere ita factam? Kimbi & alii Ebræi aliquot, allegoricῶs omnia dicta putant, per vim tempeſtatis quæ hìc canitur, intelligentes ſubitam ac vehementem vim Diuini auxilii, quo deiecti fuerint hoſtes Dauidis, multo potentiſſimi, vt eorum euerſio concuſſioni terræ & montium conferri queat. Abraham Ezra poſt hanc interpretationem, & iſtam ſubiungit, Dauidem prædicare ſe à Deo adiutum, euerſis ſuis hoſtibus, qui ſoleat iratus, ſuorum gratia terram commouere, tonitruis, fulgetris, fulminibus, atque reliquis tempeſtatibus totum orbem concurere. Quæ ſententia mihi veroſimilior videtur, eo quòd fuſius & explanatius hìc tempeſtas deſcripta ſit, quàm vt videatur allegoriæ conuenire. Deinde ſi allegoricῶs accipiantur, euaneſcit occaſio cogitandi & conſiderandi tremendam Dei potentiam, in tempeſtatibus ſeſe proferentem. Iam quum Deus nonniſi ex operibus eius in nobis recte cognoſcatur, ſolet Scriptura, & præſertim Pſalmi identidem excitare mentis oculos ad dignè conſideranda etiam ea Domini opera quæ oculis corporis vltrò vbique incurrunt. Quòd verò malui hæc ſimpliciter, vt à Vate narrantur, accipere, ratio eſt, quòd per ſe ſimplicitas in Scripturis, dum ab ea nec orationis ordo, nec fidei analogia reuocat, ſequenda ſit: tum quòd à more Dei, hiſce ſignis & portentis ſuam declarare voluntatem, nihil alienum ſit: denique quòd hæc tempeſtatis deſcriptio, ei quod præmiſit, Deum vocem ſuam de regia ſua cæleſti audiiſſe, hoc eſt declaraſſe quod audiiſſet, tanquam ratio ſubiicitur. Ergo verſu octauo memorat terræmotum, & eo iram Dei contra hoſtes ſuos fuiſſe declaratam. Verſu nono induit Deo perſonam irati hominis, qui fumum ſpiret è naribus, ignem ex ore, vnde & accendantur carbones. Intelligit autem *fumo* aſcendentem nebulam, quæ inſtante tempeſtate denſatur in atrã nubem, vt in tempeſtatibus apparet: *igni*, fulmina, quæ ſunt ignes in nubibus excitari: *Prunis*, tela illa fulminea quæ cælitus vibrantur.

10 *Et inclinauit cælos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius.*

11 *Et equitauit ſuper volucri, & volauit: & librauit ſe pennis venti.* Deſcribit habitum cæli ſæuiente tempeſtate, tum enim demiſſum videtur, & terræ incumbere. Nam & mõtium vertices nubibus apparent incluſi, & nebula & caligo omnia obſcurat. His quum Deus ſuam præſentiam declaret, vt & in monte Sinai fecit, dicit Deum quum hæc eueniunt, deſcẽdere, & caliginem ſub pedibus eius ſpargi. Solet quippe in his Scriptura hominum cogitationibus aliquid deferre, qui quum nequeant Deum cogitatione niſi loco alicui affixum conſiderare, in cælis habitare eum facit, vt ab omnibus præſentibus rebus ad inuiſibilia & æterna mẽtes eorum ſubuehat. Hinc ergo quum cælum videatur in tempeſtatibus demitti, Deum canit deſcendere. Verſu vndecimo deſcribit vim ventorum: atque iterum quo magnificentius rem cogitationibus offerat, per proſopopœiam, *ſuper Cherub*, id eſt præpeti volucri facit Dominum equitare, & ferri alis vẽtorum. Solent verò & profani poetæ vẽtis alas affingere. Habent ſiquidẽ hæc energiam quandã ad mouendũ rudiorum hominũ animos, quũ ſimilitudine aliqua rerum ſenſibiliũ proponuntur. Qui multo & pernici equitatu valẽt, maximè formidabiles ſunt. Iã Deus vẽtis fertur, & pro equis habet ſpiritus Angelicos.

ſcinderet, Exodi 14.e.21. Sic Pſaltes in præſentiarum canit, Deum iratum hoſtibus ſuis, ſuſtuliſſe eos tam facile, quàm ſpiritu ſuo ſuſtulit vna nocte aquas maris rubri.

17 *Miſit ab excelſo, & accepit me, extraxit me ex aquis validis.*

18 *Eripuit me ab inimicis meis uetute, & ab odientibus me, quia ualidiores me euaſerant.*

19 *Præuenerunt me in die uaſtationis meæ, & factus eſt Iehouah in ſuſtentaculum mihi:*

20 *Et eduxit me in ſpatioſum: eripuit me, quia complacitum eſt illi in me.* Vt verſu præcedẽti per allegoriam,
hoſtium ſuorum extinctionem, ita his ſui canit liberationem eodẽ tropo. Inducit enim Deum manu e ſublimi protẽta & demiſſa, ſe ex aquis in quibus periclitabatur, eripuiſſe, ac iã demerſum extraxiſſe. Eadẽ canit ſimpliciter verſu 18. & 19. Nã hoſtes virtutis, id eſt virtute pollentes, potentes & præualẽtes oſores, prælualidæ iſtæ aquæ fuerunt, à quibus ſe canit Diuina manu extractũ. Et quo tẽpore ab illis diuexabatur, & ad mortẽ quærebatur, dies erat איד, id eſt calamitatis & periclitationis eius: (in 2. Schm. habetur [illegible], id eſt proiectionis meæ, & idem ſignificat) in hoc eum die Deus præuenit, id eſt auxilio ſuo anteuertit. Sicut enim hoſtes proditionib⁹ & perſequutionibus eum continuò præueniebant, vt antequã ſe ex vno malo explicaret, duo ei noua obiicerent: ita & Deus eum præuenit ope ſua & ſalute, dũ præſtitit ne vnquam in illorũ manus incideret, quanlibet multa tentatẽt & conarentur. Hinc iure præmiſſis ſuccinit, Iehouah fuit mihi præſidio. Et itẽrũ ſui liberationem canit, alia trãſlatione vſus, *Eduxit* (inquit) *me in ſpatioſum.* Id ei quod ſuprà verſu 7, cecinit, Dum angerer, vel eſſem in anguſto: oppoſuit. Hãc allegoriã & verſu 2, Pſal. 4, adhibuit: vbi & pluribus eam explicaui. Quòd verò tam multis ſui liberationem deprædicat, ardentis gratitudine animi erga Deum indiciũ eſt. Cauſam verò eius præcipuã ſubiũxit, Eripuit (inquit) me, vel miratus eſt, quia fauet mihi, amat me. De voce hac חפץ in verſum ſecundũ Pſalmi primi plura. Vt nanque perſtet Dei propoſitum ſecundum electionẽ, non ex operibus, vt diuus Paulus inquit Rom. 9. c. 12, prima omnium beneficiorum Dei cauſa eſt, vltronea eius beneuolentia, iuxta illud, Fauebo cui fauero: & miſerebor cuius fuero miſertus, Exodi 33. d. 19.

21 *Rependit mihi Iehouah ſecundum iuſtitiam, & ſecundum puritatem manuum mearum retribuit mihi:*

22 *Nam obſeruaui vias Iehouæ, nec egi improbè à Deo meo.*

23 *Quoniam iudicia eius coram me, & ceremonias eius non remoui à me:*

24 *Et eram ſyncerus cum eo, & conſeruaui me ab iniquitate mea:*

25 *Et retribuit Iehouah mihi ſecundum iuſtitiam meam, ſecundum puritatem manuum mearum coram oculis eius.*

Iſtis verſibus innocentiam ſuam, & iuſtitiæ ſtudium piè prædicat, quo in ſe oſtendat, Deum iuſtitiæ ſtudioſos haudquaquam deſerere, & in tempore mercedem optatam rependere. Cæterùm de propriæ iuſtitiæ commemoratione in verſu ſecundo Pſalmi quarti dixi. Puritas manuum, innocentia vitæ eſt. Obſeruatio viarum Iehouæ, cuius meminit in verſu 22, ſtudium eſt vitæ quam Deus præcipit, qua ſeipſum homo Deo plena fide committit, & ſe proximo penitus addicit, in cuius ſalutem ordinat cuncta ſua dicta & facta. Huius ſtudii remiſſio, eſt defectio à Domino, quam à ſe alienam fuiſſe profitetur, quum ſubiicit, *nec improbè egi*, id eſt improbè agens defeci à Deo meo. De voce רשע dixi in verſum primum Pſalmi primi. Hic verbo vſus eſt לא רשעתי, id eſt non tumultuatus ſum à Deo meo: id eſt, vt verti, Improbus non deſciui ab eo. Ipſe enim deſeritur, vbi obſeruatio præceptorum eius deſeritur: hæc verò deſeruntur, quum non prima cura nobis eſt vt illis vitam noſtram conformemus. Nam vt ea non ſæpe prætereantur, deprimẽte hac carne, fieri non poteſt. At dum etiam ſtudium eorum poſthabetur, verè Deus reiicitur. Quandiu ſiquidem Deus vt Deus timetur ac colitur, non poteſt non prima eſſe cura vt ipſi nos approbemus: à quo ſolo nimirum nos eſſe, habere omnia, & iudicandos agnoſcimus. Hanc curam, hoc ſtudium magis exprimit Vates verſu ſequẽti, *Ob oculos*, inquit, *habeo cũcta decreta eius, & Leges eius non ſemoueo à me.* Hoc eſt, Præſenti animo ſemper intueor quid præceperit Deus, quid ei probetur, & huic tum vitam meam conformo. Geminatio hîc eſt, qua pro eodem משפט חקים, id eſt iudicia & ceremoniæ accipiũtur, nempe pro Legibus Dei. aliàs Iudicia, leges ſunt, quibus vt ſit viuẽdum cum proximo præſcribitur: ceremoniæ, ritus ſacri, & religiones. Iam qui Legibus Dei ſeriò ſtudet, is ſe ſyncerum Deo præſtat: quod de ſe canit verſu vigeſimoquarto. Fœdere, quod icit Deus cum ſuis, pollicetur illis paternam curam, atque proſpectionem, & viciſſim ſtipulatur ab illis vt ſe colant, & præceptis ſuis ſtudeant. In his qui ſyncero animo, & diligenti ſtudio fuerit, is תמים, id eſt integer & inculpatus cum eo verſatur, & bona fide fœdus ſeruat. Id poſcebat Dominus ab Abrahã, quum dicebat ei, Ego Deus omnipotens, verſare coram me, & eſto תמים, id eſt integer, innocens, ſyncerus. De voce hac dixi plura in verſum ſecundum Pſalmi decimiquinti. Hic vel adiecta particula ſatis indicat quo ſignificatu accipiatur, *Et ſeruaui me à prauitate.* Seruare ſiquidem ſe, nequid peccetur, id demum eſt fœdus cum Deo percuſſum bona fide colere, & eſſe cum eo תמים, id eſt integrum, tectũ & inculpatum. Quia verò hæc vt ad idem iuſtitiæ ſtudium alios quoque prouocet, de ſe canere inſtituit, iterum memorat vt Deus innocentiæ ſuæ rationẽ habuerit, & pro iuſtitia ſua ſibi repẽderit. Adie Gen. 17. a. 1.

cit tamen, *coram oculis eius*: ego verti, *ipſo iudice*. Eo oſtendit nihil in ſe fuiſſe fuci, ſed coram oculis Domini quoque, quem nihil ſecreti latêre poteſt, cui noſtræ cogitationes magis quàm nobis ipſis habētur cognitæ, ſe innocentē, ſyncetum, & iuſtitiæ ſtudioſum eſſe iudicatū. Porrò hæc omnia Vates de ſe, quo ad ſtudiū & conatū piè & inculpatè viuēdi, cecinit, nō quo ad actus ſingulos. Homo fuit, & in carne ſua nihil boni deprehēdit: quare & in ipſo lex membrorū, de qua Paulus Rom. 7. d.23, legi mētis aduerſans effecit vt ſubinde omiſerit quæ volebat bona, & admiſerit quæ odiebat mala. At quia hæc ſeriò deteſtabatur, illa cupidè ſectabatur, ſciebat ſe iam nō peccare, & à Deo inter iuſtos cenſeri: iuxta illud Iohānis, Qui natus eſt ex Deo, nō peccat, quia ſemē Dei manet apud illum: & nō poteſt peccare, eo quòd natus ſit ex Deo, 1. Iohannis 3.b.9. Hîc Apoſtolus ſe natum ex Deo gloriabatur, atque ideo & ſine peccato eſſe: & tamen in eadē Epiſtola capite primo, pronūtiat eos mendaces qui ſe abſque peccatis eſſe dicāt. Lapſus igitur Sanctis tribuit, peccati iuſtā voluntatem & ſtudiū adeſſe negauit. At quia ob id tantùm damnātur homines, de eo velut ſolum hoc peccatum nomine cenſeretur, cap.3. loquutus eſt: & peccare pro eo dixit, quod eſt ſolere peccate, ſtudere, incumbere rebus malis. Ad hunc omnino modum in Pſalmis ac omni Scriptura, de iuſtitia & iniquitate, Spiritus ſanctus loqui ſolet: quod qui non obſeruarit, is perſæpe impingit. De his in verſu 2, Pſalmi 15, quædam. Porrò in his ſuis laudibus Dauid nonnihil etiā ſuos hoſtes reſpexit, quibus collatus, de ampliſſima ſanè innocentia coram Domino gloriari potuit. De qua ratione propriam iactandi iuſtitiam, in verſu 2, Pſalmi 4: & in verſu 9, Pſalmi 7, aliqua diſſerui.

Quid verè peccatum.

16 *Cum benigno benigne agis, cum uiro ſyncæro ſyncæriter.*

17 *Cum puro purè agis, cum prauo perplexè.* Paucis iam ab eo quod Dei erga ſe iuſtitiam prædicauit, qui ſibi benignè pro innocentia ſua rependerit, digreditur ad prædicādam illam in quoſlibet. quaſi dixiſſet, Prædico quæ mihi Deus pro iuſtitiæ ſtudio retribuit. Sic autem ille non erga me ſolum ſe habet: quicunque bonitati ſtudet, ei benigne facit: & quicunque ſe integrum erga ipſum, ſyncerum & fidei ſeruantem præſtat, iuſta fœderis cum eo icti ratione, ab omni ſe prauitate cuſtodiens, & iuſtitiæ pro virili ſtudens, erga eum & ipſe integrū ſe exhibet, largiſſimè præſtans quæ eſt pollicitus. Sic qui putum ſe, quod idem eſt, ſeruat, nihil à pacto recedens, illi contrà & Deus puræ ſe fidei præſtat, ampliſſimè ea ſuppeditans quæ promiſit. Cōtrà autem, cum eo qui obliquat, & à fœdere recedit, & ipſe ſic agit, deflectit à promiſſis ſuis, & inuertit omnia. Deuter.32.a.5, Moſcheh vocat Iiſraelem tranſgreſſorem דור עקש ופתלתל. id eſt nationem prauam & peruerſam. Sicut enim rectum Scriptura vocat, qui ſimplici animo ſtat promiſſis, & præceptis Dei viuit: ita curuum & obliquum atque peruerſum vocat, qui fidem Deo datam violat, & à iuſſis eius declinat. Sūt etiam huiuſmodi in ſe mirum in modum perplexi, impediti, & pettutbati, nullam certam & expeditam conſiliorum ſuorum rationem inuenientes. Finem enim omnis recti conſilii Deum, ignorant: deinde agūt peruerſe & iniquè cum proximis omnia. Contrà itaque Deus, quum tempus appetit vt eis rependat, ita perturbat ipſis rationes vitæ omnes, vt ſempiterno errore & confuſione omniū conſiliorum & actionum rotentur. Et tamen agit Deus cum iſtis perplexè, licet ſi Deum ſpectes, agat rectiſſimè, quia iuſto iudicio. Cæterùm ab eo qui ſolus bonus eſt, omnis boni initium eſt: hic vocat quæ nondum ſunt, & delegit ſuos antequam cōderet mundum, ac ita cum malis & prauis bene rectéque agere prior incipit. Si nanque nobiſcum pro noſtra cōditione agere vellet, nec ſua nos bonitate præuenire, ſaluus fieri nemo poſſet. Verùm Pſalmus iſtud, *Cum prauo peruerſe agis*, non in vniuerſum, aut de quibuſvis prauis cecinit, ſed de iis qui iam ſua voluntate, Lege recepta & intellecta, praui ſunt. Ii ſanè ſi Legi bona fide ſtudēt, atque ob id ſe puros ſeruāt, & bonos omnibus exhibent, beneficentia Dei prolixè fruuntur: ſin à Domino deſciſcunr, agit & ipſe peruerſe cum illis, hoc eſt præter morem ſuum & promiſſionem, dirum nimirum vltorem, qui promiſerat ſe benefactorem, ſed ſi illi in fœdere perſtarēt: alioqui & vltionem minatus eſt. Hinc verò quòd pro ratione operum & vitæ cuique à Deo rependitur, mercedis nomine & Seruator vſus eſt: nō quòd quiſquam meritis æquare poſſit quæ donat Deus, aut quòd non & ipſa probè merita, dona Dei habenda ſint, quum ipſe in nobis operetur & velle & operari: ſed quòd vbi vera fides, ibi bona vita deeſſe nequeat: vt mala certò apud eos viget, qui fide ſyncera præditi non ſunt: tum ſemper Dei beneficia bona opera ſequantur, & pœnæ mala. Iam quod poſt operam velut rependitur, merces vocatur, etiamſi longè opus ſuperet. Sic pater leuiculum ſæpe filii ſtudium, ampliſſimè remunerans, dicit tamen mercedem ſe ei rependere, & ſtudium illius retaliare.

2.Sam.7.b.14. 1.Chro.22.b.10. Pſal.89.a.31.

18 *Nam tu populum afflictum ſeruas, & oculos ſublimes deijcis.*

19 *Quoniam tu illuminas lucernam meam ô Iehouah, tenebras meas illuſtras Deus meus.* Redit ad prædicādā Dei bonitatem in ſe, ita probaturus quod iam cecinit, bonum illum ſe bonis, purum præſtare puris, integris integrū, inuertentē verò prauis. Nā (inquit) tu populū afflictū ſeruas, eos nimirum qui iniuria immeritò afficiūtur: & oculos ſublimes, hoc eſt homines faſtuoſos, & arrogāter ſuſtollētes oculos, humilias & deiicis. Horū deiectio & Ieſcha.2.c.11, & 5.d.15, prædicitur. Et Prouerbiorū

6.b.17, inter ea numeratur quæ odit Iehouah. His verò ad ſe atq; hoſtes ſuos reſpexit: per afflictũ, populũ, & ſe cum ſuis: per ſublimes verò oculos, hoſtes intelligens. Vnde mox de ſe pauperis & afflicti gregis duce, eadem canit per allegoriam lucis & tenebrarum. Nã ſibi & ſuis latam diuinitus opem, accẽſam ab Iehouah lucernam, deiectos hoſtes, diſpulſas vocat tenebras. Per lucem ſiquidem paſſim Scriptura, ſecunda: per tenebras, aduerſa ſignificat. De qua tranſlatione dicemus alibi fuſius, quandoquidem hic Pſalmus aliàs longior eſt.

30 *Quia per te infringam aciem, & per Deum meum inſilij murum.*

31 *Deus ſyncerus uia ſua, ſermo Iehouah perpurgatus, clypeus ipſe omnibus in ſe confidentibus.*

32 *Nam quis Deus præter Iehouah? & quis propugnator præter Deum noſtrum?*) Iam deſcẽdit ad explicandam ſalutem quam ſibi Dominus tulerat, & memorare incipit vt adiutus ab eo hoſtes ſuos deuicerit. *Per te* (inquit) *infregi aciem*. quo ſignificat commiſſa prælia, in quibus victor euaſit. Si enim ארוץ quod hic habetur, deducatur à רצץ, frangere ſignificat. at ſi deducas à רוץ, quod currere ſignificat, ſenſus huius ſecundum Kimhi erit, Occurri per te, id eſt tuo fretus auxilio, exercitui hoſtili: ſecundum alios, quorum Ab. Ezra interpretationem adducit, inſequar. Nam reperitur alicubi רוץ cum אחרי, id eſt poſt. D. Hieronymus, In te curram accinctus. ſignificat enim גדד etiam accingi ad prælium. Chaldæus neſcio qua cauſa, Multiplicabo exercitus, reddidit. Græcus, Quoniam in te eripiar à tentatione. Verùm ſi & verba ipſa, & id quod hîc Pſaltes canere voluit, rite cõſideramus, prima interpretatio certior erit. nam de ope Domini & victoria ſua hîc canit, id celebrans, quòd fretus Deo hoſtes ſuos cum facientes collatis aciebus pugnandi copiam, tum ſe intra munitiones vrbium & arcium continentes deuicerit. Vbi enim fracta acies eſt, & ordines perturbati, parata victoria eſt. *Per Deum meum tranſilui muros* Hoc expreſſit expugnatas vrbes Philiſtinorũ, Moabitarum, Ammonitarum, AEdomitarum, & Syrorũ, quas omnes regno ſuo ſubiecit. Vt verò breui verſiculo plurimas & inſignes victorias, quas Domini auxilio inſtructus, de potẽtiſſimis hoſtibus, quum exiguæ ipſi vires eſſent, retulit, complexus eſt, cum admiratione Diuinæ ſuper ſe bonitatis, quaſi exclamauit id quod ſequitur, *Deus is eſt, cuius uia*, id eſt ſtudia & facta, ſyncera, certa & integra ſunt, promiſſis eius probe reſpondentia. Ideo ſubiungit, *Sermo eius igni purgatus*, id eſt exploratiſſimæ ac certiſſimæ veritatis eſt: de quo loquẽdi modo in verſu ſeptimo Pſalmi duodecimi diximus. Vltima verò verſus huius particula explicat quid prioribus dicere voluit. *clypeus*, id eſt defenſor eſt omnium qui in ipſo ſuum præſidium collocant. Promiſerat ei regnũ, id videbatur mutaſſe dum tanta hoſtibus in eum permitteret: ſed quum tandem tam ampliter omnia quæ promiſerat, præſtitit, iure dixit *viam*, id eſt facta Domini eſſe ſimplicia, recta, inculpata, & ſermone eius nihil verius, quia ſuprà quàm ſperare poterat, ipſum & ſuos extulerat, & bonis quibuſlibet fecerat affluere. Hinc magis accenſus exclamat præterea, *Quis Deus præter Iehouah?* &c. Hæc exclamatio familiaris in Scripturis, iis qui Dei opem ſibi latam deprædicant. Omne horum votum eſt vt Deus, ita vt eum ipſi experti ſunt, ab omnibus agnoſcatur, & reiecta omni ſuperſtitione, vt vnicus Seruator colatur. Ita igitur diis factitiis & eorum cultoribus inſultant. De voce צור, quæ propugnatorem ſignificat, dictum eſt ſuprà in verſu tertio.

33 *Deus accinxit me uirtute bellica, & dedit ſynceram uiam meam.*

34 *AEquauit pedes meos ſicut caprearum, & ſuper excelſa conſtituit me.*

35 *Ipſe docuit manus meas ad bellum, & confractus eſt brachio meo arcus chalybæus.*) Virtutem his verſibus, qua tot victoriis potitus eſt, per partes canit. Verſu triceſimo tertio gloriatur virtute ſe heroica à Domino fuiſſe inſtructum, & viam ſuam factam תמים, id eſt ſynceram, non fallentem, integram, hoc eſt expeditam. Maximis ſiquidem animis, & ſingulari ſucceſſu, bella gerentibus opus eſt: hæc duo ergo ſibi Diuina benignitate affuiſſe prædicat. Præterea magna quoq; requiritur corporis agilitas & celeritas: & hanc ergo ſibi à Domino ſuppeditatam fuiſſe canit verſu triceſimo quarto. Gloriatur ſiquidem capreis pedes ſuos æquatos, id eſt parem currendi velocitatem à Deo ſibi donatam: atque in excelſa ſe collocatum, hoc eſt datum vt quæcunque oporteret, quãlibet excelſa loca ſuperaret. Sacra hiſtoria 1. Schmu. 24. a. 3, memorat inquiſitum eum in rupibus caprearum, in quas vtique nõ ſine ope Domini quoque euaſerat, fugiens Schaulẽ. Sed videtur hîc potius de eo canere, quòd quanlibet excelſas & præruptas hoſtiũ munitiones, Diuina fretus ope occuparit: nam hîc victorias ſuas canit. Primo Paral. cap. 12. b. 8, li qui è tribu Gad ad Dauidem venerãt, memorãtur facie leonibus, pedum celeritate capreis ſimiles fuiſſe: & ea laude, bello illos maximè idoneos Scriptura prædicare voluit: vnde & noſter hanc ſibi ad victorias collatam pedum pernicitatem hîc commemorat, nõ ad fugam. Manuum verò datam promptitudinem, & lacertorum inſigne robur, canit verſu 35. Nã datũ meminit vt brachio ſuo chalybæos arcus cõfringeret: æreos alii habẽt: at Ebræi omnes conſtanter dicunt נחושה præduram ferrũ ſignificare, hoc eſt chalybem. Quidam Ebræorũ נחתה hîc à נחת, ducũt, vt idẽ valeat atque, Remiſſus eſt arcus brachio meo. Hieronymus & Græcus legerũt hoc vt ab hac deductũ radice, ſed in ſecũda perſona præteriti, vt idẽ ſit

Poſuiſti brachiũ meum, arcum æreum, hoc eſt tam inuictum. ſed prior interpretatio certior eſt.

36 *Et dediſti mihi clypeum ſalutis tuæ, & dextera tua firmauit me, lenitas tua auxit me.*

37 *Dilataſti greſſus meos ſub me, ne nutarent tali mei.*) Quoniam quæ modò donata ſibi gloriatus eſt, fruſtra ſunt niſi præſens Dominus numine ſuo omnia ipſe conficiat, nunc ſubiicit, *Muniuiſti me clypeo ſalutis tuæ*, hoc eſt tua ope ſeruaſti, depulſis hoſtiũ iaculis. id quod planius dicit, quum ſubiũgit, *Dextera tua ſuffulſit me, & auxit me tua humanitas*, tua benignitas: vtique faciẽdo me hoſtibus ſuperiorem: Succeſſum verò quem ſibi Dominus in omnibus negotiis dederat, planius adhuc prædicat verſu 37, per dilatationem greſſuum ſub ſe, hoc eſt inoffenſum & expeditum iter, quo Scriptura ſolet rerum ſecundationem ſignificare. Et in eo quod dicit, ſic Dominum ſibi viam ſtrauiſſe, & dediſſe inoffenſè ingredi, vt nũquam nutarint tali ſui, ſignificat Domini beneficio omnia ſibi optatò cecidiſſe, omnia ſe iis auſpiciis tentaſſe, vt nihil non ex animi ſententia ſuccederet. Nã vt meminit Sacra hiſtoria, 2. Schm. 8.d.14, aderat Iehouah Dauidi, quocũque ſe vertebat. Et hoc iam ab eo cœperat, quo ei tribus Iehuda regnũ detulerat. nam 2. Schm. 3.a.1, legimus, Pergebat domus Dauid, & roborabatur. Item poſtea quum rex cõſtitutus eſſet ſuper totum Iſraelẽ, capta iam Ieruſchalaim, de eo ſcribitur 1. Paral. 11.b.9, Pergebat & augebatur, & Iehouah Sebaoth erat cum eo. Id autem tum maximè claruit quum tanto ſucceſſu omnes finitimos ſuo imperio ſubiiceret.

38 *Perſequar hoſtes meos, & apprehendam eos, nec reuertar donec conſumantur.*

39 *Cædam eos, nec poterunt ſtare: cadent ſub pedes meos.*) Iſtis verſibus hoſtium ſuorũ deiectionem & oppreſſionẽ canit, quæ quam ſæua & atrox fuerit, teſtatur Sacra hiſtoria, 2. Schm. 5.8.10.12. Rectè dicit ſe hoſtes ſuos eſſe perſequutũ, ac etiã aſſequutum, nec reuerſum donec eos extingueret: cecidiſſe illos, nec potuiſſe ſtare, concidiſſe ſub pedibus eius. Nam quum vicinæ gentes, Philiſtæi, Moabitæ, Ammonitæ, AEdomitæ & Syri, veriti ſucceſſum Dauidis, bellum ei mouiſſent, nullam poſtea cum eis pacem iniit, donec bona eorũ parte extincta, reliquos ſibi tributarios efficeret. Hi etiam quanlibet multo & potenti exercitu contra eum veniſſent, nunquam tamen non fugati & cæſi fuere: ſtare contra eum nunquam potuerunt, dederéque tandem ſe coacti ſunt.

40 *Et accinxiſti me virtute bellica ad bellum, incuruaſti ſub me qui contra me inſurrexerant.*

41 *Et inimicos meos dediſti mihi tergum, & odientes me, conficiam eos.*

42 *Clamabant, nec erat ſeruator: ad Iehouam, nec reſpondit eis.*

43 *Comminuam eos ſicut puluerem ſuper faciem venti, ſicut lutum platearum extenuabo eos.*) His verſibus canit cauſam tantæ virtutis & ſucceſſus de quibus modò cecinit, ſcilicet ſe à Domino virtute heroica ad bellum fuiſſe inſtructum, Dominũ ipſum deieciſſe hoſtes, ſibique ſubieciſſe, ab illo coactos ſibi manus dare: atque ſic non ſua, ſed Dei virtute illos deleuiſſe. Meruerant ſiquidem illorum ſcelera vt ſæuè vaſtarentur, quæ & iam metuerant ad tam atrocem vltionem. חיל exercitum, vtpote vim belli etiam ſignificat: hic autem pro ipſa virtute bellica, nec vulgari accipitur, inde *heroica* reddidi. Videmus ſanè hanc, vt minus vulgarem, ita planè Diuinã eſſe, paucíſque adeò contingere. Inde ſecundo, hanc ſibi collatam diuinitus, ac ſe ea ceu armis, accinctum indutúmq; fuiſſe canit. fruſtra enim ſe homines armauerint, vbi hac nudi fuerint. Idcirco vſus hîc Pſaltes eſt metaphora cingendi, ab armantibus ſe tranſſumpta. Idem, nempe à Deo ſibi virtutem deiiciendi proterendique hoſtes donatam, canit & verſu ſequenti, Et inimicos meos dediſti mihi tergum. hypallage eſt: dicere voluit, Obuertiſti mihi tergum hoſtium, egiſti eos in fugam, ſed qua effugere tamẽ non potuerint. Vnde ſequitur, Et odientes meos conficiam, delebo eos. E O S, hîc ſolito Ebræis pleonaſmo adiectum eſt, ſed non omnino otioſè. pluſculum enim voluit exprimere, vt ſibi cõtra hoſtes ſuos quanlibet potentes ſucceſſerit. Huius præcipuam cauſam, nempe quòd Deus illos ſibi ſic delendos tradidiſſet, canit verſu ſequenti, Vociferabantur, nec erat qui ſeruaret: ad Iehouam, neque annuit eis. Hinc verò colligitur, quanlibet idololatræ eſſent iſtæ gentes, & varia numina colerent, ſimul tamen verum & vnicum Deum quoque agnouiſſe & inuocaſſe, & alia numina ſic coluiſſe, vt putarent ſe vni ſummóque Deo ea in re gratificari. Sed zelotes eſt Deus, & ita ſe coli exigit, vt in ipſum vnum omnis ſpes collocetur, ſuáque potentia & Diuinitas vbique ſuſpiciatur, non certis locis & ſtatutis affigatur: vt auxilium eius à ſola ipſius bonitate petatur, non ſuperſtitioſis ſacrificiis & ritibus, quibus illæ gentes addictæ erant, velut ematur: vt denique innocentia atque iuſtitiæ ſtudio, non inanibus & abſque cordis pietate adhibitis, vt illi ſolebant, ceremoniis colatur. Hunc cultum caro ignorat, & eas ſemper quærit ceremonias, quibus Deum abſque ſui immutatione, & ſolida virtutum ſectatione demereatur. Sic erant hoſtes iſti Dauidis, & ſunt quicunque Spiritu Dei bono renati non ſunt. Fruſtra igitur opem Dei, quem vere nunquam in animum induxerant, implorauerunt, & ſunt penitus à Dauide comminuti, velut puluis qui à vento ſpargitur, & vt lutum quod in plateis conteritur, & extenuatur, vt canit verſu quadrageſimo tertio. In ſecundo Schmu. habetur hoc loco, Extenuabo & extendam illos velut lutum: quo ſimilitudine hac ſubactionis, omnimodam hoſtium ſuorum comminutionem magis exprime-

ret. Hanc verò hyperbolen nemo inſolentem arbitrabitur qui legerit quæ Sacta hiſtoria de duabus Moabitarum partibus deletis, & tertia facta vectigali, ſecundi Schmu. 8. memorat. Item de Ammonitis, quos eductos è ciuitatibus, ſerris, contis & ſecuribus concidit, ſecundi Schmu. 12. Narrat ſiquidem illic Scriptura, ad eum modum feciſſe eum cunctis Ammonitarum vrbibus. Porrò hanc crudelitatem nunquam Dauid, qui humaniſſimo & clemētiſſimo animo præditus fuit, deſignaſſet, niſi ita Diuinū iudicium popoſciſſet. Eo autem ſupplicium poſcente, ſcelus eſt hominem velle clementem eſſe, ac facto ſuo, Deum omnis clementiæ autorem, inclementiæ accuſare. Hoc peccato Schaul regno meruit deiici, primi Schmu 15. Leuitæ autem, quòd ne fratribus quidem pepercissent in vltione vituli aurei, ſacerdotio fuere donati. Et Phinehas ſæuientem Dei iram in omnem populum reſtinxit, confoſſo principe Zamri, congreſſu cum Moabitide Deum & populum Dei irritante. Non clementia, ſed dira crudelitas eſt, pœnas remittere vbi Deus præcipit ſumendas. neque enim ille vnquam pœnas poſcit, quæ non ſint reipublicæ ſalutares. Iam paucis ſceleratis in perniciem reipublicæ parcere, quæ quæſo non clementia, ſed crudelitas? Nume 25.b.7

44 *Eripuiſti me à contentionibus populi, poſuiſti me in caput Gentibus: populusq; quē non noui me, ſeruiuit mihi.*

45 *Ad auditionem auris mihi collecti ſunt, filij alieni mentiti ſunt mihi.*

46 *Filij alieni inueterarunt, à clauſtris ſuis trepidarunt.* Sui exaltationem in regem, cū ſuper Iſrael,
tum ſuper gentes finitimas, his verſibus canit. Primùm ipſum Dominns ab oppugnatione populi eripuit. nam ſecundo Schmuelis habetur hoc loco עמי, id eſt populi mei. Per ריבי, id eſt rixas & contentiones, intelligit motū contra ſe & ſtudia ſuorum, quibus agitatus fuit regnātibus Schaule & filio eius Iſboſeth. Ab his eripuit eum Dominus, quū effecit vt totus ſe illi Iſrael vltrò ſubderet: quod legimus 2. Schmu. 5, & 1. Patal. 11, & 12. Illic enim ſcribitur, veniſſe ad eum in Hebron ex ſelectiſſimis omnium tribuū, ter centena quadraginta millia, & octingentos. Caput Gentibus conſtituit eum, quū ei Syros, Moabitas, Ammonitas, AEdomitas, Amalecitas, atque Philiſtæos ſubiecit. Quod verò verſu 45 canit, *Ad auditionem auris,* id eſt tantùm ad famam meam, & inuulgatū iam nomen collecti ſunt mihi, hoc eſt vltrò aduenerunt, & me muneribus venerati ſunt: tum Dominus ei præſtitit, quū Thoi rex Hamath, quam Antiochiam Syriæ poſtea dictam Ioſephus tradit, miſſo filio & donis pretioſis, gratulatus ei fuit de victoria contra regem eius partis Syriæ, cui metropolis erat Damaſcus, 2. Schmu. 8. c. 9. ישמעו, habetur hîc, & reddunt id alii obediēt: ſed propriè collecti ſunt ſignificat, ſicut illud וישמע שאול את העם id eſt & Schaul collegit populū. *Mihi mentiti ſunt.* Hæc de Syris quidam intelligunt, qui quum ſuppetias tuliſſent Ammonitis contra Dauidem, & cæſi fuiſſent, pacē cum eo fecerūt, deſertis Ammonitis, atque ſubiecerūt ſe illi, vt legimus 2. Schm. 10. d. 19, & 1. Paralip. 19. d. 19. In lib. 2. Schm. 10. d. 19, vocātur hi ſerui Hadaræzer, qui deſertis Ammonitis, à quibus cōducti in auxiliū fuerant, pacem cum Dauide fecerūt, reges: ſcribitur enim, Et viderunt omnes reges, ſerui Hadaræzer, quòd cecidiſſent coram Iiſraele. Qui huius ſentētiæ ſunt, לו, quod Alioqui mihi ſignificat, per בעבור, id eſt propter interpretantur. Et ſic multis in locis accipitnr, de quo exempla adduxi in verſum tertium Pſal. 3. Porrò alii iſtud, *Mihi mentiti ſunt* pro eo accipiunt quod eſt, Præ timore negarunt ſe mihi fuiſſe aduerſarios, & cōtra me pugnaſſe. Verùm quia Pſalmo 66. a. 3, omnino ſimilis oratio habetur, quam nō licet ad hūc modum interpretari, magis arridet enarratio Abraham Ezra, cui viſum eſt, Prophetam hîc gloriatum quò' inimici ſui iactantes ſuam virtutem, & ſibi victoriam contra Dauidem pollicentes, deprehenſi ſunt falſi, & mentiti. Hinc illud Pſalmi 66, vbi Pſaltes Deo loquitur, Præ multitudine virtutis tuæ mētientur tibi inimici tui: ſic accipit, Tua potentia efficit vt hoſtes tui fateantur ſe mendacium & vanitatem ſectatos eſſe. Porrò, vt prioribus hanc enarrationē vero propinquiorem exiſtimo, ita tamen planè ei ſubſcribere nequeo: neſcio enim quam ſubiectionem ſupplicem & ſeruilem hic loquendi modus ſignificare videatur. Deut. 33. d. 29. de Iiſrael Moſche dicit, Beatus es Iiſrael, quis tibi conferendus? ſeruatus es per Iehouā, qui clypeus auxilii tui, & gladius potētiæ tuæ: & mentientur tibi inimici tui, & tu ſuper excelſa eorū calcabis. In his ſanè verbis ſatis liquet, Mētiri inimicos Iiſraeli, idem eſſe quod fieri ei ſupplices, & penitus potētiæ illius ſubiici. Quod vel illud abundè declarat, Et ſuper excelſa eorum calcabis: quod idem Rabi Schlomoh ſignificare ſcribit atque ſi dixiſſet, Super colla eorum pones pedem tuum. id quod vtique extremæ ſubiectionis eſt. Sic Pſal. 81. c. 14, inducitur Deus de Iiſraelitis loquens, Vtinam populus meus auſcultaſſet mihi, & Iiſrael ambulaſſet in viis meis. Breui tempore deieciſſem hoſtes eorum, & in aduerſarios eorum conuertiſſem manum meam. Oſores Iehouæ mētiti ei fuiſſent, & eſſet æuum eorum ſempiternum. Iam & hîc ſatis liquet, mentiri, valere idem quod penitus ſubiici. Et forſan inde mētiri, pro trepidante & maximè ſeruili ſubiectione Scriptura vſurpare ſolet, quòd qui ita ſubiecti ſunt, multa ſoleāt, timore nimio adacti, iis mentiri quibus ſeruiunt, & quorū potentiam maximè formidant. Sic fures Latini pro ſeruis dicebant, quòd ſerui omnes furari ſoleāt, propter nimiam ſcilicet erga eos herorum parſimoniā. Nequid igitur obſcuritatis eſſet ex hac ſynecdoche ſiue metalepſi, ſimpliciter hoc red

dere malui, *Seruiliter mihi ſupplices facti ſunt.* Huic ſenſui haud malè quadrat quod ſequitur, *Alienigenæ contabuerunt:* quo vtique eorum formidinem, ſuccum vitalem exhaurientem, ac velut folium exarefacientem, Vates ſignificare voluit. quam amplificauit eo quod ſubiecit, *Incluſi à clauſtris*, id eſt locis munitis, *trepidarunt.*

47 *Viuat Dominus, & laudatus propugnator meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ.*

48 *Deus qui dedit vindictas mihi, & egit populos ſub me.*

49 *Eripuit me ab inimicis meis, etiam ſupra inſurgentes contra me extulit me, à viro violentiæ liberauit me.*

50 *Propterea celebrabo te in Gentibus ô Iehoua, & nomini tuo canam:*

51 *Qui magnificauit ſalutem regis ſui, & fecit benignitatem vncto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſeculum.*

Laudibus Pſalmum concludit, vt & cœpit: quæque cecinit, ſummat. Dei beneficio ſe hoſtes deuiciſſe, atque ſibi ſubieciſſe, canit verſu 48. Ereptum verò ſe eiuſdem ope ab infeſtis ſibi, & nominatim à Schaule, quem virum violentum vocauit, propter pertinax & inuictum odium, quo ſe innocentem perſequutus erat, & præualuiſſe omnibus inimicis, atque impetium nactum eſſe in eos qui ſeſe oppugnauerãt, canit verſu 49. Reliquis duobus verſibus ad regnum Chriſti animum ſuſtuliſſe videtur. Etſi enim in Gentibus ſibi ſubiectis, Dauid Iehouam indubiè magno ſtudio celebrem fecerit, vt id eſt omnium principum, qui Deum verè timẽt: mihi tamen videtur, eo ſimul ſe hîc Chriſti typum exhibuiſſe, & de eo eſſe vaticinatum, quòd gloria Dei in vniuerſum orbem per Spiritum Chriſti ſpargi debebat. Hanc quoque exiſtimo magnam illam ſalutem & benignitatem, quam verſu vltimo Deum Regi & vncto ſuo, ſimul & ſemini eius in ſempiternum feciſſe prædicat, quanquam hæc & de ſalute quæ ſibi ac poſteris ſuis facta eſt, cecinit. Attamen vt nihil antiquius habuit Chriſti de ſemine ſuo naſcituri promiſſione, ita exiſtimo eum, animum & verba, dum ſalutis ſibi & ſemini ſuo factæ meminit, ad canendum regnum Chriſti, attuliſſe, vnde toti orbi ſempiterna ſalus facta eſt. Alioqui vbi ſemen aut poſteritas Dauidis in ſempiternum firmata, ſi non Chriſtum ipſum, cum ſibi credentibus, hanc Dauidis ſobolem agnouerimus? Promiſerat enim Deus ſe hanc, ſi peccaret, caſtigaturum quidem: at abiecturum nunquam, regníque ſolium illi ſemper ſeruaturum. Hoc in vno Chriſto nemo orthodoxorum completum dubitat. Magna itaque ſalus atque benignitas, de qua hîc Dauid canit, fuit eius à tot támque crudelibus hoſtibus ereptio, & in illud regnum euectio, quod ipſo & aliquot poſteris eius adminiſtrantibus egregiè quidem floruit, & Diuinam gloriam magnificè illuſtrauit: ſed regnante ſeruatore noſtro Chriſto, vncto illo Spiritu Dei præ participibus ſuis, iuſta demum ſua pomeria obtinuit, & ad fines vſque orbis prælatam Dei gloriam plenè euulgauit, in numeriſque mortalibus æternam ſalutem attulit. Quanti ſanè ei Chriſti promiſſio fuerit, ipſius verba cum 2. Schmu. 7. b. 12, & 1. Paralip. 17. b. 11, tum multorum Pſalmorum luculenter declarant: vnde haud mirum, eum qualibet occaſione ad canendum de Chriſto & regno eius abreptum fuiſſe. Porrò noſtrum fuerit non ſolùm hac in parte Dauidem, vt Chriſti typum conſiderare. Et in eo ſanè quòd tam multa illum antequam ad iuſtam regni gloriã exaltaretur, perpeti oportuit, & quòd tam præclarè illi Dominus adfuit, periculis exemit, & hoſtes ipſi ſubiecit, Chriſti in ſe quandam adumbrationem exhibuit. Eadem iam ſors & nobis cõpetit Chriſti membris. Quare dum mortis laquei conſtringunt, dum torrentes Belial obruunt, dum inferorum exanimãt terrores, animus nequaquam deſpondendus eſt: ſed cogitandum potius, vt Dauidem exemplũ vnigeniti ſui, atque ipſum hunc ſuum vnigenitum habuerit Deus: neque dubitãdum, illum nos ad eundem modum habiturum. Totam mundi machinam commoueri oportuit, dum ille periclitaretur, vt electi omnes inde diſcerent, cælum & terram citius deſtruenda, quàm queat perire qui ſe conſecratit omnium conditori Deo. Verùm vt magnificè Dei gloria in Sãctis eius declaretur, in ſumma interim eos diſcrimina venire oportet. Sed dum mundus actũ eſſe de illis putat, nullámque innocentiæ, quam ſectantur, haberi rationem credũt, tum demum ſolet iudex eorum Deus, quàm charos eos habeat, quantíque illi ſit recti ſtudium, demonſtrare. Præterea obſeruandum, quàm ſolicitè à verſu 29. vſque ad finem Pſalmi, omnia Vates ab vno Deo geri, eiúſque vnius dona eſſe, dotes cum animi, tum corporis quaſlibet prædicet, dum memorat vt virtutem bellicam ipſe ſibi ſuppeditarit, pedibus velocitatem, manibus dexteritatem, lacertis robur largitus ſit, vt clypei vice ſibi fuerit, hoſtes ſtrauerit, in fugam egerit, partim deleuerit, partim ſubiecerit. quid opus verbis? vnus omnia inſtituerit, geſſerit, confecerit, abſoluerit? O beata regna, beatas reſpublicas, hæc ſi agnoſcerent qui rerũ potiuntur, quàm ſanctè, quàm innocenter, quàm religioſè omnia conſtituerentur, quàm euaneſceret impiorum metus, arderet verò ſtudium pietatis, quæ à multis hodie nulla alia cauſa poſthabetur, quàm quòd nondum ii qui rerum habenas moderantur, perſuaſum habent, omnem victoriam, rerum ſucceſſum, pacem, regnum, ac quicquid optari poſſit, vnius Dei opus & donum eſſe. Perpendamus igitur iſta & nobis ſcripta, Deúmque ſui ſimilem perſeuerare. Tantùm eius miſericordia nitamur, ipſúmque & noſtrum robur, rupem, munimentum, ereptorem, Deum, propu-

gnatorem, clypeum, virtutem ſaluificam, & perfugium credamus eſſe, & illuminabit noſtram quoque lucernam, viámque noſtrã ſic expeditam efficiet, & eam largietur de hoſtibus victoriam, vt & nos prædicandi eius ſuper nos bonitatem, materiam ſimus habituri ampliſſimam.

PSALMVS XIX, in genere miſto, ἐπαινετικὸς, καὶ αἰτητικός.

Canit virtutem Dei ex opificio cælorum mirificè relucentem: deinde Legis diuinæ præcellentiam: poſtremò à peccatis ſeruari orat, & ut placeant, probáque ſint quæcunque uel corde meditatur, uel ore loquitur. ARGVM.

PARAPH.

1 PRæſuli, Oda Dauidis.
2 Cæli maieſtatem Dei deprædicant, æther quanta ſunt opera eius manifeſtat.
3 Dies diem docet, nox nocti ſcientiam ſubminiſtrat.
4 Nullus his quidem ſermo eſt, nulla verba, nec auditur vox eorum:
5 At interim in vniuerſum ſe orbem profert eorum ad certam exactam regulam compoſitio & motus: iſta eorum oratio diffundit ſe ad extremum vſque mundi, in his fixit tabernaculum Soli.
6 Is velut ſpõſus ex vmbraculo ſuo prodit, velut heros quiſpiam alacer ad decurrendam viam:
7 Ab extremo cælorum egreſſus eius, recurſus eius ad alterum extremum, nec eſt qui ſe ab æſtu illius abſcondat.
8 Lex Iehouæ ſyncera eſt, animam recreat: teſtimonium Iehouæ fidele eſt, imperitis ſapientiam ſuppeditat.
9 Iuſſa Iehouæ recta ſunt, cor exhilarant: præcepta Iehouæ pura ſunt, oculos illuminant.
10 Religio Iehouæ munda eſt, perſtans perpetuò: edicta Iehouæ vera, & ſimul omnia iuſta.
11 Optabiliora auro & gemmis pretioſis, dulciora melle & fauo diſtillante.
12 His ſeruus tuus cautus redditur: magna merces, ipſa eorum obſeruatio.
13 Delicta quis animaduertat? latentibus malis purga me.
14 Quin & flagitia auerte ſeruo tuo, ne dominentur mihi: tum ero integer & purus à quouis grandiori ſcelere.
15 Sint ſermones oris mei, & cordis mei meditatio, vt tibi probẽtur, ô Iehouah, propugnator mi & redemptor.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *CAEli enarrant maieſtatem Dei, & æther adnuntiat opus manuum eius.*
2 *Dies diei eloquutur ſermonem, & nox nocti monſtrat ſcientiam.*

In confeſſo eſt apud omnes Ebræos, & ipſa verba Pſalmi idem teſtantur, Vatem verſibus ſeptem prioribus Dei potentiam in cælorum machina tam inſigniter declaratam prædicare: de hac eos interpretabor, & vt videtur, conſentiente D. Paulo ad Romanos decimo. Quibus allegorica horum interpretatio arriſerit, habent illam apud alios. Tametſi enim tam mirabile Dei beneficium, potentiam & bonitatem eius pluſquàm patentiſſimè omnibus mortalibus teſtetur & celebret, ea tamen eſt humani generis ſtupiditas, vt Dei, in quo ſunt, viuunt, & mouentur, operúmque eius, quæ & ipſi ſunt, & quibus continuò fruuntur, ſatis admoneri nequeant. Ideo cum alii Vates, tum hic Pſaltes, libenter illa omnium oculis expoſita Dei opera, ſed quorum magnitudo, ordo & vis nunquam dignè ſatis potuit conſiderari & perpendi, identidem celebrant, velut hominum animos excitare conantes, vt tandem intueri & cognoſcere velint quæ alioqui oculis corporeis nunquam non vident, ſemper audiunt, tangunt, vtuntur. Hac de cauſa voluit hic noſter & in præſenti hymno populi Dei mentem ad conſiderandũ nunquam ſatis admiratam Dei maieſtatem in cælorum ſtructura, ordine, motu, Solis iubare, & reliquorũ ſiderum inexplicabili ornatu ſeſe oſtentãtem, prouocare: eóque cecinit, *Cæli denarrant maieſtatem Dei.* Quid per cælos ſignificarit, ipſe continuò expreſſit, quum ſubiecit רקיע, id eſt & æther: alii verterunt firmamentum: ſed non video qua ratione, quũ hoc nomen expanſionem ſignificet, non firmitatem: vnde extenuatæ

laminæ רקעי פחים dicuntur, Num.16.f.38. Et 2.Sam.22, in Epinicio, vbi in Pſalmo ſuperiori habemus, ארקעם, id eſt extenuabo, habetur כטיט quod idem ſignificat. Cælorū itaque & ætheris nomine, Pſaltes pro eodē vſus eſt. Etenim Gene.1.a.8, legimus ויקרא, id eſt æthera vocauit cælos *Aethera* autē verti, quòd Ariſtoteles in libro de Mundo ſcribit, cæli ſiderūmque naturā hoc nomine appellari, origine huius vocabuli inde ducta, quòd ſemper æther currat motu circūductili ἀεὶ θεῖν ἐν κύκλῳ. Vt igitur æther idem quòd cæli eſt, & denarrant atque annuntiant, pro eodē poſitū eſt: ita idem quoque valet gloria Dei, & opera ei⁹. Aeterna ſiquidē ſunt & numero, magnitudine, motu, virtuteque incomprehenſis ſuſpicienda ſunt, quæ in cælis : identur Dei opera. Quis tantùm lunæ vices, & ſolis ortus atque occaſus, tum receſſus & acceſſus, pro dignitate explicet? Iam aliorū ſiderum neque ſciri numerus poteſt, nedum virtutes pernoſci. Solus ſiquidē Deus eſt, vt canit Pſalmus 147.a.4, qui & numerum ſtellarū tenet, & ſua illis nomina imponit. Ex eodem hoc Dei inexplicabili ſtupendóque opificio, Dei maieſtas & potentia cum aliàs, tum Iiob nono, & 38, deprædicatur. Chaldæus vt tropum explicaret, ſic reddidit, Qui ſuſpiciunt cælos, enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annuntiant qui ſuſpiciunt in aera. Porrò verſus tertius variè enarratur. Kimhi ſic, Dies de die loquitur, & nox de nocte ſcientiam monſtrat. Vnde diſcimus, ſicut prioris ratio fuit, ita & poſterioris futuram, perennantibus ſuo ordine ſolis ortibus & occaſibus. Rabbi Schlomoh, quòd ſinguli dies & noctes, perpetuo ſuo curſu & ordine Dei potentiā & ſapientiam cōcelebrent. Abr. Ezra eam hîc à Propheta putat quemlibet diem, quamlibet noctē, noua Dei opera depromere, quòd ſingulis diebus & noctibus noui aliquid exoriatur, in quo Dei & potētia, & ſapientia, & bonitas peculiariter manifeſtetur. Hæc iam ceu pars ſunt prædicationis, quæ cæli Diuinā maieſtatem deprædicant, eo quòd inferna hæc per ſuperna illa & cæleſtia regantur: nihil in terra abſque cælorum virtute naſcitur. Simile itaque erit hoc, *Dies diei loquitur*: verſiculo illi, Diſcipulus eſt prioris poſterior dies. Proſopopœia eſt in hoc & præcedēti verſu. Cæli enim & ſinguli dies, eo Deum & eius opera prædicant, quòd nobis prædicandi materiam exhibēt. Chaldæus reddidit, Dies diei apponit, & manifeſtat verbum: & nox nocti diminuit, & nuntiat ſcientiam. Quid autem ſibi voluerit quòd diei appoſitionem, & nocti diminutionem tribuit, non video: niſi forſan intellexerit, ſicut dies noua Dei ſemper opera exhibendo, animis noſtris materiam offerunt de Deo, & tam magnificis eius operibus diligentius cogitandi: ita noctes omnia quæ die vidētur ſunt tegendo, ac ita occurſum operum Dei in ſenſus diminuendo, otium ſubminiſtrant cogitationi eiuſmodi, qua ſcilicet ſolidè paratur ſcientia incumbendi. יביע *eructare* vertere ſolent, & id nonnunquam ſignificat: ſed ad ſermonem ſignificandum inde tranſlatum eſt, quòd propriè ſcaturire ſignificet: ſermo enim ex ore, vt riuus è fonte ebullit.

4 *Non ſermo & non verba, non auditur vox eorum.*

5 *In omnem terram exit amuſſis eorum, & in finem orbis oratio eorum. Soli poſuit tabernaculum in eis.*

6 *Et ipſe ſicut ſponſus egreditur ex vmbraculo ſuo, Lætatur ſicut heros ad currendum ſemitam:*

7 *A fine cælorum egreſſus eius, & recurſus ad finem eius, & non abſconſus ab æſtu eius.* Etſi ἄφωνοι ſint cæli, neque vt homines loquantur, amuſſis tamen eorum, hoc eſt admiranda illa & ad tam certam amuſſim exacta compoſitio, ſitus, motus & ornatus eorum, quæ eorum oratio eſt, in omnem vſque terram, & ad orbis terminos ſeſe proferunt, & oſtentant: eóque pacto Deum magnificentiſſimè deprædicant. Quia verò nullum æquè ſidus, vt ſolis iubar, Dei maieſtatem atteſtatur, de ſole peculiariter ſubiicit, *Soli in illis*, cælis ſcilicet, *tabernaculum fixit*. Eo verò rationem reddidit eius quod de cælis iam cecinit: quòd etſi nihil loquantur more humano, in omni tamen terra, multo præclariſſimè Dei virtutem & ſapientiā celebrent. Quóque magis hæc illuſtret, ſolem ſimilem ſponſo facit egredienti ex vmbraculo ſuo. Mos Ebræis fuit, ac etiamnum obſeruatur, vt ſub expanſo velo ſponſo ſponſam tradāt: è quo quū progreditur, cunctos exhilarat, & nuptiarum feſtum incipitur. Ad quod & Iohannes alluſit, quum dicebat, Amicus ſponſi gaudet, quum audit vocem eius, Iohan.3.d.29. Sic exoriēte ſole, & mane os aureum orbi proferente, vniuerſi orbis facies mirum in modum recreatur, ac velut innouatur. Aſſimilat præterea ſolem & heroi pernicitate pedum prædito, quæ dos præcipuis heroibus tribuitur: vnde & Homerus ſuū Achillem πόδας ὠκὺν vbique prædicat. Eandem & Dauid ſibi diuinitus donatā memorauit, verſu 34 Pſalmi ſuperioris, dum cecinit pedes ſuos velocitate pedibus capreaū æquatos. Idem & de Gadiris legimus, 1 Para.12.b.8. Habet autē hæc ſimilitudo propter nimiam imparitatem nōnihil gratiæ. Admodum impar ſiquidem ſimilitudo eſt inter heroem ſingulari celeritate præditum&, ſolem qui à carceribus(vt dici ſolet) Orientis, ad metam vſque Occidentis, vnius diei curſu pertingit. Huius tamen generis ſimilitudinibus Scriptura non illubens vtitur. Talis ſanè eſt, quòd nubes & cælos, Dei tabernaculum: motū ventorum, remigium alarum: tonitruū, vocem: ſagittas eius, fulmina facit. Hæc vtrique diſparitas obiecta animo, ſtupere Dei amplitudinem facit, quam collatam rebus humanis, vtique adeò nullis, quamlibet excellentibus, apud nos poſſe conferri. Virtutem & bonitatem Dei in ſole

declararam,& illud attollit, quod ſubiicit, *Nec eſt qui ſe à calore eius queat abſcondere.* Chaldæus quartũ, quintum,& ſextum verſus ſic reddidit, Non eſt verbũ murmurans, & nõ ſermones perſtrepentes, & non audiũtur voces eorum. In omnem terram extenſi ſunt effectus eorum,& in fines orbis omnia verba eorum. Soli poſuit tabernaculum, illuminationem autem in illos. Et ipſe mane tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo pulcherrimè, & dum diuiditur dies, lætatur vt gigas, & obſeruat in fortitudine viã occaſus veſpertini. Solent noſtri ferè omnes præmiſſa allegoricῶs accipere: quod vt non reiicio, ita videtur, ſiquis diligentem omniũ rationem ineat, haudquaquam reiiciendum quòd nos Ebræos ſequuti, ea narrauimus ſimpliciter. Hinc enim allegoriæ firmiores poſſunt tractari. Cæli iſti quos videmus, quum tam præclara Dei opera, & inter hæc illud incomparabile iubar Solis, oſtentant, Dei vtique gloriam magnificè prædicant: multo præclarius ergo Apoſtoli, qui inuiſibilia & æterna Dei opera & dona, ac inter hæc omniũ autorem Chriſtum, Solem iuſtitiæ qui in ipſis habitat, monſtrantes & exhibẽtes, illam celebrem reddiderunt. Vbique terrarum & omni tempore, cæli maieſtatem Dei conſiderandam obiiciunt: at pridem omni creaturæ ſub cælo, illi Euangeliũ annuntiarunt, quod & vbique fructũ ſuum attulit, Coloſſ.1.a.5. His conſentire arbitror & D. Paulum, Roma.10.a.14. Dixerat nemine poſſe credere, niſi audierit: nec audire, ſi ei prædicatum non fuerit: prædicare non poſſe qui ad id non mittãtur. Poſt hæc ſcribit, At non omnes crediderũt Euangelio: Ieſchaiah enim dicit, Domine quis credidit auditioni, id eſt ſermoni noſtro? Fides ſiquidem ex audito ſermone prouenit, hæc conſtat per Dei verbũ. Sed dico, Nunquid audierũt? Atqui in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Hæc Paulus. Qui eo vtique, quod ex hoc Pſalmo adduxit, In omnem terram, &c. nihil aliud probare voluit, quàm Iudæos Euangeliũ audiiſſe. ideo liquet de prædicatione Euangelica locum hunc intellexiſſe. At nihil obſtat quin allegoricῶs dictum hoc citaſſe dicamus, hiſtoriæ ſimplicitate minimè negata: atque intellexiſſe, ſicut cæli in vniuerſo orbe Dei potentiam celebrant, ita iam tum Apoſtolos gloriam Dei ad fines vſque terræ, per præcipuas ſcilicet orbis regiones diuulgaſſe. Sic quũ hortaretur vt Corinthii ex ſua abundãtia ſarcirent fratrum in Iudæa inopiam, ſubiecit, Sicut ſcriptum eſt, Qui multũ, ei nihil redũdabat: qui parum, ei nihil deerat. Id ſcriptum eſſe de collectione Man, Exod.16.d.18, nemo eſt qui inficietur. Sed rurſus perbellè quadrat & in id ad quod Paulus adduxit, hortans vt ita ſtuderent Sancti res vitæ æquare, vt Man olim ex æquo populo tribuebatur. Ad eundem modum 1. Timoth.5.c.18, rationem redditurus eius quod præcepit, iis qui laborant in verbo, neceſſaria vitæ largius ſuppeditanda: ſubiungit, Dicit enim Scriptura, Boui trituranti non obligabis os. Quis neget & de boue hoc Deum Iiſraeli præcepiſſe? At ſi bouem Deus voluit ex ſuo labore corporis victum accipere, quanto magis illos qui in eo laborant vnde æternùm viuitur? Non inſcitè igitur, neque abſque certo probationis momento, Paulus ad ſuum propoſitum locum hunc adduxit per analogiã. Ad Romanos ergo, quum Iudæos audiſſe pridem Euangelium, neque latêre eos poſſe vellet affirmare, commodùm ſubiecit, In omnem terram exiuit ſonus eorum Nam non ita multo pòſt Coloſſenſibus ſcripſit, Omni creaturæ ſub cælo iam tum annuntiatũ fuiſſe. Hinc autem colligi nequit, Pſaltem hæc nõ & de cælis ceciniſſe: ſicut neque ex eo, quod de æqualitate facultatum Paulus adduxit, Qui multum, &c. & de proſpiciendo verbi miniſtris, Boui trituranti, &c. colligitur quòd illud non & de Man, hoc & de boue verè ſcriptum ſit. Ita de Chriſto rectè Matthæus adduxit, Vocaui ex AEgypto Filium meũ: interim tamen & de Iiſrael idipſum Propheta Hoſea ſcripſit. Vtique & Iiſrael filius Dei fuit, ſed propter Chriſtũ: igitur in Chriſto rectè completum hoc dictum Euangeliſta teſtatur. Proinde verè Paulus de prædicatione Euangelica præſentem verſiculum citauit: & ſimul verum eſt, Pſaltem de cælis quoque illum ceciniſſe. vere enim gloriam Dei magnificè deprædicant. In eo autem vmbram quandam & ſimilitudinem Apoſtolorum continent: propter hanc, quod Vates de illis cecinit, Paulus haud incõmodè Apoſtolis tribuit: præſertim quũ Pſaltes ideo hîc de cælis, vt gloriam Dei celebrent, cecinerit, quo illis collatam Dei Legem, quæ Deum longè præclarius prædicat, laudibus attollat. Tempore ſiquidem Euangelii, Lex Dei ſummè eluxit, Deíque gloriam illuſtrauit. Perpenſis probè his, iudicet pius lector. Porrò quòd Græci interpretes pro קו, quod *regulam* ſignificat, ὁ φθόγγος reddiderunt, à ſenſu Vatis nihil alienum eſt: tropum enim explicarunt. id quod & Propheta ipſe in altera huius verſus parte fecit, quũ dixit, *Et in fines orbis oratio eorum.* Hæc enim oratio, vt dictum eſt, nihil aliud erat, quàm cælorum amuſſis & regula: id eſt mirificè adeò cõſtituta, formata, cælata, & illuſtrata eorum machina, vti hãc vocem & Ieſcha.28.c.10. vſurpauit. Ego ſpectans rationem, qua cæli loquuntur & præcipiunt, *indicium* reddidi.

Allegoria.

Declaratur locus Pauli Rom.10.

Locus Pauli 2. Cor 8.c.15. de proſpiciendo vitæ fratrum victui.

Coloſ.1.d.23.

Matth.2.a.15.

8 *Lex Iehouæ ſyncera, reſtituit animam, teſtimonium Iehouæ veram ſapientiam confert imperitis.*

9 *Iuſſa Iehouæ æqua, exhilarantia cor: præceptum Iehouæ purum, illuminans oculos.*

10 *Reuerentia Iehouæ munda, perſtans in ſeculum: iudicata Iehouæ veritas, iuſta ſunt ſimul.* His verſibus Legem & doctrinam prædicat, quam ſuo populo Deus largitus eſt, donum incõparabile, & quo ille

quantum frugis optimæ adſerat diligens & ſedula Scripturarum & lectio & excuſſio: vt non iniuria Paulus ſuum Timotheum tantopere incumbere illi voluerit, tantúmque fructus promiſerit. At verò nullis id rationibus ita vt experiméto percipi poteſt: quanquam pio homini, vel præſens Pſaltis encomium, aut Pauli elogium quod adduximus, vel Moſcheh teſtimonium Deut. 4. a. 6, ſatis probent nullum eſſe ſcripti genus quod vel dignitate, vel fructu, vlla ex parte diuinæ Scripturæ, quam iure vocamus, conferri queat. Sed, vt dixi, experientia hîc omni ratione potior eſt: ea pios animos ita Scripturæ arcanæ de Deo noſtro vbique præclarè teſtanti, & de eius nos voluntate erudienti, addicit, ſic reddit affectos, vt planè comparatos ſe ſentiant, vti de ſe Vates in ſequentibus canit.

11 *Deſiderabilia præ auro, & gemma eximia, & dulciora melle & fauo ſtillantium.*

12 *Etiam tuus ſeruus eſt illis monitus: in cuſtodiendo illa merces multa.* Nihil eſt quod pluris homines æſtiment auro & gemmis, nihil quod æque neceſſarium ſit vt cibus: quódque æquè oblectet, præſertim delicatior. iam vtriſque magis optabilia, & dulcia eſſe præcepta Dei canit: quo idem de eis affirmauit quod Schlomoh, dum Prouerb. 8. c. 19, adſeruit ſapientiam præſtantiorem chariſſimis theſauris, & quæcunque deſiderabilia habentur, non poſſe illi conferri. Id quàm verum ſit, qui nouit Deum eſſe, atque inde omnē in eo fœlicitatem ſitam vt illi placeamus, dubitare haud poterit. Sentiunt ſiquidem hi quàm aduerſetur huic fœlicitati omnis naturæ noſtræ ſenſus & conatus: & vt vix aliud tam efficax contra hunc naturæ morbum, remedium habeatur, atque ſedulum doctrinæ Dei exercitiū, attentáque diuinæ Legis perpenſio. quare ad nihil aliud æquè cupidè animi eorum feruntur. Nihil ſiquidem eſt quod Dei apertius & potentius admoneat, iudiciorum & operum eius rationē plenius explicet, quàm ſacræ Scripturæ. Hinc verſu 12 ſubiecit, *Etenim ſeruus tuus admonetur illis*, id eſt contra peccatum munitur, ad ſalutem eruditur, quia ad vitam inculpatam inſtruitur. Quòd autem verſo ad Deum ſermone dixit, *Etiam ſeruus tuus*, non caret affectu. quaſi enim exclamatio quædam eſt, qua ſimul experientiam eius quod præmiſit teſtatur. quaſi diceret, Optabiliorem affirmo Legem Dei auro & gemmis, dulciorem melle puriſſimo: non id tamen quibuſuis, ſed timentibus Deū, & Spiritu cæleſti præditis. Hoc verò non inani coniectura adductus affirmo. Expertus ſum, dum tantum ô Deus, ex ea fructū percepi, ſic illa monitus, ſic cōtra mala quæuis cōmunitus, & ad bona quæuis inſtitutus. vt & inimicis meis ſapientior, & docentibus me prudentior, & ſenibus intelligentia auctior euaſerim. Hæc enim de ſe prædicat Pſal. 119, in octonario quartodecimo. נזהר hîc habetur, quod monitū, quique ab alio cautior & circunſpectior factus ſit, ſignificat: eſt enim paſſiuum. Mirandū igitur quòd Hieronymus reddiderit, Seruus tuus docebit ea: Græc⁹, Cuſtodit ea. Chaldæus certior eſt, qui habet, Eſt diligēs in eis. Dicere enim Vates voluit, per illa præcepta, ſcilicet Legem & decreta Dei, ſe ſeruū Dei cautiorem, prouidentiorémque factum quo minus delinqueret, viuerétque inculpatius. His iam cōmodùm ſubiecit, In obſeruando illa merces multa, hoc eſt vt verti, quorum ipſa obſeruatio, merces ampliſſima, vita Dei, vita æterna eſt, & ſola beata. Quo igitur plus huius cuique cōtigerit, eo guſtum ampliorem futuræ fœlicitatis percipit. Hinc Paulus fidei & iuſtitiæ comites ſemper adiūgit pacem & gaudium. Iam quanto quiſque Dei præcepta obſeruarit ſtudioſius, ac ita vixerit innocētius & ſanctius, tanto in vita Dei & beata amplius proficit: atque hoc pacto æterna mercede iamiam, quantum huius vitæ eſſe poteſt, perfruitur. Etenim nihil aliud eſt fœlicitas, nihil Sanctorum merces, quàm ipſa pietas, ipſa vita ad Dei Legem formata. Vnde ſcitè dixit, In obſeruādo illa, merces multa. Ipſa ſiquidem obſeruatio, merces iſta eſt ampliſſima, quæ nullis quamlibet deſideratis rebus queat comparari. Alii mercedem intelligunt, quam obſeruātibus Legem Dominus rependit. Vnde Chaldæus reddidit hîc, Propterea ſic benefecit Iiſraeli. Cæterùm de mercedis ratione, quæ fructus quidem eſt ſanctorum operum, at illis minimè compenſata, dixi nonnihil in verſu 27 Pſalmi ſuperioris. 18, quod eſt in verſu 11, alii defæcatius aurum ſignificare arbitrātur, inter quos & Kimhi & Paraphraſtes Chaldæus eſt: Hieronymus & Græcus conſentiunt interpretationi Abrahā Ezræ, quam & ego ſequutus, *gemmas* reddidi. Quum enim Vates quibuſvis pretioſiſſimis rebus Legem Dei præferre voluerit, haud male quadrabit, ſi auro gemmas coniunxerit, quibus maius quàm auri pretium eſt: tum ſolent & alibi gemmæ, dum fit pretii collatio, auro coniungi. Mirū quòd pro fauo deſtillāte Hieronymus habet redundantem, Chaldæus poſuerit pinguedinem lactis. Non prætereundus & affectus in voce, *Seruus tuus*: quo Vates ſignificauit quòd cupiat Deo eſſe addictus, poſtquam perceperit quanta ſit in Lege Dei vtilitas, quantáque voluptas. Componamus iam nos ad hoc ſancti Dei exemplum: tum enim rectè & ſalubriter affecti erimus, ſi eū & nobis ineſſe quem in Dauide fuiſſe animum, deprehenderimus. Vita æterna & beata eſt, Deum cognouiſſe. quis hinc nō videat quanti nobis eſſe deceat Scriptura Dei, qua illam aſſequi, & ea continuò promouere liceat?

13 *Errata quis intelligat? ab abſconditis munda me.*

14 *Etiam à flagitiis defende ſeruum tuum, non dominentur mihi: tunc ego ſyncerus & mundus ero à ſcelere grandi.*

5 Det tibi pro voto cordis tui,& omne conſilium tuum ſtabiliat.
6 Ouabimus de ſalute tua,& in nomine Dei noſtri ſigna triumphantes ſuſtol-
lemus,quum præſtiterit Iehouah quæcunque optaueris.
7 Et dicet vnuſquiſque, Nũc agnoſco quòd Iehouah vnctum ſuum ſeruauerit:
annuit ei de ſacrario cælorum,virtute ſaluifica dextræ ſuæ.
8 Hi in curribus,illi in equis fidebant,nos autem nomen Iehouæ Dei noſtri in-
uocabamus.
9 Iam illi oppreſſi ſunt & ceciderunt, nos autem ſtamus & confirmati ſumus.
10 Sic verò inuocabamus, Serua ô Iehouah: ille rex noſter annuat nobis inuo-
cantibus.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Præſidi Oda Dauidis.* Propterea quòd hic Pſalmus pro rege orat,exiſtimant quidam Ebræorum eum ab alio compoſitum eſſe vt pro Dauide caneretur. Sed cur non optaſſet pro ſe Dauid, pro ſalute populi bellum gerente fieri publicam precem: eámque vt dirigeret, Pſalmum populo compoſuiſſet? Niſi quis magis credat eum obtenta iam victoria,& prece populi audita,more ſuo, ad celebrandum cum populi erga ſe ſtudium, tum Dei in ſe & illum beneuolentiam, Pſalmum hunc conſcripſiſſe: & in exemplum tam principibus,quàm populis,vt illi ad vnum Deum in periculis confugere, & hi pro principibus ſuis ſuppliciter Deum precari hinc diſcerent, decantari feciſſe. Et hæc ſanè ſententia vero mihi vicinior, vel ideo videtur,quòd à percepto Dei auxilio Dauid huiuſmodi Odas componere fuerit ſolitus. Dauidis igitur opus,Pſalmum hunc,non minus quàm alios quibus eadem inſcriptio præmittitur, exiſtimo. Plurimum ſitum eſt in principibus, quos oportet toti populo proſpicere, & deos quoſdam præſtare. Dum enim religioſi principes rerum potiuntur, omnia ad pietatem ,& morum honeſtatem inſtituunt. Contrà, vbi regnant impii ,quæcunque pietati & honeſtati aduerſa ſunt plantant, & defendunt: oppugnant verò & opprimunt quicquid quouis modo pietatẽ & honeſtatem reſipit: id quod hiſtoriæ Regum Iiſrael & Iehudah abundè teſtantur. Proinde vix aliud eſt pro quo enixius orare populus debeat, quàm pro ſalute pii principis, ſiquem nactus ſit. Quum itaque tam eximia pietate eſſet Dauid, & tanto ſtudio ex æquitate & iuſtitia populum gubernaret, iure debuerunt illi ſolicitè eius ſalutem precibus Deo cõmendare, & pro ea defenſa magno ſtudio gratias agere. Vel ergo voluit Oda præſenti illis ad id velut præcinere: & cum precationis pro ſe, tum de victoria & percepta ſalute gratiarum actionis quandã quaſi formulã præſcribere: aut quod magis arridet,inſtituit hoc carmine memorare, quàm enixe pro ſe populus, quámque fœliciter orarit. Porrò quum indubiè pro Dauide rege tam ſancto, quíque populo longè chariſſimus eſſet, quotidie ſupplicatum Deo fuerit cum à piis in populo priuatim,tum à Sacerdotibus & Leuitis publicitus: videtur hoc hymno memorari inſignis quædam & publica in certo aliquo periculo, pro illo ſuſcepta ſupplicatio. Et haud ſcio an id fuerit quum ſuſciperet bellũ cum Ammonitis: ii enim vnà cum auxiliaribus copiis quas à Syris conduxerant, ſemel ab exercitu Dauidis fuſi,omnem ferè Syrorum,etiam eorum qui vltra Euphratem habitabant, potentiam contra Dauidem collegerant, vt illum totum Iiſraelem cogere, & contra illos educere oporteret. Quantus verò hoſtilis exercitus fuerit, inde licet cõiicere,quòd Sacra hiſtoria narrat ex eo, quanquam fugerint, cæſa quadraginta millia equitum,2.Schm.10.d.18:& totidem peditum,1.Paralip.19.d.18:& captos currus ſepties mille. Secũdo Schm.memorantur nonniſi ſeptingenti: ſed ducum tantum numerum illic Scriptura perſtringit. in libro autem Paralipomenon ſummam poſuit ſingulorum, vt & peditum numerum expreſſit,quem tacuit ſcriptor libri Regum,ſolum equitum numerum indicans, vt ſcriptor librorum Paralipomenon tantùm peditum. Verùm non ſola hæc coniectura, quòd belli huius periculum tam anceps fuerit,vt totum Iiſraelem educendi neceſſitas eſſet, me inuitat vt credam de hoc bello ab Ammonitis & Syris illato, hunc Pſalmum cõpoſitum, quanquam vix aliud æquè difficile Dauid bellarit: ſed & illa me huc mouent, quòd hoſtes hoc Pſalmo peculiariter notentur fiduciæ in multitudine curruum & equitum poſitæ. Iam nullum bellũ Dauidi motum Scriptura memorat,in quo tantã narret fuiſſe cõtra eum adductam vim curruum & equitum. In primo Paralip. 19.b.7, legimus ab Ammonitis conductos fuiſſe ex vtraque Syria & Meſopotamia, duo & triginta millia curruum. Qúmque liber Schmu. narret LX. equitum millia cæſa: facilis conie-

Occaſio & conſilium huius Pſalmi.

Conciliatur locus 2.Schm 10 cum 1.Paralip.19.

Equitum & curruũ numerus aduerſus Dauid.

ctura eſt, & horum fuiſſe multitudinem immenſam. Nam quùm fugerint, & Iiſrael equitatu & curribus haudquaquam ita inſtructus fuerit, veriſimile eſt fuga plurimos elapſos fuiſſe. Vt igitur inſigne fuit peticulum, ita ſolennem pro rege ſupplicationem ſuſcipere conueniebat. Quùmque tam præclaram victoriã à Deo impetraſſent, cauſa admodum digna Dauidi fuit, & precationem pro ſe factam, & de victoria gratulationem, hoc carmine in exemplum aliis celebrandi.

2 *Reſpondeat tibi Iehouah in die anguſtiæ, exaltet te nomen Dei Iaacob:*

3 *Mittat tibi auxilium de ſancto, & de Sion firmet te.* Prioribus ita quinque verſibus, orationem pro ſe habitam: ſexto, cauſam: reliquis, de victoria gratulationem, & epinicion quoddã cecinit. Quòd pro ſe orandum docet vt ſuam Deus precem audiat, indicat ipſum omne præſidium in Domini auxilio poſuiſſe, vt cuius opem ante omnia imploraret, quo ſimul & ſuam in illum fidem declarauit. Niſi enim illum & potuiſſe & voluiſſe auxilium ſibi ferre perſuaſum habuiſſet, nequaquã preces ad eum ante omnia fudiſſet. Idem de Deo noſtro vtinam & reges atque principes noſtri ſentirent: quàm longè alia eſſet regnorum hodie & rerumpublicarum facies? Quicunque ſiquidem verè credunt vnius Dei ope omnem ſalutem conſtare, illis nihil prius in votis eſſe poterit quàm vt eidem ſua omnia approbẽt. ישגבך, id eſt *exaltet te*: verti, In tuto te collocet. Significat enim hoc verbum ferè eiuſmodi exaltationem qua quis hoſtibus ſuis ereptus, in loco hoſtibus inacceſſo conſtituitur, quo pacto illis ſuperior redditur. Sic quũ Moſcheh (Deut.2.g.36) dicere vellet nullam vrbem regis Sichon manus Iiſraelis euaſiſſe, dicit, Non fuit vrbs quæ נשגבה, id eſt tuta à nobis fuiſſet, vel ſuperior. Ad hunc modũ Pſaltes crebrò voce hac vtitur. Nomẽ, inquit, Dei Iaacob: quo numen & virtutem Dei ſignificat. Quòd Dei Iaacob inquit, quidã ideo factum putant quòd & Iaacob multis quoq; aduerſis fuerit exercitus. Mihi videtur perinde eſſe acſi dixiſſet, Deus Iiſrael: vt ita Iaacobi nomine, ſicut Iiſraelis, populũ intelligas. Sic Pſalmo decimoquarto, & multis aliis locis, nomine Iaacob Pſaltes vtitur. Vt autem peculiaris erat orandi locus vbi fœderis tabernaculum fixum erat: ita ſubiungit Vates verſu tertiò, *Mittat tibi auxilium de ſancto*, id eſt ſanctuario, quod in montẽ Sion Dauid tranſtulerat. Id verò perinde eſt acſi dixiſſet, Certũ tibi à ſeipſo Deus auxilium mittat, ipſe tibi opituletur. De quo plura in verſu quinto Pſalmi tertii. Etſi enim omnibus ſeculis, omni in loco orari, vt & coli Deus voluerit: quo tamen veterem populum commodius in vera religione à Gentium ſuperſtitionibus ſeruaret, & identidem ad diſcendam ſuam Legem opportunius cogeret, certũ inter eos ſibi locum ſacrauit, donec ampliore Spiritu per Filium ſuum donatis hominibus, cultum ſpiritalem, veritatéque fidei conſtãtem, qui neque monti Sion, neque alii addictus eſſet, præciperet. Iohan.4.e.23.

4 *Memor ſit omnis libamenti tui, holocauſtum tuum pingue ſit. Selah.* Solebant qui ſeriò quid precaturi Tabernaculũ adibãt, ſimul hoſtiis, & nominatim holocauſtis, atque pacificis, quæ vocantur, ſuam pietatem teſtari, & Dei beneuolentiam quaſi eblanditi. id quũ alia veterum exempla, tum factum Sehaulis, 1.Schm 13.b.9: & Dauidis, 2.Schm. vltimo d.18, ſatis confirmant. Ita etſi id Sacra hiſtoria non memoret, veriſimile tamen eſt Dauidem, priuſquam difficile adeò & arduum bellum aggrederetur, publicã ſupplicationem inſtituiſſe, & rege dignas hoſtias immolaſſe, ſicque opem Dei imploraſſe. De libamento verò, quod מנחה Scriptura vocat, nomine deducto à verbo נחה quod adducere vel offerre ſignificat, legimus Leuit.2.a.1. Conſtabat autem vel farina, vel libis oleo aſperſis, & impoſito thure. Hæc perpetuò iũgebãtur holocauſtis, vt & hoſtiis, quas Scriptura vocat זבחי שלמים, ſacrificia pacificorum, quæ rebus pacificis & gratia alendæ quodammodo pacis cum Deo, cum ſacerdotibus, & cum familiaribus fiebant. Holocauſta verò hoſtiæ erant quæ totæ adolebantur, & offerebantur ferè ad emerendum Dei fauorem, & beneuolentiam in rebus ſeriis ac periculoſis. De his legis Leuit.1.a.1, & 6.a.9. Hinc eſt quòd Pſaltes hoc verſu quarto libamẽti & holocauſti ſimul meminerit, docueritque orare vt Dominus illius memor ſit, holocauſtúmq; pingueſcat, id eſt pingue gratúmq; habeatur. Gratiores erãt hoſtiæ quæ religioſiore animo, & ex ſynceriore Dei ſtudio offerebãtur. His verò qui erant prædíti, ſelectiores & pinguiores ſolebant hoſtias immolare. Inde eſt quòd pinguem fieri, vel haberi potius hoſtiã, pro haberi acceptam, Vates hîc poſuerit. Lex ſanè ipſa poſcebat hoſtiam תמים id eſt integram, & nulla ex parte vitiatam. Quare & per Prophe- Malach.1.d.13.
tam Maleachi Dominus Iudæos obiurgat quòd ſibi hoſtias cæcas, claudas, malè ſanas, & macras offerrẽt. Non vtique quòd hominis dona, aut quaſlibet victimas moraretur per ſe Deus (id quod infrà Pſalmo 50. b. 8, & multis aliis locis abunde teſtatus eſt:) ſed quòd viles hoſtiæ, vilem quoque haberi ipſum in animis offerentium demonſtrarent. Vſus ſiquidem oblationum & ſacrificiorum ad nihil aliud erat inſtitutus, quàm vt eo populus ſe & ſua omnia Deo velut cõſecraret, aut potius cõſecrata & addicta teſtaretur: atque inde ſeſe, vt Deo cui ſe addixiſſet, totis viribus viueret, prouocaret, atque excitaret. Qui iam Deũ verè vt Deum colebãt, & ſuſpiciebãt, quique vt par erat, amabant, qui potuiſſent hi nõ ſelectiſſimis & maximè opimis victimis animi ſui in Deũ ſtudium

teſtari? Quare quicũque abiectiores hoſtias offerebant, eos & Deum pro nihilo habere, & victimis ſuis haudquaquam Deo, ſed humanis duntaxat oculis velle ſeſe approbare, neceſſe fuit. Porrò quòd holocauſtis facerent, Deum aliquid exoraturi, ratio fuiſſe videtur, quòd oporteat eum qui opem Dei implorat ita ſeſe totum Deo deuouere, vt ad ipſum vnũ, iam omne creaturarum auxilium deſpondens, confugiat. Totæ ſiquidem, vt dixi, adolebantur hæ victimæ, quæ Ebræis עלות, Græcis ὁλοκαυτώματα dictæ ſunt. Sic per Spiritũ ſanctum, ignem Diuinum, totos cremari Deo animos noſtros neceſſe eſt: hoc eſt quicquid carnis eſt & mundi, aboleri, atque in mortuos redigi cineres: quicquid verò ſpiritus & mentis, vi ignis illius cælici, verè ſpirituale & cæleſte reddi. Id quum citra mortem carnis cõfieri nequit, & ignis ille Spiritus ſancti, nonniſi mortis Chriſti merito accendi in electis, ad exurendam in eis carnis prauitatem potuit, donec mors hæc ſaluifica perficeretur, viuas animantes mactari in omni ſacrificiorum genere decebat. Adiungebantur molæ, & liba, oleum, vinum & thus. De addendo vino legimus Num. 15. a. 5, de aliis Leuit. 2. a. 1. eo ſignificabatur, noſtrum eſſe, Deo quæque chariſſima dedicare. Cibo & potu nihil magis neceſſarium, ita nihil deſideratius: oleo vix aliud delicatius & ſalubrius, thure nihil odoratius: ita quicquid eximium in nobis, omnem vitæ ſuccum, cor ipſum, omnéſque affectus, omnem denique ſermonem Deo deuotum eſſe addecet. Mel & fermentum abeſſe omni ſacrificio, ſal ſemper adeſſe oportebat. id monebat dulcia, mellitáque carni, praua nimirum, & ad malum ſemper ſerpentia, alióſque vti fermentum inficientia, & malis opinionibus inflantia, veteris Adami ſtudia longè oportere à Sanctis ablegari: adhiberi autem perpetuò ſalem, qui carnis corruptionem arceat, ſcientiam ſcilicet & ſermonem crucis. De his plura infrà Pſalmo 50. a. 9. Satis hîc fuerit, pro verſus quarti intellectu noſſe, ritum Legis fuiſſe, quum ſerium quid à Deo orare vellent veteres, ſolitos holocauſta facere, adiunctis libamentis: quo nomine, dum melius non ſuppetit, volo ſignificare quod Scriptura מנחה vocat. Vulgatus interpres generali vocabulo id appellauit ſacrificiũ, Græcos imitatus qui θυσίαν reddiderunt. Liba alioqui Latinis dictæ ſunt placentæ, ex farre & melle deorum ſacrificiis aptæ. Ebræis vſus mellis interdictus erat: ſed quum oleo vice mellis vterentur, adhuc ratio libi conſtabat. Cæterùm quinque ſpecies minhah (vt Ebræo vocabulo vtar) fuere: ſola aliquando farina infuſa oleo, & impoſito thure offerebatur: aliquando coctum in patella: aliquando in caldari. Denique minhah, primitiarum ſpicæ erant, toſtæ & contritæ. De his oblationibus Lex peculiariter tradit quòd in memoriam offerebantur, vt in illis Sancti orarent ſui memorem eſſe Deum, atque eo ipſius bonitatis in ſe recordationem excitarent. Hinc appoſitè dixit hîc Vates, *Memor ſit omnis libamenti tui.* In pecudibus quæ mactabantur, vt dixi, requirebatur vt eſſent ſanæ & pingues. inde ſubiunxit, *Et holocauſtum tuum pingue habeatur.* His autem per ſynecdochen, vt ex priori poſterius intelligas, orabat populus precem regis exaudiri, eíque opem ferri, in quo ſumma Odæ huius poſita eſt. quare & *Selah* hîc adiectum eſt, nota qua admoneretur plebs vt ardentiore affectu oraret.

Ratio holocauſtorum.

De Minha oblatione uberius.

5 *Det tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum impleat.*

6 *Ouabimus in ſalute tua, & in nomine Dei noſtri iactabimus ſignum: Iehouah impleat omnes petitiones tuas.*

Verſu quinto apertis & ſimplicibus verbis precatur, quod præcedenti tropicũs, *Det tibi ſecundum cor tuum*: id eſt quicquid oraueris, quicquid profuturũ cogitaueris ac inſtitueris. *Et omne conſilium tuum impleat*, hoc eſt vt verti, ſtabiliat, optato euentu ſecundet. Nã pius princeps nihil niſi quod populo ſuo ſaluti & cõmodo ſit, cupit & quærit. Vnde verſu ſexto plebs canit, *Ouabimus de ſalute tua*: quũ nimirum victor è bello fueris reuerſus, & in nomine Dei noſtri, quum ſalutem tibi & optatam de hoſtibus victoriam dederit, ac ita impleuerit, id eſt præſtiterit iuxta petita tua, iuxta vota tua, id eſt quæcunque petieris: triumphabimus, ínque gloriam ipſius ſigna noſtra ſuſtollemus. Morem his de victoria exultantium deſcripſit. Græcus, μεγαλυνθησόμεθα, magnificabimur reddidit, lapſus ſimilitudine vocis נגדל cum נדגל, vel putauit metatheſim eſſe. Quanquam quum victores & triumphantes ſigna extollunt, id certè faciant quod per magnificari intelligitur.

7 *Nunc cognoui quoniam Iehouah unctum ſuum ſeruauit, & reſpondit ei è cælis ſacrarij ſui, per fortitudines ſalutis dexteræ ſuæ.* Refert quæ parta victoria quiſque pro ſe dicebat, Nunc demum video cuius virtute tantus hoſtis nobis deuictus ſit: cuius item gratia Iehouah vnctum ſuũ, regem noſtrum, tantopere amat: hunc ſeruatum voluit, huic inuocanti ſe reſpondit, opem tulit, ſalutem perfecit, virtute dexteræ ſuæ potentiſſimè exerta. Nam eo numero, eáque potentia hoſtes fuere, vt nonniſi præſenti Dei auxilio, & luculento Diuinæ virtutis miraculo, deuincere eos rex noſter potuiſſet. Hinc abunde patefactum eſt, precem eius in monte Sion fuſam, à Domino in ſacrario cælorum auditã: id eſt Deum verè cæleſtẽ opem illi tuliſſe, & per ſeipſum hoſtes eius deieciſſe, qui in cælis propter immortalem eorum ſubſtantiam, & vim omnibus inferioribus rebus maiorem, peculiariter habitare dicitur, eo quòd in illis potentiam & Diuinitatem ſuam præclarius exerit.

Sic quod Schlomoh Dominum dedicato templo orabat vt quas ipſe & alii in eo preces funderent, ipſe in cælo audiret, nihil aliud orabat quàm vt ope ſua è cælis lata, hoc eſt tali vt cæleſtem ac Diuinam virtuté referret, preces in templo fuſas audiuiſſe ſe declararet, 1.Schm. 8.c.19. Quum ergo Dominus nonniſi apertè ſuo, hoc eſt modis omnibus Diuino & cæleſti auxilio, Dauidi victoriam illam tam inſignem contra Ammonitas & Syros contuliſſet, rectè dicebatur ei annuiſſe è cælorum ſacrario, idque virtute ſalutis dextræ ſuæ, hoc eſt, vt verti, ſaluifica virtute potentiæ ſuæ: qua hoſtes illi cæſi, & victoria confecta fuit. Ea Dei virtus, quum inſignitè ſe quoque prodi-
Iud.5.c.20. diſſet, quum exercitum Iabin regis Chænaanitarum perterrefactum, cædendum populo ſuo tradidiſſet, cecinerunt Debora & Barac, quem illa populi Dei ducem delegerat, De cælo pugnatum eſt, ſtellæ de tramitibus ſuis pugnarunt contra Siſera. *E cælis ſacrarij ſui*, hypallage eſt: intellexit enim ſacrarium cælorum.

8 *Illi in curru, illi in equis, & nos in nomine Iehouæ Dei noſtri memorabimus.*

9 *Ipſi incuruati ſunt, & ceciderunt, & nos ſurreximus, & ſtabiliti ſumus.* Gemina antitheſi & hoſtibus propria virtute confiſis inſultat, & Dei bonitatem ſuos magnificè defendétis prædicat. *Illi*, inquit, *in curru*, id eſt curuli apparatu, *& equis*, ſubaudi confiſi ſunt: quorum, vt Sacra hiſtoria teſtatur, ingentem numerum habuerunt: *nos autem nominis Dei noſtri memores fuimus*, hoc eſt illud inuocauimus, per quod & hac tam glorioſa victoria potiti ſumus: de qua mox verſu nono, *Incuruati ſunt, & ceciderunt*, qui ſibi nihil minus metuebant. Nos autem, quos iam expugnaſſe ſibi videbantur, qui viribus longe inferiores fuimus, nullo equitatu, nullis curribus inſtructi, conſtitimus, & confirmati ſumus, partim deletis, partim in verba noſtra iurare coactis qui nos perditum tantis copiis tanto apparatu venerant. Vt verò grauiter hoſtes iſti ceciderint, & internecioni, præſertim Ammonitæ, dati ſint, memorat Sacra hiſtoria locis ſuprà adductis, & præterea 2.Schm.12.g.29, ac 1.Paralip.20.a.1. Cunctas ſanè vrbes illorum excîdit, vniuerſas opes abſtulit, populum ſerris, contis, & ſecuribus concîdit, atque in fornacibus calcis exuſſit. De qua ſæuitia nonnihil dixi in verſu quadrageſimotertio Pſalmi decimioctaui. Porrò illud, *In nomine Dei noſtri* נזכיר, id eſt *recordabimur*, verti poſſet, Numé Dei noſtri celebrabimus: vt Ieſcha.12.a.4, Laudate Iehouá, inuocate nomen eius, nota facite in populis facta eius. הזכירו, id eſt facite vt eius memoria habeatur: quod idé eſt, atque celebrate. Verùm quū videatur Vates hoc verſu canere voluiſſe quibus rebus hoſtes, quibus & ipſe cū ſuis confiſi ſint, refert R. Schlomoh הזכרנו, id eſt memorari fecimus, ad preces & incenſum: vt intelligas in hunc ſenſum, Illi cōfidebant multitudine curruū & equitum, nos autem ſola Domini ope nixi ſumus, eóque in nomine eius preces fudimus, & incéſum adoleuimus, vt ab ipſo, quo noſtri ad ſalutem memor eſſet, impetraremus. Nam Minhah, vt ex Leuitico ſuprà adduximus, memoriale ſeu commonefactorium dicitur: quòd nimirum offerentes per illam ſe Deo cōmendarent, & eum, quo ſui ad bonum recordaretur, orarent. Non quòd Deus alicuius obliuiſcatur, aut commonefieri neceſſe habeat: ſed quòd ita religioſi homines ſeipſos potius bonitatis Dei admonerent, atque fiduciam ſuam in illum (vt qui non poſſet ipſorū non ad ſalutem memor eſſe) confirmarent. Quæcunque ſiquidem in precibus Sanctorum leguntur de eo quòd ſe audiri, reſpici, intueri, ſui recordari, & idgenus alia, orant, haudquaquam ideo fit vt Deum ad hoc permoueant, ſed vt animi ipſorum ad credédum vota ſua ab illo admitti, eúmque ipſorum curam paternam habere, nec vnquam obliuiſci poſſe, excitentur. Deus nanque ſui ſemper ſimilis eſt, neque vlla in re mutari poteſt. Hanc itaque ſententiam ſequutus, verti, *Nomen Dei noſtri inuocabimus*. vt implorato Dei nomine, Dauid Goliath aggrediebatur, dicens, Tu venis ad me cum gladio & haſta & clypeo, ego autem ad te in nomine Iehouæ Sebaoth, Dei agminum Iiſrael, &c. 1.Schm.17.f.45. Attamen quum eiuſmodi inuocatio cum laude fieri ſoleret, non abs re fuerit, etiam hîc per *celebrare* נזכיר reddere. Ecquid ſi Dauid, vel huius duces, ita celebrari & prædicari nomen Domini, antequam cum hoſtibus pugnam committerent, feciſſent, vti de Ioſaphat legimus 2.Paralip.20.a.3: ac deinde freti hac Dei laude & celebratione, manum cum hoſtibus conſeruiſſent?

10 *Serua ô Iehouah: rex reſpondeat nobis in die quo inuocamus.* Vt verſu ſeptimo retulit voces populi de parta iam victoria triumphantis, & autoré eius Deum agnoſcentis & celebrâtis: ita hîc memorat voces adhuc pugnantium. quo ipſo rurſus prædicat & quo confiſus populus pugnarit, quóque adiutus vicerit. Iehouam regem inuocabant, quo confitebantur hunc verum ſuum regem eſſe, cuius Dauid ceu præfectus & externus tantum adminiſtrator eſſet. Et hac cauſa confidentius opem vt regis ſui, implorabant. Poſſet per *regem*, etiam Dauid intelligi, qui ſalutem ferente Iehouah, votis populi reſpondet, hoſtes excindendo. Sed quoniam iſtud reſpondendi & annuendi verbum יענו, ſoli ferè Deo precibus ſuorum annuenti, in Pſalmis vbique tribuitur: certior erit interpretatio, ſi per regé, Deum intelligamus. Sic quoque Chaldæus intellexit: nam habet, Verbum Dei redime nos, rex fortis accipe orationé noſtrā in die inuocationis noſtræ. Huic conſentit & Hieronymus. Græcus fecit המלך accuſatiuum patiétem verbi הושיעה, id eſt ſerua. Verū repugnat

æthnachtha perfectus punctus, præcedés dictionem המלך. Vſurpatur ſiquidem hic verbum הושיעה, vt Pſalmo 118.d.25, Obſecro ô Iehouah, ſerua obſecro: obſecro Iehouah libera, obſecro. Hoc Pſalmo moneri debemus, pii principis & populi eſſe vt omni in periculo hoc primùm conſilii capient, vt Deo ſe precibus commendent: neque prius poſſe principi à populo optari quàm vt Deus eius precibus annuat: eius enim eſt conſilia ſalutaria & immittere, & ſecundare. Omnis virtus, omnis ſucceſſus, omnis victoria, Dei ſolius opus & donum eſt. Hæc nemo ignorare videri vult: ſed res ipſa clamat pauciſſimis vera credi: alioqui longè alia conſilia principes inirent, & eſſet multo alia in populo pietas. A quo enim animus prima expectat, eum & ante omnia ſuſpicit, gratiæque eius nihil penitus præfert. Verè itaque orandum vt hæc quanlibet omnibus nota videantur, Deus vel paucis ad veritatem perſuadeat.

PSALMVS XX, in genere miſto, εὐχαριστικός.

Et hic Pſalmus Epinicion eſt, quo de victoria & reliquis Dei beneficiis quibus Dauid inſignitè cumulatus fuerat, populus gratulari ſolebat, Deúmque cuius beneuolentiæ omnia ferebat accepta, collaudabat. ARGVM.

1 PRæſuli, Oda Dauidis. PARAPH.
2 De virtute tua ô Iehouah, gaudebit rex, de ope tua quàm impendio lætabitur.
3 Optata cordis eius dediſti ei, & quæ ore precatus eſt, non auertiſti. Selah.
4 Omnifariis beneficiis præueniſti eum, impoſuiſti capiti eius coronam gemmeam.
5 Vitã petiit abs te, & dediſti illi, multos annos qui in ſecula vſque extrahẽtur.
6 Magnum illi decus acceſſit propter opem quam ei tuliſti, celebritate & ſplendore cumulaſti eum.
7 Nam in eum locum conſtituiſti illum, vt omni genere bonorum perpetuò adfluat: lætitia perfundis eum vultu tuo.
8 Etenim rex Iehouah nititur bonitate Altiſſimi, ideo nutare haud poterit.
9 Manus tua hoſtibus tuis vniuerſis ſatis erit: aſſequetur dextera tua odiẽtes te.
10 Velut accenſam fornacem reddes eos, quum feruebit indignatio tua: Iehouah ira ſua abſorbebit illos, & ignis conſumet eos.
11 Peribit progenies eorum de terra, poſteri eorum de hominibus.
12 Nam malum tibi intenderũt, conſilia ceperunt quæ nõ potuerũt perficere.
13 Pones ergo illos tibi eregione, & arcu tuo collimabis faciem eorum.
14 Attolle te Iehouah virtute tua: canemus, & celebrabimus fortitudinẽ tuam.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Iehouah in tua virtute lætabitur rex, & in ope tua quàm exultabit plurimum.* Haud raro Pſalmi iunguntur qui eadem occaſione compoſiti ſunt, & eadem de re canunt. Sicut admodum liquet tertium & quartum, de coniuratione Abeſchalomi eſſe conſcriptos: vndecimum verò, duodecimum, tredecimum, & quartumdecimum de perſecutione quam à Schaule & adulatoribus eius Dauid perpeſſus fuit. Infrà quoque ſubinde occurrent, qui vt loco iuncti ſunt, ſic eandem materiam continent. Ita exiſtimo de eadem victoria, de qua eſt Pſalmus viceſimus, & hunc viceſimumprimum canere. Ea enim non ſolùm maxima, ſed & vltima contra externos hoſtes fuit. Nam poſt eam omnes finitimæ gentes, Syri, Ammonitæ, Moabitæ, Edomitæ, & Philiſtæi, Dauidis imperiũ agnouerunt. Quum igitur ex innumeris periculis, & perpetuo rerum ſucceſſu, & ampliſſimis victoriis, quarum alteram altera continuò exceperat, in eam potentiam & fœlicitatem Domini beneficio eſſet euectus, vt regnum Schaulis eius regno collatum vix vmbræ locum obtineret, plurima ſanè materia fuit effuſiſſimam illam Dei tam in populum quàm in ſe regem beneuolentiã, non vno, ſed plurimis hymnis celebrandi. Eſt denique & ex verſu quarto, qui gemmeam Dauidi impoſitam coronam canit, coniectura, hunc Pſalmum victoriam de Ammonitis, quorum regis coronam ſuo capiti Dauid impoſuiſſe legitur, eámque pretũ multo maximi, celebrare. Proinde vt Epinicion in hanc tam præclaram, & de Allophylis extremam victoriam, præſentem Pſalmum interpretabor: qua vt populi fœlicitas mirum in modum aucta fuit, ita iure illam regi ſuo impenſe gratulati ſunt. Cecinerunt igitur, *De uirtute tua, ô Iehouah, gaudebit rex.* hac enim adiutus victor euaſerat. vnde ſequitur, *De ope tua quàm impendio lætabitur.* בישועתך, *in ſalute tua* alii vertunt: ſed ſi- 2.Sam.12.& 1.Paralip.20.

gnificãtius videtur, *de ope tua* Propriè enim ſignificat ישועה opem, auxiliũ. Quum Moſcheh filias
Exod.2.c.17. ſacerdotis Madianitarum tantum iuuiſſet, vt per paſtores depellentes illas liceret adaquare greges, ſcribitur de eo, ויושען, & tulit illis opem. quòd ſi ישועה perpetuò ſalutem ſignificaret, vertendum fuiſſet, *Et ſeruauit illas*. id autem maius quàm pro re eſſet.

3 *Deſiderium cordis eius dediſti ei, & ſermonem labiorum eius non auertiſti. Selah.* Canit amplitudinem ſucceſſus quem Dauidi Dominus dedit: quia quæcunque vel animo concupiuit, vel verbis optauit, ea præſtita illi Diuinitus memorat. Quæ Dei in illum bonitas quũ ſummè ſtupenda ſit, *selah* adiectum eſt, intendendæ cogitationis nota. ארשת inconditũ & affecti animi ſermonem ſignificare Ebræi ſcribũt. quidam etiam ſemel in Biblijs hanc vocem haberi: quidam verò eius radicis eſſe volunt cuius רשיון Ezræ 3.b.7 quod pro ſermone vel mandato vſurpatur.

4 *Quoniam præueniſti beneficiis boni, impoſuiſti capiti eius coronam gemmeam.* Exprimit luculentius quæ verſu ſuperiori cecinit, dum canit præuentum Dauidem à Domino beneficiis quamamplißimis. Id enim ſignificat ברכות טוב, benedictiones bonitatis vel boni. Verbum ברך, nõnunquam idem quod bene precari valet, ſed pro ipſa etiam beneficentia tam hominum quàm Dei ſimul vſurpatur.
Gene.33.c.11. Quum Dominus promitteret Abrahæ, ſe illum ברך, id eſt vt vulgo vertitur, benedicturum, vtique ſua beneficia, non tantùm bonam precationem ei promiſit. Ita quum Iaacob Eſau oraret vt acciperet munera quæ offerebat, dicebat, Accipe quæſo ברכתי, id eſt beneficium, vel munus meum, non benedictionem meam. In præſenti igitur nihil aliud canitur quàm Dauidem voti ſui factum compotem, omnéque genus beneficiis à Deo fuiſſe cumulatum. Et quia velut victoriarum coronis, & beneficiorum Dei colophon fuit victoria illa præclata de Ammonitis relata, videtur peculiariter eius meminiſſe, dum meminit coronæ gemmeæ Dauidi impoſitæ. Nam exiſtimo ad id alluſiſſe quod legimus, illum regis Ammonitarum deuicti coronã penſitantem talentum auri, & pretioſis lapidibus ornatam, ſuo capiti impoſuiſſe, 2. Schm.12.g.30. id ſiquidem vt Dei beneficio factum eſt, ita rectè hîc canitur, Dominum illi coronam eam impoſuiſſe. ta A.Ezra pro gemmis accipere, in verſu 11. Pſal.19, dixi. קדם, quod præuenire, aut anteuertere ſignificat, vſus eſt & Pſal.18.a.6. ſed de malis quæ ipſum præuenerant, hoc eſt quaſi in ipſum incurrerant. Sic hoc Pſalmo præuentum ſe canit beneficiis Dei, ſignificans, quocunque ſe vertiſſet, Dei bonitate factum vt vltrò vndique illi bona obuiarent, ſeſéque vltrò offerrent.

5 *Vitam petiit à te, dediſti ei longitudinem dierum ſeculi, & vſque.*

6 *Magnum decus eius per opem tuam: celebritatem & ſplendorem poſuiſti ſuper eum,*

7 *Quia poſuiſti eum benedictiones ad vſque, exhilaraſti eũ in lætitia cum vultu tuo.* Hiſce verſibus beneficia Dei per partes explicat: primũ longæuæ vitæ, verſu 5: inde ſplendoris regii, verſu ſexto: poſtremò verſu ſeptimo fœlicitate omnimoda, & ſumma inde lætitia perfuſũ canit. Propter æthnahtah quod ſequitur *dediſti ei*, viſum mihi eſt Vatem duo voluiſſe dicere: datam ſcilicet & vitam quam petiit, & ſimul longitudinem dierum, id eſt vitam longæuam. Neque enim & Ebræis inſolens eſt vt vnum verbum duabus particulis reſpondeat. Eſt hic verò ſolita Scripturæ eclipſis, ſeculi & vſque: ſubaudiendum enim in Seculum: quaſi dixiſſet, In ſeculũ & vſque in ſeculum: quibus tamen verbis nihil niſi longæuã vitam ſignificat. Cæterùm עולם, vt ait Abrahã Ezra, tempus duarum generationum complectitur, hoc eſt cẽtum annos, quod tempus Latinis ſeculum dicitur. Vt hîc autem, ita paſſim in Scripturis pro longo tempore vſurpari ſolet. Porrò qua ratione vitæ præſentis prorogationem Sancti orent, in Pſalmo 6 paucis expoſui. Circa verſum ſextum qui gloriã canit quæ Dauidi regi tam præclaro Dei auxilio quo cunctis eum hoſtibus ſuperiorẽ fecit, contigit, obſeruandum vnde vera dignitas & autoritas petenda ſit. Cui enim Dominus benignè adfuerit, is illico verendus omnibus & ſuſpiciendus redditur. Ita Eccleſia Chriſti Ieruſalem, initio propter præſentem Dei opem in tanta omnium admiratione erat, vt nemo auderet temere ſe illi adiungere. Ita quandiu populus Iiſrael Deum propitium habebat, ſumma illis erat dignitas, ingens maieſtas, maximúſque nominis eorum terror: vt contrà nihil vilius, nihil abiectius & cõtemptius quum Deum contra ſe ſceleribus ſuis prouocabant. Verſus 7, qui infinitam alioquĩ Dauidis fœlicitatem velut ſummat, non ſine affectu ſubiectus eſt. hunc enim ſenſum præſefert; Quid innumera numerare conor? in ſumma dicã, Effeciſti vt non iam beneficiis tuis auctus & ornatus, ſed ipſa tua beneficẽtia rectè dicatur: adeò in eũ illã effudiſti largiſſimé. Ad לעד ſubaudiẽdum עולם, quo ſempiternã eſſe eius fœlicitatẽ expreſſit. Porrò ſimilis oratio habetur Gene.12.a.2, de Abrahã cui Dominus dicebat, Eriſq; ברכה, id eſt vt vulgò vertunt, benedictio. ſed Ebraicè valet vir beneficẽtiæ, qui nimirũ omni genere bonorũ adfluat, vt equidẽ verti. Huic cõmodũ ſubiecit; Exhilaraſti eũ lætitia cũ vultu tuo, id eſt benigno ſummiq; fauoris teſte vultu intuit' es illũ, & inde tantis beneficiis cumulãs, indicibili gaudio perfudiſti. Chaldæus habet, Lætificabis eũ gaudio à cõſpectu tuo: D.Hieronym', Apud vultũ tuum. Ebræũ vtrunq; valet, ſicut & vtrunq; hîc nõ male quadrat. Nã veri gaudii vna cauſa fauor præſens Dei, certóq; creditus: & qui hũc fide experiũtur,

ſoliquaſi in conſpectu Dei agunt, Deo iã proximi,& inter præcipuos habiti. Vt enim qui regibus proximi ſunt,& in oculis ſemper verſantur,primi in aula,& regib' chariores habẽtur:ita etiã Scriptura,ſummè charos Deo, dicit agere coram eo,apud faciem eius, videre faciem eius. Hinc certè Gabriel ſuam dignitatem approbat Zachariæ:& Seruator,Angelorum,qui præſides ſunt paruulorum m. De hoc tropo per aſpectum Dei eius beneuolentiam ſignificaudi, dixi quædam in verſu 7 Pſalmi 4. Hinc verò nos diſcamus vnde verum & ſolidum gaudium expectandum, ex ſolo nimirum beneuolo Dei aſpectu,ex vno Dei erga nos fauore. Hinc Paulus perpetuò pacem & gaudium, fidei fructus facit. Luc.1.b.19.

8 *Quia rex nititur in Iehouah, & in bonitate Altiſſimi, non nutabit.* Hîc cauſam dicit omnis illius fœlicitatis quam commemorauit regi cõtigiſſe diuinitus. Nitebatur, fidebátque in omnibus Iehouæ, hoc eſt,vt ſequitur, eius bonitate. Sicut ergo huic erga ſe fides ſolida locũ faciebat,ſic neceſſe erat vt tota ſe in illum effunderet, mirificéque in extollendo, ornandóque eo oſtentaret, ita vt Iehouæ omnium ſupremi bonitas appareret:nam cuique pro fide ſpéque ſua Dei beneficia percipiuntur. Eſt in hoc verſu zeugma. nam ad verbum בטח, id eſt confidit vel nititur, & *in Iehoua*, & *in bonitate Altiſſimi*, iũgitur. Quod ſequitur, *Non nutabit*,ex prioribus infertur in hunc ſenſum, Ingentem memoro regi huic fœlicitatem contigiſſe. cauſa huius eſt, rex bonitate Dei totus nititur. hinc enim eſt vt nõ poſſit vel nutare,hoc eſt in aduerſum aliquod inclinare, optatò & fœliciſſimè cadát ei omnia oportet. Hieronymus בל ימוט reddidit, Non decipietur. mutationẽ enim conſiliorum ſignificari credidit. Plenius autem erit ſi intelligamus hic quamlibet inclinationem rerum negatam.

9 *Sufficiet manus tua omnibus inimicis tuis, & dextera tua apprehendet odientes te.*

10 *Pones eos ſicut fornacem ignis ad tempus iræ tuæ, Iehouah in ira ſua abſorbebit eos, ignis vorabit eos.*

11 *Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum à filiis hominis.* Hîc canit quàm nõ potuerit labare, Domino nixus. Tam enim abeſſe Deus voluit vt vel nutaret rex, quanlibet grauiſſimè à tam multis & præpotentibus hoſtibus impulſus, vt vnũ omnibus deuincendis & penitus cõficiendis, abolendiſque dederit ſufficere. Verſu itaq; nono, vt potius ſit hoſtiũ: 10, vt aſſumpſerit: 11, vt etiã poſteritatem eorũ aboleuerit, exponit. תמצא in verſu nono Kimhi interpretatur, ſufficiet. ne enim valeat hîc, Inueniet, vel aſſequetur, facit ל quod ſequitur לכל. Quũ enim מצא etiam præſto eſſe ſignificat, vſurpatur Ebræis hoc verbi & pro ſufficere, vt Nume. 11. e. 22, Nunquid greges & armẽta mactabuntur eis, ומצא להם, id eſt & ſufficiat eis? Canere ergo voluit, regem quanlibet paruam manum haberet collatam copiis hoſtilibus, tamen hanc omnibus exterminandis ſuffecturam. In altera particula verſus, quoniam nullum ל ſequitur, verti hoc verbum per Aſſequetur: quanquam poſſit & hoc pro ſufficere accipi, ſi ל ex priori loco repetas: id quod ſæpe faciendũ eſt, vt iam de בטח dictum. A. Ezra per ידך, id eſt manum, hîc clauam intelligit, vt iudicium 6. verſu accipi credit: R. Schlomoh plagam, Chaldæus ictus. licet vulgaris ſit hæc metonymia, tamen amplius quiddam ſonat, quũ manum legimus. Genus ſupplicii quod de victis ſumpſit, exprimit, vt dixi, verſus 10. In fornace enim exuſtos memorat Sacra hiſtoria, 2. Schm. 12. g. 31. Id verò eſt quod hîc canit, *Pones eos ſicut fornacem ignis*: id eſt igni tam violento ſubitóque voranti, vt eſt ignis fornacis in qua lapides in calcem excoquuntur, abſumes eos. Eſt enim hypallage, ſicut Pſalmo 83, verſu 15, Pones eos ſicut ignem qui comburit ſyluam, ſicut flammam quæ incendit montes. Intelligendum, tantum ignem ponam, vel mittam in eos. Vtrobique autem allegoria eſt, & ſignificatur grauiſſima Dei vltio, inſtar ignis vi ingenti & ſubitò omnia vorantis. Ne autem videretur hæc Dauidis viribus attribui (nam ſermonem ad Dauidem verterat) ſubiecit, Iehouah illos abſorpſit, ignis aſſumpſit eos. Omnia enim Dei virtute Dauid perfecerat. Porrò hoc quòd igni abſumptos illos dicit, præter id quod omnimodam eorum deletionem ſignificat, vt quæ igni exurũtur, prorſus abolentur: ſignificare præterea videtur & genus pœnæ quo Dauid in deuictos Ammonitas deſæuiit, quos in calcis fornace concremauit. Cæterum ſolet in Scripturis ſubinde ſæuior Dei vltio, conflagratio ignis, per hyperbolen & alluſionem ad incendium Sodomiticum, vocari, de quo nonnihil in verſum ſextum Pſalmi 11. פניך in decimo verſu vulgata editio, vultus tui legit: ſed ſignificat hoc loco, vt & aliis multis, iram quæ in facie, nariúmque intẽtiore flatu, maximè ſe prodit. ſic & Chaldæus legit. Vnde Ebræis & faciei & naris nomine ſignificari ſolet, פנים & אף. Verſu vndecimo etiam poſteritatem hoſtium tollendam indicat. Per fructum ſiquidem eorum, & ſemen, filios, nepotes & poſteros ſignificat, quos de terra & filiis hominis, id eſt hominibus, canit perituros. Vti enim Pſalmo 4, verſu 3, filios viri, pro viris dixit, ita non hîc ſolùm, ſed paſſim in Scripturis filii Adã, id eſt hominis, pro hominibus ponuntur. qui loquendi modus & Græcis in vſu eſt. Nam idem tidem Homerus υἷας ἀχαιῶν, id eſt filios Græcorum, pro Græcis vſurpat. Ex hoc verò tam atroci hoſtium Dauidis excidio, animaduertamus quas pœnas daturi ſint hoſtes verioris Dauidis, Chriſti Dei ſeruatoris noſtri Ieſu, quem nõ dubitemus hoſtibus ſuis, qui ſoli & noſtri hoſtes ſunt, ſuperiorem futurum, vtcunque ſecus nonnunquam id carni videatur.

11 *Quoniam inclinarunt ſuper te malum, cogitarunt fraudem, non potuerunt.*

13 *Quoniam pones eos partem, in neruis tuis diriges contra facies eorum.* Et hæc exponunt ac probant quòd rex Domino nixus nutare non potuerit. Nam prædicant quanlibet diligenter & magno ſtudio hoſtes de rege extinguendo conſultarint, & incredibilis potentiæ manum contra ipſum conflarint, adeòomnia fruſtra fuiſſe, vt non aliter in regis poteſtatem puniendi venerint, quàm ſi eos ſibi, ceu ſignũ contra quod ſagittas ſuas dirigeret, conſtituiſſet. Iſtud, *inclinarunt ſuper te malum*: Kimhi interpretatur, inclinarunt ſe contra te vt malum inferrent. Abraham Ezra רעה facit accuſatiuum patientem verbi נטו, vt legas, Intenderunt malũ. Vltima verſus particula, *Non potuerunt*, ad duo refertur: vt intelligas non potuiſſe perficere & quod malum intenderũt, & quam fraudem concinnarunt: zeugma enim eſt. Verſus 13 canit quanta in hoſtes ſuos regi facta fuerit poteſtas. Quod enim canit tale eſt, Pones eos in vnam partem, ceu ſignum & ſcopum ad quem iaciantur ſagittæ: inde in eos aduerſos, & omni tamen ſe defendendi virtute deſtitutos, in neruis tuis, ſubaudi ſagittas, direxiſti. Vt Abraham Ezra vult, Arcũ inſtruxiſti ſagittis, nihil ipſis repugnãtibus, eos perimens. Vulgata editio habet, Pones eos deorſum. Sed huic lectioni obſtat quod ſequitur, diriges cõtra faciem eorum. שכם enim vt tergum, ita humerum, & partem etiam ſignificat, vt Gene. 48, verſu 22, dicebat Iaacob Ioſepho filio ſuo, Et ego dedi tibi שכם, id eſt partẽ vnam coram fratribus tuis, quam paraui mihi gladio & arcu meo de manu Amorrhæi. Partem hîc quoque Chaldæus legit, Hieronymus verò humerum. Quod licet de ſeruitute intelligi poſſit, ſimplicior tamen & certior eſt interpretatio prior. Hinc diſcamus, nullis viribus impios poſſe ſeſe defendere, oppugnante illos Chriſto. Huic igitur nos committamus.

14 *Celſus eſto tua uirtute ô Iehouah, canemus & celebrabimus tuam fortitudinem.* Accenſus ex conſideratione ampliſſimæ ſalutis quam Deus regi ſuo contulerat, orat vt porrò & ſemper ſe Deus virtute ſua extollat, hoc eſt exerẽdo ſuam potentiam, declaret ſe omnibus ſupereminere: quo perpetuò ſie vt Sancti virtutem eius deprædicent. Vnde ſubiicit, *Canemus & celebrabimus uirtutem tuam*: quæ ſola omnia perficit, tuetur ſibi fidentes, ſternit repugnantes, manifeſtúmque facit cunctos mortales nihil eſſe, Deum autem omnia. Hæc vtinam principes & populi credere ſuſtineant: ſic vtrique nullo alio præſidio quàm bonitati Dei fiderent, vnde timor & ſtudium Dei cum omni virtutum choro conſequerentur.

PSALMVS XXII, in genere miſto, δραματικὸς καὶ ἁπλῶς.

ARGVM. *David Chriſti ſe typum apertè admodum hoc Pſalmo exhibet. Primum ergo ſummã eius deiectionem, inde & exaltationem, regnique eius & ad orbis terminos propagationem, & ad finem uſque ſeculi deductionem, in ſe adumbratã canit.*

PARAPH. 1 PRæſuli, de Aieleth matutina, oda Dauidis.

2 Deus mi, Deus mi, ecquare deſeris me? vt longe abeſt à mea vociferatione quòd opem mihi feras?

3 Deus meus, inuoco die, & non annuis: nocte, & non datur vt ſileam.

4 At tu ſanctus ille es qui habitas in Iiſraele, te laudibus ferente.

5 Te patres noſtri fidebant: fidebant, & eripuiſti illos.

6 Ad te vociferabantur, & erepti ſunt: te fidebant, neque pudefacti ſunt.

7 Ego autem vermis ſum, non vir: opprobrium hominũ, & propudiũ populi.

8 Quicunque me aſpiciunt, ſubſannãt me: afficiunt contumelia, mouẽt caput.

9 Iſte, inquiunt, ad Iehouã omnia retulit, eripiat eũ: liberet, ſiquidem amat eum.

10 Attamen tu is es qui ex vtero me eduxiſti: quo nixus ſum pendens adhuc ab vberibus matris meæ.

11 Tibi velut expoſitus ſum ſimulatque in lucem prodii: ab vtero matris meæ Deus meus es tu.

12 Ne ſubducas te à me longius: propè enim acceſſit afflictio, nec eſt qui adiuuet.

13 Tauri prægrandes circundederunt me, præualidi ex Baſchan vndique cinxerunt me.

14 Tanquam leo prædam corripiens & inclamans, in me patente rictu inhiant.

15 Velut aqua diffluxi, luxata ſunt cũcta oſſa mea, cor meum intra me velut ce

ra collicuit.

16 Exaruit ſuccus meus,vt teſtæ ſimilis euaſerim:lingua mea hæret faucibus,ſepulchro adaptaſti me.

17 Nam ceu canes me circundederunt,cœtus noxiorũ cinxit me,foderunt manus meas & pedes meos.

18 Numerare licet omnia oſſa mea : illi ſic affectum intuentes & aſpicientes , optata voluptate fruuntur.

19 Partiti ſibi ſunt veſtimenta mea,& de veſte mea ſortiti ſunt.

20 Sed tu ô Iehouah ne ſis procul:ô virtus mea,vt me adiuues propera.

21 Libera vitam meam à cæde,à rabie canis animam meam.

22 Serua me ab ore leonis,& à cornibus vnicornium eripe me.

23 Celebre reddã nomen tuũ fratribus meis, in media cõcione te ferã laudibus.

24 Collaudate,dicam,Iehouam,quicũque ipſum colitis: omnis progenies Iaacob attollite eum laudibus,omnis progenies Iiſrael metuite eum.

25 Quoniam non contempſit, nec auerſatus eſt afflictionem afflicti,faciẽ ſuam ab eo nequaquam auertit : quúmque ad ſe vociferaretur,audiuit illum.

26 De te hymnum canam in concione ampla , vota mea perſoluam coram colentibus ipſum.

27 Edent manſueti& ſaturabuntur:laudabunt Iehouam qui ipſi ſtudent: viuet, gaudebítque cor eorum in ſeculum.

28 Recordabuntur, & ad Iehouam redibunt qui in extremis terræ habitãt, ſupplicabunt tibi cunctæ nationes Gentium.

29 Nam Iehouæ eſt regnum,& ipſe Gentibus dominatur.

30 Edent,& ſupplicabunt omnes opulenti terræ, corã eo incuruabuntur: & qui deſcendunt in ſepulchrum,neque poſſunt animæ ſuæ vitam prorogare.

31 Poſteritas ſeruiet ei,accenſebitur Domino in perpetuum.

32 Nepotes annuntiabunt populo qui naſcetur illis,iuſtitiam quam præſtitit.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

P*Ræſuli, de Aieleth matutina, oda Dauidis.*

1 Aieleth, & Ebræi variè interpretantur . Quidam dicunt hoc nomine ſignificari inſtrumentum muſicum:alii ſpeciem carminis,alii ſtellam,alii virtutem vel fortitudinem,vt infrà in verſu 20,אילותי,id eſt virtus mea.Nonnulli capream vel ceruam:& in hac ſententia eſt Kimhi,cenſétque Iiſraelem ſic per metaphoram vocari,vt & in Canticis 2.b.7,& 3.b.5, vbi ſponſus adiurat filias Ieruſchalaim,per hinnulos vel capreas agri,quib' Iiſraelitas ille deſignatos putat.Porrò incerta ſũt hæc adeò, vt nonniſi prætenutm conjecturam habeas, quancunque ſequi ſententiam libuerit. Si non ſuo more Pſaltes organum aliquod muſices,vel certam melodiæ ſpeciem voce hac ſignificare credendus eſt, haud illibenter eorum interpretamentum ſequerer qui volunt אילת nomen ſtellæ eſſe,quibus & Thalmudici ſubſcribunt,Luciferum hoc nomine vocantes. Etenim præter Euangeliſtarum omnibus filiis Dei indubitatam autoritatem , ipſa Pſalmi verba euincũt de Seruatore noſtro hunc Pſalmum eſſe compoſitum. Vt autem ferebat eius temporis ratio, forſan nó ſine typo,quem Pſaltes in ſeipſo,quũ à Schaule & aſſentatoribus eius, hominibus ſceleratiſſimis,toties ad mortem proximè adduceretur,adumbratum vidit.Sicut ergo quum mẽtis oculos dirigente Spiritu prophetico,potiſſimum in Chriſto filio ſuo ſecundum carnẽ,fixos haberet,neque conueniret ſine inuolucro aliquo de eo canere,אילת השחר, id eſt ſidus matutinum illum vocauit, propterea quòd Diuinitatis ſolem hominibus ſic per ipſum hominẽ adducendũ præuideret , vt mortalibus ille haud vnquam antea affuerit propior. Vel certe vocauit eum אילת,volẽs dicere ceruam, illud præuidens quòd eſſet hoſtia futura,quæ oblata ſemel,in ſempiternum abſolueret ſanctificatos. Et quid ſi voluiſſet alludere ad איל, id eſt arietem illũ quem Abrahã pro Iiſchak filio ſuo Domino mactauit ? Nec offendit quòd in fœminino genere voce hac vſus eſt: fortaſſe voluit per id ſummam eius deiectionem,de qua hic canit,ſubindicare.Matutinam autẽ iure vocauit, eo quòd vltima,&(vt Epiſtola ad Ebræos multis probat)omnia perficiens hoſtia fuerit. Vt enim à veſpere.

diem Ebræi auſpicantur, ita veſpertinas victimas matutinæ ſequebantur: & ceremonias, cultúmque religionis conſummabant. Sicuti vero Kimhi ſentẽtia arrideat, vt per אילת ceruũ vel capream intelligat, putétque ea repræſentari Iiſraelẽ, modò de vero Iiſraele, hoc eſt germano populo Dei, conſtante ex iis qui ſuperno Spiritu Deo renati ſunt, habebit & is in poſtrema Pſalmi parte quod ſententiæ ſuæ nonnihil congruat: nam de Gentium conuerſione, & Eccleſiæ Chriſti cum amplitudine, tum perpetuitate, magnificè ſub finẽ Pſalmi vaticinatus eſt. Nec inepta eſſet metaphora, ſi Eccleſiam Chriſti, ceruæ nomine vocaſſet. Sponſa eſt ſiquidem Seruatori vnicè dilecta. Iam Prouer.5.d.19. chara vxor & in Prouerbiis אילה, id eſt cerua, vel caprea appellatur.

2 *Deus mi, Deus mi, quare deſeruiſti me? longè à ſalute mea uerba rugitus mei.*

3 *Deus mi, clamo die, nec reſpondes: nocte, & non ſilentium mihi.* Vſque ad verſum vigeſimũ tertium, quibus in malis fuerit, quàm anxiè & ardenter Dei opem implorarit, canit. inde ad finem vſque, de Diuinæ gloriæ, veræque religionis illuſtratione, & dilatatione, quæ eo reſtituto erat futura. Vtrũque verò ita cecinit, vt apertè videas illum haudquaquam ſeſe, niſi quantum ad r... ionem typi attinet, ſed ipſum Seruatorem, in commemoratione tam afflictionis quàm vtilitatis ex ſua ſalute futuræ, ob oculos habuiſſe. Vt igitur nihil impium feceris, ſi in his perpẽderis vt Dauid improbitate Schaulis & aſſentatorum eius exagitatus, Chriſtũ adumbrarit: ita nullos habetes oculos pietatis, ſi non cerneres omnia proprie in Chriſtum competere. Primis itaque duobus verſibus inducit ſe ſummo dolore afflictum, ad Deum pro auxilio indeſinenter clamaſſe, nec tamen fuiſſe auditum. Sunt autem omnia mire pathetica. Primùm, geminatio inuocationis ingentem animi dolorem indicat. Deinde quòd nomine אל (quod Deo, propterea quòd potenter auxiliari ſolet, tribuitur) inuocat, eundem teſtatus eſt. Nam queri ſe ſubindicat, Deum alioqui omnipotẽtem ſuorum auxiliatorem, erga ſe nullam iuuandi virtutem exerere. Ad idem facit & quòd deſeri ſe ab illo qui inuocãtes ſe deſerere nequit, longéque ſtare eum qui nuſquã ſuis deeſt, clamat, & quòd שאגה, id eſt rugitum dixit, vocem ſcilicet immanem, qualem viri alioqui fortes quum intolerabili cordis angore diſtringuntur, & quanlibet renitentibus, vis doloris lachrymas & eiulatum exprimit, emittere ſolent. Eam Galli vocant *cri*: & de emittente eam dicere ſolent, *Il a iecté un cri*. Vocem ſiquidem hanc Scriptura leonibus tribuit, vti & infrà verſu decimoquarto. Etenim natura doloris eſt vt cogat in vocem erumpere, eo quòd faciat ſpiritum retinere, qui tum quãdo retineri amplius nequit, vniuerſus cum clamore emittitur. Hæc Ariſtoteles in libro Problematũ, ſectione viceſimaſeptima. Vt igitur ſummè doluit, ita plurimum ſpiritus potẽter retinuit, qui ſimul erumpens, poſtea immane fremuit: id quod rugitum vocat, non humanam, ſed leoninã vocem. Verſus tertius non minus ardet, dum queritur ſe die noctéque fruſtra opem Dei implorare, propterea quòd non annuat Deus, vt ſilere daretur. Videtur nanque illo, *Et non eſt ſilentium mihi*, voluiſſe geminare quod præmiſerat, Non annuis mihi. Clamoris alioqui perpetuitatem eo ſignificauit, quòd ſe dixit clamare die & nocte.

4 *At tu ſanctus, ſeſſor laudum Iiſrael:*

5 *Te confiſi ſunt patres noſtri, confiſi ſunt, & eripuiſti eos.*

6 *Ad te uociferati ſunt, & euaſerunt: confiſi ſunt, nec pudefacti.* Amplificatio eſt queſtus. Deus in medio populi Iiſrael ideo habitaturum ſe promiſerat, Arcam fœderis tradiderat, ac templum ſibi poſtea ædificari voluerat, vt teſtaretur ſe auditurũ preces ad ſe clamantiũ, vt Leui.26.b.11, & 1. Schm. 8.c.29, legimus. Hinc ſeſſorem eum appellauit laudum Iiſrael, id eſt inhabitatorẽ domus, in qua vt preces ad eum pro auxilio ferendo fundebantur, ita laudes & gratiarum actio pro lato auxilio referebantur. Ex eo ergo quòd Deus ad ſuas ſolius preces obſurdeſcebat, qui omni Iiſraeli precanti aderat, continuíſque laudibus ob latam opem celebraretur, magnitudinẽ ſuæ calamitatis non ſine ſingulari affectus auxeſi oſtendit. Kimhi illud *ſeſſor*, vel *qui ſedes*, ad æternitatẽ Dei refert: quaſi Vates ſignificare voluerit, Tu ſedes firmiter regnãs, immotus ab omnibus, tui ſemper ſimilis: talémque Iiſraeli te vſque exhibuiſti, vt meritò tuas laudes, & iugiter decantet. quî fit igitur, vt nunc ad meas adeò preces obſurdeſcas? Chaldæus habet, Qui inhabitas orbẽ. Verſibus quinto & ſexto exaggerat querelam ab exemplo Patrum, qui quum opem Dei implorarunt, adiuti ſemper, ac malis quibuſvis eius ope erepti ſunt, nec vnquam ſpe ſua fruſtrati, ac inde pudefacti ſunt.

7 *Et ego uermis, & non uir, opprobrium hominis, & reiectamentum populi.*

8 *Omnes uidentes me, ſubſannarunt me: profuderunt per labium, mouerunt caput,*

9 *Deuolue ad Iehouah, & eripiat eum: liberet eum, quia complacitum eſt ei in illo.* Quàm cõtemptim habitus, quàm abiectus ac vilis præ omnibus mortalibus fuerit, hiſce verſibus canit, eóque amplius miſeriæ ſuæ querelas auget. Vermem ſe dicit habitum, non hominem: & ita contemptũ atque execratum, vt nihil hominibus, nihil omni populo æquè probroſum, æquè deteſtabile haberetur. Vnde quicunque intuiti eum fuerint, ſubſannarint ſe, & verbis itriſerint, capitiſque commotione illuſerint. Pſalm.31.c.12, vicinis ſe factum queritur opprobriũ. Idem de populo Iiſrael, Pſalm.

44.b.14:at hîc omnibus mortalibus,populo vniuerſo. id quod non adeò moleſtum fuiſſet, ſi hominibus tantùm ſe vidiſſet & audiſſet abominationi eſſe. Id demum ſupra omnem exiſtimationem cruciabat,quòd & à Deo reiectum hoſtes planè impii iactarent, ſuámque in illum fiduciam planè irriderent. Qua cauſa proſopopœia vſus, vt ſpem ſuam in Deum irriſerint, ipſorum ſubſannatorum verbis memorat *Deuolue*, inquiebãt,*ad Iehouah*:hoc eſt vt verti, *ſua omnia ad Deum retulit*, in omnibus rebus ab ipſo vno pepẽdit. Id ad quod Pſalmus 37.a.5,hortatur, Deuolue ad Iehouah vias tuas, id eſt ad eum refer inſtituta tua, ab eius voluntate & nutu in omnibus quæ geſſeris, pendeas. Illud; *Liberet eum, nam deamat eum*:ironia eſt qua dicere volebant,ſtultè & ridiculè illum feciſſe quòd Deo diligi ſe, charúmque tantopere haberi fuiſſet arbitratus. Vt verò Dauid hæc ex parte aliqua,quum patria extorris à Schaul perſequutore vndique exagitaretur,ac velut perdix in mõtibus vndique excuteretur, expertus ſit, nequaquam tamen in eo ita vt in Seruatore perfecta fuere. Nemo enim mortalium, nedum Dauid,adeò vt Redemptor noſter in cruce pendẽs, abiectus, omni ludibrio affectus & execratus vnquam fuit. Id quod vel in eo abũde declaratum eſt, quòd vno ore Põtifices,Legis doctores,Seniores,& omnis populus, vt in crucem ageretur (quo tamẽ nemo vnquã vixerat innocentius,nemo pluribus & Diuinioribus beneficiis quoſlibet affecerat) inſano & rabido clamore iterum atque iterum poſtularũt. Hinc facile & illud apparet, nullius poſt conditos homines tantopere calamitoſam & probroſam ſortem extitiſſe,vt tanti probri,támque auerſãdæ notæ fuiſſet,vti extitit ſors Chriſti. Porrò illa quæ de irriſu canit verſus octauus & nonus, narratio potius quàm vaticinium ſunt eorum quæ Chriſtus perpeſſus eſt. Sic nanque Matthæus ſcripſit, Prætereuntes conuitia iaciebant in eum,mouentes capita. Et poſt pauxilla memorat, Pontifices cum Scribis & Senioribus inter cætera dixiſſe,Confiſus eſt Deo,eripiat eum,ſi quidem vult eum. id quod nonus verſus ad verbum habet. Quis iam vel hinc nõ videat, Vatẽ,quanlibet ex ſua forſan calamitate occaſionem acceperit,præcipue tamẽ de Chriſto ſeruatore hæc ceciniſſe? יפטירו בשפה,in verſu octauo Kimhi interpretatur,Profuderũt verba irriſoria per labia ſua: eclipſim enim eſſe affirmat, cui & Abrahã Ezra, Græcus & Chaldæus ſubſcribunt. Hic ſiquidem habet, Garriunt malum labiis ſuis: פטר enim alicubi mittere ſignificat,& fundere. Non deſunt qui hoc aperiendi ſignificatu accipiẽdum,& a redundare volunt, vt ſenſus ſit, Aperuerũt labium. Diuus Hieronymus reddidit, Dimittunt labia:quod de geſtu illudentium quidam intelligũt: ſed rectius de verbis irriſoriis hoc intelligemus,quũ ea ſtatim ſubiecta ſint. In verſu nono habetur גל, quod à גלל venit,& conuoluere,complicare ſignificat: quo Propheta exprimere voluit, ſe,præcipue autem Chriſtũ, omnia ſua ceu cõuoluta Domino detuliſſe & addixiſſe. Diuus Hieronymus videtur id deduxiſſe à גלה,quod migrauit ſignificat.nam reddidit,Confugit ad Deum. Matth.24.e.39

10 *Nam tu extractor meus de vtero,fiducia mea, ſuper vbera matris meæ.*

11 *Super te proiectus ſum à vulua, ab vtero matris meæ Deus meus tu.*

12 *Ne ſis procul à me, nam anguſtia propè eſt:nam non eſt adiutor.* Etiam his verſibus affectus intendit. Memorat ſe Dei eſſe figmentum,ab ipſo è materni vteri clauſtris extractum,ſugentem matris vbera alitum ſempiterna eius bonitate,ab eo quòd formatus homo fuit,fruitum & nixum fuiſſe. Et inde orat ne ſe deſerat, néve longè à ſe recedat, qui tamen precibus populi ſui Iiſraelis ſemper ſe præſto fore promiſerit:& nequis de eo dubitaret,habitaculum ſuum in medio eorum erexerit. ſæpiſſimè quoque erga Patres,qui ipſo fidentes,opẽ eius implorabãt,idem re ipſa declarauerit. Illa quoque verſus 12,antitheſis, *Ne abſis longius,quia propè acceſſit afflictio*: ad mouendum affectum compoſita eſt. Verùm hanc antitheſim, vt & illud,quòd ſe ab vtero matris Deo curæ fuiſſe memorauit, non tam cauſa intendendæ querelæ, quàm confirmandæ ſpei ſuæ contra illos qui ſuis illam irriſibus & probris euertere conabantur,adhibuit. Hinc nanque animo eius huiuſmodi cogitationem ſubire oportuit, Si te Deus in lucem hanc abſque tua & ſcientia & virtute eduxit: ſi te lactentem,dum nihil tibi poteras proſpicere,tam benigne fouit: haud poterit admittere vt modò,quum propè adeò acceſſerit premátque ſumma afflictio, abſit longius. vnde & precem ſtatim ſubiecit. Verſus quintus & ſextus Pſalmi 71, eadem ferè canunt quæ hîc 10, & 11. ſic enim habent,Nam tu expectatio mea es Domine,Iehouah fiducia mea à puero. Per te ſuſtentatus ſum ab vtero, è viſceribus matris meæ tu me extraxiſti: perpetua eſt mihi tui prædicatio. Porrò גוזי habetur illic, quum hîc גחי legatur. ſignificat autem vtrunque *extrahentem*. Diuus Hieronymus,propugnatorem reddidit:quid ſequutus,non video,niſi extractorẽ ex periculis intellexerit. ſed hîc ſubiicitur, *meus*. Hãc ſanè Dei in nos bonitatẽ probè perpendiſſe, dici vix poteſt quantũ fiduciã in illũ augeat: vtique qui è nihilo nos ſibi finxit, haud vnquã cura ſua deſtituet,ſi eam modò & petamus & expectemus.

13 *Circundederunt me tauri robuſti, prævalidi Baſchan me cinxerunt:*

14 *Aperuerunt contra me os ſuum, leo rapiens & rugiens.*

15 *Sicut aqua effuſus ſum, & luxata ſunt omnia oſſa mea factũ eſt cor meũ tanquã cera liqueſcẽs,intra viſcera mea.*

16 *Exaruit velut teſta ſuccus meus, lingua mea affixa eſt palato meo, ad limum mortis poſuiſti me.* His quatuor

& tribus proximè ſequentibus verſibus canit quàm propè ſibi imminuerit afflictio: id quod queſtus eſt verſu duodecimo. Nam cinctum & concluſum ſe à potentiſſimis, atrociſſimis, & ſibi infeſtiſſimis hoſtibus memorat, ſibique omne robur, omnem virtutem excidiſſe, metúque planè eſſe exanimatum, ſepulchro per omnia adaptatum, in ſe omnem hoſtium libidinē perfectam, atque illos, vt prorſus cōfecti, iam veſtes ſuas inter ſe diuiſiſſe, eſſéque ſortitos. Hoſtes ſuos, quo ferociam eorum magis exprimeret, grandes & præualidos tauros, quales regio Baſchā diues paſcuis fert, vocat: & circundatum ſe ab illis, id eſt prorſus in eorum poteſtate eſſe queritur: tum & aperuiſſe illos contra ſe rictum ſuum velut leo dum in prædam inhiat, ferociámque teſtatus rugit. Rugire enim ſolent prædā nacti leones, vt Amos 3.a.4, Num (inquit) rugiet leo in ſylua, ſi non ſit illi præda? Idem de leonibus teſtatur & Ariſtoteles nono de Natura animalium, cap. 44. Deficit hîc particula ב: debebat enim eſſe כאריה. ſed iſtæ eclipſes in Scripturis frequentes ſunt. Hinc tū adeò ſe exanimatum, omníque virtute fuiſſe exinanitum, vt ceu aqua defluxerit, luxata ſint omnia oſſa ſua, cor in ceræ modum à calore ignis vel Solis dilabentis colliquiſſe: ſuccum omnem ita abſorptum vt velut teſta aruerit, & lingua palato adhæſerit, planéque ita comparatus fuerit vt qui iam ſepulchro demandandus ſit. His nanque duobus verſibus 15 & 16, ſummum metum, ceu hypotheſi deſcripſit. Metus nanque cogit calorem è ſummis in intima, & è ſupernis in infima. A frigore ergo quod circa pectus eſt, & tā ſuperna quàm extrema cuncta occupat, omnia refrigerantur, ipſæque membrorum compages ſoluuntur. Hanc diſſolutionem videtur per hyperbolē ſignificaſſe, quum dicit, *Velut aqua effuſus ſum*, vel *defluxi*. Quanquam ſoleat metus per calorem quem ad infernas corporis partes depellit, & flauam bilem deiicere, & aluum atque veſicam ciere. Verùm quum ei quod dixit, *Effuſus ſum velut aqua*, continuò ſubiicit, *Et luxata ſunt omnia oſſa mea*: accipio hoc pro more Vatis & Scripturæ, vt prioris repetitionem. quare vero ſimilius puto, Vatē illa ſui effuſione, membrorum diſſolutionem dicere voluiſſe. Ex eadem verò cauſa, quòd metus caloris defectio, & in infima depulſio eſt, accidunt & quæ ſubiicit, *Cor meum velut cera colliquit: ſuccus meus velut teſta exaruit*. Nā calor pectus deſerens, facit cor colliqueſcere: idem humorem in intimis abſumens, ariditatem inuehit, & ſitim excitat. Verſu 16 vocem מלקוחי R. Schlomoh reddit Gallicè, *palas*: id eſt palatū. Vltima particula eiuſdem verſus, *Ad limum mortis poſuiſti me*: nihil aliud eſt quàm, ita me confeciſti, vt planè ſepulchro me adaptaueris. Aptæ ſunt dolentibus & querentibus hyperbolæ. Porrò horum quæ à verſu 12, vſque ad vigeſimum, de hoſtibus omnimoda atrocitate deſæuientibus, & exanimante metu, propriè de Seruatore noſtro Vates cecinit, figura & adūbratio in Dauide præceſſiſſe videri poſ-
1.Sam.23.d.27. ſit, quum in deſerto Maon, ab exercitu Schaulis iam cinctus, actúmque de eo erat, niſi propter irruentes Philiſtæos Schaul coactus fuiſſet inde ſuos abducere. Certè tum velut à præualidis tauris, & rabidis canibus planè concluſus erat, quique iamiam ipſum perempturi, vtique rugienti & inhianti iam in prædam leoni ſimiles erāt: qua ſimul neceſſitate ille conſtrictus, proculdubio ſummo in metu fuit, & morti proximus.

17 *Quoniam circundederunt me canes, concilium noxiorum cinxerunt me, ſicut leo manus meas & pedes meos.* Iterum cauſam reddere videtur ſummæ anxietudinis qua cōficiebatur, metúſque qui eum planè exanimabat. Nā vt antè à tauris, ita hîc à canibus ſe, ceu feram, circūdatum queritur. Mox autem quos canes intelligat, ipſe exponit, quum cinctum ſe memorat à cœtu noxiorum & pernicioſorum hominum. Sequētem particulam tam Græci quàm Latini conſtanter legunt, Foderunt manus meas & pedes meos. Ebræi, Sicut leo manus meas & pedes meos: ſubaudi obſederūt, cinxerunt, & ne vel manus mouerem ad defenſionem, vel pedes ad fugam, effecerunt. Abraham Ezra enim & Kimhi iungunt hæc verbo præcedenti, *cinxerunt*, vti ſæpe verbum vnum duabus particulis ſeruit. Kimhi præterea ſcribit, leonē ſolere, quum in ſaltu venatur, circulum cauda ſua depingere quo feræ conſpicientes ita ſoleant terreri, vt attonitæ inde egredi non auſint, ſed contractis pedibus expectare donec leo in eo circulo ipſas corripiat & voret. Sic ait Iudæorum populum (nam de illo Pſalmum interpretatur) in præſenti exilio, velut intra circulum cōtineri: nec eſſe vim defendendi ſe ab iniuriis, neque copiam fugiendi. Si enim Saracenorum poteſtatem effugiant, oportere eos ſeruire incircuncíſis, id eſt nobis. Verùm vt inane & friuolum commentum ſcio, quod de ſui populi præſenti exilio Pſalmum hunc canere affirmat, ita & illud quod narrat de leone, quàm verum ſit, ipſe viderit: nihil tale apud alios legī. Porrò his qui veritatem poſſunt cognoſcere, liquet hūc Pſalmū de Chriſto canere. cuius quum ſint in cruce manus & pedes perfoſſi, nec ſit prorſus ab hac ſignificatione aliena vox כארו, ſi puncta negligas, & א redundare dicas, vulgatam Græco-
Felicis Pratenſis fides. rum & Latinorum lectionem hîc ſequutus ſum. Id ridebunt Ebræi: at Felix Pratenſis per Deum teſtatur, ſe כרו hoc loco in commentario quopiā legiſſe, cui non minus fidei Iudæi habeant quàm ipſi ſcripto Vatis. Sed tamen cum Iudæis ob voculam hanc ego nunquam contēderem. Nam etiam ſi legamus, Sicut leo, & ſubaudiamus, Obſederūt manus & pedes meos, adhuc in Chriſtū ſeruatorem noſtrum, ac neminem alium Pſalmus hic quadrabit: id quod præcedentia & ſequentia,

iis qui veritatis capacem habuerint mentem, abunde teſtantur. aliis, qui hac deſtituti ſunt, etiamſi כרו hîc ſcriptum eſſet, nihil tamen de Chriſto verè perſuaſeris. Manus & pedes Seruatoris perfoſſos, etiam ſi hunc locum Iudæis conceſſerimus, Euangeliſtæ nobis ſatis probant. Hoc certè fatendum eſt, leonem perſæpe ארי, nec ſemper ארי in Scripturis vocari, & omnino eiſdem punctis, quibus hîc, vocem eam notari, vt Num.23.d.24, Iudic. 14.b.9, 1.Schm.17.e.34, 2.Schm.23. c.20, & aliis multis in locis. כ autem ſimilitudinis notam, nonniſi hîc, & Ieſchai.38.c.13, vbi Hizkiiah queritur Dominum vi morbi, velut leonem, cuncta oſſa ſua confregiſſe: cum cames notatam, aliis locis cum pathah legimus. Hoc ideo volui monere, nequis ex eo quod Felix ſcribit, gloſſam Ebræā teſtari hanc dictionem bis tantùm in ſacra Scriptura reperiri, hîc, & Ieſcha. 38, putet totam dictionem tantùm his duobus locis haberi. quod enim ſcribit, tantum de puncto כ Ebræi affirmāt. Ipſa ſiquidem vox, quæ leonem ſignificat ארי, abſque ה multis in locis, & eiſdem quibus hîc punctis repetitur. De ſignificato duplici, cuius Felix meminit, nihil ſcripſerunt hoc quidem loco R. Schlomoh, Abraham Ezra, & Kimhi: alios mihi conſulere non licuit, & ſi licuiſſet, pluris tamen locorum collationem iure facerem. Equidem quia Chriſtianis ſcribo, apud quos pridem publico conſenſu *foderūt* legitur, & debet nobis maior veritatis in Chriſto completæ, quàm typi in Dauide adumbrati, ratio haberi, & ipſe *foderunt* poſui: magis ſpectans quid recipiant Chriſtiani, quam quid poſſit approbari contentioſis Iudæis. Nequis tamen abſque fructu noſtra illis ridenda exhiberet, vrgendo eos hoc loco, (quum eo, perparum, aliis innumeris plurimùm vrgeri queant) illa quæ de voce ארי præmiſi, annotare mei officii eſſe duxi. Chaldæus habet, Mordentes veluti leones manus meas & pedes meos.

18 *Numerabo cuncta oſſa mea: illi contemplātur, & intuentur me.* Verſus hic variè enarratur. Si hiſtoriā ſupplicii Chriſti perpendimus, poſſit hunc ſenſum habere, Ita extētus ſum & diſtractus, vt numerare licuerit cuncta oſſa mea. Nam quod dicit *numerabo*, idem eſt quod *numerare liceat*, vt verti. Neque obſtat quòd in Dauide, qui typum Chriſti geſſit, nihil tale præceſſit. ſæpe ſiquidem vltra typos rapti Prophetæ ea canunt quæ in vno Chriſto perfecta ſunt. Siquis autem putet exanimantem metum hîc deſcribi, quem & verſus 15 ac 16 depingunt, accipiet hunc verſum vt hyperbolem, qua ſignificare voluerit, terrorem à canibus illis, omnem carnem ſibi exediſſe, vt cuncta ſua oſſa numerare licuerit: & ſic confectum, ludibrio fuiſſe hoſtibus, qui voluptatem ceperant ipſum tabidum adeò, & iam mortuo quàm viuenti ſimiliorem intuendo. Abraham Ezra per *oſſa* amicos intelligit, quos quum Dauid deſertus, & hoſtibus ſuis iam proditus fruſtra numeraret, voluptatem illis exhibuerit, videntibus adeò amicis, & quidem iūctiſſimis deſtitutum, ſuæque libidini penitus permiſſum. Nam & illud verſu 15, *deluxata ſunt oſſa mea*, de defectione eorum intelligit qui velut robur Dauidis fuerant. Kimhi autem עצמותי accipit, vt Ieſcha.41.d.21, הגישו עצמותיכם id eſt, Afferte rationes veſtras, quibus potiſſimum cauſa veſtra nititur. Sic enim quaſi oſſa, hoc eſt robur iuris dicuntur. Inde verſum interpretatur in hunc modum, Si enumero & adduco fortes pro me rationes quibus cauſam meam iuſtam approbo, accuſans apud principes iniurias quibus me ſubditi afficiunt, illi rident me, indéque voluptatem capiunt, quòd indignis me modis affectum conſpiciunt. Mihi, etſi עצמות omnino, vt iam diximus, ius & rationes quibus ius defenditur, etiam ſignificet, haud tamen videntur enarrationi Kimhi fauere quæ præcedunt hunc verſum & ſequuntur. Malui igitur hunc verſum ita accipere, vt quo Vates metum & animi terrorem, in quem eum coniecerāt canes illi, exaggerare voluerit, quàm vt per allegoriam queſtum dicam de defectione amicorum, quod viſum eſt Abraham Ezræ: aut de narratione iuris ſui loquutum eſſe, quod Kimhi adduxit. Illud autem, *ipſi contemplantur, vident me*: pro eo quod eſt, voluptate & gaudio afficiuntur, me intuentes, & ſic affectum conſiderantes, omnes concorditer accipiunt. *videre* hoc ſignificatu & verſu 34 Pſalmi 37, vſurpatur, Quum excindētur improbi videbis, id eſt vidēdo voluptate afficieris. Item verſu vltimo Pſalmi 54, Ab omni afflictione liberaſti me, in inimicis meis videbit oculus meus: nēpe quæ maxime volet, vnde ſummè gaudebit: vel intuebitur illos cum voluptate, quòd dignas dederint ſua improbitate pœnas.

19 *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper indumentum meum miſerunt ſortem.* Hic verſus omnium euidentiſſimè Chriſti hîc prædictum ſupplicium probat, cuius veſtes, quum eum milites crucifixiſſent, inter ſe partiti, & de inconſutili ſortiti ſunt. Huius vmbram veriſimile eſt in Dauide præceſſiſſe, quum planè iam extorrem patria factum eum, modis omnibus ad mortem Schaul & aſſentatores illius venarentur. Quis enim dubitet tum hos Schaulis aſſentatores, vt omnem illius ſubſtantiam, ita & veſtes inter ſe ſorte & per partes diuiſiſſe, eóque ſingulari illum ignominia voluiſſe afficere, quum etiam vxorem eius Michol pater alii tradiderit, & tantum in eum odium declararit, vt LXXXV Sacerdotes tam crudeliter necari iuſſerit, ob nullam aliam cauſam quàm quòd 1.Schm.22.d.18.
Achimelech putans regis illū negotiū gerere, panes ei adminiſtraſſet, & vſum dediſſet gladii Goliath: Abrahā Ezra verſum hūc ſic accipit, vt eo Dauid indicarit tam certò hoſtes arbitratos iam-

iam ipſum ſe perempturos, vt modò de præda ac veſtibus eius inter ſe diuidendis conſtituerint. Nam animo intelligit illos, non re, Dauidis exuuias inter ſe partitos: vt querela Dauidis hunc ſenſum habeat, Vide ô Deus, vt prorſus de me actum ſit, niſi tu ſubitam opem feras: iam hoſtes internecionis meæ certi adeò ſibi videntur, vt meas tãquam iam extincti, veſtes inter ſe diuiſerint. Non ſemel enim indubitatum hoſtibus fuit ſe illum iamiam extincturos, vt quũ Schaul audiſſet eum in Keilah eſſe, Iam (inquiebat) tradidit illum in manus meas. Item quũ cinctum iam tenerent in deſerto Maon, & vicibus aliquot aliis, vti 1. Schm. 23. d. 27, legimus. Quæ ſanè interpretatio, reliquis exaggerationibus periculi, quas hoc Pſalmo Vates habet, ſatis congruit. At quocunque modo id de Dauide, Chriſti typo, intelligatur, vt in Chriſto impletum ſit narrant Euangeliſtæ. Quare quum habemus in quo iſta verè completa, & de quo à Vate hîc prædicta ſunt, non eſt vt de typo horum ſoliciti ſimus. Ad typi enim rationem ſatis eſt, id cuius typus ſit, adumbraſſe. expreſſio eius eſt, quod per typum repræſentatur.

1. Sam. 23. d. 27.

20 *Et tu Iehouah ne ſis procul, ô virtus mea ad auxilium meum propera.*

21 *Libera à gladio animam meam, & de manu canis unicam meam.*

22 *Serua me ex ore leonis, & à cornibus unicornium reſponde mihi.* Hiſce verſibus expreſſius iã opem implorat, & eximi periculo atque anxietudine quam prioribus deſcripſit, deprecatur. In præcedẽtibus adhuc magis de malis in quibus erat, queſtus eſt, eáque querendo commemorauit, quàm auxilium petiit. Vt ergo queſtus eſt ſe à Deo deſertum, auxiliũ inuocanti ſibi longè abfuiſſe, atque ideo Deũ à ſe receſſiſſe procul, id quod videtur animo, dum dolore & cruciatu adobruitur, de quo in verſum primum Pſalmi 10, & alibi plura dixi: ita nunc orat, *Sed tu ô Iehouah, ne ſis procul, ô virtus mea ut me adiuues propera.* Idem orare cœperat verſu 12: ſed volens exprimere habitum animi ſummè afflicti, à prece hac continuò dilapſus iterum ad querelas fuit, ad narrandum ſcilicet quantis malis teneretur, quanta ipſum anguſtia premeret. Nunc ergo demum precationis verba ordine ſubiungit. Eſt verò emphaſis in eo quod ait, *Sed tu ô Iehouah.* talem enim ſenſum ſubindicat, Vides me prorſus in manibus eſſe hoſtium, non aliter atque feram iam à canibus cinctam: etiã veſtes meas inter ſe diuiſerunt, adeò certò habẽt me manus ipſorum haudquaquam effugiturum. *ne ſis ergo longè:* hoc eſt ne differ amplius tuum auxilium. *Tu virtus mea es:* nam nullũ aliud præſidium ſupereſt, nihil in me virium reliquũ, ſed neque mora cædis vlla relicta. *Accelera igitur, propera ut me iuues: libera à gladio iamiam cædente:* hoc eſt à præſentiſſima cæde, vitam meam: *de manu canis,* id eſt poteſtate Schaulis, ſi de typo intelligas: ſi de Seruatore, à vi cœtus Iudaici: *unicam meam:* id eſt animam, quæ vnica, & rebus omnibus chara magis haberi ſolet. His omnibus ſimul indicat de ipſa anima & vita ſeſe periclitatum. Id intendit, quum ſubiungit, *Serua me ab ore leonis.* eo enim indicat iam ſibi rictum eius imminere. Ad exaggerandam periculi magnitudinem præterea ſubiungit, *& à cornibus unicornium reſponde mihi:* hoc eſt fer opem iam cornibus ſæuiſſimarum beluarum permiſſo. ראם vulgati interpretes nunc monocerota, nunc rhinocerota vertunt, quum alia fera ſit monoceros, alia rhinoceros. Hæc, vt Plinius ſcribit, & nomen ipſum indicat, in nare cornu vnum habet, alter genitus hoſtis elephanto: altera verò (vt idem teſtatur) media in fronte vnum & nigrum cornu habet, ídque cubitorum duûm eminens. De hac ſcribit, feram aſperrimam eſſe, quam viuam capi negant: reliquo corpore equo ſimilem, capite ceruo, pedibus elephãto, cauda apro, mugitu graui. Hanc verò in Scripturis nomine ראם deſignari, coniecturæ ſunt. Prima à cornuum eminentia: ea enim notatur Pſalmo 92. c. 11, Exaltabis vt vnicornis cornu meum. niſi hanc exaltationem intelligas virtutis, ita vt ſæpe in Scripturis exaltatio accipitur. Altera ab inuicto robore & potentia, ad quam alluditur Num. 23. d. 22, Fortitudo illi vnicornis. Tertia ab indomabili ferocia. ſic nanque de hac ſcribit Iiob 39. b. 12, Nũquid volet tibi ſeruire monoceros? num pernoctabit ad præſepe tuũ? Nonne alligabis monocerota loro tuo vt aret? num complanabit poſt te ſulcos? &c. His nanque verbis voluit Dominus indicare, hanc feram ad vſus hominis manſuefieri non poſſe. Quãquam autem & rhinocerota ſæuam admodum feram eſſe, quum dimicet cum elephãto, certum ſit: altitudo tamen cornu, quæ animali tribuitur, quod in Scriptura ראם dicitur, non ita conuenit. Abraham Ezra ſcribit ſe audiſſe, cornu huius feræ tanta eſſe duritie, tantóque robore, vt ea è celſis mõtibus ſe in illud tutò præcipitet. Præterea qui obſeruet, inſunt elegãtes huic precationi ad queſtus quos præmiſi, antitheſes. Queſtus erat primùm ſe à Domino deſertum: iam ergo orat ne procul abſit. Deinde ſe die & nocte fruſtra auxiliũ imploraſſe: iam ergo precatur vt properet auxiliũ ferendo. Tũ ſe cinctum à cœtu noxiorum, animam ſuam ad necem quærentium, item & à canibus circundatum: à cæde igitur & canum rabie hîc ſe petit liberari. Poſtremò hoſtes ſibi inſtar leonum imminere: nunc orat ex ore leonis, cornúque vnicorniũ eripi. Deinde videri poſſit hæc precatio, qua mortẽ deprecatur, Chriſto nõ competere, qui morti ſeſe vltrò obtulit (quod & Kimhi ſuos docet noſtris obiicere) & ſtatim, poſtquam initio huius Pſalmi, Deus meus, Deus meus, clamauerat, expirauit. Nam etſi in mõte oliuarum, cordis ſui, ob imminens ſupplicium, anguſtiã teſtatus, ora-

Rhinoceros a monocerote quid differat.

uerit ad Patrem, ſi fieri poſſet, vt calicem deſtinatæ mortis à ſe transferret, nihil tamen tale orauit poſtquam cruci affixus, vocem illam edidit, atque veſtes ſuas à militibus diuidi vidit, vti hæc precatio poſt illa ſubiecta eſt. Nec forſan feret verborum hic ſimplicitas, liberationem animæ intelligere quæ facta eſt corpori exemptæ. dicit enim, *Libera à gladio animam meam, &c.* quod ſi ſimpliciter accipias, nihil aliud eſt quàm Libera me, ne gladio mihi anima adimatur. Firmius itaque videtur, hanc vt Dauidis precem accipere, qui à gladio Schaulis & reliquorum hoſtium ſeruatus, & in regno exaltatus, nomen Dei in cœtu fratrum, magnáque totius Iſraelis Eccleſia inſigniter extulit. Iuxtà verò memores eſſe decet, Dauidem Chriſti fuiſſe typum, & eius corporalē liberationem adumbraſſe Chriſti ſpiritualem: atque hunc non minus pro hac ſalute ſpiritali, quàm illū pro corporali oraſſe. Temporis ratio ſic Diuinitus comparata tum fuit, vt quæ Chriſti ſunt, tectè, atque rarò ſine vmbrarum velamento traderentur. Non mirum igitur, & hîc quædā ſic dicta, vt in Dauidem Chriſti exemplar magis quàm in ipſum videantur quadrare. Non deſunt autem ſimul & quæ ſicut typum apertè excedunt, ita Chriſto ſoli competunt, vt ſunt tam illa quæ ſuprà de contemptu infra cūctos mortales, quàm quæ infrà cecinit de veræ religionis latitudine ipſo regnante futura. Porrò in iis quæ hactenus Pſalmiſta cecinit, obſeruanda eſt via immortalitatis, quæ omnimoda huius naturæ conſtat deſtructione. Si iam ſæuam adeò hāc & atrocem eſſe oportuit in Seruatore noſtro Ieſu, & in vnoquoque Sanctorum, tam eorum qui Chriſtū carne præceſſerunt, quàm qui ſequuti ſunt, eo ſæuiorem, atrocioremque, quo Chriſti Spiritu quiſque opulētius donatus fuerit: facilis coniectura eſt quàm alienū ſit à profeſſione noſtra ſectari carnis delicias, crucem verò fugere. Certè nihil vani fuit quum exclamaret Redemptor noſter, Deus mi, Deus mi, ecquare dereliquiſti me? Caro eius cuius hæc vox erat, tum vtique nihil niſi cruciatus ſentiebat: quum præſentia Dei Sanctos omnia optimè habere faciat, ſolidáque & cæleſti iucūditate afficiat. Tum certè quum fuerit Deus omnia in omnibus, nihil moleſtiæ reliquum, omnia autē ſempiterna voluptate perfuſa erunt. Quantum ad voluntatem mētis attinet, Deus quidem nunquā Filio abfuit, vt qui ab omni ſemper peccato immunis vixiſſet: at quia antehac grauiores cruciatus & corporis & animi expertus non fuerat, quantum ſanè ad externum hominem pertinet, nunquam antea alieniorem, & abſentem ſibi longius Deum ſenſerat. Aderat ei quidē & in illis ipſis tormētis, dum ex ipſius volūtate in ſalutem totius humani generis ea ferret, ſed aderat citra ſenſum carnis. Mens igitur hæc conſiderans, atque ita Deum ſibi præſentem cernens, impenſè ſemper gaudebat: caro autem, qua tum erat conditione, vt id non cernebat, ita abſentem Deum experiebatur, eóque tantopere afflictabatur. Id igitur nobis in exemplum, & crucis ferendæ animoſius, & æquiſaciendæ in his noſtræ imbecillitatis, immani clamore, indicibilis doloris teſte, iam moriturus exclamauit, dicens, Deus mi, Deus mi, quare dereliquiſti me? hoc eſt, Cur ſenſum bonitatis tuæ longè adeò à me ſubduxiſti, támque atrocibus pateris me tormentis excruciari? Sciebat probè ita intereſſe ſalutis totius generis humani, quare & vltrò hæc ſubierat: interim tamen vt neceſſe fuit veram hominis naturam indicibiliter dolere ſic cruciatā, ita vt videremus quid eſſet noſtri cauſa factus, quídque paſſus, id palàm præ ſe ferre dignatus eſt. Multa de his diſputantur, ſed quibus ea non tam explicantur quàm obſcurantur. Nuſquam certior huius rei cognitio peti poterit, quàm ab animo verè Dei ſtudioſo. Is & gloriatur de cruce quam pro gloria Dei fert, & iuxtà ſummè dolet. nequit enim non dolere corpori quod ipſum diſſoluit. Hic tamen dolor, in nobis ſemper ferè ex amore noſtri naſcitur, eóque cum peccato nunquam non coniunctus eſt: in Chriſto autem ſolius veritatis naturæ humanæ extitit index & teſtis. Qui etiam dolor in Seruatore non minus Patri placuit, cúmque eius dilectione congruit, quàm lachrymæ illæ propter excidium Ieruſalē (quod tamen conſenniens iuſto Patris iudicio Spiritus approbabat, & venire optabat) fuſæ, vtique nō ſine ingenti cordis afflictione. Vt nanque hominem eſſe illum Pater voluit, ita nihil humanum, ſolo peccato excepto, ab eo placuit eſſe alienum. Humanæ autem naturæ ratio ſic eſt, vt doleat illi quæ aduerſa ſentit, quanlibet ſimul mente eadem velit, quatenus nimirū ea nouit Deo probari. Hoc incommodo neceſſe eſt illam premi, donec planè innouetur, & præſentius ſeſe illi Deus offerat. Id ergo incommodi, & pergrauis ſanè moleſtiæ quum & Chriſtus noſtri cauſa pertulit, nemo ſibi diſpliceat quòd eodem premitur, quòd cruciatum aliquem aduerſa inferunt, ſi modò à ſuo ſtatu & officio mentem non dimoueant. Vtile nobis eſt ſentire quàm neceſſaria nobis ſit noſtri innouatio, quámque impoſſibile ſit plenā ſuperni regni hæreditatem adire dum hac carne grauamur. Tantum à Chriſto ſeruatore noſtro diſcamus, dū angimur, vti Patri cæleſti animi ægritudinē queri, & ab ipſo vno liberationem petere. Sic vel ipſa apud indulgentiſſimum Patrem noſtrum querulatio, opíſque imploratio, incredibilis noſtri cōſolatio, & ſuprà quàm dici poſſit nos à nobis ipſis in Deum ſubducet, eiúſque optima voluntate mirificè delectari faciet. id quod nequaquam ignorant quicunque ex animo ſeſe abnegarunt, & Seruatori noſtro diſcipulos ſe, ſublata in humeros cruce, addixerunt.

Quare Chriſtus clamauerit, Deus mi.

23 *Celebrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.*
24 *Reuerentes Iehouæ laudate eum, omne ſemen Iaacob magnificate eum, metuite uobis ab eo omne ſemen Iiſrael.*
25 *Nec enim contempſit, nec auerſatus eſt afflictionem afflicti, nec abſcondit faciem ſuam à nobis & dum clamarem*
ad eum, audiuit. Præcipuam his & ſequentibus ad finem vſque Pſalmi verſibus, cauſam canit cur tã anxiè ſalutem orarit, quantúmque fructus ea attulerit. Ita autem de ſe iſta ſuo more memorat quaſi etiamnũ in afflictione conſtitutus ſit, ideo ceu futura pollicetur & prædicit quæ de illuſtrando à ſui liberatione nomine Dei canit. Summa omnium eſt, Prædicit ſe Dei bonitatẽ, & ipſum Deum quàm magnificentiſſimè, multóque maximo ſtudio prædicaturum, & ad agnoſcendum pariter ac prædicandum illum, tam Gentes quàm Iiſraelem prouocaturum, eiúſque agnitionem & cultum ad fines vſque orbis propagaturum qui & futuris ſeculis vigeat. Nihil ſanè prius habebat gloria Dei, quæ regnante impio Schaul, & cuncta occupantibus ſceleratis adulatoribus eius, obſcurabatur. Proinde nulla alia cauſa tam efflictim regnum ſibi vindicari, liberationem à malis quibus exercebatur, perſequente eum Schanle precabatur, quàm vt ad illuſtrãdum atque proferendum verum Dei cultum omnia inſtrueret. id quod de ſe & Pſalm. 7, teſtatur, & alibi. Ait ergo, *Celebrabo*, annũtiabo nomen tuum, tuam virtutem, tuam bonitatem, fratribus meis, tua ſimul religione imbutis, te ex animo colentibus, vt germanos Abrahæ filios addecet: in media concione, omni populo ad laudes tuas collecto, te collaudabo. Id Dauid cum aliàs ſæpe, tum peculiari & *Hiſtoria horum verſuum.* inſigni ſtudio atque magnificẽtia præſtitit quum Arcam fœderis toto Iiſraele ad eam pompam coacto, & ſimul prædicante Dominum, & indicibili in ipſo gaudio geſtiente, atque tripudiante, in ſuam ciuitatem traduxit. De qua celebri pompa legimus 2. Schmuelis 6, & 1. Paralip. 13, & 15, Tum & ipſe in ea multo maxima Eccleſia Iiſraelis, quam ab vltimis terræ eorum finibus coegerat, Deum incredibili ſtudio extulit atque prædicauit, adeò vt ante Arcam ſaltaret, & cithara caneret: & totum iuxtà populum, præcipuè autem Leuitas, ad celebrandum pariter illum laudibus incitauit: quorũ ad id certos quoque ordines inſtituit, vt Sacra hiſtoria meminit, 1. Paralip. 16. a. 4. Denique hymnum illis canendum dedit, in quo inter cætera, ferè ad verbum præſens verſus continetur. Etenim, vt ſuprà memini, regente Schaule populum, verus Dei cultus obſcuratus fuerat: ſic enim Dauid dicebat, quum populum ad afferendam Arcam inuitaret, Reducamus ad nos Arcam Dei noſtri: nam regnante Schaule, non eramus de illa ſoliciti, vel non inquirebamus tam: id quod neglecti Dei argumentum erat. Ipſe ergo hortabatur eos vt agnoſcentes vel in ſe miram & incomparabilem Dei bonitatem, illum, vt à quo ſolo omnia bona proueniunt, ſecum vnicè colerent, & laudarent, ſolicita eum religione timerent, præcepta eius ſtudioſe ſeruarẽt: quæque fuſius ea Oda quæ in priore Paralipomenon habetur, cecinit, hic verſus 24 ſũmatim perſtrinxit. Vt verò ingratum Deo eſt laudari ab improbis, quod multis Pſal. 50. c. 16, & Ieſcha. 1. c. 11, teſtatus eſt: ita alloquitur hic noſter timentes Deum, qui ſoli verum & germanum Iaacob ſemen ſunt, legitimi Iiſraelitæ, hóſque ad laudandum, deinde ad timendũ illum hortatur. Ingens enim beneficium erat, ſublato rege impio, pium accepiſſe, quo ſimul profligata iam erat omnis & impietas & iniuſtitia, reſtituta pietas & iuſtitia: ad hæc ſplendidis victoriis ſuam beneuolentiam Deus & in regem & populum declarauerat. Tam hìc ergo, quàm in hymno illo qui 1. Paralip. 16, legitur, ad laudes primùm: deinde ad timorem Dei, cuius comes eſt obſeruantia mandatorum eius, inuitauit. Nec alium timorem Propheta requirit, quàm qui ſolicitos teneat & vrgeat ad viuendum ei, quem iam vt ex animo laudamus omnia eſſe & præſtare, ita ſũmopere quoque amamus & colimus. Verſum 25, alii volunt continere cauſam cur laudare Deum populus debebat: Kimhi, ipſam laudẽ. E- *Vnde Deus laudandus.* quidem exiſtimo vtrunque rectè dici. Nihil etenim eſt quod magis moueat Sãctos, vt Deum laudibus tollant, quàm quòd benignè adeò agit cum miſeris, & vociferationis afflictorum (vt canit Pſalm. 9. c. 13) non obliuiſcitur, ſed audit vota eorum, pronámque precibus eorum aurem accommodat, vt canit Pſal. 10. d. 17. Tum nullo plauſibilius, quàm clemẽtiæ, bonitatis, ac miſericordiæ nomine celebrari Deus poterit: quæ laus tanto amplior ac præclarior agnoſcitur, quanto magis miſeri ac deiecti ſunt in quos ea exhibetur, præſertim quum ad publico bono fiat, ita vt fuit Dauidis è tanta calamitate liberatio, & in tam auguſtum regnum euectio. Maiore tamen, & quidem infinitò, beneficio totus orbis affectus eſt, quũ ſeruatorem noſtrum Chriſtum Pater ad dexteram ſuam exaltauit. Inde nanque ſpes firmata eſt, quibuſcunque cordi pietas eſt, ſemel tandem mala vniuerſa euadendi, & beatæ immortalitatis conſortium adeundi. Hæc ergo laudandi Deum in Eccleſia, præcipua & cauſa & materia eſt. Quid enim aliud Euãgelium eſt, quàm huiuſce Dei in miſeros bonitatis præconium? Quid aliud Chriſtum veniſſe, vt peccatores ſaluos redderet, vt quæreret & ſeruaret quod perierat, vt inuitaret ad ſe qui afflicti & miſeri eſſent, quos & beatos cælorumque hæredes pronũtiauit, eorúmque cauſa adueniſſe ſe, & iuxta Ieſchaiæ vaticinium, in hoc vnctum, vt lætum illis nuntium afferret, teſtatum eſt? Hæc ſanè de Deo laus credita, vt eius amorem vel ſola accendit, ita totam hominis ſalutem perficit. Quod igitur de ſe Dauid cecinit, & cani ab

aliis voluit, Deum non contempſiſſe, neque aduerſatum eſſe afflictionem ſuam & abiectionem, qui ita afflictus & deiectus fuerat vt amiciſſimis quoque horrori eſſet, & ab omnibus non negligeretur modò, ſed etiam abominationi eſſet: ſic indubiè accipi voluit, vt in ſe omnis Eccleſia diſceret eandem & aliis à Deo bonitatem expectandam: quique Spiritu opulentiore præditi erant, Chriſtum quoque in ipſo adumbratum cogitarent, indéque vt in ſpe ſalutis conſummatæ confirmarentur, ita ad quamlibet crucem æquo ferendam animo durarentur. Nos itaque quibus datum eſt hanc Chriſti imaginem in Dauide delineatã reuelatè contueri, in eam ſic mentis oculos conjicere addecet, vt nihil dubitemus, quandoquidem ipſum Pater in morte haudquaquam reliquit: ſed ad ſe vociferantem ita audiuit, vt à mortuis reuocatum, ad dexteram ſuam, immortalem, beatum, & omnium quæ in cælo & in terra ſunt, principem euexit, nec noſtras preces auerſaturum, noſtrámve humilitatem contempturum: ſed indubiè, ſi modo inuocantes ipſum perſeuerauerimus, nos quoque beatæ illius ſortis in qua iam ille regnat, caput noſtrum, Sãctorum primogenitus, & reſurgẽtium primitiæ, facturum participes. Hinc Paulus & reliqui Apoſtoli, crucis tolerantiam nulla alia potius ratione, quàm exemplo Chriſti qui tanta innocẽs, & noſtri cauſa pertulit, ſuadent, & futuræ quietis atque fœlicitatis ſpem, in primis per reſurrectionem ipſius confirmant: adeò vt priore ad Corinth. 15. b. 13, Apoſtolus colligat, eos nec Chriſti reſurrectionem credere qui de noſtra dubitarent. Proinde quum in eo quòd Chriſtum ſuum Pater afflictum tantopere & humiliatum noſtræ ſalutis cauſa haud contempſit, minimèque auerſatus eſt, faciem ſuã ab eo haudquaquam auertit, imò benignè reſpexit adeò, & ſic liberauit, reſtituitque, vt beatus nunc cælorum regnum adminiſtret, donec omni peccato in electis repurgato, & vltimo hoſte (qui mors eſt) deiecto, regnum Deo & Patri tradat, in quo omnis noſtra redemptio, iuſtificatio, ſalus, vita & fœlicitas continetur: verè hic verſiculus non præcipuam tantùm, vt dixi, ſed planè omnem & cauſam & materiam laudandi, celebrandique Deum, tum fidei noſtræ in Deum & obſeruantiæ vnicum fulcimentum & incitabulum complectitur, vti idipſum totius Euangelii caput & ſumma exiſtit: Membra ſiquidem Chriſti ſumus, ſi ei credimus: quare eadem quæ ipſi obuenerunt, iure nos quoque expectamus. Porrò id minime prætereundum, figuram ineſſe huic verſiculo, quam liptoten vocant: plus ſiquidem intelligendum offertur, quàm dicatur. Dicitur enim, Deum Chriſti ſui afflictionem non contempſiſſe, &c. ſed intelligendũ, quàm glorioſè, quàm magnificè ab ea ipſum adſeruit, ac in quantam dignitatem ea liberatum ſuſtulit. Verùm quum iſtud ex re ipſa abunde agnoſcebatur, imò cernebatur, haud fuit ratio, quod iam omnes coràm viderent verbis denarrare. Epiſtola ad Ebræos cap. 2. c. 12, communionem naturæ, quam nobiſcum Seruator habet, ex verſu 23 probat, & commodùm ſanè. Nam vt ſæpe dixi, ipſe eſt in quem propriè hæc omnia cõpetunt, verè quoque fratres nos ſibi fecit, dum carnem noſtram aſſumpſit, & ipſe nobis iam fratribus ſuis Dei nomen patefecit, & celebre reddidit. Eius nanque Spiritus eſt, quo Euangelium mundo annuntiatum eſt. Et nemo nouit Patrem, niſi ipſe, & cui ipſe eum reuelauerit, Matth. 11. d. 27.

26 *De te laus mea in Eccleſia ampla, vota mea perſoluam coram reuerentibus eum.*

27 *Edent manſueti, & ſaturabuntur, laudabunt Iehouam qui inquirunt eum, viuet cor veſtrum in ſeculum.* Morem piis regibus fuiſſe, quoties ſingulari aliquo beneficio eſſent diuinitus adiuti, peculiari item hymno Dei in ſe bonitatem, in frequenti populi Eccleſia deprædicare, paſſim Sacræ literæ teſtantur. Id Dauide nemo ſtuduit impenſius, qui ſimulatque in regno confirmatus fuit, & Arcam fœderis Ieruſalem tranſtulit, Leuitas inſtituit qui quotidie Dominum ante Arcam fœderis celebrarent. Tum verò, quum cultum Dei, toto ferè Iſraele præſente, inſtauraſſet, & vt 1. Paralip. 16, memoratur, populo bene precaretur, indubiè magnificè iuxtà & ipſe Deum prædicauit, & per Aſaph fratréſq; eius prædicari fecit hymno qui illic recitatur, Celebrate Iehouam, inuocate nomẽ eius, nota facite in populis facinora eius, &c. Tum certè & vota ſua regia, holocauſtis & victimis, quas Lex pacificas vocat, vt ibidẽ memoratur, perſoluit. Hic ſanè mos cũctis mortalibus velut natura inditus videtur, vt quoties ſerium aliquid à Deo orant, viciſſim aliquid polliceantur, & votum aliquod nuncupent. Dauid, vt & omnes Sancti, nouerat nihil homines Deo poſſe præſtare gratius, quàm vt eius bonitatem ſtudioſè deprædicent, & ad fidendum illi quoſlibet inuitent. Id igitur vt ſemper in animo habebat, & ſtudebat, ita quoties peculiarem Dei opem orabat, etiam vouebat. Etenim nihil aliud, quandocunque Dei auxilium implorabat, quàm vt Diuinæ bonitatis gloria in ſe illuſtraretur, quærebat, & ſacrificio laudis nihil Deo gratius ſciebat. Quum autem Domino placuiſſet vt populus eo tempore victimis pietatem ſuam teſtaretur, & ita morti Chriſti velut præluderet, ſeſeque ad vitæ ſectandam innouationem, quæ conſummari, niſi hoc corpore immutato, non poteſt, prouocaret, (de qua re nonnihil dixi in verſu quarto Pſalmi vigeſimi, plura dicturus in Pſalmo 50) & Dauid hoc religionis officio, ſtudium Dei, quo flagrabat, demonſtrare voluit. Tum & illud factum fuit quod canit verſu 27, Edent manſueti, &c. Manſueti ſunt qui

Omnis noſtra ſpes reſurrectione Chriſti nititur.

1. Paralip. 16. b. 8.

Vnde vota.

Matth.5.b.5. abnegarunt ſemetipſos,& manui Dei ſe penitus commiſerunt.ii in Euangelio [illegible] vocãtur,quibus Dominus hæreditatem terræ pollicetur. Iidem ſunt timentes Deum, & verum ſemẽ Iaacob, quorum in ea concione rationem tantùm habuit. Vt nanque conditio erat, [illegible],id eſt victimarum pacificarum, ſimul veſci illis qui ad ſacrificium vocabantur, ita ſacro tum epulo Rex adhibuit totum Iiſraelẽ. Nam ſcribitur 2.Schmu.6.c.19,& 1.Paralip.16.a.3,ſingulis viris & mulieribus dediſſe libum vnum,vnam portionem carnis,& vini ſextarium. Nã [illegible] hic habetur, quod mẽſuræ genus Ebræi dicunt continere ſextam partem hin. Iam hin continet tria kabim, kab quatuor lug,lug quantum teſta oui ſepties plena. Huius menſuræ ſi rationem ineas,inuenies hin paulo plus capere quàm cõgium.inde liquebit,quum cõgius ſex ſextarios capiat,Regem cuilibet paululũ ſupra ſextariũ vini dediſſe. Quæ vini præſertim regionis Iudaicæ,portio,ſatis munifica,& regia fuit. Sextarius pendet drachmas CXCII, hoc eſt binas libras. De congio & ſextario lege apud Budæum. Rationem menſurarum quantum Scriptura meminit,cuiuſmodi eſt hin, cab, & lug, tradunt ſparſim ſcriptores Ebræi. Eo itaque epulo Iiſraelitæ accepti, ſaturati fuerunt, & in Domino exhilarati:quem & ſumma lætitia,vnà cum rege deprædicarunt,eóque ſancta iucunditate & voluptate affecti,domum redierunt,ſeruantes vtique eam perpetuam.idque eſt quod ait, *Et viuet* (intelligit autem hoc verbo ſingularem alacritatem & iucunditatem) *cor eorum in ſæculum.* Si iam hæc tanta fuit populo Dei lætitia,tantum feſtum,tanta iucunditas,reſtituto veræ religionis cultu multis adhuc ceremoniarum vmbris velato,& confirmato Rege qui externè tantùm iudicium & iuſtitiam faciebat:qua iam nos decet voluptate affici,quod gaudium gaudere,qua lætitia exultare, quibus contigit viuifico illi epulo adhiberi carnis & ſanguinis Ieſu Chriſti: quibus qui veſcitur, verè illis partam ſibi æternam vitam credens,eſurire aut ſitire nunquam poteſt,ſed manere in Domino,& Dominum in ſe manentem habere,æternúmque viuere neceſſe eſt: Hoc beatum epulum in ſacra Euchariſtia,vbi illam Sancti habent, non tam repræſentatur, quàm geritur: id quod eorum animi probè experiuntur,quum mortem ſibi manducent qui ſumunt indignè. Ecquid illa aliud quàm feſta quædam gratulatio eſt,pro inauguratione & exaltatione regis noſtri Ieſu Chriſti: Dum enim mortem eius prædicamus,dum in quantam poteſtatem ab illa exaltatus eſt, commemoramus, certè id celebramus quo æterna noſtra redemptio & ſalus cõſtat,quo Dei ſuper nos bonitas ita declarata eſt vt nulla re potuerit amplius. Recordamur ſiquidem, in Dei nos filios & hæredes adoptatos. Porrò ſiquis nõ putet hìc alluſum ad epulum ſacrum quod Rex populo in inſigni illo,deducta Ieruſchalaim Arca, feſto dedit, & malit de omnifaria rerum copia quæ populo fuit,quum Dauid in regno eſſet cõfirmatus,hæc intelligere,cũ eo nolim contendere. Quanquam mihi prior interpretatio ideo potius arridet,quòd Pſalmus,Eccleſiæ & cõcionis meminit, in qua ſemper ſacras epulas haberi ex Lege fuit ſolitum, præſertim quum de Dei beneficiis gratias populus ageret. Abraham Ezra agnoſcit hìc publicam populi lætitiam deſcribi: Kimhi prædictum putat fore vt Iudæi olim bonis hoſtiũ ſuorum fruãtur, quũ præſens eorum exiliũ fuerit finitum.

De epulo Chriſti.

Epulum regium & ſacrum.

28 *Recordabuntur & redibunt ad Iehouam omnes fines terræ, & adorent coram te omnes familiæ Gentium.*

29 *Nam regnum Iehouæ eſt, & ſupmoderator eſt in Gentibus.*

30 *Edent, & ſupplices erunt omnes pingues terræ, coram ipſo curuabunt ſe quicunque in puluerem deſcendunt, & anima eorum non viuet.* Gentium conuerſio,quæ reuelato Chriſti regno facta eſt,regnãte autem Dauide & Schlomoh, qui à flumine AEgypti ad Euphratem vſque, à mari vſque ad vltimos fines Syriæ imperarunt,adumbrata fuit, his verſibus prædicitur. Plurimi ſiquidem Gentium non ex iis ſolùm qui intra regni Iudaici pomeria tum habitabant,ſed è longinquis etiam orbis regionibus, exciti fama horum regum qui inauditæ cuiuſdam ſapientiæ & fœlicitatis vbique celebres erant, non paucos adueniſſe Ieruſalem,& Deum verum agnouiſſe, veriſimile eſt,quãdo reginam Scheba mulierem,tantum iter ad inuiſendum Schlomoh ſuſcepiſſe legimus. Canit autem verſus 28,Recordabũtur vel memores erũt,& reuertentur ad Iehouã omnes fines terræ,&c. Eo quòd Vates ait, *Omnes fines terræ,& cunctæ nationes Gentium,* pio ſatis liquet,hic nõ de ſuo,ſed Chriſti regno ceciniſſe. Quod autem dixit, *recordabuntur, redibunt,* ad id reſpexit,quod Gentes Iehouæ veri & vnici Dei cognitionem & religionem primùm habuerunt, quæ reſtituenda eis fuit per Chriſtum. Id verò ſtatim Apoſtolorũ tẽpore ita impletũ fuit, vt Paulus in Epiſtola ad Coloſſenſes gloriatus ſit, iam tũ omni creaturæ ſub cælo Euangeliũ fuiſſe annũtiatum, & fructum feciſſe: peruaſerat ſiquidem tum præcipuas orbis regiones. Etſi verò omnes dicat Gẽtium familias,nemo tamẽ intelligat niſi electos,& Spiritu ſuperno donatos. Sũt enim Chriſto teſte,multi ex diabolo nati,qui vt ſermonẽ veritatis percipere nequeũt,ita regno eius nunquã accedent. Mos eſt Ebrææ,vt omniũ linguarũ, OMNES dicere de multis:quod obſerues contra Origenianos, qui & noſtro ſæculo Chriſti regno negotium faceſſunt. Cauſam cur Gentes reuocandæ ad Deum erant,canit verſu 29, *Quia Iehouæ eſt regnum:* id nihil aliud eſt quàm quod & Paulus ſcripſit, Nõ eſt tantum Iudæorũ,ſed & Gentium Deus. nõ erant igitur Satanæ vſque permittendæ. Et ſanè iã tot ſeculis apud ſolas Gentes,cæcitate

1.Reg.10.a.1. 2.Paralip.9.a.1. Gentes ad Deum reuocatæ.

Euangelium vbique promulgatum Coloſſ.1.d.23.

maiorem Iudæorum partem premente, regnum Dei, quod eſt iuſtitia, gaudium, & pax in Spiritu ſancto, obtinet. Quanquam & ex Gentibus nationes plurimæ per infandum illud portentum, & ipſiſſimum Antichriſtum Machomet, rurſus Satanæ tyrannidi ſubiectæ ſunt. Et apud nos quoque qui de Chriſti adhuc nomine gloriamur, quàm pauci ſunt qui vita, Dei intra ipſos vigere regnum demonſtrent? Iam illud haudquaquam in ſermone (inquit Paulus) ſitum eſt, ſed in virtute. Vbi igitur virtus eius deeſt, vita ſcilicet pendens plena fide à Deo, & per dilectionem ſedulò ſeruiens proximis, in omnibus ſancto decoro & morũ honeſtati ſtudens, fruſtra profectò de eo gloriabuntur propter quaſdam ceremonias, & inane Chriſtianorum nomẽ. Efficiat igitur Rex noſter Chriſtus, qui mundum & principem eius deuicit, vt rurſus cunctæ Gentium familiæ ipſi ſupplices fiãt, nomẽque dẽt ex animo. Verſus 30, ſubobſcurus eſt, eóque variè enarratur. Pingues terræ, opulẽti ſunt. Videtúrque idem hìc prædici quod Pſalmo 45, qui & ipſe de Chriſti regno vaticinium eſt, Filiæ Tyri, & diuites populorum, te muneribus venerabuntur. Itẽ Pſalmo 72, qui idem totus Chriſti regnum canit, Et adorabunt ipſum (vel ſupplices ei erunt) cuncti reges, &c. Quod verò hic canitur, comederunt, vel comedent: quoniam cum ſupplicatione coniunctum eſt, de carnibus ſacrificiorum intelligi poteſt. quanquam & abſurdi nihil ſit ſi de rerum abundantia intelligas. Opulẽtiorum autẽ religionem nominatim hìc, & Pſalmo 45, Vates ideo canere voluit, vt indicaret Spiritus Chriſti efficaciam, quæ vtique multo maior in diuitibus, qui difficilius regnũm Dei ingrediuntur, quàm camelus tranſeat foramen acus, quàm in afflictis & miſeris declaratur. Altera verſus huius particula nõ minus ambigua eſt: ad verbum habetur, Incuruabũt, ſubaudi ſe, & reuerentiam teſtabuntur: omnes deſcendentes in limum, animam ſuam non viuificauit. Rabi Schlomoh de mortuis intelligit: quam interpretationem non illubens ſequor, quia indubitatum eſt hìc amplitudinem cani regni Chriſti, cui etiam ſe flectunt genua καταχθονίων, id eſt eorum qui ſub terra ſunt. Et ipſe de ſe Seruator dixit, Venit hora, & nunc eſt, quum mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint viuent. Et rurſum, Venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem eius, & prodibunt, &c. Hunc ſenſum ſi ſequi libeat, illud, Et animam ſuam non viuificauit, pro Ebrææ linguæ conſuetudine ſic accipiendum eſt, Et quorum nemo animæ ſuæ potuit vitam ſeruare, vel prorogare. Haud ſcio tamen, quando in priore particula opulentos terræ beatos dixit, num hac altera miſeros & afflictos dicat, qui ob calamitatem ſimiles ſunt iis qui iam ſepulchrum adeunt, & animam ſuam ſeruare nequeunt. At quia iuxta priorem ſenſum amplius Chriſti gloria hìc prædicatur, malui *eum* in verſione ponere. *Roma. 14.17.* *Ad Machometem defectio.* *Qui pingues terræ.* *Et mortui Chriſtũ adorant.*

31 *Semen ſeruiet ei, numerabitur Iehouæ in generationem.*

32 *Venient, & annuntiabunt iuſtitiã eius: populo qui naſcetur, quia fecit.* Eccleſiæ Chriſti perpetuitas hìc prædicta eſt. Nam quod canit, Semen ſeruiet ei: idem eſt quod, Poſteritas credentium addicta erit Iehouæ, eadem accenſebitur Domino, habebitur illius populus. iuxta illud, Et dicent de illis, Populus Iehouæ. Poſſet hic verſus & ſic legi, Poſteritas ſeruiet ei, accenſebitur illi in familiã, vt דור non pro tempore, ſed natione accipias, vti in verſu 6, Pſalmi 24, Hæc natio inquirẽs Deum. Id autem in perpetuum fore, quod Scripturæ more, *in generationem* dixit, ſequẽti verſu probat: *venient* (inquit) id eſt naſcentur, qui annuntiabunt populo ex ipſis naſcituro iuſtitiam eius, quia fecit: nimirum iuſtitiam, hoc eſt benignitatem mirificam præſtitit, redimens eos à ſeruitute Satanæ, & donans beata libertate regni cæleſtis. Idem ſiquidem eſt acſi dixiſſet, Annuntiabunt iuſtitiam quam fecit. Hinc verò diſcendum quid iuſtitia Dei dicatur, vtique bonitas eius. Vt nanque Latini iuſtitiæ nomine omnem virtutẽ, ita & Ebræi ſummam morum rectitudinem, & abſolutam bonitatem ſic vocant. Non igitur è Scriptura habent quòd quidam iuſtitiam à miſericordia diſtinguunt, quaſi hæc, ſit vltronea bonitas: illa, iuris ſeueritas. hæc enim iudicii, non iuſtitiæ nomine in Scripturis appellatur. De hac ſignificantia ſuprà in verſu 11, Pſalmi 5, & in ſequentibus plura. Præterea hinc diſcendum vnde ſit Eccleſiæ perpetuitas, nempe ex Euangelii annuntiatione, quæ à maioribus ad minores continuò tranſmittitur. Fide nanque conſtat Dei familia, ea ex auditu eſt annuntiati Euangelii, quo Dei iuſtitia reuelatur, & prædicatur immenſa illa bonitas, quòd nobis Deus & Pater eſſe voluit, atque huius cauſa Filium ſuum, quo maius nihil habuit, in mortẽ nobis dedit, cum eo nihil nõ donaturus, vt pulchrè Paulus Rom. 8.f.32, colligit. Quid mirũ igitur, vbi Euãgelium non purè annũtiatur, ſoláque Dei iuſtitia prædicatur, regni Dei virtutẽ nullã apparere? Amore Dei ſuper omnia, cũcta ſalus & pietas cõſtat. At quî amabitur ſuper omnia, quũ ignoratur omnia ab ipſo vno bona expectãda? Poſtremò neque hoc prætereundũ, nomẽ אדני, id eſt Adonai, in verſu 31 poſt Iehouæ nomen, quod in verſu 29 præceſſit, ſubiungi, & eo ferè Chriſtũ ſignificari, præſertim quum ſubiungitur אדני, vti fit & Pſalm. 110.a.1, Dixit Iehouah Domino meo: quanquã & ipſo nomine אדני ferè nominari Seruator ſoleat, de quo in præfatione. Ex hac obſeruatione id pia mẽs diſcet, idem Dei & Chriſti regnum hìc celebrari, eóque ipſum eundem Deum & hominem eſſe. Hominis tamen regnum quod in pugna contra peccatum modò, & intercedendo pro nobis a- *Iuſtitia Dei quid.*

pud Patrem adminiſtrat, olim ceſſabit, & Diuinitatis tantùm regnum erit, quando ſcilicet erit Deus omnia in omnibus, de quo Paulus 1.Corinth. 15. d.28. Id maturet Seruator rex & Deus noſter Ieſus Chriſtus. Amen.

PSALMVS XXIII, in genere miſto, ἀρχαστικός.

ARGVM. *Fiduciam in Deum mirificam, & ſecuritatem & fœlicitatem prædicat.*

PARAPH.
1 ODa Dauidis. Iehouah paſtor meus eſt, non egebo.
2 In conſeptis ſoli herbidi facit me accubare, iuxta aquas ſenſim fluentes minat me.
3 Animã meã rẽſtituit, deducit me per ſemitas iuſtitiæ, propter nomẽ ſuum.
4 Etiamſi per mediam mortem eundum ſit, nihil mali timebo: nam tu mihi ades: baculus tuus, & pedum tuum me conſolantur.
5 Inſtrues mihi menſam, aſpicientibus inimicis meis: vnguento caput meum delibutum reddes, calix meus erit abundèpotans.
6 Sed & bonitas, benignitáſque me perſequentur omni æuo meo.
7 Sedebo in domo Iehouæ tempore multo.

ADVERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 P*Salmus Dauidis. Iehouah paſtor meus, non deſtituar.*
2 *In ſtabulis herbæ facit me accubare, mouet me ſuper aquas lenitatum.* Multa admodũ in Scripturis hæc
tranſlatio eſt, qua pii, oues: Deus, paſtor vocatur. Nõ eſt enim aliud pecus quod æquè paſtoris opera indigeat, quod minus ſibiipſi proſpicere poſſit (vnde & Prouerbium natum eſt, Ouilli mores) & tamen iuxtà tanto ſit hominibus vſui. Ita neceſſe eſt hominem prorſus perire, niſi eum ducat, & foueat ſuo Spiritu Deus: quo deſtitutus, nihil carum rerum quibus ſalus conſtat, vel ſuſpicari poteſt. At ſi ſe fidei Cõditoris commiſerit, is eum ſic paſcit, ſic curat, vt & ipſi nihil deſit, & aliis quoque ſit commodo atque fructuoſus, cunctáque eius & dicta & facta aliquam hominibus vtilitatem afferant, propterea quòd à Spiritu Dei cuncta quam optimè diſponentis proficiſcantur. Huiuſmodi ouicula Dauid, vt hac Dei cura & proſpectione ſe planè beatũ agnoſcebat, ita de eo in præſenti Pſalmo canit & gloriatur. *Iehouah* (inquit) *paſtor meus, non egebo*, nihil boni deſiderabo. Verſus 2, mirè eleganti allegoria probat, Deo ſuum paſtorem agente, nihil poſſe ſibi deeſſe. Qui optimè paſcunt greges, ſtabula non longè à paſcuis habẽt, præſertim in Iudæa, cui ſyluarum vmbræ raræ ſunt. Medio enim die, quũ ſæuit æſtus, in vmbrã ducẽdæ ſunt. Vergilius Georgicorũ tertio,

Cur ſancti, oues dicantur.

Paſcendi ratio.

AEſtibus at mediis, vmbroſam exquirere vallem,
Sicubi magna Iouis antiquo robore quercus
Ingentes tendit ramos, aut ſicubi nigrum
Ilicibus crebris ſacra nemus accubat vmbra.

Vergilianus quoque Menalcas caloris incommoda vitare volens, ſic ait,

Cogite oues pueri, ſi lac præceperit æſtus,
Vt nuper, fruſtra preſſabimus vbera palmis.

Vbi itaque nulla arborum inumbratio haberi poteſt, id vicinitate ſeptorum, vel mapaliũ ſarciendum. Quod in Iudæa eo neceſſarium magis, quo regio fẽruidior eſt. Huius verò meridianæ accubationis fit & in Canticis mẽtio, Vbi paſcis, vbi accubas in meridie? Canit ergo de ſuo paſtore ſanctus, quòd faciat ſe accubare in conſeptis vel papilionibus herbidis, id eſt in loco herbido fixis, ne longo itinere fatigari oporteat: quo ſimul & matutini & veſpertini paſcui, & meridianæ quietis curam memorauit. Quàm commodè & ad aquas ducat, quod & ipſum bis in die fieri ſolet, in eo canis quod ſubiungit, *iuxta aquas leniter fluentes minat me*. quo fortè canalium vſum ſubindicauit. De his ita ſcribit Vergilius,

Inde vbi quarta ſitim cæli collegerit hora, &c.
Ad puteos, aut alta greges ad ſtagna iubeto
Currentem ilignis potare canalibus vndam.

Hiſce canalibus ſolent periti rei pecuariæ imponere ſalem, quem redeuntes à paſtu oues lambant, eóque ſapore cupidinem bibendi, paſcendique cõcipiunt. Id præcipit Columella libro ſeptimo, capite tertio. Habet Pſaltes hoc loco, על מי מנחות, id eſt ad aquas lenitatum, hoc eſt lenes, vel etiam commodas, ſuaues. vnde fieri poteſt vt vel & ad has ſalis illecebras, vel certè ad lenitatẽ aquæ infuſam canalibus ſpectarit. Etenim quũ terra Chenaã, è qua ſuas Vates ſimilitudines mutuatus eſt, fluminib' careat, & ideo puteali aqua, quam hauſtã in canales infundebãt, vſos paſtores legimus,

Geneſis,cap.24.25.26,& 30, non ineptè hæc lenitas,de aqua infuſa canalibus intelligenda videtur.
Græcus habet ἀναπαύσεως, quo forſam refocillationē intellexit,quæ potu tēpeſtiuo ouibus paratur.
Verboſius hæc ideo expoſui, vt oſtenderem quàm non careat ſuo artificio & proprietate Pſaltes,
qui etiam à puero gregem paſcendi probè rationem didicerat.

3 *Reſtituit animam meã, deducit me ſemitis iuſtitiæ propter nomen ſuum.* Quod verſu præcedēti per alle-
goriam,idem hìc dicit ſimpliciter,*Animam*, inquit, *meam reſtituit.* Abraham Ezra & Kimhi interpre-
tantur,leniter deducit: quaſi & hoc dicto ad paſtoris indulgentē curam Pſaltes reſpexerit. Nam i-
ſtuc quoque Columella præcipit, vt qui ſequitur gregem,circunſpectus ac vigilās magna clemē-
tia moderetur, idémque duci propior, quàm domino, in cogendis, recipiendiſque ouibus accla-
matione ac baculo minetur,nec vnquam telum emittat,&c. Mihi videtur, quum iam Vates ſim-
plicibus verbis vtatur,& priorem verſuum allegoriã exponat,de ea animæ reſtitutione ac recrea- *Reſtitutio animæ*
tione loqui quam & Legi tribuit Pſalmo 19,verſu 8. Ea eſt certa Diuinæ erga ſe bonitatis fiducia,
quæ penitus mentem refingit, & ſolido eóque iugi gaudio perfundit, vt fidei ſemper Paulus pa-
cem & gaudium aſſociat. Hæc illa vita eſt,quam iuſtus fide ſua,hoc eſt indubitata de fauore Dei er- *Abac. 2.a.4.*
ga ſe perſuaſione viuit,de qua fuſius egi in tractatu de Fide,quem enarrationi Pſalmi 2, ſubiunxi. *rom. 1.b.17.* *galat. 3.b.11.*
Hac itaque fide, fiducia, vita, gaudio, alacritate, quibus animus reſtitutus, reparat', recreatus fuerit, *hebr. 10.g.37.*
eos ducit,agitque in omnibus Spiritus Dei: ſuo enim qui eiuſmodi ſunt, renuntiatur. De hoc du
ctu,actúque Vates canit,quum ait, *Deducet me in ſemitis iuſtitiæ.* hoc eſt ita format, ita regit, vt iuſtitiæ
totus ſtudeam,omnis vita mea cum veritate cōiuncta ſit. Iuſtitiæ enim nomine, Scriptura vitam
per omnia Legi Dei reſpondentem,&omni virtutum numero abſolutam intelligit: de quo, verſu
quinto Pſalmi primi. Hoc itaque verſu & fidem bonorum operum fontem, & ipſa bona opera, *Q vi ſunt Dei.*
quibus nimirum tota iuſtitia, ſalus & fœlicitas continetur, docet: inde vt ſibi, ita & aliis continge-
re,quòd pro ouibus ſuis Deus eos habeat,dignetúrque eorum paſtorem agere. Oues autem agno-
ſcet ſuas,quoſcunque ad id ipſe delegerit: iis dabit & ſe viciſſim agnoſcere atque ſequi.de quo Do-
minus Iohannis 10. b. 16, Alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili, quas adducam,&c. Eo ita-
que intellexit electos,quos adhuc in errore detinebat Ipſius ignorantia,& colligendi illi erãt præ-
dicatione Euangelii: quòd vt germanam paſtoris ſui vocem inde erant agnituri, quòd ipſe ſuum
illis Spiritum erat afflaturus,ac ita eos ſibi ſanctificaturus. Spiritum autem ſuum nulla alia cau-
ſa illis impertiit, aut hodie impertit, quàm quòd ad hãc ſortem eos ante conditum orbem elegit,
deſtinauítque,iuxta illud, Quos prædeſtinauit,eos & vocauit,iuſtificauit,& glorificauit. Rom.8.f.
29. Ob hæc autem neque Sancti ad pietatem coguntur,aut libera voluntate carent: neque repro-
bi habent quod Deo ſuam impietatem imputent. de quo in Tractatu de Libero arbitrio,quē ſub-
ieci explanationi Pſalmi primi.

4 *Etiam quum ingrediar per vallem umbræ mortis, non timebo malum: quia tu mecum: virga tua & pedum tuum
ipſa me conſolata ſunt.* Securitatem canit,quæ iis ſumma eſt qui reſtituto per fidem animo in ſemi
tis iuſtitiæ gradiútur. Diligunt ſiquidem ii Deum,ideo bono eis eſſe omnia oportet, Rom.8.e.28.
Huius quum certi ſint, Satanæ & ſatellitibus eius vniuerſis, quantumlibet furant, medium digi-
tum oſtendunt. Hinc canit,Etiã ſi per mediam mortem eundum ſit, nihil mali metuã. *vallem um-
bræ mortis*, id eſt ſepulchrũ dixit,ſed eo mortis pericula intelligit. Similis fiduciæ verba habet Pſal-
mus 27. d.11: cauſámque huius tantæ ſecuritatis & confidētiæ ſubiicit, *Quia tu mihi ades, mecum es:* hoc
eſt mei curam præſens geris. Quare ſubiicit, *Baculus tuus & pedum tuum, ipſa me conſolantur:* hoc eſt tua
deductio,tua paſtoralis cura. Synecdoche enim eſt,vt per inſtrumētum actionē intelligas. Porrò
baculus & pedum idem ſunt: illum שבט,id eſt virgam: hoc משענת, id eſt ſuſtentaculum vocat. ſolent •
enim ſe virga ſua paſtores,dum ſtant,ſuffulcire. Vt geminationis gratiam nō præterirē, *baculum &
pedum* reddidi: ſed vt dixi, nihil vtroque, quàm cura & ſedulitas paſtoralis ſignificatur. Hinc dicit
ſe in quãlibet ancipiti periculo per illa conſolari. Neque enim ſic ducit paſtor Deus, vt nihil me- *Quæ ſanctorum*
tuendum ſit, néve incidat etiam quod carnem vrat: ad quid alioqui meminiſſet conſolationis? ſed *ſecuritas.*
ſic omnia attemperat,ſic beneuolentiæ ſuæ eos qui ſibi fidunt,certos reddit,vt dum cogitant ſub
quo paſtore agant, dum plus quàm paternæ eius prouidentiæ in mentem venit, hoc eſt dum ba-
culi & pedi huius paſtoris recordantur: ea illis accedat conſolatio,ea ſpe erigantur,vt nihil pericu
li non contemnant, nullum infortunium non æqui conſulant, ſiquid etiam morte durius pre-
meret. Hanc expertus conſolationem Paulus fuit, quum diceret, Perſuaſus ſum quòd nec mors, *Rom 8.g.38.*
nec vita,nec Angeli,nec Principat', nec Poteſtates,nec inſtãtia, nec futura,nec celſitudo,nec pro-
funditas,nec vlla alia creatura, poterit nos à dilectione Dei,quæ per Chriſtum nobis exhibita eſt,
ſeparare. Chaldæus per virgam & baculum hìc intelligit caſtigationes rectas Dei,& Legem.

5 *Parabis corã me menſam in conſpectu infeſtatorũ meorũ, impinguabis unguento caput meũ, calix meus perpotans.*
Omnium rerum copia, ſolidáque fœlicitate, rumpentibus inimicis, abundare ſe, paſcente Deo,

Luc 22.c.29. altera allegotia canit. Ea & Seruator vſus eſt in Luca, quum diceret diſcipulis, En trado vobis ius regni, vt illud mihi Pater tradidit, vt edatis & bibatis ſuper menſam meã in regno meo. In lautioribus verò conuiuiis & vnguenta olim, præſertim in Paleſtina, adhibebantur, quod & Lucæ 7.g.46, indicatur: ideo & olei & vnguenti meminit. Porrò menſam parandam ſibi canit in conſpectu inimicorum, quæ ſecuritatis & fœlicitatis quædam amplificatio eſt. Adeò nanque ex Dei beneuolentia tutum ſe & ſecurum fore prædicat, vt videntibus inimicis ſuis, nec potẽtibus iam quicquã laceſſere, epulaturus ſit, & planè deliciatur. Et quæ lautitiæ, quæ deliciæ, quæ voluptas queat conferri iucunditati & gaudio quo fruitur animus de Dei erga ſe fauore & cura ad veritatem perſuaſus? Eiuſmodi ſanè nihil præter ea quæ vltrò illi ſuppeditat Deus, cupit, vt & nulla re eget: & quæcunque adſunt, ſibi æternæ ſaluti indubitatò nouit, vidétque vniuerſam creaturam ſuis vſibus pronam inſeruire, etiam hoſtes, & eos tum maximè, quum ipſi ſe putãt eum penitus perdere. Quid iam huic videatur aliud, quàm ſe in ſumma rerum tranquillitate, omniúmque bonorum affluentia, ſuauiſſimè epulari & deliciari, aſpicientibus, & inuidia tabeſcentibus cunctis inimicis ſuis, quos nullos habet niſi qui iidem & Dei hoſtes, & deplorati quidem exiſtunt? Deo ſiquidem ipſo (cuius vel tenuis guſtus, omnem quæ ex creatutis voluptas percipitur, tanto ſuperat, quanto ipſe creaturas) cor ſic perſuaſum fruitur, vnde non poteſt non & pleno & ſempiterno gaudio gaudere. Sic verò affectum, cor bonum rectè dicetur: id quod Schlomoh perpetuò conuiuio aſſimilat, Prouerb.15.b.15.

6 *Sed & bonitas & benignitas proſequentur me omnibus diebus uitæ meæ, & habitabo in domo Iehouæ ad longitudinem dierum.* Quæ verſus quintus allegoricẽs, per inſtructam menſam, delicias vnguenti, & copiam vini, eadem hic verſus ſimpliciter canit: addens tantæ fœlicitatis perpetuitatem. Inſignis verò auxeſis eſt in verbo *proſequentur*. Homines alioqui perſequuntur fœlicitatem: Sanctos autem, & qui Deo ſeſe crediderũt, perſequitur fœlicitas. nec tanto ſtudio illi, vt bene eis ſit, quærũt, quanto Deus, vt bene eis faciat. Idque nõ breui aliquo tẽpore, vti ſolent homines, ſed omni æuo: quemadmodum & illi Diuinæ ſe prouidentiæ nunquam ſubducunt, æternum in domo Domini ſedentes, hoc eſt inter oues eius, in Eccleſia eius, fide ſyncera, charitatéque ſedula vitam degentes. De hac domo Dei Pſaltem loqui, id ſatis declarat, quòd habitaturum in illa ſe dicat in lõgitudinem dierum, hoc eſt tempore plurimo. Quum autem apud Tabernaculum fœderis Eccleſia Dei tum conueniret, eſſétque illic publicus prædicandi nominis Dei, diſcẽdæque Legis eius locus: & in illo frequens aderat. vti ſacros cœtus, quicunque Deum verè amant, colunt ſtudioſiſſimè, de quo in verſu ſeptimo Pſalmi ſequentis pluta. Kimhi hæc vt precationem legit. ſed quum totus Pſalmus velut gloriatio quædam ſit de fœlicitate, quæ eſt à cura & proſpectione Dei pendentibus, viſum eſt & eum verſum ad eum modum interpretari. Abraham Ezra in hoc verſu *bonitatem* & *benignitatem* intelligit, quam Sanctus polliceatur ſe in animo ſuo cuſtoditurum, & ſtudioſiſſimè exhibiturum aliis. hoc quidẽ ſummopere curant verè Sancti. At quia cum copulatiua hic verſus iungitur priori, exiſtimo in eo Vatẽ voluiſſe canere verbis ſimplicibus, quod præcedenti cecinerat tropicis. qui illi mos ferè perpetuus eſt. Breuis hic Pſalmus eſt: at ſiquis ſingula pia curioſitate veſtiget, indubiè videbit totam Sanctæ & beatæ vitæ rationem, graphicè in eo deſcriptam. Dominus det videndi eam oculos, & cor omni ſtudio complectendi. Amen.

PSALMVS XXIIII, in genere miſto διδακτικός.

ARGVM. *Quũ Dominus ſpectro Angeli cædentis, oraculo uatis Gad, denique acceptatione holocauſtorum, igni immiſſo cælitus, Dauidi demonſtraſſet aream Areunæ Iebuſæi, quæ in monte Moria erat, locum eſſe in quo uellet ſibi templum extrui: admonitus hinc Dauid, incomparabilis Dei erga Iſraelitas bonitatis, inter quos ſedem ſibi peculiarem delegerat, quũ omnis tamen terra, cunctique mortales eius opificium ſint, canit quibus uerè in loco ſancto Dei locus pateat, quæ uerè Dei natio apud quam Deus habitare dignetur. Tum ad extructionem templi hortatur, Dei omnipotentis præſentiam, per Arcam fœderis in eo reponendam, pollicens.*

PARAPH. 1 ODa Dauidis. Iehouæ terra eſt, & quicquid ea continet, orbis: & qui eum inhabitant.

2 Nam in mari fundamenta eius poſuit, & fluminibus ſuperſtruxit illum.

3 Quis conſcendet montem Iehouæ? aut quis in loco ſancto eius conſiſtet?

4 Factis purus, & corde mundus, qui animum ſuum ad vanitatem non extulerit, ínque fraudem non iurauerit.

5 Is beneficentia Iehouæ, & iuſtitia Dei ſeruatoris ſui fruetur.

6 Hæc natio eſt eorũ qui ipſi ſtudẽt, qui te quærunt, nẽpe verus Iaacob. Selah.

7 Attollite vos ô portæ, attollimini fores ſempiternæ, & ingredietur rex ille glorioſus.

8 Quis iſte rex, ille glorioſus? Iehouah fortis, & virtute inſignis, Iehouah virtute inſignis bellica.

9 Attollite vos ô portæ, attollimini fores ſempiternæ, & ingredietur rex ille glorioſus.

10 Quis hic iſte rex, ille glorioſus? Iehouah Sebaoth, is rex eſt ille glorioſus. Selah.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Dauidis Pſalmus. Iehouæ eſt terra & plenitudo eius, orbis & habitantes in eo:*
2 *Quoniam ipſe ſuper maria fundauit eum, ſuper flumina conſtituit eum.*
3 *Quis aſcendet in montem Iehouæ? & quis ſtabit in loco ſancto eius?* Admiratio eſt in tribus primis verſibus, dignationis Dei erga populum Iiſraeli & ſimul inſinuatio, non omnes eſſe Iiſraelitas qui dicuntur: nec in montem Domini venire, quicunque corpore illò accedunt. id quod ſequētibus verſibus plenius ediſſerit. Videbat iam Dominum certò ſtatuiſſe, peculiari numine populo Iiſraeli adeſſe, poſtquam tantis indiciis locum indicauerat vbi ſibi templum extrueretur, & vt illud ſibi Schlomoh extrueret, tantas opes & copias, tantámque pacem dediſſet, tum ſeruaturum hæc ſe & aucturum promiſiſſet, de quibus legimus 1. Paralip. 21. 22. 28. 29. Hac ergo Diuinæ bonitatis ſuper populum & domum ſuam cōſideratione Dauid accenſus, cecinit, Iehouæ eſt terra, &c. hoc eſt, Omnis terra & quicquid ea continet, vniuerſus orbis, & quicunque in illo homines viuunt, Iehouæ ſunt, qui ex nihilo omnia condidit, mirificéque ſeruat: quandoquidem tanta terræ moles aquis nititur, nec tamen pro naturæ ſuæ ratione mergitur. Quum itaque cuncti mortales eius figmentum ſint, non ſolus Iiſrael, quàm ſtupenda eſt eius erga nos tanta dignatio, vt nos peculiariter in ſuum populum, ínque medio noſtri ſedem ſibi delegerit? Sed ô Deus, vt non ſunt Iiſraelitæ quicunque hoc nomine gloriantur: & non perueniunt in montem tuum, quicunque huc corpore commeāt. *Qui sit in montem Dei aſcendat.* neque enim Iiſraelitam facit vel à ſanctis progenitum eſſe parentibus, vel Iiſraelitis in loco ſancto aſſociari. Quis ergo verè aſcendet in montem Iehouæ illum cæleſtem? quis conſiſtet in loco verè ſancto, & ex numine eius auguſto, vbi abeſt omnis vt peccati, ita & miſeriæ contaminatio: adeſt verò cum ſolida iuſtitia, tum plena fœlicitas, iuſtum Diuinitatis conſortium? In hunc ſiquidem montem venient quicunque veri Iudæi ſunt, & corda habent circunciſa. Nam mons Moriah, in quem circunciſi carne erant aduenturi, erat vmbra quædam montis verè Dei, & loci verè Sācti, in quem nemo niſi fide, qua ſe Deo prorſus cōcredat, peruenit. Hac qui præditi ſunt, montis huius inquilini ſunt, germaníque loci ſancti ciues, vbicunque corpore agant. In his enim verè Deus præſēs eſt, viuit, & agit. Vnde ſēſus tertii verſus eſt, Quū vniuerſi mortales Domini ſint, peculiariter autem Iiſraelitæ, ſcio tamen non ſolùm non vniuerſos mortales, ſed neque Iiſraelitas, in monte eius locum habituros. Quibus ergo verè id dabitur, vt in montem Domini aſcendant, & in loco Sancto eius habitent? In verſu ſecundo obſeruandum paradoxon, quo inſignitè Dei potentia prædicatur. *Miraculum terræ fundatæ in aquis.* AEdificaturi homines, operam dant vt fundamenta ponanr in loco ſolido & immoto: contrà autem Dominus tantam orbis machinam ſuperſtruxir mari & fluminibus. *flumina* addidit, quòd cuncta è terra flumina ebulliant. Hoc miraculum pluribus canit Pſalmus 104. & admodum eleganter Iiob 38. a. 4: ſic enim inducit ſibi Deum loquutum, Vbi eras, quum fundarem terram? eloquere, ſi quidem eſt tibi rāta intelligētia. Quis poſuit menſuras eius, ſi quidem noſti? aut quis extendit ſuper eam regulam? In quo ſunt fixæ baſes eius? aut quis vidit lapidem anguli eius? & reliqua. Si verò daretur, vel huic vni Diuinæ potentiæ miraculo planè fidem habere, & ipſum dignè conſiderare, quantus quæſo eſſet apud nos Dei timor & obſeruantia, quantum pietatis ſtudium? Quis enim nō ſummopere ſuſpiciat colátque eum, in cuius planè manu ſeſe cōtineri certò ſciat? Qua eſt reuerentia, qua authoritate iis qui naui feruntur, gubernator, qui tamen illos perdere non poteſt, niſi vnà pereat & ipſe? Iam Deus nullo ſuo damno demergere aquis orbem poteſt, quem aquis inſidentem vnus ſuſtentat. Sed quid hoc ſolum Diuinæ potētiæ miraculum perpendimus, tametſi vnum ritè perpenſum omnino pietatem abſolueret? Illico deflueremus in pugnantiſſima elementa quibus compacti ſumus: momento euaneſceret ſpiritus quo viuimus: nutu inciderent, & præfocarent ſupernè imminentes aquæ, niſi ſeruaret Deus: & quis numeret quot rationibus eius omnipotentiam experiamur? Adhuc tantus eſt carnis noſtræ ſtupor, vt quemlibet perſonarum vermiculum, aliqua hominum opinione inflatum, pluſquam Deum, fictorem, conſeruatorem, vitæ necíſque Dominum miremur, ſuſpiciamus, metuamus.

4 *Mundus manibus & purus corde, qui non aſſumit ad uanitatem animam meam, & non iurauit ad fraudem:*
5 *Auferet beneficium à Iehouah, & iuſtitiam à Deo ſalutis ſuæ.*
6 *Iſta natio inquirentium eum, requirentium faciem tuam Iaacob. Selah.* Ad interrogationem verſus ter

tii habent hi tres reſponſionem. Primus, hominem corde, ore, & factis integrum deſcribit. N. m purum manibus eum dicit, qui innocens factis, & in actionibus ſuis ſit abſque labe prauitatis. Mundum verò corde, qui etiam nullum admittat in animum peruerſum conſilium aut affectum. Oris veritatem ſequentibus exprimit, *Non aſſumit ad uanitatem animam ſuam.* Varia hic lectio eſt. Nã quædam exemplaria habent נפשי, quædam נפשו, ſed punctatum cum hirik, vt appareat ו pro י poſitum eſſe. Hinc Rabi Schlomoh, Abraham Ezra, & D. Kimhi in hac verſus huius particula Deũ loqui intelligũt, & aſſumere animam Dei idem eſſe aiunt, atque iurare per animam Dei, vt נפשי vel נפשו hìc accipiatur ſicut in illo Decalogi לא תשא את שם יהוה, quod verti ſolet, Ne aſſumas nomen Iehouæ Dei tui invanum. Idem autem eſt quod, Nihil falſi per nomen Iehouæ affirmes, Exodi 20. h. 7. Adducunt præterea illud Iirmeiah 51. b. 14, & Amos 6. b. 8, Et iurauit Iehouah בנפשו, id eſt per animam ſuam, hoc eſt per ſeipſum. Hic ſenſus cum phraſi Scripturæ ſatis conuenit: quæ vbique ſanè inter prima innocentiæ officia ponit, non iurare falſum, vel in fraudem: tum geminationis ſchema, quo idem ſenſus variatis verbis repetitur, vbique vſurpatur. Nemo verò putet vulgarem virtutem eſſe, nihil per Dei nomen, vel animam, hoc eſt per Deum ipſum, aut nominis eius inuocationem, falſum affirmare. Nec enim ea quiſquam valebit, niſi Dei numen vbique verè præſens, & omnium iudicem agnouerit: id quod ſolis verè credentibus datum eſt. Quare etiam hoc præceptum ſtatim poſt duo quæ fidem in Deum præcipiunt, poſitum eſt. Primùm enim omnium in ſalute noſtra eſt, credere vnum Iehouah Deum noſtrum, à quo vt Patres liberationem ex AEgypto, & quæcunque eis ſecunda obuenerunt, ita omnes omnia bona percipimus: id quod primo ex decem verbis docetur, eo videlicet, Ego Iehouah ſum Deus tuus, qui eduxi te è terra AEgypti. Et proximum, Nullum factitium numen Deo vero coniungere: id quod humana vecordia ſemper ſolet, aut certè verum Deum commentitiis ceremoniis colere, quibus ipſis ſic fidere homines ſolẽt vt à Dei bonitate non purè pendeant, & eiuſmodi ceremoniis ferè quærãt iram Dei, quam deprauatè viuendo mereri ſe ſentiũt, placare: quæ maior omni cogitatione, Dei contumelia eſt. Tum enim ſolida fides eſt, quum per omnia Deo nitimur, & eo ſolo, nihil prorſus fiduciæ in creaturas deriuantes. Ex hac deinde tertium illud, quod tertio præcepto traditum eſt naſcitur, vt fallere numen Dei, quem verum, vbique præſentem, & omnium iudicem adoramus, in animum inducere nunquam ſuſtineamus. Inditum ſiquidem natura hominibus eſt, vt in iis quæ humanam conſcientiam ſubterfugiunt, Deum teſtem & iudicem inuocemus. Hic ergo qui omnem à ſe fallaciam remouet, id de Deo ſentit quod oportet: & dum per eius nomen iurat, idẽ ore confitetur. Inde Scriptura Sanctis, & maximè Chriſtianis iurare per nomẽ Iehouæ, proprium facit: & Theologi idem non immeritò præcipui cultus Dei, quem latriam vocant, portionem fecerunt. Vt igitur in vero per Dei nomen iuramento ſynceræ fidei profeſſio, & quædam Diuinæ gloriæ confeſſio eſt, & ea quidem quæ ſolet eſſe omnium communis, & cumprimis exprompta: ita ex eo Sanctis commendantur quæcunque ore ad Dei gloriam proferri poſſunt. Nã qui Decalogi, ac etiam alia Dei præcepta ritè conſiderarit, is videbit Deum ſolere aliquam, & ferè vulgo notiorem partem officii alicuius exprimere, & ex eo tum reliqua piæ menti intelligenda offerre. Quanquam id ſemper quod Scriptura exprimit, eiuſmodi ſit, vt qui illud verè aſſequatur, huic reliquæ eius vel virtutis, vel officii partes abeſſe non poſſint. In primo dicto videtur Dominus vnum hoc exigere, vt ſe populus eum agnoſceret qui eduxiſſet ipſum ex AEgypto. At non erat hoc vnum Deus: fictorem ac per õmnia moderatorẽ quoque agnoſcere eum oportuit. Verùm qui perſuaſus erat, Iehouam ſola ſua virtute Iiſraelem tantis portentis è terra AEgypti eduxiſſe, is certò ſimul Iehouã Deum, hoc eſt rerum omnium cõditorem & Dominum habuit. Sic qui nullum præter vnum Iehouã numen recipit, & nullum Iehouæ idolum admittit ita vt iſtuc Deus exigit, nempe hac cauſa, quòd ſpiritu & veritate vnum Deum adorat, id quod requirit præceptum ſecundum: hic non ſolùm factitia numina, & vulgatam illam craſſiorẽmque idololatriam, ſed quãlibet etiam ſuperſtitionem vitabit. Ita qui indictum ſacris ceremoniis diem Sabbathi ex fide ſanctificauerit, quod præſcribitur præcepto quarto: is nihil ſacrarum ceremoniarum non pientiſſimè obſeruabit. Nec aliter habẽt ſe & cætera quæ ad proximum præcipuè pertinent. Nam ſicui datum fuerit, ex fide colere parentes, quem primum Deus magiſtratum inſtituit, ei pariter animus erit quemlibet etiam magiſtratum, ita vt Deus poſcit, obſeruare. Ita qui ideo quòd Deus vetat, neminem occidere, nemini furari, nemine abuti ad libidinẽ, neminẽ falſo premere teſtimonio in animũ inducit, quæ ſexto, ſeptimo, & octauo & nono præceptis cauentur: volet, ei nec animus erit vel verbo proximi ſiue vitam, ſiue res, ſiue caſtimoniã, ſiue famã lædere: idque ideo, quia accenſus Spiritu, proximũ verè amabit: atque ideo & vitam & facultates, & corporis ſanctimoniam, & nomen ſalua eſſe ex animo cũ-

Ordo & explicatio præceptorum Decalogi.

piet,& vt ſalua ſint,quicquid poterit conferet. Ad eundem modum,quem ſic imbuerit Diuina vis, quæ credentes tenet formátque,vt nulla iam animum ſubeat cupiditas rerum quæ proximus poſſidet, quod decimo præcepto præſcribitur: hic certè perfecto amore proximi præditus, nihil aliud quàm quæ ſaluti proximo ſint quæret, Legémque eo penitus implebit. Ad eundem modum & aliis in locis Scriptura ſynecdoche vti ſolet,vt per expreſſam aliquam officii partem,reliquas ſignificet: quæ nimirum abeſſe nequeunt vbi illa quam Scriptura nominatim præcipit,obtinuerit. Sic iam in præſenti,vbi animus defuerit iuramento fallendi proximū,eiuſcemodi veritatis ſtudium aderit,eáque proximi dilectio, vt nullo prorſus verbulo lædere proximū ſuſtineas. Quemadmodum ergo ſimplicius eſt,hìc נשא נפש, per iurare per animā, hoc eſt aſſumere animam in iuramentum,interpretari ad hunc modum præſentem particulā cum Ebræis malo. At ſiquis, quòd ſcriptum ſit נפשו animam eius vel ſuam legere malit,ſenſus erit authore Kimhi, Non iurabit falſum per animam ſuam,vt intelligas tam verum, vt nō ſolùm non per Dei animam, ſed ne per ſuam quidem peieret. Huic ſenſui conſentire videtur Chaldæus: habet enim, Qui non iurat falſò ad obſtringendam animā ſuam. D. Hieronymus habet,Non exaltauit fruſtra animā ſuam. נשא enim exaltare ſignificat. Sed שוא vanitatē & mentiendi leuitatem ſignificat,non fruſtra. Græcus tamen שוא ita vt Hieronymus accepit, ὃς οὐκ ἔλαβεν ἐπὶ ματαίῳ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, id eſt, Qui non accepit in vano animā ſuam. Ebræi,vt dixi,pro ſe habent phraſim Scripturæ,quare malim eos ſequi. Quanquam ſiquis verbis potius,quàm vſui verborum in Scripturis celebri inhærere velit,poſſit hūc locum etiam ſic accipere,Qui animā ſuam nō extulerit ad vanitatem: id eſt vt vana cum proximo ſuo loquatur in animum nunquā induxerit,& in fraudem nunquā iurauerit. Quanquam autem varia ſint oris peccata, falſitatis tamen & fraudis tantùm meminit, eo quòd nihil poſſit aliorum adeſſe,ſi hoc vere deſit. Nam tum demum planè deerit, quū linguam moderabitur proximi dilectio,totius Legis perfectrix. Ea vbi obtinet,efficit vt nihil penitus homo loqui ſuſtineat quod nō ſit ſaluti proximo. Proinde ſi fallendi deerit animus, aderit dilectio: ea cauere tum faciet non ſolùm vanitatis & doli,ſed quoſcunque ſermones nullam bonam frugem proximo adferentes. Caput igitur peruerſi oris præſcindit, dum eum requirit qui nolit fallere. In eo ergo quod canit, qui ad vanitatem animum ſuum non extulerit, ſi hunc ſenſum probes, Vates ſimplicem fallaciam & verborum vanitatem intelligit. eo autem quod adiecit, Et in fraudem non iurauerit: cum iuramento obtruſa notata erit: eritque, vt in verſu primo Pſalmi primi, incrementum, ſed inuerſo ordine. plus ſiquidem eſt iuramēto fallere,quàm ſimpliciter. Nos diceremus, qui falſò non iurauerit, imò nec iniuratus vana dixerit. Verùm ratio incrementi huiuſce patebit, ſi ſic efficias, Qui nihil vani proximo fuerit loquutus, multo minus falſò iurauerit. Vtcunque verò hæc habeant, id ſatis liquet, quòd reſponſionis ad verſum 3, ſumma, quam his tribus cōprehendit, hæc ſit, Qui innocens factis, corde purus, omnis praui affectus expers, ore verus, hoc eſt per omnia ad Legem Dei formatus fuerit, ille in montem Dei verè aſcendet,& in loco ſancto, in vera filiorū Dei Eccleſia verſabitur: hoc eſt vt canit verſus quintus, Percipiet ab Iehouah beneficia, iuſtitiæq; eius donis fruetur. De ברכה, quam benedictionem vulgò vertunt, dixi in verſum 4, Pſalmi 21. De iuſtitia autem Dei, id eſt bonitate qua ſuos refingit, deducit, ſaluos reddit,& verè iuſtum, hoc eſt omni virtute abſolutum ſeſe illi præſtat, dixi nonnihil in verſu 9, Pſalmi 5: & in verſu vltimo Pſalmi 22. His vtique ſoli ii fruuntur qui ea iuſtitia præditi ſunt quā poſcit verſu 4. Neque enim alia hominis ſalus & fœlicitas eſt, quàm eſſe vitæ inculpatæ, Legique Dei per omnia reſpondentis. Neque aliis denique Iehouah verè Deus & Seruator eſt, ſolíque qui huiuſmodi ſunt, verè eius populus (id quod canit verſu 6) exiſtunt. Hæc eſt natio inquirens eum, id eſt eorum qui ipſius ſtudio tenentur, qui colendi eius ſunt ſoliciti, qui faciē eius inquirunt, hoc eſt anxiè quærūt vt ei placeant. Atque ii demum verè Iaacob & Iiſrael vocantur. Selah adiectum, monet vt idipſum probè perpendamus: ſolos nempe Dei obſeruātes, ſerióque ſtudioſos, veros filios Iaacob, verum Dei populum haberi, neque alios in montem Dei peruenire, quocunque corpore accedant. Nomine Iaacob totū Dei populū ſignificari, teſtatur verſus vlt. Pſal. 14. & verſ. 2. Pſalmi 20: & Ieſcha. 44. a. 1, aliáque loca quamplurima. Cæterùm montis Dei incolas, nonniſi ſanctos corde, ore, factis fore: quia ſoli hi benedictione & ſaluatrice iuſtitia Dei fruuntur, vt ſoli natio, familiáque Dei ſtudioſa, verúſque Iaacob exiſtūt. Id inquam obſeruent cum Iudæis de carne & ſanguine fruſtra gloriantes,& ii qui Chriſti eſſe ſe iactant, quū tamen nihil penitus Chriſti in vita ſua præ ſe ferant. Illis Chriſtus dixit, filios eſſe diaboli, cuius nimirū opera facerent: his dicturum ſe prædixit, Amen dico vobis, nunquam noui vos, etiam quū in nomine eius prophetauerint, dæmonia eiecerint,& virtutes multas fecerint, nec ſolùm ceremoniis initiati fuerint. Hinc & Hieronymus, Non ſunt Sanctorum filii, qui tenent loca Sanctorum, ſed qui exercent opera eorum. Et Gregorius, Non loca vel ordines Creatori noſtro nos proximos faciunt, ſed nos aut merita bona ei coniungunt, aut mala diſiungunt. De his plura in Pſal. 15.

7 *Attollite ô portæ capita veſtra, & attollimini fores æternæ, & ingredietur rex gloriæ.*
8 *Quis iſte rex gloriæ? Iehouah validus & heros, Iehouah heros belli.*
9 *Attollite ô portæ capita veſtra, & attollimini fores æternæ, & ingredietur rex gloriæ.*
10 *Quis iſte rex gloriæ? Iehouah Sebaoth, hic rex gloriæ Selah.* His verſibus hortatur ad extructionē templi:& per proſopopœiam ipſum templum,& nomine portarum & foriū, v ſus ſynecdoche, appellat. Ita Pſalmo 9, verſu 15, per portas Sion idem ſignificauit, O portæ, inquit, templi, attollite capita veſtra: id eſt extruimini. ô fores attollimini, id eſt exurgite, vt inferatur per vos Arca fœderis.

Quare portæ dictæ ſempiternæ.

Sempiternas vocat, quòd intra templum Area iam fixa permāſura erat, non vt antea, de loco in locum transferenda: id quod Dominus Dauidi, 2. Schmu. 7. h. 10, promiſiſſe legitur. Antea nanque in deſerto ſæpius locū mutauerat, poſtea è deſerto in Gilgal, è Gilgal in Schiloh, inde in terram Philiſtiim, ex ea in Bethſchemeſch, inde Kiriathiarim, ex hac in domum Obed-ædom: inde in ciuitatem Dauid, vt ex hac in templū delata fuerat. In templo autem, vſque ad excidium vrbis perſtitit. Vnde & Schlomoh dicebat, Aedificans ædificaui domum in qua permaneres, locum vbi habitares עולמים, id eſt per ſæcula, 1. Regū. 8. b. 13. Cauſam cur deberet cupidè hæc Dei domus extrui, adiunxit, Ingredietur rex: quo ſic Arcam vocauit, eo quòd Dominus promiſiſſet ſe inter Cherubim habitare, hoc eſt preces orantiū audire, & ad optata reſpōdere. Hinc & Iehoſuah 3. c. 11, eadem vocatur Dominus vniuerſæ terræ: & 2. Schm. 6. a. 2, de ea ſcribitur, Cuius nomen vocatur nomen Iehouæ Sebaoth habitantis inter Cherubim ſuper eā. Et Num. 10. d. 35, legimus, quum Arca proficiſcebatur, dixiſſe Moſcheh, Exurge ô Iehouah, & diſſiciātur hoſtes tui, fugentur abs te oſores tui. Et quum reponeretur, dicebat, Reuertere ô Iehouah ad myriades milliū Iiſrael. Vt illic ergo Moſcheh, quū Area attollebatur & reponebatur, eam nomine Domini alloquutus eſt: ita hîc Dauid, quū inferendam templo dicere vellet, vt plenius Dei beneficium exprimeret, dixit ipſum Dominum illud ingreſſurū. Erat ſiquidem Dominus pollicitus populo, dignationis ſuæ præſentiam peculiariter ab illa ſe exhibiturum. Hanc verò Dei præſentiam quo Pſaltes magis explicaret, ſubiunxit velut portarū interrogationem, Quis eſt iſte rex, ille glorioſus: hoc eſt Diuina maieſtate verendus? huicque reſpōdet, Iehouah præualidus, potēs, & fortis heros, Iehoua heros bellator. Quod bis dixit Iehouah, &c. flagrantē pietate, & Diuinæ ſuper Iiſraelē bonitatis admiratione animū indicat. Probè ſiquidē agnoſcebat quanta eſſet Dei in populū Iaacob dignatio, qui tāta cum ſui præſentia dignaretur. De qua & Moſcheh dicebat Deut. 4. a. 7, Quæ gens tā præſtās, cui ita dij ſui adſint, vti adeſt nobis Iehouah Deus noſter, quandocunque eū inuocamus? Eo autē quòd potentem, virtutéque inſignem bellica laudauit, refricare voluit memoriam tam multorum & inſigniuni Diuinæ virtutis miraculorū, quibus Deus hoſtes Iiſraelis deiecit ac perdidit, boniſque illorum ipſum frui dedit, tandémque deuictis cunctis hoſtibus, & finitimis vndique illi ſubiectis, celſiorem vniuerſis regnis effecerat. Videtúrque ſignificare voluiſſe ſimile aliquid illi quod principibus populi dicebat, quū præciperet vt Schlomoh filium ſuum ad ædificandū domum nomini Iehouæ adiuuarent, Nunquid, dicebat, vobiſcum eſt Iehouah Deus veſter, & quietem dedit vobis circunquaque? Nam tradidit in manum meā inhabitatores terræ, & ſubiecta eſt terra Iehouæ & populo eius. Nunc huc incumbite cordibus & animis veſtris, vt Iehouæ Deo veſtro impendiò ſtudeatis: & excitate vos, vt ſacrarium Iehouæ Deo extruatis, cui inferatur Arca fœderis Iehouæ, & vaſa ſancta Dei, quæque ſit domus extructa nomini Iehouæ. Hæc 1. Parali. 22. d. 18. Repetitio verò verſus 7, teſtatur quantopere animus eius ſtudio domus Dei ædificandæ flagrarit. Id quod

Templi ædificādi ſumptus.

Sacra hiſtoria à capite 21, vſque ad finē 1. Paralip. fuſe & clarè deſcribit. Nā memorat vt immenſam materiam cum ipſe Domino ſanctificatam præpararit, tum principes quoque, vt & ipſi plurima conferrent, inuitarit. Ferri, chalybis, & æris tantùm congeſſerat, vt ponderis ratio iniri non poſſet. Cedros quoque abſque numero, auri talenta centum millia, & argēti mille millia talentorum, 1. Parali. 22. c. 14. Præterea gemmas omne genus plurimas: & ex ſelecto auro Ophir, talenta inſuper ter mille, argenti defæcati millia ſeptem ad integendos parietes, præ nimio ſtudio exædificandæ & exornandæ domus Dei obtulerat. Quæ verò principes obtulerunt ab ipſo prouocati, erant auri talentorū quinquaginta millia, & drachmarū centena millia. Argēti verò talenta millena millia, præter ingētem copiam ferri, æris, vel chalybis. Non autem ſola materia quam præparauit, quantum arderet deſiderio extruendi domū Domino, palàm fecit, verùm & ex delectu atque numero opificum, operiſque curatorum. Nam ex ſolis Leuitis delegit millia vigintiquatuor, quos operi domus Iehouæ præfecit. Lapicidarum verò & fabrorum lignariorum immenſus numerus erat, 1. Parali. 22. a. 7, & 23. a. 3. Poſtremò & in eo animi ſui ſtudium teſtatus eſt, quòd quum domus, tum omnium vaſorum quæ illi paranda erant, formam, modū, & pondus, vt à Domino acceperat, filio diligentiſſimè tradidit: atque perſanctè cum principes, tum populum vniuerſum obteſtatus eſt vt filio ad tantum opus optima fide adeſſent, 1. Paralipo. 22. d. 17, & 28. a. 1. Ex hoc itaque tanto ſtudio, tantóque ardore domus nomini Dei extruendæ, ſecundò portas per proſopo-

pœriam, vt capita ſua extollerēt, hoc eſt exædificatæ aſſurgerent, & ſedula ſubſtructione in altum ſubducerentur, in quibus iam perpetuò eſſet Deus habitaturus, nō vt antea locum identidem mutaturus, hortatus eſt. In repetitione reſponſionis omiſit *fortis, & uirtute bellica inſignis*, & dixit pro eo *Sebaoth*: eo ſubindicauit, iam debellatum eſſe, & pacem populo cōtigiſſe, iuxta id quod Dominum ſibi dixiſſe de filio ſuo narrabat, 1. Paralip. 22.b.9. En (dixerat Dominus) filius naſcetur tibi, is erit vir quietus, quietem ei dabo ab hoſtibus ſuis circūquaque. Schlomoh nanque, id eſt pacificus erit nomen eius, pacem & tranquillitatem dabo Iiſrael dum regnabit. Iſte extruet domum nomini meo, &c. Hactenus iuxta hiſtoriam & literam (vt dicitur) verſus iſtos expoſui. Vt autem etiam hoc ipſo Pſalmo Pſaltes non agnoſcit Iiſraelem & populum Dei, niſi qui ſpiritu ſit, & id ſe eſſe vitæ innocentia declaret: ita ſatis liquet, in ſtudio domus terrenæ nequaquā illud ſpectaſſe quod *Neglecta vera pietate, & ceremoniæ poſthabentur.* breui adeò interiit, quódque neminem pium reddere potuit. hoc potius conſiderauit, cultu Dei etiam externo ſartotecto, & iuxta verbum Domini inſtituto, fidem, timorem & obſeruantiā Dei in populo obtinere. Nam ſimulatque fides & obſeruantia Dei in populo labaſcit, & externa iſta negliguntur. neque ab vllo vnquam hæc ritè curata ſunt, cuius animum non ſimul ſyncera Dei religio occuparit. Exemplo ſunt Dauid, Hizkiiah, Ioſchia, & Schlomoh ipſe, quandiu in fidei ſynceritate perſtitit. Idem luculēter verò probat & Propheta Maleachi. Quin & in Corinthiis exem- *Mala.1.b.c.* plum eiuſdem Paulus memorat. Dum hi enim in vera dilectione tepeſcerent, Cœnam quoque *1 Cor 11.d.20.* Domini negligentius celebrabant. Multi ſunt & impii in ceremoniis: at nequaquam in iis quas præſcripſit Deus, ſed quas inuenit ſuperſtitio & carnis cupiditas. Exemplo ſunt Achas & Manaſſch. Dum itaque tempus eſſet vt externum præſentiæ ſuæ ſymbolum Deus haberet in populo Arcam fœderis, velletque ad illam populum ſubinde colligi, & inibi ſui religione imbui: dabat operam pius rex vt ſymbolum eſſet quàm auguſtiſſimum, quo inde & interior Dei cultus incrementa acciperet. Quo nanque verbum Dei audiendi maius in populo ſtudium vigebat, eo nimirum ſpirituale Dei ædificium, quod ipſorū animi erant, perficiebatur. Non minus vtique Schlomone filio ſuo nouit, ne cælis quidem Deum poſſe comprehendi, nullúmque illi ſanctis mentibus gratius templum haberi. Id templi autem vt fide conſtat, & hæc è verbo Dei naſcitur, eodémque alitur, ita iis quas Dominus dederat ceremoniis, eáque loci, quam Dominus requirebat, reuerentia, accendere in populo verbi ſtudium quærebat. Neque enim alius quanlibet ſanctarum ceremoniarum vſus eſſe poteſt, quàm vt verbi Dei reuerentiam ſeruent, & augeant, quæque illo do- *Vſus ceremoniarum ad commendandū verbum.* centur, animo penitus inſidere faciāt. Spiritus ſiquidem Chriſti vnus eſt, qui veritatem cordibus perſuadet, fidéque ſanctificat, & bonorum operum fœcunda reddit. Summa Legis eſt, atque adeò totius ſalutis, Deum ex toto corde diligere: quæ dilectio vitam ad voluntatem eius totā format. *Matth.22.d.40.* quare quæ huc nihil conferunt, & ad promouenda hæc nullū momentum habent, aliena debent eſſe ab vſu Eccleſiæ Chriſti. Videant iam Eccleſiarū proceres, in quem vſum pleraſque ceremonias, & templorum pompam adhibeant. Nihil damno ex Spiritu Deī inſtitutum: ſed moneo, vt quæ huiuſmodi ſint, probè agnoſcantur, & ita vt ab illo inſtituta ſunt adhibeantur. Certè ſi Lex tota & Prophetæ in eo pendent, Diliges Deum ex toto corde, &c. quicquid in hoc nō pendet, à Lege Prophetiſque alienum ſit neceſſe eſt, eóque nec bonū, quando bona omnia in his doceantur, vt Paulus ſcribit 2. Timoth. 3.

DISPVTATIO, AN CHRISTIANO LICEAT IVRARE.

Qnia hîc à ciue regni Dei, falſum tantùm iurare alienum eſſe docetur: & quidam putant, ne verum quidem iurare eſſe Chriſtianorum: nonnihil de hac re dicēdum. Ii qui omnem iuriſiurandi *Chriſtianos decere iuſiurandi.* vſum Chriſtianis prohibitum exiſtimant, eo præcipuè nituntur quod Matthæi 5.f.34, legimus Seruatorem dixiſſe, Vobis autem dico ne omnino iuretis. Sed iſti verba Chriſti haudquaquam rectè intelligunt. Neque enim voluit eo capite Seruator quicquā vetare quod antè Pater præceperat neque enim venerat (vt de ſe initio horū præceptorū ipſe teſtatus eſt) ſolutum Legem: neque etiam vt illi aliquid adiiceret, nam erat perfecta. Lege ſiquidem, dilectionē Dei ex toto corde, &c. mandante, nihil prorſus ſancti præcepti fingi poteſt quod adiici queat. Quid nanque boni ei deſit qui hanc Dei dilectionem ſit conſequutus? Vel ergo ex eo quod ibidem legimus Dominum dixiſſe, Dictum eſt antiquis, Diliges amicū tuum, & odio habebis inimicū tuum: & quòd iuramenta memorat per templum, per cælum, per caput propriū: liquere ſatis poterat, ſua hoc loco Chriſtum dogmata, non Patris præceptis, quæ nec refigi, nec augeri, vel perfici poterant, ſed Phariſæorum deprauationibus, falſiſque interpretationibus oppoſuiſſe. Hi ſoliti erant (quod etiamnum Iu *Iudæi Legem inuertere ſolent.* dæi ſequuntur, vt in libris δευτερώσεων atque Thalmudicis videre licet) quū quid præceptum legerent, diuerſum ab eo, vetitū affirmare: & cōtrà ſiquid in Scriptura vetitum ſit, diuerſum, permiſſum affirmare. Sic quum præceptum ſit amicum diligere: collegerunt permiſſum eſſe vt inimicum quis odio habeat. Ita quū per nomen Dei non falſò ſolū ſe & temerè iurare Scriptura prohibeat, intulerūt illi, ſiquis iuret per alia, vt cælum, terram, Ieruſalem, caput propriū, aut quid aliud,

ſiue falſò, ſiue temerè id faciat, nihil, aut perparū referre. Ad quid alioqui Dominus horum nominatim meminit? Satis quoque liquet iuſiurādum haudquaquam per hæc, ſed per nomen Dei Iudæis fieri ſolitum fuiſſe. Hinc ſatis cōſtat, hoc loco Seruatorem nequaquam iuriſiurādi vſum voluiſſe dānare, ſed quòd temerè adeò homines iurare ſolent, quū ea inter illos obtinere grauitas debeat, vt præter aio & nego, nihil ſermoni affirmandi vel negandi cauſa adiicerent. Nam quicquid præterea adiicitur, è malo proficiſcatur oportet, vel leuitatis dicentis, vel differentiæ audientis. Sed dum vtrunque malum plurimos tenet, & refert ſæpe rei alicuius fidē facere: hinc iuſiurandum non ſolùm à Deo permiſſum, ſed & præceptum eſt, dum eo poteſt controuerſia finiri, & ſalutaris veritas perſuaderi. In hunc vſum & Deus ipſe & Sancti ſemper iurarūt. Hinc & Seruator ſuum Amen amen toties adhibuit: & Paulus perſanctè ſubinde, Deum & Spiritum ſanctum in teſtimonium inuocauit, vt Roma. 9. a. 1, 2. Theſſal. 2. a. 1, & aliis locis nō paucis. Hoc animo, & hac cauſa iurare, adeò impium non eſt, vt de Chriſtianis peculiariter prædictum ſit, iuraturos per nomen Dei, quod Ieſch. 65. c. 16, Ierem. 4. a. 2, Pſal. 63. c. 11, & locis aliis multis legimus. Proinde quoad fieri poteſt, ea fides ſit inter Sanctos, vt omnis eorum ſermo ſit, Eſt eſt, Non non: nec quiſquam vel temerè quicquam præterea adiiciat, vel propter fidei inopiam adiici requirat. Siquis autem eo malo laboret vt iniurato credere non ſuſtineat, referat autem & ſalutis illius, & gloriæ Dei, vt quod illi proponis, credat, ſi tum fidem ei facere poſſis iuramento, piè & religioſè feceris ſi id adhibueris: neque aduerſaberis dicto Chriſti, qui nequaquam talem iuramentorū vſum, ſed temerarium, ſed falſum probibuit. vnde & familiaris colloquii præcipuè meminit, dicens, Sermo veſter ſit, Eſt eſt, &c. Nam qui vetuiſſet quod Deus præcepit Deuter. 6. b. 13: & proprium Chriſtianis fore prædixit, tum ipſi Apoſtoli ſibi permiſerunt? Dabit ergo operam verus Chriſti diſcipulus, & ita veritati ſtudebit, adeóque ſacrā rem ſermonem habebit, vt quàm ſimpliciſſimè omnia loquatur, & mereatur iniurato quoque ſibi fidem haberi, neque temerè cuiquam iuramentū etiam quoduis offerat. At ſiquando vſu venit vt iuramento fidem vtilem proximo facere poſſit, non dubitabit ſe Deum glorificare quū per nomen eius teſtabitur quod verum ſit. Declarabit enim ſe agnoſcere, Deum cordis ſui inſpectorē eſſe, & iudicem. Sunt quos inanis religio, ne dicam ſuperſtitio tenet, iuramenta adhibendi pollicitationibus, eo quòd nō ſit in manu hominis præſtare quod promiſerit. Non enim animaduertunt, nomine Dei inuocato, nō teſtari nos id quod recipimus, repræſtituros, ſed præſtare velle, déque volūtate animi, non re, iuramentum facere. Vt igitur velle debemus quod Deo gratum ſcimus, & proximo quū eius interſit, promittere: ita idem iureiurando, vt quod in rem ſit proximi confirmare nos addecet. At ſi deprehenderimus rem promiſſam, & quidem iureiurando, non facere ad gloriam Dei, vt credebatur quū iuramentum fieret: quemadmodum in omni promiſſione quæ homini fit, Dei voluntas iure excipitur, nec quicquam illi aduerſum à Sanctis iuratur: omittetur id quicquid ſit quod aduerſari gloriæ Dei agnoſcetur, inuiolata tamen iuriſiurandi fide. De his ſuprà quædam in Pſal. 15. Sed quid opus verbis? Si ideo nihil iurandum, eo quòd fieri poſſit vt quod homo iurauit aut nequeat, aut non debeat perficere: neque ſimpliciter quicquam promittere licebit: nulla enim ratione licet fallere. At in rebus vitæ huius perſæpe fit illicitum quod fuerat licitum, & impoſſibile quod erat poſſibile. Verùm quis non videat, homines ſiue ſimpliciter, ſiue iurati quippiam polliceantur, de præſenti tantùm animi ſui voluntate, non de facto, quod in manu ſolius Dei eſt, teſtari: & neque de illa, niſi quatenus iuſtam intelligunt? Vtinam verò tantum eſſet iſta mouentibus veritatis ſtudium, quantus eſt feruor contentionis: & minimè opus foret de re tam perſpicua tot verba prodigere. Sed ſic exerceri conuenit Eccleſiam Chriſti.

Qua iuramenta Chriſtus prohibuerit.

PSALMVS XXV, in genere miſto, [illegible].

ARGVM. *Precatio eſt ſancti, & peccatis & inimicorum improbitate preſſi. Orat ergo Dominum, ut peccatis ſe liberet, uias ſuas doceat, hoſtiúmque furori eripiat, idque propter ſuam bonitatem, qua ſolet ſeruare ſibi fidentes, & ne peccatores quidem deſerere, ſi eius timore ac ſpe adhuc teneantur, quod utrunque de ſe profitetur. In fine annectit precatiunculam pro toto populo Dei.*

PARAPH. 1 א DAuidis. Ad te animum meum, ô Iehouah, attollo.
2 ב Deus mi te nitor, ne pudefiam: ne lætentur de me inimici mei.
3 ג Ne pudefiant quicunque à te pependerint: pudefiāt qui iniuria laceſſunt immeritos.
4 ד Vias tuas notas mihi fac, ô Iehouah: aſſuefac me ſemitis tuis.
5 ה Deduc me, vt iuxta tuā veritatem gradiar: inſtitue me, nam tu Deus ſeruator meus es, à te pendeo perpetuó.

6 ז Memor ſis miſericordiæ tuæ ô Iehouah, & benignitatis tuæ:quandoquidem his præſtas ab initio.

7 ח Peccatorum adoleſcentiæ meæ, ac etiam ſcelerum meorum ne ſis memor: memor autẽ mei ſis iuxta benignitatẽ tuam, propter bonitatem tuã ô Iehouah.

8 ט Iehouah bonus & æquus eſt, propterea docebit peccatores viam.

9 י Rectè & ordine faciet ingredi manſuetos, docebit manſuetos viam ſuam.

10 כ Cunctæ ſemitæ Iehouæ benignitas ſunt & fides, iis qui fœdus & teſtimonia eius obſeruant.

11 ל Propter nomen tuum ô Iehouah, remitte mihi iniquitatem meam: multa enim eſt.

12 מ Quis verò ille vir qui timet Iehouam? docebit eum viam ſelectam.

13 נ Animus eius bonis fruetur, & poſteri eius terram hæreditariò poſſidebunt.

14 ס Arcanum Iehouæ timentibus ipſum: fœdus ſuum illis notum faciet.

15 ע Oculi mei perpetuò ad Iehouam: ipſe enim educit è reti pedes meos.

16 פ Reſpice in me, & miſerere mei: nam vnicus & adflictus ſum.

17 צ AEgritudo cordis mei latiſſimè patet, ab anguſtia mea educ me.

18 ר Aſpice adflictionem & moleſtiam meam, condona omnia peccata mea.

19 ר Aſpice inimicos meos: nam multi ſunt, & odio furente perſequuntur me.

20 ש Cuſtodi animam meam, & libera me, ne pudefiam: quãdoquidem in te præſidium meum poſui.

21 ת Ipſa ſynceritas & recti ſtudium tueantur me: nam à te pendeo.

22 פ Redime ô Deus Iſraelem ab omnibus aduerſis eius.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

D*Audis.* *Ad te ô Iehouah animam meam attollo.*

2 *Deus meus te nitor, ne pudefiam, ne lætentur de me inimici mei.*

3 *Etiam omnes expectantes te non pudefient, pudefient iniuriãtes immeritò.* Nihil ineſt huic Pſalmo magnopere explicandum, adeò perſpicuè omnia ſcripta ſunt: at nihil in eo non altiſſimis cogitationibus dignum perpendi. Hic primus Pſalmus eſt eorum, quorũ verſus à literis iuxta ordinem Aleph, Beth, incipiunt. Deſunt tamen Beth, Vau, atque Kuph, & incipiunt duo verſus in Aleph, totidémque in Res. Quanquam à Beth incipiat ſtatim altera dictio verſus ſecundi, vt tertia quinti à Vau, à Peh initium habet verſus vltimus. Cauſam huius inſtituti certam, ne Ebræi quidem reddere poſſunt. Apparet vulgatam rationem carminis fuiſſe: etſi perpauci Pſalmi, nempe præter hunc quatuor, vt trigeſimus quartus, centeſimus vndecimus, centeſimus duodecimus, & centeſimus decimusnonus, hoc carminis genere cõſtent, iidémque non pari ratione. Sed ad enarrationem Pſalmi. *Ad te animam meam, &c.* Quando enim nec vir bonus, nedum Deus deſerere poſſit in ſe confidentes, fiduciæ in Deum, vti in omnibus precationibus Sanctorum videre eſt, primùm meminit, *Ad te* (inquit) *animam meam attollo,* id eſt ad te vnum ſuſpicio, vel tibi animam meã offero, & dico. vtrunque ſiquidẽ valet verbum נשא, & eſt ſeriò Deum inuocantium. in cælos enim vt oculos, ita animum quoque ſuſtollunt, & Deo ſe totos velut conſecrant, & addicunt. *Deus meus es, te ſolo nitor,* cui me totum contradidi. Hæc omnia Seruator hac vna vocula Pater noſter, in ſua precatione complexus eſt. Memorantur autem huiuſmodi à precantibus, non vt eorũ Deum admoneant, quem nihil latet, & qui à propoſito ſuo moueri nequit, ſed vt dixi in Pſal. 20, vt inde ſibiipſis ſpem exorandi quod orant, roborent. Deinde ſic eſt ingenium noſtrum, vt cum Deo nonniſi noſtro more loqui poſſimus. Deprecatur pudefieri, ſperãs in Deũ, & exultare de malo ſuo hoſtes: quod vtrunque Diuinæ quoque gloriæ derogat. Si nanque malorum libidini exponuntur qui à Deo pendent, mali exhilarantur: quùmque hi ideo timentibus Deum infeſti ſunt, quòd odio habeant Chriſtum & Patrẽ, obſcuratur ſimul gloria nominis Dei, & offenduntur infirmiores. Verſu tertio orat pro omnibus qui cum ipſo Deum expectant, hoc eſt ab ipſo omnia expectant, eiúſque velut nutus ſuſpiciunt. Hos opponit הבגדים, id eſt qui à Deo deficiunt, & ſcelerarè ac perfide agunt. Nam vt omnium Deum verè colentium eadem vota ſunt, eadem ſtudia, quibus ſcilicet nomen Dei ſanctificetur, & regnum eius amplietur, ita feruntur in diuerſum conſilia & conatus impiorum. Proinde ſimul orat, expectantes Dominum voti ſui fieri compores, hoc eſt non pudefie-

Primus Pſalmus a literis iuxta ordinē Aleph Beth.

Quæ precando ſancti Deo loquuntur, non Dei monendi, ſed ſeſe cõfirmandi cauſa loquuntur.

ri,eo fruſtratos. בוגדים autem, id eſt qui à Deo deficiunt, & hinc cum omnibus malitioſè & perperam agunt,etiam nihil laceſſiti: ſicut pendentes à Deo,agunt cum omnibus ex fide & ſynceriter. Pudefieri, hoc eſt ſpe, conatúque ſuo fruſtrari. Chaldæus habet, Contemptores & vanos.

4 *Vias tuas ô Iehouah notas mihi fac, ſemitas tuas doce me.*

5 *Deduc me in veritate tua, & doce me: nam tu Deus ſalutis meæ, te expecto omni die.* Quum quiſque ita vt perſuaſus eſt ſibi conducere, & optimum eſſe, viuit, rectè ante omnia orat vt ſe Dominus vias ſuas doceat, instituti ſcilicet, vitæque rationem ipſi probatam. quóque magis oſtendat, quicquid huius eſt, donum Dei eſſe, etiam deduci ac dirigi ſe orat, nimirum vt in via recta, quam & notam ſibi fieri precatur, inoffenſè & gnauiter ingrediatur. Verbũ quo hîc Pſaltes vtitur הדריכני, R. Schlomoh Gallicè reddit, *addreſſe moy*. Eodẽ expreſſit verbũ למד, quod docere verti ſolet. ſignificat autem ſic docere vt adſuefiat ſimul is qui docetur operi ad quod inſtituitur. Sic Ierem. 2. c. 24, Onager למוד מדבר, id eſt adſuefact⁹ deſerto dicitor, nõ doctus. Sed paſſim in hac ſignificãtia verbo hoc Scriptura vtitur. *In veritate tua*, ſimile eſt illi Pſalmo 5. b. 9, Deduc me ô Iehouah in iuſtitia tua. Nam & iuſtitiæ & veritatis vel fidei nomine ea vita ſignificatur qua iuſtè & fideliter, nempe vt decet, & è re eſt proximorum, viuitur. Solet verò in Pſalmis præcipuè, quanquam & in aliis Diuinæ ſcripturæ libris, אמת, id eſt veritas, vel fides, cum חסד, id eſt benignitate & cõmoditate cõiungi. Etenim qui hominem ſe profitetur, ſimul benignè agere cum quibuſvis, & quos poſſit iuuare pollicetur. Si igitur verus ſit, & fidem colat, huic ſuæ profeſſioni, & aliorum de ſe expectationi ſtudebit ſatiſfacere: eóque ex fide, & quàm benigniſſimè agere cum quibuſlibet, dabit operam. Hæc autem quoniam nemini niſi Dei dono & beneficio contingunt, Dei meritò fides, iuſtitia, bonitas dicuntur, qua ipſe nobis dat, veris, iuſtis & bonis eſſe. Nonnunquã autem per hæc ipſa Dei bonitas, qua ipſe bonus eſt, intelligitur, de quo verſu nono Pſalmi 5, quædã dixi. Vt enim nemo vir bonus habetur cui non ſit ante omnia cordi fides, & bonitas, hæ appellationes in Deum (cuius vt incomprehenſibilis eſt bonitas, ita nonniſi ab homine mutuatis nominibus exprimi poteſt) transferuntur. Nam ſiue iuſtitia, ſiue fides, ſiue qua alia virtus Dei dicitur, nihil aliud ea eſt quàm ipſius bonitas, qua & iuſtè, & fide optima, & benigniſſimè cum omnibus rebus, maximè autem cum credentibus, ita ſimilis vt Dei nomẽclatura pollicetur, agit. Illa, *Deus Servator meus, expecto te quotidie*, epitaſim affectus habent, & exprimunt ſubſtãtiam, radicémque pietatis, nempe pendere à Deo, & omnia cum interna, tum externa à Deo expectare. Hoc ipſiſſimum ſemen Dei, propriáque filiorum regni nota eſt, & ab aliis diſcrimen. Sæpenumero multis quidem peccatis premitur, tandẽ autem omnia ſuperat & extinguit. Hæc fides eſt qua iuſtus viuit & ſaluatur, ipſaque ſphragis, vnctio, & ſempiterna Sanctorum conſolatio.

6 *Memor ſis ô Iehouah, miſerationum tuarum, & bonitatum tuarum: nam à ſeculo ipſæ.*

7 *Peccata iuuentutis meæ, & ſcelera mea ne memineris, ſecundum bonitatem tuam memor mei ſis tu, propter bonitatem tuam ô Iehouah.* Sanctis inter orãdum, vt ab hoſtibus eos Dominus ſeruet, & vias ſuas doceat, in quo ſolida ſita fœlicitas eſt, iure occurrunt ipſorum peccata & ſcelera. horum ergo ſimulatque in mentem veniunt, veniam precantur: ſeque ipſos (non Deũ, etſi ad Deum ſermonem dirigant) miſericordiæ Dei & benignitatis, ex qua nimirum ſola ſpes veniæ conſtat, admonent. Hinc ergo & Pſaltes hîc poſtquam vias Dei doceri ſe, & deduci illis orauerat, peccatorũ meminit, eorúmque veniam precatur. Primùm memorat peccata adoleſcentiæ: in hac enim carnis cupiditas validior adeò hominem raptat, vt perpauci ea ætate guſtum aliquem recti iudicii conſequi queant, & ferè omnia pro prauis naturæ affectibus gerant. Addit vero & פשעים, id eſt ſcelera, ea peccata hoc nomine vocans quæ pleniore iam veri cognitione, & conſummatiore Dei contemptu admittuntur. De quo peccati genere dixi in verſum vndecimũ Pſalmi 5. etenim & in hæc Sancti ſubinde prolabuntur. Ardet & in illo affectus, Memor ſis mei tu, propter bonitatem tuam, ô Iehouah. Et obſeruandum vt omnia à Dei bonitate expectet, nihil à ſuis meritis. Eam fuſius prædicat verſibus ſequentibus.

Inter orandum occurrunt peccata.

8 *Iehouah bonus & rectus eſt, propterea inſtituet peccatores in via.* Conditionem verè orantis graphicè deſcribit. Solet nanque ſimulatque mens ſedulò Dei bonitatem inuocauerit, in conſideratione eius detineri diutius, eáque mirum in modum conſolari. Hinc eſt quòd his verſibus canit, *Bonus & æquus eſt Iehouah, propterea docebit peccatores viam*, vtique rectam. In quo docet, eius qui verè bonus ſit, eſſe vt alios ſui ſimiles reddat: quóque melior eſt, eo minus auerſari peccatores, qui modò admoneri ſe ferant. בדרך, quod alias vertunt *in via*, idem eſt ac ſi דרך abſque ב poſuiſſet: ſicut & in illa oratione Prouerb. 8. b. 5, Comedite בלחמי panem meum, quum tamen habeatur, in pane. Elegantia eſt Linguæ ſanctæ ſic loqui, vt ſcribit A. Ezra. Vel ſi putes ב nõ redũdare, poteris ſic interpretari, Docebit eos vt in via recta ritè ingrediantur.

Quo quiſque melior, eo peccatoribus ſe magis adiungit.

9 *Diriget manſuetos in iudicio, & docebit manſuetos viam ſuam.* Ne autem de quibuſlibet peccatoribus verſus ſuperior intelligeretur, hoc explicat de qualibus peccatoribus illic loquatur, *Diriget* (inquit)

manſuetos in iudicio, hoc eſt efficiet vt ordine & rectè ingrediantur. Vnde ſequitur, *Adſuefaciet manſuetos viæ ſuæ*, quod idem eſt. Hi māſueti, ſunt pauperes illi ſpiritu, quos Dominus beatos, & eorum eſſe regnum cælorū pronuntiauit: item quibus Euangelium annuntiādum per Ieſchaiā Prophetam prædictum eſt: ii, inquam, quibus ſua mala diſplicēt, & iuſtitiæ ſitim habent, ſeſéque abnegarunt, & cruci ſubiecerunt. Hi illi peccatores ſunt propter quos ſaluandos Chriſtus venit. De his & in verſu 27, Pſalmi 22. Hos ergo docet viam ſuā, hos dirigit in iudicio ſuo, id eſt vt recto iudicio viuant, nempe, vt verti, *rectè & ordine*. Niſi quis hoc velit ad iudiciū Dei referre, vt ſit ſenſus, Dirigit eos pro ſuo iudicio: id eſt ſua æquitate. Sic enim ſæpe iudicium in Scripturis accipitur quū Deo tribuitur. Hos denique (vt ſequitur) adſuefacit viæ ſuæ.

10 *Cunctæ ſemitæ Iehouæ bonitas & veritas, obſeruantibus fœdus eius, & teſtimonium eius.* Quoniā verò toties iam viæ & ſemitarum Dei meminit, nunc canit quæ illæ ſint. Satis ex ſuperioribus liquet, de his ſemitis Vatem hîc loqui, quas nobis Deus præſcripſit, quibus orauit verſu quarto, ſe adſuefieri: has ergo nunc canit, nihil niſi benignitatem & fidem eſſe: quod idem valet acſi dixiſſet, Quicquid præcipit Deus, nihil niſi benignitas & fides eſt. Nam ea tantùm à nobis requirit quæ nobis ſaluti ſunt, & beatos reddunt. Quare nihil ſui in iis quæ nobis præcepit, ſed tantùm vt nobiſcum benignè & ex fide optima agat, quærit. Id pulchre Moſcheh agnouit quum diceret, Deut. 4. b. 8, Et quæ gēs tam inclyta, quæ leges & ſcita habeat tam iuſta, vt eſt omnis hæc Lex quam vobis tradidi hodie? Quid? præceptis ſuis Deus & ſe dat cognoſcēdum, & viam, quæ vt omnibus virtutum numeris abſoluta eſt, ita ſola ſolidè beat. Quæ hac maior poſſit Dei in nos beneficentia excogitari? Hinc Chriſtus ad ſe inuitans, quietem animabus pollicitus eſt, & onus ſuum leue, iugū commodum dixit. Vt autem nihil niſi Dei immenſa bonitas eſt quicquid nobis præcepit, ita ſi illis viuamus, & à nobis nihil niſi bonitatem & fidem homines percipiunt. Rectè autem ſubiectum, *iis qui fœdus eius & teſtimonia obſeruant, eiſque ſtudent.* Aliis enim hæc odor mortis ſunt, quæ per ſe & bonis ſunt odor vitæ, & excæcant ad æternam perniciem: quæ timentibus lux ſunt, illuminās in vitam beatam & perpetem. De hac tam diuerſa doctrinæ Dei ratione, dixi pleraque in tractatu de Legibus, adiecto enarrationi primi Pſalmi. Porrò fœdus Domini eſt, vt ſicut ipſe nos ſuū populum agnoſcit, ita nos eum Deum noſtrū agnoſcamus & colamus, in præſcriptis eius omni ſtudio viuentēs. Sic Gene. 17. a. 2, Exod. 24. b. 7, Iehoſua 24. d. 16, & Iirme. 31. f. 31, fœderis ratio deſcripta legitur. Quale enim fœdus inter populum ſe principis fidei cōmittentem, iuſſiſque eius obedientiam promittentem, & principem principis munus viciſſim populo pollicentem, atque in ſuam fidem illum recipientem percutitur, talis eſt & fœderis ratio quod icitur Deum inter & Sanctos. Hi toti ſe illius fidei committunt, victuróſque ſe illius legibus recipiunt: contrà ille promittit, ſe non humani principis, ſed Dei munus præſtiturum, hoc eſt autorem & largitorem omnis boni, ſeruatorem & beatorem cū corporis, tum animi exhibiturum. Promiſſa hæc Dei, ſimul & iuſſa, teſtimonia Dei dicuntur, quæ nobis ſcilicet de eius voluntate teſtantur. His itaque dum ſtudemus, dum incumbimus, & teſtimonia & fœdus obſeruamus: tum & ſentimus atque experimur vt verè nihil niſi bonitas ſit & fides quicquid nobis Deus præcipit, quicquid à nobis poſcit, hoc eſt cunctæ eius viæ, in quibus poſtulat vt gradiamur. Hæc quum ita perpendiſſet ſanctus Dei, & illi prauitatis ſuæ in mentem veniret, plurimúmque commoueret, non abs re orabat quod ſequitur.

Viæ Domini bonitas quia tantum præcipit quæ ſunt nobis bona.

Quid fœdus cum Deo.

11 *Propter nomen tuum, ô Iehouah, & propitius ſis prauitati meæ, quia multa hæc.* Eſt ſiquidem ceu reſponſio, cogitationi huiuſmodi quid obiicienti, Si hoc agnoſcis, & ſcis vias Domini meram eſſe bonitatem & fidem, ſed iis tantùm qui fœdus cum eo ictum obſeruāt: cur igitur illas non teris? cur hoc fœdus non obſeruas? quî fit vt carni ſic fræna laxes? Huiuſmodi ergo cogitationi velut accuſatus & reus ſimul peractus (accuſant enim & excuſant cogitationes cordis, Roma. 2. c. 15) veniam orat, *Propter nomen tuum* (inquit) *& condona prauitatem meam, nam multa eſt.* Hanc precem & id reddidit ardentiorem, quòd ſimul perpendit, eorum qui in viis Domini gradiuntur, dignitatem & fœlicitatem quam ſequentibus verſibus deſcribit. ו quod ET ferè valet, ſæpe tranſponi in Scripturis ſolet. Sic in præſenti, quum à capite verſus debuerat, poſitum eſt in medio.

12 *Quis iſte vir timens Iehouam? inſtituit eos in via quam eliget.* Exclamationem habet hic verſus, natam ex conſideratione eius quòd mera bonitas & fides Dei in nos eſt, eóque certa noſtra fœlicitas quicquid Deus nobis præcipit, ſi id obſeruemus. Hoc enim perpendens, & ſuam ſimul prauitatem omnis miſeriæ parentem conſiderans, exclamare coactus eſt, Quiſnam ille vir, quàm fœlix, quā beatus eſt, qui Iehouam timet, & ſtudioſè colit, in viis eius gradiens? Mox verò per partes explicat timentis Deum fœlicitatem, quam admiratur, & ob quam exclamat. Primum omnium ponit, *Docebit eum Deus viam ſelectam*, quam Deus nimirū delegerit & probarit. Vt enim ſæpe diximus, à cognitione, ſolidáque perſuaſione veritatis, initium eſt omnis & rectæ & beatæ vitæ.

13 Proximum facit, *Anima eius in bono morabitur, ſemen eius hæreditabit terram.* Quod *morabitur* reddidi, Ebraicè eſt לין, id alicubi pernoctare ſignificat. Ita vſus eo eſt ſeruus Abrahæ, quum diceret ad

Gen.24.d.23. pnellam Ribkah, Eſt'ne domui patris tui locus nobis ללון, id eſt ad pernoctandum, vbi noctem agamus? Sed hinc ad quietam immorationem, non noctis ſolùm, ſed perpetuam, vox traducta eſt: vt Prouer.15.d.31, Auris auſcultās admonitioni vitæ, inter ſapientes ילין, id eſt morabitur, & fixam ſedem habebit. Ita Pſal.91.a.1, In vmbra Omnipotētis יתלונן, id eſt habitabit, quietémve aget. Iam in bono morari, quietéve agere, quid aliud eſt quàm pro voto bonis perfrui? Iudæi interpretantur de quiete poſt mortem: ad quod eos inuitat id quod ſequitur, *Et poſteri eorum hereditario poſſidebunt terram.* Atque ita totum verſiculum de bonis quæ Sancti poſt hanc vitam percipiunt, intelligunt: nempe de ipſorum quiete in ſæculo futuro, & optata poſterorū ſucceſſione in præſenti. His conſonans Chaldæus, habet, Animā eius in bonis mundi venturi demorabitur. Verùm quū quies illa futuri ſæculi fide hic incipiat, qua Sancti vt certo ſciunt bono ſibi omnia eſſe, ita iugi voluptate quibuſvis ex rebus, dum optimam Dei erga ſe voluntatem conſiderant, afficiuntur, malui ita verbum hoc reddere, vt Sanctorum fœlicitatem tam præſentem, quàm futuram, hîc à Pſalte prædicatam intelligamus. Illud autem, *Et ſemen eius*, id eſt poſteritas, *hereditario poſſidebit terram*: de non degenerante poſteritate intelligendum. Is, inquam, qui pietatem patrum imitati, ante omnia de regno & iuſtitia Dei fuerint ſoliciti: iſtis, quum externa quoque bona cumulatim adfluunt, & Spiritu Dei præditi, vel ſoli rectè ac liberè illis vtuntur, ſicut & ſoli rerum domini ſunt, de quo in verſu 7, Pſalmi 8, iure dicuntur rerū hæredes. Præcipuū enim ius rerū ex hæreditate eſt: ideo Scriptura hæreditariam poſſeſſionem pro pleniſſimo dominio, ac præcipuo vtendi iure ponit. Quare quod Vates hîc canit, perinde eſt acſi dixiſſet, Poſteri eius, terræ domini erunt, omnia in ſua poteſtate habituri. Id porro plerunque ſanctis Sanctorum poſteris etiam extèrna cum abundantia contingit ſæpe: ſicut Paulo, quum ſcriberet, Didici ego iis in quibus ſum, ſatis habere, noui humiliari, noui & abundare, ad omnia inſtitutus ſum, vt ſatur ſim & eſuriam, abundem & penuriam patiar, &c. Et hoc ſanè rerum dominium, hæc poſſeſſio, ea quæ externa rerum copia conſtat, longè præſtantior, Sanctiſque optabilior eſt, eo quod cogat illa animum perſæpe in perituris iſtis rebus occupari, à quibus fieri nequit vt non identidem contaminetur, & ad Diuina ſtupidior reddatur. Siue autem tantùm ſpiritu quis, ſiue etiam rebus diues ſit, hinc omnis fœlicitas cōſummationem habet, quòd de bona erga nos Dei voluntate plenè perſuaſi ſumus. Nouiſſe Deum, ſolida demum fœlicitas eſt: hac timentes Deum, hoc eſt veri eius cultores, quum donati ſint, nulla penitus re inopes eſſe poſſunt.

Quomodo omnia poſſideant ſācti [illegible]

14 Hanc iterum ergo canit hoc verſu 14, qui ad verbū ſic habet, *Secretum Iehouæ timentibus eum, & fœdus eius ad notum faciendum illis.* Secretum vocat, quod carni & ſanguini patefieri nequeat, & reueletur ſolis electis. Idipſum verò eſt fœdus quod nobiſcum Deus icit: nempe vt ſciamus ipſum velle nobis patrem eſſe: quod qui planè perſuaſus fuerit, non poterit ſe illi non cupidiſſimè tradere, & addicere in filiū. Hinc videas optimè lector, vt nihil Dei norint, quicquid iactēt, quicunque Dei timore & reuerentia vacui ſunt. Vacui autem ſunt quicunque inſtituendæ vitæ ad placitum Dei non ſunt ſoliciti. De qua timoris Dei ratione, in verſu 11, Pſalmi 2.

15 *Oculi mei ſemper ad Iehouam, quoniam ipſe educit pedes meos de reti.*

16 *Reſpice in me, & miſerere mei: nam ſolus afflictus ego.* Quod hîc poſuit בריתו להודיעם, idē eſt acſi poſuiſſet סוד יהוה ליראיו: ſenſus enim eſt, Fœdus ſuum notum eis facit qui ſe timēt, hoc eſt colūt: idque arcanū eius eſt quod ſe colentibus reuelat. Græci legūt hîc, vbi habetur Ebraicè סוד, κραταίωμα, id eſt firmamentum: falſi eo, quòd putarunt deductum à יסד, quod fundare ſignificat. Cæterùm סוד etiam cœtum, maximè eorum qui ſecretiora inter ſe communicant, & tam malorum quàm bonorum ſignificat: Pſalmo 64.a.3, malorum: & Gene.49.a.6, bonorum. Ita etiam quum arcanum ſignificat, in vtranque partem accipitur. in bonam, hic, & Pſalmo 55.c.15: in malam 83.a.4. Quoties mentium & obſeruantiū Dei fœlicitatē animus item pius & Dei ſtudioſus, ſed cum peccatis conflictans, propius conſiderat, vt ſe feciſſe Pſaltes à verſu duodecimo oſtendit: eo magis & ſibi diſplicet, & accenditur ad Dei opem implorandam. Sic ſe exhibet Vates, ex perpenſione bonitatis Dei erga ſe timentes, inflammatum, vt totum ſeſe Deo addiceret, totúmque daret, auxilium ab ipſo orando. Hinc non ſine flagrantis affectus nota cecinit, *Oculi mei ſemper ad Dominum*, ſubaudi ſuſpiciunt. Eò nanque vnde adflicti ſalutem expectamus, manus & oculos tendimus. De quo orātium geſtu & affectu & in verſu quarto Pſalmi quinti. Affectum indicat & reticentia, qua ſuſpiciendi verbum reticuit Rete, à quo pedem ſuum educi per Deum canit, Abraham Ezra intelligit tendiculas peruerſæ cupiditatis, quam Ebræi יצר הרע, id eſt malum ſuggeſtorem, vel prauum cordis figmentum vocant. Sed quia aduerſitatum & adflictionū ab hoſtibus ſtatim meminit, malim hoc de hoſtium inſidiis intelligere. Quare & ſolum vel vnicum ſe continuò, & adflictum queritur. Et hoc enim genere crucis ſuos Deus exercet, vt eos non ſolùm multis oppugnandos obiiciat, ſed amicorum etiam, & proximorū ope & ſolatio deſtituat, ſolitudinéque ſimul adfligat: de qua plerique Pſalmi queruntur.

17 *Anguſtiæ cordis mei dilatentur, à coartationibus meis educ me.*

18 *Aſpice adflictionem meam, & moleſtiam meam, & condona omnia peccata mea.* Abraham Ezra & Kimhi הרחיבו tanquã neutrum accipiunt, & idem valere putant atque, Multæ ſunt. his cõſentiunt Chaldæus & Græcus. Sed dum Scripturæ phraſim conſidero, video hoc verbum cum מצר, id eſt anguſtia, & ſimilis ſignificatus nominibus cõiunctũ ſignificare liberationem, vt in 1 verſu Pſalmi 4, in verſibus 20 & 37 Pſalmi 18. itẽ verſu 9 Pſalmi 31, verſu 5 Pſalmi 118. Proinde exiſtimo ineſſe huic verſui geminationem, in hanc ſententiam, Anguſtiæ cordis mei dilatentur, hoc eſt cordi meo anguſtiato fiat ſpatiũ, depulſis malis quæ premunt, & educ me ex coartatiõibus meis, quod idem eſt. Sequenti verſu, quia adiecit, *Et condona peccata mea*: indicat quòd externa quidem mala hic deprecetur, quæ ſe meruiſſe ob peccata ſua agnouerit, & tum ſe illis liberandum cogitauerit quum peccatis fuiſſet liberatus. Et habent hæc ad ea quæ de timentibus Deum à verſu 12, vſque ad 15 cecinit, antitheſim. Illorũ ſiquidẽ animus fruitur bonis: peccator autẽ, ſed ſanabilis, ſolet multis aduerſis à peccatis depelli. Caſtigat enim quos diligit Deus, & corripit, ne cum reliquo mundo damnẽtur.

19 *Aſpice inimicos meos, quia multi ſunt, & odio uiolento me oderunt.*

20 *Cuſtodi animam meam, & libera me ne pudefiam, quia in te confido.* Se charos Deo, inuiſos autẽ inimicos ſuos, Sancti dubitare non poſſunt. hinc in precationibus ſuis, vt Deus & illos aſpiciat, hoc eſt declaret ſe videre, vt ipſorum tolerantiam, ita hoſtiũ improbitatem, ipſos liberando, illos perdendo, precatur. Quòd autem odium violentum hoſtibus ſuis tribuit, implacabilem eorum notat truculentiam. vnde ſubiicit, *Cuſtodi animam meam*, id eſt ſerua vitam meam: de hac enim periclitabatur. Hucuſque Deus ſuos permittit impiis. Sed quanlibet altè malis ſæpe Sancti mergantur, ſemper tamen remergunt, quòd fiducia in Deum vinci malis non poſſit. Hanc ergo cauſam cur ſibi Deus adeſſe debeat, ſubiicit, & quaſi circulo precem claudit: eadem enim Pſalmum cœpit. Ea eſt Dei in ſuos clementia, vt etiam quum meritos affligit, & per aduerſa ad reſipiſcẽtiam reuocat, ſoleat id ferè per improbos facere, vt & ab ipſis oppreſſoribus cõſolationem percipiant. Ita quum Dauid immane illud ſcelus admiſiſſet, ſtuprũ Bathſchaba, & necem Vriah, vellétque illum Deus præſentis vitæ malis caſtigare, ne cum reprobis in æternum periret, immiſit in eum filium impium cum quibuſdam ſceleratiſſimis, vt certò videret quanlibet enormiter peccaſſet, grauiáque commeruiſſet, infinito tamen plura ſibi bona à Deo, quàm hoſtibus ſuis expectanda: neque fieri poſſe vt diu illi ſuperiores eſſent, eo quòd planè deplorati, & Dei quoque hoſtes eſſent: ipſe autem quamuis impiè Deum offendiſſet, adhuc tamen timore & reuerentia eius teneretur, ſpéque bonitatis eius, quam illi ridebant, niti poſſet. Præterea ſolet & hoc beneuolentiæ ſuis indulgẽtiſſimus pater præſtare, vt dum pœnas ſcelerum de eis ſumit, nõ hoc nomine ſumat, ſed faciat hoſtes (quibus vice virgæ in ſuos vtitur) aut id potiſſimum in eis oppugnare quod Dei eſſe Sancti in ſe norunt: aut certè ob ea laceſſere, quorum innocentes ſunt. Id videmus & in eadem Dauidis caſtigatione. Deus ſceleris in Vriah admiſſi pœnas ſumebat: at Abeſchalõ & coniurati eius nõ eam cauſam ſuæ coniurationis, & oppugnationis, ſed quòd malè & peruerſe regnũ adminiſtraret, ſicut & iniuria inuaſiſſet, prætexebant. Eius igitur quũ ſe innocentẽ agnoſceret, videbat illos Dei de ſe ordinationẽ oppugnare: quare perfacile ipſi erat victoriam contra illos ſperare. Ita quandocunque populi Iſraelis ſcelera vlciſcebatur Deus, id per idololatras faciebat, qui ob veram potius religionem, quàm ob ſcelera in eos ſæuirẽt, & nõ tam ipſos quàm Deũ expugnare conarẽtur. Inde verò ingens timẽtibus Deũ conſolatio obueniebat. Sic namque orare poterãt, Etſi grauiſſimè quidem te Deus offendimus, at tui tamen ſumus, te Deũ vnũ & verum agnoſcimus, & colimus, quẽ iſti vituperant, horrẽdéque blaſphemãt. meruimus quidem atrociora quàm ab iſtis mala patimur: at nõ noſtra ſcelera iſti, ſed tui ſtudium, tuã religionem vlciſci volunt. Adſis igitur nobis, deiice illos, non tam noſtros, quàm tuos hoſtes. Idque futurum dubitare vtique nõ potuerunt, quãdoquidem Dei Spiritus illorum ſpiritibus teſtimoniũ perhibebat, Deũ ipſos deſerere non poſſe, & ſceleratos hoſtes haudquaquã tandem non perdere. Huiuſmodi conſolationẽ in omnibus ferè Sanctorum precibus, quas ob peccata ſua adflictos ad Deũ fudiſſe in Scripturis legimus, videre licet. Sic igitur in præſenti, quanquã debitã ſibi ſanctus perſequutionẽ hoſtium confeſſus ſit: quũ tamen illi peruerſo odio & iniuſto furore interim in ipſum deſæuirent, fuit id ei cõſolationi, animúmq; addidit, Dei cõtra illos auxiliũ orandi. Penes ſe adhuc reliquũ Dei timorẽ & fiduciã ſentiebat, apud illos nihil minus. Precabatur ergo, Aſpice inimicos meos, &c. quaſi dixiſſet, Etſi probè meruerim quæ illi mala mihi inferũt: at cõſidera interim illos, vt multi ſunt, & viribus valẽt (nam & id רב ſignificat) vt furente odio, nihil à me læſi, me perſequuntur, eóque non tuæ gloriæ, ſed ſuæ libidini, ſuo furori cõtra me inſeruiũt, tui potius quàm mei hoſtes. Cur ergo ſinis numero adeò & virib⁹ illos valere? Aſpice indignã eorum potentiã, vt frangas furens odium, vt ſceleratis eorũ conatibus obuiam eas. Animã autem meã, te nimirũ timentis & ſuſpicientis, cuſtodi. Ne ſinas, vt falſus ſpe mea pudefiã, qui in te omne præſidiũ meũ collocaui, quũ iſti te contemnant, & ſuis viribus confidant.

21 *Syncæritas & rectum seruent me, quia expecto te.* Duo videtur orare, vt Deus ſibi donet ſynceto & recto viuere,& vt ſic viuentem tueatur. Synceritas enim & recti ſtudium præcipuæ ſalutis noſtræ partes ſunt,ſed eadem,Dei dona. De voce תם quod *ſyncærum* hîc verti, plura in verſu ſecundo Pſalmi 15,& in verſu 24 & 25 Pſalmi 18. ישר rectum ſignificat, qui nihil à iuſtitiæ æquilibrio variat:qui ita omnia,vt maximè decet,vt proximis commodiſſimũ eſt, & dicit, & gerit:quem & æquum iure vocamus,ſicut & ſuprà verſu 8 verti. Græci huiuſmodi ἐπιεικῆ vocant, qui non ſpectat quid ſibi cõmodũ ſit,quid iure vẽdicare queat:qui ſummo iure(quod ſumma iniuria eſt, & ſumma,vt Columella inquit, crux) agere, indignũ ſe ducit,cóque omnia ex æquo & bono,ex optima ſcilicet fide viri boni,qui eum ſe aliis exhibet quales alios exhiberi ſibi optat,cenſet,æſtimat,& cõſtituit. Tales Scriptura cum rectos, tum corde rectos vocare ſolet. Hinc liquet quàm eleganter Pſaltes coniunxerit hæc duo, ישר תם. Thom enim(vt dictũ eſt)doli expertẽ,ſimplicem,& innocẽtem ſignificat. Iam cuius animus non ſic habet,is ex æquo & bono cum proximo nihil aget. Rectè ergo Thom præmiſit,& Iaſcher ſubiunxit: quòd hoc, vt dixi, rectitudinem & æquitatem ſignificet in his quæ cum proximo geruntur. Quod itaque verbis Euangelicis & Apoſtolicis dicimus abnegare ſeipſum,& addicere proximis,viuere aliis,non ſibi,non ſua, ſed quæ ſunt aliorum,quærere: id Vates hic per Thom & Iaſcher expreſſit. Sicque cõparatus homo, qui vt iuſtus, ita & ſaluus,beatúſque ſit,rectè orauit,hæc ſibi donari,& tum ſe per ea ſeruari. Alii volunt hoc verſu ſanctum ſe aduerſariis contuliſſe,& cauſam poſuiſſe cur ſe ab illis Deus ſeruare debeat, nempe quòd ipſe innocẽs & rectus,illi cõtrà verſuti & peruerſi eſſent. Neque ſanè abſurda interpretatio videri poſſit,ſi ſpectetur id quod proximè præmiſſum eſt verſu 20, Nam in te præſidium meum collocaui. At quia in hoc ipſo verſu cauſa cur oret ſe ſeruari,ſubiicitur,hæc ſcilicet, *Quia expecto te*, vel *à te pendeo*, vt verti:& in toto Pſalmo duo videmus Vatem precari,peccatorum veniam,& ab hoſtibus liberationem: magis arridet hîc ſententia Abraham Ezræ,qui putat Pſaltem oraſſe ſe ſeruari, vt eſſet corde תם, id eſt ſimplici & innocenti,opere ישר,id eſt rectus,æquus,bonus,ne calumniarum & iniuriarum viam tereret, & aduerſa quæ ob peccata immitti ſciebat, deprecatum eſſe verſu ſequenti. Haud ſcio tamẽ annon & ſic reddi hic verſus poſſit, Serua me, vt rectè & fœliciter omnia eueniant. Nam Thom etiam integrum & perfectũ, & ישר, id quod rectè & ordine ſuccedit, ſignificat. Kimhi inter priores eſt: ſic enim exponit hunc verſum, Quia mecum eſt ſyncœritas & rectitudo,apud illos autem peruerſitas & violentia:cuſtodiant me à malo illorum ſynceritas & rectitudo mea. Cum hoc cõſentit Chaldæus qui ſic reddidit, Synceritas & rectitudo ſeruabunt me. D. Hieronymus, Simplicitas & æquitas ſeruabunt me. Græci, Innocentes & recti adhæſerunt mihi. Sed נצר obſeruare,cuſtodire,non adhærere ſignificat. Lector iudicet.

22 *Redime ô Deus, Iſrael ab omnibus anguſtiis eius.* Hæc plena fiduciæ precatiuncula,& non ſine affectu, epiphonematis loco ſubiecta eſt. Quòd enim Iiſraelem dixit, electionis & fœderis Dei ſeſe admonuit,imó de eo gloriatus eſt:cauſámque cecinit cur Deus,ſe & quotquot veri Iiſraelitæ ſunt, derelinquere hoſtibus nequeat, ſed ſit tandem ſemel ab omnibus aduerſis eos liberaturus. Atque ita ſimul cum pro ſe,tum toto populo precatus eſt,animóſque Sanctorũ ad expectãdam plenam ab omnibus malis redemptionem accendit. Deus peculiariter Iiſraelis, populi Spiritu cæleſti renati,ac reſtituti,eſſe dignatus eſt:quare tandem omni iuſtitia & fœlicitate illum cumulabit. Hæc illa redemptio eſt quam hic Vates orat: & orant quotidie electi omnes, imò congemiſcunt illis, pro hac & reliquæ creaturæ omnes,vt Paulus ad Romanos cap. 8,ſcripſit. Etenim donec iſta noſtri redẽptio ſolida facta fuerit,ſemper erit vt tam peccata quàm peccatorũ pœnas deprecemur. Quare quãdocunque iſta incidũt, vt admonẽt mortis in qua hæremus quicũq; ex Adam nati ſumus,ita occaſionem offerunt orandi vt tandem adueniat Seruator, & corpori glorioſo ſuo noſtrum humile conforme faciat,extincto omni peccato, quocum ſimul & mors extincta erit.

Quare populi Dei redemptio,

PSALMVS XXVI, in genere miſto, δικανικός.

ARGVM. *Canit in exemplum bonis, ut ex animo, & Deo iudice, innocentiæ ſtuduerit, malorum ſocietatem fugerit, religioni incubuerit. Tum deprecatur, quæ debetur improbis, ultionem, quum ipſe ſanctè uiuat, & nihil prius cupiat quàm gloriam Dei illuſtrare.*

PARAPH. 1 DAuidis. Iudica me Iehouah,vitam enim meam innocenter inſtitui: & Iehouæ confiſus,non nutabo.

2 Proba Iehouah & explora me, velut igni examina renes meos, & cor meum:

3 Nam bonitas tua mihi ſemper ob oculos eſt:in fide tua dego vitam meam:

4 Societatem cum vanis hominibus non iniui,& fucatis me non adiunxi.

5 Cœtum noxiorum odio habui,& cum improbis non conſpiraui.

6 Puras innocentia manus exhibebo,& altare tuum ô Iehoua circundabo:

7 Vt canam laudem,& deprædicem quæcunque mira facinora edidiſti.
8 Iehouah,chara mihi eſt domus tua, ſedes tabernaculi gloriæ tuæ.
9 Ne tollas cum flagitioſis animã meam, & vitam meã cum viris ſanguinariis:
10 In quorum manibus dolus verſatur, & dextera eorum muneribus plena eſt.
11 Atego viuo innocenter:redime me,& miſerere mei.
12 Pes meus in digno me loco fixus eſt,in concionibus celebrabo Iehouam.

ADVERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 D*auidis. Iudica me ô Iehouah, quia ego in ſynceritate ambulo, & Iehouæ innitor, non nutabo.*
2 *Proba me ô Iehouah, & tenta me,igni proba renes meos, & cor meum.*

3 *Quoniam bonitas tua ante oculos meos eſt, & ambulo in veritate tua.* Veriſimile eſt occaſionem huius Odæ dediſſe eos qui Dauidem multorũ malorum falſò inſimulabant: contra quos vt in laudem Dei,qui integram & religioſam viuere vitã ei dederat, ita in cõfirmationem bonorum,quos illorum mendacia perturbabant:de integritate & ſanctimonia ſua hæc canere, dignum ſe duxerit.De hac propriæ innocentiæ atteſtatione,& iudicii Diuini prouocatione,quæ verſu 1 & 2 continetur, ſatis dictum in verſus quatuor primos Pſalmi 17, in quibus ferè eadem verba habentur: tum in verſum primum Pſalmi 4,& in verſum nonum Pſalmi ſeptimi. Cor & renes pro intimis cogitationibus & affectibus poni, & in verſu 10 Pſalmi 7,& in verſu 7 Pſalmi 16 dixi.De an, id eſt innocentia quam hîc iactat,dictum eſt in verſu 2 Pſalmi 15:item in verſu 24 Pſalmi 18,item verſu 22 Pſal.25.Sed obſeruandũ,quibus rebus Dauid fretus,iudicio Dei tam ſeuero,explorationi ſcilicet exactiſſimæ,quali aurum & argentũ examinatur,dum probatur igni,ſeſe offert. Synceritatem,hoc eſt omnis doli vacuitatem, & proprii amoris reiectionem, primùm ponit: inde fiduciam in Deum,poſtremò iugem Diuinæ bonitatis cõſiderationem.Nam qui ſibi aliquid vel videtur,vel quærit, Deo plenè fidere non poteſt, eóque nec veræ iuſtitiæ fieri particeps: quæ nimirum inde contingit,quòd mens perſuaſa omnia ſecum,præter vnum Deum,nihil eſſe, totam ſe vni Deo cõſecrat,& addicit.Hinc enim ſummus Dei amor in animo flagrare incipit,omneſque vires ad æmulandum Dei bonitatem rapit. Quare canit verſu 3, *Nam bonitas tua coram oculis meis*, vtique vt eam imiter: *& in fide tua ambulo.* hoc eſt fretus ea vitam ago ſecuram,& tuæ voluntatis ſtudioſam. Vel dicit ſe ob oculos habuiſſe Dei bonitatem, vt amore eius erga ſe tam boni inflammatus, ſummopere caueret eum offendere. Et in fide eius ambulaſſe, hoc eſt fidẽ eius ſic ſibi propoſuiſſe, atque in omni vita ſua cõſideraſſe,vt inde cauſam haberet & incitabulum quoddam, vitam ad fidem,hoc eſt fidam curam & proſpectionem inſtituendi eius,cuius ſe beneficio vitam ducere agnoſceret. Vtrũ verò ſit,hoc ſatis liquet dicere voluiſſe, ex bonitate,fidéque Dei erga ſe, ſibi contigiſſe quòd & ipſe cũ proximis ex bonitate & fide omnia ageret, ita vt quantum non ſolùm in aliorum hominum, ſed & in ſua ipſius conſcientia erat,ne Dei quidem iudicium formidaret. Dixi autem in verſum quartum Pſalmi ſuperioris, iuſtitiam,veritatem, vel fidem Dei dici, etiam quam nobis donat,& qua nos ipſi probamur. Quare etiam hic ſenſus eſſe poteſt, Bonitas fidéſque, quas tu tuis præcipis & donas, ſemper mihi curæ fuerunt,verſari in eis ſtudui. De bonitate & fide Dei dixi in verſu decimo Pſalmi vigeſimi octaui.

4 *Non ſedi cum hominibus vanitatis, & cum tectis non ingrediar.*

5 *Odio habui concionem noxiorum, & cum improbis non ſedebo.* Vanitatis,doli,noxæ, & improbitatis ſocietatem ſugiſſe ſe canit, non hominum:alioqui ſi nuſquã ire vel ſedere voluiſſet vbi iſtiuſmodi malis obnoxii homines ſunt, è mundo ipſum egredi oportuiſſet, vt Paulus inquit. Per ire & ſtare vnà,vitæ coniunctionem,& morũ conſpirationẽ ſignificari, ſatis fuſè dixi in verſu 1 Pſalmi 1.Item vt fugiendus ſit bonis malorum conuictus, nimirum vt vitiorum vitetur & contagio, & approbatio, & nihil illis tamen negetur quo à nobis iuuari poſſint ſi noſtra ope egeãt, ibidem expoſui.Et ſecundum hoc intelligendum odium malorum,de quo in verſu 5. Notandũ etiam quibus conſtet improbitas, nempe vanitate & dolis in animo,in vita, ſtudio nocendi:quod inde naſcitur, quòd huiuſmodi hominibus,quum Deo deſtituti ſint,nihil queat eſſe ſatis. de quibus item fuſius dixi eodem loco. Vbi etenim deeſt fides in Deum,ibi regnat amor ſui, vt homo ſibi tantùm amicus ſit. Vanè igitur, & ex dolo cum aliis agit perpetuò: & quicquid verum dixerit, id tantùm facit quo quum ſibi magis ex vſu fuerit, melius ſuccedant fallaciæ, faciliúſque imponat. Nemini ex animo bene vult, aut vſui eſt, imò quantum in ipſo eſt, nocet omnibus. Qui autem planè huiuſmodi ſunt, quique in horum aliquando via gradiuntur, quum tamen filii Dei ſint, dixi in locum iam memoratum. נעלמים in verſu quarto tectos ſignificat, qui tegunt ſcilicet, & diſſimulant: ideo reddidi fucatos. poterant & diſſimulatores reddi. Chaldæus habet, Cum occultantibus ſe vt noceant.

6 *Laudabo in innocentia manus meas, & circundabo altare tuum ô Iehouah.*

7 *Vt faciam audiri vocem laudis, & memorem cuncta mirabilia tua.*

8 *O Iehouah dilexi manſionem domus tuæ, & locum habitaculi gloriæ tuæ.* Præcedētibus duobus verſibus cecinit vt ſubduxerit ſe à malis: hìc verò canit vt iunxerit ſe bonis, & ſynceta religione Deum coluerit. Boni quū conueniunt, vt nihil habent charius Deo, nihil quod æquè ſuſpiciāt, ita ſeſe illius bonitatis mutuò cupidiſſimè admonent, eámque in commune magno ſtudio deprædicant, ac ita fœdus quod illis cum Deo eſt, velut renouant & confirmant. Ad hoc inſtituti ſunt ſacri credentiū Deo conuentus, & initiò ac omnibus ſeculis ſeruati: id quod Sacræ hiſtoriæ abundè teſtantur in iis quæ de illis ab Abraham primo populi Deum colentis patre, ad tempora vſque Apoſtolica memorant. Omnia vtique inſtituta & ceremoniæ ad id Diuinitus data ſunt, vt Sācti tandem Legi Dei conformentur, hoc eſt diligant Deum ex toto corde, & proximum ſicut ſeipſum. Huc, vt præmiſi, nōniſi fide in Deū venire licet: hæc autem ex auditu, Rom. 10. c. 17. Quare præcipuū in omnibus ſacris cœtibus ſemper fuit, Diuinæ bonitatis deprædicatio. Id ſanè probāt, præter Pſalmos, & quæ de feſtis Iiſraelis Moſcheh, & de conuentibus Chriſtianorū Paulus ſcripſerunt. Veteres præterea multum habebant ſacrificiorū, aliarúmque ceremoniarū vſum, quo cū ſuæ mortificationis, tum mortis Chriſti (vnde omnis pietas, id eſt mori peccatis, & viuere iuſtitiæ contingit) admonerētur. Vt nanque craſſiore ſpiritu populus pro temporis ratione præditus erat, hoc eſt (vt Paulus inquit) ſeruili, ita pluribus opus habebat ceremoniis, vt idē apertè ad Galatas diſſerit. Nos in locum omnium ſacrificiorum vnam habemus Euchariſtiā: quia vt ampliore Spiritu donati, & iam nō amplius pueri, vt illi erant, ſumus, ita decet vt in Spiritu & veritate potius quàm multis externis ceremoniis Deum colamus. De ſacrificiorū vſu, dixi pleraque in verſu tertio & quarto Pſalmi viceſimi. De cultu externi loci, in quo erat Tabernaculum, dictum eſt in verſu 8 Pſalmi 5, & in verſu tertio & ſeptimo Pſalmi 24. Porrò quia ſacrificantes abſque omni pietate, Deo abominationi erant, canit hìc Pſaltes, *Laudabo manus meas, &c.* Manibus opera, ac omnem externam vitam ſignificat: hanc puram exhibiturum ſe, dum manus loturum ſe dicit, profitetur. Alluſit verò hoc dicto ad frequentia veteris populi baptiſmata. ſed quòd *in innocentia* addidit, reiecit externā purificationem, ſi ſola ſit, qua ſibi impii placebāt. Nihil ergo niſi vitæ puritatem & innocētiā hic profeſſus eſt: quare verti, *Puras innocentia manus exhibebo.* Fieri quoq; poteſt vt ad ritū precantium hîc reſpexerit. ſolent enim ſeriò precantes, manus ad cælū tendere: quod qui abſq; innocētia vitæ totius fecerint, audiūt illud Ieſch. 1, Quū expāderitis manus veſtras, tegam oculos meos: & quū preces cumulaueritis, non audiā: manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine. id eſt, multo innoxio ſanguine quē fudiſtis, cōtaminatæ. Tam à cæde igitur, quàm omni ſcelere puras ſe Vates extenſurū in prece manus profitetur, quia lotas in innocētia, puritatéque vitæ totius. Illud, *Et circundabo altare tuum, ô Iehouah*: Ebræi ad hoſtias referūt quibus altare Domini circundederit, & nō abs re. Nam vt ardebat ſtudio Dei ardētiſſimè, ita crebris id hoſtiis teſtari ſumma voluptate ſtudebat. Et hinc id obſeruandum, de quo in verſu ſeptimo Pſalmi viceſimiquarti dixi, eos qui ſpiritalem Dei culū verè ſectantur, eſſe & in ſacris ceremoniis religioſiſſimos, ſed ſic ſemper, vt cuncta eò referant ad quod illa inſtituta ſunt, nempe vt totius vitæ integritas promoueatur. Verſu ſexto profitetur prædicationē nominis Dei, primariū in omni ſacro cœtu, vt iam dixi: de quo & in verſu octauo Pſalmi quinti, & in verſu 27 Pſalmi 22. Octauus habet ſtudiū loci ſacri, de quo plura in verſu octauo Pſalmi 5, & in verſu 7 Pſalmi 24. Qui Deum ex animo colit, nuſquā libētius eſt, quàm vbi eundem colentes cōueniunt, & apud quos cū fructu Dei laudes cantare queat. Particulam illā verſus 7, *Et deprædicem quæcunque miracula edidiſti*, expoſui in verſu ſecundo Pſalmi noni, vbi eadē habetur.

Ad quid inſtituti ſacri cœtus.

Quid in ſacris cœtibus præcipuū.

Rom. 8. c. 15. Galat. 4. a 1.

Quid lauare manus.

Interne pietatis ſtudioſi & ceremonias religioſè colunt.

9 *Nec colligas cum peccatoribus animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam:*

10 *Quia in manibus eorum calumnia, dextera eorum plena eſt munere.* Quandoquidem nullum ſcelerum conſortium habuit cum reprobis, & cum piis religioni cultuíque Dei ſeſe totū dedidit, iure precatur ne ſe Deus cum ſceleratis vltione ſua colligens, abſumat & perdat. Qui flagitioſi dicantur, dixi in verſum 1 Pſalmi 1. Quos vocat ſanguinarios, אנשי דמים, ſunt dediti cædibus, vti reddidi in verſu 6 Pſalmi 5, nempe crudeles, & qui perdere cupiunt quicunque eorum cupiditatibus obſiſtunt. In horum manibus (id eſt quod moliuntur, quódve agūt) eſt זמה dolus, verſutum, peruerſum conſiliūm, fallacia, calumnia. De hac voce plura in verſum 2 Pſalmi 10, & verſum 3 Pſalmi 17. *Dexteram plenam habent mercede*, id eſt, vt auidiſſimi ſunt munerum, quibus iudicia vendant, ita plurima iam acceperunt. De quo malo in verſu 5 Pſalmi 15. Chaldæus reddidit, Sordidis muneribus, id enim שחד ſignificat.

11 *Ego in ſynceritate mea ingrediar: redime me, & miſerere mei.*

12 *Pes meus ſtat in recto, in cœtibus laudabo te ô Iehouah.* Profeſſionē innocētiæ & religionis repetit: indéque orat vt ſe Deus à malis quæ iure imminent reprobis, redimat: imò ſpem id fore (id quod aliquoties monui) ſibi hinc confirmat. Illud, *Pes meus ſtat in recto*, quidam pro eo accipiunt, quod

eſt in via recta: A. Ezra autem pro eo quod eſt palàm, coram Eccleſiis. Kimhi vult ceu gloriationem eſſe, gloriantis ſe in plano conſiſtere, vbi nulla ſit cauſa lapſus: hoc eſt in tuto, vbi nihil expectatur incómodi. Qui certè locus Eccleſia Dei eſt, quam tuetur, fouétque Deus vt ſponſam ſuam, in qua qui pedem ſuum non fixerit, non labi non poteſt. Et hic ſenſus argumento Pſalmi magis quadrare videtur, tum & phraſi. erit enim hìc geminatio, vt rectũ vel planũ, ſignificet Eccleſias & cœtus ſacros, nimirũ in quibus Deus verè laudatur & colitur. Iterum itaque obſeruandum quid præcipuè ſtudeant verè ſancti, quidve in primis deceat cœtus ſacros: nihil ſanè prius, quàm vt Dei bonitas ritè prædicetur & agnoſcatur, in hac extollenda toto pectore cunctos decet incumbere Dei filios. Hinc nanque fides, amórque Dei & naſcitur & alitur, qui fons eſt omnium virtutum: ſed abſque vita Deo digna, nomen Dei potius vituperatur quàm prædicatur, vt perſanctè hìc diuus Auguſtinus ſcripſit, Iam videat quiſque noſtris in cœtibus quid agat, quàm Dei nomen celebret, vt cum ſuam, tum aliorum fidem inſtauret. Verbis enim ſine mente fuſis, & ceremoniis ſolius aut ſtipis, aut publici moris, vel denique ſui ipſius commodi promouendi gratia adhibitis, Deus irridetur, non laudatur.

PSALMVS XXVII, in genere miſto, ἀχαριστικὸς καὶ δικλικός.

Et hunc Pſalmum Dauid de inſigni aliquo periculo cecinit, in quo ſe recordatione Diuini promiſſi contra ingruentia mala plurimum animauit: uictoriámque contra hoſtes, & tranquillam in religionis ſtudÿs uitam, ſibi pollicitus, de celebri gratiarum actione uotum nuncupauit. Sicque optima ſpe confirmatus, opem Dei implorauit. Deorique ſe uitam Deo gratã precatus, iterum ad fidendum fortiter Deo, ſemetipſum hortatus eſt. ARGVM.

DAuidis. Iehouah lux mea, & ſalus mea eſt, à quonã timerem? Iehouah ro- PARAPH.
bur vitæ meæ, à quo expaueſcerem?
2 Quum irruerent in me noxii, qui mihi infeſti ſunt, & hoſtes vt vorarent carnem meam, ipſi impegerunt & ceciderunt.
3 Si iam obuallarint me caſtris, non timebit cor meum: ſi ingruerit aduerſus me prælium, hoc ipſo quòd Deus lux mea & ſalus eſt nitar.
4 Vnum petii ab Iehouah, idipſum flagitabo: ſedebo in domo Iehouæ omni æuo meo, vt in decora regia Iehouæ contemplet, vt perſcruter in templo eius.
5 Etenim abſcondet me velut in tabernaculo, quum tempus fuerit aduerſum, occulet me in latibulo tentorii ſui, in rupem extollet me.
6 Et nunc hoſtibus meis ſuperiorem me reddidit, qui me vndique cinxerant: ideo ſacrificabo ſacrificia cum clangore, cantabo, & hymnum dicam Iehouæ.
7 Audi Iehouah vocem meam, inuoco, miſerere mei, & annue mihi.
8 De te cor meũ cogitat id quod de te teſtatus es, hoc nempe, Quærẽt meam faciem: faciem tuam quæram.
9 Ne auertas faciem tuam à me, ne ſinas iratus labi ſeruũ tuum: hactenus auxilio mihi fuiſti, ne abiicias me, néve deſeras me, Deus ſeruator mi.
10 Nam vbi pater meus & mater mea me deſtituerunt, Iehouah collegit me.
11 Doce me Iehouah viam tuam, & duc me in ſemita recta, propter inſidiatores meos.
12 Ne permittas me libidini eorum qui mihi infeſti ſunt, conſtiterunt cõtra me teſtes mendaces, & qui vim faciunt verbis.
13 Niſi credidiſſem me fruiturum bonis Iehouæ inter viuos. *Apoſiopeſis.*
14 Pendeto ab Iehouah, fortis eſto, & roborabit ille cor tuũ, pẽdeto ab Iehouah.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 D*Auidis. Iehouah lux mea & ſalus mea, à quo timeam? Iehouah robur uitæ meæ, à quo trepidarem?*
3 *Quũ acceſſerũt cõtra me noxÿ ad uorandũ carnẽ meã, infeſti mei & inimici mei mihi, ipſi impegerũt & ceciderũt.*
4 *Si metantur contra me caſtra, non timebit cor meum: ſi ſurrexerit contra me prælium, in hoc ego nitar.* An periculum de quo hìc canit, à Schaule, vel exteris hoſtibus, aut denique ab Abeſchalomo fuerit, incertum eſt. quanquam mihi non parum videantur, quæ canit, illi diſcrimini quadrare in quo erat quum perſequente eum Abeſchalomo, exercitum ſuum contra illum ordinaſſet, ducibus Ioab, Abiſai & Ithai Gathæo: ipſe, ita cogentibus ſuis, in oppido Mahanaim trans Iordanem euentum prælii expectans. de quo legimus 2. Schmu. 18. Siue autem de hoc, ſiue de alio quopiam

periculo Oda hæc conſcripta ſit, his primis tribus verſibus, vt ſe in diſcrimine deprehenſus animarit, & in ſpem bonam erexerit, in exemplum Sanctis canit. Exhibet autem ſe táquam iam ſecum magnitudinem periculi in quo iam erat, conſiderantem: & ſtatim cõſideratione Dei in quo omnem ſpem collocauerat, quicquid id erat, fortiſſimè contemnentem, ſalutémque ſibi ſecuriſſimè pollicentem: *Iehoua* (inquit) *lux mea.* etſi omnia mortis tenebras minentur, Iehouah is eſt qui è multis & difficillimis hactenus me periculis eripuit, ac velut iam nocte mortis ingruente in lucem reſtituit, ſalutémque tulit: ille & modò mihi aderit: quẽ ergo timerem? Ipſe robur vitæ meæ hactenus fuit, neque modò me deſeret: à quo trepidarem? Vicinus eſt exercitus hoſtilis, imminent mihi qui vorare carnem meam moliuntur: ſed antehac haud minora pericula me comprehenderunt, non minore ttucu'entia ſæpè iam bellum mihi hoſtes mei & infeſti mouerunt: at impegerunt omnes, & ceciderunt, ſucceſſit nulli. ita nunc quoque eueniet, ſcio: quo acceſſerint propius noxii iſti, aduerſarii & hoſtes mei contra me, quaſi carnem meam voraturi, eo impingent, cadéntque citius. id quod Abeſchalomo & populo eius vſuvenit, ſimulatque Iordane tranſmiſſo, cum exercitu Dauidis manus conſeruerunt. Verſu tertio periculi magnitudinem magis exprimit, dum obſidionis meminit & prælii. Vtrũque ſanè tum imminebat ei. Illud, *hac re ego nitor*: variè interpretantur. Quidam intelligunt id quo Pſalmum incepit, Iehoua lux mea & ſalus mea: quaſi diceret, in hoc quòd Deus mihi lux & ſalus eſt, confido. Alii id intelligunt de eo quod in verſu ſequenti dicit ſe petiiſſe. Videri quoque poſſit eſſe reticentia, & deſignatam promiſſionem, quam illi Dominus de regno & optato ſucceſſore, qui domum Domino eſſet ædificaturus, per Nathan fecerat, de qua legimus 2. Schmu. 7.c.16. inter alia enim pollicitus ei & hæc erat, Firma erit domus tua, & regnum tuum in ſæculum coram te: ſolium tuum Iehouah ſolidum reddet in ſempiternum. Et paulo antè, Quúmque compleueris dies tuos, & dormieris cum patribus tuis, excitabo filium tuum poſt te, qui egredietur de lumbis tuis, & firmabo regnum eius. Ille ædificabit domum nomini meo, & firmabo ſolium regni eius in ſæculum. En in hac promiſſione & pacifica mors, & optatus piúſque ſucceſſor, quique dignus eſſet domum Deo ædificare, Dauidi promiſſus fuit. Rectè igitur ſe tutũ fore ab Abeſchalomo, quanlibet cum eo faceret totus Iiſrael, hinc colligebat. Huius ergo promiſſionis fortè recordatus, de ea cecinit, Hac re ego confido. Quod verò eam nõ expreſſit, ardentem fidei affectum indicat. Sequens ſanè verſiculus eodem reſpicere videtur. Primam interpretationem, quia ſimplicior eſt, in verſione (repetito eo quod ſignificatum à Vate, huius interpretationis autores credunt) ſequutus ſum.

4 *Vnum petij à Iehouah, idipſum flagitabo: habitabo in domo Iehouæ omnibus diebus uitæ meæ, ut in decoro Iehouæ contempler, & perſcruter in templo eius.*

5 *Nam abſcondet me in tabernaculo in die mala, abſcondet me in abſcondito tentorij ſui, in rupe extulit me.*

6 *Et nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos circumquaque, & ſacrificabo in tabernaculo eius ſacrificia clangoru amam & pſallam Iehouæ.* Hoc vnum quod petierat, exiſtimo fuiſſe confirmationem promiſſionis Diuinæ, ſibi de ſucceſſore & domo Dei extruenda factæ, cuius iam meminit: quæ precatio verbis admodũ flagrantibus legitur 2. Schm. 7.d.25, & 1. Parali. 17.d.27. Nunc, inquiebat, ô Iehouah, oraculum quod de ſeruo tuo & domo eius edidiſti, firmum ſit in ſempiternũ, & fac quemadmodum loquutus es. Confirmetut & magnum fiat nomen tuum in ſempiternum, vt dicatur Iehouah Sebaoth, Deus Iiſrael, & domus ſerui tui Dauidis perſtet coram te. Nam tu Deus meus auribus ſerui tui hoc inſuſurraſti, ædificaturum te illi domum: hinc inuenit ſeruus tuus quod oret coram te. & reliqua. Hoc ipſum ergo Dauid orauerat, vt Iehouah perſeueraret Deus eſſe populi ſui Iiſrael: & vt ipſe ſatur vitæ, ſucceſſorem regni ex ſe videret pium, quíque verum Dei cultum extructo templo inſtauraret, non obliteraret: quod de impio Abeſchalomo certò expectabatur: id denique vnũ votis ſuis perpetuò quærebat. Quúmque iſtud ergo ex Dei oraculo & promiſſione & oraſſet primùm, & ſemper poſtea quæſiſſet, expectaſſétque: & tum quando exitium ſibi Abeſchalom minaretur, huius in mentem ipſi veniret, velut recepto animo, confirmatáque ſpe, non poſſe aliter rem cadere, quàm Dominus erat pollicitus, dicebat id quod ſequitur, Sedebo in domo Iehouæ cunctis diebus vitæ meæ. hoc eſt ſecurus hoſtium, & in regno meo tranquillus, quotidie adero in domo Domini, mira eius ſuper nos quæ facit facinora conſideraturus, & quæ magnifica promiſit veſtigaturus. Neque ſoli mihi hæc fœlicitas erit, ſed & filiis meis. Sic nanque & de hoc promiſerat Deus, vt legimus eodem loco, Stabilem (inquiebat de eius filio) illum faciam in domo mea, & in regno meo in ſempiternum, & erit ſolium eius ſolidum in ſempiternum. Cæterùm נעם, id eſt decor, & היכל, id eſt templum vel palatium, pro eodem accipiuntur, loco ſcilicet tabernaculi fœderis. Illic enim Deus peculiari numinis ſui præſentia præſidebat: ideo domus & regia, vel templum ipſius dicebatur, habebátque ſuum ornatum, & quidem eximium, ideo & decorem ipſum appellauit. Verti poſſet & *iucundi…* nam quum ſumma eſſet ſanctis ex Dei tabernaculo, quu ſiam Deus præſentiam erat pollicitus, amœnitas atque iu-

cunditas, per metonymiam & ipſum potuit iucunditas vocari. Sed vel ex verſu vltimo Pſalmi 90, liquet, hac voce magnificentiam & ſplendorem ſignificari. nam quum vir Dei illic orare vellet vt Deus magnificè cum ſuo populo ageret, dixit נעם, id eſt ſplendor vel decus Domini Dei noſtri ſit ſuper nos. Porrò illud, *Vt contempler in decore, & perſcruter in templo eius*, videtur cecinisſe de viſione & perſcrutatione iudiciorum Dei diuiniore & prophetica. Nam ita de ſe inquit, 2. Schmu.23.a.2, Spiritus Iehouæ per me loquutus eſt, & oratio eius in lingua mea. חזה ſiquidem ferè viſionem Diuinam ſignificat: quare Vates ſuis vaticiniis חזון titulum indiderunt: quanquam ſignificet etiam diligenter aliquid cōſiderare. Sic vſus eſt eo verbo Moſcheh Exod.18.c.21. item ſuprà Pſalmo 11, verſu 4, & 7, & Pſalmo 17, verſu ſecūdo. Siue autem de prophetica viſione, ſiue aliàs pia ſanctáque bonitatis Dei ſuper ſe & populum ſuum conſideratione, perueſtigationéque Pſaltes hìc loquutus ſit, noſtrū fuerit hinc iterum diſcere, ad quid ſint cœtus ſancti inſtituti, quid potiſſimum in loco ſacro agendum: nempe vt Dei opera & iudicia religioſiſſimè cōſideremus & perueſtigemus, vnde fides ſcilicet, amórque Dei vt plantantur, ita beata quoque incrementa percipiunt. Quapropter vt in ſuperiorem Pſalmum dictum, nihil æquè neceſſariū & ſalutare quàm illa magno ſtudio prædicare. Vera Dei cognitio, vita æterna eſt: huc cuncta Sanctorum ſtudia enixè referenda ſunt. Cæterùm de ſtudio frequentandæ Domus Dei, in verſu 8 Pſalmi 5, in verſu 7 Pſalmi 24, & in verſu 6 Pſalmi 6. De voce בקר in verſu 14 Pſalmi 11. Nemo verò miretur quòd id quod Dauid hic canit, ſe vnum petiſſe & quæſiturū, de confirmatione regni ſui & poſterurū quam illi Deus promiſerat, interpretatus ſum. Ipſe ſanè de hac re ita loquutus eſt 2. Schmu. 23.a.4, Lux orto mane ſole ſplēdet, nubes præ ſplendore mane euaneſcunt, à pluuia herba è terra naſcitur: at non ſic habet res domus meæ cum Deo meo: fœdus enim mecum icit ſempiternum, in omnibus paratum, ſeruatúmque. Omnis ſalus mea, & omne deſideriū eſt, quòd non germinet inſtar herbæ quæ ſtatim areſcit, ſed perſtet per omnia ſæcula. In his ſiquidem Sāctus Dei nequaquam regnū aut templum externum ſpectauit, ſed in Chriſtum ſeruatorem ex ipſo ſecundū carnem naſciturū, eiúſque ſanctam Eccleſiā, verum ac vnicum Dei templum, mentis oculos coniecit. Vt ergo regnum ſuū perſtaret, & in populo ſyncerus Dei cultus vigeret, donec hic omniū inſtaurator adueniret, primum, vnicum, ac perpetuum eius votum fuit, & iure quidem, quando totius hinc orbis ſalus expectaretur. Id quum promiſſum ſibi cogitabat, nullo negotio quæuis pericula & mala contemnebat: vnde & hic ſubiecit, *Nam abſcondet me, &c.* Hunc vero ordinem habent cum præcedentibus, Dixi me in omni æuo meo, donec ſatur vitæ fuero, ſeſſurū in domo Domini, & opera atque iudicia eius cōſideraturum, pióque ſtudio veſtigaturū: nec fieri poſſe vt me perdant qui iam cōtra me hoſtes innumeri venerunt. promiſit hoc mihi Dominus, igitur & præſtabit. Hinc eſt iſta mea fiducia, ex qua dixi me neminem formidaturum. etenim ſcio, abſcondet me in die malo, quū maximè deſæuient cōtra me hoſtes, velut in tabernaculo ſuo, in latibulo tentorii ſui, quò nullus illorū peruenire poterit, in rupem omni vi humanæ inacceſſam extollet. hoc eſt, Nō minus tutū me ſeruabit, quàm is eſſe poſſit quem Rex in ſuum tabernaculū recipiat: quod nemini niſi Regi ſummè morigero, adire permittitur: aut qui in rupem celſam euectus ſit, ad quam hoſtes conſcendere prorſus nequeant. Sed quid dicam de mea ab hoſtibus ſecuritate? Non ſolùm ſecurus ero illorum, ſed & victor. Iam enim extulit Deus caput meum ſuper illos qui me modò circundabant, & in manibus ſuis habere arbitrabantur. hinc ſolennes pro victoria Deo gratias agam, adhibitis holocauſtis, cum hymnis & canticis. Holocauſtis & pacificis (de quibus in verſu 4 Pſalmi 20) faciebāt, gratias ſolennes Deo agentes. Iam ad illa ſacrificia clāgebatur ex Lege buccinis, vt legimus Nume.10.a.2. Earū vero ſonus, תרועה vocatur Ebræis. Quare quod Pſaltes ſcripſit, זבחי תרועה, quod idem eſt atque זבחי עם תרועה, reddidi, *ſacrificia cum clangore*, nempe buccinarum. Dauid præterea nabla, citharas, & cymbala adiunxit, 1. Paralip.16.a.5.

7 *Audi Iehouah vocem meam: clamabam, & miſertus mei eſt, atque reſpōdit mihi.*

8 *Tibi dixit cor meum, inquirent faciem meam: faciem tuam ô Iehouah inquiram.*

9 *Ne abſcondas faciem tuam à me, ne labefacias in ira ſeruū tuum: fuiſti auxilium meū, ne ſpernas me, & ne deſeras me Deus ſalutis meæ.* Hinc vſq; ad verſum 13, precē memorat, qua in diſcrimine deprehēſus opem Dei orauit. Præcipuā cauſam cur exaudiri ſe nō tam petiit, quàm ſperauit, vtque ſpe hac firmaretur, memorauit, exprimit verſu 8: nimirum quòd cor ſuū de Deo ſemper cogitarit, & in memoriā reuocarit: quod de ſuis Dominus vbiq; teſtatur, nempe eos inquirere faciem ſuā, hoc eſt ſuam ambire gratiam, ſe colere, ac in omnibus obſeruare, atque ideo hoc ipſum ſedulò ſtuduiſſe, ac ſtudere. Id quod eo expreſſit, *faciem tuam inquiram.* Verſus hic admodū ambiguus eſt. Quod habet, *Tibi dixit cor meum*, poteſt intelligi, Cor meum tibi hoc velut confitetur, & de te, vel tua cauſa, aut tui ſtudio impulſum, cogitauit. Valet ſiquidem ל, nota datiui, nonnunquam præpoſitionem בעבור, id eſt propter, vel hac cauſa, de quo aliquoties ſuperius dictum eſt. Deinde eſt בקשו פני, ad verbum inquiſierunt, vel inquirent (ſi ſit præteritum loco futuri, vt paſſim euenit) faciem meā. Iſt id accipit

Videre propheticū.

A.Ezra, vt in perſona Dei dictum. Nec eſt inſolens Scripturæ, præſertim Pſalmis, perſonam ſubitò mutare, vt in verſu primo Pſalmi 11,& in ſecundo Pſalmi 16,& paſſim videre eſt. His ergo verbis hic præſentem particulam enarrat, Cor meum cogitat quid nobis mandes per eos quos nobis mittis:& reſpondes, Inquirite faciem meam. propterea faciem tuam inquiram. Alii vertunt & legunt, Vultus mei quærunt: vt accuſatiuum פני ex ſequenti particula mutuent. Hos Græci videntur ſecuti: nam verſum ſic reddiderunt, Tibi dixit cor meũ, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Hieronymus & Chaldæus ſimiliter habent, hoc vno excepto quod לך omiſerunt, quod in Ebræo non habetur. Dauid Kimhi vult illud, *Tibi dixit cor meum*, idem valere quod illud ſuprà Pſalmi 16, Etiam renes mei erudierũt me. vt ſit ſenſus, Cor meum cogitat ſemper tua cauſa, ex veneratione & ſtudio tui monet, & dicit coram me (בי enim hîc perinde acſi eſſet לבי intelligit) quòd inquirere debeant, ſubaudi te, & toto animo ad te rapi. Hac ergo de cauſa, quia apud me agnoſco te hoc requirere, hoc eſſe tuorum officium, inquiram & ego faciem tuã: hoc eſt te colam, tibi ſtudebo omni virtutis ſtudio accedere, approbarèque me tibi ſtudebo. Hoc verò quũ ſe ſtudio Dei eſſe præditum ſentiret, dici non poteſt quàm illi fiducia opis Diuinæ augebatur: facilè ſiquidem hinc agnoſcebat, ſe negligi à Deo haud poſſe, cuius tantum apud ſe ſtudium ſciebat. Qui nanque quærunt Dominum, non poſſunt illum non inuenire ſeruatorem, atque beatorem. Quæritur autẽ dum eius cognitio, volũtatiſque eius obſeruãtia & gratificatio quæritur. Verſus 9, ardet affectibus, & inde conſolationẽ affert quòd Deus & antea fuerit auxilio. Illud enim, *Auxilio mihi fuiſti*, idem eſt atque, Hactenus certè auxilio mihi fuiſti, ne ergo nunc deſeras. Inſunt his omnibus ardentes affectus, & in eo quòd cõciſè adeò dicit, *Fuiſti auxilium meum*: & in eo quòd ſe ſeruum Dei vocat, quòd deſeri & abiici deprecatur, quódque Deum ſuum & ſeruatorem, Deum appellat. Obſeruandum verò vt flagranter, quanlibet firmata ſpe, opem imploraſſe ſe canat. In huiuſmodi enim rerum diſcriminibus, ſpiritus quidem ſperãdo & audendo promptus eſt, at caro infirma. Vt ergo & in hac ſpiritus robur & fiducia redundet, metúque tormentorũ vel ex parte leuet, fundere preces Sancti ſolent tam vehementes, quæ non tam preces, quàm queſtus ſunt animi excruciati. De quo ſuprà in tractatu de oratiõe, enarrationi Pſalmi 5, adiecto. Itẽ in verſu 8, Pſalmi 6.

Sancti fortiter ſperant, & ſimul anxie orant.

10 *Nam pater meus & mater mea deſeruerunt me, & Iehouah colleget me.* Hoc verſu id augere videtur, quòd nõ dixit, Auxilio mihi fuiſti: hoc ſenſu, Adeò hactenus adfuiſti mihi, vt etiã quum parentes, quibus maiorem mei nemo vnquam curã geſſit, me deſeruiſſent, vt ſæpe ferre opem mihi haud potuerunt, tu me collegeris, ac filii loco habueris: ne ergo nũc me negligas. Niſi fortè patris & matris nomine intellexit ſummè neceſſarios, à quibus parentum beneuolentiam iure expectauerit, quorum ſanè multi cum Abeſchalom contra ipſum coniurauerant, inter quos & Amaſa erat. Primi etiam conſiliarii principũ, patres vocabantur, vt Ioſeph ſe patrem Pharaonis dixit, Gene. 45. b.8. Vnde videri poſſit eum Achitophelem, ac ſimiles hîc notaſſe, qui ab ipſo ad Abeſchalomum defecerant. Vtro autem modo Vates, patris & matris vocabulis hîc vſus ſit, ſiue pro his qui verè parentes fuerunt, ſiue iis qui fuerant illi parentum loco, id ſatis conſtat, memorare eum voluiſſe, Deum tum etiam ſibi adfuiſſe, quum deſtituiſſent ſe intimi ſumméque neceſſarii, & à quibus ſingularem meritò opem ſibi ſit pollicitus. Ita ſuccurrunt inter precandum Sanctis conſolationes, de quo aliquoties dixi.

11 *Indica mihi ô Iehouah, vias tuas, & educ me in ſemita recta propter inſidiatores meos.* Quia verò à tranſgreſſione Legis Diuinæ omne infortunium eſt, nec eſt ſalus abſque ſyncero ſtudio pietatis, orat nunc doceri ſe viam Domini, vitam ipſi gratam, pendentem ſcilicet totam à nutu eius, & vſibus proximi penitus expoſitam. Hæc iuſtitia Dei eſt, qua & regni cælorum ciuitas conſtat: quam qui ex animo quæſierit, ei reliquarum rerum nihil non ſuccedit, quia diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur. Addit, *propter inſidiatores meos*. Idem orauit verſu nono Pſalmi 5. tum enim iſtis præripitur nocendi facultas, quum innocentiæ & pietati ſedulò ſtudetur.

12 *Ne des me in animã eorũ qui mihi infeſti ſunt: nam ſurrexerunt contra me teſtes mendacij, & loquẽs violentiam.* Conſolatur ſe ab indignitate & peruerſitate hoſtium, orans ne ſe Deus illorum animo, peruerſæque cupiditati permittat. Nonnunquam enim נפש pro deſiderio & cupiditate accipitur. Falſos teſtes vocat, & loquentẽ vim, id eſt loquentes (ſingulare pro plurali) qui vim faciebant mendaciis ſuis. His forſan notauit Schimei, & alios qui mentiebantur iniuria ipſum inuaſiſſe regnum, & cædis Schaulis obſtrictum, atque ideo à Deo reiectum, ſecũdo Schmu. 16.a.5. His mendaciis ſumma iniuria Dauidem afficiebant, & plurimorum ab ipſo animos abalienabant. Iam Deus, quum ipſa veritas ſit, quî faueret mendaciis? quúmque ipſa ſit iuſtitia, quî permitteret innocentem libidini violentorum? Hæc ergo orans Sanctus, ſeſe conſolatus eſt, ſpemque ſibi de victoria contra iſtos confirmauit.

13 *Niſi credidiſſem videre bonũ Iehouæ in terra viuentium.*

14 *Expecta Iehouam, fortis eſto, & roboretur cor tuum, & expecta Iehouam.* In hoc verſu apoſiopeſis eſt,

& ſubaudiēdum, De vita & regno meo animum planè deſpōdiſſem. Niſi enim Diuinis promiſſis certam fidem habuiſſet, non potuiſſet non arbitrari actum de ſe eſſe, poſtquam tanta vi, tantiſque dolis oppugnaretur. Sed quòd credidit, certóque perſuaſus fuit fruiturum ſe adhuc bonis Domini inter viuos: id illi animos ſuffecit, & ſecurū reddidit. De promiſſione quam credidit, dictum eſt in verſu 3 & 4. Porrò videre in bono, eſt frui bonis: ſicut videre in inimicis, eſt voluptatē capere intuendo eorum infortunium. De qua videndi ratione in verſu 18, Pſalmi 22. Terram viuentium Kimhi de futuræ vitæ ſtatu intelligit: ſed ſatis liquet, vel ex verſu 7, Pſalmi 52, & Ieſcha. 38. b.11, præſentis vitæ locum ſic vocari. Nam in Pſalmo 52, prædicit ex hoc ſæculo radicē Doeg eradicandam. Ita & Hizkiah querebatur ſe ex hac vita ante tempus depelli. ſic enim habent eius verba, Dixi, non videbo Deū, Deum (id eſt tēplum Domini) in terra viuentiū: non intuebor amplius hominem cum verſantibus in ſæculo. Etenim promiſerat Deus Dauidi inter cætera & vitā longæuam, quum illi dixerat, Quum impleti fuerint dies tui. id eſt quum ad iuſtam ætatem perueneris. Promiſerat & pacem, rerúmque copiam. Hæc ergo Dei promiſſa ſecum reputans, quum extrema hoſtes minarentur, ſemetipſum alloquebatur, & confirmabat verbis verſus ſequētis, *Suſpice ad Iehouam*, expecta illum, pendeas ab eo, *conſortare, & roborabit ille cor tuum, expecta Iehouam*. His iterum monemur, promiſſa Dei, dum aduerſis exerciti angimur, in mentem reuocare, ſtudioſéque expendere. neque enim aliud eſt quo magis animi credentium in ſpem bonam erigātur. ſed fide, id eſt firma ſolidáque perſuaſione opus eſt, ne quis de eis addubitet.

Videre bona Domini. *Terra viuentium* *2.Sam.7.b.12.*

PSALMVS XXVIII, in genere miſto, δικανικῷ & ἐγκωμιαστικῷ.

Precem refert qua in graui quopiam periculo, fortè etiam coniurationis Abeſchalomicæ, primùm Dei auxilium implorauit: deinde deprecatus eſt, innocentem ſe cum nocentibus ultione coniungi: tum his ipſis meritum iudicium eſt imprecatus. Poſt hæc memorat hymnum quo gratias Deo pro uictoria & ſalute egit. Poſtremò precationem quam habuit pro populo. ARGVM.

1 DAuidis. Te ó Iehouah inuoco, propugnator mi, ne negligas, néve deſeras me, alioqui par ſum iis qui demittuntur in foueam. PARAPH.

2 Audi deprecationem meam, dum ad te vociferor, dum attollo manus meas ad templum ſanctum tuum.

3 Ne trahas vltione me cum improbis, cum iis qui prauitati ſtudent: pacificè cum proximis loquuntur, & alunt interim malum in cordibus ſuis.

4 Da illis iuxta opus eorum, & ſecundum malitiam ſtudiorum eorum: vt merentur facta eorum da eis, redde eis talionem

5 Non enim aduerterunt animum operibus, factíſque Iehouæ: id eos deſtruet, non extruet.

6 Laudetur Iehouah: nam audiuit deprecationem meam.

7 Iehouah virtus mea, clypeus meus eſt, ipſo nixum eſt cor meum, & adiutus ſum: indéque exultat cor meum, & cantico meo celebrabo eum.

8 Iehouah eſt virtus illorum, robur quo ſeruatus eſt vnctus eius.

9 Serua populum tuum, benefac hæreditati tuæ: paſce, & attolle illos vſque in ſeculum.

ADVERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

DAuidis. *Ad te ô Iehouah, clamabo: petra mea ne ſileas à me, ne tu taceas à me, & cōparabor cum deſcendētibus in foueam.* Vates hic, vt & aliàs, per ſilere vel tacere, permittere, negligere, quieſcere ſignificat. recte enim, nihil facere, pro nihil loqui, dicit, quandò loqui pro facere Scriptura paſſim vſurpat. De hoc tropo nonnihil in verſu 6, Pſalmi 4. Et 2. Schmu. 19. b. 10, legimus, dixiſſe populum iudicibus, quum arguerent quòd Dauid regem occiſo Abeſchalomo non reuocarent, Nunc quare vos [illegible], id eſt ſilētes eſtis (vel ſiletis, hoc eſt ceſſatis, omittitis, negligitis) Regem reducere? Precatur ergo hic Dauid, ne ceſſet Deus ſe iuuare in periculo conſtitutū. Simili tropo vſus eſt & Aſaph verſu 2, Pſalmi 83. Porrò quāto in periculo fuerit, eo oſtendit, quòd queritur ſe alioqui parē futurum fuiſſe deſcendentibus in ſepulchrum, hoc eſt mortuis: id eſt actum de ſe fuiſſe, niſi Deus opem tuliſſet. Haud verò diſſimile veri videtur, periculū hîc coniurationis Abeſchalomicæ, de quo & ſuperior Pſalmus cecinit, notari. neque enim raro Pſalmi de eadem re compoſiti coniunguntur: quod in verſu 2, Pſalmi 20 annotaui.

2 *Audi vocem deprecationis meæ in clamore meo ad te, attollendo manus meas ad Oraculum ſanctitatis tuæ.* Ardorem & vehementiam precationis, vtique ex periculi magnitudine natam, indicat. Nam & cla-

moris,& manuum extenſionis(quod vtrunque enixè orantium, imò flagitantium eſt)meminit. AdOraculum ſanctitatis tuæ,eodem ſenſu dixit quo verſu 8 Pſalmi 5,Ad templũ ſanctitatis tuæ. דביר locus erat in quo poſita fuit Arca fœderis,3.Schm. 6.a.5, vnde reſponſa Deus dabat, & preces ſuorum audiebat.Ob quam promiſſionem,verſus hoc Oraculũ precabátur etiam abſentes.Idem autẽ valet atque ſi dixiſſet,Extendo ad teô Deus manus meas: Oraculô enim illud,ſedes Dei erat.

3 *Ne trahas me cum improbis, & cum operarijs prauitatis, loquentibus pacem cum proximis ſuis, & malum in corde eorum.* Spem ſibi auxilii confirmat ab improbitate & fraudulentia hoſtium, & forte ideo ſimulantium pacem,id eſt fidem & amicitiam verbis,corde autem malum cogitantium,id eſt continuò vias nocendi quærentium meminit, quòd plurimi tum ipſum atrociſſimè oppugnarent, qui ante eam coniurationem ſe ſimulauerant ipſi deditiſſimos. Non trahas me cum improbis, idem eſt quod illud in Pſalmo 26,Ne colligas me cum flagitioſis: nempe ne tollas me vltione quæ illis,non mihi,maximè ſi eis conferar,debetur.Qui פעלי און dicantur,id eſt ſtudioſi prauitatis, dixi in verſu 6 Pſalmi 5.

4 *Des illis ſecundum opus ipſorum, & ſecundum noxia ſtudiorum ipſorum, ſecundum facta manuum ipſorum da eis, redde retributionem ipſis.*

5 *Quia non aduertũt mentẽ ad opus Iehouæ, & ad facta manus eius, deſtruet eos, & non ædificabit eos.* Quod hoſtes meriti erant,& Deus illis iuſtè immiſſurus erat,atque ideo & in Dei gloriam,& ſalutem bonorum erat ceſſurum,id concors Diuinæ voluntati, piè & citra vllum indigni odii motũ,eis imprecatus eſt.Nõ enim tam ſuos,quàm Dei hoſtes,ex Spiritu Dei illos eſſe ſciebat.De huiuſmodi imprecatione,in tractatu de precatione, enarrationi 5 Pſalmi adiecto, & in vltimo verſu Pſalmi 6,ac alibi plura. Præcipuam verò impietatis horum radicem expreſſit verſu 5,Non intelligũt,animum non aduertũt operibus, factiſque Dei.Selegerat ſibi Deus in Regem Danidem, regnúmque eius confirmaſſe ſe multis ſanè indiciis declarauerat, è quibus perfacile fuiſſet coniuratis iſtis agnoſcere,Dei ſe conſtitutionem oppugnare.Sed vt omni religione vacui erant,ita horum nihil cogitabant,fretique ſuis viribus omnia tentabant.Digni igitur fuerunt quos pro ipſorum impietate Deus deiiceret,victoria vncto ſuo delata.Ecqui conſideratione ſua impii opera Dei dignarentur,qui totis viribus Dei opinionẽ ex animo eiicere laborant? De quo ſuprà verſu 4 Pſalmi 10,& verſu 1 Pſalmi 14. Obſeruandũ quod verſus habet יבינו אל פעלת, id eſt intelligent ad opus. Videtur enim id Vates ſignificare voluiſſe, animum poſſe & debere conſiderãdis operibus Dei aduerti: at ea peruideri,planéque intelligi nõ poſſe. Nominatiuus agentis verbi *deſtruet eos, & non ædificabit*, eſt Nõ aduertere animũ ad opera Dei. id enim eſt quod perdit abolétque impios. vt ingens ſanè Dei contemptus eſt,eſſe Dei opus,frui Dei operibus, vbique verſari in Dei operibus, nec illis mentem admouere.Quod adiecit,*Et non ædificabit eos*,deſtructionis ſignificatum auget.

6 *Laudatus Iehouah, quia audiuit vocem deprecationis meæ.*

7 *O Iehouah robur meum, & clypeus meus, eo nititur cor meũ, & adiutus ſum, & exultabit cor meum, & cantico meo celebrabo eum.* His verſibus canit victoriam contra coniuratos. Obſeruandus verò ordo diſpenſationis Diuinæ erga Sanctos:& vt afflictio patientiam, hæc probationem,& iſta ſpẽ gignat. Periculum & premens calamitas fecit vt ad Deum vociferaretur . inde conſolatus, vt fidei incrementum,ita patientiæ robur accepit,nempe expertus Dei erga ſe bonitatem.vnde ſpe confirmata,totus ipſo nitebatur,ſciens ſe eius tutela,vti clypeo,tutum fore ab omnibus hoſtium telis. Mox & victoria donatus,non potuit non exultare gaudio de tã effuſa Dei bonitate: quæ denique exultatio in laudes & hymnum Dei coegit erumpere: id quod proprium opus eſt beatorũ . Quis tam rectè de veritate edoctus,non optet etiam afflictionibus probari,imò perfici?

8 *Iehouah robur eſt illis, & corroboratio auxiliorum vncti ſui ipſe.*

9 *Serua populum tuũ & bene fac hæreditati tuæ: paſce eos, & exalta eos uſque in ſeculũ.* Verſus iſte octauus ceu epiphonema eſt,quo ſimul rationẽ ſubiicit iis quæ verſu 7 cecinit.hũc nanque ſenſum habet, Ecqui aliter eueniſſet? Iehouah virtus iſtorũ fuit,id eſt exercitus mei , qui numero hoſtibus longè inferior fuit:neque vlla ratione victoria potiri potuiſſet,niſi Domin' illos roboraſſet.Illud quod ſequitur,*Et robur ſalutũ Chriſti ſui ipſe*:videtur hoc ſenſu ſubiectum, Etenim quũ vnctus Domini ſim, ſemper mihi hactenus affuit:& quæcunque ſalus vnquam contigit, eius virtute perfecta eſt:quare nec modò deſerere me voluit. Quod enim ישועות,id eſt ſalutes, non ſalutem dixit:ad id reſpexiſſe videtur,quòd ſæpiſſime iam ipſum hoſtium ſuorum victorem ſecerat, quũ nihil minus potuerat ſperare,propter virium imparitatem.Quod dixit *virtus illorũ*, nec expreſſit quorũ:affectum indicat. admirabatur plurimùm bonitatem Dei in paucos qui pro ſe pugnauerant : vtque in illis animo totus erat,ita quaſi perinde noti omnibus eſſent,relatiuo tantùm eos deſignauit. Talis eclipſis eſt & in verſu 4 Pſalmi 16,Illorum autẽ idola: quos tamen antea nõ expreſſerat: ſed voluit ſic affectum deteſtationis declarare.Huiuſmodi eclipſibus crebrò vtitur omnis Scriptura. Verſu vltimo precatur vt & porrò populum quem ceu hæreditatem,vnicè ſcilicet charum habere digna-

virtus illorum [illegible]

tuſerat,ſeruet,beneficiis cumulet,paſtorem eius agat,& exaltet. In quo declarauit,populi,non ſui cauſa, victoriam & regnum rurſus ſibi adſeri petiiſſe. ſic animati ſunt qui verè principes agunt. Vt Sancti,Dei hæreditas ſunt,dixi nonnihil in verſu 6 Pſalmi 26. Quomodo ſuorũ paſtor Deus ſit,in verſu 2 Pſalmi 23. Omnia fidei, quæ radix eſt totius ſalutis & fœlicitatis, cum vim,tum fructum docent. Vtinam ſint mentes horum capaces.

PSALMVS XXIX, in genere miſto, [illegible].

Hymnus eſt, quo Deum à uirtute, quam tonitru & reliqui cæli tempeſtatibus exerit, celebrat, atque de eius in populum Iſrael beneficentia gloriatur. ARGVM.

1 ODa Dauidis. Cedite Iehouæ,qui virtute præſtatis, cedite Iehouæ decus PARAPH.
& potentiæ laudem.
2 Cedite Iehouæ decus,dignũ nomine eius:ſupplicate Iehouæ in regia ſancta.
3 Vox Iehouæ ſuper aquis, Deus maieſtate verendus tonat : Iehouah ſuper a-
quis magnis.
4 Vox Iehouæ præualida,vox Iehouæ magnifica.
5 Vox Iehouæ confringit cedros,confringit Iehouah cedros Libani.
6 Exilire facit illas,vti vitulũ Libanõ & Schireiõ,ſicut exilit vitulus vnicornis.
7 Vox Iehouæ diſſectas eiaculatur flammas ignis.
8 Vox Iehouæ trepidare facit deſertũ,Iehouah trepidare facit deſertũ Kadeſch.
9 Vox Iehouæ parturire facit ceruas, & renudat ſyluas: at in templo eius cun-
cti laudem dicunt.
10 Iehouah diluuio præſidet,præſidet Rex ſempiternus.
11 Iehouah virtutẽ populo ſuo ſuppeditat,Iehouah populo ſuo benefacit, do-
nans rerum ſucceſſum.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *CEdite Iehouæ filij fortium, cedite Iehouæ decus & uirtutem.*
2 *Cedite Iehouæ decus nominis eius, adorate Iehouam in ſplendore ſancto.* Inuitat ad prædicandam Dei maieſtatem,& potentiam omnibus ſupereminẽtem,idque in ſplendore ſancto, id eſt Tabernaculo fœderis,in quo Deus numinis ſui ſplendorem & magnificentiam peculiarem exhibebat, colique volebat, Exodi 33,& vltimo. Vt tabernaculum ſuprà Pſalm.27,verſu 4,נוה,id eſt decorem vel iucunditatem vocauit: ita vocat hîc הדר,id eſt ſplendorem vel magnificentiam. Inuitat autem ad prædicandum virtutem Dei בני אלים,id eſt filios fortium,vel virtute inſignium,quod idem eſt atque fortes,vel virtute inſignes: ſicut filii viri,idem valet quod viri,de quo verſu 2 Pſalmi 4, & filii hominum,idem quod homines,de quo verſu 12 Pſalmi 21. Græci reddiderunt filios arietum,quaſi אילים ſcriptum eſſet:at Vates אלים ſcripſit. Verùm fortes iſtos,vel virtute inſignes,Abraham Ezra aſtra intelligit,propterea quòd hæc & Iiob 38.a.7,filii deorũ,id eſt dii dicũtur. Sic enim illic legitur, Quum mane pariter iubilarent aſtra, & canerent omnes בני אלהים, id eſt filii deorum. Filios enim Dei & deos Scriptura vocat,quicunque Deũ præſentius,& inſignius referunt,ampliore Diuinitatis portione donati. Vnde non ſolùm Angelos,immortali & beata vita, virtutéque incomparabili Deum præclarè repræſentantes:ſed & Principes, poteſtatéque qua Deum vtcunque referunt,pollẽtes,filios Dei,& deos appellat,vti ex Gen.6.a.2,& Pſal.82,verſ.1 liquet. Siue autem Pſaltes hîc ſpiritus ſupernates,ſiue eximios homines,ſiue etiã aſtra,quæ & Pſalmo 148.a.2,ad laudandum inuitat,per filios fortium,ſiue deorũ (nam & אל nomen Dei eſt) intellexerit,hoc vtique ſignificare voluit, nihil tam ſublime, nihil adeò virtute præſtans eſſe , quod non ſupplex Deo canere laudem debeat,cuius potentia & virtus tanto interuallo cuncta præcellit. Chaldæus habet, Chorus Angelorum. Mirandum quòd diuus Hieronymus Græcos ſequi maluit. Ego ſingulari præditos virtute & potentia homines malo intelligere,eo quòd ad adorationẽ inuitat ſplẽdore ſancto, hoc eſt Tabernaculo fœderis,ad quod Sancti cõuenire ſolebant. niſi quis putet cælos hac periphraſi ſignificatos. Tum magis ex officio Vatis fuit,homines ad laudandum Deum prouocare,quàm Angelos,vel ſidera. Etenim quòd alicubi cum Angelis & cælis omnem quoque aliam creaturam ad celebrandas Dei laudes inuitat,magis id facit vt homines excitet ad conſiderandam Dei in his bonitatem, ſapientiam, & potentiam, quàm vt ab ipſis iſtis rebus laudem Dei requirat,de quo in Pſalmo 96. Quòd tertiò dixit, *Cedite*, ardentem in Dei laudem, & ad declaratam tam magnificè Dei potentiam,ſtupentem animum indicat.

Quibus Dei appellatio tribuatur.

3 *Vox Iehouæ ſuper aquas, Deus gloriæ tonare facit, Iehouah ſuper aquas amplas.*

4 *Vox Iehouæ in virtute, vox Iehouæ in ſplendore.* De eo quòd tonitru Deus ſuam mortalibus potentiam, & ſimul tam beneuolentiam quàm iram, ceu peculiari portẽto ſubinde declarare ſolet, dixi quædam in verſu 8 Pſalmi 18. Veriſimile ergo eſt, talem aliquam tempeſtatẽ, fauoris Diuini teſtem, Dauidi cauſam hunc Pſalmum componendi, in quo Dei potentiá, occaſione ex illa ſumpta, celebraret, dediſſe. De tonitru itaque cecinit, *Vox Iehouæ ſuper aquis*, hoc eſt in nubib' tonat. Etenim quod ait, Vox Iehouæ ſuper aquis: & poſtea, Iehouah ſuper aquis multis: nihil aliud eſt quàm id quod medium inter hæc poſuit, Deus maieſtate verẽdus tonuit, vel tonare facit. *Super aquis* idem eſt atque in nubibus, quas verſu 12 Pſalmi 18, tenebras aquarum, id eſt tenebroſas vel obſcuras aquas vocauit. Nubes ſiquidem, definitore Ariſtotele libro de Mundo, & interprete Budæo, eſt craſſamentum exhalationum conuolutum, vim habens aquæ gignendæ. Quia igitur nubes aquas gignunt, & ex humidis exhalationibus gignuntur: per metonymiam, aquæ à Vate vocantur. Porrò de hac anthropopathia, qua tonitru Dei vox dicitur, quæ propter nimiam imparitatem, cum gratiæ nonnihil, tum & momentum aliquod habet excitandi animum in Diuinæ potentiæ admirationem, dixi quædam in verſu 6 Pſalmi 19. Vocem hanc canit eſſe cum virtute & magnificẽtia, hoc eſt præualidam & magnificam, eo quòd virtutis Dei, verendæque omnibus potentiæ eius, tam clarum & formidabile indiciũ ſit. Haud diſſimilia & Iiob 37.a.2, cecinit, Audite ſonitũ, cum tumultu vox eius, & murmur egreditur de ore eius. Sub omni cælo ſpargitur, & lux eius omnes plagas terræ illuſtrat. Poſt hanc premit vox, & tonat voce excellentiæ ſuæ, nec obſiſtũt nubes, quum audita fuerit vox eius. Tonat voce ſua portentoſa Deus, maiora efficit, quàm vt queant cognoſci.

Nubes aquæ dicũtur.

5 *Vox Iehouæ frangentis cedros: & frangit cedros Libani.* Cecinerat vocem Domini præualidam, idem iam ab effectu & vi deprompta prædicat. Cedri peculiares Phœniciæ arbores, cum maximæ ſint & altitudinis, & craſſitudinis, voluit Vates ex earum deiectione vim tempeſtatis exaggerare. Canit ergo, *Vox Iehouæ confringens cedros, &c.* Vocem hanc dixi tonitruum eſſe. iam fulminibus deiiciuntur arbores, non tonitruo: ſed Vates communem his naturam ſpectauit. Etenim ſi in nube luctetur flatus, aut vapor, eduntur tonitrua: ſi erumpat ardẽs, fulmina: ſi longiore tractu nitatur, fulgetra. Hæc Plinius libro ſecundo, capite 43. Ariſtoteles de his ſcribit libro de Mũdo, interprete Budæo, Flatus verò in nube implicitus, & craſſa, & humida, continuatum nubis ſpiſſamentum violenta eruptione confringens, mugitum edere cum ingenti fragore ſolet, qui tonitru dicitur, modo haud abſimili ſpiritus vehementer in aqua impulſi. Fulgetrũ eſt ſpiritus ignitus & coruſcans dum nubes dirumpitur. At verò quod fulſerit, ſi ad terram vſque curſim illiſum ſit, fulmen vocatur. Hæc Ariſtoteles. Ex his iam videtur, eũdem flatum eſſe, & tonitruum, & fulgetrum, & fulmen. Tonitruum autẽ dici, quũ adhuc in nube luctatur, maximè autẽ quum nubis ſpiſſamentum violenta eruptione perfringit: Fulgetrum, quum ardet & coruſcat dirupta nube: Fulmẽ, quum in terram idem illiditur. Ad hæc quum omnia tria ſimul ferè accidant, tonitru, fulgetrum, fulmen, eo tamen ordine vt primum ſit tonitru, proximum fulgur, vltimum fulmen, non eſt inſolens quòd per tonitruum quod ſenſibilius eſt, eóque plus terret, tum & primum eſt, reliqua Vates intellexerit. Fulgetra tamẽ nominatim memorat verſus 7, quum canit vocem Iehouæ flammas igneas ſecare, hoc eſt ceu exciſas ignis partes eiaculari. Quòd autem antè fulgura vidẽtur, & fulminis ictus ſentitur, priuſquam tonitru exaudiatur, tarditas efficit auditus, qui naturæ eſt aereæ & ſpirabilis, cum oculi ſint igneæ: tum & lux velocior eſt ſonitu.

6 *Facit illos exilire ſicut vitulũ Libani, & Schireion ſicut filiũ unicornium.* Imagine ſubſilientis vituli & vnicornis, ſubſilientes cedros, dũ ictæ fulmine ſunt, alioqui immotæ, deſcribit. Libani meminit, qui mons cedros: & Schireion, qui & ipſe vel cedros, vel alias robuſtiores habet. Libani paſſim in Scriptura, & aliis autoribus mentio fit. Schireion mons Hermõ eſt. Qui enim Hermõ aliàs vocatur, eũ Sidonii Schireion, & Amorrhæi Senir appellant, vt legimus Deut. 3.b.10. Ptolemæo idem Hippus dicitur: iunctus eſt Antilibano: & fieri poteſt vt cum Hippo totum Antilibanõ Scriptura hoc nomine ſignificarit. De fera quam Scriptura ראם vocat, & alii vnicornem, alii naricornẽ reddunt, dixi in verſu 22 Pſalmi 22.

7 *Vox Iehouæ excindit flammas ignis.* De fulgetris, vt dixi, hic verſus loquitur, quæ celeri quadam vi flatus, ceu ex lapide excindũtur. Subiecit hoc deſcriptioni violentiæ fulminis in diſiectione arborum, notans fortè incendium quo icta fulmine conflagrare ſolent.

8 *Vox Iehouæ parturire facit deſertum, Iehouah parturire facit deſertum Cadeſch.* Iterum ab effectu vim tempeſtatis exaggerat, id prædicans & feras in deſertis tempeſtate cõmoueri. Deſerti Kadeſch meminit, quòd ſit multò vaſtiſſimum, & maximè horrendum, per quod populus Iiſrael quadraginta annis circunductus fuit, poſtquam eſſet ex AEgypto egreſſus. Ebræorum ſapiẽtes ſcribunt, vt meminit R. Schlomoh, quinque nominibus vocatũ hoc deſertũ, Sinai, Sin, Kadeſch, Kadmoth, Paran. Numer. 33.c.16, & Moſcheh idem deſertum, Sin & Kadeſch, dictum teſtatur. Kadeſch di-

ctum putát, quòd filii Iiſrael ſint in eo parati & idonei redditi qui terram Chenaan ingrederētur.
קדש enim præparare ſignificat. Alii ſcriptores, etemū Arabiæ vocant: pertingit vſque Idumæam,
Numer. 20. c. 16. Metonymia autem eſt, dum canit deſertum trepidare. nam feras deſerti intelligit.
vnde in verſu 9 ſubiicit,

9 *Vox Iehouæ parturire facit ceruas & denudat ſyluas, & in templo eius dicit quiſque gloriam.* Ferunt has
difficilimè parere: proinde terroris magnitudinem eo indicat, quòd tempeſtate conſternatas ca-
nit parturire. Et haud ſcio an de intēpeſtiua parturitione & aborſu hoc intellexerit. Sic enim ma-
gis Diuinæ potentiæ miraculum auxerit, vt cuius vox parturire faceret ante legitimum tempus
& eas animantes quæ ſuo etiam tempore ægrè enituntur. Porrò coniectura eſt, Vatē eo quòd me-
morat parturitionem ceruarum, ſignificare voluiſſe, nihil prorſus poſſe tempeſtatis terrorem ef-
fugere, quálibet in abditiſſimis deſertis lateat. Etenim Iiob 39. a. 4, de parturitione ceruæ ita loqui-
tur vt quæ ab homine nequeat ſciri, Nunquid parturientem (inquit) ceruam obſeruaſti? Nunquid
numeraſti menſes conceptus eius, & noſti tempus partus eius? Ariſtoteles tamen cap. 29, libro 6
de natura animalium ſcribit, metu beluarum ceruas iuxta vias parere. Et Plinius hunc (vt ſolet) i-
mitatus, In pariēdo (inquit) ſemitas minus cauent, humanis veſtigiis tritas, quàm quæ ſecretæ ac
feris opportunæ. Iidem ſcribūt ceruas octonis menſibus ferre vterum. Quàm certa hæc ſint, iudi-
cent alii. Iiob mihi naturæ non minus Ariſtotele, vel imitatore eius Plinio, peritus videtur. Sed a-
lia ſunt forſan pro regionū diuerſitate & ferarum ingenia. Subiicit, *Et denudat ſyluas*. id intelligunt
Ebræi de arborum deiectione. illis enim deiectis fulmine, ſyluæ velut denudātur. Haud tamē ſcio
annon voluerit ſignificare, terrore tempeſtatis in cōſpectum produci quicquid in ſyluis alioqui
latet: vt ſi ridē atque ſi dixiſſet, Reuelat ſyluas, agítque in patulum quæ erant in ſyluis abſcondita.
Huc me mouet hoc quòd illi de parturitione ceruarum ſubiicitur. Vltima particula, *At in templo e-
ius omnes dicunt laudem*: hoc ſenſu videtur ſubiecta, Quum perterrefaciat omnia portentoſa vox Do-
mini, ſuos tamen recreat, & laudem dicere compellit. Quanto enim potentiorem Deum, & for-
midabiliore virtute inſignem agnoſcunt, tanto ſolidiore ſpe firmantur, & gaudio pleniore per-
funduntur, vt quibus contigerit hunc Deum vindicem, protectorem, & patrem habere. Si autem
quis hîc collectiuam coniunctionem putet, vt ſic reddatur, Proinde omnes dicūt in templo eius
laudem: haud erit abſurda ſententia. כבד habetur, quod gloria & dignitas verti ſolet, ego reddidi
hîc *laudem*. etenim gloriæ laudem Vates intellexit, ſicut & ſuprà verſu 2. Ex his diſcendum vt
de tempeſtatibus & aliis operibus Dei ſentiendum, vtque memoranda ſint. Quicquid huius acci
dit, ſunt qui ilico dicunt, Naturale hoc eſt, cauſam Ariſtoteles reddidit. quaſi verò non & naturæ
autor Deus ſit: aut quicquam ſit quod non ipſius ſolius nutu, certáque diſpoſitione fieret, vt ſunt
ab eo ex nihilo omnia condita. Pius itaque quantumlibet ſolito naturæ curſu opera Dei euenire
videat, nihilominus potentiam & bonitatem autoris religioſè ſuſpiciet, metúmque & reueren-
tiam Dei in ſe & aliis excitare, dabit operam. Impiorum eſt, nullam operum Dei rationem habe-
re, vti canit verſus 5 Pſalmi proximè præcedentis: qui etſi de peculiaribus illic Dei operibus dictus
ſit, res ipſa tamen docet, catholicam eam ſententiam eſſe.

10 *Iehouah præſidet diluuio, & præſidet Iehouah rex in ſempiternum.*

11 *Iehouah robur dabit populo ſuo, Iehouah benefacit populo ſuo cum pace.* Quod canit præſidere diluuio,
indicat dum ſæuit tempeſtas, & nimbi deſcendunt, nos moneri diluuii quo orbis periit, cui præſi-
det Deus, & hodie æquè ac olim eo nos abſumere poteſt. Id igitur cogitantes, decet odiſſe ſcelera
ob quæ illi tum perierunt, & pietati ſtudere, ob quam tum Noah cum ſuis ſeruatus eſt. Ex his verò
admiratione Diuinæ potentiæ magis inflāmatus, canit, *Præſidet Iehouah rex in ſempiternū.* Quia nihil
in nobis pietatem promouet, quanlibet attentè Dei potentiā conſideremus & miremur, niſi iuxtà
ab eo ſalutē nobis ſperemus. ſtudiū enim Dei abſque eius amore nullū eſſe poteſt. Chaldæus hūc
verſum ſic reddidit, Deus in tempore diluuii ſuper ſedem iudicii ſedit, vt vicem redderet prauis,
ſeditque ſuper ſedem miſericordiæ, & liberauit Noah, & regnabit ſuper filios eius in ſecula ſecu-
lorum. Deum potentiæ tam metuendæ & terrificæ populo ſuo virtutem ſuppeditat, vt tanto mi-
nus mortalium poteſtatem expaueſcant, certioréque fiducia ſe Dei tanto interuallo omnem a-
liam virtutem poſt ſe relinquentis, protectioni committant. Etenim omnem ſuam potentiam
in bonum populi ſui exerit, virtute inſtruit, ne à malis opprimātur: tum omnium beneficiorum
genere cumulat: & pacem, hoc eſt tranquillum rerum ſucceſſum donat. Non igitur perterrefieri,
ſed ſpe optima erigi, lætitiáque affici oportet eos qui Dei populus cenſentur, quotieſcūque ſe Dei
virtus & potentia clarius profert. Hinc iubet ſuos Chriſtus, quum vltima die, tota orbis machina
ruinam minabitur, attollere capita ſua, & gaudere, eo quòd redemptio eorū proxima ſit. Ita que-
uis tempore, quanto Deus ſuam potentiam luculentius exerit, tanto Sanctos magis exhilarari o-
portet, eo quòd quicquid geſſerit Deus, ipſis bono eſſe neceſſe ſit: & ſpe tanto inſigniora geſturum,
quanto maiore orbi ſe magnificentia inſinuat. Et vt nihil peculiare atque inſigne deſignet, vt ple-

ræque tempeſtates accidere videntur, adhuc gaudere neceſſe eſt filios Dei, vel ex eo ſolo quòd audiunt Deum ſuum, cuius potentiam mundus alioqui ridet, ſic mortalibus metum incutere, ſuámque maieſtatem declarare.

PSALMVS XXX, in genere miſto, ᾠδικῶς.

ARGVM. *Gratias agit pro reſtituta valetudine: et hinc Dei bonitatem, aduerſa ſuis nonniſi in bonum immittentis, idque vix momento, ſi ad tempus cōferas fœlicitatis illorum, magnis affectibus prædicat. Teſtatur nō alia cauſa ſe petere vitā ſibi prorogari, quàm ut fortiter ea inſtauret atque promoueat quæ faciunt ad gloriam Dei, & ſalutem Sanctorum.*

PARAPH. 1 ODa carminis, quod in dedicatione domus Dauidis cantarunt.

2 Exaltabo te Iehouam, tu quoque me extuliſti, nec exhilaraſti de me hoſtes meos.

3 Iehouah Deus mi, clamabam ad te, & ſanaſti me.

4 Iehouah ab inferis animam meam ſubduxiſti, vitam reſtituiſti mihi, ne in foueam deſcenderem.

5 Canite Iehouæ hymnum, qui ab illo pendentes bonitati ſtudetis, celebrem reddite memoriam ſanctitatis eius.

6 Nam momentum ira eius ſæuiit, at ex eius beneuolentia conſtat vita: ad veſperam fletus aderat hoſpes, at mane ſtatim fuit vnde ouarem.

7 Quum ſecundæ res erant, cogitabam, In ſempiternum non nutabo.

8 Ex beneuolentia tua ô Iehouah, regnum meum inſtar montis firmum reddideras: at ſimul ac faciem tuam auertiſti, fui conſternatus.

9 Te Iehouah inuocabam, Dominum deprecabar.

10 Quid (dicebam) contulerit vita mea, ſi ſepulchro modò demander? nunquid celebrabit te, fidémque tuam prædicabit limus?

11 Audi Iehouah, & miſerere mei, ô Iehouah ſis mihi auxilio.

12 Luctum meum tripudio commutaſti, exuiſti ſacco, & amiciuiſti gaudio.

13 Propterea canet tibi laudem lingua, nec ſilebit, Iehouah Deus mi in ſempiternum celebrabo te.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 O*Da cantici dedicationis domus Dauidis.* Scribunt Iudæi, Pſalmum hunc à Dauide eſſe conſcriptum pro dedicatione templi: alii, primi templi extructi per Solomonem: alii, ſecundi ædificati per reduces è Babylone: alii, extruendi per Meſchiah, quem expectant. Verùm ipſa Pſalmi verba apertè indicant, Odam eſſe qua Dauid gratias agere Domino voluit pro reſtituta valetudine. Quòd autem inſcriptio, dedicationis domus meminit, videtur Aben Ezræ, hunc Pſalmum in dedicatione domus eius primùm fuiſſe cantatum. Secundo Schmu. 5.b.11, legimus, quum Dauid occupata Ieruſchalaim, continuò dignitate & rerum ſucceſſu auguſtior & fœlicior redderetur, miſiſſe ad eum Hyram regem Tyri nūtios, ligna cedrina, fabros lignarios, & peritos poliendis lapidibus, qui domū illi extruxerunt. Poſt hæc continuò ſequitur, Et agnouit Dauid quòd confirmaſſet ſe Iehouah in regem ſuper Iiſrael, & extuliſſet regnū ſuum ſuper populum ipſius Iiſrael. Et accepit ſibi præterea Dauid concubinas & vxores de Ieruſchalaim, &c. De hoc tempore fortaſſe cecinit verſum ſeptimum, quum ſecundæ res erāt, &c. Iam fieri poteſt vt antequam domus ædificium abſolueretur, graui aliquo morbo laborarit: à quo quum Dominus eum liberaſſet, dediſſetque extructā domū dedicare, gratias egerit hoc hymno, Deúmque prædicarit, qui ex ſolita ſua erga ipſum beneuolentia donaſſet ſano iam, & cætera quoque fœlici, hæc encænia celebrare. Etenim inter mala quæ Deus in Lege contemptoribus ſuis minatus eſt, & hoc numeratur, Domū extruere, quam alius inhabitet, Deut. 28.c.30. Erat verò hoc tam infauſtū, vt Dominus iuſſerit, imminente bello renunciari per tribunos, Siquis in populo ædificaſſet nouam domum, quam nondum initiaſſet, vt ab exercitu reuerteretur, maneretque domi ſuæ, ne forſā in bello caderet, & alius domum illius dedicaret. Nō dubitarim quoque, huiuſmodi etiā priuatarū ædium dedicationem non abſque ceremoniis ſacris, & ſolenni gratiarum actione pro eo beneficio peractam eſſe, quum omnium rerum primitias ſacras ſibi eſſe Dominus voluerit: & gratias ſibi agi, priuſquam dona eius in communem vſum venirent. Quare haud præter morem publicum feciſſe Dauidem arbitror, quòd in dedicatione domus ſuæ, tam auguſtæ, quæque Diuini fauoris in eum confirmati in-

Præceptum maledictum, domū extruere quam alius inhabitet.

2.Sam.7.a.2.

dicium eſſet, vti ipſum interpretatum Sacra hiſtoria memorat, hymnis Dei bonitatem deprædicarit, & in his de hoc præcipuo beneficio quòd à graui ipſum morbo reſtituiſſet. Monemur hinc, pro omnibus rebus, & præcipuè quum primùm quid in vſum venit, gratias Deo agere: inde ſanè mens amore Dei, ac ita ad omnem pietatem magis accẽditur, ſimulque admonetur vt Dei donis quàm caſtiſſimè vtatur. Quis enim re abutatur ad luxum & faſtũ, pro qua iam Deo gratias egit, cogitátque donum eius eſſe?

2 *Extollam te ô Iehouah, quia extuliſti me, & non lætificaſti inimicos meos de me.*

3 *O Iehouah Deus mi, vociferatus ſum ad te, & ſanaſti me.*

4 *O Iehouah eduxiſti ex inferno animam meam, viuificaſti me à deſcendentibus in foueam.* His verſibus flagrãti affectu gratias agit pro reddita incolumitate: quod apertè verſu tertio teſtatur, *clamabam* (inquit) *ad te, & ſanaſti me.* Hanc reſtitutionem in verſu primo, exaltationem ſui: in quarto, ſubductionem ab inferis, & viuificationem à deſcendentibus in foueam, vocauit: indicans ſe morti fuiſſe vicinum, & iam inter ſepeliendos (quos appellat deſcendentes in foueam) numeratum. Ab illis viuificauit eum Deus, quum vitam reſtituit, quæ iam videbatur euanuiſſe. Hic modus loquendi vulgaris admodũ eſt in Pſalmis, verſu 5 & 6 Pſalmi 18, itẽ verſu 16 Pſalmi 22, & verſu 4 Pſalmi 23, & verſu 1 Pſalmi 28, & aliis nõ paucis. De eo quòd pudefieri Dauid petierit mortis ſuæ cupidos, non exhilarari voti ſui impii factos compotes, quod exoraſſe hîc ſe gloriatur, dixi nonnulla in verſus tres poſteriores Pſalmi 6. Geminatio inuocationis, quòd tertiò Iehoua dixit, affectus ardentioris indicium eſt. Quare autem Sancti vitæ præſentis prorogationem tantoperè orarint, dixi in verſu 6 Pſalmi 6.

5 *Canite Iehouæ boni illius, & celebrate memoriam ſanctitatis eius:*

6 *Nam momentum in ira eius, vita in beneuolentia eius: ad veſperam aderit fletus, mane ouatio.* Ex eo quòd gratias Deo egit pro beneficio quod ſibi collatum erat, ac in eo bonitatem Dei propius conſiderauit, continuò (vt fit) accenſum fuiſſe ſe vt hanc & aliis prædicaret, oſtendit. Quemadmodũ autem hãc nulli, niſi qui Spiritus cæleſtis fuerint participes, verè poſſunt agnoſcere: ita hos nominatim ad ſimul celebrandã eam inuitat, illiſque peculiariter eam deprædicat. Vocat verò eos bonos Dei, *Qui boni Dei.* id eſt ex Deo natos: quo ſignificauit, neminem verè bonum eſſe qui non ſit Dei, hoc eſt ex Spiritu Dei renatus, eóque quantus eſt, Deo deditus. & rurſus, neminem Dei eſſe, neminem populo eius iuſtè accenſeri, niſi qui bonitati ſtudeat, omnium vſibus ſeſe addicens. Hos ergo hortatur Vates, vt canant Iehouæ, & memoriam eius auguſtam reddant, vtique bonitatis ipſius præconio. Porrò huius ſtatim ex ſe volens materiã offerre, canit, *Momentum in ira eius.* hoc eſt, vt & diuus Paulus ſcripſit, *2.Cor.11.g.31.* quòd affligimur (quo ſuam in nos iram Deus exerere videtur, ſuos filios ne cum mundo condemnet) leue & momentaneum eſt, at beneuolentia eius ſempiterna. Breui nãque tẽpore ægrotarat, diu autem fœliciter vixerat, & victurũ ſe ſciebat, non in præſenti ſolùm, ſed in futuro quoque, vitam beatam & perpetem. Ebræi antitheſim exprimũt, adiicientes Longa: vt ita legas, *In ira eius*, hoc eſt morbo quem Deus inflixerat, vix momentum præteriit: at in beneuolentia eius, vita ducitur longa. Mihi nõ ſine nota affectus & emphaſi, *vitam* ſolùm dixiſſe, & omiſiſſe *longam* videtur. Nã intelligi voluit ſe de vita vera, quæ Sanctis ſempiterna eſt, loqui. Scitè & illud dictum, *Ad veſperam aderat hoſpes fletus, mane ouatio.* idem enim eſt ac ſi dixiſſet, Etſi ad veſperam malum adueniat, illico tamen euaneſcit, adeò vt mane ſtatim iterum ſit vnde læteris, & quidem effuſiſſimè, nempe cum exultatione & ouatione. Abraham Ezra & Kimhi putant deeſſe nominatiuum agentis, quod perſæpe fit in Sacris literis. vnde in hunc ſenſum interpretãtur, Qui ad veſperam ſe cum fletu domum recipit, mane lætitia exultat. Vtram interpretationem ſequaris, vides Vatem plena gratulabundi affectus hyperbole canere voluiſſe, quàm breue ſit quo Deus ſuos corripit: & hinc vel exẽplo ſui, quem de vita periclitantem Deus mox reſtituerat, Dei bonitatem erga ſibi credentes commẽdare. De verbo רנן, quo hîc vſus eſt, dixi in verſum 13 Pſalmi 25. Obſeruandum verò vt ſanctum *Qua digna crucis æſtimatio.* pectus morbi ſui cruciatus æſtimauerit. Sic ſanè omnem carnis afflictionem, quãlibet diuturnã, æſtimant quicunque vero iudicio præditi ſunt, mirúmque eſt vt inde conſolentur. Æternã ſcimus, quicunque Chriſtum agnoſcimus, nobis vitam donatam, eámque ex ſola Dei beneuolentia: annon momentaneũ igitur videri debeat, multis etiam ſi ſeculis diſcruciari oporteret? Id qui parum perpendunt, dum affliguntur, nihil aliud quàm crucem ſibi duplicant, & Deum offendunt. Correctio quanlibet ſalutaris, dum vrit, inamœna quidem res eſt, vt Ebræ.12.c.11, dicitur: at dum ſpectamus quæ non videntur, vt Paulus ſcribit, *2.Cor.4.d.17.18* & mentẽ vltra cruciatus in æterna bona quæ nos manent, traiicimus, verè momentaneum & leue nobis fit quicquid patimur, ita oblectat vel ſola futuræ fœlicitatis attẽtior cogitatio. Quid enim atrox adeò & immane patiatur Chriſtianus, cuius dolorem non excutiat dum ſe cogitat in filium à Deo adoptatum, omninóque fore, & breui, vt imagini Primogeniti per omnia reſpondeat, omnium virtutum numeris abſolutus, æternúmque beatus? Proinde dum vel cum morbis, vel aliis aduerſis conflictamur, nihil prius à Deo patre

orandum, quàm vt donet mētem auocatam à malis quæ premūt, in æterna bona quæ nobis pollicitus eſt (quibus tamen nihil minus ſentitur) traiicere: & in die malorum, vt ille inquit, memores
Eccl.11.c.27. eſſe bonorum, ad quæ etiam indulgentiſſimus pater, aduerſis quæ immittit, nos tantùm parat.

7 *Et ego dixi in fœlicitate mea, Non nutabo in ſeculum.*

8 *O Iehouah, in beneuolentia tua montem meum ſolidum robore feciſti, abſcondiſti faciem tuam, & factus ſum conſternatus.* Vt omnia ſolius Dei dona ſint, canit nimirum neminē eſſe tam fœlicē, quin illico miſer ſit, ſi ſubtrahat ſuam beneuolentiā Deus: nemóque adeò miſer, quin cōtinuò fœlix ſit ſi faueat Deus. Canit ergo, *In fœlicitate mea*, &c. Quū enim pro animi ſentētia omnia ſuccederēt, quum tanto ſtudio, tantáque frequētia ad eū in Hebron veniſſent primores ex Iiſrael, regémque vnxiſſent, de quo legimus ſecundi Schmu. quinto, & primi Paralip. vndecimo: quúmque Ieruſchalaim ademptam Iebuſæis regni ſedē feciſſet: quum externi quoque reges eum venerarentur, & Hyrā rex Tyri materiā & fabros miſiſſet qui illi regiam ædificarent: quū denique omnia teſtarentur regnū eius confirmatum: in eo tum rerū ſucceſſu, tantáque fœlicitate cogitauerat ſecum, non poſſe amplius fieri vt vel labaſceret: quæ cogitatio exprimitur 2. Schmu. 5. b. 12, (quē locum ſuprà in verſum ſecundum adduxi) Et agnouit Dauid, &c. Quo ergo cū ipſe, tum alii viderent vt à fauore Dei omnia pendeant, ſubitò in morbum incidit, quo videbatur planè abſumendus: vnde iam & illius, & pietatis hoſtes gaudebant. De hoc ergo canit, *O Iehouah, beneuolentia tua*. & eſt ſenſus, Quū adeò me beneficiis tuis cumulares, cogitabam, Deus finē tandem dedit calamitatum mearū: quod promiſit, nūc præſtare incipit, poſthac nihil me deiiciet, ſempiterna fœlicitate fruar. Nec fefellit quidē hæc cogitatio, tua ſcilicet promiſſione nixa: Omnino enim tua beneuolentia ſolidum robore meum montē reddidiſti, hoc eſt me vt montē robuſtū firmaſti, ne vlla vis hoſtiū regno deturbare poſſit. Sed quo manifeſtius faceres omnia tuæ bonitatis dona, in morbū me cōieciſti, vt ſimul omnis fœlicitas mea terminū ſuum attigiſſe videretur. Id enim vocat auerſionē faciei Domini, de qua in verſu primo Pſalmi decimi, & alibi. Illud להררי, id eſt mōti meo, Kimhi de intellectu interpretatur, cui tale robur datum Dauid gloriatus ſit, vt neque in proſperis ſe ſe extulerit, néve in aduerſis nimiū deiecerit. Alii להררי, pro ad montē, accipiunt: & volūt י redūdare, vt ſit ſenſus, Solidaſti me robore, vt mōtis inſtar fuerim. Mihi viſum eſt, per montē ſuū, regnū deſignaſſe, quod agnouerat ex tanto ſucceſſu ſibi confirmatū. Per montē enim, regnū, Ieſch. 2. a. 1, & Dan. 2. e. 35, ac aliàs metaphoricôs accipitur. Obſeruandū verò quòd non dicit, mōtem ſuum infirmatū rurſus, quū auertiſſet Deus faciē ſuam: ſed ſe tātùm conterritū, atque cōſternatū. Dum enim beneuolè intuetur Deus, hoc eſt ſe intueri agnoſcíque fide quàm bonus ſit, donat, faceſſit omnis metus, cuncta animi perturbatio. eam autē ſui cognitionem ſi pauliſper ſubduxerit, nec ipſe quidem, nec eius promiſſio mutatur, ſed mutatur animus hominis, & conſternatur. Id quo melius & ſuam infirmitatem, & Dei erga ſe bonitatem Dauid agnoſceret, experiri & ipſum oportuit. Atque hoc ſignificare eo voluit quum cecinit, *Auerteras faciem tuam, & eram conſternatus.*

9 *Ad te clamabam ô Iehouah, & ad Dominum fundebam deprecationem meam.*

10 *Quid lucri in ſanguine meo, in deſcēdendo me ad foueā? nūquid celebrabit te limus? nū annuntiabit veritatē tuā?*

11 *Audi ô Iehouah, & miſerere mei, ô Iehouah ſis adiutor mihi.* His verſibus memorat precem quam conſternatus fuderat ad Deum: quæ eadē eſt cum illa quæ Pſalmo ſexto legitur, à verſu quarto vſque ad verſum octauū. Sancti in gloriā Dei viuere tātùm cupiunt: eam cœperat pius Rex magnificè illuſtrare obſcuratā regnante Schaule. id ſanctum opus interceptū fuiſſet eo mortuo, & rerū habenæ relapſæ ad impios. Inde fuit vt vitam ſibi prorogari tantopere flagitaret, alioqui mori ſibi lucrū ducturus. Illud, *Quid lucri in ſanguine meo*, &c. idē valere Kimhi arbitratur atque ſi dixiſſet, In
Leuit.17.a.4. vita mea. Quæ interpretatio ideo arriſit, quòd alioqui ſanguis pro anima, & hæc pro vita vſurpari ſolet: tū quòd pulchrè ſic quadret quod ſequitur, *In deſcendēdo me ad foueā* Quid enim hoc aliud eſt quàm, Quid profuerit me vixiſſe, ſi nūc moriar, quū primùm tēpus appetiit quo gloriā Domini poſſem promouere, & verā in populo pietatē inſtaurare? Nā tum primùm totius Iiſraelis regnū erat adeptus. Verſu 11, mitè ardentē affectū indicat. De his omnibus fuſe in Pſalmum ſextum.

12 *Vertiſti luctum meum in tripudium mihi, diſſoluiſti ſaccum meum, & accinxiſti me lætitia.*

13 *Propterea canat tibi decus, & non ſileat: Iehouah ô Deus mi, te celebrabo in ſæculum.* De dato auxilio lætatur, & acturū ſe gratias, laudéſq; Deo cantaturū prædicat. Saccus veſtis erat publicè lugētium: eius ergo diſſolutione & exuitione, luctus remotionē per ſynecdochē intellexit. Amictū ſe gaudio dixit, quia materia, cauſiſque gaudii vndique eū Dominus circūdederat. Nā nō ſolùm morbo illū liberauerat, ſed & omni fœlicitate cumulauerat. Ideo ſe perpetuò laudaturū, & celebraturum ipſū profitetur. Illud, *Canat tibi* כבוד, id eſt lingua (deficit enim י) expoſui in verſu nono Pſalmi decimiſexti. Decus præcipuum hominis eſt facultas loquēdi: hac in Dei laudē potiſſimū vſurū ſe cecinit. Docemur hîc præter alia, morbos immitti in noſtram ſalutem, eóſque nonniſi propter aſſerendā gloriā Dei eſſe deprecādos: tū Sanctis breue eſſe quicquid affligit, æternū quod afficit gaudio.

PSALMVS XXXI, in genere mixto. εὐκτικὸς καὶ διηγηματικός.

Refert quibus ſpem ſuam firmarit, quæ precatus, quæ queſtus, vt habitus ſit cum in deſerto Maon ab exercitu Schauli cum ſuis cingeretur, & anxietudine plenus fugere fruſtra conaretur. Tum inuitat ad admirandam Dei bonitatem in quoſlibet, qui ipſum timent: & ad ſtudium Dei, qui à ſe pendentes deſerere haud poteſt, hortatur. ARGVM.

1 PRæſuli Oda Dauidis. PARAPH.
2 In te Iehouah præſidium meum collocaui, ne ſinas me vnquam pudefie-
ri: pro iuſtitia tua eripe me.
3 Inclina ad me aurem tuam properè, libera me, ſis mihi vice rupis præualidæ,
vice domus munitæ, quo me ſerues.
4 Nam petra mea, & munimentum meum tu: ergo propter nomen tuum de-
duc, & mina me.
5 Educ me è reti quod abſconderunt mihi: nam tu robur meum es.
6 Manui tuæ committo ſpiritũ meum, redimes me Iehouah Deus, qui fidem
perpetuò ſeruas.
7 Odio mihi fuerunt, qui magicis artibus intenti ſunt: ego Iehouah nitor.
8 Gaudebo & lætabor de bonitate tua, qui reſpexiſti afflictionem meam, & in
anguſtia animam meam agnouiſti:
9 Nec in manu hoſtis me incluſiſti, ſed ſtatuiſti pedem meũ in loco ſpatioſo.
10 Miſerere mei, nam anguſtia mihi eſt: contabuerunt præ indignatione facies
mea, anima mea, & venter meus.
11 Detrita eſt præ ægritudine vita mea & anni mei præ gemitibus, comminuta
eſt præ dolore animi indigna videntis virtus mea, & contabuerunt oſſa mea,
12 Præ cunctis aduerſariis meis ignominia fœdatus ſum, & maxime quidem a-
pud vicinos meos, familiaribus meis fui horrori: quíque viderũt me, illico à me
foras ſe proripuerunt.
13 Deſiit haberi mei ratio, velut mortui, qui animo exciderit, fui vt res quæ pla-
nè periit.
14 Audiui enim crimina mihi à multis intẽdi, formido me vndique circũſtetit:
quũ illi contra me vnà conſultarent, de tollenda anima mea cogitarũt callidé.
15 Ego verò te nitor ô Iehouah: dixi, Deus meus es tu.
16 In manu tua tempus æui mei, libera me de manu hoſtium meorum, & qui
me perſequuntur.
17 Vultu tuo irradia ſeruo tuo, ſerua me bonitate tua.
18 O Iehouah ne ſinas vt pudefiam, te enim inuocaui: pudefiant improbi, & ad-
numerentur ſilentibus apud Inferos.
19 Compeſcantur ora mendacia, quæ contra iuſtum, ex faſtu & contemptu, ſu-
perba loquuntur.
20 Quàm ampla ſunt, quæ colentibus te bona recondidiſti, imò quæ iam exhi-
buiſti iis qui tuæ ſe fidei committunt, ídque coram omnibus mortalibus.
21 Occulis illos ab offenſaculis virorum, in latibulo coram te: abſcondis eos ve-
lut in tabernaculo, à calumniis linguæ.
22 Laudetur Iehouah: nam inſignem fecit mecum bonitatem in vrbe munita.
23 Ego quum præceps fugerem, cogitabam, Proiectus ſum abs te at tu ideo au-
diſti deprecationem meam, quum ad te vociferarer.
24 Amate Iehouam quicunque illi dediti, bonitati ſtudetis: ſeruantes fidei tue-
tur Iehouah, & rependit cumulatè agentibus ſuperbé.
25 Eſtote fortes, roborabit ille cor veſtrum, quicunque ab Iehouah pendetis.

ſura: & quum futurorum ſcientia aliis quàm ipſi ſoli tribuitur. Hinc eſt quare & ſancti Vates tantopere in hoc ſcelus inuecti ſint. Rectè itaque Pſaltes, dum fidei ſuæ in Deum voluit conſtantiam memorare, teſtatus eſt odiſſe ſe obſeruantes ſortes vanas, hoc eſt deditos artibus magicis: ſpeciem enim pro genere poſuit (ſed nixum ſemper fuiſſe Deo.) Et fieri poteſt vt huc fuerit prouocatus, quum deſperatæ adeò res eius eſſent, vnde occaſionē peculiarem habuerit fidei ſuæ memorandæ, qua ſcilicet non ſolùm magicis artibus non auſcultarit, ſed etiam inſectatus fuerit odio, quicunque eſſent illis addicti. *Sortium interpretatio, ſpecies magiæ.*

8 *Gaudebo & lætabor in bonitate tua, quia reſpexiſti afflictionem meam, agnouiſti in anguſtiis animam meam:*

9 *Et non concluſiſti me in manu inimici, collocaſti in latitudine pedes meos.* Quo ſimplicius Scripturæ verba accipiuntur, eo certius, ſi aliud nihil obſtet, ad ſententiā Spiritus peruenitur. Proinde nequid in his duobus verſibus torquere oporteat, accipio eos vt ſubitam & abruptam exclamationem, in quam Vates ex conſideratione tam admirādæ ac ſtupēdæ opis, qua ipſum Dominus ex præſenti adeò nece ſeruauerat, eruperit. Conſtat ſiquidem odas haſce Pſaltem poſtquam pericula euaſit, compoſuiſſe, & ſolitū quidem affectus ſuos quibus in periculis æſtuarit, potiſſimum referre: at nunquam ferè non ſimul & eos affectus admiſcere qui tum ei fuerunt, quando ſancta huiuſmodi carmina conſcripſit. Vnde tantū gratulationis & gaudii, etiā in iis Pſalmis, quibus triſtiſſima alioqui canuntur. Quāquam enim mira & incredibili hypocriſi, animi ſui perturbationē, qua in aduerſis adfectus fuit, in huiuſmodi odis ob oculos ponat, haud tamen diſſimulare vel voluit, vel potuit, aut etiā debuit, quāta tum, quū in carmē ea referret, de percepta iam ſalute geſtiret. Sic ergo videtur & in præſenti accidiſſe. Flagrantiſſimis affectibus ab initio Pſalmi cecinit, vt in diſcrimine deprehenſus, ſeſe animarit, & opem Dei implorarit. Inde verſibus aliquot, qui hos ſequuntur, afflictiſſimi, & ſummè perturbati animi querelas ſubtexuit. In his autem quid aliud fieri potuiſſet, quàm, vt eo amplius animus eius gaudio de percepta ſalute exultaret, quo periculū, è quo ipſum bonitas Dei eripuerat, & fidem quam ipſi in omni illa quanlibet incomparabili anxietudine ſeruarat, conſiderauit penitius? Quum ergo fidei ſuæ, qua vanis artibus non ſolùm aurem non accommodarat, ſed etiam execratus fuerat, & quanuis omni ſalute deſperata, ſalutem tamen à Deo contra ſpem ſperans orauerat, meminiſſet tam magnificè, exarſit admiratione Diuinæ erga ſe bonitatis: & cupiens ad ſimilem fidem & ſtudium Dei alios quoque prouocare, perceptam iam ſalutem prædicare incipit, nihil moratus quòd odæ ordo referri iam poſceret vt fuiſſet in diſcrimine adfectus, quidve oraſſet, quæve eſſet queſtus. *Gaudebo*, inquit, *& lætabor de bonitate tua, quia reſpexiſti afflictionem meam*, hoc eſt auxilio lato, te habere rationem mei declaraſti. Idem & eo dixit quod ſubiunxit, *Et agnouit in anguſtia animam meam.* Quid alioqui ſit Reſpicere Dominum, latius dixi in Pſalmi 10 verſu 11 & 14, quid verò Agnoſcere eius, in verſu vltimo Pſalmi primi, & quinto octaui. Sed & hîc, quid vtroque intellexerit, ipſe ſequenti verſu explicat. *Nec incluſiſti me in manu hoſtis, &c.* Carnis iudicio iam in poteſtate Schaulis erat, ab exercitu eius concluſus: at quia Deus ſecus decreuerat, præter omnem hoſtium expectationem aduenit qui incurſionem Philiſtinorum nuntiaret: eo pacto Schaul cum ſuis à Dauide auulſus fuit, ipſéque liberatus, ac ita velut in ſpatioſo loco collocatus. De quo tropo dixi in verſum ſecundū Pſalmi quarti. Hæc ergo quum Dauidi Deus præſtitit, verè illum reſpexit & agnouit, fauorem ſuum & curam in illum teſtatus. Porrò Kimhi verſus hoſce ſic interpretatur, Gaudebo & lætabor, poſtquā reſpexeris me, & liberaueris, &c. Abraham Ezra, Gaudebo & lætabor, quòd ſæpe iam adfuiſti mihi, nec tradidiſti me in manus Schaulis, miſerere ergo & nunc mihi: nam modò eſt ea anguſtia mihi, vt totus tabeſcam, &c. Ne lectorem fraudarem & horū ſententiis, hæc volui adſcribere: mihi tamen prima interpretatio certior videtur, quia verba ſimplicius accipiūtur, & eſt huiuſmodi interpoſita exclamatio Pſalti non infrequens.

10 *Miſerere mei ô Iehouah, nam anguſtia mihi: contabuit oculus meus præ indignatione, anima mea & venter meus.*

11 *Nam conſumpta eſt vita mea præ moleſtia, & anni mei præ gemitu, impegit ex iniquitia mea virtus mea, & oſſa mea cōtabuerunt.* His verſibus cōplexus eſt querulationē, & æſtus in quibus erat animus eius quū vrgeret periculum. *Præ indignatione*, inquit: quod incertū an de ſua, an hoſtiū contra ſe indignatione intelligat. Idem habet verſus octauus Pſalmi ſexti, quē locū de indignatione afflicti interpretatus ſum. Quo enim magis malo quod premit animus indignatur, eo vis doloris & mœſtitiæ, dū id depellere nō licet, incrudeſcit atrociúſque deſæuit. Iā permulta erāt quæ Dauidē ſūma indignatione cōtra Schaulē & aſſentatores eius, crudeliter adeò ipſum & immeritū perſequentes, accēdere poterant. Optime de omnibus meritus erat, vitæ periculum pro populi ac regis ſalute ſæpiſſimè adierat, nihil vnquam tale cogitarat quod ei falſò illi impingebant: contrà autem illi neminem odiebant peius, in nullius necem tam erant intenti, adeò vt in abditiſſima vſque ſaltuum & deſertorum ipſum inſectarentur. Hæc reputanti, nō potuit nō ſæuiſſimus dolor oboriri, & tabi-

fica quædá animi ægritudo, præſertim quum hoſtium tam immeritò innocenté perſequentium crudelitas, nullis quanlibet magnis benefactis mitigari poſſet, eſſétque præterea adeò diuturna, támque vehementer vrgens. Et hîc ergo indignationem qua Dauid cõtabuit, eam intelligo, qua ipſe propter immeritam & indigniſſimam hoſtium ſuorum contra ſe ſæuitiam indignabatur, adfligebatur, adeóque dolore & animi ægritudine obruebatur, vt ſuperna, media, & inferna corporis eius ferè tabe conſumerentur. Idque dicere voluit quum faciem ſuam, animam & ventrem tabuiſſe queritur. Animæ nomine vim intelligit, qua vita conſtat animalis: ea ſedem ſuam habet in media corporis parte ſuper diaphragma, vbi natura cor, pulmonéſque collocauit, vbi audacia, metus, fuga, iracundia, ſpes, amor, odium, voluptas, dolor, ſtationem ſuam obtinent. Ventris nomen, ſignificat quæ ſunt infra diaphragma. Vt igitur indicibili indignatione, ſimul metu & ægritudine conficiebatur, ita toto cum corpore tabidum fieri oportebat. Nam & indignatio & ægritudo iſta multo vehementiſſima, faciebat vt animum totum ad id quod vrebat, quod affligebat, conuerteret, quo ſimul naturæ calor ad interna colligebatur: hic tum ſuccum vitalem vorabat, & animi intentio concoctionem & commodam corporis inſtaurationem remorabatur. inde verò naturaliter ſemper corpori aliquibus decedentibus, & nullis in eorum locum ſubeuntibus, macies oriebatur, contrahebátur inteſtina, areſcebat cutis, ægrè trahebatur ſpiritus, ſanguis refrigeſcebat, calor in corde ſenſim imminuebatur, ora palleſcebant, oculi refugiebant, pendula fiebant labra, ſubibat inamabilis nigror genas: denique vmbræ ſimilior quàm viuenti reddebatur. Cicero ſanè de ægritudine ſcrpiſit in tertio Tuſcul. Quæſt. Nam quum omnis perturbatio miſeria eſt, tum carnificina eſt ægritudo. Habet ardorem libido, leuitatem lætitia geſtiens, humilitatem metus: ſed ægritudo quædam maiora, tabem, cruciatum, afflictationem, fœditaté: lacerat, exeſt animum, planéque conficit. Idem paulo ante hæc, adiecit ex Tragœdia hoſce verſus, quibus AEeta vim ægritudinis ſuæ exprimere inducitur:

Refugêre oculi, corpus macie extabuit,
Lachrimæ peredère humore exanguis genas
Situ nidoris, barba pædore horrida,
Atque intonſa, infuſcat pectus illuuie ſcabrum.

Si iam tantam violentiam habet ægritudo quum ſola eſt, quid valuiſſe in Dauide putanda eſt instructa ſæuiſſimis comitibus, metu & indignatione? Nihil ſanè aliud quàm quod verſu vndecimo cecinit, Omnem vitæ vigorem abſumpſit, ante tempus ſeneſcere fecit, vires confractæ ſunt, & oſſa quoque tabuerunt. Illud כשל בעוני כחי, omnes fere vertunt, impegit in iniquitate mea virtus mea. Sed quum vitam, annóſque in, vel præ mœſtitia ac gemitu defeciſſe queratur, & ſoleat ad idem facientes particulas coniungere: non videtur ratio cur iniquitatem cum ægritudine & gemitu coniunxiſſet. Hebræi ergo per iniquitatem hanc, mala intelligunt, quibus iniqué premebatur. Sæpe enim peccatum & prauitas accipitur pro pœna peccatorum & prauitatis, quoties nimirum habetur vt peccata & impietas vel populum vel priuatos adflixerit. Verùm liceat hîc meas quoque cogitationes inferre. עין ſignificat indignanter & toruè aſpicere. 1. Schm. 18. c. 9, legimus de Schaule, עוין ויהי, id eſt toruè intuebatur Dauidé, ab eo die, & deinceps. Hebræi illic י pro א poſitum putát, ſed idem & hîc fieri potuit. Exiſtimo ergo hunc locum ſic quoque intelligi poſſe, Præ dolore animi mei indigna videntis: præ indignatione mea, præ tormento quo torquebar, videns ſceleratorum, non tam contra innocentem, quàm Deum ipſum, ſuperbiam, vim, & ſucceſſum. Quem ſenſum ſiquis recipiat, verti forſan conueniret עיני, inuidentia mea. niſi quòd hæc ferè dicitur qua quis fortuná alterius nimis intuendo dolet, vt viſum eſt Ciceroni in tertio Tuſcul. Quæſt Hic autem Pſaltes de ea inuidentia ſua loquitur qua nimis intuendo tam ſuum infortunium, quàm hoſtium fortunam, animi cruciabatur. Nemo autem putet, quum de tanta vi ægritudinis Pſaltes queritur, per impotentiam eum indecori quicquam deſignaſſe, de quo in verſu octauo Pſalmi 6, plura. Attamen quum vim indignationis, metus & ægritudinis experiretur quæ ſatis explicari haud poſſet, hiſce hyperbolis vſus eſt, potiúſque duxi vltrà, quàm citra, vt Fabius præcipit, orationem ſtare. Inane ſiquidem figmentum eſt quod Stoici tradunt, In ſapientem non cadere ægritudinem. Quis ſapientior vnquam vixit Chriſto? at is ea mœſtitia & metu affectus fuit, vt ſanguinem ſudaret, eſſetque morti proximus, ob animi ſui conſternationem.

Cadit in ſapientem ægritudo, quia in Chriſtum cecidit.

12 *Propter cunctos infeſtos mihi fui opprobrium, & uicinis meis ualde, & terror notis meis, uidentes me foras migrauerunt à me.*

13 *Obliuioni traditus ſum, uelut mortuus à corde, ſui ut uas perditum.*

14 *Nam audiui conuitium multorum, metus circumquaque: dum conſultant contra me ſimul, ut tollant animam meam cogitarunt.* Exaggerat his verſibus miſeriã ſuam, ab his quæ externè adfligebát, ſicut præcedétibus duobus de internis cruciatibus queſtus eſt. Adflictũ atq; in diſcrimine cõſtitutũ, ægritudine plurimũ leuat ſiquos habeat apud quos, ſi non præſidiũ, ſaltẽ animum cõpatientem, & amicam con-

ſolationem inueniat. Iam queritur his non ſolùm ſe fuiſſe deſtitutum, ſed omnibus etiam à quibus hæc iure debuerat expectare, habitum execrabilem: quia vicinis quoq; ſuis probroſus haberi cœperat, familiares ſe etiam exhorruiſſe: adeò vt ſiqui fortè incidiſſent vbi erat, cõſpecto eo, illico ſe foras proriperent: vel ne propter ipſum in periculũ venirent, vt Achimelech, & reliqui ſacerdotes: vel certè quod tam fœdis criminibus fœdatus eſſet, vt eum iam ipſi quoque deteſtarentur & abominarentur. Hanc ſanè cauſam verſu 14, ipſe expreſſiſſe videtur: nam inquit, *Audiui crimina quæ multi intendebant.* מכל צררי, præ cunctis infeſtis meis, reddi poteſt: vt ſenſus ſit, ſe probro fuiſſe etiam vicinis ſuis præ hoſtibus ſuis, quum eſſent hi tamen ſceleſtiſſimi, eòque meritò deberent omnibus maximè execrationi eſſe, ipſe verò vſque innocẽtiæ ſtuduiſſet. Ea ſiquidem potentia valebant hoſtes Dauidis, vt vulgus in fœliciorem partem inclinãs (vt ſolet) in horum gratiam Dauidem tanquam probroſum hominem auerſaretur. Valet autem מ etiam idem quod propter, vt intelligas, propterea quòd Dauidem potentes illi perſequerentur, factum vt iam vicinis quoque deteſtabilis eſſet, non autem quòd præ illis eum deteſtarentur. Hunc ſenſum reddit Kimhi. Eundem ſui contemptum auget verſus 13, quum tam nullam canit ſui rationem habitam, quàm ſolet mortui: & ita fuiſſe abiectum, atque ſolet vas quod iam deſiit eſſe vſui. Etenim quoniam non eſt ſpes mortuum amicum reuicturum, quamprimum curatur vt terra demandetur, finémque habent quæcunque cum eo negotia fuerant: vaſis confracti & perditi adhuc minor cura eſt. Significat ergo his Pſaltes ſe à ſuis ita habitum, vt cuius nulla prorſus ratio habenda eſſet, quique nullo prorſus vſui poſthac eſſe poſſet: eòque ita excidiſſe & expunctum eſſe omniũ cordibus, vt nihil magis. Nec ſolùm ita abiecerant eum amici & familiares, verùm bona quoque eorum pars, falſis quoque criminibus fœdabant, & pericula cumulabant. de eo queritur verſu 14: quanquam ſimul, vt dixi, tantæ ſuæ abiectionis atque abominationis, quam modò memorauit, eodem verſu cauſam reddiderit. *Nam audiui* (inquit) *conuitium multorum*, hoc eſt multos me ementitis criminibus infamantes. quod quum ab inimicis qui ab eo deſecerant, factum eſt, & eos qui adhuc in amicitia perſtabãt abalienauit. Hinc formido circunſteterat eum, quum adeò nemo amicus illi reliquus manſiſſet, plerique autem hoſtibus ſe iunxiſſent, atque vnà cum illis de perdẽdo ipſum conſilia captarent, & vafre de ſtruẽdis ei inſidiis cogitarent. Verſui 12 ſimile habet verſus 7 Pſalmi 22, & verſus 14 Pſalmi 44. De זמם, id eſt callide cogitarũt, dictũ eſt in verſu 2 Pſalmi 10. In his verò cogitandũ, quouſque Deus ſuos humiliet: item Chriſtum ſeruatorem infrà cunctos mortales abiectum, in Dauide hæc patiẽter fuiſſe adumbratum, neque minus de ipſo quàm de ſe, iſta Dauidem ceciniſſe. Quæ ſi recte perpenderimus, minus diſplicebimus nobis, ſiquando ſimilia acciderint.

15 *Et ego ſuper te nitor ò Iehouah: dixi, Deus meus tu:*

16 *In manu tua tempora mea, libera me de manu inimicorum meorum, & perſequentium me:*

17 *Illumina uultus tuos ſuper ſeruum tuum, ſerua me in bonitate tua.* Obſeruandũ hîc, quantam in ſumma illa animi ſui deiectione, quam prioribus verſibus deſcripſit, ſpem tamen aluerit. In anima & toto corpore, incredibilis vis anxietudinis, ægritudinis & indignationis deſæuiebat, vorabat ſanguinem, exedebat oſſa, tabidum reddebat omne corpus: adhuc ſpiritus fretus Spiritus diuini teſtimonio cogitabat, *Deus meus es tu*: hoc eſt vtcunque me malis obruis, & excarnificas formidine, mœrore, triſtique ira, attamen Deus meus es tu, ego tua bonitate fido, tu haudquaquã hanc vſque ſubduces, tuæ fidei me concredidi, deſerere me nullatenus poteris. Iam in tua manu, non hoſtiũ, ſunt tẽpora mea, ſpatium æui mei. Quare vtcunque ab hoſtibus concluſus ſim, & non ſit via elabendi vlla relicta, adhuc potis es me ſeruare. *Illuſtra ergo faciem tuam ſuper ſeruum tuum*: hoc eſt fer opem, qua te fauere mihi, & beneuolo dignari me aſpectu teſteris. De hac vultus Dei irradiatione, dictũ in verſu 6 Pſalmi 4: item in verſu vltimo Pſalmi 11. Conſideranda hic totius conſolationis ſumma, Dominum eſſe nobis in Deum: & tempora noſtra, hoc eſt omnem vitam in manu eius. Hoc qui perſuaſus ſit, facile contra quoduis ſe periculum animabit. Si Dominus, Deus nobis eſſe agnoſcitur, nos illi curæ eſſe dubitare nequimus. Iam dum perpendimus in manu eius omnia ſita, quî nõ omnia optimè, diſponente Deo noſtro qui regit omnia, caſura crederemus?

18 *O Iehouah ne pudefiam, quia inclamaui te: pudefiant improbi, excindantur ad infernum.*

19 *Compeſcantur labia mendacij, loquentia contra iuſtum durum, in ſuperbia & contemptu.* His orat cõtra hoſtes, quod qua ratione à Sanctis hoſtes ſuos diligentibus fiat, dictum eſt in tractatu de Precatione, adiecto enarrationi Pſalmi 5. ידמו לשאול Kimhi interpretatur, Excindantur, vt ad infernũ deſcendant. Sic Ieſcha. 6. b. 5, quũ vidiſſet viſum Dei, exclamabat נדמיתי, id eſt actum eſt de me. Sed quia mortui ſilẽtes ſũt, ideo דמם (quod alioqui ſilere ſignificat) pro exſcindi & mori vſurpatur. Sic igitur illud reddidi, vt vtrunque exprimeretur. In verſu 19, notatur improborũ inſolentia, & petulãtia. eo enim quòd neminem verentur, omnes præ ſe contemnunt, cunctis ſe ſuperbe præferunt, quicquid eis in buccam venerit, contra innocentes eblatterant. Ea ſunt dura & fortia, hoc eſt magna ex arrogantia, confidentiáque dicta, quæ per עתק, Pſaltes deſignauit, quod durum & validum

ouatione exultare. Selah.
8 Inſtituam te,& docebo viā qua gradiaris,tibi mea proſpectione conſulam. *Apoſtrophe ad vnumquemlibet.*
9 Ne ſitis velut equus,aut mulus,qui rationis ſunt expertes,quorum maxillas
lupato & fræno conſtringere oportet,ne tibi repugnent.
10 Multi dolores corripient improbū:at nitētem Iehouah,bonitas circundabit.
11 Gaudete de Iehouah,& lætamini iuſti,ouate quicunque eſtis corde recto.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 D*Auid erudiens.* *Beatus cui condonatum ſcelus,tectum peccatum eſt:*
2 *2 Beatus homo cui Iehouah non imputauit prauitatem,& non in ſpiritu eius dolus.*
3 Quum tacui,inueterauerunt oſſa mea,in fremitu meo omni die.
4 Quia die & nocte grauata eſt ſuper me manus tua,euerſus eſt humor meus in ariditatibus æſtatis.Selah. De inſcriptione Maſchil,quod erudientē ſignificat,dixi in præfatione.Ex verſu tertio & quarto,quib' queritur ſe cogitationibus diſcerptū,præ dolore fremuiſſe,ac interim oſſa ſua cōtabuiſſe,omnémque premente adeò manu Dei, ſuccum ſibi doloris incendio exhauſtū: & ex verſu 10,quo canit,multos dolores incidere improbis:coniectura mihi eſt,referri hoc Pſalmo,quemadmodum morbo aliquo grauiore correptus, peccatorum ſuorū, quibus ipſe ſibi id mali aſciuerat, fuerit admonitus, cœperitque agnoſcere quàm fœlix is ſit cui Dominus omne peccatum cōdonarit.Certè qui verſus tertii & quarti ad primum & ſecundum,ordinem obſeruarit,facilè videbit, primo & ſecundo verſu,ceu exclamationem contineri animi diras peccatorum pœnas perſoluētis,ſumméque excruciari.Hunc enim ſenſum habent quæ his quatuor verſibus Pſaltes complexus eſt,O quàm bene habet, quàm beatus eſt cui peccata iam condonata ſunt, cui ad pœnam ea Dominus non imputat,qui iam,vtcunque in carne nihil boni eſt,ſpiritum nactus eſt doli fraudiſque expertem,ſimpliciter ſcilicet Dei ſtudioſum. nam ego ob peccata mea, quæ nondum condonauit Deus, quorum nunc de me vltionem ſumit, & prauæ ſimulationis arguit ſpiritum meum, ſic crucior hoc morbo,ſic vexor,ſic torqueor,vt penè exanimer.Nam adeò ſæuit vis morbi,vt dum nunc tacitis cogitationibus quotidie diſcerpor, nunc exprimente vocem dolore infremo, contabeſcant oſſa mea.Nulla etenim eſt doloris remiſſio, ſed manus tua ô Deus,premit me dies noctéſque, adeò vt exhauſtus iam ſit omnis ſuccus,planè que torream velut ſummo æſtu confectus. Morbos immitti ob peccata,quibus ſuos Deus caſtigat,ne cum reliquo mundo condānentur, & Paulus teſtatur, *Morbi ob peccata immittuntur.* 1.Corinth.11.g.32, Propterea multi inter vos imbecilles, & inualidi, & dormiunt multi. Iam ſubinde humana paſſum Dauidem,haud obſcurè Sacra hiſtoria indicat,etſi vir fuerit ad cor Dei factus. Studioſiſſimo enim Dei ſpiritu erat præditus, etſi Lex illa peccati in corpore tyrannidem exercens, grauiter nonnunquam eum deiecerit. Obſeruandum autem,quos beatos pronunciet, non qui nulla peccata admiſerint (nemini enim hominum id datum eſt) ſed quibus peccata ſint donata,quibus tecta,ne ea vindex Dei oculus intueatur,à quibus ſcilicet faciem Deus auerterit, id quod orat Pſalmo 25.a.7: hoc eſt quibus nulla Deus imputat,ſumēdo de illis commeritas pœnas. Sed vnde hæc peccatorum venia,vnde tanta Dei clementia,vt peccata non imputans,pœnam omnem remittat:Si ſpiritus dolo ac ſimulatione vacet,ſi nō videatur ſibi iuſtus,quum nihil minus ſit:ſi peccata verè agnoſcat,& ſeſe Deo ſeriò cōſecret. Etenim tres cauſæ ſunt cur Deus ſuis aduerſa immittit. *ob tres cauſas Sanctis aduerſa immittuntur.* aut enim id facit vt virtutem Spiritus ſui Sanctis ſuis donati (qui omnia terrena præ cæleſtibus, quorū hæredes facti ſunt, in teſtimonium & præconium Diuinæ bonitatis in electos ſuos fortiſſimè cōtemnunt) eo pacto in apertum proferat,& cū ad confundēdum impios,tum ad roborandum infirmiores pios velut oſtētet, ac quendā de principe mundi agat triumphum.Hac ratione,ſuos fere mūdi libidini,hominúmque ſceleratiſſimorū ſæuitiæ obiicere ſolet:qui & martyres ideo vocantur,quòd ſanguine ſuo de internis ſimul & futuris Sanctorū bonis,mundo teſtimoniū perhibeāt.Id ſenſit Paulus,quū de vinculis & mortis periculo,in quibus erat, loquens diceret, Vt ſemper,ita nunc quoq; magnificabitur Chriſtus in corpore meo,ſiue per vitā,ſiue per mortē,Phili.1.c.20.in eo capite vt & aliàs,plura de hoc Diuinæ virtutis in Sanctis teſtimonio ſcripſit. De eodē Petr' cap.4.c.14,Si probris afficimini in nomine Chriſti,beati eſtis:quoniā gloria & Spiritus Dei ſuper vos requieſcit.Aut verò aduerſis illos ab amore mūdi,à quo moleſta rātū & aduerſa experiūtur,conatur auocare.Id in eo adūbratū eſt,quòd olim cūctos voluit finitimos populo ſuo Iiſraeli hoſtes eſſe, nequa ſcilicet cum illis cōſuetudine coaleſcētes, ſceleribus eorū cōtaminarentur.Hinc Seruator beatos pronūtiauit qui pauperes & adflicto animo,in luctu & iuſtitiæ deſiderio *Matth.5.a.b.* eſſent:eo quòd regnū cælorum,hoc eſt Euangelii ac ſupernæ cōſolationis,tales capaces ſint.Quare & huiuſmodi laborantes & oneratos ad ſe vocauit, ſempiterna animabus illorum requie pro-

miſſa. Aut denique in hoc ſuos cruciari facit, vt in ſeſe penitus deſcendant, & ſpiritus ſui dolum agnoſcant. Vix enim aliud æquè vt hypocriſcos malum, ſanctiſſimis etiam inſidiatur, nullū excutitur difficilius. Pulchrè nonnūquam & Deo ſtudere, & proximos diligere, tum vitæ decorum ſectari videntur, quum interim ſibi toti ferè viuāt. Deus autem zelotes eſt, & vult ſeriò amari, coliquе toto pectore. Securis igitur Sanctis, ne dicam ſupinis & ſua quærentibus, quum videri volunt tantùm Dei gloriam, & fratrum ſalutem quærere, ſolet nonnunquam Deus morbos, & alia mala immittere, iratúmque ſe oſtendere. inde animi eorum craſſities pertunditur, & ſenſus aperiuntur, vidéntque quàm longè ſint ab eo vt ipſum toto corde diligant, & proximos vti ſeipſos, vt ſibiipſis moriantur, & Dei tantùm gloriæ viuant. Hic ille dolus eſt, fraus, ſimulatio, hypocriſis, ſupinitas, torpor, præpoſtera ſecuritas, occultus Dei contemptus: quem hìc Pſaltes notauit, quum dixit, *Et in cuius ſpiritu non eſt dolus*: nihil ſcilicet ſimulatum, nihil fucatum, ſed omnia ſyncera, ſeria, & viua. Hoc verò mali nulla ratione detegitur melius, & agnoſcitur certius, quàm quum doloribus & cruciatibus corpus & animum Deus exagitat, id quod in difficilioribus morbis ſolet vſuvenire. Ibi in mentem venit prauitatis quæ ante latebat: amor ſui ſeſe egregiè prodit, dum tam moleſtè fertur quod Deus optimo conſilio immiſit. Tum incipiunt Sancti verè ſibi diſplicere, frangi penitus, & Deo ſeſe conſecrare totos, ſubiicere fratribus quibuſlibet ex animo. Canit itaque hìc Pſaltes de ſe, quæ in ſeipſo expertus eſt. quare, quod tantus Dei amicus in ſe exemplum propoſuit, probè conſiderandum. *Quum ſilerem* (inquit) *tabuerunt oſſa mea, in fremitu meo tota die.* Siluiſſe ſe dicit, vtique dum totus eſſet in triſtibus de malis ſuis cogitationibus, & non tam iis quæ patiebatur, quàm quæ admiſerat. Obmutire enim ſolent qui grauioribus cogitationibus detinentur: quod cum alias, tum verſibus 3 & 4 Pſalmi 39 pulchrè canitur. Ar dum occupatus triſtibus cogitationibus animus, ſpiritum diu cōtinet, is poſtea vniuerſus erumpens fremitum quendam & mugitum vel eiulatum edit, de quo dixi in verſum 2 Pſalmi 22. Simul calor in intimis auctus euertit, hoc eſt vorat & abſumit omnem ſuccum vitalem, redditque magis torridum, quàm ſiquis mediæ æſtatis caloribus excoqueretur, vt planè teſtam ariditate æquet. De qua naturalis humoris abſorptione, dixi in verſum 16 Pſalmi 22, & in verſum 10 & 11 Pſalmi 31. Selah his adiectum, indicat quantum ſit tormentum, peccatorum ſarcinam rectè ſenſiſſe. Siquis quam hic Pſaltes vim doloris deſcribit, totam animo pœnitudine peccatorum ſuorum rite affecto, tribuat citra corporis cruciatus, cum eo nihil pugnauero: quanquam putem ei qui & Pſaltis morem, & iudiciorum Dei erga Sanctos rationem probe perpenderit quæ dixi de corporea correptione animum in ſui cognitionem adducente, haudquaquam habenda ἀπροσδιόνυσα. Verſum primum & ſecundum D. Paulus citauit ad Rom. 4. a. 7, & eodem ſenſu quem reddidi. Probat enim hoc Vatis dicto, iuſtitiam & ſalutem, fide in Deum, ſuis peccata condonantem, & non imputantem, non propriis meritis conſtare.

Locus Pauli ad Rom. 4.

5 *Peccatum meum notum faciam, & prauitatem meam non tegam: dixi, Confitebor ſuper prauitatibus meis Iehouæ: & tu condonaſti prauitatem peccati mei. Selah.*

6 *Propterea orabit ad te omnis bonus in tempore inueniendi: etiam ſi multæ aquæ inundent, non attingent illum.*

7 *Tu mihi abſconſio, à coartatione cuſtodies me, ouationes liberationis circundabunt me.* Beatum dixerat cui condonatum peccatum eſſet, nec imputaretur ad pœnam. Addiderat Beatum in cuius ſpiritu nullus eſſet dolus, nulla ſimulatio: & his oſtēderat quibuſnam hæc fœlicitas contigerit, vt peccata eis Deus non imputet. Agnouerat igitur quū peccatorum ſuorum pœnas daret, imputante illa Deo, (id quod vltio declarabat) ſe in ſpiritu ſuo dolum aluiſſe, & peccata ſua non ſatis agnouiſſe. Eapropter iam in plenam ſui cognitionem, correptione Domini adductus, exclamat, *Peccatum meum notum faciam*, hoc eſt ex animo agnoſcam, *non tegam deinceps prauitatem meam. Cogitabam*, *Confitebor ingenue ſcelus meum.* Quid ſcelus, hoc eſt פשע dicatur, nempe peccatum pleniore Dei contemptu admiſſum, dixi in verſum 11 Pſalmi 5. eſt enim in voce hac amplificatio. Ardentem verò animū & tam denſa congeries indicat. Peccatū enim ſuum dicit ſe notum facturum, prauitatem ſuam non tecturum, ſtatuiſſe ſcelus ſuum Domino confiteri. Vide verò vt omnem ſpiritus ſui dolū ac ſimulationem abiiciat, vt ſe nudum, & nihil niſi peccatorem, prauum, ſceleſtum, Dei miſericordiæ offerat. Magni affectus eſt & ſubiecta ad Dominum apoſtrophe, *Et tu remiſiſti prauitatem peccati mei*: quam ſcilicet peccato meo admiſi: vel vnde ſic deliqui, quæ vt opus meum peccatum ſit efficit. Id videtur mihi hunc ſenſum habere, Simulatque cogitaram, certóque mecum ſtatueram, liberè & ingenuè mecum ſcelus tibi, ô Deus, fateri, illico & ipſum condonatum fuit, & vltio facta remiſſior. Vnde & ſequitur, *Propter hoc orabit ad te omnis bonus*: id eſt quicunque bonitati ſtudet: Propter hoc inquam quòd es tam facilis, tam exorabilis, neque aliud quàm agnouiſſe peccatum requiris. *Inueniendi tempore*, inquit, hoc eſt, *tempore* (vt verti) *ſupplicationis*, tempore inquirendi Dominum. Quod haud ſcio an ſolenne precarionis tempus dixerit, quod matutinum erat, & veſpertinum, præcipuè autem matutinum, vt dixi in verſum quartum Pſalmi 6. an quo offerente ſe

Inueniendi tempus.

familiarius Dei bonitate,& plenius afflante pectus Spiritu ſuperno,cor velut inuitatur ad orationem.Kimhi intelligit tempus quo homo cor ſuum vacuum ad precem fundendã inuenit. Abraham Ezra ad eum modum quo dictum eſt à Ieſchaiah, Inquirite Iehouam,dum inueniri poteſt, Ieſch.55.b.6. vtique dum miſericordiam ſuam per nuntios ſuos exhibet. Id quũ in ſanctis cœtibus præcipuè fiat(quanquam aliis quoque temporibus eius Sancti admoneantur) non iniuria tempus ſolenne precationis,imò quæcunque precandi fuerit oblata occaſio,per inueniendi tempus intelligemus. Porrò hac prece Sancti impetrant,vt etiam ſi inundẽt aquæ plurimæ,hoc eſt mala plurima,non pertingãt ad eos.Hic tropus & in verſu 17 Pſalmi 18,& verſu 2 Pſalmi 69,ac alibi ſæpius legitur. Et hoc igitur verſu, cum immitti mala ob peccata, tum eadem placatione Dei depelli, Pſaltes teſtatur. Idẽ verò confirmat verſu ſequenti, *Tu abſconſio mihi ab infeſtatione*,&c.quaſi diceret, Verè tuti à quibuſlibet malis erunt qui tuæ ſe clementiæ commiſerint, qui tuam tutelam orarint ſeriò:tu enim mihi protectio es, ab infeſtante malo quolibet ſeruabis me, & ab aduerſis quæ inciderint ſic eripies, vt vndique nihil circum me futurum ſit vnde non ſint gratiæ tibi ſumma cum lætitia agendæ. Idem nanque & alii abs te iure expectabunt.Hinc & Selah adiectum eſt,vt nimirum diligentius Dei ſuos tuentis bonitas & cura conſideretur.

8 *Erudiam te, & inſtituam te in uia qua gradiaris,conſulam ſuper te oculo meo:*

9 *Ne ſis ſicut equus, ſicut mulus, non intelligens:in capiſtro & lupato os eius ad coercendum, ne accedat ad te.*

Vertit ſermonem ad vnũ quemlibet doctrinæ & monitionis ſanctæ capacem. Docet autẽ,& monet ne obbruteſcamus,iuſſa Dei parũ ſtudioſe expendentes,& ſalutem quam adferũt, malè agnoſcentes.Nam qui his animũ probè intẽderit, vltrò in via Domini curret, vt qua ſciat ſe ad vitam beatam & ſempiternã peruenturum. Vniuerſæ ſiquidem viæ Domini, ſunt bonitas & fides,Pſal. 25.b.10.Hæc verò qui negligit,& eo beſtiis rationis expertibus ſimilis fuerit,is fuſte ad officiũ compellendus erit,vti equus & mulus capiſtro & lupato in officio cõtinentur. Et bene illi cui vel ſic tamen erudiri cõtigerit:nam quos planè abiecit Deus, eos ſuis deſideriis totos relinquit: quũmque vltionem immittit,non dat vt inde meliorẽ mentem percipiant:vti Pharaoni,Iudæ proditori, & ſimilibus vſu venit. Illud,*Conſulam ſuper te oculo meo,* ſubobſcurũ eſt.Non dubitarim tamen hac particula tale aliquid voluiſſe Pſaltem dicere quale eſt,*inſtituam te,docebo te*, quæ præmiſit. Eaſdẽ enim congerere ſententias, Pſaltes vbique ſolet.Rabi Schlomoh interpretatur eam ſic,Innuã tibi oculo meo,& viam qua eas,velut oculorum nutibus monſtrabo. Videtur autem id durum eſſe, conſulere pro innuere accipere. Adducunt quidam ad confirmandum hunc ſenſum, illud Prouerb.16.d. 30. עצה עיניו, id eſt innuens oculo. quanquam alii reddant,obturans oculum .Sed vtrouis modo accipias,aliud tamen verbũ eſt.Hic eſt איעצה,quod à יעץ venit,in Prouerbiis עצה.Malim ergo ita accipere,Oculo meo,id eſt mea proſpectione,mea cura,mea obſeruatione tibi cõſulam:hoc eſt ipſe diſpiciam, ipſe videbo quid tibi cõducat, quò iter tuum dirigas.Hunc ſenſum ferè tradit Paraphraſtes Chaldæus. nam præſentem locum ita reddidit,Ponã ſuper te in bonum oculum meũ.Quod quid aliud eſt, quàm Tui curam geram,proſpiciam tibi? Sicut verſu 18 Pſalmi ſequentis canitur, Ecce oculus Iehouæ ad timentes ipſum: vtique quo eis proſpiciat, dirigat, curámque eorum gerat.Nec tamen abſurda & Kimhi interpretatio videri queat:is ſic enarrat, Dabo tibi conſiliũ ab eo quod vidi oculis meis,atque in memetipſo expertus ſum. Peccaueram,& ingrediebar via non bona. id aduerſis admonitus intellexi:& vltione adactus,ad Dominum reuerſus ſum toto corde,factúſque eſt ille mihi propitius,& ſuſcepit pœnitentẽ. Hic ergo tibi cõſulo,ne vti ego obbruteſcẽs, intelligere in te Dei bonitatẽ negligas,ne ceu animalia intellectus expertia,fræno & capiſtro reduci in viam neceſſe habeas.ſed iam excute veternum,diſpelle naturalium affectuum craſſitiem, caue in ſpiritu tuo dolum alas,putans te rectè viuere, quum affectibus inſeruias. Hoc illud conſilium eſt quod vt hic ſanctus dedit, ita dat quicunque verè reſipuerit, iis quos videt agere ſecurius & incogitantius:& id iuxta ea quæ ipſe expertus eſt,quæque vidit in ſeſe,ac ſenſit. Verſus ergo nonus, quo hoc conſilium Vates complexus eſt, ſic habet, Ne vti equus & mulus obbruteſcite. In eo autem quod adiecit, capiſtro & freno illos coerceri:ſignificatio eſt nõ cogitantem quid ſe deceat, & iudicii Diuini minus animaduertentem, externis malis à prauitate retrahendum. Fortè ideò potiſſimum equi & muli meminit,quòd etſi ratione careant,brutáque ſint,hominibus tamen ſeruiunt : ſed infrænati,& vi quodammodo ad officium manſuefacti,adactique. Si iam ſunt Sancti ſecuriores,atque ceſſantiores, Domini quidem ſunt,eique ſeruient tandem:id autem non vltro, vt Sancti ſelectiores, cæleſtique Spiritu opulẽtius præditi, ſed per aduerſa velut fræno & lupato adacti. Illud quoque nonnihil obſcuritatis habet,*Ne accedat ad te*,&c. Plerique enim Ebræorũ interpretantur,Ne lædat te accedens propius: quanquam ſint qui ſubaudiant impuritatem. quaſi diceret, Ne ſitis vti equus & mulus,&c.ne accedat vobis impuritas,& reddamini immundi,quãdo curam vera intelligendi poſthabueritis, vti animalia immunda ſunt equus & mulus. Quantum ego de hoc loco poſſum aſſequi, ſic ſentio.קרב alioqui & pugnare ſignificat: tum אל & על inter ſe non ra-

rò permutantur. Quare puto legi poſſe, nihil obſtante phraſi Scripturæ, quaſi ſcriptum eſſet, בל קרוב עליך, id eſt ne pugnet contra te, aut repugnet tibi. Sic magis apparet ratio cur fræni & lupati meminerit, quibus non ſolùm id efficitur ne propius beſtiæ iſtæ ſeſſori accedant, ſed magis vt ad nutum eius obediant, & nihil contrà pugnent. Muli autem & equi ideo præ aliis meminit, quòd eorum ad vſus humanos formatio & adactio notior ſit. Mirari autem quis poſſit qui fuerit vſus mulorū apud Iudæos. nam & 1. Regum, 1. c. 33, legimus, Dauidem iuſſiſſe imponi mulæ ſuæ Schlomoh filium: quū in Lege eſſet prohibitum, animalia diuerſi generis committere, Leuitici 19. d. 19.

Quo genere mulorum vſi Iudæi. Verùm hoc genus mulorum quo Syria vtitur, diuerſum eſt (vt ſcribit Ariſtoteles libro de Natura animalium ſexto, cap. 36) ab eo quod coitu equæ & aſini procreatur, quanquam ſimile facie, quo modo aſini ſylueſtres ſimilitudine quadam nomen vrbanorum accepere: & quidem vt aſini illi feri, ſic muli præſtant celeritate. Procteanreiuſmodi muli ſuo in genere. Hæc Ariſtoteles. Ex quibus liquet, mulos quibus vſi Iudæi ſunt, non eius generis fuiſſe, cuius procreatio in Lege vetita eſt. Et pulchrè nomen quoque quo hi muli in Scriptura vocantur, iis quæ Ariſtoteles ſcripſit, conuenit. Nam mulus hîc פרד, & 1. Regū 1, פרדה: mula vocatur, quod idem & onagrotum nomen eſt: quanquam mulos intetpretes omnes reddiderunt, ratione ducti indubie quam Ariſtoteles tradidit, nempe ſimilitudinis.

10 *Multi dolores improbo, & confidentem Iehouæ bonitas circundabit.*

11 *Gaudete & lætamini in Iehouah iuſti, & ouate omnes recti corde.* Verſus decimus rationē habet conſilii quod dat verſus nonus. Improbe enim dum quis viuit, & beſtiis potius quàm hominibus Deo ſtudētibus ſimilior eſſe ſtudet, multis iure doloribus, vt reſipiſcat, adfligitur. Præſtat igitur recta ratione agere, & iudicia Dei probe perpēdere, quàm rapi affectibus vt beſtiæ: cum nitentē Domino (quod nemo poterit, niſi qui ſe & creaturas vniuerſas nouerit plane nihil eſſe) bonitas Dei ita circundet vt nihil penitus bonorum queat deſiderare. Hinc cōmodùm iuſtos & rectos corde ad gaudium, lætitiam, & ouationem inuitat. Cui enim hæc potius conueniant, quàm ei qui quū Deum habet propitium, bonis omnegenus circundatus & cumulatus eſt? Quos iuſtos vocet, dictum in verſu 6 Pſalmi 1, & verſu 21 Pſalmi 25, ac alibi. His det Dominus fidem habere, quo longè à nobis omnem fucum & ſpiritus dolum faciamus: & ſiquando morbis, & malis aliis corripiamur, agnoſcamus iſtuc ideo fieri, vt probe in noſipſos deſcendamus, & in omnia cum noſtra, tum Dei, mentis oculos rectè intendamus, quo auocati à nobiſipſis, Deo nos committamus penitus, eóque vno nitamur. Sic vero demum gaudio, ſolidáque lætitia perfundemur.

DISPVTATIO DE CONFESSIONE.

Obſeruandum verò piis, quod ait, Cogitabā, Fatebor ſcelus meum contra me Iehouæ. Ad hunc enim modum cui confiteri cōmiſſa ſua contigerit, is indubiè mox & illud quod ſequitur dicet, *Et tu remiſiſti prauitatem peccati mei.* Hoc autem pacto peccata confiteri, eſt verè, ſolidéque, & tanquam coram Deo ipſo, peccata agnoſcere, & ea eiuſmodi, támque grauia, vt quibus, ſicut cōditorem noſtrum Deū Opt. Max. offendimus, ita extrema, eáque ſempiterna mala meruerimus. Hoc pacto qui peccata ſua agnouerit, faſſúſque Deo fuerit, is verè demum ſe exuerit, plane humiliarit, penitus cor contritum, adflictúmque ſpiritū habuerit, peccata verè deteſtabitur, Deo ſeſe prorſus conſecrabit, & omni ſtudio, totíſque viribus voluntati eius ſtudebit, eóque facile veniam omniū ſcelerum, totiúſque prauitatis ſuæ abolitionem à Deo exorabit. Vtque nullius rei ſitientior fuerit, quàm viuendi ex ſententia Dei, quicunque de ea ipſum docere poterit, quàm lubens illi, quàm promptè non commiſſa ſolùm, ſed quæuis etiam, ac quanlibet occulta animi vitia confitebitur: non iam ſoli ſacerdoti, Legis Dei ſingulariter docto, & vero mentiū medico, ſed cuiuis etiā Chriſtiano, qui vel mediocriter monere potis ſit. Nihil enim morabitur, quòd confeſſionem peccatorum, quæ homini fiat, alii iuris Diuini, alii humani faciunt. Iuris Diuini agnoſcet eſſe, vti omnibus rebus quibus promoueri huc poſſit vt à peccatis recedat lòngius, accedat propius iuſtitiæ. Qui igitur pigeret remedium doctrinæ monitioníſque ſalutaris ab eo petere, qui certam morbidæ menti medicinam, è Scripturarū pigmentatio queat proferre? Quid puderet morbum detegere ei à quo eiuſmodi morbi remedium expectes, quo non ad tempus ſolùm morbo leuèris, ſed ad ſempiternam omnium vitiorū abolitionem, ac ſalutem conſummatam atque perpetem proficias? Nec ſanè credendum aut Panormitanum rantæ eruditionis virum, aut Gloſſæ autorem inter iuris Canoniei cōſultos præcipui nominis, vel alios ſiue iuriſcōſultos ſiue Theologos (plurimi enim ſunt qui ſecretam illam confeſſionem, traditionem hominum tantùm eſſe affirmant) ſic deſipuiſſe vt talem confeſſionem, qua efficax adeò peccatis remedium, ſalutaris ſcilicet monitio & inſtructio petatur (qualem vtique ſancti patres Occidentalium Eccleſiarum docuerunt) inſtitutionis humanæ feciſſent. Multo minus putandum, talem permiſſam negligi à D. Chryſoſtomo, quum in Epiſtolā ad Ebræos ſcripſit, quod & de pœnitentia diſtinctione prima, Can. Quis aliquando, citatur, Non tibi dico vt te prodas in publicum, neque apud alios te accuſes, ſed obedire

te volo Prophetæ dicenti, Reuela Domino viam tuā. Ergo tua confitere peccata apud Deum verum iudicem: cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria, & tunc demum ſpera te miſericordiam poſſe conſequi. Si habueris peccata in mente tua continuè, malum nunquam aduerſus proximum tuum in corde tenebis. Item in ſermone De reſipiſcentia & confeſſione, vocat confeſſionem iudicium, quòd abſque teſtibus, ſolis cogitationibus perficiatur. Minime omnium verò exiſtimandum, Græcorum Eccleſiam talem confeſſionem poſthabuiſſe vnquam, aut poſthabere hodie, quæ quidem verè Chriſti Eccleſia fuerit. Fraternam ſiquidem monitionem, & ſanctam de ſecretioribus malis medelam qui negligerent, purioris vitæ verè ſtudioſi? At hæc in huiuſmodi cōfeſſione præcipue petuntur, vt docemur diſtinctione 6. Can. Qui vult. Quin quo id commodius fieret, & apud Græcos olim ſacerdotem bonæ conuerſationis, ſeruantémque ſecreti, ac ſapientem virū ſtatuerant. Quem quidem morem poſtea diuus Nectarius, is qui proximus ante diuum Chryſoſtomum epiſcopum egit Conſtantinopolitanum, præteriit: & ſuadentibus quibuſdam, ſingulos ſuæ cōſcientiæ iudicio, quantum ad cōmunionem attinet, reliquit. Sed cauſa fuit quòd populus competiſſet, nobiliſſimam fœminam quum iuſſu ſacerdotis qui pœnitētibus præerat, ieiuniis, aliiſque ſanctis operibus vacaret, à diacono in Eccleſia ſtupratam fuiſſe: eóque in ſacerdotes ſæuiiſſet, quaſi per eos facta fuiſſet iniuria Eccleſiæ. Hæc legis lib. 9. Hiſtoriæ Tripartitæ, cap. 35. Eo autem quòd nullum peculiarem huic rei diuus Nectarius præfecit, aut etiam qui eum ſequuti ſunt, propterea haudquaquam cenſuerunt talem qualem paulo antè deſcripſi, & ſancti Occidentalis Eccleſiæ patres tradiderunt, confeſſionem negligendam, vt quæ traditionis humanæ tantùm eſſet. Certe quum præceptum eſt, Deum ex toto corde, tota anima, totiſque viribus diligere: præceptum ſimul eſt, quicquid dilectio tanta Dei requirit: quæ vtique requirit quicquid quouis modo ad id conducit, quo vita euadat peccati purior, & ſanctimonia inſtructior. Certe neque Occidentalis Eccleſiæ patres vnquam voluerunt iis peccata fateri à quibus non queas ad pietatē erudiri: expectes autem tibi vel illi offendiculū potius quàm peccati remedium. vt proh dolor, quotidie turpia ac horrenda audiuntur, prætextu confeſſionis, à ſceleratiſſimis non ſacerdotibus, ſed ſacerdotum carcinomatis admitti, proditiones, homicidia, veneficia, ſtupra, ſacrilegia, & quid non? At ſacri Canones, non ſolùm à quibus tanta timeas, ſed & eos vitari volūt qui tantum cæci ſunt, viæ Dei ignari, & adeò quidem, vt proximo & laico (vt vocant) confitendum potius ſtatuerint, quàm ei ſacerdoti quem vel ipſum ex cōfeſſione deteriorē fore, vel te deteriorem redditurū, iure metuas. Id quod & diuus Thomas probat in articulo quarto, Quæſt. ſeptima, de partibus pœnitentiæ. Proinde in Canone, Qui vult: de pœnitentia, diſtin. 6, præcipitur, vt quæras à quo non negligaris: & ideo melior, qui haberi poſſit, qui non ſit ab vnitate Eccleſiæ diuiſus, in nullo eorum iudicandus quæ in alio iudicare debeat. Deinde ita munere ſcientiæ inſtructus vt cognoſcere queat quæ iudicare debeat, qui valeat morbum quanlibet latentem agnoſcere, didicerit confitenti eſſe beneuolus, onus eius portare, charitatem ardentem in omnibus exhibeat, iuuet confitentem, orando, docendo, monendo, conſolando, ſed & eleemoſynas pro eo faciendo. Talem confeſſionis ſecretariæ arbitrum requirit Canon Pontificius. Quis iam dubitet iuris Diuini eſſe, huiuſmodi medicum laboranti animæ adhibere, quando vix aliud queat ab homine peti ad emendādum vitam potentius? At ſiquis pietatis penitus expers ſit, quomodo is te ad pietatem inflāmabit, qui vnum corpus cum ſcorto factus, atque ideo (vt & Paulus inquit) à Chriſto, eóque & corpore eius Eccleſia, diuiſus eſt, quomodo is te Eccleſiæ reſtituet? Si omni genere vitiorum madeat, qua te ratione illis purgabit? Si ſcientia & iudicio penitus careat, quid te eius docebit? Si conſcientiæ deiectionem nunquā ipſe ſenſit, quomodo tuam eriget? In ſumma, quomodo tuæ vitæ emendandæ vel ſuaſor, vel autor fuerit, qui ſceleribus totus ſeruit, nec vnquam cogitat ab eis reſilire? Quare quū in Eccleſia Chriſti veris agendum eſt, & confeſſione peccatorum præcipuè ſpectandum vt peccatis libereris, certe non leui diligentia circunſpiciendum vt talem confeſſionis tuæ arbitrum tibi deligas, qui ad hoc ipſum momentum aliquod conferat, non qui remoretur, aut etiam peccatis grauioribus te inquinet. Non tamen hoc moneo vt quenquam velim iudicari temere, multo minus contemni immeritum. At quàm admodum piè diuus Thomas loco iam citato ſcribit, præcepta iuris poſitiui (vt loquitur, hoc eſt præter manifeſtum & expreſſum Dei præceptum conſtituti) non extendere ſe vltra intentionem præcipientis, quæ ſit finis præcepti, nempe charitatem, vt Diuus Paulus inquit, ad vtilitatem, & veræ pietatis inſtaurationem omnia inſtituentem. Iam quid Eccleſiæ proceres, confeſſionem ſecretariam præcipiendo intenderint, quid voluerint, ſatis Canon iam adductus explicauit. Quare quum præteritur ſacerdos qui meliorem reddere te nequeat, nec præceptum Eccleſiæ (vt diuus Thomas inquit) trāſgreditur, quia illa ei confiteri præcipit à quo peccatis libereris, & in pietate erudiaris, ac promouearis: nec ſit vlla ſacerdoti eiuſmodi iniuria. nam vt ibidem diuus Thomas ſcribit, Priuilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate. Summa omnium eſt, In primis ſpectan-

Pſal. 37. a. 4, & 55. d. 23.
D. Nectarius.
Cui confitendum.
Qualis debeat eſſe confeſſionis ſecretarius.
1. Cor. 6. d. 16.
1. Tim. 1. a. 5.

dum, vt Domino ex animo confitearis: tum ei homini à quo iuuari potiſſimum queas vt peccata verè dediſcas, & iuſtitiæ totus ſtudeas. Præter hoc ſtudium, ceremoniæ Deum irritare poterunt, placare non poterunt. Præſtiteritque hanc confeſſionem tum præcipuè adhibere quum peccatis laboratur grauius. huius enim remediũ eſt, ſi id eſt quod audit, & quod eſſe eam patres Eccleſiæ voluerũt. Non à tẽpore, ſed primùm à Deo, deinde à tuo animo erit, vt ſalutarẽ experiaris. Eo quòd abs te hominũ tantùm extorſerit conſtitutio, perparum in rebus Dei & animi tui efficies. Scitum & pium eſt quod D. Hilarius eruditus ac vigilantiſſimus Galliarum Epiſcopus, in Octonarium 2, Pſalmi 119, ſcripſit, Vera peccati confeſſio eſt, ſine intermiſſione temporis pœnitere. Et in Pſalmum 135, ſupputatione vulgari, Confitendũ ſemper eſt, non quòd peccandum ſemper ſit vt ſemper ſit confitendum: ſed quia peccati veteris & antiqui ſit indefeſſa confeſſio. Quanquam vt noſtra caro comparata eſt, quotidie accidit quod confitearis, vt non ſolùm peccatũ antiquum & vetus, vt Hilarius inquit, confitendum tibi maneat. Si iam (vt idem ait) peccati confeſſio eſt deſinendi profeſſio, & Chriſtiani ſit hoc cõtinuò meditari & moliri: facilè quiuis videt quàm ſit præpoſterum, certo tantùm tempore remedium petere, quum morbus identidem, & incertis interuallis impetat & deſæuiat. Hoc ergo agamus, & quæramus ſeduló, vt imagini Chriſti quàm ſimillimi euadamus, & vnaquaque re ita vtamur, vt hîc nobis conducibilis fuerit: ſic verè erimus id quod ſumus profeſſi, nempe Chriſtiani.

PSALMVS XXXIII, ἀνεπίγραφος καὶ ἀδέσποτος.

ARGVM. *Perplanus, ſed plurima dignus obſeruatione hymnus eſt, quo Vates primùm ad quàm ſtudioſiſſimè celebrandum Deum inuitat. Deinde omnia eius bonitate plena eſſe prædicat, miracula conditionis ſimul & gubernationis memorans. Denique dum cecinit unum Deum cuncta efficere & præſtare, & ſuis ſemper benigne adeſſe, nomine populi Dei ſpem & fiduciam in ipſum profitetur, bonitatémque eius inuocat.*

PARAPH. 1 O Vate ó iuſti Iehouæ, conuenit laus recti ſtudioſis.

2 Celebrate Iehouam cithara: nablo, decachordo huic canite.

3 Cantate de eo carmen nouum, ſuauiter ſonate, & clangite.

4 Nam quicquid Iehouah inſtituit, rectum eſt: omnia eius facta ex fide proficiſcuntur.

5 Amat iuſtitiam & æquitatem, terra bonitate Iehouæ repleta eſt,

6 Iuſſu Iehouæ cæli facti ſunt, & præcepto oris eius omnis ornatus eorum.

7 Velut vtre incluſit aquas maris, & velut theſauros repoſuit abyſſos.

8 Paueant ergo à Iehouah cunctæ regiones, metuãt ab eo qui inhabitãt orbem.

9 Nam hic verbo quoduis efficit, iuſſu rem quamlibet præſentem exhibet.

10 Iehouah conſilia gentium diſſipat, cogitata populorum differt.

11 Conſilium autem Iehouæ in ſempiternum perſtat, cogitata cordis eius per omnia ſæcula.

12 Fœlix ea gens quæ Iehouam pro Deo habet, populus quem ille ſibi elegit in hæreditatem.

13 E cælis deſpicit Iehouah, intuetur homines ſingulos:

14 E certa ſede ſua cunctos inhabitatores terræ ſpeculatur.

15 Ipſe omnium pariter corda finxit, intelligit omnia quæcunque geſſerint.

16 Non ſeruatur rex magna potentia, nec vir fortis euadit multo robore.

17 Fallit equus ad hoc vt ſeruet adhibitus, nec eripit multa virtute ſua.

18 Ecce autem oculus Iehouæ intendit in eos qui ipſum timent, qui ipſius bonitatem expectant,

19 Vt liberet à morte animam eorum, & alat dum laboratur fame.

20 Animæ noſtræ ſperant in Iehouam, ipſe auxilio nobis eſt, & pro clypeo.

21 Nam de ipſo gaudebit cor noſtrum, nam ſancto ipſius nomine nitimur.

22 Sit ſuper nos bonitas tua ô Iehouah, quemadmodum abs te pendemus.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *O Vate iuſti in Iehouah, rectis conuenit laus.*

2 *Celebrate Iehouam in cithara, in nebel, decachordo canite ei.*

3 *Cantate ei canticum nouum, bene modulamini ſonum in clangore.* Iuſtos & rectos, hoc eſt huc incumbentes vt ex bono & æquo cum omnibus agant, ad celebrandum prædicandúmque Deum inuitat, quia ſoli bonitatem Dei vt verè percipiunt, ita agnoſcũt, & laudare poſſunt. נאוה, quod verti ſolet congruit, vel decet: verti quoque poteſt, expetita, vel optata, vt ſit paſſiuum ab אוה, quod Hebræis expetiuit, deſiderauit ſignificat. Nihil ſanè bonis optatius acciderit atque Dei laudes celebrare. Sed reperitur hoc verbum etiam ſignificare decentiã, vt Prouerb. 19.b.10, Non conueniunt ſtulto deliciæ. Et 26.a.1, Non decet ſtultũ gloria. Quod enim deſiderabile, idem pulchrum & decens eſt. Memorat inſtrumenta Muſices. כנור, quam citharam vertunt: נבל, quod alii nablum, alii pſalterium, alii fides. Et עשור, quod decachordum reddunt, quidam id tanquam epitheton nabli acceperunt, eo quòd abſque coniunctione illud ſequitur. Sed quanlibet polyſyndeto frequentiſſimè Scriptura vtatur, habet tamen ſuis locis & aſyndeton. Cæterùm ex verſu 4, Pſalmi 92, abundè liquet, עשור nomen eſſe inſtrumenti diuerſi ab נבל. Sic enim habet, Exurge aſor, & exurge nebel. In libro Paralipomen. priore, capite 15, 16, & 25, quibus locis de ſacris Cantoribus legitur, mẽtio fit, præter citharas & nabla, etiã מצלתים, id eſt cymbalorũ, & חצצרות, hoc eſt buccinarum, vel tubarum. Ioſephus libro Antiquitatum 7. cap. 12. ſcribit, Cinnoræ, id eſt citharæ, decem fuiſſe chordas, & plectro percuti ſolitam. Nebel verò, duodecim chordis, & tangi conſueuiſſe digitis. Huiuſmodi inſtrumentorũ figuræ mutantur quotidie: vnde mirum non eſt, nihil modò certi poſſe de his dici, vt neque Hebræi quicquã de his ſoli tradunt. Fruſtra igitur de hac re philoſophabimur. Præſtiterit ergo hîc obſeruare, quàm nihil Dauid omiſerit eorum quæ vlla ratione Dei cultum vel augere, vel illuſtrare potuerũt. Re ipſa experimur, nihil eſſe quod tantam habeat vim animũ mouendi, atque ſonus concinnè modulatus. Animales enim ſpiritus, quibus affectus animæ conſtãt, aeriæ materiæ ſunt, atque ideo ab infracto extrinſecus temperatóque commodùm aere, atque per aures ad animum delato, mirum in modum citantur, próque illius temperatura immutantur. Inde tam varios, & inter ſe pugnantes affectus, muſica modulatio efficit. Hinc meli Phrygii, Lydii, Dorii, & Ionici, tam celebris differentia, de qua in præfatione nonnihil. Quo itaque Rex ſactus in animis populi affectus quàm religioſiſſimos excitaret, & de Diuinis beneficiis lætitiam adaugeret, non ſolùm vocũ, ſed & organorum cõcentum adhibuit. Decet ſiquidem in ſacris cœtibus, & dum Sãctis cum Deo negotiũ eſt, totum animum in admirationem & laudem Dei rapi. Ad id quãtæ ſit Muſica efficaciæ, & ex facto Vatis Eliſhah colligitur, qui enthuſiaſmon pulſo organo prouocabat, hoc eſt animũ ſuum omni turbatione diſpulſa, ad percipiendum ſacrum ſuperni Spiritus afflatum componi & apparari curabat. Proinde haud leuiter deteſtandũ, rem tam Diuinam, & religioni præcipuè natam, abuſu ad voluptates ſic viluiſſe, ac redditã infamem. Verè qui norunt quid ſit toto corde, tota anima, totiſque viribus amare Deum, illi facilè agnoſcunt, quàm appoſita religioni ſit Muſica, propterea quòd tantum ad cõponendum & excitandum animum valet. Recepit ante paucos annos & Eccleſia, ad ſacros hymnos varia Muſices organa: ſed vtinam ita vt Dauid, omnes illis vterentur: nimirum non ad inanem oblectationem aurium, ſed vt dixi, ad ſedandum quod animæ harmoniam turbat, ad excitandũ ipſam, quo expeditior & feruentior beneficia Dei cõſideret, religioſis affectibus accenſa. Hoc ſi ſtuderetur, verborum oportebat primam curam haberi, & horũ tantùm gratia vt vocum, ita & organorum modos, nempe quo & penitius expenderentur, & maiore ardore cum audirẽtur, tum dicerentur, adtemperari. Iam partem ſacrarũ cantionum omittimus, auſcultantes modulis organorum: quod tamen ferri poterat, eo quòd interim ſacra verba mẽs, modulatione illa excitata, apud ſe voluere poſſit, ſi ea modulatio ſic inſtitueretur, vt verborũ perpenſionem acueret & intẽderet. Sed quod dictu horrendũ, paſſim obtinuit vt Eccleſiarum muſici pro Sacris hymnis, ſpurciſſimarum cantionum melos in organis modulentur, quibus nõ ſolùm inani, ſed pernicioſa ſimul voluptate, lenones & lenæ oblectantur, & integriores adhuc animi ad libidinem proliciuntur. O impia ſupinitas, adhæc non ſummopere conſternari & perterrefieri, quicunque Chriſto nomen dederũt, nedum Eccleſiarum proceres. Sub nomine enim Ieſu Chriſti crucifixi, in loco illi ſacro, in cœtu eorum quos ille ſanguine ſuo redemit, pro ſalario quod pro ipſius cultu perſoluitur, nihil aliud quàm Veneri ſacrificari, caſtas ſanctorũ aures ac mentes prophanari, titillari quoſque perditiſſimos. Illo, *Canite ei canticum nouum:* Laudandi Dei innouatum ſtudiũ voluit excitare, quod ex renouata Diuinæ bonitatis perpenſione ſolet exurgere. De his ſanè quæ homines ſummè afficiunt, & quorum memoriã pectitius cupiunt infigere, ſolent ferè nouas componere cantilenas. Sic Moſcheh tranſmiſſo Mari rubro, & extincto Pharaone, hymnum cecinit: & Deborah fugato Iabin rege Chenaanitarũ, atq; occiſo duce eius Siſera. Nemo verò huius ſtudioſior fuit Dauide. Tubæ cantum in eo dixit quod ſubiecit, *Et bene ſonate in clangore.* De quo in verſu 6, Pſalmi 27.

Qui iuſti & recti. — *1. Reg. 3. d. 15.* — *Abuſus organorũ.* — *Canticũ nouum.* — *Exod. 15. a. 1.* — *Iud. 5. a. 2.*

4 *Quoniam rectum verbum Iehouæ, & cuncta opera eius in fide.*

5 *Diligit iudicium & iuſtitiam, bonitate Iehouæ plena eſt terra.* Incipit prædicare Dominum à factis &

14 *De rectè inſtitutâ ſede ſua proſpexit ſuper omnes habitatores terræ.*

15 *Ipſe fingit ſimul corda eorum, & intelligit cuncta opera eorum.* Mundo nihil difficilius perſuadetur,
quàm Deũ cuncta ſua prouidẽtia gubernare: eo quòd multarũ rerum, cur ita fiant, rationem in-
uenire nequeat. Offenduntur hic etiã, qui ſibi videntur inter filios Dei haudquaquam poſtremi:
maximè verò ex eo quòd quũ Scriptura teſtetur Deum omnia in omnibus operari, fiant tamen *Quæ offendant in iis, quæ de prouidentia Dei prædicantur.*
tam peruerſa & pernicioſa à multis: denique prædicet Deum eos qui hæc admittunt, æternis ad-
dicere cruciatibus, quũ tamen melius facere illi haudquaquã poſſint. Quis enim benefaciat, qui
nequit bene cogitare? At quicunque renatus non fuerit Spiritu ſancto, vt animalis permanet, ita
nequit ea quæ Dei ſunt, percipere, 1. Corint. 2. d. 14. Sed erat noſtrum, noſtrã imbecillitatem me-
lius agnoſcere, quàm vt imperſcrutabilia Dei iudicia perſcrutari, & vias eius inueſtigabiles veſti
gare, impia temeritate tentaremus. Diuinæ gubernationis miracula, non in apicula quidẽ poſ-
ſumus aſſequi, & rationẽ qua regit Deus genus humanũ, audemus inquirere. Satis abũdè oſtendit
nobis Deus, omnia ſe optima ratione vt condidiſſe, ita & gubernare. id erat ſimpliciter creden-
dum, & fatendum. Ex nihilo ſolus omnia condidit, & quidem abſolutiſſima: ſolus ergo & ſeruat,
agit, ac perficit. Si in his indigna quædã nobis videantur, agnoſcere oportebat, id culpa fieri no- *Quid ſentiendum de operibus prouidentiæ Dei.*
ſtræ rationis: nec fieri poſſe quin hæc quæ abſurda videntur, optimè habeãt, quum innumera a-
lia Dei opera ita perfecta videamus, vti nihil prorſus in eis queas deſiderare. Quicquid etiam pec
camus, imputare nobis conueniebat: & fateri tamen, quicquid boni vel in mentem tantùm ve-
niat, merum donum Dei eſſe: iure tamen nihilominus pœnas nos dare peccatorum, quanlibet
ex nobis aliud nequeamus. Quòd ſi interim nequimus videre quomodo iſta inter ſe cohæreant,
exclamãdum erat cum Paulo, O altitudo diuitiarũ ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabi-
lia ſunt iudicia tua, & inueſtigabiles viæ tuæ, &c. Id ſanè ſtudent Sancti, miſſis impiè curioſis il-
lis diſputationibus, quibus alii offenduntur. Sanctis nihil ſpem magis firmat, quàm quòd ſciũt *Rom. 11. d. 33.*
à Deo omnia geri, & pro ipſius voluntate cuncta perfici. Perſuaſi enim ſunt, Deo ſe haberi filio-
rum loco. quare vtcunque cadãt res, tandem in ſalutem ſibi cuncta cooperatura nihil dubitant.
De his ergo canit Vates, *Beata gens cuius Deus eſt Iehouah, populus quem ille ſibi in hæreditatem elegit:* hoc eſt,
cui ſe Deum, nempe tutorem, ſeruatorem & beatorem, hoc eſt ſummum & omne bonum exhi-
bet, quem velut hæreditariã, eóque ſingulariter charam poſſeſſionem excolit. De qua re nonni-
hil in verſu 5 & 6 Pſalmi 16. Vnde autem fœlix eſt huiuſmodi populus? *Deus è cælis deſpexit, &*
ſpeculatur omnes filios hominum. Vt igitur nihil eum fallere poteſt, ita ſuis nihil non in ſalutem ordi-
nat, quando & ſummè illos diligit, & poteſt omnia. Hãc rerũ humanarum ſcientiam, quoniam
vix aliud tã ægrè perſuadetur hominibus, adfirmat & verſu 14. Quintodecimo adiicit hãc cau
ſam, *Quandoquidem fictor cordis humani eſt Deus:* quid illum non operũ modò, ſed & cogitationum ho
minis lateret? Simile habet verſus 9 Pſalmi 94, An qui plantauit aurem, non audiat? an qui fin-
xit oculum, non videat? Nec diſſimilia ſunt quæ legimus Ieſcha. 29. e. 16, Peruerſitas veſtra profe
ctò ſimile habet luto figuli. nam idem facitis, acſi diceret opus opifici, non feciſti me: & fictile de
fictore, non intelligit. In his omnibus ſiquidẽ hoc argumẽtum eſt, Deus finxit, formauitque ho-
minem, non ſecus atque figulus è luto vas fictile: nihil igitur in homine eſſe poteſt quod Deum
fallat. Illud יחד, quod aliàs *unà* verti ſolet, iuxta phraſim Hebraicã ſignificat *ſimul omnium,* vt verti.
Hæc autem ſi daretur credere, quanta quæſo eſſet nobis in Deum fiducia, omnia nimirum, & o-
ptimè quidem diſponentem? Quæ enim ſanctimoniæ cura, verſantibus coram Deo & cõdito-
re noſtro, cui cordis noſtri penetralia magis quàm nobis ipſis patula ſunt?

16 *Non ſeruatur rex multa potentia, fortis uir non liberatur multo robore.*

17 *Mendacium equus ad ſalutem, & multa uirtute ſua non eripiet.*

18 *Ecce oculus Iehouæ ſuper timentes ipſum, expectantibus bonitatem ſuam.*

19 *Vt liberet à morte animas eorum, & ad alendum eos in fame.* Regis maximæ copiæ ſunt, quibus ni-
hil non confecturus videtur. Et hæc חיל vocantur. iis enim potentia & virtus regis conſtat. Alio-
qui חיל præcipuam & ferè bellicã virtutem ſignificat: vnde mox & equo, ſed animali bellico tri-
buitur. Equi ſingularis virtus eſt, vt ſaluti ſit ſeſſori, ſiue oppugnandus hoſtis ſit, ſiue fugiendum.
Quo itaque oſtendat, nihil omnino ſalutis expectandũ à creaturis, canit inutilem eſſe ac inefficа-
cem ad ſalutem, tam regis quàm equi virtutem, quibus tamen præcipua eſſe creditur. Simile eſt
illud Prouer. 21. d. 31, Equus inſtruitur ad prælium, at Iehouah ſaluat. Neque diſſimile illud Iiob
39. c. 21, Quum tempus eſt exaltandi, exaltat, interim equum & ſeſſorem ridet is. שקר, id eſt men-
daciũ equi dicit ad ſalutẽ: quod idem atque, equus mentitur, fallit ſpem ſeſſoris ſeruari per illum
ſperãtis. A Domino verò vno ſalutem petendam docet, dum ſubiicit, *Ecce oculus Iehouæ ſuper timen-*
tes ipſum quicunque bonitatem eius expectant, vt liberet eos à morte, dum vel peſtis graſſatur, aut
bellũ: & vitam defendat, dũ fame laboratur, curans nequid eis deſit ad vitã neceſſarium. Adiicit
ſiquidem manu largiſſima hæc omnia, dum in primis quæritur regnũ Dei, & eo digna iuſtitia.

20 *Anima noſtra præſtolatur* Iehouam: *hic auxilium noſtrum & clypeus noſter:*
21 *Nam in eo lætabitur cor noſtrum, nam in nomine ſancto eius nitimur.*
22 *Sit bonitas tua ſuper nos ô Iehouah, quemadmodum expectamus te.* Memorat fiduciā in Deum, quæ efficit vt in omnibus à Deo pendeamus, atque è manu eius omnia expectemus, ſolidū item cordis gaudiū parit. Verſu vltimo, nomine populi Dei precatur vt Dei bonitas iuxta ſpem ipſorū in eos iugiter exeratur. Quo ſimul, quomodo Deus cōfidentes in ſe, & omnia à ſe expectantes, habeat, docet: nempe quòd perpetuò eis adeſſe ſoleat, iuuare & defendere in omnibus, cōſolari & recreare, vt iugiter in ipſo & de ipſo gaudeant, iuxtáque ſpem ſuam ſempiterna bonitate eius perfruátur. Hæc ſors eſt electorum, & à Dei prouidentia in omnibus pendentium.

PSALMVS XXXIIII. in genere mixto, ἐπαινετικὸς καὶ διδακτικός.

Motus Dauid ex ſingulari illo beneficio, quo ipſum Deus, quum apud Achis regem Palæſtinorū (quorum reges, Abimelech vocabantur) agnitus, de vita periclitaretur, non ſine miraculo ſeruauit, Dei erga ſuos curam & bonitatē in vniuerſum magnificè prædicat: ſimul ad innocentiæ & pietatis ſtudium hortans, quòd qui eo præditi ſunt, ex omnibus malis eripiantur, & bonis vniuerſis cumulentur. Cuius præclarum in ſeipſo exemplum conſiderandum offert.

1 DAuidis, quū inſaniā ſimularet coram Abimelech, & expulſus ab eo, abiret.
2 Prædicabo Iehouam omni tempore, erit laus eius in ore meo iugiter.
3 De Iehoua gloriabitur anima mea: audient manſueti, & lætabuntur.
4 Attollite Iehouam mecum, extollamus vnà nomen eius.
5 Solicitus quærebam Iehouam, & annuit mihi: liberauit me ab omnibus quæ terrebant.
6 Reſpicient ad illum, & accelerabunt, nec ſuffundentur pudore facies eorum.
7 Iſte adflictus ſimulatque inuocat, audit Iehouah, & ex omni anguſtia ſeruauit eum.
8 Angeli caſtra circum timentes Iehouam ponunt, & liberant illos.
9 Deguſtate & videte quàm bonus ſit Iehouah: fœlix ille vir qui ſe illius fidei committit.
10 Colite Iehouam ſancti eius: nam colentibus eum nulla eſt penuria.
11 Valentes viribus leones inopia laborabunt, & fame premētur, quum ſtudioſos Iehouæ nihil boni deficiet.
12 Agite filii audite me, ad Dei cultum inſtituam vos.
13 Quiſquis es qui cupis viuere, amas vitam longæuam, quo fruaris bonis.
14 Serua ab iniuria linguam tuam, & os tuum à verbis fallacibus.
15 Caue ne quem afficias iniuria, incumbe bonitati, ſtudioſè quære & conſectare pacem.
16 Oculi Iehouæ intenti ſunt in iuſtos, aures eius vociferationi eorū auſcultāt.
17 Vultus Iehouæ & in eos qui faciunt iniuriā intendunt, ſed vt excindat de terra memoriam eorum:
18 Illi verò clamant, & Iehouah audit, ex omni anguſtia liberat eos.
19 Propè adeſt Iehouah confractis corde, contritos ſpiritu ſeruat.
20 Etſi plurima mala incidant iuſtis, ex omnibus tamen liberat illos Iehoua.
21 Omnia oſſa eorum cuſtodit, vt ne vnum ex eis confringatur.
22 At improbū perdet malū quodlibet: & qui iuſtos odio habent, deuaſtabūtur.
23 Redimet animam ſeruorum ſuorum Iehouah, nec deuaſtabūtur, quicunque ipſius ſe fidei committunt.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

Q*Vum immutaret rationem ſuam coram Abimelech, & expulit eum, & abijt.* Reges Palæſtinorū Abimelech vocabātur, vti reges AEgyptiorū Pharao: id ex eo liquet, quòd & Abraham & Iiſaac tempore, hoc nomine vocatos illorū reges legimus. Accōmodatū autem regibus nomen, quos patrū loco eſſe decet populo. Idem enim eſt אבימלך, quod pater meus rex. Cæterùm hic rex ad quē Dauid fugerat, Achiſch proprio nomine dictus fuit. Sunt qui putēt eum fuiſſe binominem. Hiſtoria hîc notata, legitur 2. Regum 21. Fugerat Dauid, quū per Ionathan didiciſſet defi-

nitum apud Schaulem vt ipſum perderet, ad regem Gath Achis, Abimelech ſuo regio nomine nuncupatum. ibi agnoſcentes eum ſerui regii, dicebant, Hîc profectò eſt de quo in choro cecinerunt, Schaul percuſſit mille, Dauid autem decem millia. Inde terrore maximo (vt veriſimile eſt) conſternatus, immutauit טעם ſuũ, id eſt intellectum, rationem, inſanire ſe ſimulans. טעם enim & guſtum ſignificat, & trãſfertur pro ratione, iudicio, intellectu: fortè quòd ratio id ſit mẽti, quod guſtus corpori. Inde Pſal. 119 octonario ט, טוב טעם ודעת למדני, id eſt bonum iudicium & ſcientiã doce me. Et Prouerb. 11. c. 22, Monile aureum in nare porci, eſt mulier pulchra, & deſerens טעם, id eſt rectum iudicium, &c. Item Prouerb. 26. c. 16, Piger in oculis ſuis ſapiens eſt pluſquam ſeptem reſpondentes טעם, id eſt iudicium, vel ſententiam. Ad hunc modum & Ionah 3, vſus eſt hac voce. Quum itaque Deus huius ſimulationi fauens, effeciſſet vt rex iuberet Dauidẽ à ſe expelli tanquã inſanientem, tanto liberatus periculo, cõpoſuit hanc odam, in qua & Dei erga ſe bonitatem prædicat, & ad fidendum illi, atque æmulãdum eam ſimul hortatur. Ex eo verò quòd innoxiæ huic ſimulationi Deus fauit, animaduertere licet, haud indignum eſſe Sanctis, fallere improbos, ſi id illis nihil noceat, proſit autem Sanctis. 1.Sam.21.b.7. Ion.3.c.7.

2 *Prædicabo Iehouam in omni tempore, iugiſque laus eius in ore meo.*

3 *De Iehouah gloriabitur anima mea: audient manſueti, & lætabuntur.* Affectus grati animi ob diuinũ auxilium, verſibus ſecũdo & tertio promit, profeſſus perpetuò & iugiter Deum ſe laudâturum, atque de eo ſic fauente, ſic beneuolo, támque inſigniter adiuuãte, gloriaturum, quod & manſuetos omnes qui cruci ſeſe ſubiecerunt, & à mundo, eo quòd non ſint de mundo, malè tractantur, mire ſit exhilaraturus, & ſingulari lætitia perfuſurus, vt qui audiant Dei, quem vnicè amant & colunt, laudes: & in his, quòd ille cõmittentes ſe ſibi, & à mundo perſequutionem ferunt, nequaquam deſerat. Denique & id gaudii eis materiam offert, quòd audiunt fratrem & paris ſortis, ſimiliter afflictum, & adiutum tam mirificè. Gaudent enim cum gaudentibus eiuſmodi, & maximè gaudẽtibus de Domino. Magni affectus & illud eſt, *Anima mea de Iehouah gloriabitur*. nam perinde eſt acſi dixiſſet, Totis affectibus, totiſque viribus de Iehoua gloriabor. Animæ enim nomine, animalis vita, animaléſque vires intelliguntur. Poteſt hæc particula etiam verti, Laudat anima mea Iehouam: & ſenſus idem erit. Nam de Domino gloriari, aliud nõ eſt, quàm laudes eius magno affectu deprædicare.

4 *Magnificate Iehouam mecum, & extollamus nomen eius ſimul.*

5 *Inquiſiui Iehouam, & reſpondit mihi: & ab omnibus terroribus meis liberauit me.* His verſibus hortatur alios vt vnà Deum prædicent: & eius cauſam ille ſubiicit, nempe quòd ſe ſui ſtudioſum, benignè adeò iuuerit, & ex omni anguſtia liberarit. Hoc autem quod canit ſe liberatum ex omnibus terroribus, hyperbole eſt, teſtis gaudii ingentis: maximè ſi Pſalmum hunc non poſt omnimodã ſui liberationem, quũ iam regnum auguſtũ & quietũ gubernaret, ſed (vt mihi veriſimile eſt) ſtatim poſt periculũ quod in inſcriptione notatũ eſt, compoſuit. Adhuc enim Schaul ipſum perſequebatur, adhuc incidebant, & quidem quotidie, quæ perterrefaciebant. Sed quia in ipſa ſibi morte teneri videbatur, quũ in manibus eſſet miniſtrorum Achis, omni ſe putabat periculo liberatũ ſimulatque præſens periculũ euaſiſſet: pro nihilo iam habens quòd adhuc exul & fugitiuus in deſertis oberrare, & cõtinuò audire quæ metũ ipſi incuterẽt, cogeretur. Obſeruandũ verò quanta Dei bonitatis admiratione, Deũ Dauid celebret ob ereptionẽ, quam animales homines ſuæ potius ſagacitati & fortunæ acceptã retuliſſent. Plurimi ſanè quotidie, minori dexteritate concinnatis fallaciis, vitæ diſcrimini ſeſe expediunt, qui id tamen pro Dei beneficio habendum ne cogitant quidem. Sed qui Deo quicquã tribuerent, qui ne eſſe quidem Deum planè perſuaſi ſunt? De verbo ברך, quod nõ ſolùm benedicere & laudare, ſed & bene precari ac benefacere ſignificat, dictũ eſt in verſu 4 Pſalmi 21. De manſuetis, in verſu 27 Pſalmi 22, & in verſu 9 Pſalmi 25. Miracula Dei, hominis operibus occultantur.

6 *Reſpicient ad eum, & accurrent, & facies eorum non pudefient.*

7 *Iſte adflictus clamauit, & Iehouah audiuit, & ex omnibus coartationibus eius ſeruauit eum.* Fructũ canit qui ex ſua liberatione prouenit, nẽpe quòd viſa Dei bonitate in ipſo tam præclarè demonſtrata, & alii ad Deũ ſeſe totos receperunt. Verùm ambiguũ eſt illud, *Reſpicient ad eum*. incertum enim an ad Deũ, vel ad ſe, quẽ iuuerat Dominus, reſpecturos homines intellexerit. Abrahã Ezra putat Vatem de ſe hoc cecinisſe, qui ſe mox adflictũ eum vocat qui inuocauerit, quémque Dominus audierit. Similem orationem adducit ex Numeri capite 24. c. 16, vbi Bileam dixiſſe ſcribitur, Videbo eum, & nõ modò aſpiciam, & non propè prodibit ſtella de Iaacob, &c. In hac oratione *eum*, refert כוכב, id eſt ſtellam, quæ ſequitur. ita exiſtimat, & in præſenti loco antecedens relatiui *eum*, quum canit, *Reſpicient eum*, ſequi, & eſſe ipſum Dauidem, de quo facit alios loqui. *Iſte adflictus inuocauit, & Iehouah audiuit*, hoc eſt Vatem ipſum. Poſſit tamen & ad Deum referri, hoc ſenſu, Iam poſtquam me magnificè adeò Deus iuuit, reſpicient ad eum, & feſtinabunt, commiſſuri nimirum ſe eius præſidio: & facies eorum non confundentur, quia ſpe ſua non fallentur. Facie-

rum meminit, quòd pudor in facie ſe prodat. Priori tamen ſententiæ fauet verſus ſequens, quò referuntur verba eorum, qui admirantes Dei bonitatem in Dauide declaratam, de eo dicebant, *Iſte adflictus*, iſte profugus, proſcriptus, neci deſtinatus, ab omnibus contemptus & reiectus, ſic Iehouæ curæ eſt, vt ſimulatque inuocet, audiat eum: etenim ex cunctis periculis liberauit eum. Commodùm igitur ſic ordinati hæc queant, vt de ſe, velut de alio Vates canat, id quod ſubinde ſolet. Aſpicient iam homines illum, & admirabundi cõſiderabunt: accurrent magno ſtudio, tanquam magnum aliquid & inſigne viſuri, neque pudefient. Videbũt enim adflicto, & ab hominibus maximè damnato, præclarè adeò Deum adfuiſſe, vt ſtupentes inter ſe dicturi ſint, En iſte adflictus, cui tã aduerſa omnia euenerunt, cui nullus omnino apud ſuos locus reliquus eſt, ſic à Domino adiutus eſt, vt cunctis eum periculis & malis eripuerit, quum eſſet obrutus innumeris. ונהרו, quod *accelerarunt* reddidi, alii illuminabuntur vertunt: vt ſit contrarium eius quod ſequitur, *Et facies eorum non pudefient*. Sic ſenſus eſſet, Aſpicient eum, nempe antea adflictum, nunc autem à Domino adiutum, & exhilarabũtur, velut illuminati faciebus: nõ ſuffundentur rubore, quod ſimile quiddã tenebris foret. At ſi ad Deum referas, Reſpicient ad eum, bonáque ſpe concepta, quaſi luce Dei læti fruentur, procul ſubmoto omni pudore, omníque animi conſternatione, hoc eſt tenebris. Iiob deuouens diem natiuitatis ſuæ, capite 3.a.4, ita dixit, Ne effulgeat ſuper eum נהרה, id eſt ſplendor, vel lux. Verùm quum perrara ſit hæc vocis huius ſignificãtia (vix enim aliũ locum præter iam ex Iiob adductum, vniuerſa Biblia habent in quo eam inuenias) & pulchrè quadret hîc, feſtinare: prior ſententia videtur firmior, vti & ſimplicior eſt.

8 *Angelus Iehouæ caſtrametatur circum timentes eum: & tuebitur eos.*

9 *Guſtate & videte quoniam bonus Iehouah, beatus vir qui eius ſe præſidio committet.*

10 *Timete Iehouam Sancti eius, quia non defectus timentibus eum.*

11 *Leones depauperati ſunt, & eſurierunt, inquirentes Iehouam non deficient ullo bono.* Iam tutelã Dei erga quoſlibet ipſum verè colẽtes celebrat, ſed à ſua liberatione occaſionẽ accipiens. Angelum vel Angelos, canit caſtris cingere timentes Deum, ne ſcilicet lædãtur ab hoſtibus qui circunquaque illos caſtra ſua ponunt, quo eos perdant. Sic quũ exercitus regis Syriorum cinxiſſet Dothan oppidum in quo Eliſcha erat, & puer eius id videns conterritus eſſet, Propheta verò exoraſſet, vt ei oculi aperirẽtur, vidit ille equites & currus igneos circũquaque Eliſcha, 2. Reg. 6. d. 17. Sic mittit Deus ad miniſterium eorũ qui ad hæreditatem deſtinati ſunt ſalutis, Angelos λειτουργικὰ πνεύματα, id eſt Spiritus adminiſtratorios, vt habet Epiſtola ad Hebræos, capite 1.d.14. Ita promiſerat & Iſraelitis Deus, Angelum ſuũ miſſurum qui eos præcederet, & in promiſſam terram introduceret, Exodi 23.d.20. Hãc ergo Dei opem in ſe declaratã (non enim niſi virtute Angelica, manibus miniſtrorum Achis fuerat ereptus) offert quàm diligentiſſimè conſiderãdam, imò deguſtandam, quũ deinceps ait, *Deguſtate & videte quàm bonus ſit Iehouah*, quàm benignè adſit ſuis. Hinc verò accenſus amplius, velut exclamat, *Fœlix ille vir qui fidei illius ſeſe committit*. Inde hortatur ad Dei timorem & cultum, quòd nihil poſſit iis qui eo præditi ſunt, deeſſe. Idque magis adfirmat verſu 11, addito contrario, *Leones*, inquit, *inopia laborabunt*, hoc eſt qui inſtar כפירים, id eſt leonum iuniorũ, & viribus valentiorum rapiunt, & alios opprimunt, inopia laborabunt, quum nihil prorſus deerit Dei ſtudioſis. Kimhi leones accipit ſimpliciter, & antitheſim à viribus illorum facit, acſi Vates dixiſſet, Leones præſertim iuniores, non poteſt facile deficere præda, ob maximũ eorum robur. at citius tamen fame peribũt, quàm deſit boni aliquid, Deum ex animo quærẽtibus. Prior interpretatio pleniorem habet antitheſim, inter diuites aliorum oppreſſores, qui bonis vitæ huius omnibus adfluunt, & Dei ſtudioſos, quibus nihil æquè inops & miſerum eſt coram mundo.

Angelus cingit ſanctos.

12 *Huc concedite filij, auſcultate mihi, timorem Iehouæ docebo vos.*

13 *Quis ille vir qui cupiat vitam, amet dies ad videndum bonum?*

14 *Cuſtodi linguam tuam à noxa, & labia tua à loquendo fraudem.*

15 *Recede à noxa, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam.* Quandoquidem Deus ſui ſtudioſos ſic tuetur, ſic fouet, & omni bonorum genere ditat, commodùm nunc ad vitam Deo gratam hortatur. Filios appellat, quòd diſcipuli & auditores, à præceptoribus ſic vocari ſoleant. Inde Schlomoh in Prouerbiis identidem dicit, Fili mi, quum ad quemlibet doctrinæ ſacræ capacem, ſermonem dirigit. Ita & filii Prophetarum, diſcipuli eorum dicti ſunt. לכו, inuitãtis & hortantis vox eſt. Timorẽ verò Domini, cui promittit ſuos diſcipulos ſe adſuefacturum, intelligit verum Dei cultum, & vitam religioſam, quæ Deo probetur, cuius timor & obſeruantia Dei, fundamentum & initium eſt. Quo verò illicibiliorem hanc reddat, ſignificat verſu ſequenti, hinc vitã diuturnam, omniſque boni copiã expectandam. Deus enim horum autor, cui potius ea donaret, quàm ſuis? Et certè ea ſe verè colentibus affatim ſuppeditat, nõ ſolùm veteribus, qui quum puerorum inſtar haberent, his erant delinimẽtis ad pietatem alliciendi: ſed & Noui teſtamenti ſanctis, qui vt adulti in vita Dei ſunt, ita amplioribus bonis Dei erga ſe fauorem experiri ſolent,

Timor Domini.

vita longua & commoda vulgo, & Noui teſtamẽti ſanctis cõtigit.

nẽpe cæleſtibus. Quæ enim vita, quæ fœlicitas alia, quàm animo ſemper gaudẽte omnibus rebus
ad animi ſententiam vti & abũdare? Quæ alia longæuitas, quàm ſaturum vitæ huius migrare in
cælos? Quanquã perpauci inter eos quorũ ſingulariter effulſit pietas, quíque in hoc peculiariter
cõſtituti ſunt vt hìc Dei gloriã illuſtrẽt, qui non admodũ annoſi euadant. Paulus inter tot peri-
cula, tot graues caſus, & diras perſequutiones, quadrageſimũ annũ in prædicatione Euãgelii ex-
ceſſit: ſic & alios huius ſortis in prouectam vſque ætatem vixiſſe, quanuis ſæpiſſimè de vita pe-
riclitatos legimus. Plurimos quidem hinc rapit Deus, antequã vitæ præſentis munia attingant:
ſed quos futuræ, nõ huius vitæ vſibus deſtinarit. Quos in medio curſu hinc vocat, vt pauci ſunt,
ita in exemplum id fit, vitæ huius alacriter & fortiter cum futura cõmutandæ. Cæterùm de di-
ſcrimine inter Sanctos Veteris & Noui teſtamenti, & vitæ huius deſiderio in illis ardentiore, vt
qui cognitionẽ futuræ habuerint tenuiorem, in his remiſſiore, vt qui bona futura habeant per-
ſpectiora, dixi fuſius in verſum 6, 7, & 8 Pſalmi 6. Porrò timorem cultúmque Dei, quem docet, *Qui verus Dei cultus.*
in eo conſtituit, vt neminem verbo vel facto lædas, beneficentiæ ſummopere ſtudeas, & pacem
cũ omnibus religioſè colas. Linguæ iniurias, quæ vt faciles, ita plurimæ ſunt, prohibet verſu 15:
& eas tum apertis cõtumeliis, tum fallaciis finit. ait enim, *Serua linguam tuam à malo*: hoc eſt iniuria
manifeſta: & *loquendo fraudem*, id eſt iniuria dolo obtruſa. Lubricitatem huius mali in eo ſignifi-
cauit, quòd dixit *ſerua*. Niſi enim maximo ſtudio tibi attẽdas, & quæ loqueris, ſollicitè expendas,
haud vnquam ſatis caueris iniurias linguæ. Vnde non abs re D. Iacobus perfectũ eum dixit qui *Iacob.3.a.2*
lingua non laberetur. Obſeruandum verò quod ait, *Quære pacem, & perſequere eam.* niſi enim ſtu-
dioſe quæras vt in pace cum proximis viuas, & dum ſeſe obtulerit, totis viribus perſequaris, frui
ea haud licebit: tot incidunt quotidie inter mortales offenſæ, tam varia ſunt hominum iudicia.
Proinde quanlibet pacis occaſionem anxiè venari, & quàm diligẽtiſſimè veſtigare: quæque pri- *Vt colẽda pax.*
ma obuenerit, eam perſequi totis viribus, arreptámque tenere fortiſſimè, id verò officium erit
Chriſtiani: neque quiſquã alius id præſtiterit, eo quòd ad hoc omnimoda ſui ipſius negatio ne-
ceſſaria ſit: ad quam venire nemo poteſt, niſi qui certus ſit, alium eſſe qui ſui curam longè melius
gerere & velit, & poſſit. id iam eorum tantùm eſt, qui per Chriſtum ſeruatorem ſe ſciunt Deo in
filiorum loco numerari. Horũ igitur etiam iſtud fuerit, vt omnibus rebus poſthabitis, id vnum
ſtudeant, quo Patri huic ſuo gratificentur, bonitatem eius æmulantes, & nihil aliud ſatagentes,
quàm vt in pace, quantum in ipſis eſt, cum omnibus viuãt, quum ille hoc vnum ab eis requirat.
Hos verſus D. Petrus adduxit prima Epiſtola, cap. 3. b. 10. Pſalmus 11 his ſimilia habet.

16 *Oculi Iehouæ ad iuſtos, & aures eius ad clamorem eorum.*

17 *Facies Iehouæ in facientes malum, ad excindendum de terra memoriam eorum.*

18 *Clamauerunt, & Iehoua audiuit, & ab omnibus coartationibus eorum liberauit eos.*

19 *Prope eſt Iehouah confractis corde, contritos ſpiritu ſeruabit.* Cauſam reddit cur cauendum ab om-
ni iniuria, tam verbis quàm factis: omni ſtudio autem in id incumbẽdum, vt in pace cum omni-
bus viuẽtes, benefici ſimus in quoſlibet. *Oculi Domini intenti ſunt in iuſtos*: vt eis proſpiciat, ne quo bo-
no careant: ſiqua inciderit calamitas, ſimulatque inuocarint, audit eos, quia aures habet clamo-
ri eorum auſcultantes. Neque cogitandum nobis de vindicta eorum qui nos lædunt: *facies Dei* &
illis intenta eſt, ſed vt ſuo tempore *eos deleat de terra, aboleàtque memoriam eorum*. Verſu 18, iterum af-
firmat Deum audire iuſtos ad ſe clamantes, malíſque omnibus eripere. Et huius rationem ſub-
iicit verſus 19, *Prope Iehouah iis qui ſunt corde confracto, & ſeruat ſpiritu contritos*, hoc eſt ab aliis oppreſſos, at-
que inde grauiter afflictos, animóque ſaucios & conſternatos. Idẽ canit verſu 17 Pſalmi 10. Hos
& Seruator ad ſe vocat, Matth. 11. d. 28. Ii ipſi illi pauperes ſpiritu ſunt, quorum eſt regnum cælo-
rum. Dei ſiquidem eſt iuuare: quos iam potius iuuet, quàm omni alio auxilio deſtitutos, & auxi-
lio opus habentes. Tales iam ſunt quotquot Chriſti ſunt, & piè viuere inſtituũt, propterea quòd
huiuſmodi perſequutionem ferre in hoc ſeculo oporteat. Eos Deo peculiariter curæ eſſe, qui ab
hominibus & deſeruntur, & iniuria præcipuè afficiuntur, vt pauperes, viduæ & pupilli, multis
canit Pſalmus 10. Ibi in verſu 14, de hac Dei indignatione dixi nonnulla. Obſeruandum verò,
quòd non reiiciat Deus animo deiectos, & cruciatos ob aduerſa quæ incidunt. De his enim canit
verſu 19. peculiariter enim adeſſe huiuſmodi ſolet, non quidẽ quibuſlibet, ſed qui in Deo rerum
ſuarum præſidium collocãt. De his ad verſum 22 Pſalmi 22, quædam dixi, & alibi. Neque enim
requirit Deus vt ſuis mala non doleant, ſed ne illos ab officio dolores diſtorqueant: tolerantes
vult, non inſenſatos.

20 *Multa mala iuſti, & ex omnibus iis liberabit eum Iehoua.*

21 *Cuſtodit omnia oſſa eius, vnum ex eis non confringetur.*

22 *Noxa occidet improbum, & odientes iuſtum vaſtabuntur.*

23 *Redemit Iehouah animã ſeruorũ ſuorum, & non vaſtabuntur omnes qui in eo præſidiũ ſuũ collocant.* Quàm
diuerſa piorum & ſceleratorũ ſors ſit, pluribus exaggerat. Senſus eſt, Etſi plurima incidunt iuſto

mala,ex omnibus tamen eũ Dominus eripit, ita vt nulla in re prorſus lædatur. Pſaltes cecinit, *Nullum er frangetur*: eo quòd oſſibus,corporis robur potiſſimũ nitatur. *At improbũ perdet malum*,ſubaudi quodvis vnicũ tantùm,quũ multa iuſto nihil officiant. Cauſa eſt,quòd Dominus ſuos ſeruat, odiẽtibus autẽ iuſtũ aduerſatur:proinde vaſtari hos neceſſe eſt,illos beatos viuere,atque florere. Eadẽ habet ſentẽtia illa in Prouerbiis,Septies in die cadet iuſtus,& ſurget tamen:at improbus in malo corruet:hoc eſt in plurima pericula iuſtus incidet,at emerget,& eripietur rurſum illis:improbũ verò mala quæ inciderint,penitus extinguent. De caſibus peccati quidã hunc Prouerbiorum locum intelligunt,quos quidem nullus reiicio:ſed eam volui interpretationem afferre quæ videatur verbis Salomonis certius conuenire, eòque eſſe germanior. Verſum 20 quidam in hoc interpretantur,quòd oporteat iuſtos multa pati aduerſa,quod quidem verum eſt: ſed hîc tamen Pſaltes id agit, quòd quanlibet in multa incidant, omnia tamen Domini ope tandem euadant: quum improbi vel vno malo,& quantuluncunque leui,æternùm pereant.

Prouerb 24.b.16. Explicatur illud Septies in die. &c.

ARGVM.

PSALMVS XXXV, κατηγορικὸς, τῷ Δαυΐδ.

Diræ ſunt in Schaulem & aſſentatores eius, natæ ex incredibili innocentiæ fiducia, certáque cum ultionis de illis ſumendæ, tum opis ſibi ferendæ expectatione. Vehementiſſimè itaque affectibus excidium illis & ſalutem ſibi precatur: utrunque autem, nonniſi ut pro bona Dei uoluntate, ita & in laudem, in gloriámque Dei.

PARAPH. 1 DAuidis. Conſtitue te Iehouah aduerſarium aduerſariis meis, oppugna oppugnantes me.

2 Arripe clypeum & ſcutum,conſurge in auxilium mihi.

3 Deprome lanceam, prodi obuiam perſequentibus me, vt viam eis intercludas:dic animæ meæ, Salus tua ego.

4 Pudore afficiantur & ignominia,qui quærunt animam meam: cogantur dare terga,& opprobrium ferant qui cogitant malum mihi.

5 Habeant inſtar pulueris vento expoſiti,& exagitet illos Angelus Iehouæ:

6 Viæ quibus ingrediuntur,obſitæ ſint tenebris,& lubricæ: & Angelus Iehouæ perſequatur eos.

7 Nam immeritò mihi pararunt tectam foueam cum reti ſuo: præter cauſam foderunt foueam animæ meæ.

8 Veniat illi ruina ſubita quam non putarit:illaqueetur reti quod abſcõdit,incidat in foueam cum fragore:

9 Anima verò mea gaudeat de Iehoua,lætetur de ope eius.

10 Cuncta intima mea dicent,O Iehouah,quis tibi ſimilis,qui eripis adflictum ab eo qui illi præualet,adflictum & inopem ab eo qui illum diripit?

11 Surgebant teſtes violenti,quæ nunquam cogitaram rogabant me.

12 Rependebant maleficium pro beneficio, ſolitudinem animæ meæ.

13 Ego verò dum illi malè habebant, veſtiebar ſacco, ieiunio adſtigebã animam meam,& totus eram in precationibus:

14 Habebam me acſi eorum proximus,acſi frater fuiſſem:vti qui luget matrem pullatus incuruabar.

15 Porrò ipſi quum mihi aduerſa valetudo eſſet,lætati ſunt,& cõuenerunt:conuenerunt contra me abiecti homines,quod minimè putabam,conſcerpſerunt me,nec ceſſarunt:

16 Aſſentatores cum paraſitis omnia ſubſannantibus,infrenduerunt contra me dentibus ſuĩs.

17 Domine, quouſque aſpicies? reſtitue animã meam à calamitatibus quas illi inferunt,vitam meam à leonibus.

18 Celebrabo te in cœtu grandi:in populo valido laudabo te.

19 Ne gaudeant de me qui immeritò mihi hoſtes ſunt:ne annuãt oculis, qui me odiunt abſque cauſa.

20 Nam nihil pacificũ loquuntur,& contra manſuetos terræ dolos concinnant.
21 Diſtenderunt contra me os ſuum: dixerunt, Vah, vah, vidit oculus noſter.
22 Vidiſti tu ô Iehouah, ne ceſſes: Domine, ne abſis procul.
23 Exurge, euigila, vt ius meum vindices, vt cauſam meam adſeras, ô Deus mi, & Domine mi.
24 Iudica me pro tua iuſtitia ô Iehouah, Deus mi, ne gaudeant de me:
25 Ne dicant intra ſe, Vah, pro voto ſucceſſit: ne dicant, Vorauimus eum.
26 Erubeſcant & ſimul probro afficiantur qui de malo meo gaudent: pudore & ignominia amiciantur qui ſeſe contra me attollunt.
27 Ouent & lætentur qui iuſtitiæ meæ fauent: & dicant, Semper extollatur Iehouah, cui placuit vt ſeruus ſuus pace frueretur.
28 Et lingua mea de iuſtitia tua loquetur quotidie, laudem tuam.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 DAuidis. *Delitiga ô Iehoua cum litigatoribus meis, pugna cum pugnatoribus meis.*

2 *Apprehende clypeum & ſcutum, & ſurge in auxilium meum.*

3 *Et denuda lanceam, & conclude aduerſus perſequentes me: dic animæ meæ, Salus tua ego.* A Deo in regem fuerat vnctus, ei vocationi nullius cũ iniuria inſeruierat, ſalutem regni & regis totis viribus propugnarat, nec aliud quàm Dei gloriam illuſtrare vſque quæſierat. Hac conſcientia fretus, nõ dubitabat Deũ in ſe, ab iniquo Schaule, & adulatoribus eius hominibus vaniſſimis & nequiſſimis oppugnari. Deum ergo magna fiducia inuocat, vt ipſe bellum cõtra hoſtes ſuſcipiat, eúmque ſolita ſibi antropopathia, velut hominẽ, armat clypeo, & צנה, id eſt ſcuto maiore. ita ferè redditur, vt & ex verſu 13 Pſalmi 5 liquet: ſic enim illic legitur, Dignatione tua eum, ceu ſcuto, vndiq; cinges. Hic tamen quũ מגן præcedat, quod & ipſum clypei nomen eſt, nõ ita quadrat. vnde quidã ſpiculũ reddunt. nã ſpina hoc nomine ſignificatur: ſed tũ pluralitãtùm numero vſurpatur. Amos 4.a.3, vulgata editio contos vertit, alii pugiones. At vtcunque hîc accipiatur, ſatis liquet, quippiam ſignificari armorum. Et illud סגר in verſu 3, Kimhi armorũ ſpeciem eſſe putat. Aben Ezra ad eum modum eam vocem accepit ad quẽ reddidi. Illud, *Dic animæ meæ, Salus tua ego:* perinde eſt, Fac vt ſentiam te animæ, vitæque meæ curã gerere, & iſtis me periculis erepturũ. Perſeuerat enim in imagine hominis, ſe in auxiliũ alterius parãtis & armantis. Solet nanque eiuſmodi, eum cui ferre auxiliũ parat, & verbis in bonã ſpem erigere, opémque diligẽter promittere. Ad hunc autem modum inuocare Deum poſſunt, qui abnegarunt ſeſe, & omnia mundi præſidia deſponderunt.

4 *Pudefiant, & ignominia afficiantur qui quærunt animam meam: reuertantur retrò, & pateant probro, qui cogitant malum mihi.*

5 *Sint ſicut quiſquiliæ coram vento, & angelus Iehouæ impellens.*

7 *Sit uia eorum tenebræ, & lubrica, & angelus Iehouæ perſequatur eos.* More ſuo, pudefieri hoſtes orat, ita ſcilicet fruſtratis eorum conatibus, vt illi ipſis cedant exitio. Tum mira auxeſi caſum in perniciem ſempiternam precatur. Primùm imprecatur eis vt quiſquiliis vento expoſitis ſimiles ſint: hoc eſt, vt nuſquam queant conſiſtere, nulla certa conſilia ſequi, ſed continuò de malo in malum præcipitentur: de qua ſimilitudine in verſu 4 Pſalmi 1. Deinde auget hoc, *Et Angelus* inquit, *impellat.* Siquis velut vento palea, expoſitus, non habeat vbi conſiſtat, quid certi agat? Iam quũ acceſſerit ad hæc impulſio Angeli, tanto omni vento potentioris, quàm infœliciter præcipitari & rotari neceſſe eſt? Verſus ſextus eandẽ rerum perturbationẽ & iactationem, ſed alia imagine canit, nempe inſiſtẽtis viæ lubricæ, & omni luce deſtituti: denique à perſequẽte Angelo Dei exagitati. eiuſmodi ſanè hominem cõtinuò cadere oportet. ita imprecatus fuit hoſtibus ſuis, vt quicquid tentarẽt, præter opinionẽ caderet, nihil prorſus ſuccederet, nec viderent quidẽ quid ſequendũ eſſet. Hæc animi atque factorũ perturbatio, exagitatio, & præcipitatio, malũ illud erat, quod Kain fratricidæ Dominus inflixit, quũ diceret. Eris נע נד, incertus rerũ tuarũ, & vagabundus in terra. Neque enim tantùm ſolũ identidem vertere eũ oportuit (leuicula ea pœna fuiſſet, & de Abrahã quoque ac ſanctis aliis nõ minus quàm Kain ſumpta) ſed cõfuſus erat animi, & omniũ conſiliorũ, factorúmque miſerrima diſturbatione percellebatur, vt nihil nõ inauſpicatò cederet, nihil nõ noxiũ experiretur. Idipſum eſt quod & populo ſuo trãſgredięti Leges ſuas Dominus minatus legitur, Deut.28.e.28, Percutiet te Iehouah (inquit Moſcheh) amẽtia, cæcitate, & ſtupore cordis, eriſque palpitãs in meridie, vt cæcus palpitat in tenebris: nihil habebis in iis quæ inſtitueris proſperũ. calumniam & rerũ direptionẽ quotidie patieris, nec erit qui ſeruet. Et verſus finem capitis eiuſdẽ, g.65, Et in gẽtibus illis vbi captiuus eris: nihil habebis tranquillũ, nulla erit

Gene.4.b.12. [illegible]

pedibus tuis quies,dabitque illic tibi Iehouah cor trepidans,oculos deficientes,& animã languidam,&c.Iſtam animi perplexitatẽ,& tum conſiliorũ,tum factorũ continuã euerſionẽ, Pharao, Schaul,Achaz,aliíque impii principes,egregiè experti ſunt,vt Scriptura teſtatur:& ſiquis animaduertat,videbit ei malo obnoxios,quicũque Deo carẽt.Ad tẽpus,dum ſua bona hîc recipiũt(effuſa enim adeò Dei bonitas eſt,vt & hoſtes eius participes faciat) vidẽtur impii aliquo rerũ ſucceſſu gaudere:at ſiquis perturbationẽ & adflictionẽ quam in animo hi perferunt,etiã quũ videntur fœliciſſimi,intueri poſſet,haud obſcurũ vel ambiguũ mali huius ſpecimen cerneret.Sed & illa,bone Deus,quã videntur trãquillitate & fœlicitate frui, quàm eſt fluxa,caduca, momentanea,ſi reliquo æuo cõpares, quo infinito atrocius, quàm hîc deſcripta ſint, mala hæc patiuntur.

7 *Quoniam immeritò abſconderunt mihi foueam retis ſui, immeritò foderunt animæ meæ,*

8 *Veniat ei tumultus[quem]non nouit, & rete ſuum quod abſcondit capiat ipſum, cum tumultu cadat in illud.* Sũma eſt,Orat vt hoſtes ſuos,quoniã immeritò ſibi inſidias ſtruunt,ſubita calamitate, quam minimè expectauerint, de qua ne in mentẽ quidẽ eis venerit,opprimat,&in id mali præcipitet quod pararũt ſibi:ſe autem de ope ſibi lata gaudere,& ipſum magnificè celebrare faciat.Illud, *Abſconderunt foueam retis ſui:* de inſidiis eorum dixit,ſimilitudine à venatoribus mutuata,qui lupis & aliis beſtiis foueas parant,& tegentes abſcõdunt, vt imprudentes ad expoſitam eſcam accurrentes,in foueam incidant,& tum reti aliquo impoſito,vel ſaltem foueæ altitudine capiãtur. Querelam de inſidiis eorũ eo auxit,quod adiecit,*Foderunt animæ meæ*: ſubaudi ſcrobem, hoc eſt inſidias ſtruxerunt vt me perderent. voluit ita declarare quanto inſidiandi ſibi ſtudio flagrarint. שואה, tumultum quidem etiam ſignificat,ſed quo ſubita infertur ruina,ac horroris plena vaſtitas,quare *ſubitam ruinam* verti. Tria ſiquidem hæc ſignificat,fragorem & tumultũ,vt infrà Pſal. 40,verſu 3, Eduxit me de puteo. שאון,id eſt fremitus, vel grandiſtrepi ſonitus. Vaſtitatem, vt Ieſcha. 6.d.11, ערים שאו אם, id eſt quum vaſtabuntur vrbes. Item ſtuporem, vt Geneſis 24, verſu 21, Et vir משתאה obſtupuit de ea. Mira verò in hoc verſu amplificatio eſt.Calamitate opprimi, per ſe abundè miſerum eſt: magis autem,ſi incidat ſubitò & cum tumultu, prætérque omnẽ expectationem, de qua ne cogitaris quidem: maximè autem, ſiquem eo ipſo malo perire oporteat quod pararit alteri. Vehementiam imprecationis habet & illud, *Cum fragore incidat in eam:* ſubaudi foueam.quo altam foueam,& ſubitam in hanc præcipitationem, quæ cum tumultu & fragore quodã fit, ſignificauit. Sic & in priore verſus particula ſynecdoche vſus eſt. per שואה ſiquidẽ,id eſt fragorem,fragoſam & perſtrepentem,hoc eſt ſubitam & violentam ruinam intellexit.

9 *Et anima mea gaudeat de Iehouah,lætetur de ope eius.*

10 *Omnia oſſa mea dicent Iehouæ,Quis ſicut tu,qui liberas adflictũ ab eo qui illo robuſtior eſt,& adflictum & inopem à direptore eius?* Exhilarari ſe orat ope lata contra iſtos,quorum iam interitum precatus eſt. Hæc enim antitheſim habent ad imprecationem præcedẽtem in hoſtes. De eo autem canere videtur affectu, quo præuidens ſuam de lato auxilio lætitiam, iam cogitabat vt totis viribus eſſet Dei in ſe bonitatem laudaturus. Omnia,inquit, oſſa mea, id eſt vel vt verti, *omnia intima mea*,vel cunctæ vires meæ, dicent, Quis tui ſimilis:hoc eſt,ego ita dicam ex intimis affectibus, & cunctis viribus meis,eo quòd incomparabilis tuæ bonitatis admiratio, omne corpus & totam animam meam peruaſura ſit,ſtudióque laudandi te ſupra modum accenſura.

11 *Surrexerunt contra me teſtes violentiæ: quæ non noueram poſtularunt me.*

12 *Rependerunt mihi malum pro bono,orbitatem animæ meæ.* Exaggerat hoſtium ſuorũ vim & crudelitatem. Teſtes queritur cõtra ſe ſurrexiſſe violentos, & manifeſtò calumniantes:falſiſſimis enim criminibus ipſum apud Schaulẽ inſimulabãt.Illud,*Quæ nõ noui,poſtularunt me*:Aben Ezra & Kimhi intelligunt de rebus quas inimici Dauidis freti teſtimoniis ab illo repetierunt, quũ nihil debere ſe eis agnoſceret.Quia autem שאלו etiam interrogare ſignificat,poteſt ſenſus eſſe,Falſi teſtes rogarunt me de malis.elicientes(vt fieri ſolet)propriam confeſſionem,quorum mihi non eram conſcius Horum verò crudelitatem & ſingularem perfidiã in eo taxat, quòd canit ſe malis ipſorum indoluiſſe,& adeò pro eis(tanquam iunctiſſimis atque chariſſimis)dum morbo laborarent,ieiunio ſe,luctuí & precibus dederit:illos autem de ſua calamitate ſummopere fuiſſe lætatos, & eam ſannis & illuſionibus auxiſſe,ac ita malũ pro bono repẽdiſſe,& ſolitudinem & orbitatem animæ ejus, quantum in ipſis fuit, adduxiſſe: hoc eſt in ſupremam miſeriam, in qua ſolent eſſe orbi, & ii qui nihil amicorum, nullum patronum habẽt,proieciſſe.Hæc cecinit verſu 12. שכול ſiquidem orbitatem & ſterilitatem ſignificat:& hic pro deſolatione & bonorum priuatione ponitur.

13 *Et ego in infirmitatibus eorum, veſtimentum meum ſaccus, adflixi ieiunio animam meam, & precatio mea ſuper ſinum meum reuertebatur.*

14 *Tanquam eſſet proximus, tanquam frater mihi, ingrediebar, ſicut lugens matrem pullatus curuabar.* Luctũ maximè ſeriũ deſcribit. Is conſtabat olim Sanctis, & hodie conſtat, primùm ieiunio, ſed ex ſumma animi ægritudine ſuſcepto. vnde ait, *Adflixi ieiunio animam meam.* Et in Lege, Leuit.23.d.27, ieiuniũ quod die propitiationis Dominus Iudæis præcepit, adflictio animæ vocatur. Deinde geſtu

& habitu animi triſtitiá teſtante, ſacco enim, hoc eſt ſordidiore veſte induebãtur, & aſpergebãtur puluere, atque in terra ſedebãt. Tertiò, anxia & ſedula prece. Sic ſanè deſcriptũ legimus ieiunium 2 Sam.12.d.16.
Dauidis pro puero nato ex Bathſchaba, quũ morti accederet: ieiuniũ Achaab, quũ pœniteret ob 1 Reg.21.g.27.
cædem Naboth: item Niniuitarũ, & aliorum, quorũ ieiunia Scriptura memorat. Etenim vbi verè quid Sanctis dolet, non poſſunt id non queri Patri ſuo cæleſti. hoc quum ſeriò fit, ira occupatur animus partim mœrore, partim ardentibus pro liberatione votis, vt omne cibi deſiderium facilè arceatur, faſtidiúmque rerũ vitæ huius omniũ ingeratur, vt nihil tum libeat quàm verſari in ſordibus, quàm verbis & omni vita tædium lucis præſentis teſtari, lachrymari iugiter, atque lamentari. Sancti enim verè ſunt, vtque animo adfligantur, ita id ingenuè veſtitu & verbis, reliquóque rerum vitæ huius vſu præ ſe ferunt. Hac in re tamen Orientales, vt calidiores, plus ſibi indulgere ſolent. Nobis Occidẽtalibus, ob cælũ frigidius, cõtinentiores affectus ſunt, nec ſolemus eos tanta geſtuũ inſolẽtia exerere. Illud quod vulgo vertunt, *Precatio mea ſuper ſinum meum uertebatur,* *Precatio mea in ſinum meum reuertitur.*
ſic interpretor, In precationib' curuabar. & ſic quidã R. Leui hoc ipſum enarrauit. Incurui enim ferè orabant veteres, quũ eſſent in luctu. Sic precatio, quaſi in ſinum precãtibus reuertebatur. Si ita accipias, non tam precationem, quàm habitum precandi, Pſaltes hac oratione expreſſit. R. Schlomoh & Kimhi hunc ſenſum adferunt, Precatum me pro hoſtibus nemo poteſt inficiari: at fortè dicent me malum illis imprecatum, non bonum. Peto igitur, vt in ſinum meum oratio mea redeat, hoc eſt mihi eueniat quod oraui illis. A. Ezra ſimile putat illi, Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinum eorũ, Pſal. 79. vnde videtur ſenſiſſe, Dauidem oraſſe, vel prædixiſſe, ſuam precationem ſibi ipſi profuturam. Me mouit, quòd Vates canit quãtopere eos quos iam hoſtes experiebatur, dilexerit: & vt dum morbo grauarentur, pro eis ſolennem luctũ cum ieiunio vtique & prece habuerit. Precatum ergo ſe pro illis, videtur hac particula narrare. nec video cur ſubitò hanc occupationem interſeruiſſet, qua teſtatetur ſe hoſtibus ſuis bona, non mala precatum eſſe: eóque optare, vt ſibi, ita vt illis orarit, eueniat. Ad hæc verſu 24 abundè reſtatur quàm fuerit ſalutis eorum auidus, & nihil fuci in luctu ſuo admiſerit, quũ cecinit ſe ita luxiſſe, vt qui proximum & fratrem, imò & matrem lugeat. Ob nutricationis enim ſedulitatem, & morum maiorem lenitatem, ſolẽt matres diligi à liberis tenerius quàm patres, quare mortes earum feruntur grauius. Satis conſtat hìc Schaulem & primarios regni (nam hi ſolùm Dauidem tanto odio perſequebantur) perſtrictos. Hi iam propter publicum munus, tanti erant meritò piis omnibus, vt dum morbis vel aliis calamitatibus premerentur, publicæ pro eis ſupplicationes fierent. In his iam Dauid, vt in quibuſvis pietatis functionibus, præ aliis ardebat, & ſedulus erat. Huius iam veniebat in mentem, & vrebat, quòd iam illi tam malam gratiam rependerent. Hinc autem diſcamus, hunc Sãcti candorem & humanitatem, ac etiam pietatem, malis etiam expoſitam, æmulari, & boni conſulere, ſiquando malè reſpondeant, quibus nos amicè fecerimus.

15 *In claudicatione mea lætati ſunt, & collecti ſunt: collecti ſunt claudi cõtra me, & nõ noui: ſciderũt, & nõ ſiluerũt.*
16 *In adulatoribus ſubſannatores placentæ, nudare contra me dentes illorum.* Hi duo verſus, alteram antitheſeos partem abſoluunt. canunt enim, quam pro hoc Sancti candore & humanitate, improbi illi retulerint gratiam. *In claudicatione mea*, vel *dum claudicarem.* Videtur de peculiari aliquo aduerſo corporis ſui caſu loqui. Fortè è crure laborauit aliquando, ſiue quòd fregerit illud, ſiue quòd luxatum fuerit. Forſan intellexit vlcus peſtiferum, vnde claudicatio ei ad tempus acciderit. volens enim oſtendere vt ſibi malum pro bono illi retulerint, memorat eos, ſe claudicante, gauiſos fuiſſe: fortè quòd ſperarent iam ad munia regis ineptum fore, aut etiam moriturum. Et conueniſſe, non quidem vt amicorum officium præſtarent, quod ipſe dum ægrotarent, præſtiterat illis, & illi forſan etiam ſimularunt: ſed conueniſſe contra ſe, vt ſuam quiſque alteri lætitiam manifeſtarent, & viderent quid ſibi de caſu eius ſperandum eſſet. Id quo magis exaggeret, addit ſe hanc eorum perfidiam latuiſſe, nihil tale de eis fuiſſe ſuſpicatum. Boni enim ex ſeſe de aliis iudicantes, ab omnibus meliora expectant. Illud, *ſciderunt, non ſiluerunt*, A. Ezra interpretatur, Conſciderunt carnem meã, malignis ſcilicet obtrectationibus, & noxiis calumniis, nec ſiluerunt. Kimhi intelligit, os aperuiſſe riſu, ob ſancti infortunium, nec finem ridẽdi facere potuiſſe, tantopere de malo Dauidis lætatos. Prior interpretatio videtur argumento magis reſpondere. Chaldæus דמו vertit, haurire ſanguinem: nulla ſanè ratione. particulam itaque hanc reddidit, Si excoriarent me pelle mea, non haurirent à me ſanguinem. נכים, non ſolùm claudos ſignificat, ſed etiam viles & abiectos. Videtur autẽ ad ſuã claudicationem reſpexiſſe, & voluiſſe ſignificare, illos de ſua corporis claudicatione lætatos eſſe, quum ipſi animo claudi fuerint, ac ideo penitus abiecti & deſtabiles. Quo ipſo, ſimul calamitatem ſuam auctiorem fecit, vt qui tam malè acceptus fuerit ab hominibus perditis & nihili. Græcus habet, Flagella. forſan id ſpectauit, quod נכה, vnde hoc nomen deductum eſt, cædere ſignificat. Chaldæus reddidit, Impios inſidiatores, aperuit ſiquidem trãſlationem. Porrò vilitatem horum amplificat verſu ſequenti, *In adulatoribus*,

hoc eſt cum adulatoribus (ſæpe enim ב pro עם accipi inuenias) ſubſannatores placentæ, hoc eſt, paraſiti,& cupediarũ ſectatores,qui in gratiam,à quibus ventri aliquid ſperant, quidvis irrident & ſubſannant.ſcurrilibus enim dicteriis ſeſe huiuſmodi adſuefaciunt.Hi contra Dauidem conuenerunt,& dentibus infrenduerunt,& ipſi cõtra virum Dei ferociẽtes.A.Ezra hunc ſenſum huius verſus affert,Conuenerũt contra me, qui vorabãt calumniis ſuis carnem meã abſque remiſſione.Cum bis fuerũt adulatores & falſi ſimulatores me ſubſannãtes,& ex mea calamitate velut ex delicato cibo,voluptatẽ percipientes:& in hoc denudarũt dentes ſuos.nam & hoc metaphoricῶs accepit.

pſal.14.b. Quódque hic dicitur,putat eſſe ſimile illi,Vorant populũ meum velut panem.Significari ſiquidem vult,impios iſtos,ſanctũ ſic calamitoſum & miſerum pro cibo habuiſſe. Kimhi hunc ſenſum reddit,Claudi,id eſt viles illi, conuenerunt cum adulatoribus ac ſubſannatoribus (ſupplet enim ו,vt legas ולעגי מעוג)qui ſermone futili & inani oblectãtur(מעוג,id eſt placentã pro nihili ſermone accipit: id quod Hebræis quoque ſignificat)hi nudarũt dentes irridẽdo me.vt nudatione dentiũ intelligas effuſum riſum quo dentes deteguntur. Vtcunque verò hæc accipiãtur, illud abunde liquet,Sanctum hic queri,peruerſos,abiectos, leuéſquehomines cum inimicis ſuis de malis ſuis lætatos fuiſſe,& ſibi illuſiſſe:id quod & Chaldæus vidit:ſic enim verſum hunc reddidit, Verbis deluſoriis & ſuperbis,& deriſoriis ſtrinxerunt cõtra me dentes ſuos. Græci illud קרעו neutraliter acceperunt,ſicque cum ſequentibus, quæ in vnum verſum cõiungunt, reddiderunt, Diſſipati ſunt,nec compuncti. Subſannarũt me ſubſannatione,frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.Quum enim דמו etiam cogitare ſignificet,pro compungi (quod in grauibus cogitationibus accidit)hic & Pſalmo 4,acceperunt. Sunt qui hoſtes Dauidis לעגי מעוג, id eſt ſubſannatores placentæ, dictos putent, quòd maledicere & obtrectare iuſto,ac etiam illudere, ſuauius habuerint quàm veſci placẽtis.Sed prior interpretatio certior viſa eſt.Solent enim ſcelerati,qui vt Deo carent, ita innoxiis moleſti eſſe ſtudent, voluptatibus & ipſi dediti eſſe, & in deliciis habere earum ſectatores, maximè verò paraſitos & ſcurras. Obſeruemus autem, non Dauidem ſolum, ſed & Deum ſeruatorem noſtrum ab hoc hominũ genere plurima paſſum. quare nos decet nihil ſtupeſcere,dum eadem obuenerint.

17 *Domine quouſque videbis?reduc animam meam à tumultibus eorum,à leonibus unicam meam.*

18 *Celebrabo te in Eccleſia ampla,in populo robuſto laudabo te.*

19 *Ne gaudeant mihi inimici mei falſò:odientes me fruſtra,annuant oculis.*

20 *Quoniam non loquuntur pacem,& contra tranquillos terræ,verba fraudis cogitant.*

21 *Dilatarunt contra me os ſuum:dixerunt Vah vah,vidit oculus noſter.* Memorat,vt opem Dei in perſecutione,quam ſcelerati illi ſibi intulerant,orarit,& votũ de laudãdo Deo nuncuparit,ac iterum hoſtiũ crudelitatem accuſat.Magni affectus eſt quod ait, *Quouſque aſpicies?* Reticentia enim eſt,ac ſubaudiẽdum,Nec fers opem,& depellis illorum improbitatem. Sic & illud,*Reſtitue animam meam:* ſignificat enim actum iam fuiſſe de vita ſua.Paſſim hoſtes ſuos ob trũculẽtiam,leones vocat:ita & hic *unicam*, animam dicit,quòd vnica ſit,eóque ſummè chara. Verſus 18,votum habet celebrandi nominis Dei coram multitudine.Hoc in primis optant Sancti:quia Deum ex toto corde diligunt,& norunt ſe nullã prorſus poſſe Deo gratiam referre, à quo accepiſſe ſeſe agnoſcunt quicquid boni vel cogitãt. Verſibus ſequentibus duobus precatur ne permittat Dominus vt de ſucceſſu ſuo contra innocentem gaudeant inimici,& voluptatem de malo ſuo percipiãt,quam nutibus oculorum teſtantur,quando tam mali ſint,vt falſò,hoc eſt *immeritò*, vt verti,& nulla cauſa ſe odio proſequantur:nec pacificum aliquid loquantur, ſed dolos & fraudes continuò concinnent contrà רגעי,id eſt tranquillos,lenes,mites,manſuetos,paciſque ſtudioſos in terra. Verſus 21, oſtendit iam velut triumphantes de ſe, effuſiſſimè lætatos fuiſſe, atque ſibi ipſis de victoria iam opinione eorum parta,velut gratulatos, *Diſtenderunt*,inquit,*contra me ora ſua:* ob nimiam ſcilicet de caſu meo lætitiam.& dixerunt, *Vah,vah,vidit oculus noſter:* ſubaudi,quod diu optauimus. Talem de Seruatore triumphum egerunt Iudæi,quũ iam eſſet ſepulchro demandatus,ſed quanto ſuo malo!Eadem iam ſors & nos manet,ſi modò libeat hæc ſimul mala perferre.

22 *Vidiſti ô Iehouah,ne ſileas, Domine ne elongeris à me.*

23 *Excitare & euigila ad iudicium meum,ô Deus mi, & Domine mi ad cauſam meam.*

24 *Iudica me ſecundum iuſtitiam tuam.ô Iehouah,ô Deus mi, & ne gaudeant de me.*

25 *Ne dicant in corde ſuo, Vah anima noſtra:ne dicant,vorauimus eum.* Iudicium Dei fretus conſcientiæ ſuæ innocẽtia,appellat & inuocat.Magna cõſolatio eſt in verbo *vidiſti*.Hanc enim ſignificationẽ habet, Vtcũque hactenus,præualẽtibus mihi improbis iſtis,viſus ſis nõ videre quæ mihi iniqua & atrocia fecerũt,ſcio tamen te vidiſſe omnia,eóq; tandẽ iudiciũ de me facturũ, & ius meũ adſerturum.Id ergo vt facias oro.De anthropopathiis iſtis, *vidiſti,ne ſileas,ne elongeris,excitare,euigila,* dictũ ſatis Pſal.7,& 10,itẽ 28. Verſus 24,luculentiſſimè probat illud quod ſuprà in verſu 11 Pſalmi 5, & verſu vlt.Pſalmi 22,de iuſtitia Dei annotaui : nempe, nequaquã ea ſignificari ſeueritatẽ Dei,à

qua quidam dicunt ſe ad miſericordiam eius prouocare. Iuſtitia, ſumma bonitas eſt: ſecundum hanc ergo ſe orat hic Sanctus iudicari, nequaquam ſecundum ſeueritatem. Neque enim hanc, etiam collatus hoſtibus, ferre potuiſſet. etſi enim minus pœnarum, tantum tamen dare eum, ſeuerè iudicante Deo, oportuiſſet, vt vires eius infinitò ſuperaſſent. At Dei bonitas amplexa ipſum erat, ſuique ſtudium indiderat. hinc par erat, vt quod in ipſo cœperat, perficeret, & peccata eius cõdonaret, quando & ipſum eorum pœniteret ac pigeret: hoſtes autem extingueret, qui non tam Dauidis, quàm omnis boni hoſtes erant, & Deum planè pro ludibrio habebant. Illud, *vah anima noſtra*, ſubaudi lætetur. Vel valet idẽ atque, ô deſiderium noſtrũ, aſſecuti ſumus quod optabamus. Chaldæus habet, Nõ dicant, lætabitur anima noſtra. Exclamatio eſt ſummæ voluptatis, ac idem atque, Vah tãdem euenit quod animus noſter optabat. eũ enim & pro deſiderio & cupiditate accipitur, vt verſu 12 Pſalmi 77, Ne tradas me in animam infeſtantium me: id eſt ne permittas me eorum libidini: vel, non tradas me eorum deſiderio.

16 *Pudefiant & pateant probro ſimul, qui lætantur de malo meo: induantur pudore & ignominia, qui ſe contrà me attollunt.*

17 *Oucent & lætentur qui fauent iuſtitiæ meæ, & dicant, Semper extollatur Iehouah, qui amat pacem ſerui ſui.*

18 *Et lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, omni die laudem tuam.* Vt initio Pſalmi, ita & hîc orat, vt pudore afficiantur improbi ſui hoſtes, fruſtrati ſcilicet ſpe ſua, & irritis factis impiis eorum conatibus. Eo autem (vt ſæpe dictum) non tam vota, quàm ſuam in afflictione conſolationem canit: ita futurum enim credebat. quúmque id memoraret, & Dominũ vt id præſtaret precaretur, mirum in modum animo confirmabatur, ínque ſpem optimam erigebatur. Verſu 27 oſtendit etiam fuiſſe, qui ſe quanlibet abiectum, adhuc ob iuſtitiæ ſtudiũ dilexerint, & fœlicia ſibi optarint, quos vt Dei filios, par erat pii voti ſui fieri compotes. quod quum oraret, & ipſum fiduciam ſibi auxit. Pacis nomine, omnium rerum ſucceſſus, in Scripturis ſignificari ſolet. Ita quũ Ioſeph rogaret, Eſtne patri meo pax? dicere voluit, Nunquid rectè habet pater, & rerũ ſucceſſu fruitur? De hac pace in verſu vltimo Pſalmi 4, & verſu vltimo Pſalmi viceſimiſeptimi. De ran, id eſt meditari & loqui, multa dixi in verſu 2 Pſalmi primi. Hinc autem & nos diſcamus, toto die, hoc eſt ſemper, Domini iuſtitiam, hoc eſt abſolutiſſimam bonitatem deprædicare, de ea loqui perpetuò. Nihil enim eſt quod vel æquè nos Dei filios deceat, vel cum maiore fructu fecerimus: ſiquidem ſalus noſtra in amore ſtudióque Dei ſita eſt. Gen.41.f.17.

DISPVTATIO DE IEIVNIO.

In verſu quintodecimo de ratione ieiunii legimus admodũ inſolentia, ſi noſtris ieiuniis conferantur. qua te de ieiuniorum natura & præcepto nonnihil dicendum. Ieiunia, quæ quidẽ Scriptura memorat, in ſupplicationibus ſacratioribus duntaxat adhibita legimus, eáque ad minimũ vno die abſque cibo tranſacto, ſæpe autem biduo, aliquando etiam triduo. Vnum diem abſque cibo tranſmiſerunt Iiſraelitæ, quũ Dei auxilium orarent, cæſi à Beniamitis, Iudic. 20.d.26. Item quum peccata ſua deflerent in Miſpah, 1.Schm.7.b.6. Idem fecerunt ciues Iabes. Item Dauid, & qui cum eo erant, quũ occiſum Schaulẽ & filios eius lugerẽt, 2.Schm.1.b.11. Nehemiah biduum ieiunaſſe legitur, Nehemiah 1.b.4. Eſther cum ſuis cõtribulibus, & Niniuitæ ieiunarunt triduo. Eſter 4.d.16. Ionæ 3.a.7. Vulgata tamen, & ex Lege mutuata ieiunandi ratio, apud veteres fuit, diẽ vnum & cibo & cunctis deliciis abſtinere, vnde vſum ſacci & cineris ſæpiſſime coniunctũ legimus. Seria enim ſupplicia fuerunt, quotieſcunque ieiunia ſuſcipiebantur. Deus nanque vnũ duntaxat diem, toto anno ad ieiunandum inſtituerat. Quomodo ieiunarint veteres. Factum quoque nonnunquã eſt vt Sancti multos dies in ieiuniis cõiunxerint, ſed vt quotidie tamen veſpere, finito die cibum ſumerent. Ita diebus trium hebdomadarum ieiunauit Daniel, Dan.10.a.2. Nec aliam equidem crediderim ieiunandi rationem fuiſſe & ſanctis Noui teſtamenti: vt quod Prophetæ & Doctores Antiochiæ ſuſceperant, ſupplicantes Deo, ex ſuggeſtione Spiritus ſancti Paulum & Barnabam amandaturi in prædicationem Euangelii, Acto.13.a.2. Et quòd hi ipſi duo Apoſtoli ieiunarunt, precantes pro Eccleſiis Antiochiæ, Piſidiæ, Iconii, & Lyſtris, Act.14.d.23. Item de quo loquitur Paulus, 1.Corinth.7.a.5, à cõiugibus precationis cauſa ſuſcipiendum, propter quod & à congreſſu temperandum cenſet. Itẽ quod 2.Corinth.6.b.5, inter reliqua Sanctorum officia memorat, iunctum vigiliis. Nuſquam enim de ieiuniis legimus, vbi non ob preces ardentius fundendas ſuſceptum Scriptura teſtetur. Ex quo ſatis liquet, Ieiunium fuiſſe veteribus, non cibi modò, ſed ſemel omnium deliciarum abdicationem, ad hoc inſtitutum, vt interim vel lamentis pro peccatis, vel aliis vehemẽtioribus precationibus ad Deum, toti vacarent. Quid verum ieiunium. Etenim ea abſtinentia, qua carnis petulantiam quotidie retundi neceſſe eſt, vocatur in ſcriptis Apoſtolicis non ieiunium, ſed temperãtia, Græcè. Si nanque ſemper caro mortificanda nobis eſt, & cum Chriſto crucifigenda, nunquam ſanè non cibi potúſque modo, eius inſolentia reprimenda eſt. Proinde abſtinentia adhibenda Chriſtianis eſt perpetuò:

nullo tempore meracius. Quid hoc quæſo ieiunii? Diuus Hieronymus cótra Iouinianum, etiam vilium ſatietatem in ieiuniis abeſſe oportere ſcribit. Ergo ne fucis noſtris Dei maieſtatem irritemus, ieiunemus ſeriò: aut ſi id non poſſumus, quod proximũ eſt, & ad quod omnes Sancti hortátur, amplectamur, vt abſtineamus à deliciis. Leges Eccleſiæ ſint nobis ſacroſanctæ: ſed ne prætextu obedientiæ Eccleſiæ, contra Eccleſiã agamus. Ea ſiquidẽ vt ſatis iam ex dictis patet, nullũ agnoſcit ieiuniũ quod nõ probet Seruator ſponſus eius: hoc eſt, quo nõ vera, ſolidáque incremẽtum accipiat pietas. Non vulgarium ſpirituũ eſt ieiuniũ, vti & precatio, ſanctæque vigiliæ. quare haud mirum, ſi vulgò parum notum ſit, quum paſſim & qui ſanctimoniæ arcem videntur obtinere, toti carnis cupiditatibus ſeſe dediderint. Cui donarit Dominus, vt ei ſeriò doleant peccata, vt ex animo regnum ipſius aduenire oret, is vt ſuo tempore orare, & ardenter orare noſcet, ita verè ieiunare quoque ſtudebit, nec id in quadrageſima ſolùm, ſed quotieſcũque ſerius precãdi inciderit occaſio. Verè omnium bonorum operum primum fundamentum eſt, peccata diſplicere, & cordi eſſe pietatem: quod fundamentum vbi non ante omnia iactum fuerit, quidvis potius quàm Domini ædificium fuerit, quicquid ſuperſtruxeris. Porrò Chriſtiani, qui ſtudet fieri omnia omnibus, ſemper fuerit Eccleſiæ voluntatem multo maximi facere. Quare quum hæc ieiunia indicit, quocunque is animo ſit, quum nunquam non ſit petendum ſanctificari nomen Domini cum in ſe, tum in aliis, nullo negotio ſe quoque ad ieiunandum precandúmque excitabit. Nec minus in his feruebit, atque ſi ipſe ſibi illa præſcripſiſſet. imò quum Eccleſiæ iudicium nunquam ſuo non præferat, plus adeò in ſupplicationibus indictis ab Eccleſia, quàm quas ipſe ſibi ſtatuerit, religioſus erit.

PSALMVS XXXVI, in genere mixto, ἐπαινετικὸς καὶ εὐκτικός.

Summopere admiratur effuſiſſimam Dei in omnia bonitatem: quam admirationem quo magis commendat, conſiderat iuxtà peruerſitatem improborum: quæ quum maxima ſit, Deus tamen bonitatem ſuam in illos non claudit. Deinde canit, ut illam peculiari & beatiſſima ratione præ aliis percipiãt electi: & orat, ut Deus ſe cognoſcentibus prolixius benefaciat, ipſumque tueatur à violentia ſceleratorum, quorum ſimul caſum prædicit. ARGVM.

1 PRæſuli ſerui Iehouæ Dauidis.

2 Teſtantur mihi in animo meo ſcelera improbi, nullum eſſe illi Dei timorem. PARAPH. c. 1

3 Nam ſibi ipſi blanditur, donec ſummo odio digna iniquitas eius euadat.

4 Quicquid loquitur, iniquitas eſt & dolus, fugit doceri vt benefaceret.

5 In lecto ſuo prauitatẽ excogitat, prauis viuendi rationibus inſiſtit, nihil mali auerſatur.

6 O Iehouah, ad cælos vſque pertingit tua bonitas, ad nubes vſque tua fides.

7 Iuſtitia tua celſiſſimis montibus ſublimior eſt, iudicia tua abyſſus altiſſima: hominem & pecora ſeruas ô Iehouah.

8 Quàm præclara eſt, ô Deus, bonitas tua: propterea tuæ fidei, velut vmbræ alarum, ſe homines committunt.

9 Saturabuntur opulentia domus tuæ, & potabis illos flumine deliciarum tuarum.

10 Apud te enim eſt fons vitæ: & tuo lumine donati, verum demum lumen videbimus.

11 Prolixam fac cognoſcentibus te, bonitatem tuam, & iuſtitiam tuam rectis corde.

12 Ne irruant in me ſuperbi, néve commoueant me improbi.

13 Illic cadent prauitati dediti, repellentur, nec poterunt conſiſtere.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *PRæfecto ſerui Iehouæ Dauidis.*

2 *Dixit ſcelus de improbo in medio cordis mei, Non eſt timor Dei coram oculis eius.*

3 *Nam blanditur ſibi in oculis ſuis, ad inueniendum iniquitatem eius ad odium.* In inſcriptione vocat ſe ſeruum Iehouæ, quo putant Hebræi voluiſſe eum ſignificare, quanlibet multi deplorati, quíque nullum Dei timorem habent, rebus ſecundis vtantur, ipſe autem, & multi alii pietatis ſtudioſi,

innumeris aduerſis exerceantur, ſe nihilominus in ſtudio, obſeruationéque Legis Diuinæ perſeuerare, & ſeſe ſeruũ Iehouæ approbare. Sequentibus quatuor verſibus peruerſitatem deſcribit improborum, idque ideò tam fuſè facit, vt inde præclarius Dei immenſam bonitatem celebret, qui ſuſtineat tamen illis eſſe tam beneficus. *Dixiſſe*, ait, *ſcelus improbi in medio cordis ſui*: hoc eſt teſtatum eſſe in animo ſuo, vt verti, de improbis (& videtur certos aliquos, fortè perſequutores ſuos, Schaulis adulatores, notaſſe) *nullum eſſe illis timorem Dei*. Obſcuritatem huic verſiculo inuexit vulgatus interpres, quod ל præfixum, tanquam datiui articulum accepit, quũ hic, vt plurimis aliis locis, valeat de, vt in Geneſi, Dic לי, quod Mihi reddũt, Frater meus eſt: id eſt, dic ita de me. Quid פשע, id eſt ſcelus, ſit, in verſu 10 Pſalmi quinti, & alibi ſatis dictum: peccatum ſcilicet, pleniore cognitione, ita & Dei contemptu admiſſum. Id iam vtique teſtatur nulla teneri religione eos qui illud identidem perpetrant. Et accepit Vates hic ſingulare pro plurali. ſic igitur reddidi. Timor ſiquidem Dei non ſinit in ſcelera præcipitem ruere: & ſi ſemel atque iterum quis ceciderit, continuò inde reuocat, nec patitur in malo pergere. Neceſſe eſt igitur ante omnia, ſolutos eſſe religione eos, qui ſceleratè vſque viuunt. Kimhi per פשע intelligit יצר הרע innatam & peruerſam cupiditatem. hæc dicit improbo, non eſſe Deum metuendum, idque in corde Sancti, hoc eſt ita Sanctus de improbis in corde ſuo agnoſcit. Vnde ſenſum huius verſus talẽ reddit, Ego dico in medio cordis mei, quod יצר הרע לרשע, hoc eſt, cupiditas praua dicit improbo, Fac quodcunque libuerit, quia non eſt timor Dei coram illo. Vt verò Dei nullam rationem habent, ita ſibiipſis impendiò placent, atque adulantur. de quo canit verſu tertio, & ego dixi multa in Pſalmum decimum, & decimum quartum. Eo autem quòd quum ſcelerati ſe laudant, dici non poteſt quantum Deum irritent: de eo canit quod ſequitur, *vt inueniat prauitatem eius ad odium*: id eſt efficiant ſibi ipſis in flagitiis blandiendo, vt prauitas ſua ſummo Dei & hominum odio obnoxia inueniatur, id eſt palàm deprehendatur. Nam & hominibus paulo rectiore iudicio præditis, intolerabile habetur ſi quis ſua ſcelera laudet. De hoc vnicè viſo ſibi malo, queſtum Deum legimus Ieſcha.3.b.9, Peccatum ſuum vt Sedom prædicarunt, &c. Inuenire hic eſt deprehendere, palámque odio dignam prauitatem cognoſcere.

4 *Verba oris eius iniquitas & dolus: renuit erudiri vt benefaceret*

5 *Iniquitatem cogitauit ſuper cubili ſuo, adſtitit viæ non bonæ, malum non eſt auerſatus.* Hi verſus fructus tantæ peruerſitatis canunt, Nihil enim eiuſmodi benè vel loquuntur, vel cogitant, vel agunt, ſed neque ſuſtinent ſe ad hæc erudiri & moneri. Oris prauitatem & cõtemptum doctrinæ melioris, canit verſus quartus. Quintus, cordis & factorum. Noctu, quum maximè ſcilicet vacat animus, tempus eſt vt ad ſe homo redeat, & meliora cogitet, ſi etiam toto die iniquè vixiſſet. Sed vbi deeſt timor Dei, omnia ad malum ſeruiunt. In lecto ergo cogitãt improbi noctu, quomodo die quoſque iniuria afficiant, & ſua commoda cum aliorum incommodis augeant. Sequitur ergo, quòd *ſuper viam non bonam adſtat*, hoc eſt addicat ſe peruerſis inſtitutis, & præſens ſemper ſit, & promptus. [illegible] enim habetur. Illud, *Malum non auerſatur*, hunc ſenſum habet, Quid opus verbis? nihil mali auerſatur: ideò neceſſe eſt vt cuncta eius cogitata, dicta & facta noxia ſint, & peſtilentia. Hactenus de prauitate improborũ: videtur verò occaſionem illi dediſſe hæc canendi, aliquorum inſignis improbitas, quibus tum ex ſententia omnia ceciderint.

6 *Iehouah in cælis bonitas tua, & veritas tua vſque ad nubes.*

7 *Iuſtitia tua ſicut montes Dei, iudicia tua abyſſus multa, hominem & iumentum ſeruas ô Iehouah.* Canit id quod & Seruator de bonitate Patris teſtatus eſt, Matth.5.d.4, quòd ſolem ſcilicet ſuũ oriri faciat ſuper malos & bonos, & pluat ſuper iuſtos & iniuſtos. Hinc Pſaltes cõſiderata improborũ iam deplorata prauitate, præ admiratione tam effuſæ diuinæ bonitatis, exclamat, O *Iehouah, bonitas tua vſque ad cælos pertingit*. ב enim hic valet עד, & idem eſt cum eo quod ſequitur, *& vſque ad nubes fides tua*. Nubes & cælos pro eodem, vt & bonitatem & fidem, accepit: & dicere voluit, Omnẽ orbem terræ ita beneficentia, fidáque proſpectione Dei plenum, vt pertingant hæc ad cælos vſque. Verſus ſeptimus eadem geminat. Nam iuſtitia & iudicia Dei eadem ſunt quæ eius bonitas & fides vel veritas: nec aliud, quàm horum immenſam amplitudinem per illa ſignificauit, quòd iuſtitiam parem facit altiſſimis montibus, quos modo loquendi Scripturæ, *montes Dei vocat, & multam abyſſum*: id eſt infinito mari ſimilia: *iudicia eius*, hoc eſt rationem mundum gubernandi. Iis ſiquidem iudiciis omnia regit & moderatur, vt planè beneficiorum quendam Oceanum in creaturas ſuas vniuerſas effundat, qui abyſſo multo maximæ, hoc eſt immenſæ, rectè aſſimiletur. Et hæc ipſa eius beneficentia, iuſtitia eius, fides & bonitas eſt, omnia replens, & ad cælum & vltrà eminens. Quũ ſubiicit, Homines & iumenta ſeruas: idem ſimplicibus verbis dixit. De hac infinita diuinæ bonitatis magnitudine & latitudine, dixi quædam & verſu primo Pſalmi octaui.

8 *Quàm præclara eſt bonitas tua ô Deus, & filii Adam in vmbra alarum tuarum confident.*

Gen.20.d.4

Quicquid eximie magnum, aut præſtans, Dei eſſe dicitur, vt vrbs Dei, cedri Dei &c.

9 *Saturabuntur pinguedine domus tuæ, & flumine voluptatum tuarum potabis eos.*

10 *Nam apud te eſt fons uitæ, in lumine tuo uidebimus lumen.* Cecinit prioribus duobus verſibus de Dei bonitate effuſa in vniuerſas creaturas, nunc de ea qua beantur tantùm electi filii Dei. Conſiderata igitur eius immenſa in omnia beneficẽtia, maximè autem in Sanctos, exclamat, *Quàm pretioſa uel præclara eſt tua bonitas ô Deus*. Inde & de iis qui eam verè agnoſcunt, & percipiunt, ſubiicit, *Et filii hominum, ut pulli auium umbræ alarum matris ſe ſupponunt, & committunt, tuæ ſe fidei & tutelæ credunt*: agnoſcentes ſcilicet tantam tuam bonitatem, qua omnia quidem fruuntur: hi ſoli autem, qui fide ſe illi conſecrant, ritè cognoſcunt & colunt. Abraham Eſra etiam hunc ſenſum affert, vt יקר, id eſt pretioſum vel præclarum repetatur, & legas, Quàm præclara eſt tua bonitas ô Deus, & præclari ſunt qui tuæ ſe fidei committunt: ii enim illa in æternum fruẽtur. Adfert & hunc ſenſum, Quàm præclara eſt bonitas tua filiis hominum, qui ſe, &c. Nam credentes, bonitatem Dei etiam in ſpiritualibus & ſempiternis bonis percipiunt. Kimhi ſic intelligit hunc verſum, Quàm præclara bonitas tua diis & filiis hominum, qui, &c. Sed ל nec אלהים, nec בני אדם præmiſſum eſt. Senſum hunc, etſi in ſe non malè quadret, non ſum auſus amplecti: etſi re ipſa tam ſuperi quàm inferi, bonitate Dei miris & ineffabilibus modis fruantur, etſi id credant & animaduertant. Chaldæus videtur quem poſui ſenſum reddere voluiſſe: ſic enim hunc verſum reddidit, Quàm pretioſa miſericordia tua Deus, homines autem in vmbra diuinitatis tuæ ſperabunt. Vulgatum in Scriptura eſt, pinguedine omnimodam rerum opulẽtiam intelligere. Porrò quod pinguedinem domus Domini dixit, intellexit beneficia Dei primi ordinis, & propria, Spiritum vtique filiorum Dei, qui Sanctos vt de Dei erga ſe fauore & beneuolentia certos reddit, ita verè beat, & vt Pſaltes hîc canit, ſatiat nulla re alia ſatiabiles. Eundem Spiritum & per flumen deliciarum Dei ſignificat, quo ſuos Deus potat. Et eo quod ſubiecit, *Apud te eſt fons uitæ*: ſignificauit, Deum huius viuifici Spiritus, vt omnis boni vnicum autorem: quod ipſum & ſequenti particula dixit, *In lumine tuo uidebimus lumen*: hoc eſt à te illuminati, tui cognitione donati, videbimus, hoc eſt conſequemur fœlicitatem veram & ſolidam. Lucis enim nomine (vt aliquoties dixi) fœlicitas in Scripturis: vt afflictio & miſeria, tenebrarum, ſignificatur. Vtinam verò his fidem habere detur, quàm prono pectore nos Dei præſidio committeremus, indéque amore & ſtudio eius flagrantes, deteſtaremur quicquid prauum, ſectaremur cupidiſſimè quicquid rectum ſit?

11 *Trahe bonitatem tuam cognoſcentibus te: & iuſtitia tua rectis corde.*

12 *Ne ueniat mihi pes ſuperbiæ, & manus improborum ne impellat me.*

13 *Ibi ceciderunt operarii iniquitatis: impulſi ſunt, non potuerunt ſtare.* Hebræi putant quod canit, *Trahe bonitatem tuam*, ad id referri quod antea dixerit, Vſque ad cælos bonitas tua: quaſi nunc petat vt detrahat eam, atque impartiat ſuis. Sed vt memini, ideò ad cælos vſque cecinit Dei bonitatem ſublatam, quòd ita plenus ea eſſet totus orbis: quare non detrahendam, ſed protrahendam orauit, vt plenius continuò illam Sancti percipiant, eóque ad Dei imaginem aſſurgant fœlicius. Obſeruandum autem, quòd *rectos corde* eoſdẽ, quos *cognoſcentes Deum*, vocat. Quicunque enim verè Deum cognouerit, is & amabit, eóque recto & æquo corde erit, nihil ſibi, omnia autem proximis in gloriam Dei quærente. Verſu duodecimo deprecatur vim malorum, quam per pedem ſuperbiæ, & manum improborum ſignificauit. Ne enim ſuperbi ſibi ſuperueniant, & vim inferant, precatur. *Illic* in verſu decimotertio [illegible] accipiẽdum, quo non tam locum, quàm tempus vltionis denotauit. Induit enim ſe, vt qui præuideat iam vel tempus, vel locum ruinæ illorum. Sic quanquam impii externis bonis, ad tempus æquè ac boni, & plerunque plus quàm boni fruantur, tandem tamen dant impietatis ſuæ pœnas, & impelluntur, vt conſiſtere nulla ratione queant.

PSALMVS XXXVII, [illegible]

Ne urat bonos malorum proſperitas, canit timentibus Deum, & ex iuſtitia uiuentibus, omnia optime ceſſura, eóſque uerè fœlices futuros: impios autem, utcunque ad tempus florere uideantur, tandem excindendos, & penitus delendos. ARGVM.

1 DAuidis. Ne ſuccenſeas ob nocentes, neque vrat æmulatio contra intentos prauitati. PARAPH.

2 Nam velut gramen mox reſecabuntur, ac tanquam virens herba inareſcent.

3 Nitere Iehouah, & ſtude beneficentiæ, & inhabitabis terram, prouentúque fideliter reſpondente frueris.

4 Oblectaberis in Iehoua, is dabit tibi quæcunque cor tuum optauerit.

5 Inſtituti tui ſucceſſum committe Iehouæ, eo nitere, hic rem omnẽ conficiet.

6 Iuſtitiam tuam, ceu lumẽ, in apertum producet, & rectam vitæ tuæ rationem

ſplendeſcere faciet ceu meridiem.
7 Sine Iehouah agat,expecta ipſum: ne ſuccenſeas contra eum cui inſtitutum ſuum ſuccedit,contra virum intentum verſutiis.
8 Recipe te ab ira, miſſam fac indignationẽ, ne ſuccẽſeas vt & tu nocere velis.
9 Quicunque enim noxii ſunt,excindentur: qui autem Iehouam fuerint præſtolati, hi terram hæreditario poſſidebunt.
10 Puſillum ſupereſt, quum non erit improbus: conſiderabis locum illius, nec vſpiam erit.
11 Manſueti autem hæreditario terram poſſidebunt, & oblectabuntur plurimo ſucceſſu.
12 Hac cauſa inſidiabitur iuſto improbus,& infrendet cõtra eum dentibus ſuis:
13 At Dominus ridebit illum,propterea quòd proſpiciat aduenire diem eius.
14 Stringent gladiũ improbi,intendent arcum, vt adflictum & pauperem deiiciant,perimant rectè gradientes:
15 At eorum gladius corda ipſorum tranſuerberabit, & arcus eorum confringentur.
16 Præſtat pauxillum quod iuſtus habet, quàm opes plurimæ improborum inſignium.
17 Nam robur improborum frangetur,iuſtos autem ſuſtentat Iehouah.
18 Agnoſcit Iehouah dies integrorum,hæreditas eorum perpetua erit:
19 In aduerſo tempore haudquaquã pudefient,fame inualeſcente ſaturabũtur.
20 Nam improbi peribunt,& hoſtes Iehouæ, vt pingue ouiũ abſumentur, cum fumo abſumentur.
21 Improbus æs alienum conflabit, nec diſſoluet: at iuſto erit vt etiam benignè impertiat.
22 Nam qui bene illi fecerint, terram hæreditario poſſidebunt: qui male, excindentur.
23 Ab Iehoua enim greſſus viri diriguntur,& incœptis eius fauet.
24 Quum ceciderit,non ſternetur,quia Iehoua ſuffulcit manum ſuam.
25 Iunior etenim fui, & iam ſenui, nec vidi iuſtum deſertum, aut poſteros eius mendicantes panem.
26 Quotidie miſeretur & dat mutuum,& ſimul poſteri eius optimè habebunt.
27 Deſere noxam,& ſtude beneficentiæ,& habitabis perpetuò.
28 Nam amat Iehouah ex vero iudicio agere, nec deſeret bonos ſuos,in ſempiternum cuſtodientur:poſteri autem improborum excindentur.
29 Iuſti hæreditario poſſidebunt terram,& habitabunt ſuper eam in ſeculum.
30 Os iuſti differit ſapientiam,& lingua eius loquitur quod iuſtum eſt:
31 Lex Dei eius in corde ipſius,non nutabunt greſſus eius.
32 Speculatur iuſtum improbus,& quærit vt occidat eum:
33 At Iehouah nõ permittet eum manui illius,nec vt improbum habebit eum, quum fecerit ei iudicium.
34 Præſtolare Iehouã, & obſerua viam eius, & exaltabit te, vt terram hæreditario poſſideas,excidium videbis improborum.
35 Vidi improbum terrificum, & ſeſe dilatantem, velut arbor indigena, benéque frondoſa.

36 Et euanuit,& ecce nuſquam erat:quærebam eum,nec inueniebatur.
37 Obſerua ſynceritatem,& habe in oculis quod rectum:nam poſtremò fruetur
vir eiuſcemodi,optata pace.
38 Scelerati autem pariter vaſtabuntur,poſtremò improbi excindetur.
39 Salus erit iuſtis ab Iehoua:ille robur eorum,tempore quo anguſtiantur.
40 Adiuuabit nanque illos Iehouah, & eripiet eos ab improbis, & ſeruabit eos:
nam fidei eius ſeſe commiſerunt.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 DAuidis. *Ne commoueare contra noxios,ne inuideas facientibus prauitatem*
2 *Nam ſicut gramen velociter reſecabuntur,& velut virens herba inareſcent.* Solent infirmiuſculi,dum vident florere impios,mirum in modum turbari,& nonnunquam in mentem eis venire,Deum nullam habere rerum humanarum curam,nullum eſſe piè viuentibus operæpretium.Hoſce ergo cōſolatur,& vt in pietatis ſtudio ſtrenuè pergant,hortatur.Tentatio huiuſcemodi infrà Pſalmo 73.a.1,graphicè deſcripta eſt: item Irme.12.a.1.*Ne ſuccenſeas*,inquit,*contra nocentes*hoc eſt ne moueat tibi bilem eorum fœlicitas,néve torqueat inuidia.Rationem ſtatim ſubiicit,quòd illorum fluxa,caduca,fallax,& vmbra fœlicitatis ſit, non fœlicitas:Sanctorum autem,& à Deo pendentium,certa,perpetua,vera, non vmbra,ſed fœlicitas ipſiſſima. Verſu ergo ſecundo improbos ſimiles facit gramini quod illico reſecatur: & herbæ, quæ quamuis egregiè nunc vireat & vernet, mox tamen inareſcit,ac flacceſcens decidit.Simile hoc in Scripturis frequens occurrit. Pſalmo 129.b.9,orat Sanctus,populi Dei hoſtes,gramini tectorum,quod priuſquam euellatur,areſcit,ſimiles reddi:cui & Ieſchaiah Aſſyrios ſimiles fore prædicebat,4.Reg.19.e.26.
3 *Nitere Iehouah:& fac bonum,inhabita terram,& paſce fide.* Vult reuocare ab admiratione falſæ fœlicitatis qua ſuperbiunt improbi:docet ergo vnde ſit petenda vera & permanens fœlicitas,à fiducia ſcilicet in Deum, & dilectione,ſtudióque benemerendi, ac omnia ex fide agendi in proximos.His qui valebit,habitabit terram, vtique quietus & beatus, quum alii peregrinis & exulibus ſimiliores ſint,quàm inquilinis & dominis.nuſquam enim non habent quod angat,quod offendat: nulla re, quamlibet adfluant plurimis, libero animo viuunt. Ait ergo, *Nitere Iehouah*, nihil offenſus quod illi nituntur opibus ſuis: id fiduciæ eſt, & fidei, qua iuſti viuunt. *Fac bonum:* hoc eſt vt verti,*ſtude beneficentiæ*,quum illi intenti fraudibus & rapinis ſunt:id dilectionis eſt,nunquam quæ ſua, ſed tantùm quæ aliorum ſunt, quærentis, omniáque ad ſalutem proximorum instituentis. *Et inhabita terram:* idem valet atque habitabis terram:hoc eſt, Si ita comparatus fueris, licebit vt terram inhabites,rerum omnium Dominus, eóque cum ſucceſſu rerum certo & confirmato. Id quod ſignificatum credo per hoc quod ſequitur,רעה אמונה,id eſt paſce fide,hoc eſt fideli rerum prouentu: ſicut nulla laborare inopia poſſunt, qui Deum verè timent & colunt. אמונה nanque certitudinem,& reſpondentem expectationi conſtantiam ſignificat, non ſolùm fidem. vt Exodi 17.d.12, Et fuerunt manus eius אמונה,id eſt firmitatis,hoc eſt firmæ, immotæ. Iam ſolet Propheta eandem ſententiam mutatis verbis geminare. Sicut ergo illa, *Nitere Iehouah,& fac bonum*,ad idem pertinent, ſtudium ſcilicet veræ pietatis: ita ſequentia duo,ad fœlicitatem,habitare ſcilicet tutò in terra, & habere vnde paſcaris, viuáſque ſine inopia, fidem ſeruante, hoc eſt expectationi tuæ reſpondente rerum prouentu,vt nec oliuæ,nec vinearum,nec agrorum, nec pecorum,aut etiam vteri vxorii,tum proprii corporis opus mentiatur & fallat.Quia vero רעה etiam paſcere gregem ſignificat, A. Ezra putat hîc vſurpatum pro שמר,id eſt cuſtodire, vt idem ſit ac, cuſtodi fidem. Adducit autem ſimul qui velint hoc רעה אמונה idem eſſe atque, Ne edas de rapina, ac malè partis rebus. Kimhi interpretatur, Paſce fide, id eſt paſce alios fideliter,docendo eos Legem Dei,qui paſtus animæ eſt. Græcus conſentit nobis: habet ſiquidem,Paſcete in diuitiis. Omnibus enim copioſe prouenientibus & affluentibus diuitiis, victus eſt fidelis & certus, non fallit aut fruſtratur, id quod hîc אמונה eſt: ſicut & fideles aquæ, pro non deficientibus dicuntur, Ieſchaiæ 33.c.16. Porrò de certa rerū poſſeſſione, plenóque dominio quod hîc promittitur, dictum eſt in verſu ſeptimo Pſalmi 8. De copia verò bonorū quæ vita præſens requirit,vt ea & Veteris,& Noui teſtamenti Sanctis contingit,in verſu 8 Pſalmi 4, & verſu 5 Pſalmi 23, & in verſu 12 Pſalmi 34,dictum eſt. Perpauci enim ſunt,& ii ad ſublimiorē rationē nominis Dei illuſtrandi electi,quibus Dominus, ſi pietatem colant, non det commodam & in hoc ſeculo,vitam degere. Priſcis tamen,vt de futuris bonis non perinde doctis,plura de ſucceſſu rerum præſentis vitæ promiſſa legimus.

12 *Malitioſe cogitat de iuſto improbus, & nudat ſuper eum dentes ſuos.*

13 *Dominus ridet eum, quoniam uidet quòd ueniet dies eius.*

14 *Improbi protulerunt gladium, & tetenderunt arcum ſuum, ut deiiciant adflictum & pauperem, ut mactent rectos in uia.*

15 *Gladius eorum ingredietur cor eorum, & arcus eorum frangentur.* Canit fœlicitatem Sanctorum tantam futuram, ſi Domino ſileant, & eius ſe prouidentiæ totos permittant, vt iam improbi ipſis inuideant, non ipſi illis. Quóque ampliorem eis fœlicitatem obuenturam oſtẽdat, facit inuidiam & indignationem improborum multo vehementiſſimam. Vnde verſu 12 canit, infrendere illos dentibus contra iuſtum. Quàm fruſtra autem, imò in malum ſuum ita contra iuſtos ſcelerati moueantur, canit verſu 13, quum ait Dominum ridere conatus illorum: quo oſtendit quàm ſint fruſtranei. Quàm etiam noxii hi ipſis ſint, canit verſu 14 & 15, ſub allegoria euaginati gladii, ipſorum cor tranſuerberaturi, & arcus confringendi. Id vt citius ſua opinione experiantur, ac ita ſuo contra iuſtos furore, nihil quàm ſibi ipſis perniciem accelerent, canit verſu 15, Dominus ridet eos, quoniam proſpicit quòd veniat dies eorũ: quo nimirum pœnas dent ſuæ contra iuſtitiæ ſtudioſos, iniquitatis & crudelitatis. Ridiculum nanque eſt, conari impoſſibilia, & ſibi ipſi noxia: maximè verò quum breui inſtet vt finem quis inſaniendi ſuo cum exitio faciat. Sic verò habet res cum hoſtibus innocentum, quare facit Deum illos ridere: de qua anthropopathia plura Pſalmi 2 verſu 4. Obſeruandum verò verſu 14, qui pauperes & adflicti Deo curæ ſint, nẽpe qui recti ſunt in via, id eſt vitæ probè rectéque inſtitutæ. Hæc verò ſi credere daretur, quàm ſecuro animo Domino ſileremus, ac præſtolaremur dum nos à vi malorum adſereret?

16 *Melius modicum iuſto, quàm amplæ copiæ improborum.*

17 *Nam brachia improborum frangentur, & Iehouah ſuſtentat iuſtos:*

18 *Agnoſcit Iehouah dies ſyncerorum, & hæreditas eorum in ſempiternum erit.*

19 *Non pudefient in tempore adflictio, & in diebus famis ſaturabuntur.*

20 *Quoniam improbi peribunt, & inimici Iehouæ ſicut præcipuum ouium conſumentur, ſicut fumus conſumentur.*

Canit, quanlibet tenuem facultatulam iuſtorum, infinitis improborum copiis præſtare: quia opes horum euaneſcant illico, quum iuſtorum hæreditas, fauente eis Domino, perpetua ſit, nec poſſint vllo vnquam bono deſtitui. *Brachia* in verſu 17, pro robore dixit, & intellexit robur facultatum. Cauſa verò cur præſtet iuſtorum tenuitas immenſis copiis ſceleratorum, & frangi ſit neceſſe virtutem malorum, eſt, quòd *ſuſtentat iuſtos Deus*. hoc eſt ſuo fauore ſuffulcit, agnoſcitque dies eorum, hoc eſt vitæ eorum curam gerit. quare eorum hæreditatem, id eſt bonorum poſſeſſionem ſempiternam eſſe oportet, nec vnquam pudefient neceſſariis deſtituti, quantumuis aduerſa tempora incidant, quia quum fame alii laborabunt, hi ſaturabuntur. Vt enim Deus Pater eorum, nouit hiſce rebus eis opus eſſe: ita quum ſummè illos ſimul diligat, nihil horum eis deeſſe ſuſtinet. Alteram huius cauſam adiicit verſu 20, Quòd perire oporteat improbos, nõ tam iuſtorum quàm Dei hoſtes. Et quo oſtenderet quàm facile id futurum ſit, ait conſumendos vti adeps vel pinguedo ouium, igni impoſita, quæ ſimul cum fumo illico euaneſcit. יקר enim quũ pretioſum ſignificet, pro opimo, id eſt pingui in כרים, id eſt ouibus accipitur ab Hebræis. Sunt tamen qui כרים pro campis, & יקר pro herba accipiunt qua campi decorantur, vt pretioſum camporum dici queat. Niſi malis metatheſim eſſe יקר pro ירק. Verùm prior interpretatio certior videtur. Hæc verò Dei iudicia videmus quotidie exerceri, nec tamen animaduertimus. Quare ante omnia orandum, vt oculos fidei nobis Deus acuat. id ſi fecerit, omnia ita vt hîc canuntur, palàm videbimus quotidie geri.

21 *Accipit mutuò improbus, nec reddit: at iuſtus benignè agit & donat.*

22 *Quoniam qui illi bene precantur, hereditabunt terram: qui uerò eum deteſtati fuerint, excidentur.*

23 *Ab Iehouah diriguntur greſſus uiri, & uiæ eius fauet.*

24 *Quum ceciderit, non collidetur: nam Iehouah ſuſtentat manum eius.*

25 *Iuuenis fui, etiam ſenex factus ſum, & non uidi iuſtum deſertum, & ſemen eius quæritans panem.*

26 *Quotidie benignè agit, & mutuat, & ſemen eius ad benedictionem.*

Hiſce verſibus canit Deum timẽtibus omnia vitæ neceſſaria affatim adiicere, ita vt ſit quod & aliis largiter impertiant: oportere autem vt tãdem egeant impii. Hanc ſummam canit verſu 21. Verſu 22, canit tam charum eſſe Deo iuſtum, vt & iis bene eſſe oporteat qui ei benè fecerint: perire autem eos qui malè, iuxta illud Abrahæ promiſſum, Benefaciam benefacientibus Gen.12.a. tibi, & execrabor deuouentes te. Kimhi putat *eum* referre Deum: quaſi dixiſſet, Qui Deum benedicunt, benedicentur. Sed de iuſto præcedens verſus canit, & ſolet Deus ita erga timentes ſe, fauorem ſuum declarare, vt peculiariter plerunque benefaciat iis quoque qui illos in pretio habuerint: & ſingulari vltione deſæuiat in eos qui illos adflixerint. Id in Abraham, Iaacob & aliis Sanctis (propter quos & reges adflixit, vt canit Pſalmo 105.b.14.) abũdè manifeſtũ fecit.

Matth.10 d.42 In Euangelio dicit Seruator, qui tantùm calicem aquæ dederit minimo ex credentibus in ipſum, eum mercedem accepturum. Cauſam ergo Pſaltes redditurus fœlicitatis, copiæque Sanctorum, primùm canit eos tanti eſſe Deo, vt execretur quicunque illos execrati fuerint, hoc eſt tanquam execratis malefecerint: & beneficiis ornet, qui in illos fuerint benefici. Proximum, nempe verſu 23 canit, à Domino dirigi greſſus viri, ſcilicet ipſum timentis: & viam eius placere Domino, hoc eſt peculiari fauore Dei ipſum in rebus ſuis dirigi, benignéque Deum cœptis eius adſpirare, ac donare ſucceſſum. Hinc verſu 24 canit, etiam ſiquando cadat in infortunium,
Prou.24 b.16 non ſterni tamen eum: id eſt non ſuccumbere infortunio, ſed ſtatim reſtitui, iuxta illud, Septies in die cadit iuſtus: de quo verſu 20 Pſalmi 34. Ad idem facit quod & ſequentibus duobus verſibus canit, ſe nunquam vidiſſe iuſtum, aut iuſti liberos mẽdicare: ſed eos habuiſſe potius vt quotidie egentibus, mutuò & libera donatione darent, & largirentur, & ſuis tamen ſatis ſimul relinquerent, adeò vt in [illegible], id eſt beneficium ſint, hoc eſt, perpetua Dei beneficentia inſigniter fruantur. De qua loquendi forma in verſu 7 Pſalmi 21. Obſeruandum ex verſu 26, nullos Dei filios, niſi Lazari ſint, hoc eſt in ſingulare tolerantiæ exemplum delecti, ad mendicitatem redigi, etſi plerunque magna tenuitate viuant. Non igitur mirum quòd tanta in mendicis ſcelera deprehenduntur.

27 *Recede à malo, & fac bonum, & habita in ſeculum.*

28 *Nam Iehouah diligit iudicium, & non deſerit bonos ſuos, in ſeculum cuſtodiuntur, & ſemen improborum excidetur.*

29 *Iuſti hæreditabunt terram, & habitabunt in ſeculum ſuper illa:*

30 *Os iuſti loquetur ſapientiam, & lingua eius de iudicio diſſeret.*

31 *Lex Dei ſui in corde eius, non nutabunt greſſus eius.* Repetit hortationem ad ſtudium beneficentiæ, vnde omnis vera fœlicitas pendet. Recede, inquit, à malo, ne quem lædas: & fac bonum, vt beneficiis quoſlibet afficias: hoc pacto fiet vt terram habites, pace & vitæ neceſſariis abunde fruens. de quo & ſuprà in verſu 3. Cauſam primariam ſequenti item repetit, nempe Deum eo quòd diligit iudicium, id eſt vt rectè & ordine omnia fiant, ſuis bonitati ſtudentibus deeſſe non poſſe: quare in æternum cuſtodiri ipſos oporteat, exterminari autem improbos. Verſu 29 repetit perpetuam, eámque beatam terræ poſſeſſionem & inhabitationem, quæ iuſtos manet, de qua item ſuprá. Verſu 30 & 31, fœlicitatem Sanctorum ſpiritualem prædicat, nempe quòd Spiritu Dei donati, ſapientiam & iudicium, id eſt recta & vtilia ſemper loquuntur, ídque magno ſtudio: quod verbum [illegible], de quo verſu 2 Pſalmi 1, indicat. Porrò ideò ſalutaria loquuntur pii, quia Lex Dei in cordibus eorum: hoc eſt quòd nihil potius cogitant, aut pluris faciunt, quàm voluntatem Dei probè agnouiſſe, & vitam iuxta eam diligenter inſtituiſſe. Hinc firmi quoque ſunt greſſus eorum, iuxta Dei præſcripta inſtituti. Hæc diligenter nobis obſeruanda. nam non pauci ſunt qui quum pluſquam Chriſtiani ſibi videantur, de quauis tamen re libentius, quàm Lege Dei loquuntur. de quo in verſu 2 Pſalmi 1.

32 *Speculatur improbus iuſtum, & quærit ut eum occidat:*

33 *Iehouah non deſeret eum in manu eius, & non condemnabit eum quum iudicabitur.*

34 *Expecta Iehouam & obſerua uiam eius, & exaltabit te ut terram hæreditet: quum excidentur improbi, uidebis.*

35 *Vidi improbum terrificum, & probè dilatatum, uelut arbor indigena quæ pulchrè frondet.*

36 *Et tranſiuit, & ecce non ille: & inquiram eum, & non inuenietur.* Iuſtis canit ſtrui à malis inſidias, & parari vim: at Dominum ita tueri illos, vt non ſolùm nihil incommodi ab improbis ſentiant, ſed ipſos videant miſerè perire. cuius experientiam ſubiicit verſu 35, & verſu 36, Non faciet improbum, quum iudicabitur: hoc eſt, non ſinet eum iudiciorum iniuria opprimi. Dum enim aperta vi nocere bonis improbi nequeunt, ad lites confugiunt, & redemptis, corruptíſque iudiciis illos diuexant. Sed Dominus etiam ab hac iniquitate ſuos ſeruat, nec ſinit eos ſceleratorum calumniis opprimi. Verſu 34 iterum hortatur ad fiduciam in Deum, & ad obſeruandum viam Domini, hoc eſt vitam, proximorum commodis expoſitam: & rurſus ſubiicit, eos qui ita comparati fuerint, terræ hæredes fore, ac viſuros, non ſine ſingulari de Dei auxilio voluptate, excidi ſceleratos. Sic enim *videre* paſſim in Pſalmis accipi inuenias: de quo nonnihil in verſu 18 Pſalmi 22. Experientiam ſubiicit in verſibus duobus ſequentibus: *vidi*, inquit, *improbum formidabilem, & ſpectatum*, velut latè expanſis ramis annoſam, benéque frondoſam & vernantem arborem. [illegible] patulum ſignificat, [illegible] verò indigenam, non peregrinum vel aduenam. Annoſa ergo, & in ſuo ſolo ſita arbor, magnis ſolet, latéque expanſis ramis eſſe viſenda. Huic aſſimilat nobilem, potentem, florentémque improbum, qui nec ſibi, nec aliis videatur facilè poſſe euerti. At tam nihil habet ſtabile, aut firmum, cuicunque non fauerit Deus, vt illico perire & euaneſcere oporteat, & adeò, vt nuſquam quicquam eius appareat. Talis ſanè Schaul fuit, Doeg, Abeſhalom, Achitophel: & noſtro ſeculo non paucos quotidie videmus peſſum ire, quo-

rum inuicta videbatur potentia, & maximè firma fœlicitas. Magnam autem emphaſim habent hæc, *Et tranſiuit, & ecce non ipſe*. Senſus enim eſt, iam videram florentem, & velut indigenam & annoſam arborem, optimè radicatum, vt ſempiterna fruiturus fœlicitate crederetur: & dum reſpicio, iam euanuit, dilapſus eſt, ecce nullum amplius video: & adeò diſperiit, vt etiam inquirente me, nuſquam poſſit inueniri. Sic verè euenit omnibus impiis, & citius omniũ opinione, ſi modò nos poſſemus Dei iudiciũ æquanimiter expectare, & interim innocẽtiæ ſtudere. Quòd non identidem hæc Dei pro nobis declarari iudicia videmus (quanquam, ſi animaduerteremus, quotidie videre ea liceat) cauſa eſt, quòd nos Dei curæ & defenſioni non permittimus, nec concedimus ei, vt poſſit ſua pro nobis miracula renouare.

37 *Cuſtodi ſynceritatem, & uide rectum: nam poſtrema uiri, pax.*

38 *Et ſcelerati uaſtabuntur ſimul. poſtremum impiorum, excidium.*

39 *Et ſalus iuſtorum ab Iehoua, robur eorum in tempore adflictionis.*

40 *Et auxiliabitur eis Iehouah, & eripiet eos: eripiet eos ab improbis, & ſeruabit eos: nam confidunt in eo.*

Exemplum diuerſum proponit innocentis & recti: eum iubet obſeruare & conſiderare, vt in eo diſcamus quàm præſtet innocenter & iuſtè vitam inſtituere. Eiuſcemodi enim hominis poſtrema, pax eſt: hoc eſt tandem qui tales fuerint, pace & fœlicitate fruentur, quũ poſtrema ſceleratorum & improborum exterminanda ſint, hoc eſt omni infœlicitate & miſeria excipienda. Cauſam iterum ſubiicit, quòd Dominus iuſtos, hoc eſt iuſtitiæ ſtudioſos ſeruat, & omni malo eripit: nam omne præſidium ſuum in ipſo ponunt. Nemo verò putet, inanem verboſitatem aut *ταυτολογίαν* eſſe, quòd eadem toties in hoc Pſalmo videtur repetiiſſe. Omnes experimur quàm ægrè credamus nos Deo curæ eſſe, & dignam cuiuſque meritis mercedem repenſurum: ideo nũquam ſatis Dei in ſuos prouidentia, & innocentiæ operæpretium celebrari poteſt. Non itaque ſuperuacaneæ earundem ſententiarum hic repetitiones ſunt, ſed eiuſdem rei repetitæ hortationes, ad quam ſatis hortari & impelli non poſſumus. Continuò nanque timor carnis recurſat, ideo toties hortamenta ſpiritus ingeminare neceſſe eſt. De תם & ישר in verſu 21 Pſalmi 25, & alibi ſatis dictum. De hæreditate terræ, id eſt propria, quieta & beata rerum poſſeſſione, cuius toties hîc Pſaltes meminit, dixi in verſu 13 Pſalmi 25.

PSALMVS XXXVIII, in genere mixto, παθητικῶς καὶ εὐκτικῶς.

Morbo ſæuiore correptus, Dei iram atrocem, etſi peccatis ſuis debitam caſtigationem, deprecatur. Morbi intolerabilem uim, amicorum defectionem, inimicorum crudelitatem, miris affectibus queritur. Demum opem Dei, cui ſeſe penitus permittit, implorat. ARGVM.

1 ODa Dauidis, in memoriam. PARAPH.

2 Ne corripias me Iehouah ex indignatione, néve caſtiges me ira feruidus:

3 Nam ſagittæ tuæ in me tortæ ſunt, & vrget me plaga tua.

4 Nihil ſani eſt in carne mea, propter indignationem tuam: nulla quies oſſibus meis, propter peccatum meum.

5 Nam iniquitates meæ ſuperarunt caput meum, ceu graue onus: ponderoſæ ſunt ſuprà quàm poſſim ferre.

6 Computruerunt, & ſanie diffluunt vlcera mea, propter ſtultitiam meam.

7 Depreſſus ſum & incuruus admodum, quotidie ſum funeſtus.

8 Nam femora mea penitus occupauit fœdum vlcus, nec eſt ſani quicquam in carne mea.

9 Diſſolutus ſum, & deiectus nimium: infremui præ turbatione cordis mei.

10 Domine, coram te ſunt omnia vota mea, & ſuſpiria mea te minime latent.

11 Circumagitur cor meum, deſtituit me virtus mea, & ipſum oculorum meorum lumen euaneſcit.

12 Amici & ſodales mei ſtant e regione plagæ meæ, & propinqui mei conſiſtunt procul.

13 Interim laqueos nectunt qui quærunt animam meam: & qui malum mihi inquirunt, loquuntur dolos, fallacias tota die immurmurant.

14 At ego velut ſurdus nihil audio, ac ceu mutus non aperio os meum.

15 Similis ſum viro nihil audienti, & non habenti in ore ſuo quod pro ſe reſpondeat.
16 Quia expecto te ô Iehouah, tu reſpondebis ô Domine, Deus mi.
17 Quia dixi, Ne lætentur de me: ſimulatque nutauit pes meus, inſultarūt mihi.
18 Quia iam ita comparatus ſum vt claudus viuam perpetuò, dolor meus à me nunquàm recedit.
19 Quia iniquitatem meam fateor, doleo ob peccata mea.
20 At interim inimici mei viuunt, & roborati ſunt: qui immeritò me odio proſequuntur, viribus aucti ſunt,
21 Qui maleficium rependunt pro beneficio, & aduerſantur mihi, pro eo quòd demereri illos ſummopere quærebam.
22 Ne deſeras me ô Iehouah, mi Deus, ne ſis à me procul:
23 Propera vt me adiuues, Domine ſalus mea.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *ODa Dauidis ad memorandum.*
2 *O Iehouah ne corrigas me in indignatione tua, & ne caſtiges me in feruente ira tua.*
3 *Nam ſagittæ tuæ in me demiſſæ ſunt, & demiſſa eſt contra me manus tua.*
4 *Nihil integrum in carne mea à facie iræ tuæ, non pax in oſſibus meis à facie peccati mei.* Incertum an illud in verſu primo, Ad memorandum, nota ſit cantus, an ad quid aliud referatur. Forſan quum morbo graui correptus, iram Dei ob peccata ſua ſenſiſſet, ac inde & beneuolentiam eius quum morbo rurſus eſſet liberatus, voluit id hoc carmine in exemplum aliis memorare. Morbos præcipuè ad exagitandam Sanctorum deſidiam, & pellendam hypocriſim, diuinitus immitti, dixi in verſu 1 Pſalmi 32. Homo Dauid erat, & humaniter nonnunquam viuebat. cum igitur morbis, tum aliis aduerſis excutiebat illi ſubinde indulgentiſſimus Pater torporem & ignauiā, pietatiſque ſtudiū in eo accendebat. Canit & 6 Pſalmo de morbo quo laborauerit: item 30 & 32. ſed & in Pſalmo 35, præſertim verſu 15, morbi, quo correptus fuerit, meminit, & haud ſcio an eiuſdem de quo hic queritur. Nam צלע, id eſt claudicationis & illic, & hîc meminit. fortaſſe peſtilenti aliquo vlcere laborauit, vnde claudum ſe fore timuerit. Qualiſcunque verò morbus aut peſtis fuerit, ſummos intuliſſe cruciatus, abunde queritur. Hos ergo, correptionem & caſtigationem in indignatione & furore, Sagittas & manum, id eſt plagam Dei vocat. Vehemētiam & atrocitatem morbi magis exprimit verſu quarto, dum queritur nihil fuiſſe ſani in carne ſua reliquum, nec eſſe pacem, id eſt quietem vllam, oſſibus ſuis. Cauſam horum facit iram Dei, ſed ob peccata ſua ita accenſam & ſæuientem. Id animaduertamus, dum & ipſi à Domino ne cum mundo condemnemur, corripimur.

Morbis caſtigat ſuos Deus.

5 *Quia iniquitates meæ tranſierunt caput meum: ſicut onus graue, grauiores ſupra me euaſerunt.*
6 *Computruerunt & diffluxerunt vlcera mea à facie ſtultitiæ meæ.*
7 *Depreſſus ſum, incuruatus ſum vſque nimium: quotidie pullatus ingredior.*
8 *Nam femora mea impleta ſunt fœditate: & non integritas in carne mea.*
9 *Diſſolutus ſum, & percuſſus ſum vſque nimium: rugiui præ tumultu cordis mei.*
10 *Domine coram te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.*
11 *Cor meum circuitur in gyrum reliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum; etiam ipſi non mecum.*

Pergit morbi ſæuitiam exaggerare, & ſpeciem eius ſimul exponit. Dum dicit verſu 5 *iniquitates tranſiſſe ſibi caput*, metonymia eſt: intelligit enim plagas, quas Deus ſibi ob iniquitates inflixerat: eas queritur fuiſſe tam graues, hoc eſt atroces, vt ferre nequiuerit. Speciem morbi videtur expōnere verſu 6, dum dicit, *computruiſſe & diffluxiſſe vlcera ſua*. Forſan, vt Hizkiiah, peſtilenti aliquo abſceſſu laborauit in femore, eóque tam noxio, vt totum corpus deiiceretur, periculúmq; eſſet de recuperāda gradiendi facultate. מזור ſanè apoſtema, abſceſſum, vlcus, in quo collectū pus ſit, ſignificat. Numeratur & intra maledicta Legis: ac item Ieſch. 1. b. 6, inter ea quæ tum populo ob ſuā impietatem acciderant. In femore fuiſſe id mali, videtur dicere verſu 8, dū canit, Nā כסלי, id eſt *femora*, vel *coxendices meæ repletæ ſunt fœda*, ſubaudi plaga. Putant enim Hebræi fuiſſe vlcus tam abominandum, vt veritus ſit Pſaltes illud in hoc ſacro carmine nominare. vnde נקלה tantùm dixerit, quod fœdum ſignificat, ſuppreſſo ſubſtantiuo, gratia verecundiæ. Kimhi ſcribit כסלי eſſe corporis partes ſub lumbis, ſuper fundamenta crurum iunctas renibus. Has partes quicquid id mali fuit, ſic inuaſerat, vt planè incuruum redderet, vtque dolore faciem planè infuſcaret, id quod canit verſu 7. Niſi fortè intellexerit veſte ſe ſordidatum & pullatum fuiſſe, propter

Quis morbus de quo hic conatur. Eſa. 38. d. 21

luctum & deiectionem morbi. Quanquam autem malum hoc ſedem ſuam in coxendice vel femore habuit, tam ſæuum tamen fuit, vt totum corpus deiecerit, & excruciarit. Vnde ſubiicit iterum, *Nihil eſt incarne mea ſani*: & verſu 9, *Diſſolutus ſum, & deiectus nimium, infremui præ turbatione & murmure cordis*. De huiuſmodi fremitu, voce ſcilicet immaniore, quam exprimere ſolet vis acerbior doloris, ſpiritu diu contento, dixi in verſum ſecundum Pſalmi 22. Verſu 10, memorat precem quam in mediis morbi cruciatibus habuerit, breuem verbis, ſed affectibus planè flagrãtem. Ea videtur hunc ſenſum habere, Quouſque ſines ô Domine, tantopere me diſcruciari, quum coram te ſit omne deſiderium meum, pateant cuncta vota mea, nec ſit tibi abſconditus gemitus meus? Perſuaſum ſiquidem Sãctis eſt, ſe à Deo diligi, nec deſeri poſſe: vnde dum caro moræ impatiens adflictatur, queruntur id Deo Patri, ac inde mox quoque mirum in modum conſolantur, ſpe firmata, fieri haud poſſe vt mala premant diutius, quum chari Deo ſint, quóſque cruciatus ferant probè norit. Vehemẽtiam doloris adhuc auget & verſu 11, *Cor meum circumiuit, &c.* Hyperbolæ ſunt quæ hoc verſu canit, quibus ſignificare voluit, dolore ſe quaſi exanimatum fuiſſe, vt nullæ reliquæ vires fuerint, & lumen oculorum ferè euanuerit, ita vt ſit in ſummis illis doloribus. Gallicè dicere ſolent, *I'ay ſi grãd douleur, que i'en pers les yeulx*. Dixit ergo, *Circumiuit cor meum*, pro euerſum eſt. Sæuiente nanque dolore, ſolet cor palpitare inſolentius. Vt igitur vehementiore ſe dolore confectum diceret, ait cor planè circumiuiſſe, ac circumagitatum fuiſſe, penitúſque inuerſum. Quo verò ſpiritu ita exaggeret vir Dei vim morbi & doloris, dixi in verſum 7 & 8 Pſalmi 6. Quo nos Deus penitus excutiat, & noſtras nobis vires oſtẽdat, ſinit nos ad hunc modum nonnunquam confici. Sic & Dominus præ immenſa doloris vi, ſanguinem ſudauit.

12 *Amici mei & ſodales mei eregione plagæ meæ ſteterunt: & proximi mei alongè ſteterunt.*

13 *Et laqueos nectunt qui quærunt animam meam: & qui inquirunt malum meum, loquuti ſunt pernicioſa, & fraudes quotidie meditantur.*

14 *Et ego ſicut ſurdus, non audiebam, & ſicut mutus non aperit os ſuum.*

15 *Et eram ſicut vir qui non audit, & in ore eius non reprehenſiones.*

Verſu duodecimo queritur deſertum ſe ab amicis, ſodalibus & propinquis, qui eregione, hoc eſt vt ſequitur, *procul ſteterunt*, abhorrẽtes ipſum, acſi eius calamitas nihil ad eos pertineret. Quod idem Iob ita queſtus eſt, Fratres mei præterierunt me vt fluuius, qui alueo ſuo decurrit. Verſu Iob 6.c.15
13 queritur interim dolos concinnaſſe inimicos, vt morbi malum cumularent. Hoc primùm allegoricẽ dixit *Illaquearunt*, vel *laqueos poſuerunt*: deinde ſimpliciter, quum ſubiecit, *Loquebantur dolos & fallacias*. Ardens eorum ſtudium eo expreſſit quod adiecit *Tota die* הגה, id eſt meditabantur, murmurabant: præ flagrãti ſcilicet cupiditate perdendi me, & de rationibus quibus me extinguerent, commentandi. Suam aduerſus hæc inſignem manſuetudinem canit verſibus duobus ſequentibus. Nam ait ſimilem ſe factum ſurdo & muto, quique nihil reſponſi, nihil confutationis contra inimicorum ſycophantias ac calumnias habuerit.

16 *Quia te ô Iehoua ſuſpicio, tu reſpondebis ô Domine Deus mi.*

17 *Nam dixi, Ne lætentur de me, dum inclinant pedes mei, ſuper me extollantur.*

18 *Nam ego ad claudicationem paratus ſum, & dolor meus coram me ſemper.*

19 *Nam iniquitatem meam narrabo, doleo de peccato meo.*

Cauſas quatuor adducit ſuæ manſuetudinis, cur quanlibet morbo ſæuiſſimo excruciatus & ab amicis deſertus, calumniis tamen inimicorum nihil reſponderit, omnia tacitus tulerit, muto & ſurdo ſimilis. Prima & præcipua eſt, quòd pendebat penitus à Deo, quem non dubitabat ſe in tempore precantem peccatorum veniam, auditurum: id ergo præſtolás, ad omnes impiorum calumnias obſurdeſcebat. Hanc canit verſu 16. Secũda ex hac fluxit, nẽpe quòd precans dixerat, hoc eſt in animo optauerat, ne lætarentur de ſe hoſtes qui tũ illi inſultabant, quũ nutaſſet tantùm pes eius, id eſt in ruinam nonnihil inclinaſſet. Sciebat ſe, quanlibet nunc irato ſibi Deo charum eſſe: odio autem haberi hoſtes, eo quòd illi non tam ſe, quàm Dei gloriam peſſundare conarẽtur. Dicebat ergo iure, Silui ad omnes quantúuis falſas delationes & infamationes hoſtium meorũ. Dixi enim in corde meo, & oraui, ne potiti victoria de me, in quo non peccata mea, ſed pietatem & iuſtitiam oppugnant, lætentur: id ſcio præſtabit tandem Deus. Contineo igitur nunc me, nec quicquam regero, quanuis multa illi, & dira contra me mẽtiantur. Hæc verſ. 17. Tertia eſt, vehemẽtia & diuturnitas morbi. Perſuaſum ſiquidem habebat, Deũ haudquaquam ſe perpetuò tantis malis oppreſſurũ. Quum itaque eouſque ira Dei deſæuiſſet, vt iam planè claudus eſſet factus, & perpetuo dolore excruciaretur: vt ſpes erat Dominum ſtatim clementiam quoque ſuam declaraturum, ita obmuteſcens ad omnia, præſtolabatur dum placatus amantiſſimus Pater, ipſe mala omnia depelleret. Hinc verò diſcendũ, vt verè humiliet Sãctos, inque ſummá adducat modeſtiá atque manſuetudiné, caſtigatio Domini. Quarta manſuetudi-

nis cauſa erat, quòd peccatum ſuum iam prorſus agnoſcebat & fatebatur, verè dolens ob peccata ſua,non iam ideo quòd ob illa grauiter diſcruciaretur.ſed quòd ipſa per ſe ſibi tormentum multo grauiſſimum eſſent. Sic autem contritis, deiectiſque corde, non poteſt Deus conſolationem & auxilium differre longius. quare & hanc cauſam ſubiecit ſuæ tum manſuetudinis & tolerantiæ,tum ſpei & fiduciæ,breui fore vt reſpõderet & annueret Deus. De hac cauſa dicta quædam ſunt & in verſu 5 Pſalmi 32.

20 *Et inimici mei uiuunt, inualuerunt & aucti ſunt, qui me immeritò odiunt.*

21 *Et qui rependunt malum pro bono, aduerſantur mihi propterea quòd perſequebar bonum.*

22 *Ne deſeras me ô Iehouah: Deus me, ne ſit procul à me.*

23 *Propera ad auxilium meum, ô Domine ſalutis meæ.*

Refert adhuc aliam de hoſtibus ſuis querulationem, & peranxiam auxilil implorationem, quo habitum animi doloribus exagitati, & inter conſolationem, atque ob cruciatus ægritudinem fluctuantis,expreſſit. At,inquit,interim dum ego ſileo, & perfero omnia, tuam opem expectans, illi hoſtes mei, & indignè odientes, viuunt, valéntque, & roborantur, viribus, copiíſque aucti. Quàm vero indignum id putarit, in eo exprimit, quòd dicit illos odio ſe perſequi immeritò,& pro bono rependere malum, & aduerſari pro eo quòd ipſis bonum quæſiſſet ſummo ſtudio. Id enim intelligit per illud, *Pro perſequendo me bonum*: id eſt pro eo quòd quacunque re illos iuuare poſſem,eam perſequutus & conſectatus ſum præcipuo ſtudio. Accepit enim *perſequi* hîc, vt in Pſalmo 34,verſu 15,Quære pacem,& perſequere eam:pro,Omni ſtudio conſectare. Reliquis duobus verſibus auxilium Dei & acceleratum implorat. Tropus, *Ne ſit longe à me*: id eſt ne longè facias opem tuã,ſatis in Pſalmo 10.a.11, ab initio, & alibi explicatus eſt. Fiduciæ adhuc perſtãtis illud eſt, *Domine ſalus mea*. A nullo alio ſalutem expectabat, vnum igitur inuocabat, ſolique æſtus animi ſui querebatur. Id verò eſt conuerti ad percutientem ſe. quod dum facere renuimus, nihil aliud quàm Dominum compellimus percutere nos acerbius, donec manum eius ſentientes,agnoſcamus noſtram peruerſitatem, vti populo ſuo facturũ ſe minabatur, Ieſcha.9.c.13. Diſcamus ergo hinc,dum morbi immittuntur, dum etiam amici deſerunt, & hoſtes præualent, nihil aliud eſſe, quàm caſtigationem Domini in viam nos ita reducere volentis: nemini indignemur, cum nemine expoſtulemus, ſimus mutis & ſurdis ſimiles, quique quod reſpondeant, nihil habent. agnoſcamus nos omnia probè commeruiſſe: fateamur ingenuè noſtram prauitatem, nihil excuſemus, nihil eleuemus: ad percutientem potius nos conuertamus, ipſi vni dolores noſtros queramur: expectemus æquanimiter dum ipſe opem ferat, hanc imploremus: nihil addubitantes, illum nos in tempore reſpecturum, & ab omni malo liberaturum, pendentes nimirum ab ipſo per omnia, vnum inuocantes, meritis malis nos offerentes, & ingenuè omnia meruiſſe corde & ore confitentes. Obſeruãdum & illud, quòd ab iis pati quævis mala oporteat, quibus nos benefacere ſtuduerimus, & quidem haud ſimpliciter, verùm totis viribus, ſtudióque ſummo, vt perſequi feras ſolent qui venantur. Neque prætereundum, ſi tanta pati hunc Sanctũ ſuum Deus voluit, qui quicquid peccarit, tam ſedulò tamen ſimul Legi Dei ſtuduit, ac beneficiis perſequi quoſlibet tam curauit diligenter: quid nobis debeatur, in dilectione, qua ſola Lex impletur, tam miſerè ceſſantibus? Penſitemus omnia præſenti animo: dici non poteſt vt nos ſint adiutura, præſertim dum aduerſa inciderint.

PSALMVS XXXIX, [illegible]

ARGVM. *Canit ut acerbiſſimis morbi cuiuſdam doloribus exagitatus, continuerit tamen ſe, ne indigna, præſertim audientibus improbis, effutiret querendo: Deo autem quæ patiebatur, ut æque totius calamitatem & breuitatem queſtus ſit, morbíque quem peccatis tamen ſuis debitum agnouit, liberationem orarit.*

PARAPH. 1 PRæſuli pro Ieduthun, Oda Dauidis.

2 Cogitaui apud me, Obſeruabo me ne peccem lingua mea: quaſi fiſcella os meum, dum coràm fuerit improbus, capiſtrabo.

3 Factus ſum diutino ſilentio velut mutus, vt ne de bonis quidẽ rebus aliquid loquerer: at interim dolor meus incruduit.

4 Incaluit cor meum intra me, ignis quidam, dum mecum immurmuro, exarſit: laxans linguam, tandem in verba prorupi,

5 Indica mihi quæſo, quiſnam ſit finis meus, quíſve modus vitæ meæ, ſciam obſecro quodnam mihi æuum competat.

6 En dies meos, quaſi pugilli mẽſura finiſti: æuum meum ſic eſt quaſi non ſit,

præſertim tibi collatum: quid? prorſus nihili eſt homo quiuis, quãlibet firmus
conſiſtere videatur. Selah.
7 Quid? velut vmbra vnuſquiſque obambulat, nihili eſt quicquid mortales ſa-
tagunt: congerunt, nec nouerunt quis illa recepturus ſit.
8 Et nunc quæ eſt Domine mi expectatio mea? in te certè ſpes mea recumbit.
9 Ab omnibus ergo ſceleribus meis libera me, ne exponas me ludibrio homi-
ni nequam.
10 Obmutui, nec aperui os meum: tu enim iſtuc feciſti.
11 Remoue igitur à me plagam tuam, ab exagitatione manus tuæ ego exanima
tus ſum.
12 Etenim dum tu hominem ob iniquitatem tantùm quaſi obiurgans caſtigas,
illico tabeſcere eum facis, vt pereat quicquid in eo deſiderabile eſt, ſicut veſtem
depaſcit tinea. quid? nihili eſt homo quiuis. Selah.
13 Audi precem meam ô Iehouah, auſculta clamori meo, ad lachrymas meas ne
ceſſes: nam ego vt deditus tibi ſum, ſic peregrinum ago hîc & aduenam, ita vt
omnes patres mei.
14 Deflecte à me vltionem, vt recipiam me antequam abeam, & eſſe deſinam.

AD VEBRVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Præſuli pro Ieduthun Oda Dauidis.* Ieduthun ex principibus Cantorum fuiſſe legitur 1. Paralipomenon 15, & 16. Videtur igitur Kimhi, hunc Pſalmum à Dauide fuiſſe compoſitum: cantari autem ſolitum ab eius ordinis Cantoribus, cui præerat Ieduthun. A. Ezra putat aliquod carmen celebre fuiſſe, cuius initium fuerit ידותון, Iedutbuno, ad cuius modulationem & hic Pſalmus cantatus ſit. Sed eſt ea rerum harum ignoratio, etiam apud Hebræos, vt præſtet nihil verborum de bis prodigere.

2 *Dixi, Cuſtodiam uias meas à peccando in lingua mea: cuſtodiam os meum fiſcella, dum improbus coram me.*

3 *Obmutui ſilentio, tacui à bono, & dolor meus exagitatus eſt.*

4 *Incaluit cor meum, intra me exarſit ignis, loquutus ſum lingua mea.*

Habent bi verſus, animi ægri dolentiſque, cum ob vim morbi, tum improbos, morbo ſuas contumelias & iniurias adiicientes, affectus quàm ardentiſſimos. Canit enim, vt quum morbo graui & difficili laboraret, dolor coegerit eum in queſtus linguam ſoluere: quod rurſus improbi, qui aderant, & inde voluptatem cœpiſſent, prohibuerint. Quo enim Sancti & ſuas vires, & Dei in ſe bonitatem probè agnoſcant, ſinit interdũ Deus illos ſuprà quàm videantur ferre poſſe, adfligi & cruciari. Vnde plerunque ita ſibi ipſis excidunt, atque cruciatuum violentia rapiũtur, vt ea tum dicant, tum faciant quæ indigniſſima eis habeãtur. Iiob vir erat & Dei teſtimonio integer ac bonus, veráque Dei reuerentia eximius: at quàm diræ tamen & impiæ videntur querelæ quas illi tribuit Scriptura? Maledicere enim diei quo editus in lucem, nocti qua ſit conceptus: pœnas quas luat, peccatis grauiores eſſe: deteſtari vitam, tam præſtabile donum Dei: & innumera buius generis alia quæ de Iiobo legimus, vtique animi ſunt ſupra modum impotentis, & Dei iudicia ferentis indigniſſimé. Iam quid videatur magis impium, atque debacchari ita contra optima Dei conſilia, iudiciáque æquitatis incomparabilis? At ſicut pater filii amantior, dum ſæuius illum cædit, non adeò grauiter fert quædam ab eo dicta impatientius, ſed dolori ea condonat: ita amantiſſimus noſtri Deus non abiicit ſuos, in atrocioribus cruciatibus indignius, pro naturæ ſcilicet ingenio querulantes, & non tam iudicii quàm doloris verba fundẽtes. Verùm Pſaltes canit biſce tribus verſibus, vt ſeſe ab buiuſmodi impotentibus querelis continuerit, præſertim præſentibus improbis, qui inde voluptatem cepiſſent, & Dei ſtudium magis contempſiſſent. Ait itaque, Dixi: quod non tam oris, quàm animi dictum fuit, *Obſeruabo uias meas,* id eſt me, vt reddidi: nam Vias Scriptura pro quolibet negotio, incœpto, inſtituto, re, vſurpare ſolet. & ſatis liquet dicere Vatem hîc voluiſſe, ſeipſum obſeruaſſe nequid effutiret, vt gloriæ Dei aduerſum, ita ſe indignum, hoc eſt nequid peccaret lingua ſua. Porrò vt oſtenderet quanta vi doloris fuerit exagitatus, atque ideo quàm difficile ita ſeſe continuerit: ait ſe velut fiſcella os capiſtraſſe: id quod bubus fit, ne germinum tenera præcerpant: & fieri illis, dum triturant, Dominus prohibuit, Deut. 25. a. 4. Ibi enim eo verbo Scriptura vſa eſt, vnde nomen מחסום, quod Pſaltes poſuit, deducitur. Legimus enim. לא תחסם שור בדישו, id eſt, Ne capiſtres fiſcella bouẽ dum

Iob 3. & 4

Deus fert ſuos indigne contra ſe ſtomachantes.

triturat. Adiecit, *dum erat coram improbus*, hoc vel de inſigni aliquo Dei & ſuo hoſte dixit, vel ſingulare pro plurali poſuit. Verſus tertius canit quàm pertinaciter tacuerit, vi morbi ad quærendū potentiſſimè vrgente. Nam ait ſe velut mutum factum, ſilentio nempe diutius ſeruato: & tacuiſſe iam non mala ſolùm, ſed bona etiam, ne fortè laxato ore in bona & in mala prorupiſſet. Alii tamen interpretantur, *ſilui à bono*: id eſt nihil erat boni de quo loqui potuiſſem. alii, *ſilui à bono*: id eſt tacui mea benefacta, nec excuſaui me. Sed quoniam præmiſit, Se capiſtraſſe os ſuum dū improbus adeſſet, & ne peccaret lingua: videtur magis quadrare ſenſus primus, vt intelligas eū canere voluiſſe quantopere obfirmarit ſilentium, vt prorſus de nulla re, ne bona quidem, loqui ſibi permiſerit, ne ſcilicet ad indignas ſe querelas prolaberetur. Interea autem, quum à querelis cōtinebat ſe, incrudeſcebat dolor, totúſque turbabatur, cōmouebatur, & agitabatur. id ſignificat verbū נעכר, Gallicè *s'eſmouuoir*. Magis verò id expreſſit verſ. 4, *incaluit intra me cor meum*. Ita nāque homini accidit, dum dolore affectus à querelis ſibi obtemperat, & ſpiritum continet. Is etenim contentus, vt Ariſtoteles inquit in Problematis, ſect. 27, calefacit doloris incitabula, contracto introrſus calore, quo potiſſimum vis doloris intenditur. Dum itaque ſeſe à queſtibus contineret, ac inde ſpiritum quoque cohiberet, omnia intra ſe excoquebat tanto vehementius, quanto vehementioribus ſe cogitationibus dabat. vnde ſequitur, *in meditatione mea exarſit ignis*: nēpe ex diutina ſpiritus cohibitione. Illud, *Loquutus ſum lingua mea*: videtur hunc ſenſum habere, Tandem nō potis me amplius continere, in verba prorupi, ita vt fit dum doloris incendium incaluerit, ſpiritibus diu contentis. Hebræi meditari hìc & loqui, pro eodem accipiunt: quaſi id, Lingua mea loquutus ſum, idem ſit atque, In meditatione mea. Mihi tamen veriſimile eſt, Vatem, vt aliàs, ita & hìc naturæ ingenium expreſſiſſe: ad eum ergo modū locum hunc interpretatus ſum. Et quiſque ita apud ſeipſum experitur, dum ſæuiente aliquo dolore acerbiore ſeſe compeſcit, & à querelis ac vociferatione continet, calorem intra ſe cum dolore incrementa accipere, donec in clamorem erumpere compellat.

5 *Notum fac mihi ô Iehoua finem meum, & menſuram dierum meorum quæ illa, ſciam cuius æui ego.*

6 *Ecce pugillos poſuiſti dies meos, & æuum meū tanquam non corā te, etiā omnis vanitas omnis homo conſiſtens. Selah.*

7 *In imagine ambulat vir, etiam ad inanitatem perſtrepunt: congerit, & non nouit quis colliget ea.*

Hiſce verſibus, huiuſcemodi querulationem habet, Quæſo, quando ita in me ſæuis, ô Deus, notum fac quiſnam ſit vitæ meæ finis, quæ menſura temporis quo in hoc corpore viuendum, quantinam æui ſim. Si in multa ſæcula vitam mihi prorogaturus eſſes, & vt bonis rurſus fruerer, conceſſurus, ferri poſſet vltio tam atrox, cruciatus tam acerbi: ſpes ſcilicet vitæ melioris dolorem leuaret. Iam pugillo, minutiſſima menſura, vitam meam menſus es: imò planè nihil eſt æuum meum, ſi te reſpexero, qui manes in æternum. Quid dicam? Nihil niſi inane & nihilum ſunt quicunque hìc viuunt, quanlibet firmiter videantur conſiſtere. Quod quum ſingulari vtique expenſione dignum ſit, & ritè conſideratum, plurimum ad modeſtiam momentum habet, adiectum *ſelah* eſt. Porrò vitæ huius inanitatem magis exprimit verſ. 7, *In imagine*, hoc eſt velut inanis vmbra, velut imago deſcripta lineolis, nec quicquam habens ſolidi, ita obambulant, verſantúrque hìc vniuerſi mortales. *inane eſt* quicquid ſatagunt, quicquid turbantur, tumultuantur, & laborant, vt eſt hæc vita turbationis, moleſtiæ, & laboris refertiſſima. Quare Seruator dicebat, Sufficit cuique diei ſuum malum, ſua moleſtia. De inani hac mortalium in congerendis vitæ huius neceſſariis, ſolicitudine, turbatione, labore, & moleſtia, Eccleſiaſtes multa: & inter cætera in hanc ſententiā ita ſcripſit cap. 2. d. 21, Eſt homo, qui cum ſapiētia, recta cognitione, & decētia laborat: & homini, qui nihil in eo laborauit, partem ſuam relinquit: etiam hoc nihili & adflictio magna. Nam quid obuenit homini ex omnibus rebus propter quas laborauerit, & animum ſuū adflixerit, quibus in hac vita laborauerit? Nam quotidie experitur dolores, & negotiorum molem, ne nocte quidem quieſcit cor eius, &c. Habet itaque verſ. 7 indignantem interrogationē, & ceu expoſtulationē, ſicut Iiob 6. b. 12, Quænam virtus mea, vt ſuſtineam, & quis finis meus, vt animam meam proferā? Hoc eſt, Vtique finis meus haud tam longè abeſt: nō ſum vitæ tam lōgæuæ, vt ſic excruciādus ſim, aut durare queā ſic diſcruciatus, & vltrà vitā proferre. טפח, id eſt pugillus, mēſura eſt, cuius aliquoties in Scripturis mētio fit. habetur verò media inter palmum & ſpithamen. eſt enim ſemiſſis: qui duplicatus, aſſem, id eſt pedis menſuram conficit: cuius dodrās, ſpithame eſt: quadrans palmus. Lōgitudo ſiquidē eſt quantum capit manus clauſa porrecto pollice per tranſuerſum. In eodem verſu ſexto, חלד, pro חדל poſitum eſt per metatheſim. Illud כל הבל, *omnis inanitas*, perinde eſt atque nihil niſi inanitas. A. Ezra idem valere dicit, quod הבל הבלים, inanitas inanitatum. Simile eſt illi, Omne opus non facies die Sabbathi. id eſt nihil operis. צלם in verſu ſeptimo, Kimhi pro tenebris accepit, vt vitæ huius miſeriam intelligat & calamitatem. A. Ezra, vt aſtrorum ſcientiæ plurimum addictus, ad imaginem eam quam quiſque mortalis habet ex ſitu ſtellarum, pro cuius mutatione mutetur & ipſe, iſta refert. Sed

Nihil omnis homo.

Matth. 6. d. 34

quum ſatis liqueat hîc deſcribi à Pſalte inanitatem vitæ huius, & ב non rarò pro ב ponatur, haud malè quadrare videtur, vt intelligamus hîc ceciniſſe Pſaltem, ceu inanem vmbram illico euanituram, hominem in hoc ſæculo verſari. Verbum צבר in verſu 7, quod *congerere* verti, eſt minutulis acceſſionibus rem augere: quod iis proprium eſt qui multo labore & moleſtia rem faciunt.

8 *Et nunc quæ expectatio mea, ô Domine? præſtolatio mea ad te ipſa.*

9 *Ab omnibus ſceleribus meis libera me, opprobrium nequam ne ponas me.* Poſt querulationem, precem ſubiicit, qua morbo liberari precatus eſt. Iam, *quæ*, inquit, *expectatio mea?* quid mihi ſperem, quum nimirum nihil niſi inanitas ſit omnis hominum vita, & quicquid moliuntur? Tu certè vnus es in quē ſpes mea recumbit. Ergo ab omnibus me ſceleribus libera, vt & pœnis tādem illorum defungar. Agnoſcebat ſiquidem, vt & Pſalmo ſuperiore, ſceleribus ſuis, grauioribus ſcilicet peccatis, mala hæc meruiſſe. *Ne ponas me*, orat præterea, *opprobrium* נבל: id eſt hominibus nequam & perditis, qui illico vbi Sancti ſeuerius à Domino caſtigantur, eos tanquam fruſtratos ſpe ſua in Deum, & nullum feciſſe piè viuendo operæpretium irrident, & pro ludibrio habent. Id quum gloriæ Dei deroget, infirmioribúſque offendiculo ſit, iure ipſum deprecatur. De ſignificatu נבל, in verſu 1 Pſal. 14.

10 *Obmutui, non aperui os meum, quia tu feciſti.*

11 *Remoue à me plagam tuam, ab exagitatione manus tuæ conſumptus ſum.* Eandem profitetur manſuetudinē quā & ſuperiore Pſalmo, verſibus 14 & 15 profeſſus eſt. Audiebat pietatē ſuam à perditiſſimis hominibus rideri, & ſibi quoque falſa multa impingi. at cogitās ſuis ſceleribus omnia & grauiora deberi, ac Dominum eſſe qui eo quòd diligeret, ſic caſtigaret, obmutuit ad omnia, & ne verbulum, niſi apud ipſum Dominum, queſtus eſt. Nam tu, inquiebat, feciſti, tu percuſſiſti, túque ſolus ſanabis. Te igitur vnum inuoco, nec alii dolores meos queror. Precatúr ergo verſu ſequēti, Plagam igitur tuam, quam tu inflixiſti, tu ipſe item remoue. non dico, id, vt facias, me meruiſſe: aut iā ſatis pœnarū dediſſe: hoc dico, iam plaga manus tuæ confectus, plura ferre non poſſum. Neque enim, vt Iiob, robur meum eſt quod lapidum, aut caro mea ænea. תגרת, prouocationem Iob 6.b.12 propriè ſignificat. Intellexit ergo Deum quaſi continuis plagis ſe exagitaſſe, nulla quiete permiſſa. Reddidi igitur, *Ab exagitatione manus tuæ.* A. Ezra deducit hoc nomē à גור, & metū ſignificare ait: ſed geminatio plenior eſt, vt quum plagam Vates præmiſit, exagitationem & pugnam adiectam intelligamus contra metum. Chaldæus habet, Amoue à me vulnus tuum, à percuſſione validæ manus tuæ ego conſumptus ſum.

12 *In obiurgationibus ob iniquitatē corripis uirū, & tabeſcit ceu tinea omne deſiderabile eius, etiam inanitas omnis homo. Selah.* Atrocitatē caſtigationis exaggerat. *In obiurgationibus*, inquit, *ob iniquitatem caſtigabis uirum, & tabeſcet uelut tinea omne deſiderabile eius:* hoc eſt, quum tantùm vidêris paternè obiurgando hominem corripere, grauis adeò eſt correptio tua, vt homo ea planè conficiatur ac tabeſcat, & euaneſcat quicquid in eo fuerit deſiderabile aut ſpecioſum, omne robur, omniſque vigor corporis, non ſecus atque arroditur & conſumitur veſtis à tinea. Hoc ſimili vſus eſt & Ieſchaiah 50.d.9, Vt veſtimentum veteraſcent, &c. tinea depaſcet eos. Item 51.c.8, Sicut veſtimentum depaſcet eos tinea. Et Iiob 3.d.28, Vt veſtimentum depaſcet eum tinea. Videtur itaque hîc veſtimentum ſubaudiendum: vt nō rarò aliquid, quod ex reliquis verbis ſatis intelligitur, omittere Scriptura ſolet. Hæc memorans, iterum exclamauit, Inanitatem eſſe omnem hominē. & Selah, quo moneret hoc expēdendum diligentius, adiunxit.

13 *Audi precem meam ô Iehoua, & uociferationem meam percipe auribus, ad lachrymam meam ne obſurdeſcas. nam peregrinus ego apud te, & aduena ſicut omnes patres mei.*

14 *Recede à me ut corroborer, antequam facceſſam, & non ego.* Memorat vt precem pro morbi remiſſione intenderit: inde meminit & vociferationis atque lachrymarum. Tum fuiſſe ſe peregrinum & aduenam apud Dominum. Id ſic puto intelligendum vt illud dictum Abrahæ, Ambula coram me, & eſto integer, Geneſis 17.a.1. Peregrinabatur, & aduenam hîc in terra agebat à Domino, vt Paulus loquitur. nam grauatus huius carnis mole, plenum cum Deo conſortium nondum erat aſſequutus. At dum ex fide in Deum viuebat, dum in omnibus à Dei voluntate pendebat, ambulabat, hoc eſt viuebat coram Deo, quaſi in Dei conſpectu: ſed vt dixi, per fidem, nondum plena diuinitatis participatione. Sic ergo dicebat Dauid, 1. Paralip. 29.d.15, Nā peregrini ſumus corā te, & aduenæ, ſicut cuncti patres noſtri. Quis iam dubitet, quod hîc Pſaltes poſuit עמך, tecum, vel apud te, idem eſſe quod לפניך, id eſt coram te, quo Scriptura in adductis modò locis vſa eſt? Proinde quod hîc Vates cecinit, *Peregrinus ego apud te*: nihil aliud eſt, quàm fide apud te viuo, tibi deditus, interim autem hîc à te peregrinor. Breue tempus eſt, quo hîc viuendum: apud te eſſe mihi patriā perſuaſus ſum, eam nūc ſpe ſuſpicio, paulo pòſt per omnia beatus inhabitaturus. Paulus eò reſpiciens, quòd dum hîc verſamur in corpore, Deo haud plenè fruimur, ſcripſit 2. Corinth. 5.b.6, Sēper bono animo ſumus, ſcientes quòd dū in corpore verſamur, à Domino peregrè agimus. Per fidem enim viuimus, non per ſpeciem. Bono autem animo ſumus, & cenſemus melius, peregrè

agere extra corpus,& verſari cum Domino. Pſaltes autem ſpectauit, quòd fide apud Dominum agimus,& hîc manentem ciuitatem non habemus,atque ideò dixit ſe peregrinum apud Dominum: peregrinum,quia hîc patriam non agnoſcebat: apud Dominum, quia animo totus apud ipſum erat. Verſus vltimus iterũ vitæ breuitatis meminit, orátque vt vltione tãdem à ſe Deus recedat, ne omnem vitam calamitoſam habeat: aut certè morbo abſumatur,eo quòd longè vires eius ille ſuperaret. Diſcant hinc,quos grauioribus ſubinde & acerbioribus morbis Deus exagitat,omnia peccatis ſuis ferre accepta,vnique Deo & Patri queri, & opem à nullo alio orare: & indicibilem,etiam in mediis cruciatibus conſolationem experientur. Diligenter verò obſeruãdum quod verſ. 11, *plagam tuam* dixit,& *exagitationem manus tuæ*: vt inde diſcamus,quicquid acciderit, Domini manum eſſe,qui ſolus & percutit & ſanat,dum ei viſum,& nobis ſalutare fuerit: nequis contempto Deo,cum ſtulto vulgo,à Diuis,morborum & aliorum incommodorum ſubleuamẽ petat,quod vnus Deus,qui operatur omnia in omnibus,præſtat.

PSALMVS XL, in genere mixto, ἐξηγητικὸς καὶ δραματικός.

Ex ingenti periculo Dei ſe ope ereptum gloriatur, eiúſque inexplicabilem in timentes ſe bonitatem admiratur: propter quam dum Deus ſacrificia non moratur, ſed ipſum hominem requirit, addicit ſe illi, & celebraturum ſe canit iuſtitiam eius & bonitatem, quàm poſſit multis, idque ſummo & perpetuo ſtudio. Inde periculi, in quo fuerat, magnitudinem, & cauſam, nempe peccata ſua, memorat. Poſtremò, ut Deus hoſtes ſuos deiiciat, & bonos benignitate ſua exhilaret, precatur.

1 PRæſuli Oda Dauidis.
2 Expectans expectabam Iehouam, & inclinauit aurem ad me, audiuítque vociferationem meam.
3 Subduxit me de puteo aquarum vndatione perſtrepente, de luto, limóque, & collocauit in petram pedes meos,greſſus meos expediuit.
4 Dedit vt nouo ipſum carmine celebrarem,laudem canerem Deo noſtro:plurimi id conſiderantes,colere Iehouam,innitíque eo cœperunt.
5 Fœlix ille vir qui Iehouam tutelam ſuam poſuerit, nec reſpexerit ad faſtuoſos,& eos qui ad vana deficiunt.
6 Plurima patraſti tu ô Iehouah Deus mi:facinorum & conſiliorum tuorum ſuper nos non poteſt iniri ratio: conor renuntiare illa, & eloqui, ſed plura ſunt quàm queant numerari.
7 Sacrificio & libamento non oblectaberis,auſcultare me tibi feciſti:holocauſtum & victimam pro peccato non poſtulaſti:
8 Tum dixi,En ipſe adſum,de me ſcriptum eſt in volumine libri.
9 Facere quæ tu probas collibuit,Lex tua in intimis meis.
10 Deprædicabo iuſtitiam tuam in concione frequenti, en os meum haudquaquam continui,noſti tu ipſe ô Iehouah:
11 Iuſtitiam tuam intra me nequaquam occului, fidem tuam, tuámque ſeruandi voluntatem celebraui, bonitatem & veritatem tuam ebuccinare cõcioni frequenti minimè ceſſaui.
12 Neque & tu ô Iehouah continuiſti à me miſerationes tuas, benignitas & veritas tua perpetuò me cuſtodiunt.
13 Nam adobrutus eram tot malis, vt ea nequirent numerari: occuparunt me peccata mea,vt non liceret omnia videre:plura fuerunt,quàm pili capitis mei: inde deſtituerat me cor meum.
14 Libeat tibi Iehouah liberare me,ô Iehouah propera vt me adiuues.
15 Pudefiant & afficiantur opprobrio pariter, qui vitæ meæ inſidiantur, vt extinguant eam:repellantur retrò,& pateant ignominiæ,quicunque malum mihi quærunt.
16 Vaſtẽtur pro eo quòd me pudefacere cõabãtur,qui dicebãt de me, Vah,vah.
17 Gaudeant autem & lætentur de te:quicunque te quærunt,& amant quam tu

ſers ſalutem:iis ſit ſemper vnde dicant,Extollatur Iehouah.
18 Adflictus eram & inops, Iehouah conſuluit mihi : auxilium meum & ereptio mea tu:Deus mi,haudquaquam moram feceris.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *Expectando expectaui Iehouam,& inclinauit ad me,& audiuit vociferationem meam.*
3 *Et ſubduxit me de puteo perſtrepente luto, limo, & conſtituit ſuper petram pedes meos, dirigit greſſus meos.*

Quodcunque malum fuerit,de quo ſe auxilio Dei ereptum hic canit,indubiè anceps & perdifficile fuit. Kimhi putat morbum fuiſſe. Sed qualecunque extitit,fidem ſuam expugnare non potuit. pertinaci enim vſque fiducia,Dei opem præſtolatus eſt. Id quo indicaret,cecinit,*Expectando expectaui*:non ſimpliciter expectaui. Ad illud *inclinauit*, ſubaudiendum eſt,aurem. Quum enim in maximis malis hæreret,ſe inducit velut ex profundo ad Deum vociferatum:& Deum,quum opem tulit,quaſi ex alto ſe ad ipſum demiſiſſe,& aurem ad vociferationem ſuam inclinaſſe. Volens autem mala in quibus fuit exaggerare,canit ſe ſubductum *è puteo perſtrepente*, vtique æſtu, agitationéque aquarum:atque ideo vltrò addit,magis amplificans, *è luto,limo*, quod idem eſt atque è luto & limo. Eſt verò יון lutum denſius. Verſ.3 Pſalmi 69,eodem verbo Pſaltes vſus eſt: præterea nuſquam in totis Bibliis habetur. Elegans verò antitheſis profundæ aquæ & luti, in quo homo nequit vel conſiſtere,vel inde ſeſe expedire:& petræ, in qua firmus quis ſtat,greſſúque eſt expedito. Sic inter ſe ſunt, tempus quo ſuos deſerit Deus,& quo iuuat. Dum enim deſerit, vbique hærent,& in perpetua quadam morte verſantur, vnde nullis ſe poſſunt viribus explicare: vbi rurſum eos reſpicit & liberat, velut immota petra conſiſtunt,& greſſus habent expeditos, eo quòd ſuccedunt eis omnia.

4 *Et dedit in os meum canticum nouum, laudem Deo noſtro:videbunt multi,& timebunt,& nitentur Iehouah.* Per datum in os ſuum canticum nouum, intelligit oblatam ſibi materiam,noua Deum laude celebrandi,ob innouatam ſcilicet in ſe eius beneficentiã. De quo & in verſu 5 Pſalmi 33. Huius fructũ & ad alios perueniſſe eo canit, quum ſubiicit,*Viderunt multi,& timuerunt*:nimirũ Deum,agnito iam numine eius, veráque religione affecti. vnde ſequitur,*Et nitentur Iehouah*,quem ſcilicet viderunt benignè adeò ſuo cultori adfuiſſe. Laudem Deo noſtro:mutatio perſonæ eſt,quæ in ſacris Vatibus creberrima eſt.

5 *Beati viri qui poſuit Iehouah ſuũ præſidium,& non reſpexit ad ſuperbos,& eos qui inclinant [ad] mẽdacium.* Hic verſus exclamatio eſt, ex geſtiente lætitia de lato diuinitus auxilio,eiúſque fructu,& apud alios inde ad fidem Dei perductos,profecta. Antitheſim præterea habet Dei,& faſtuoſorum,vanáque ſectantium,poſthabito Deo. Ad hos plurimi potius,quàm ad eum reſpiciunt:& eorũ plus,quàm Dei præſidio fidunt:ſed poſtremò miſerè ſpe ſua fruſtrantur,& à Deo, quem illi poſthabuerunt, nihil ſibi ſperare audent. Iure igitur canit fœlicem eum, qui his neglectis,fiſus fuerit Deo. Tam huius fœlicitatem,quàm miſeriam deficientium ad homines, elegãter deſcripſit Iirmeia,7. שטי כזב, id eſt declinantes ad mendaciũ dixit,qui Deo vero bono relicto, quæ carni libent, ſectantur, falſa & mendacia bona,imò non bona, ſed inanes bonorum vmbras. Kimhi intelligit ſtudioſos malarum artium,ariolos & diuinos.

6 *Magna feciſti tu ô Iehouah, Deus mirabilia tua,& cogitationes tuas ſuper nos non eſt ordinare ad te,annuntiabo & loquar:præualuerunt numero.* His reddit exclamationis præmiſſæ quaſi cauſam, quarenam fœlix ſit qui Deo nititur. Eſt verò & exclamatio quædam animi ex diuinæ bonitatis conſideratione exultantis. Hoc enim ſenſu ſubiectum eſt, Verè fœlix eſt quiſquis tibi, ô Deus, fuerit confiſus. Plurima enim non mihi ſolùm,ſed omnibus tibi credentibus benignè & magnificè feciſti,non modò in præſenti,ſed & antea ſæpe,ac omnibus ſeculis. Nam eorum quæ mira noſtri cauſa edere ſoles facinora, quæque capis de ſeruandis nobis conſilia, non poteſt iniri ratio. *Non eſt*, inquit, *ordinare ad te*:id eſt non poteſt eorum ordo aliquis,eóque nec numerus ſtatui,vt ſeſe ad te habẽt,id eſt vt à te proficiſcuntur. Id apertius dicit, quũ ſubiicit, *Annuntiabo,loquar*, nimirum de illis. *præualuerunt numero*, id eſt omnem numerum ſuperant. Ebræi & aliam huius,*non eſt ordinare ad te*, interpretationem adferunt,hanc nempe,Non eſt tibi conferre,id eſt nemo poterit tibi conferri. vt ſit ſimile illi Pſalmi 89,verſu ſeptimo,Nam quis יערך, id eſt cõferatur vel æquetur Iehouæ in nubibus? quis ſimilis Iehouæ inter filios hominum? Vtro verò acceperis modo,in eandem ſententiam recidit, diuinæ ſcilicet ſuper nos benignitatis facinora & cõſilia omnem ſuperare exiſtimationem,& neminem poſſe bonitate Deo conferri. Quæ dum admiratio animum detinet, mirum eſt quantũ accipiat amor,ſtudium,veráque religio Dei incrementum,vt pigeat omnium quæ Deus parum probat,vtque adibeant quæ illi grata dignoſcuntur.

7 *Hoſtia & libo non delectaris,aures fodiſti mihi, holocauſtum & piacularem hoſtiam non poſtulaſti.* Volens canere quàm cupiat Domino in ſe tam benefico gratificari, canit ſemetipſum Deo addicturum,

(quod vnum & Lex poſcit potius quàm victimas) & omni ſtudio bonitatem eius aliis prædicaturum: id quod ex addictione fidei gignitur. Canit ergo quòd nolit Deus ..., id eſt (vt Kimhi viſũ eſt) hoſtias pacificas, libamentum, holocauſtum, victimam pro peccato, quorum ceremoniæ ſeptem prioribus capitibus Leuitici traduntur. Diximus de his quædã ſuprà Pſalmo 20, verſu 4. Noluit verò his dicere, Deum hæc prorſus noluiſſe (tum enim vigebant Leges per Moſcheb traditæ: ſed quòd non voluerit vt præcipua) verùm ante omnia ſtudium voluntatis ſuæ, & nominis ſui celebrationem. Simile illud eſt Iirme. 7. c. 20, Sic dicit Iehouah Sebaoth Deus Iiſrael, Auferte holocauſta veſtra cum hoſtiis pacificis, & comedite carnem. Nõ enim loquutus ſum patribus veſtris, neque mandaui eis die quo illos eduxi ex AEgypto, de holocauſtis, & hoſtiis pacificis. Sed hoc eſt quod præcepi illis, Audite quæ ego vobis præcipio, & ero vobis in Deum, & eritis vos mihi in populum, & verſamini in omnibus quæ ego vobis mandauero, quo vobis bene ſit. Hìc ex eo quòd quum Dominus populum ſuum ſibi primò aſſumpſit, Deúmque illi ſe omni beneficiorum genere exhibuit, nihil de ſacrificiorum ceremoniis præcepit, voluit populum Vates colligere, ſacrificia per ſe abſque cordis pietate oblata, Deo prorſus eſſe abominationẽ: non autem ſi cum cordis pietate fuiſſent exhibita. Kimhi hìc ſcribit, Deum nihil præcepturum fuiſſe de ſacrificiis, ſi populus non peccaſſet. Sed id friuolũ eſt: ſemper enim deliquerunt. Volebat Deus populũ modis omnibus à cõmercio aliarum gentium ſecretum viuere: quúmque pueri inſtar, quantũ ad negotiũ pietatis attinet, haberet, vtile illi fuit propriis, & ab vſu Gentiũ alienis, tum & variis ceremoniis, ceu quibuſdam pietatis & religionis elementis (vt eas Paulus vocat, volens ſignificare, in eis contineri initialem duntaxat, & rudem quandam religionis inſtitutionem) ad veram religionem, Deique cultum, qualitercunque erudiri & formari. His itaque veræ religionis elementis occupari, & à Gentibus ſecerni ſuos Deus voluit, donec perfectiore magíſque adulto ſpiritu illos donaret, id quod ſtatuerat exaltato Chriſto primùm facere. Verùm, vt eas ceremonias, dum velut quædam pietatis elementa adhibebantur, probabat, ita nihil æquè execrabatur, dũ eas prætexerẽt pietati, vti in loco ex Iirmeia adducto, Ieſcha. 1. c. 11, ac alibi legere eſt. Quod igitur noſter Vates hìc canit, *Sacrificium & libamentum tibi non placuit, holocauſton & victimam pro peccato non poſtulaſti*: nihil aliud eſt quàm, hæc per ſe non requiris aut probas, ſed magis vt ſeipſum homo tibi addicat, tuámque bonitatem, quàm poſſit, longè latéque cognitam faciat. In eandem ſententiam dicebat Schmuel Schauli, 1. Schmu. 15. c. 21, An verò plus placent Iehouæ holocauſtum & hoſtiæ pacificæ, quàm vt audias vocem Iehouæ? Ei auſcultare, id demum grata hoſtia eſt: & attẽdere, gratius adipe. Porrò in his Dauid ſimul Chriſti typum in ſe exhibuit. Vnde Epiſtola ad Ebræos de Chriſto hæc, & quæ ſequentibus duobus verſibus cecinit, interpretatur, atque eo ceremoniarum abolitionem rectè probat. Vnde enim anſus fuiſſet Vates hìc canere, Deum nihil affici præcepta à ſe ſacrificiorum religione, niſi nouiſſet Deum illa per ſe minimè morari, eóque tandem eſſe abroganda, quum ſcilicet ſyncerior Dei cultus mundo per Chriſtum traderetur? Faceſſit nanque quod imperfectum eſt, vbi aduenerit quod eſt perfectum, 1. Corinth. 13. d. 12. Iure itaque in ea Epiſtola hæc de Seruatore ſcripta adfirmãtur. Sic illa habet, Ideò ingrediens in mũdum, dicit, Hoſtiam & oblationem, &c. Et paulo pòſt, Tollit primum, vt ſecundum ſtatuat. Primum intelligit, ſacrificia Legis: ſecundum, ſtudium voluntatis diuinæ, quo mox dicit ſanctificatos eſſe nos, quicunque per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel factam ſanctificati ſumus. Nemo ſiquidem purius ipſo, & plenius Dei voluntatem vnquam perfecit: quin & oblatione ſui nobis quoque impetrauit Spiritum, quo voluntati Dei viuamus. Rectiſſimè igitur in Chriſto cõpletum eſt quod Dauid hìc de ſe cecinit, Tum dixi, ecce ipſe adſum: de me ſcriptum eſt in volumine libri, vt facerem voluntatem tuam: collibuit, &c. Quæ ergo ſequuntur verſu 13, de peccatis quibus ſe Pſaltes prorſus adobrutum queritur, ipſi competunt, & iis qui patiũtur ſimilia. Vt autem quæ cecinit verſibus his tribus, etiam ipſi pro parte competierunt, in Chriſto tamen ſolo cõpleta ſunt: & ideo, quum quæuis inchoata bona, profectò tũ admonent: riuulique, fontis in mẽtem venire faciunt, & palmites de vite teſtantur: typum quendam Chriſti in his geſſit Dauid, & de illo verius, quàm de ſe hæc cecinit. Tantum enim de his habuit, quantum ei datum fuerat de ſpiritu Chriſti: imò iſta in ipſo & ſenſit, & loquutus eſt ipſe Chriſtus: iuxta illud Pauli, Non viuo iam ego, ſed viuit in me Chriſtus. De hac ratione, qua cum hìc noſter, tum alii Vates de Chriſto cecinerunt (quæ tamen in parte vel de ſe, vel aliis, quatenus Chriſti vmbram aliquam prætulerunt, ſcripſerunt, dixi quædam & in verſũ 10 Pſalmi 16. In Pſalmo 21 quoque aliquoties eius memini. Sed reuertamur ad verba Pſaltis. Illud, *Perfodiſti mihi aures*: vulgata Græcorum editio habet, *σῶμα δὲ κατηρτίσω*, id eſt, corpus adaptaſti mihi. & ſic adduxit hunc locum Epiſtola ad Ebræos. Nec abluſum eſt à ſenſu Pſaltis, ſi rectè hoc dictum accipiatur. Omnium nanque Ebræorum ſẽtentia eſt, *Aures mihi perfodiſti*: idem eſſe, atque aures mihi aperuiſti, & ad auſcultandum tibi, adaptaſti. Id quum fit, totum ſe homo Deo addicit, & omne corpus alioqui voluntati Dei rebelle, ad ob

ad quid ſacrificia inſtituta.

Hebr. 10. a. 5

Gal. 2. d. 20

ſequium eius formatur atque inſtituitur. Haud igitur præter ſententiam Pſaltis in hunc ſenſum hic legitur, Corpus adaptaſti mihi. כרה Iudæi hîc pro aperire atque reuelare accipiunt. Kimhi tanquam ſimilem locum, adducit illud Exodi 21.g.33, Quum quiſpiam puteum aperuerit, ant כרו, id nos Fodit, verſum habemus: ſecundum Kimhi vertendum fuerat, recluſerit. Sed vtcunque hoc habeat, qui effodit quid, is & aperit: quare ipſa verbi natura à ſignificatu aperiendi aliena non eſt. Haud ſcio tamen annon ad id alluſerit, quod præceptum legimus de ſeruo Hebræo, qui in anno remiſſionis ſeruitutem libertati prætuliſſet. Eius enim aurem iuſſit Dominus pec herum oſtio vel poſti affigi, in ſignum ſeruitutis ſempiternæ, Exodi 21.a.5. Hinc poſſit non ineptè aurium pertuſione plena addictio in ſeruitutem ſignificari: & id quod Pſaltes dixit, *Perfodiſti mihi aurem*, hûc ſenſum habere, Addixiſti me tibi ſeruum in ſempiternum, vti illi heris ſuis addicebantur quibus aures pertundebantur, ritu quem modò ex Lege adduxi.

8 *Tunc dixi, Ecce uenio, in uolumine libri ſcriptum eſt de me.*

9 *Facere uoluntatem tuam ô Deus mi, libuit: & Lex tua in medio uiſcerum meorum.* Per iſtud *Tunc*, videtur tẽpus notaſſe liberationis ſuæ. Tum enim percepta Dei bonitate, totus ardebat ſtudio gratum ſeſe Deo exhibendi. Cogitabat ergo & ſtatuebat apud ſe, ſeipſum adfuturum, & Domino conſecraturum. Id verò eſt quod dixit, *Ecce uenio*: ecce adſum ipſe, vt tuæ voluntati viuam, planè ardeo. Hoc de vno quolibet *in uolumine libri*, id eſt Lege Dei ſcriptum eſt, nẽpe Deum requirere hoc præcipuum, imò ſolum, & quicunque verè Sancti ſunt, idem ſummopere ſtudere, vt ſeſe, quanti quãti ſunt, Deo addicant, & animum potius quàm pecudum hoſtias offerant. In primis ſiquidem timor & amor Dei, & quidem ex toto corde, in omni Scriptura exigitur, & de Sanctis idem ante omnia laudatur, ac etiam vbique prædicatur. Id autem vt de quolibet Sanctorum ſcriptum ſit, præcipuè tamen Chriſto competit: imò de nullo, niſi quatenus Chriſti membrum eſt, & in ſe Chriſtum habet, verũ fuerit. Caput ſiquidem Sanctorum eſt à quo prouenit quicquid quiſquam boni habuerit. Vulgata verſio habet, *in capite libri*, ſed eſt Hebraicè במגלת ספר id propriè ſignificat, *in uolumine libri*. Adhuc enim gens iſta in oblongis membranis quæ conuoluũtur, Legem ſcriptam habet: non ſolùm in libris, qui vulgata forma plicabilibus foliis conſtant, ſed etiam Ethnicis olim multum fuiſſe vſum voluminum, Prouerbium illud ſatis indicat, Ad vmbilicum perducere. Verſu 9, addictionem & conſecrationem, qua ſe Deo addixit & conſecrauit, magis explicat. In eo enim ſita eſt, vt Lex Dei, hoc eſt, quæ à nobis requirit, ita impreſſa cordi eſt, & in affectus noſtros immiſſa, vt nihil æquè libeat, nihil maiorẽ adferat voluptatem. Idem verò eſt atque Lege Dei oblectari, & in ea iugiter meditari, de quo Pſalmo 2 idem canit de iuſto, & Pſalmo 37 verſu 31. Hinc verò diſcendum quis ſit verus Dei cultus, nempe ita nos vt Dei Lex docet, eſſe in corde affectos, totos Dei voluntati deditos, nihil prius cupere quàm ipſi gratificari. Hîc ſi deſit cultus, quiuis facile agnoſcet, quàm fruſtra tentemus placere Deo ceremoniis, quum à ſe inſtitutas, vbi iſta cordis deuotio deerat, tantopere ſit abominatus.

10 *Euangelizabo iuſtitiam in eccleſia magna: ecce labia mea non continebo, Iehouah tu noſti.*

11 *Nec abſcondi iuſtitiam tuam in medio cordis mei: fidem tuam & ſalutem tuam dixi: non celaui eccleſiam magnam tuam bonitatem & ueritatem tuam.* Ex vero Dei ſtudio, gratificandique ſyncera volũtate, id continuò naſcitur, vt homo nihil prius cupiat, atque vt quamplurimis prædicet & cõmendet Dei iuſtitiam, fidẽ, opẽ, benignitatẽ, veritatem, hoc eſt immẽſam bonitatẽ, qua cum ſuis ac omnibus, & iuſtè, & ex optima fide, & ad ſalutem ipſis, eámque veram ac ſolidam cuncta agit. Id ſibi volunt iſta nomina, *Iuſtitia, fides, ſalus, benignitas, ueritas*, de quibus Pſalmo 23, 25, & alibi. Quãtopere ergo hoc ipſum ſtuduerit, quamque nihil hic ceſſarit, canit non ſine ardentibus affectibus verſu 10 & 11. Verſu 10 vtitur verbo בשר, quod propriè eſt renuntiare rem nouam, quæque plurimum afficiat. Prophetæ, Pſal.68.b.9
præſertim Ieſchaia, ea vtũtur, vbi de prædicatione Euãgelii loquũtur: quãquam & de infauſta re- Ieſa.52.b.7
nuntiatione alicubi in Scriptura vſurpetur. vnde ille qui cædem Iiſtaelis & filiorum Eli nuntia- Nahum 1.d.15
bat, nihilominus מבשר vocatur, 1. Schmu. 4.c.17. Sed dum cum iuſtitia Dei hoc verbum coniunctum eſt, vtique propriam Euangelii ſignificationem implet: quod nimirum eſt publica ſalutis, ſingulari Dei bonitate perfectæ renuntiatio, & quaſi præconis voce euulgatio. Vnde & hîc Pſaltes Chriſtũ in ſe deliniauit, qui præ omnibus aliis in id vnctus fuit, vt Patris bonitatẽ, & expectatam omnibus ſalutem, quàm latè orbis patet, renuntiaret. De quo Ieſcha. 61.a.1.

12 *Tu ô Iehouah non continuiſti miſerationes tuas à me: bonitas tua & ueritas tua ſemper cuſtodient me.*

13 *Nam cinxerũt me mala uſque non numerus: apprehenderunt me iniquitates meæ, ut non poſſim uidere, inualuerũt præ pilis capitis mei, & cor meum deſeruit me.* Verſu 12 & 13 cauſam reddit cur tantopere ſtudeat & arrideat Dei bonitatem & fidem prædicare & extollere. Canit ſiquidem ſe illis fruitum, ac ſeruari perpetuò. Vt igitur nunquam Deus intermittebat ei benignè facere, par erat vt & ipſe laudandi celebrandique nominis eius nullum faceret finem. Verſu 13, benignitatis Dei erga ſe amplitudinem, ex magnitudine malorum è quibus ſe liberauerat, amplificat. Nam inquit, *adobruerunt*, vel

3 Eripiet eum Iehouah,Iehouah cuſtodiet eum,valetudinem reſtituet,ſecundis iterũ rebus in terra fruetur:nec enim permittet eũ libidini inimicorũ eius.

4 Iehouah firmabit eum in lecto ægritudinis decumbentem,efficiet vt morbo liberatus,omne ſtratum ſuum commutet.

5 Equidẽ dicebam,Iehouah miſerere mei,ſana animã meã:nã in te peccaui.

6 Inimici mei malum de me loquebantur,Quando morietur tandem,interibítque nomen eius?

7 Quum quiſpiam ex eis veniret me inuiſurus,vanum loquebatur, corde ſibi praua colligebat,egreſſus foras ea eloquebatur.

8 Inter ſe quibuſcunque odio eram , contra me pariter muſſabant,malum de me cógitabant:

9 Nẽpe,Perfudit iſtũ graue aliquod ſcelꝰ,& iſte decũbẽs,haud ſurget poſthac.
Etenim amicus quo fidebam,quẽ mẽſæ meæ adhibebã,ſtruxit mihi inſidias.

10 Tu ergo Iehouah miſerere mei,atque reſtitue me,& rependam iſtis.

11 In hoc agnoui fauere te mihi,quòd non exultat de me inimicus meus,

12 Quódque ſum incolumis:ſuſfulcies porrò me,atque ſtatues coram te in ſem

13 piternum.
Laudetur Iehouah Deus Iiſrael,à ſeculo vſque in ſeculum. Amen & Amen.

14 Hymnorum libri primi finis.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 Præſuli Oda Dauidis.

2 *Fœlix qui intelligit de ægro:in die malo eripiet eum Iehouah,*

3 *Iehouah cuſtodiet eum, & uiuificabit eum:fœlix erit in terra, & non dabis eum animæ inimicorum eius:*

4 *Iehouah ſuffulciet eum ſuper lecto doloris, omne ſtratum eius uertes in infirmitate eius.* Iterum Pſaltes declaratam in ſe caſtigato,& rurſus reſtituro,Dei bonitatem celebrat.Quidam non tã ipſi,quàm pietati inimici,dum laboraret periculoſius,mirè gaudebant,iámque libidini violentiæque ſuæ viã muniebant,defuncto rege in quenque bonum & regi amicũ graſſaturi. plerique ex amicis quoque,& quidem cóiunctioribus,deſperatis ab ipſo(nempe morituro)commodis,cum inimicis facere, & regno fortaſſe,vxoribus, liberis,& ſanctis inſtituris eius,vnà inſidiari cœperant: quibus reſtituta ſibi valetudine,vt regẽ decebat,dignam perfidiæ huius ,& impietatis mercedem rependit. id quod apertis verbis canit verſu 11 . Priora ſatis coniiciuntur ex iis quæ cecinit à verſu 6, vſque ad 11.Hinc ergo veriſimile fit,morbo,de quo hîc cecinit,laboraſſe,quum iam regno potiretur.Nihilominus tamen ſe דל,id eſt pauperem,vel miſerum vocauit , nempe propter morbum. Sic & Ionadab cognatus Dauid filium Dauidis Amenonem, quũ ex amore Thamar ſororis ægrotaret, vocabat,Quare tu ſic דל,id eſt miſer es,adflictus,ægrotus,quũ ſis filius regis?2.Schmu. 14.a.4.Hinc ergo reddidi *ægrum*.Commodũ itaque cecinit initio, *Fœlix qui intelligit de paupere*, hoc eſt qui de ægroto rectè iudicat. De ſeipſo præcipuè loquebatur, attamen rectè hoc dictum & de ſimilibus ipſi,nempe caſtigatis à Domino in bonum ipſorum,accipietur.Qui enim benignum Dei de illis conſilium agnouerit,is compatietur illis,humaniter ſeſe adiunget, & quibus poterit iuuare ſtudebit. Quúmque ea Domino ipſi faciet , iuxtà illud , Infirmus fui , & inuiſiſtis me, Matth.25.d.36:iure fœlix dicetur.Putabant perfidi illi Dauidem à Deo reiectum, iámque extinguẽdum , quum tamen ſatis notas haberent ampliſſimas Dei promiſſiones illi de regni firmitate,& ſucceſſoribus ex ipſo natis,factas.Hæc autem vt falſa,ita ipſis noxia opinio fuit,veréque infœlices & miſeros reddidit,quia ad impia contra regem ſuum conſilia impulit.Cuius poſtea impietatis & perfidiæ pœnas dederunt. Fœlices igitur fuerunt qui eum Dauidis morbum , clementem amantiſſimi Patris caſtigationem,paulo pòſt multa fœlicitate cómutandam,quo Dei promiſſa in eo perficerentur,agnouerunt,& ea cogitauerunt quæ ſequuntur , *Eripiet eum* Iehouah ex hoc morbo,cuſtodiet ne pereat:viuificabit,hoc eſt valetudinem reſtituet , & beatus adhuc erit in terra,multos adhuc annos vita hac cum omni proſperitate & fœlicitate fruiturus. *Nec dabis illum ô Deus animæ* , id eſt deſiderio illorum . de quo loquendi modo in verſu 12 Pſalmi 27. Etſi ingens ſit vis morbi,& non abſque cauſa mali ſperent eum moriturum,certum tamen eſt Deum nõ poſſe fallere : ideò vtcunque vires eius haud videantur his cruciatibus ſuffecturæ , dabit nihilominus Dominus vt perduret,ipſe ſuffulciet eũ in lecto ægritudinis,ne morbo ſuccũbat: imò *ô Deus*

omne ſtratum eius uertes: id eſt ſanum reddes, ac ita efficies vt lectum in quo ægrotus modò detinetur, penitus relinquat, alióque (vt fieri ſolet) in quo iam incolumis quiete ſua fruatur, commutet. Hactenus memorauit verba de ſe miſero & ægroto, quem ob morbi magnitudinem inimici pariter & fucati amici putarant breui moriturum: rectè intelligentes & iudicantes, hoc eſt agnoſcentes id quod res erat, nempe caſtigatum à Domino, morti autem (vt de ſe canit Pſalmo 118.c.18, nequaquam traditū, ſed reſtituendum valetudini & regno, magnáque fœlicitate adhuc in terra fruiturum. Neminem verò offendat in verſu 2, punctum Ethnacbtha poſitum ſub דל, vt ביום רעה, id eſt in die malo, ſeu aduerſo, vel calamitoſo, cum ſequentibus iungat. Sæpiſſimè enim hic punctus ſententiam ſcindit, non finit. Sic ergo ordinanda lectio, Fœlix qui intelligit de ægro in die malo, eripiet eum Iehouah: non, in die malo eripiet eum, vt vulgò legunt.

5 *Ego dixi*, O *Iehouah miſerere mei, ſana animam meam quia peccaui tibi.* Precationē babet etiamnum aduerſa valetudine laborãtis. Deus iratus percuſſerat, igitur ab ipſo placato iam, & miſericordia moto, ſanitatem precatur, eámque animæ, hoc eſt vitæ ſuæ. Quanquam non raro נפש & pro corpore in Scripturis accipiatur, videtur tamen mihi hoc dicto voluiſſe ſignificare, animam iam & vitam in ſummum periculum adductam, eámque ſtatim, niſi opem Deus tuliſſet, extinguendam. Quòd verò tanquã cauſam adiicit, *Quia in te peccaui*: videtur hunc ſenſum babere, Quod te offendi, quòd in te peccaui, id cauſa eſt huius morbi. Tu percuſſiſti ſolus, ſolus item ſanare potes. Precor igitur vt miſerearis nunc mihi, & valetudinē reſtituas, qui peccato meo irritatus, eam ademiſti. Hinc iterum monemur, morbos ob peccata ab irato Deo immitti. depulſio igitur eorum à nullo alio, quàm ab eodem placato, oranda eſt.

6 *Inimici mei dixerunt malum de me, Quando morietur, & peribit nomen eius?*

7 *Et ſi ueniat ad uidendum, uanum loquebatur, cor eius prauitatem collegit ſibi: egrediebatur foras, loquebatur.* Nunc canit vt ſe habuerint ipſo laborãte inimici & amici ſimulati. *Inimici mala de eo loquebantur*: hoc eſt malū & pernicioſum de eo votū, quū inter ſe conuenirēt, iactabãt, ſciſcitãtes alius ab alio quãdo tandē moreretur, interirétque nomē eius. Quo oſtēdit quàm fuerint in ſe animo boſtili. Simulationē eorū canit verſu 7. Inuiſebant nonnunquã ex eis aliqui ægrotum regem, & dolere ſibi eius morbum mentiebantur: id vanum illud erat quod loquutos queritur. Interea verò prauitatem colligebãt ſibi corde, hoc eſt omnia explorabãt, & quibus ſuos exhilararēt, inſidiáſque bonis ſtruerēt, ex iis quæ circa ægrotū gerebãtur colligebãt: ea egreſſi foras, ſuis cōiuratis ſtatim eloquebãtur.

8 *Simul de me ſuſurrabant quicunque me oderunt, de me cogitabant malum.* Hic canit vt muſſitantes de his inter ſe commenti ſint, & malum de eo cogitarint hoc eſt omnino opinionem ſua de morte illius certò inſtante, confirmarint. Quæ verò tum cogitarint, & loquuti fuerint, memorat verſu 9.

verbum belial diffuſum eſt in iſto: & qui iacet, non addet ut reſurgat. Dicebant nanque, Verbū Belial, hoc eſt ſcelus aliquod grande infuſum iſti eſt, hoc eſt vltio grandis cuiuſpiam ſceleris penitus occupauit & penetrauit iſtum, vt liberari ab ea nequeat. Inde dicebant quod ſequitur, *iſte qui iacet*, poſthac non reſurget, conficietur hoc morbo. Verbum belial eſt res praua, ſcelus: בליעל etiam dici putant quaſi בלי יעל, id eſt nihil prodeſt. vnde nihili & perditi homines, dicuntur viri belial. Ita dicitur Deut. 13.c.13, Si egreſſi ex te fuerint viri belial, & impulerint habitatores ciuitatis ſuæ, ac dixerint, Eia ſeruiamus diis alienis, &c. Sic vocati ſunt & illi qui vxorem Leuitæ enecarunt concubitu, Iudic. 19.c.23. Item filii Eli, filii belial, 1. Schm. 2.c.12. Qúmque Hannah mater Schmuelis, ſe à temulentia excuſaret ſacerdoti Eli, negabat ſe filiam belial. Ex his & ſimilibus locis ſatis colligitur, Belial ſignificare ſceleſtum, perditum, flagitioſum. Sic iam *uerbum belial*, ſcelus, flagitium, res praua dicitur, vt ex verſu 3 Pſalmi 101 liquet. ſed & ex Deut. 15.b.9, vbi verbū belial, pro iniquo & peruerſo cōſilio accipitur, quo quis cogitans annū remiſſionis prope eſſe, nolit fratri pauperi adeſſe dando mutuo. Filios belial, & Pſalmo 18 verſu 5, pro malitioſis & ſceleratis dixit.

1.Schm.1.c.16

10 *Etiam uir pacificus meus quo nitebar, edens panem meum, magnificauit contra me inſidias.* Hic queritur de perfidia falſorum amicorum. *Etiam uir pacificus meus*: ſic amicum vocat, de qua appellatione dixi in verſu 5 Pſalmi 7. Quum addit, *Quo nitebar*: ſignificat ſe illi pluſimum credidiſſe, accōfiſum fuiſſe. veriſimile enim eſt, inſignem aliquem, maximéque coniunctum atque honoratum Dauidi fuiſſe, quē hic notarit. Eo enim quod ſubiūxit, *Qui comedebat panem meum*: nō videtur tãtùm ſignificaſſe illum ſuo beneficio alitum, ſed adhibitum potius menſæ regiæ: qui honor præcipuus fuit, vt ex eo colligere licet, quòd tanquam inſigne beneficium, eum Dauid filio Ionathan Mephiboſceth obtuliſſe legitur 2. Schmuel. 9.b.7. Certè illud, *Quo nitebar*, vel *de quo cōfidebam*: non de quouis aulico dixit. Is autem quiſquis fuerit, ſiue etiam multi fuerint de quibus hic queſtus ſit (ſingulari pro plurali poſito) Iudæ Iſcariotis vmbram quandam prætulerunt, vti & Dauid Chriſti. Proinde rectè Dominus dicebat Iohan. 13.b.18, proditione Iudæ in ſe hunc verſiculum completum. Vt enim in verſu 7 Pſalmi præcedentis dixi, quicquid vllis in Sanctis boni vnquam illuxit, id vt opus Chriſti, ita & admonens eius, vmbra quædam fuit ac typus. Sic & quæ indigna, &

propter Deum quiſquam vnquam paſſus eſt, ea quæ paſſurus erat Chriſtus præfigurarunt: ſicut & quæ adhuc vſque ad finem mundi Sancti patiuntur, eorundem ſequentes quædam imagines exiſtunt. Etenim non ipſi, ſed Chriſtus in eis ea perfert. Inde Paulus ſcribebat ſe, dum Romæ captiuus mortem expectaret, & varias interim iniurias toleraret, implere quæ adflictionibus Chriſti in ſua carne adhuc deerant. Habet enim ille in vnoquoque ſuorum certum adflictionum demenſum, vt membra capiti conformentur. At quæ ii qui apud priſcos Chriſti imagini acceſſerunt propius, perpeſſi ſunt, celebriores eorum quæ paſſus Chriſtus eſt, figuræ, vmbræ & deliniationes fuere: vnde & huiuſmodi potiſſimum de Chriſto adducuntur, de quo & in Pſalmo 22. Dauid ergo rex, & religionis ſtudioſiſſimus inſtaurator, tantam à ſceleratiſſimo aliquo eorũ, quos in primis honorauerat, & inter ſecretiores ac peculiariter fidos habuerat conſiliarios, ſatis apertam eius quod Chriſto à Iuda accidit, figuram & typum prætulit. Iure ergo dixit Seruator hunc locum in ſe fuiſſe impletum. Illud, הגדיל עלי עקב, Euangeliſta reddidit ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ, id eſt extulit contra me calcaneum ſuum. Vulgata Græcorum editio, ἐμεγάλυνεν ἐπ' ἐμὲ πτερνισμόν, id eſt magnificauit (vt vulgato verbo vtar) contra me calcaneum ſuum. Eadem autem ſententia eſt. nam vtraque oratione ſignificatur, Iudam extuliſſe pedem ſuũ contra Dominum, hoc eſt iuiſſe vt ei inſidias strueret, malúmque pararet. Quidam Ebræorum interpretantur in hunc ſenſum, Calcaneum ſuum maioris fecit, quàm vt me inuiſeret ægrotum. Sed planius eſt, ſi עקב inſidias, vel noxium dolum vertamus. ſic enim accipitur hæc vox Geneſ. 27.e.36, Ioſue 8.c.13. & 4. Reg. 10.d.19. Nec mirandũ, ſi Euãgeliſta vulgata maluerit editione vti. Vbique enim id Apoſtoli in gratiam Gentium, qui verſioni Septuaginta iam adſueti erant, ſoliti fuere, præſertim vbi ſententiæ nihil detrahitur. Quum itaque calcaneum legis, eundem ſenſum habes, ſed quadam allegoriæ ſpecie: ſi inſidias reddes, vertes ſimpliciter. Et ſic reddidit Paraphraſtes Chaldæus. habet enim, Magnificauit ſuper me dolum.

Quæ patiũtur indigna ſancti, Chriſtus in eis patitur. Coloſſ. 1.d.24

Euangelii locus explicatur.

11 *Et tu ô Iehouah miſerere mei, & erige me, & rependam eis.* Memorat vt ſanitatem reſtitui ſibi precatus ſit, ac vouerit Domino, perfidis illis ſe repenſurum. Rex enim erat, & in ſcelera iſtiuſmodi animaduertere debebat. Dei itaque gloriam in illis, non ſuam vlturum ſe tum propoſuit. Iudæi hîc variè ſe torquent, eo quòd videãtur hæc iis quæ de ſe cecinit Pſalmo 7, (vbi dirè ſeſe deuouit, ſi rependiſſet malum, iis etiam qui ipſi malum rependerant pro bono) aduerſa. itaque ideo alii dicunt hanc repenſionẽ, de qua hîc canit, in eo tantùm fuiſſe, quòd re ipſa declarauerit malè illos feciſſe quòd ſe putarint moriturum. Alii in eo, quòd ipſis infirmatis, non vt aliàs fecit ſeſe pro eis adflixerit & orarit. Quidam, promiſiſſe ſe bona eis repenſurum. Sed præſtat ſimpliciter hæc accipere, nec indignum arbitrari, Regem regni hoſtibus digna ſuis ſceleribus repẽdere. Id quod & Schlomoni filio de quibuſdam, quibus ipſe pepercerat, mandaſſe legitur, dũ contra ipſius decretum, Adoniæ eius filio ſe adiunxiſſent. Aliud eſt Regis, aliud priuati iniurias vlciſci: quæ enim in regem peccantur, in Rempublicam peccantur. 1.Reg.2.a.8

12 *In hoc agnoſco quòd faues mihi, quia non iubilabit ſuper me inimicus meus.*

13 *Et ego in integritate mea: ſuſtentabis me, & conſtitues me coram te in ſempiternum.*

Canit quàm ampliter Deus ſuum in ipſum fauorem declarauerit, vndéque certò iterum illum agnouerit nempe quòd non permiſerit, vt de ipſo extincto perfidi illi lætarentur, quódque incolumitatem ipſi reſtituerit. Illud enim בתמי, id eſt *in integritate mea*, Gallicè, *En mon entier*, videtur hîc de corporis integritate, proſpera ſcilicet valetudine intelligendum. Iis quæ ſequuntur, iactat ſuam fiduciam in poſterum. Alii de moribus hoc intelligunt, húncque ſenſum reddũt, Pro integritate & ſynceritate mea in qua ego ſum, qua præſto, ſuſtẽtabis me, hoc eſt in vita ſeruabis, vt integritatem atque ſynceritatem ſuam ceu cauſam diuinæ ſuſtentationis memorarit. Poſſit & hic ſenſus eſſe, Ego in ſynceritate viuere ſtudebo, in hac me Dominus ſeruabit, ſuſtentans quoties aliquid mali me impulerit. *Suffulcies*, inquit, *me*, id eſt porrò incolumem ſeruabis (quod & ipſum de vtriuſque hominis incolumitate intelligi poteſt) quóque ab omni malo tutior ſim, *coram te collocabis me in ſeculum*: id eſt ſemper habebis in oculis, quo tuearis & ſerues. Simul autẽ hoc dicto ad futuram fœlicitatem videtur ſpectaſſe, quæ erit dum Deum videbimus ſicuti eſt, hoc eſt in conſpectum eius collocati fuerimus. His commodùm ſuccinit, præſertim quum & primus Sacrorum hymnorum liber hîc finem accipiat,

14 *Laudetur Iehouah Deus Iiſraelà ſeculo uſque ad ſeculum, Amen, & amen.* Dominum ideo Deum Iiſraelis vocat, quòd tum in nulla alia gente verè colebatur. Laudis diuinæ æternitatem in eo cecinit quod ſubiũxit, *A ſeculo uſque in ſeculum*. Per omnia enim ſecula ipſum laudabũt quicunq; ipſum vel ſemel verè laudarint. Id enim Sancti ſoli, electique poſſunt, quia nullis aliis Dei bonitas cognoſcitur. Animali ſiquidem homini, quæ de ea prædicantur, ſtultitia ſunt, 1. Corin. 2.d.14. Iam electos, quos filio Pater dedit, nec ipſe abiicit, nec rapit de manu eius quiſquã. Æternùm igitur

laudabunt Dominum,etiamſi id interdum carnis cupiditatibus acti tranſuerſum,intermittãt. Quid Amen Horum & id quod accinitur, proprium eſt, *Amen & amen:* quod ſignificat,firmum ſit & firmum, vel fiat & fiat. Venit enim à verbo אמן,quod firmum eſſe ac ſolidum ſignificat: vnde & אמת, id eſt veritas,& אמונה,id eſt fides deducitur. Approbantes & confirmantes auditum ſermonem,ea voce apud Ebræos vtebâtur. Sic quum imprecatio eſſet lecta in mulierem adulterii infamatam, Lex cogebat ipſam reſpondere,Amen.Num.5.c.21.Item quum recitabantur deuotiones contra 1.Reg.1.e.36 tranſgreſſores Legis Dei,reſpondebat item populus,Amen, Deuter.27.c.15. Idem reſpondebat Benaiahu princeps Dauidis regis,ſermonem ratum fore precans,quum ille dixiſſet Schlomoch filium ſuum pro ſe regnaturum. Eodem ſignificatu voce hac vſa eſt Scriptura, 1. Paralip. 16. d.36, Nehemiah 8.b.7. & infrà Pſalmũ 72.d.19, & Pſalmũ 89.g.53, ferè eiſdem verbis, quibus præſens finit,vti & tertium Pſalmorum librum is claudit. ſic enim habet, Laudetur Iehouah in ſeculum,Amen & amen,id eſt fiat,& ita fiat. Geminatio hæc confirmationem intendit. Cæterùm in hoc Pſalmo obſeruandum,quantis inſidiis obnoxii ſint Principes & Magiſtratus pii. Item diſcendum,quàm non ſit temerè de cuiuſquam calamitate & adflictione iudicandum:ſed omnia in partem meliorem interpretanda,vt cum flentibus flere potius,quàm cuiquam inſultare libeat. Poſtremò,ſæpe Deum ſuis ſic ſe ſubducere,vt videatur de eis actum : ſed in tempore reſtituere illos,& inimicis ſuis ſuperiores reddere. Præcipuè autem hæc & in Seruatore conſideremus,quo nihil nos turbet quod & capiti noſtro accidiſſe perpenderimus. Paſſus eſt duriſſima, redimendi nos cauſa:id nemo ita intellexit, ſed reiectum à Deo omnes putabant, iámque de eo actum eſſe, inimici inter ſe gratulabantur , amici defecerant : ex amicis quoque ipſi inſidiati ſunt,quos menſæ ſuæ accumbere dederat,nempe Iudas ex intimis vnus, qui in mortẽ eum tradidit. At verò ter quatérque fœlices fuerunt, quicunque id quod res erat,de ipſo tum exiſtimarunt,qui optimam Dei circa ipſum voluntatem ritè cognouerunt: æternam nãque per ipſum vitam conſecuti ſunt: quum qui eam ignorarunt,& ideo crudeliter & perfidè contra illum egerunt,ſempiternæ ſint(ipſo omnium iudice eis rependente) internecioni dati. Ita iam eueniet & iis qui eum in ſuis miſerum adflictúmque non agnouerint, & Dei circa huiuſmodi iudicia non rectè intellexerint. Id debet ſanè nos , vt ad omnem adflictorum miſericordiam impellere, ita & animare vt boni & æqui conſulamus quicquid inciderit:hac ſpe freti,Chriſtũ in nobis haud poſſe adeò miſerum eſſe,ſed repenſurum tandem ſe in nobis oppugnãtibus:quo ex animo ſemper dicamus,Laudetur Deus à ſeculo vſque in ſeculum:Amen,& iterum Amen.

IN SECVNDVM HYMNORVM LIBRVM

Præfatio ad pium Lectorem.

DEfuncti explanatione primi libri, Chriſtiane Lector, ferè dimidium inſtituti itineris emenſi nobis videmur : ſubinde enim recurrunt iidem tropi , eædem figuræ, eædem ſententiæ,eædem hiſtoriæ, iidem denique loci communes. Quo fuſius igitur, quæ in primo libro occurrerunt explanauimus, eo licebit , & operam dabimus, quæ ſequuntur enarrare compendioſius. Rudioribus Sacræ ſcripturæ hic labor deſudat : quos velim quæ in primum librum ſcripſimus,diligenter excutere: nam permulta in eo annotauimus quæ tum Pſalmis ſequentibus,tum multis Scripturæ locis aliis(abſit inuidia dicto)haud parum lucis inferunt. Ex eo nãque quòd tot ſæculis S. Lingua neglecta penitus fuit,non ita multa in Scripturis germano ſenſu etiam à doctiſſimis intellecta fuere. Id autem nemo eò rapiat quaſi putem ſtudioſos Dei,propterea veræ pietatis rationem aſſequi nequiuiſſe:tam multis ſiquidem illam, adeóque luculenter in Scripturis ſuis Deus tradidit,vt ea latêre,qui ipſam modò quæſierit,poſſit neminem. Interim tamen etiam ii,quos eruditionis & ſanctimoniæ nomine iure ſuſpicimus, loca quamplurima,vt pio,ita non ſuo ſenſu enarrarunt. Cuius in prima præfatione ſatis luculenta(quãuis ex innumeris pauca)teſtimonia addnxi. Iam tanti eſſe nobis Scripturas conueniebat, vt in nullis libris proprietatem æquo ſtudio ſectaremur. Quanlibet enim pia ſint quæ ſub nomine Sacrorum ſcriptorum offeruntur,quanuis ſint ab his etiam ipſis,quorum titulo commẽdantur,tradita,nihilominus dum ea, non ex iis ipſis locis qui citantur, depromuntur, & non eiſdem ipſis verbis ac ſenſu quibus ſcripta ea ſunt,efferuntur,alienos,non Sacros audire authores tibi videare. Proinde totus in eo fui,vt idipſum quod Pſaltes, & eo quo ipſe ſenſu cecinit, proferrem. Idem & in ſequẽtibus ſtudebo:at ita,vt quas iam hiſtorias memoraui,quas loquendi formulas, ſchemata,tropos & idiotiſmos expoſui,poſthac nullus,ne in immenſum excreſcat liber, repetam,indicare tamen dicta non grauabor. Quare qui cum fructu ſequentia velit legere,meminerit primi ſe libri lectione antea munire. Bene vale,ad ipſam Scripturarum phraſim,& fidei analogiam omnia iudicaturus.

PSALMVS XLII, in genere mixto [illegible]

Canit ut abſentius coniuratione Abeſchalomi filii à ſacro cœtu & feſto Domini: tum uocibus impiorum, qui fruſtraneum religionis ſtudium, cui fuerat deditus, blaſphemabant, exagitatus doluerit, ardentiſſimiſque queſtibus animam ſuam coram Domino effuderit. ARGVM.

1 PRæſuli erudiens, filiorum Korah.
2 . Tanquã ceruа inhians proflueti glocitat, ſic glocitat anima mea inhiãs Deo. PARAPH.
3 Sitit anima mea Deum, Deum viuum: quando demum veniam viſurus faciem Dei?
4 Fuerunt mihi lachrymæ meæ pro cibo dies noctéſque, dum mihi diceretur quotidie, Vbinam eſt Deus tuus?
5 Hæc quum recordarer, moleſtiam animi effundebam, vt cumulo illos ouantes & collaudantes, feſtiuantem ſcilicet turbam ad domum Dei adducebam, moleſtis intra me cogitationibus fræna laxabam. rurſus animum reſumens ſic me appellabam,
6 Quid deiecta es anima mea, & infremis in me? ſpera in Deum, adhuc celebrabo eum de ope quam feret præſenti fauore ſuo.
7 Mi Deus, in meipſo anima mea deiecta eſt, propterea quòd tui recordor in terra trans Iordanem, à montibus Chermon, à monte *Miſaar. *vel, exiguo.
8 Abyſſus abyſſum aduocat, perſtrepentibus iugiter cataractis tuis: cũcti fluctus tui, & procellæ tuæ in me irruerunt.
9 Die dabas ô Iehouah benignitate tua frui: nocte cantibus incumbere, & precationi ad Deum viuum.
10 Dicam ego Deo, O rupes mea, quare obliuiſceris mei? quare pullatus ingredior, opprimente vſque hoſte?
11 Sectio eſt deſæuiens in oſſibus meis, opprobrium quo me afficiunt quum dicunt ad me quotidie, Vbi eſt Deus tuus?
12 Sed reſumpto animo ſic meipſum alloquor, Quid deiecta es anima mea, infremis in me? ſpera in Deum: nam adhuc celebrabo eum de ope qua exhilarabit faciem meam, ſéque eſſe Deum meum declarabit.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 P*Ræſuli erudiens, filiis Korah.* Pronepote Leui, principe coniurationis contra Moſcheh & Aharon, à terra abſorpto, Numeri 10, ſeruati fuerũt filii eius tres, Aſir, Elkanah, & Abiaſchaph, 1. Paralip. 6. b. 13. Ex horum poſteris fuerunt aliquot cum aliis Leuitis à Dauide ad decantandum Sacros hymnos conſtituti. Et inter eos Heman præcipuus Cantorum princeps, 1. Paral. 15. His aliquot Pſalmi inſcripti legũtur: ſed Ebræis quoque incertum eſt an ideo quòd ipſi eorum Pſalmorum autores ſunt, an quòd per eos fuerunt decantati. Quatuor nanque millia Cantorum, qui certos habebant ordines, certáſque vices, Dauid ſelegerat, 1. Paralip. 23. Mihi veriſimile eſt, Pſalmos, quibus nomen filiorum Korah prænotatum eſt, à primoribus ex eorum ordine eſſe dictatos. Nam ſi ab aliis dictati eſſent, vel alicubi autorum nomina legerentur adſcripta, ſicut Pſalmus 39 ſuprà titulum habet, pro Ieduthun Oda Dauidis, vt per ordinem Ieduthun decantatum, & per Dauid agnoſcas editum. Præterea Sacra hiſtoria, 1. Regum 4. d. 31, volens prædicare ſapientiam regis Schlomoh, qua cunctos mortales præcelluit, confert eum nominatim AEthan Ezrachitæ, Heman, Chalchal, & Darda. ſic enim habet, Sapientia præſtitit cunctis mortalibus, etiam AEthan Ezrachitæ, Heman, &c. Hinc ſatis apertè colligitur, Heman cum tribus illis, quos Sacra hiſtoria ſimul nominauit, eruditionis & ſapiẽtiæ fuiſſe quàm rariſſimæ, vt quibus ex omni hominum genere ſelectis, Schlomonem ſapientia & eruditione tanto poſt ſe interuallo cunctos mortales relinquẽtem, comparauerit. Quúmque Schlomoh, ſpiritu ſacras cõponendi Odas præditus fuerit (nam ibidem legitur cõpoſuiſſe mille & quinq;) equidem non dubitarim eodem valuiſſe & Heman, alióſque aliquot ex poſteris Korah. Proinde ad veriſimilitudinem accedere videtur, Pſalmos, qui filiis Korah inſcripti ſunt, ab ipſis

etiam eſſe conſcriptos, non iis tamen qui primi ſeruati fuere, patre viuo à terra abſorpto. quorum ſuprà nomina poſui, id quod Iudæi quidam præter rationem exiſtimant: ſed quos Dauid ſpiritu ſacras Odas dictandi pollentes, Sacris præfecerat cantionibus. De משכיל, quod reddidi *erudiens*, dixi in præfatione.

2 *Sicut ceruus glocitat ad profluentes aquarum, ſic glocitat anima mea ad te ô Deus.* In tres poſteriores verſus Pſalmi 24, in 6, 7 & 8 Pſalmi 26, & in verſû 4 Pſalmi 27, ac alibi adduxi, ex quibus ſatis declaratur quanto Dauid ſacri cœtus, in quo locus peculiaris & occaſio erat Dei bonitatem plurimis prædicandi, deſiderio ſtudióque flagrarit: de eodẽ & hîc canit. Et forſan eo tempore quo illi accidit quod hîc memorat, vnum agebatur ex præcipuis illis feſtis, quibus cuncti ex Iiſrael mares ad locum, in quo fixum erat Tabernaculum fœderis, veniebant: Exod. 23. d. 17. Quum itaque nemo magis arderet feſta Deo celebrare, non potuit ei nõ moleſtiſſimum eſſe, id ſibi per improbos minimè licere. An autem hoc fuerit quum ipſum Schaul in exilium egiſſet, vel quũ fugiſſet à filio Abeſchalomo, non auſim definire. In regione trans Iordanem detentum fuiſſe ſe queritur verſu 7: & in hâc conceſſerat quum ei exercitus Abeſcholomi immineret, 2. Schm. 17. f. 24. Quanquam in eadem fuiſſe & quum eum Schaul perſequeretur, præſertim quando parẽtes commendaret regi Moabitarum, legimus 1. Schm. 22. a. 3. Sed quum Arca fœderis neglecta fuerit regnãte Schaul, 1. Paral. 13. a. 3, videtur veriſimile hîc queſtũ de exilio, in quod actus fuit à filio. Fuerãt enim per ipſum initio regni eius omnes ceremoniæ reſtitutæ, feſtáque iam pridem cœperant dignè celebrari. Huius verò quicquid ſit, canit hîc ſe pluſquam effari poſſit, æſtuaſſe deſiderio adeundi ſacrum cœtum, feſtúmque cum Sanctis agendi. Id deſiderium quantum fuerit, ex ſimili oſtendit, ceruæ glocitantis præ ſiti, quum inhiat ad profluentem. Hinc dicit *ita glocitaſſe animam ſuam ad Deum*: hoc eſt non minus ſitiſſe Deũ, quàm ſoleat cerua infeſtata canibus. tum enim cupidiſſimè ad aquas fugiunt, propter æſtum atque anhelitum. Ariſt. lib. 6. de Natura animalium, cap. 29. Idem facere dicuntur, & quum vorauerũt ſerpentes, quod identidem ſolent. ערג, quod *glocitare* verti, Kimhi propriam dicit eſſe vocem ceruorum: געה, id eſt mugire, boum. Ita Latini propriam ceruorum vocem fecerunt glocitare: vt legitur in carmine quod inter Ouidiana opera numeratur, De variis animantium vocibus.

3 *Sitit anima mea ad Deum ad Deum viuum, quando veniam, & videbo faciem Dei?* Sine ſimili idem canit quod verſu præcedenti, nempe ſiti Dei animam ſuam æſtuaſſe: & magno cum affectu ſubiicit, *Quando demum veniam & videbo faciem Dei?* hoc eſt ſacrum Dei Tabernaculum, ſanctámque eius inibi collectam concionem, in quibus tum ſuam Deus faciem, hoc eſt præſentiam exhibebat.

4 *Fuit mihi lachryma mea panis die & nocte, quum dicitur ad me quotidie, Vbi eſt Deus tuus?* Canit ſe ita doluiſſe, vt nihil æquè libuerit quàm lacbrymari, & id dies noctéſque, vt lacbrymas iam pro cibo habuerit: non minus ſcilicet cupidè illas effundens, quàm quis veſcatur cibo, omni cibi deſiderio per nimiam animi ægritudinem profligato. Sicque dolebat cum ex deſiderio feſtum ſacrum cum populo agendi, tum ex eo quoque quòd hoſtes incredibili confidentia, nec minore impietate & blaſphemia ſibi inſultarent, & illuderent, tanquam à Deo ſuo, quem tantopere coluerat, cuiúſque cultum tanta cura reſtituerat, deſerto: & tum maximè, quum feſtum ſacrum ageretur, cui tanto ſtudio adeſſe conſueuerat. Semper ſonabat iſtud in auribus eius, quod iactare eos ſatis ſciebat, *Vbi nunc eſt Deus tuus*, cuius auxilium tam confidenter iactabas, in cuius ceremoniis tam multus eras? Hoc ferebat tanto grauius, quanto cupiebat Dei bonitatem celebrari præclarius: quod ſanè ita cupiebat vt nihil æquè. Hinc ergo, quòd & à ſacra concione feſtum Domino agente, arceretur, & animo audiret Dei bonitatem ab impiis blaſphemari, tanto diſcruciabatur dolore, vt nihil potius duceret quàm lacbrymari, & indulgere lamentis continuis. Hinc erat & quod cecinit verſu ſequenti.

5 *Illorum memor eram, & effundebam contra me animam meam, quia tranſibam in cumulo, emouebam illos vſque ad domum Dei, in voce orationis & laudis turbæ agentis feſtum.* Hoc eſt, eiiciebam ſemel omnem coram Domino animi æſtum, queſtibus & precibus totus deditus, quum mecum reputarem vt ſolebam magno cum cumulo domum Dei petere, & quamplurimos illò pariter ducere, eóſque ouantes & laudantes, nempe turbã feſtum iam Domino agentem. סך quidam vmbraculum reddunt, ſed magis quadrat hîc pro numero accipere. id enim vox hæc ſignificat. אדדם, quum verbum è verbo ſit, *emouebam eos*, ſatis liquet pro ducere vſurpatum. *Effundere animam*, eſt laxatis dolori habenis, omnes ſemel affectus, omnem animi æſtum, & quaſi ipſum cor querendo effundere. Sic animã ſuã effundebat Hannah mater Schmuelis, quando oppreſſa ægritudine ob ſterilitatẽ, & æmulæ inſultationẽ cum lachrymis ſuam miſeriã Domino quereretur, eáque leuari oraret, 1. Schm. 1. c. 15. Infrà Pſalmi 62, verſu 9, effundere cor, eadem ſignificãtia dicitur. Quod habet עלי, cõtra vel apud me ſignificat, quod apud & intra ſe laxarit triſtibus cogitationibus ſuis habenas. Ordinẽ quẽ huic quarto verſui dedi, res ipſa quã canit, probat: vtiq; ex recordatione feſtorũ, quæ antea

Sacris conuentibus ſancti cupidiſſime adſunt.

ingenti cum gaudio, cum innumeris Sanctorum turbis quàm fœliciſſimè egerat, augebatur ei dolor, quum idem inpræſentiarum non liceret.

6 *Quid deiiceris anima mea, & fremis contra me? expecta Deum, quoniam adhuc celebrabo eum ob auxilia faciei eius.* Canit vt ſeſe ſit conſolatus, & rurſus in queſtus animum laxarit, ita vt fit dum animus à cupitis abſtinetur, & aduerſis premitur. Quid, inquit, deiecta es anima mea? Hac metaphora ſummam mœſtitiá ſignificauit, qua ita deprimi anima videtur, vt corpus impoſito onere grauiore quàm queat ferre. *Infremis in me*: id efficiunt contenti diu dolore ſpiritus, de quo verſu 2 Pſalmi 32, & in verſu 4 Pſalmi 39. Illud, *Celebrabo adhuc eum* ישועות פניו, *ſalutes* vel auxilia *faciei eius*: id eſt ob opem latam ab ipſo præſente vultu ſuo, beneuolo aſpectu fauoris teſte. Tum enim quum auxiliatur, dicitur in Scripturis faciem ſuá beneuolus exhibere, & eſſe præſens. Verſu vltimo, vbi eadem repetiit, dixit, Celebrabo adhuc eum: ישועות פני, id eſt ſalutes, vel auxilia faciei meæ: hoc eſt ob ſalutem quam ipſe mihi feret: vt adhuc in hoc ſeculo faciem exporrigam, & coram omnibus mortalibus factam ab ipſo ſalutem prædicem. Et hæc erat conſolatio contra id quo hoſtes eum tantopere vrebant, dicentes, Vbi nunc eſt Deus tuus?

7 *O Deus anima mea ſuper me deiecta eſt, propterea quòd memor tui eram à terra Iordanis, & Chermonim, à monte Miſaar.* Iterum canit vt eum excruciarit recordatio Dei, id eſt loci & cœtus ſacri. Deum enim ipſum vbique præſentem habebat. Arcam fœderis, Dei nomine vocatam, dixi in verſu 7 Pſalmi 24. Præterea autem & loci hîc meminit, in quo detentus, à ſacra panegyri arcebatur. Cæterùm habet etiam hic verſus ad interrogationem prioris, *Quid deiecta es anima mea?* reſponſionem. ait enim, Propterea anima mea in me deiecta eſt, quòd memor ſum tui, quòd mecum reputo vt magnificè te in Tabernaculo fœderis, in concione ſancta præſentem exhibes: quum interim cogor ego hîc in terra Iordanis, hoc eſt trans Iordanem, inter accolas montis Chermon, à ſacra panegyri excluſus exulare. Chermon mons trans Iordanem eſt, imò montana, quæ ceſſerūt in poſſeſſionem Rubenitis & Gaditis, atque dimidiæ tribui Manaſſe. Og rex Baſchan antè in illis regnauerat. Chermonim habetur: fuerunt enim montana, non vnicus mons. ideò reddidi, A montibus. Quis autem ſit mons Miſaar, ne Ebræi quidem dicere poſſunt: etſi Abraham Ezra & Kimhi eſſe nomen montis affirment. Vnde alii tanquam nomen appellatiuum accipiunt: & reddunt, à monte minimo, vel exiguo. Quorum ſententiam puto non omnino *Montis nomine quid.*
abſurdam. Conſtat vrbes, regiones, & regna, montes in Scripturis vocari. ita mons Samariæ, pro ipſa Samaria ponitur: mons Amorrhæi, pro regione Amorrhæorum. Sed & Babylon mōs opulentus dicitur, Ieſcha. 13. a. 2, quum in plano ſitam fuiſſe conſtet. Iam fieri poteſt vt locus in quo detinebatur quum feſtum Ieroſolymis ageretur, in monte ſitus fuerit, quem ideò vocarit montem minimum propter humilitatem & obſcuritatem, præſertim cogitanti maieſtatem eximiam Ieroſolymorum, ſiue Mahanaim, vbi agebat pulſus à filio: ſiue etiam totum montem, id eſt regionem Gilead intellexit. Gilead ſiquidem & proprium montis nomen fuit, vt legimus Geneſ. 31. f. 48, & alibi. Studio religionis ſic ardebat vir Dei, vt præ monte Siion, monte cœtus ſacri, & Tabernaculi fœderis, ſorderent ei omnia.

8 *Abyſſus abyſſum inuocat, ad vocem canalium tuorum omnes fluctus tui & procellæ tuæ contra me tranſierunt.*

Verſibus octauo & nono componit præſentem calamitatem, quæ continuò cumulabatur priori fœlicitati, qua & aliàs, præcipuè autem in ſacris feſtiuitatibus fruitus erat. Summā namque fœlicitatem ducebat, amplam videre & religione flagrantem concionem Dei. Iam per ſe multo maxima ſanè, & qualem non erat expertus antè, calamitas erat, ſic regno tū mirificè auguſto, & pacato, miſerrimè deiici: vrbe regia, in quam Tabernaculum fœderis pluſquam regia pompa tranſtulerat, vbi omnia cum religionis; tum regni ſplendidiſſimè inſtituerat, fœdiſſimè depelli: adhæc, nuſquam eſſe tutum fugiendi locum, per exiguam manum quæ fugientē ſequeretur, vxores chariſſimas interim in conſpectu totius Iſraelis ſtuprari, in certum ſignū, ipſum à Domino eſſe reiectum penitus, idq; ſic credi, iactarique ab vniuerſo populo. Hæc præterea pati non ab alienis, ſed à peculiariter dilecto filio, eóque totius regni viribus, pro cuius pace & ſalute tanta pericula adierat: item conſiliis eorum, qui in regno primæ autoritatis erant, munito: conuitia denique impudentiſſima audire à quouis ſceleratiſſimo. Et poſt omnia, extincto hoc tanto hoſte, populóque iam cupiente regem ſuum recipere, alium filium belial, nouæ ſeditionis autorem excitari. Hæc ceu apertis cæli cataractis, velut quædam malorum maria immanibus fluctibus & procellis ſuper eū inundarant, iactabant, vexabant, proximéque ad morté adducebāt. Id verò eſt quod cecinit, *Abyſſus abyſſum aduocat*: hoc eſt calamitas calamitatem inuitat, adducítq;. Aquarū inundationi paſſim in Scripturis infortunia aſſimilantur. Hinc Pſalmo 18. à. 5, memorat, ſe torrētibus belial fuiſſe exanimatum, & poſtea ereptum ex aquis validis: & Pſalmo 40. à. 2, eductum ex puteo aquis perſtrepente. Item Pſalmi 69. a. 1. Quod verò canit, *Ad vocem canalium tuo-*

rum,inducit Deum,velut è canalibus & cataractis,immenſam ſuper ſe demiſiſſe vim aquarum, vnde inundarint meræ abyſſi,aquæ ſcilicet imperuiæ,immenſæ,& quæ ſic æſtuarint,fluctibúſque & procellis tempeſtuoſæ ſint,vt nec naui euadere illas liceret. Sic deſcripſit mala quæ illi cótinuò accumulabantur. Fœlicitatem autem priſtinam,dum collecto ad ſe vniuerſo populo,eóque ſibi ex animo addicto,feſta Deo celebraret,canit verſu 9.

9 *Die mandabat Iehouah bonitatem ſuam,& in nocte canticum ſuum mecum,oratio ad Deum vitæ meæ.* *Die mandabat*, inquit, *Deus benignitatem*, hoc eſt curabat illam populo ſuo obuenire ampliſſimè. Sic dicit Pſalmo 133, Nam illic mandauit Iehouah beneficentiam:id eſt mandauit & curauit vt illic vbi vigeret vera fraternitas, omnes ſua beneficentia fruerentur. Tantam verò memorat fuiſſe Dei in ſe & populum benignitatem, vt de nocte quoque prouocatus fuerit, carmen ipſi canere. hoc eſt quod dixit, *Et nocte canticum meum mecum*. Idem verò tempus & preci maximè appoſitum eſt,vnde ſubiicit, *Precatio ad Deum uitæ*. Ex omnibus autem ſatis liquet, Pſaltem ſacræ ſolennitatis hîc mentionem facere,& eius fœlicitatem aduerſis, quæ infinita ſibi inuicem ſuccedebant,& ſe tantum non enecabant,collatam,cauſam dicere cur anima ſua deiecta tantopere eſſet.

10 *Dixi Deo,Petra mea,quare oblitus es mei? quare ater ingredior dum coartat hoſtis?*

11 *Cum ſectione in oſſibus meis,opprobrio affecerunt me coartatores mei,dicendo ad me quotidie, Vbi eſt Deus tuus?*

12 *Quid deiecta es anima mea? quid infremis intra me? expecta Deum: nam adhuc celebrabo Deum ob auxilia faciei meæ,& Deus meus.* Verſu 10 memorat vt cogitarit prece pulſare Deú,petram ſuam,quo ſolo ſcilicet ſemper fuerit nixus. *Quare*, dicebat, *oblitus es mei?* id enim videbatur tantopere adflicto. *Quare ater* (pullatus, vel funeſtus) *ingredior*? id eſt quare ſemper eſt vnde lugendum mihi? quare perpetuò hoſtis obterit,vt cogar continuò indulgere lamentis? Ex habitu enim luctus, luctum & dolorem per ſynecdochem ſignificat, vt & Pſalmi 35 verſu 14, & Pſalmi 38 verſu 7. Verſu 11,iterum repetit illud, quod impii ei opprobrium obiecerunt, dum infortunio adhuc premeretur,*vbi Deus tuus?* dicitque id ſibi fuiſſe meram lanienam, & carnificinam deſæuientem in oſſibus. [illegible] epitheton gladii eſt cædentis, & conficientis. Iam nihil æquè dolet, atque ſecari oſſa. quo itaque oſtéderet, omnem cruciatum exceſſiſſe dolorem quem ei inferebat illa hoſtium inſultatio, Vbi eſt Deus tuus? dicit ſibi eam fuiſſe ceu ſectionem in oſſibus. Eóque illud *cum ſectione*, idem eſt atque, *ſicut ſecti in oſſibus* fuit,quo me opprobrio affecerunt. Verſu vltimo,iterum recipit ſe, & animam ſuam conſolatur, ita vt vſu venit Sanctis, dum adflictione grauius exercentur. Hunc verſum explicui ſuprà cum quarto. Ex hoc Pſalmo iterum diſcendum, quantum nos debeat tenere ſacrorum cœtuum deſiderium, in quibus Deum in commune prædicemus, collaudemus, & in pietate erudiamur. Si vita æterna ritè agnouiſſe Deum, certe rectè inſtituto homini nihil prius erit in hac vita, quàm in illa continuò proficere, eámque longe latéque propagare. Obſeruandum item,nihil æquè dolere Sanctis,quàm contemni Dei cultum,& tanquam rem infrugiferam videri: id quod fit dum Sancti aliquantulum improbis permittuntur, ſtatim dicunt impii, Vbi eſt Deus tuus? Id tum eos ita vrit, ita diſcruciat, vt nulli omnino queat tormento conferri. Primum enim votum eorum eſt, vt nomen Dei ſanctificetur, à quo vno ſalutem vniuerſi petant.

PSALMVS XLIII, ἀκεφαλὸς, ἢ ἀνεπίγραφος.

ARGVM. *Precatur à coniuratis Abeſchalom liberari,quo laudes Dei in ſacra panegyri dignè deprædicet.*

PARAPH. 1 VIndica me Deus, defende cauſam meam à gente bonitatis expertæ,à viro fraudulento & prauo eripe me.

2 Nam tu Deus meus es, & robur meum, quare depuliſti me? quare pullatus ingredior inimico obterente?

3 Fac effulgere lucem tuam,& fidem tuam: hæc deducant me ad montem ſanctum tuum,& ad habitacula tua adducant:

4 Vt adire liceat aram Dei, Deum lætitiæ & gaudii mei autorem, & celebrare te cum cithara,Deus mi,Deus.

5 Quid deiecta es anima mea,& quare infremis in me? ſpera in Deum:nam adhuc celebrabo eum de ope quam præſentem & luculentam exhibebit, Deúmque ſe meum declarabit.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *IVdica me Deus,& diſcepta cauſam meam à gente non bona, à uiro fraudis & prauitatis eripe me.*

2 *Nam tu Deus roboris mei, quare depellis me? quare ater ingredior dum coartat hoſtis?* Hunc Pſalmum

eiuſdem argumenti eſſe cum ſuperiore, etiam Ebræi agnoſcunt: ſed ad ſuũ in quo modò ſunt, exilium torquent vtrunque. Equidem de periculo Dauidis in quo erat, vbi totus Iſrael contra ipſum cum Abeſchalomo coniuraſſet, compoſitos arbitror. Coniecturã dixi in verſum 2 Pſalmi ſuperioris. Quum ergo Pſalmo priore tantam animi ſui ægritudinem, & quibus queſtibus, à ſacris ceremonijs excluſus, & audiens quotidie ſtudium religionis, cui deditus fuerat, fruſtraneum cenſeri, negligẽte ipſum Deo, animã ſuam coram Domino effuderit, memoraſſet: in hoc iam canit quid ſit à Domino precatus. Inuocauerat autẽ eum vt ſe iudicaret, hoc eſt ſecundum ſe, eóq; vindicaret, & ſuã cauſam defenderet. Id inde & orauerat, & exoraturũ ſperauerat, quòd aduerſarii gens eſſent non bona, hoc eſt inhumana, ſæua, bonitatis expers. Talis vtiq; tum erat Iſrael, paſſus adduci ſe ad coniurandũ contra regem tam innocẽtem, tam pium, & de ipſis tam bene meritum. Vir fraudis & prauitatis, à quo ſe petit eripi, vel Achitophel, vel ipſe Abeſchalom fuit, aut certè coniurati omnes: vt ſit ſingulare poſitum pro plurali. Verſus 2 hunc ſenſum habet, Quandoquidem fuiſti hactenus Deus vindex meus, robur meum, per quem omnia mala deuici, quare me modò depuliſti? quare luctuoſum, ſordidum, & funeſtum reddidiſti? De his ſordibus & pullata veſte, quibus animi ægritudinem Iudæi teſtabantur, dixi in verſu 13 Pſalmi 35. Idem verò habet & verſus 10 Pſalmi ſuperioris. Diſcimus hinc, nihil beatius ſecura conſcientia quæ Dei iudicium appellare audeat: deinde Dominum malis honos ſubinde permittere, at non concedere totos.

Credentis animus ad Dei iudicium contra iniquos prouocat.

3 *Mitte lucem tuam & ueritatem tuam, ipſæ deducant me, & adducant ad montem ſanctitatis tuæ, & ad tabernacula tua.* Superiore Abeſchalomo cum ſuis coniuratis, tenebræ erant. Lucem igitur Dei mitti, hoc eſt effulgere petit, nempe opem, qua eo periculo eximeretur. Eandem, Dei veritatem vocat: quia ex eo quòd Deus ſtat promiſſis ſuis, & ſpei ſuorum ampliſſimè reſpondet, erat hanc opem iſti ſeruo ſuo laturus. De hac veritate & fide Dei, vide in verſu 6 Pſalmi 25. His orat deduci ſe, hoc eſt negotiũ ſuum expediri, nihil ſuis viribus vel meritis arrogans. *Ad montem*, inquit, *ſanctum Dei, ad habitacula Dei*, hoc eſt ſanctam panegyrim in mõte Siion, vbi Tabernaculum fœderis erat, vbi & ara Dei, quam adire cupiebat cum hoſtiis, Deum lætitiæ gaudii ſui, hoc eſt gaudii ſui vnde lætaretur & geſtiret, autorem celebraturus, qui lata ope faciem ſuam exhilaraſſet, ſeque Deum ſuum declaraſſet. De his & verſu 4 Pſalmi ſuperioris.

4 *Et adibo aram Dei, Deum gaudii lætitiæ meæ, & celebrabo te in cithara ô Deus, Deus mi.* De ſtudio ſacri loci & ceremoniarum, veræ & internæ pietati ſemper coniuncto, imò ex eo nato, dixi in verſus tres poſtremos Pſalmi 24. Item in 3 Pſalmi 20, & verſu 5 Pſalmi 3. De vſu citharæ & organorũ, verſu 2 Pſalmi 33. Primum votum erat viro Dei, bonitatem, noménque Dei, quàm poſſet maximo cum fructu prædicare. Quũ igitur ad id eo tẽpore, & locus à Domino delectus, & reliquæ ceremoniæ conducerent, propter ſpiritus, quo populus donatus erat, infantilitatem, tanto feruebat erga externa iſta ſtudio, cupiens ita interna commodius promouere: vtque totus animus in laudem Dei ardebat, ita quicquid ad illam potuit animos populi quouis modo inflammare, id cupidiſſimè adhibuit, ſiue organica muſica, ſiue decenter modulatas voces, ſiue denique magnificum ceremoniarum apparatum, aut quicquid huius adhibere licuit.

5 *Quid deiecta es ô anima mea, & quid infremis intra me? expecta Deum, nam adhuc celebrabo eum ob ſalutes faciei meæ & Deus meus.* Hæc verſus huius conſolatio, ad verbũ habetur & ſuprà verſu 6 Pſalmi ſuperioris, ibique enarrata eſt in hunc ſenſum, Celebrabo eum propterea quòd adfert ſalutem faciei meæ, hoc eſt verè præſentem & ſolidam, quam ſentiam, ac inde facie mea lætitiam præ me feram. vt ſit illi oppoſitum, Vbi eſt Deus tuus? Videbatur enim hoſtibus Deus nuſquam apparere, & longe à conſpectu & facie Dauidis abeſſe. dicit ergo, Celebrabo eum adhuc ob ſalutem faciei meæ: id eſt, quam coram ſentiam, quæ ſit in facie mea, quam certò experiar, indéque verũ ipſum Deum meum eſſe ſentiam. Porrò quia in Geneſi cap. 11. d. 28, legimus, Et mortuus eſt Haram על פני, id eſt ſuper facie Therach patris ſui, quod idem eſt atque, viuente Therach patre ſuo: putant quidam hîc legi poſſe, Celebrabo adhuc eum qui fert mihi ſalutem adhuc viuo, & præſtat ſe Deum meum. Chaldæus habet, Propter redemptionem quæ eſt à præſentia eius. Hoc verò tam flagrans ſanctificandi nominis Dei ſtudium, nos qui id ſanctificari quotidie oramus, ſedulò imitemur.

PSALMVS XLIIII, [illegible]

Queritur Iſraelem dira nunc propter nomen Dei, ueràmque religionem pati: nec tamen Deum, ut olim, illis adeſſe ſuis miraculis. Et precatur ut ille uirtutem ſuam tandem exerat, ſuóſque ab iniuriis impiorum adſerat. ARGVM.

1 PRæſuli filiorum Korah, erudiens. PARAPH.

2 Deus auribus noſtris audiuimus, maiores noſtri narrarunt nobis quod faci-

nus deſignaris tempore ipſorum,tempore priſco.

3 Manu tua Gentes ſedibus ſuis eiecisti,& plantaſti illos: adflixiſti Populos, & illos feciſti germinare.

4 Nec enim gladio ſuo terram occuparunt: ſalus eorum haudquaquam parta eſt brachio ipſorũ,ſed dextera tua,brachio tuo,fauore tuo,quia illos amabas.

5 Tu ipſe rex meus es,ô Deus,curans vt ſaluus ſit Iaacob.

6 Per te infeſtos nobis excutiebamus:tuo freti nomine cõculcabamus eos qui in nos inſurgebant.

7 Nec enim arcu meo nitebar,& gladius meus me minimè ſeruauit:

8 Sed tu ab infeſtis nobis nos ſeruaſti, & pudefeciſti qui nos odio proſequebantur.

9 De Deo gloriabamur quotidie, & nomen tuum ſempiterna laude celebrabamus. Selah.

10 At nunc propuliſti nos,& ignominia affeciſti, nec inter copias noſtras vnà egrederis.

11 Feciſti dare terga infeſtis:qui odio nos proſequuntur,abſtulerunt ſibi prædã.

12 Poſuiſti nos vti gregem cibo ſelectum,inter Gentes diſperſiſti nos.

13 Vendidiſti populum tuum nullis opibus: quúmque diſtraheres eos, pretium nihil auxiſti.

14 Comparaſti nos vt probris nos afficiant vicini, irrideant & ignominia afficiant qui circum nos ſunt.

15 Comparaſti nos vt iactetur de nobis in Gentibus:ſumus parabola populis,vt quiſque conſpectis nobis commoueat caput.

16 Quotidie ignominia mea mihi ob oculos eſt,& pudor obtegit faciem meã,

17 Propter probra iacientes & cõuitiantes, propter hoſtes & vlciſcendi auidos.

18 Totum hoc accidit nobis,attamen nequaquam tui obliuiſcimur, nec perfidè nos in fœdere tuo habemus:

19 Non deflectit retrò cor noſtrum,nec declinant à ſemitis tuis greſſus noſtri.

20 Damnaſti nos in locum draconum,& vmbra mortis obtexiſti.

21 Si obliuiſcamur nominis Dei noſtri, & expandamus manus noſtras ad deum alienum:

22 Nunquid exploratum Deus habeat hoc? quandoquidem ipſe nouit recondita cordis.

23 Propter te occidimur quotidie, reputati ſumus inſtar gregis mactationi deſtinati.

24 Euigila,quare obdormis Domine:excita te,quare depellis perpetuò?

25 Quare faciem tuam occulis, nullam habes adflictionis & oppreſſionis noſtræ rationem?

26 Depreſſa eſt anima noſtra humi,terræ adfixus eſt venter noſter.

27 Conſurge,adiuua nos,& redime nos propter bonitatem tuam.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 D*Eus auribus noſtris audiuimus,patres noſtri narrauerunt nobis, opus*[*quod*]*operatus es in diebus illorum, in diebus prioribus.* Et hunc Pſalmum Iudæi de ſuo præſenti exilio interpretãtur: ſed quibus minus competunt, quàm ipſis,quæ canuntur à verſu 18,vſque ad 24? Plus nimio ſanè deflexit cor eorum,dum ſuis ceremoniolis potius,quàm Dei bonitate fidunt:declinarunt item à ſemita eius quum vitam ex ſyncera dilectione inſtitutam penitus ignorant,eóque quicquid patiuntur,non propter Deum,ſed impiam ſuam patiuntur pertinaciam. Tempore Machabæorum talia paſſi aliquandiu ſunt: at poſt exaltatum Seruatorem, quæ hic ſacri cantores cecinerunt,omnia cu-

mulatiſſimè verior Iiſrael expertus eſt. Vnde diuus Paulus verſum 23 de perſequutione qua tum Eccleſia Chriſti exercebatur, adduxit. Quibus ergo cogitationibus veri Iiſraelitæ moueri nonnunquam ſoleant, libidini impiorum expoſiti, & modis omnibus diuexati, reputantes ſecum, vt magnificè olim Deus ſuos vindicauit, hîc memorant. Dum enim procul adeò abeſſe opem Domini ſentiunt, in mentem eis venit, quàm præclarè illa adfuerit veteribus. Qui affectus & in Pſalmi 22 verſibus 4 & 5 expreſſus eſt. Circa verſum primum præterea notandum, patrum eſſe Rom.4.g.10 narrare filiis opera Dei: quod in Lege quoque præceptum fuit.

3 *Tu manu tua Gentes eieciſti, & illos plantaſti: adflixiſti populos, & illos germinare feciſti.*

4 *Nam non in gladio ſuo hæreditarunt terram, & brachium ſuum non attulit opem illis: nam dextera tua, & brachiũ tuum, & lumen vultus tui: quoniam voluiſti eos.* Hoc opus & facinus eſt quod de Deo patres filiis ſuis narrarunt, Deum ſcilicet ſua ſola virtute & bonitate primùm gentes Chenaanitarũ ſolo ſuo pepuliſſe, & illud inhabitandum dediſſe Iiſraeli, eúmque inibi omnibus opibus & potentia feciſſe florentẽ. Prius, plãtare: poſterius, germinare vel extẽdere germina poſuit. Sic Pſalmo 80.b.12, Vates pleniore tranſlatione quum Iiſraelem vineam vocaſſet, cecinit tranſlatum ex AEgypto, in terra Chenaan plantatũ. Et & ſtatim eodẽ verbo שלח vſus, ait, Extendiſti propagines eius vſque ad mare. Ad verbum quidem hoc diceres, Proieciſti propagines eius. ſed proiicere dixit, pro feciſti germinare, & propagines eius expandere. Sic ergo & hîc verbum hoc reddidi: nec obſcurũ eſt animaduertenti, id ſacros Cantores dicere voluiſſe, quum verbo נטע, quod plantare ſignificat, hoc verbi ſubiecerunt. Alii quidem etiam Ebræi, de Gentibus eiectis ſedibus ſuis intelligunt: ſed perit ſic gratia geminatæ antitheſeos. Vt enim præmiſit Chenaanitas pulſos, & plantatos Iiſraelitas, ita ſubiecit malis illos affectos, & his datum vt germinarent, hoc eſt fœliciter rebus omnibus augerentur. Verſu 4, hoc vnius Dei virtuti & fauori, hoc eſt lumini faciei & beneuolentiæ eius acceptum plenius exprimit, dum negat virtuti populi aliquid horum tribuendum.

5 *Tu ipſe rex meus ô Deus, mandans ſalutes Iaacob.*

6 *Per te cornu percuſſimus infeſtatores noſtros, in nomine tuo conculcabamus inſurgentes contra nos.* Inducunt hiſce verſibus filii Korah populum confitentẽ Domino, ipſum, poſtquam in terram Chenaan ſe tranſtulit, atque in ea mirificè auxit, ſibi ſæpiſſimè mira benignitate adfuiſſe, & ab hoſtibus ſe potenter vindicaſſe, ac ita peramplam ſe laudandi ipſi materiam dediſſe. Faciunt ergo illos dicere, *Tu ipſe rex meus es, Deus mandans*, hoc eſt curans, ac præſtans ſalutem Iaacob, nempe ibi dedito populo. Hinc gloriantur verſu 6, hoſtes à ſe velut cornibus exagitatos atque cõtuſos. נגח enim cornu petere & contundere ſignificat, vt Exodi 21.f.28, & alibi videre eſt. tum pedibus conculcatos, hoc eſt, penitus deuictos & proſtratos. Metaphora ſumpta à feris bubus, qui cornu pugnant, & deuictos proſtratóſque, pedibus conculcant & comminuunt. Hæc autem agnoſcunt ſeper Deum, per nomen Dei (quod idem eſt, valétque id quod dicimus per virtutem Dei) perfeciſſe

7 *Nam in arcu meo non nitebar, & meus gladius me non ſeruauit:*

8 *Quia ab infeſtatoribus noſtris tu nos ſeruaſti, & odientes nos confudiſti.* His verſibus Sancti quod cecinerunt prioribus, magis exprimunt, in populi perſona negãtes ſe fiſos ſuo arcu, nec adiutos eſſe ſuo gladio: ſed Deum victoriam de hoſtibus retuliſſe, itáque ſuis gloriam, vt hoſtibus ignominiam adduxiſſe. vnde ſubiiciunt,

9 *In Deo laudabamus omni die, & celebrabamus in ſeculum nomen tuum. Selah.* Hoc eſt, ſic per Deum præclarè adiuti, & hoſtibus noſtris ſuperiores facti, de Deo hoc noſtro, tam præſente ſeruatore, laudauimus, ſubaudi, nos ipſos: hoc eſt, gloriati ſumus, celebrantes nomen Dei in multa ſecula, quibus nobis partam victoriam & pacem ſeruauit, diuturnámque fecit. Laus qua ſeipſos laudabant in Deo, hoc eſt de Deo, nihil aliud erat quàm confeſſio & prædicatio Dei, quòd is nimirum ſolus verus Deus, & ſperantium in ſe ſeruator eſt. Quo enim auguſtius laudes Dei extollebant, hoc maior & ipſorum dignitas apparebat, qui hunc Deum colerent, eíque peculii vice eſſent. Quóque ſe ipſos magis de bonitate & ope Dei efferebant, hoc ipſo & Deum de bonitate & lata ope plenius celebrabant. Etiam erat populi ſumma fœlicitas. Inde tanta Dei in populum ſuum dignatione memorata, quum longè diuerſam eius diſpoſitionem circa illum ſtatim eſſent ſubiecturi, non abs re Selah adiecerunt, volentes ſcilicet monere tam ingentem ſortis diuerſitatem ſummè memorandam eſſe.

10 *Veruntamen repuliſti & proieciſti nos, & non egrederis in exercitibus noſtris.*

11 *Conuertiſti nos ut tergum ab hoſte eſſet: & odientes nos, deſpoliati nos ſunt.* His verſibus iam queruntur Sancti, omnia ſecum in diuerſum immutata. Antea ita egrediebatur inter ſigna populi ſui Deus, vt hoſtes ſuos velut cornibus ventilarent, planéque conculcarent, eóque ſpoliis eorum potirentur: ſempérque ob victoriam Domino laudes decantarent. Nunc deplorãt, ſe à Domino repulſos, non egredi vnà ad prælium: quod canũt verſu decimo: atque ideò ſe ſemper hoſtibus terga dare, prædæque eſſe.

12 *Dediſti nos ut gregem comeſtionis, & inter Gentes diſperſiſti nos.*

13 *Vendidiſti populum tuum pro non opibus, & non auxiſti in permutationibus eius.* Queruntur ſe ita in manus hoſtium traditos, & cædi deuotos, vt ſolet eſſe grex ouium, quem quis ab iis, quas ſtatuit alere ad progeniem & lanificium, ſeligit, ordinéque ſingulas mactat. Tum qui cædem ex eis euaſerũt, eos diſperſos, venditóſque inter Ethnicos, miſerrimè planè ſeruire, vt qui viliſſimi habeantur, venditi ſcilicet pro nihilo. His ſignificat ingentem fuiſſe copiam & vilitatem captiuorum. Hæc verò agnoſcunt Deum ſic effeciſſe: inde dicunt, *Tu vendidiſti populum tuum:* ſpem reliquam eo ſignificant, quòd addunt, tuum.

14 *Poſuiſti nos opprobrium uicinis noſtris, deriſionem & ignominiam iis qui ſunt circum nos.*

15 *Poſuiſti nos prouerbium in Gentibus, commotionem capitis in populis.* Memorant ſe haberi præterea omnibus ridiculo & ludibrio. Incomparabilis fuit, & eſt hodie, eorum qui veri Iiſraelitæ ſunt, & inter impios agunt, ignominia, deriſio & ſubſannatio: ideò tot verbis eam S. Pſaltes deſcripſerunt. Illud, *Poſuiſti nos opprobrium*, quidam ita accipiũt, Feciſti nos tam abominandos, vt non haberent hoſtes probrum grauius quàm noſtram ſortem. Sic ſanè ſub Antiocho Iudæorum, & poſtea ſub Romanis diu Chriſtianorum nomen habitũ eſt: nec habetur aliter & hodie apud Chriſti hoſtes minimè paucos, quique longè alia profeſſi ſunt. Ebræi ſimpliciter accipiunt, populum Dei eo tempore fuiſſe in Gentibus, vt ab omnibus quibuſcum viuerent, continuò afficerentur probris & ignominia, irriderentur, & ſubſannarentur plus quàm quiſquam mortalium. id canit verſu 14. Iactatum de eis extremæ calamitatis prouerbiũ, vel certè parabolam, vt eorum ſortẽ pro ſummè miſera & calamitoſa homines vſurparint, canit verſu 15. Idem & motionis capitis meminit, cuius videtur in hoc meminiſſe, vt oſtenderet omnes tanta populi Dei calamitate fuiſſe ſingulariter delectatos. Annuimus enim, & animi aſſenſum capitis nutatione teſtamur. Hac ſanè cauſa Iudæi capita mouebant crucifixo Seruatore, de quo & verſu octauo Pſalmi 22.

16 *Omni die eſt ignominia mea coram me, & opprobrium faciei meæ obtexit me.*

17 *A uoce opprobrantis & conuitiantis, à facie inimici & ultoris.* Queritur perpetuã & multo maximam hanc ignominiam fuiſſe, iugiter ſcilicet perſtrepentibus conuitiis, quæ inimici & vltores (ſic enim hoſtes Scriptura vocat, vt & Pſalmo 8. a. 3, videre licet) iactabant. Hæc operuerũt ignominia faciem populi: nam hinc fiebat vt præ nimio pudore attollere faciem non auderent: ſed tegere potius eam ſi licuiſſet, libuiſſet, qui ſcilicet eſt ſummè pudefactorum affectus. Iugem fuiſſe hanc populi Dei ignominiam, canunt verſus 16 & 17.

18 *Omne hoc ſuperuenit nobis, & non ſumus obliti tui, & non egimus falſò in fœdere tuo.*

19 *Non deflexit retro cor noſtrum, & non declinauit greſſus noſter à ſemita tua.* Syncerum his verſibus, idémque perſeuerans Dei ſtudium, quanlibet intolerabili calamitate & miſeria preſſi, profitentur. Initium & fons totius pietatis eſt, viuus Dei timor, quo ille ſemper ob oculos habetur, ideò canunt, ſe Dei minime oblitos. Id verò liptote eſt: intelligunt enim ſe religioſè ſemper Deum coluiſſe. Non perfidè in fœdere eius ſeſe habere, eſt non aliter atque decet eos qui Deo nomen dederunt, nempe ex præſcripto illius viuere. Vnde verſu 19 canunt, cor ſuũ nõ deflexiſſe: hoc eſt amorem nequaquam in alia transtuliſſe, eóque & greſſus à ſemitis eius non declinaſſe, omnibus cum dictis, tum factis ſic inſtitutis, vt proximis vſui, & Deo eſſent gloriæ. Illud ותט אשרינו מני ארחך A. Ezra & Kimhi ſic vt reddidimus, legunt, Et non declinauit greſſus noſter à ſemita tua. Volunt enim לא, id eſt Non, duobus locis ſeruire, id quod crebrò fit. Fauet huic interpretationi, quòd populus & in ſequentibus de ſua innocentia memorat, tum vſus geminationis Pſalti tam familiaris: nam propemodum ſingulis verſibus eadem ſolet ſententia, geminatis verbis, repeti. Porrò Chaldæus & Græcus legunt, Et declinaſti greſſus noſtros à ſemita tua. Huic lectioni patrocinatur, quòd verbum תט ſingulare æquè ſecundæ perſonæ in maſculino, vt tertiæ in fœminino, & אשר pluralis numeri eſt. Fieri igitur poteſt, vt de eo Sancti hic querantur, de quo & apud Ieſchaiam queſtos legimus, Quare feciſti errare nos à viis tuis, induraſti cor noſtrum ne timeat te? Dei ſiquidem ſolius eſt pedes noſtros in viam rectam, quæ via ipſius dicitur, ponere, in eáque gradi nos docere, atque gradientes deducere. Quod paſſim ſanè nõ in Pſalmis dũtaxat Sãcti precantur. Diuus Hieronymus ſecutus eſt Ebræos: legit enim, Nec declinauerunt greſſus noſtri à ſemita tua, תט quod ſingulare eſt, pluraliter vſurpato. Nos greſſum ſingulariter poſuimus, vt hoc nomen ſingulari verbo reſponderet. Nam eſt hic enallage numeri.

Ieſa. 63. d. 17

20 *Nam percuſſiſti nos in loco draconum, & texiſti nos umbra mortis*

21 *Si obliti ſumus nominis Dei noſtri, & expandimus palmas noſtras ad Deum alienum:*

22 *Nunquid Deus ſcrutabitur hoc? nam ipſe nouit abſcondita cordis.* Hiſce verſibus canunt, vt Deum latere nõ poſſe, ſiquis etiam quum in infimum vſque miſeriarum detruſus eſt, animum ab ipſo alienet: ita nec impunè id admiſſurum, eóque ſe in pietate ſemper quanlibet extremis malis miſeros fortiſſimè perſtare. Illud, *Percuſſiſti nos in loco draconum*, idem eſt atque Damnaſti nos in locum dra-

conum. Intelligit autem per locum draconum, autore Kimhi, ſeruitutem inter crudeles gentes, quæ feritate draconibus ſimiles ſunt. Eādem vocat vmbram mortis: morte enim durius & horrendum magis eſt, expoſitum eſſe per omnia libidini impiorum, audire continuò blaſphemari nomen Dei, damnari omnem pietatem, nihil non iniuriarum genus irrogari eius ſtudioſis. Ideò canunt *vmbra mortis*, hoc eſt ipſis mortis tenebris *obtexiſti nos*. A. Ezra intelligit per locum ים mare: nam & ceti hoc nomine vocantur. & putat eo ſignificari ſortem ſummè miſeram, quæ & aliàs per profundum maris ſignificatur. Alii loca deſerta: ſed eadem erit trāſlatio. Tantis malis nō pauci à Deo vero depellūtur, putántque dum in ſuos tanta hoſtibus ſuis permittit, non eſſe Deū, & opē alienorum implorant. Id dicunt iam Sancti, ſi admiſiſſent, nequaquā laturos fuiſſe impune: *Deum enim ſcrutari omnia, & noſſe ſecreta cordis*. Noluerunt igitur à Deo vero, quanlibet ſæuiēte, diuelli, qui ſecreta nouit cordis, & è cuius manu nemo poteſt elabi.

23 *Quoniam propter te mactamur omni die, exiſtimati ſumus ſicut oues mactationis.* Queruntur ſe propter Dei nomen & religionem quotidie occîdi, haberíque planè vt gregem mactationi deſtinatum. De quo ſuprà verſu duodecimo.

24 *Euigila, quare dormis ô Domine? expergiſcere, ne propellas in ſempiternum.*

25 *Quare faciem tuam abſcondis, obliuiſceris adflictionis noſtræ, & oppreſſionis noſtræ?* Dum adeò permittit ſuos Deus impiis, vt ſæpe Pſalmi habent, dormire, & auertiſſe faciem ſuam videtur, vt euigilare & reſpicere, dum impiis proſtratis ſuos ſeruat. Id vt faciat, his verſibus orant. Omnia ardent affectibus. Quod aiunt, Ne propellas in ſempiternū: exilii & malorum diuturnitatem queruntur quæ adflictis ſemper ſupramodum extrahi videtur.

26 *Quia in limum depreſſa eſt anima noſtra, terræ adhæſit venter noſter.*

27 *Surge, auxiliare nobis, & redime nos propter bonitatem tuam.* Queruntur animam ſuam depreſſam in limum, hoc eſt morti proximam: ſimilitudine mutuata ab homine in ſolum proſtrato, cuius venter iam terræ hæret. Vel, quam animam ferè reddunt, corpus quoque ſignificat, hócque ſignificatu hìc vſurpatur, id quod indicat ſubiectus venter: nam geminatio eſt. In verſu vltimo obſeruandum quod aiunt, *Redime nos propter bonitatem tuam*. Hac ſiquidem nituntur ſola, quanlibet in omni pietate ſynceri, & flagrantes ſint, atque inculpati. Non deflexerat retro horum cor, à ſemita Dei minimè declinarant: non per hæc, ſed per Dei vltroneam bonitatem ſe iuuari ac redimi precantur. Hic Pſalmus propriè iis competit qui pro Chriſti nomine perſequutionem ſuſtinēt. Eos enim chariſſimos Deus habet, & hi quoque fidem eius ſanctiſſimè colunt. Nihilominus tamen ad declarandum virtutem regni ſui, quod hic Spiritu ſuo adminiſtrat, illos per omnia impiorum libidini permittit. De diſcrimine quod Deus fecit inter Sāctos Noui & Veteris teſtamēti, quòd hos vt ampliore cæleſtium bonorum guſtu donat, ita malis vitæ huius grauius exercet illos contrà, vt etiam hoc ſub auroram Euangelicæ lucis, tempore Machabæorum cœperit, dixi in verſu 8 Pſalmi 6.

PSALMVS XLV, in genere mixto, ἐγκωμιαστικόν.

Laudant filii Corah regem Schlomoh à dignitate formæ, & gratia eloquentiæ, fortitudine, potentia, ſplendore, & magnificentia, cum in ſe, tum in coniuge. Poſtremò & à fœlicitate liberorum. In his vero Chriſtum & regni eius quum potentiam, tum fœlicitatem deliniarunt.

1 PRæſuli in Schoſchannim filiorum Korah, erudiens, carmen de amato.

2 Meditatur cor meum quid boni: quod dicā, erit de rege: lingua mea inſtar habebit ſtili ſcribæ expediti.

3 Perelegās es præ cūctis mortalibus, ſermone mirè gratioſo, propterea quòd te Deus beneficiis ornauerit ſempiternis.

4 Cinge ô heros gladio tuo latus tuum, quo decus tuum & ſplēdorem exeras.

5 Cum ſplēdore tuo fœliciter ingreditor, eo quòd fide, māſuetudine, iuſtitiáque polles: hæc docebit te vt admiranda manu tua facinora deſignes.

6 Sagittæ tuæ peracutæ, cor hoſtium Regis configent, populi cadent ſub te.

7 Solium tuum ô Deus, in ſempiternum ſtabit: ſceptrum enim regni tui æquitatem colit.

8 Amans es iuſtitiæ, odiens improbitatis: propterea quòd te Deus, Deus tuus, verè læto oleo vnxit, conſortibus tuis prælatum.

9 Myrrham & aloen redolēt pliҽæ omnium veſtimentorum tuorum prodeū-

tium è palatiis ebumeis,vbi te exhilarant.

10 Filiæ regum in pretioſo mundo,quem illis ſuppeditas:Regina à dextris tuis ornamentis decora aureis.

11 Audi filia & attende,inclina aurem tuam, & obliuiſcere populi tui,& domus patris tui.

12 Et afficietur Rex forma tua: nã ipſe eſt dominus tuus, ipſi te ſupplicem præſtabis.

13 Tyrus munera deferet,&quique opulentiores populi,donis te venerabũtur.

14 Omni gloria interiore regia præſtabit,indumentum eius ex intexto auro,

15 In veſtibus Phrygianis ſtatuitur regi:puellæ pediſſequæ eius, propinquæ eius vnà tibi adducuntur.

16 Statuuntur cum gaudio & lætitia,adducuntur in palatium regis.

17 Pro patribus erunt tibi filii,conſtitues illos principes in omni terra.

18 Memorabo nomen tuum per omnia ſæcula, propterea celebrabunt te populi in ſempitemum.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *PRæſidi ſuper Schoſchannim filiorum Corah, erudiens carmen dilectionum.* Reliqua tituli, in præfatione. Catmen autem dilectionum vocatunt hanc Odam,quòd ea Dei in Schlomoh,vt Chriſti typum: deinde in ipſumChriſtum in Schlomone deliniatum & præfiguratum,dilectionem celebrat.Schlomonem ſanè Iedidiah,hoc eſt dilectum Domini,à Propbeta Nathan vocatum legimus 2.Sch.12.f.25.Hanc verò dilectionem Dominus abunde declarauit,quòd eum ſicut opibus, ita ſapientia auguſtiorem fecit cunctis regibus terræ, vt cunctl mortales videre eum quærerent, atque audire ſapientiam eius, cunctique reges munera deferrent.Altiſſima enim pace,indicibilibus copiis,& incredibilibus deliciis adfluere eum fecerat: quàm latè primùm populi Iiſrael pomœria deſignata fuere,nempe à magno deſerto vſque ad Libanum,à mari magno vſque ad Eupbraten,vel deletis,vel factis vectigalibus quicunque Allophylorum inter bos fines ſupererant. Hæc fuſè legimus 1.Reg.9, & 10: & 2. Paralipomenon 8 & 9. In tanta itaque Salomonis potentia,opulentia,ſapientia,fœlicitate, adumbratum eſt regnum Chriſti,vnicè dilecti Deo filii, per quē& nobis filiorum loco diligi ab illo datur,cui Pater ſubiecit omnia:eáque ſapientia & fœlicitate donauit, vt de plenitudine eius omnes accipiamus eam ſapientiam & fœlicitatem qua conſtat vita æterna numeris omnibus beata. De hoc itaque Pſalmum hũc enarrabo, ſed antè ratione typi in Salomone deſcripti, indicata.Quòd autem de Schlomoh potius quàm Dauide putem hunc Pſalmum dictum,quantum quidem ad vmbræ rationem attinet, mouit quòd quæ hîc de ſplendore regio,& reginæ ac puellarum cultu canuntur,magis in Schlomoh quàm Dauidē videntur competere,vt & ab argumento Cantici canticorũm minimum variant.

2 *Ebullit cor meum verbum bonum,dico ego opera mea de Rege,lingua mea ſtylus ſcribæ expediti.* Hoc verſu Pſaltes præfatur ſe aliquid cantaturum,idque non in ore,ſed corde natum. vnde ait רחש, id eſt ebullit cor meum.eſt enim verbum,vnde deducitur מרחשת,id eſt caldarium, Thalmudicis,non Bibliis,præter hoc vno loco,vſurpatum.*Opera mea*,pro carmine meo poſitum eſt. Studium canendi in eo teſtatur, quòd linguam ſuam ſtylo ſcribæ expediti confert. Nam vt expeditè,ita cupidè ſe laudes Regis cantaturum,hoc dicto ſignificauit.

3 *Perelegans es præ filijs hominum,diffuſa gratia in labiis tuis, propterea quòd benefecit tibi Deus in ſæculum.* Hic iam laudare Regem incipit.Et primùm,illum commendat à dignitate formæ,& gratia eloquentiæ.Nobilioribus enim animis præditi, & formæ præſtantia pollere ſolent.Ita Ioſeph inſigni fuiſſe forma ſcribitur, & Homerus Achillem ſuum atque Hectora pulchritudine præſtabili inſigniuit.Fecit & hic Patidē pulchrum,vt Scriptura Abeſchalom prædicat forma nemini fuiſſe ſecundum:ſed vt hic,ita ille:id portenti vice memorauit.Hinc & Virgilius ſuum AEneam os humetóſque Deo ſimilem: hoc eſt maiore quàm humana pulchritudine præſtantem fecit. Eſt

Pulchritudo enim inſignis dos etiam corporis pulchritudo, amoris excitatrix potentiſſima, vt nec obſcurè Dei pulchritudinem refert:adeò vt Proculus ſcripſerit,Omne pulchrum & bonum eſſe. Quum itaque regem ſuum ſacer hic Poeta vellet quàm ampliſſimis à Deo affectũ, ornatúmque beneficiis prædicare,non iniuria formæ dignitatem illi tribuit. Omnino enim gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus.*Perelegans* verti,quia Vates habet יפיפית verbum duplicatum,quæ duplica-

tioſignificatum intendit,autore Kimhi. Illo,*Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*: à gratia ſermonis,hoc eſt eloquenti acommendat,qua vtiquevt nihil diuinius,ita nihil quoque fuerit gratioſius.חן Ebræis eam omnino ſignificantiam habet quam apud nos gratia. Vnde dicũt,Inuenire gratiam in oculis regis, pro reperire fauorem apud regem, & gratia valere. Quantum autem Schlomoh gratia orationis excelluerit,id ſatis teſtatur,quòd cuncti reges & principes, quique recto iudicio valebant, ſummopere audire ipſum cuperent, auditúmque ſuprà quàm dici queat, admirarentur: id quod Sacra hiſtoria teſtatur. Hoc eloquentiæ miraculum, in eo Pſaltes indicauit, quòd canit gratiam in labiis eius non ſimpliciter eſſe, ſed *diffuſam*. Non diſſimile hoc illi eſt quod de Pericle iactatur, Suadelam ſeſſitaſſe in labiis eius.על־כן,id eſt propterea,vt multis aliis Scripturæ locis,ita hîc idem eſt atque, *Propterea quod*. Ideò enim quòd Deus Regem peculiari ſua beneficentia dignatus eſt,(alii reddunt *benedixit* de quo verſu 4 Pſalmi 21)& forma & facundia adeò præſtitit. Eſt etiam inverbo benefecit ſignificatio.inſignem nanque & præcipuam beneficentiam dicere voluit: vnde item ſingularis illi tum formæ præcellentia,tum eloquentia acceſſerit.

4 *Cinge gladium tuum ſuper latus tuum,decus tuũ ô fortis,& ſplendorem tuũ.* Hîc prædicat Regis fortitudinẽ, ex qua virtute principibus ſumma gloria & admiratio conciliatur. Celſo nãque animo communia pericula depellere,ac vtilitates maximas,ingentémque dignitatem multis adducere, tanti habetur,vt nihil ferè laudetur ore pleniore. Hæc ſacer Poeta Regi huic tribuit,quũ גבור,id eſt *virum fortem*,& bellica virtute præſtantem vocat,& gladio ornat:idque *decus & ſplendorem* eius vocat,eo quòd vt dixi,nihil habeatur virtute bellica admirabilius,& laude magis dignum.

5 *Et decore tuo fœliciter ingreditor,inequita propter verbum veritatis & manſuetudinis,iuſtitiæ,& docebit te mirabilia dextera tua.* Nunc Pſaltes ſucceſſum atque ſplendorem regni prædicat, qui ob *fidem* Regis, *manſuetudinem & iuſtitiam*,fuit multo auguſtiſſimus. Succeſſum ſplendorémque in eo cecinit, quum ait,*Cum ſplendore fœliciter inequita*: hoc eſt adueni,curru inuehitor,regnum auſpicaturus cum magnificentia. Cauſam huius ſplendoris & ſucceſſus ſubiicit, quum ait,Propter fidem, manſuetudinẽ & iuſtitiam. His nanque virtutibus dici non poteſt quantum popularitatis, quantum gloriæ,autoritatis & admirabilitatis concilietur. vnde ſubiunxit, *& docebit te*, ſcilicet fides, manſuetudo & iuſtitia,vt per dexteram tuam tam præclara deſignes facinora. Vt enim hæc maximam dignitatem & populi amorem incredibilem conciliant, ita facultatem parant quanlibet inſignia & nobilia facinora edendi. Sunt qui legant hunc verſum ſic,*Dextera tua docebit te mirabilia*: & interpretantur in hunc modum, Ea eris potentia & fœlicitate, vt tantùm opus ſit admota dextera, illicò ſuccedent omnia,nihil non pro voto perficies, vt ipſa te dextera ſit doctura quo pacto maximè memoranda deſignes, vndique victoriis ſplendidiſſimè relatis. Victoriæ laudem magis exprimit verſu ſequenti.

6 *Sagittæ tuæ acutæ populi ſub te cadent,in cor inimicorum Regis.* Subita eſt perſonæ mutatio,Pſalti familiaris. Verbum יפלו,id eſt cadent,ad duo refertur,ad ſagittas incidentes in corda hoſtium,& ad populos qui ſeſe Regi ob tantam potentiam,& rerum ſucceſſum ſubiicientes,dicũtur cadere ſub Rege.niſi malis de caſu mortis intelligere.

7 *Solium tuum ô Deus ſeculum & vſque ſceptrum rectum.ſceptrum regni tui.* Hoc verſu prædicat regis ac regni huius æternitatem: cauſámque adiicit, *quia ſceptrum eius rectum ſit*, hoc eſt cum ſumma æquabilitate regnũm adminiſtret. Huius æquabilitatis cauſam ponit verſu ſequenti.

8 *Amas iuſtitiam,& odis improbitatem. propterea quod te vnxit Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ ſociis tuis.* Ex amore ſiquidem iuſtitiæ & improbitatis odio,omnis recta & æqua regni adminiſtratio prouenit. Hæc verò omnia diuini fauoris & dignationis eſſe,in eo prædicat,quod ſubiicit. *Propterea quod vnxit te Deus oleo lætitiæ*, id eſt læta vnctione,quæ non regem ſolum,ſed vniuerſum Iiſraelem lætificarit. Vt verò læta fuerit initio ſtatim eius inauguratio & vnctio,teſtatur primũ caput 1.Reg. *Cõſortes* præ quibus illum Deus vnctione tam fauſta & læta dignatus eſt, fratres ipſo maiores, vnde & regia vnctio illis deberi videbatur: quod ſanè primores aulæ impulerat vt Adoniæ ſeſe adiungerẽt, vt legimus eodem loco. In verſu 7,Regem, Dei appellatione ornauit,quo Vates animos in ipſum Seruatorem ſubducere voluit, atque indicare, hæc in Scholomonem tantum vt typum Chriſti,competere: quanquam & principes atque reges אלהים,id eſt dii vocantur,& Moſchæ dicebat Dominus,Cõſtitui te אלהים,id eſt Deũ Pharaonis,Exod.7.a.1. Potuit igitur & Schlomoh vocari populi Iſraelitici Deus,cuius erat princeps.אלהים,nomen eſt forma plurali,at ſignificatu ſingulari,quia Deo vnico identidem tribuitur. Quo magis miror cur Iudæi, verentes ne dicamus hic Chriſtum noſtrum Deum vocatum(nam agnoſcunt Pſalmum de Chriſto canere) interpretentur hunc verſum,alii,ſolium tuum Deus firmabit in ſeculis: alii,ſolium tuum,quod idem Dei eſt,ſtabit in ſeculũ. Nos ſcimus Verbum initio fuiſſe apud Deum,& Deum fuiſſe ac eſſe Verbum, eóque Seruatorem noſtrum eundem cum Patre Deum adoramus. Hánceque appellationem eatenus Salomoni communicatam, quatenus Chriſti typum in ſe admiranda ſua ſapientia,potẽtia, & fœlicitate prætulit,agnoſcimus.

9 *Myrrha & aloe, flexuræ omnium veſtimentorum tuorum, è palatiis eburneis, vnde lætificauerunt te.* Splendorem canit veſtium & ædium. Veſtium, quum dicit, קציעות, id eſt *flexuras, plicas*, angulos omnium veſtium circunquaque redolere myrrham. מר habetur Ebraicè, id myrrham quidam vertunt: at Kimhi ſcribit pleroſque interpretum pro muſco accipere. Eos autem refutat A. Ezra in verſu 13 primi capitis Canticorũ, ex eo quòd Cantic. 5, מר, id eſt mor, ſtillare dicatur. Iã muſcus nõ eſt res ſtillans. Addit tamen alios dicere, vocem hãc duplicem habere ſignificatum. Certè quum veſtiũ ſuaueolentia hic prædicatur, muſcus haud malè quadrabit, אהלות reddunt vulgo aloem. Kimhi dicit eam aromatum ſpeciem eſſe quæ Arabicè vocatur ſandal, id noſtri pharmacopolæ dicunt citrum eſſe. קציעות verti (Abraham Ezra ſequutus) *plicas*, vel angulos, eo quòd ſine coniunctione ad mor & ahaloth ſubiectum eſt: quanquam ſolet plerunque Scriptura duabus vocibus coniunctione connexis, tertiam ſubiicere abſque coniunctione, quæ tamen nihilominus ſuperioribus cohæreat, acſi cum coniunctione eſſet adiecta. Sic in verſu [illegible] ſubiecta eſt [illegible]. Kimhi putat id eſſe quod Arabes ambar, vulgò ambram vocant, res vehementi, nec minus dulci odore. Quicquid autem horum ſit, id liquet, ſacros Pſaltes voluiſſe hîc canere, veſtes regis Schlomoh amœniſſima flagrantia ſpiraſſe. Diuina ſanè res eſt, rerum quarundam ſuaueolentia: vnde aromata inter regias opes Scriptura, 1. Reg. 10. a. 2, & alibi numerat. Quum itaque & his, ex ſingulari Dei beneuolentia Solomon ad miraculum vſque abundauit, vt loco iam citato legimus: non abs re eſt, quòd eorum in hoc carmine fit mentio, ſicut & palatii eburnei. Sacra hiſtoria tantùm ſolii meminit, ſed prægrandis & auro intecti, negátque in vllis regnis factum ſimile. In hoc, *oblectarunt & exhilararunt illum*, non ſolum Iſraelitæ, ſed exteri, omnegenus oblectamentis, vt Sacra hiſtoria teſtatur. Kimhi interpretatur iſtuc, Quæ palatia te exhilarant. Sed magis quadrat vt ſubaudiamus gentes & regna, quæ cum variis muneribus regem in eburneo ſuo palatio venerati ſunt. מני Fœlix Pratenſis, diligens alioqui interpres, reddidit, à me: ſed י hîc redundat, vt multis aliis locis: & nihil aliud eſt quàm de, vel vnde, nimirum de palatiis eburneis.

10 *Filiæ regum in pretioſitatibus tuis. præſto eſt concubina in ornamẽto Ophireo.* Nũc Solomoné celebrãt ſacri Vates à præſtantia & ſplendore vxorũ, quarũ pleraſque ex genere regio habuit, eas filias regũ vocant. Præcipua tamen fuit filia Pharaonis, quam vocant שגל, id eſt contoralem, vt quæ præcipuũ dormiendi cum rege ius habuerit. Hanc ornamentis aureis (ex Ophir enim loco Indiæ optimum aurum Solomoni adferebatur) illas pretioſo mundo, rege digno, & à rege ſubminiſtrato decoratas canunt. Erant ſiquidem & hæc diuinæ beneuolentiæ argumenta. De hac regis priuata coniuge, 1. Reg. 3. a. 1, & 9. d. 24. Vndecimo, a. 3, legimus eum habuiſſe ſeptingentas vxores principes, & concubinas trecentas. ſed quum id contra Legem feciſſet, Deut. 17. d. 17, iure Scriptura in eo idipſum vituperat, præſertim quòd & alienigenas duxerat, quæ animum eius ad impietatem inclinarunt. Tolerabilior erat numerus, ſi eo contentus manſiſſet, de quo ipſe Cantic. 6. b. 7, Sexaginta reginæ, & octoginta concubinæ, & puellarum virginum non eſt numerus, quas ſcilicet alebat reginis & concubinis ad ſplendorem, ducebátque ex eis quas libuiſſet. Ibidem, c. 8, de שגל, hoc eſt omnium principe coniuge, Vna columba mea, perfecta mea, vnica matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Vt viderunt eam filiæ, beatam prædicauerunt, reginæ & concubinæ laudarunt eam. Hæc omnia, ampliſſima Dei dona fuerunt: etſi Solomon, vt ſolet humana prauitas, abuſus eis fuerit, & numero vxorum nimis aucto, & corde illis ſuprà quàm oportebat addicto. Quia autem hæc שגל, id eſt contoralis, alienigena fuit, hortantur eam verſu ſequenti,

11 *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populi tui & domus patris tui.* Audire vtique regem, & videre, hoc eſt probè intelligere, ſempérque prona aure excipere quæ ille de vera Dei bonitate cultúque tradebat. Quibus ritè perceptis, meritò ſeſe totam Domino dedicare, populique ſui & paternæ domus obliuiſci debuit, Dei populo iam penitiſſime iuncta.

12 *Et concupiſcet Rex pulchritudinem tuam: nam ipſe dominus tuus, & ſupplex ei eris.* Hîc pollicentur contorali, ſi Regi veram religionem docenti auſcultet, & impiæ gentis ſuæ atque originis obliuiſcatur, eximium regis amorem: & ſimul memorant ipſum illius dominum eſſe, quémque iure debeat colere, ſupplicémque ſe illi exhibere. Hinc verò quanto in pretio futura ſit, canit verſu ſequenti.

13 *Et filia Tyri cum munere, faciem tuam venerabuntur diuites populi.* Hiram rex Tyri peculiari amicitia iunctus fuit Solomoni, ideo canunt, *Filia Tyri*: & quique opulentiores populi, quales AEgyptii, Syri, & Sabæi erant, muneribus te certatim honorabunt. Filiam Tyri, pro Tyro dicunt, ſicut filiam Siion, pro Siion.

14 *Omnis dignitas filiæ regis [quód] intima eſt, ex texturis auri veſtimentum eius.* Promittunt ei fore vt in interiore regia ſẽper aſſideat Regi proxima, aureis veſtibus ornata, & intus in eius cubiculo, quod aliis non licebat, niſi certis temporibus adire, perpetuò verſetur. Ornatum ampliorem, & pediſſequarum ſplendorem pollicentur deinceps,

15 *in veſtibus acu pictis: adducetur Regi, virgines poſt eam, ſodales eius adducentur tibi.*
16 *Siſtuntur cum gaudio & lætitia, adducentur in templo regis.*

Cum veſtium ornatu, & ſplendidos ei fore puellarum, ſodalium, & pediſſequarum choros
promittunt. Nemo verò miretur ſacros Vates veſtium ſplendorem, cum in Rege, tum in Re
gina tanti facere. omnino etiam harum rerum vſus hominibus à Deo datus eſt: nec quenquã
potius, quàm Principes decet. Vt igitur inſtituerant canere, quàm eximium modis omnibus
Solomonem Deus reddidiſſet, ita quicquid ſummam potentiam, opes immenſas, & magnifi-
centiam rariſſimam teſtatur, ei rectè tribuerunt, vt ſanè his omnibus maximo interuallo,
quotquot reges erant, poſt ſe reliquerat. Hinc & Chriſtus volens liliorum decorem omni ve- Luc.12.d.27
ſtium ſplendori præferre, dicebat, ne Solomonem quidem, in omni gloria ſua ſic fuiſſe orna-
tum: vtique hac cauſſa, quòd nemini adhuc contigiſſet auguſtior. Dii vocantur, & ſuo modo
ſunt, Principes: & par ac ſalutare eſt, eos ab omnibus maximopere ſuſpici ac venerari: ad id
iam, præſertim apud vulgus, haud exiguum momentum habet externus iſte ſplendor. Vti o-
mnibus rebus licet: ſed vno Deo oportet oblectemur.

17 *Pro patribus tuis erunt filij tui: pones eos Principes in omni terra.*
18 *Memorabo nomen tuum in omni generatione & generatione: propterea populi celebrabunt te in ſeculum &*
uſque. His fœlicitatem Solomonis à liberis, eorúmque dignitate prædicant, & ſimul anago-
giam faciunt ad Chriſtum. Huius ſiquidem filii, nempe Apoſtoli, quibus dicebat, Filioli mei, Ioh.14.b.16
paululum adhuc vobiſcum ero: verè principes terræ, loco Patrum, Regum & Prophetarum
conſtituti ſunt. Et hic verior Solomon, nomen quoque Patris mundo verè manifeſtum & glo
rioſum reddidit, idque in ſeculum, & omnes generationes. Tam eximia ſanè potentia, ſapien-
tia & fœlicitas, quibus Solomõ pollebat & florebat, tum illud celebre de Seruatore (ſed quod
primùm de Solomone, vt Chriſti vmbra dictum eſt) Ero illi pater, & ipſe erit mihi filius: clarè 2.Sam.7.b.14
euincunt Solomonẽ ſingularem Chriſti typum fuiſſe, docéntque quæcunque magnificè Scri
ptura de ipſo prædicat, ad Chriſtum referre, vt in quo ſolo ea verè completa cernuntur. Id i-
gitur quo perſpicuum eſſet, miniméque per hominis gloriam obſcuraretur, ſub mortem a-
deò deſipuit, qui fuerat mortalium ſapientiſſimus, & cœpit labefactari fœlicitas eius, nunquã
antea ſatis admirata. Quare quemadmodum vaticinium & Dei promiſſio, quæ facta Dauidi
fuit 1. Schmuel. 7. h. 14, & 1. Paralipomenon 17. b. 11, iis verbis attemperata eſt vt in Schlomoh
quidem, alióſque Dauidis poſteros competat, at in Seruatore primùm impleta intelligatur: i-
mò quædam nonniſi in Chriſtum quadrent, vt quæ de ſempiterno regni ſucceſſu ſunt: ſi &
præſentem Pſalmum, quem de Chriſto præcipuè cecinerunt ſacri Vates, ad hunc modum
compoſuerunt, vt in Solomonem quidem bona pars rectè conueniat, ſed vt eum qui Chriſti
formam prætulit, quædam autem in vno Chriſto locum habeant: ſic ſunt quæ his duobus
vltimis verſibus de Rege ſuo prædicarunt. Neque enim Solomon, aut quiſquam alius regum
Iiſrael, filios habuit qui loco patrum fuiſſent, hoc eſt, pares ſapientia, potentia & fœlicitate re-
tuliſſent, regnúmque perpetua generationum ſerie perduxiſſent, aut denique principatu in o-
mni terra potiti fuiſſent. Sed & ea quæ habet verſus vltimus, *Memorabo nomen tuum in omni generatio-*
ne & generatione: id eſt per omnia ſecula: & quòd ſequitur, *Propterea populi celebrabunt te in ſeculum, & uſ*
que: ſubaudi, in ſeculum: quis ſanæ mentis Solomoni tribuet? De vno filio eius Rehabeam ſuc-
ceſſore legimus, & eodem degenere, quique ſtulta arrogantia ſua regni meliorem partem ami-
ſit, quam nec poſteri recuperarunt, imò tandem non regno modò, ſed omni poteſtate ac digni
tate ſpoliati ſunt. At tum quum omne à Iehudah populo ſceptrum, tam per eos qui ex ipſo Ie-
hudah erant, quàm fratres Leuitas adminiſtratum, interierat, rerúmque iam potirentur Hero-
des & Romani, venit Chriſtus Seruator: hunc in ſolium Dauidis ſic Pater collocauit, regem
Sanctorum, vt regni eius nullus vnquam finis expectandus ſit. Huius quoque filii, hoc eſt diſci
puli, quos ſubinde filiolos vocauit, fuerunt iandiu, & erunt in poſterum loco patrum, verè re-
ges, ſacerdotes, hoc eſt principes in omni terra. Quæ enim poteſtas amplior, quod regnum au-
guſtius, quàm habere ſic addictos homines, vt ſi liceret, effoſſos darent oculos? At tale imperiũ
habuit in Galatas Paulus. Sed & ii qui hoc animo non fuerunt, imò hoſtili, dum tamen nihil Gal.4.b.15
quàm ſalutem illius potuerunt promouere, & (quanquam nihil minus velint) iugibus eum be
neficiis afficere: quæſo annon iure dicantur Paulo planè ſeruiiſſe? Ita & Chriſtus ipſe, cum per
ſe tum per ſuos, nomen Patris verè illuſtrauit & illuſtrat laude, ſempiterna. Porrò, vt hæc
nonniſi de Chriſto vera ſunt, ita ex his perfacile eſt videre, & reliqua huius Pſalmi in Seruato-
rem ſuo modo competere. Digna quidem fuit & quæ in Solomone Dei beneficentia refulſit

tantis opibus, ſapientia & fœlicitate aucto, quam ſacri Vates carmine celebrarent: multo ampliſſima enim & toti orbi ſtupenda fuit. At quia Chriſtus totius Scripturæ & Legis vltimus finis eſt, & Spiritus ſanctus ab externis ad interna Dei dona, quæ cumulatiſſimè in Chriſtum effudit, ſemper ſolet ſubducere, dubitari non poteſt quin diuini Pſaltes, toto Pſalmo in Chriſtum mentem traiecerint, ipſúmque primum in omnibus ſpectarint. Quæ ergo cecinerunt verſu ſecundo, de ſtudio canendi laudes Regis, notant ardorem quo flagrarunt Prophetæ atque Apoſtoli: illi, vt de Chriſto prænuntiarent: hi, vt renuntiarent, ab ipſo vno orbi ſalutem expectandam.

Quæ verſu tertio de Regis pulchritudine canuntur, ea admonent concinnitatis morum & elegantiæ in Chriſto. quanquam indubiè & corporis forma inſigniter præſtitit. Sic & eloquétiæ gratia, qua labia Regis perfuſa prædicant, verba vitæ æternæ ſunt, quibus omnium Sanctorum mentes ad ſe mirificè pellicit, retinétque in ſempiternum.

Gladius de quo verſu quarto, quo canunt Regi gloriam parari & decus: virtus illa eſt qua annũtiantibus Euangelium cooperans, efficit vt omne genu ſe ipſi flectat, & omnis lingua cófiteatur, & celebret illum Dominum rerum omnium.

Illa verſu quinto, de fœlici regni ſucceſſu, & Regis fide, mãſuetudine & iuſtitia, quibus mira adeò facinora perfecit: ipſa de Chriſto intelligi debere clamant, cuius ad fines orbis regnum ideo prolatum eſt, quòd ea fide, manſuetudine & iuſtitia pollet, vt in ſempiternum beatos reddat qui ſeſe ipſi crediderint.

Sagittæ verò, de quibus verſu 6, eadem vis verbi & Spiritus Chriſti eſt, quibus corda hominum tacta, nó poſſunt ipſi non ſubiici, ſiue cum eius amore in ipſorum ſalutem, ſiue cum pleno odio in conſummatam perniciem. Odor enim mortis Euangeliũ eſt iis qui morti deſtinati ſunt: vt odor vitæ, iis qui ordinati ad vitam. Vtque vita tum ſentitur, quando Euangelium animo cum ſolida fide perceptum eſt: ita tum quoque mors planè ſæuire incipit, quum illud filii diaboli ſatis cognitum, cœperint plena deteſtatione inſectari. Ab eo enim cadere incipiũt, & in lapidem hunc impingentes, quaſſantur, paulo pòſt præcipitandi vt æternùm iaceant, atque hoc ipſo lapide ſuper eos cadente, prorſus comminuantur.

Hinc conſequitur quod canit verſu 7, vt ſolium Chriſti perſtet in ſempiternum: ſicut poteſtate qua regit, nihil eſt æquabilius, ipſéque Deus verus exiſtit, idem cum Patre, de quo ſuprà in hunc verſum.

Hic quoque vnus eſt qui verè iuſtitiam amat, & iniquitatem odit, vt & vnctus eſt cæleſti vnctione, Spiritu ſcilicet totius gaudii fonte, præ omnibus Dei filiis ſuis conſortibus: ſed & quicquid huius quiſquam habet, per hunc habet. Hæc verſu 8.

Veſtium flagrantia, & palatii ſplendor, de quibus verſu 9, eſt dictorum & factorum ſuauiſſima illicibilitas, cæleſtes opes, cæleſtémque regiam referens, quæ in Chriſto ipſo & Sanctis eius perpetuò adblanditur.

Vxores, & harum præcipua prima Regis cõiunx, tam magnificè decorata, & tamen à gente aliena adſcita, ſignificãt Eccleſias Chriſti, inter quas vna ſelecta & peculiariter amata Regi eſt, eorum ſcilicet qui omnia mundi planè reſpuerunt, ſeſéque totos Chriſto addixerunt. Aliorum tamen Eccleſiæ, & ipſæ identidem Chriſti complexu fruuntur, id eſt pleniore & cognitione & amore, & veram Reginam ſequuntur, donec & ipſæ ad eius ſortem grandeſcant. His ſunt veſtes pretioſæ Rege dignæ, ſed ex domo Regis, vita nimirum omni genere virtutum ornata. Omnes tandem Regi ſiſtentur, quia in omnibus amor Regis, ac inde & vera fœlicitas perficietur. De filiis iam dictum eſt. Sic ſi typo quæ eius ſunt permiſerimus, nullam videbimur vim facere verbis, neque argutulis anſam noſtra calumniandi dabimus. Rurſus dũ à typo in Chriſtum Legis finem, & omnium laudabilium rerum perfectorem & colophona, animo conſcendentes, hæc & quæ huius generis ſunt, retulerimus, erit vnde mirificè paſcatur fides noſtra, nihilque non certò Chriſtum nobis prædicabit.

PSALMVS XLVI, εὐχαριστικὸς καὶ [illegible].

ARGVM. *Quæ ſint ſancti præſide Deo, quibuſuis in periculis fiducia & ſecuritas.*

PARAPH.

1 PRæſuli, carmen filiorum Korah, ad Alamoth.

2 Deus nobis protectio & robur eſt, premente aduerſitate auxilium præſentiſſimum.

3 Propterea nihil timebimus, etiamſi loco moueatur terra, & nutent montes ſiti in medio mari.

4 Infremant vndæ maris, in lutum litus ſoluant, montes vi eius concutiantur. Selah.

5 Nam riuuli fluminis recreabunt ciuitatem Dei, Sacrarium inter habitacula Excelſi.

6 Deus in medio huius præſidet, ideo minimè nutabit: Deus maturè opem illi feret.

7 Concurrerũt turmatim Gentes, ſed collapſa ſunt regna: vt edidit vocẽ ſuam Deus, difluxit terra.

8 Iehouah Sebaoth ſtat à nobis, arx ſublimis eſt nobis Deus Iaacob. Selah.

9 Huc agite, Iehouæ facinora conſiderate, quæ ſtupenda in terra deſignat.

10 Abolet bella ad fines vſque terræ, confringit arcus, detruncat haſtas, igni exurit currus.

11 Deſiſtite, & agnoſcite quoniã ego Deus, excelſus in Gẽtib⁹, excelſus in terra.

12 Iehouah Sebaoth nobiſcum, arx ſublimis nobis Deus Iaacob. Selah.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 P*Ræſuli, carmen filiorum Korah, ad Alamoth.* De hoc titulo diximus in præfatione.

2 *Deus nobis protectio & robur, auxilium in adflictione repertus eſt valde.*

3 *Propterea non timebimus dum mutatur terra, & nutant montes in corde marium.*

4 *Perſtrepunt, lutificant aquæ eius, tremunt montes in ſuperbia eius. Selah.* Satis ex ipſis Pſalmi verbis adparet eſſe gratulationem pro inſigni aliquo auxilio lato vrbi ſanctæ Ieruſalem. Inde illud eſt, Auxilium repertus eſt valde, hoc eſt validum & præſens. & inſultans illa fiducia, *Si mutetur terra,* id eſt moueatur loco. *cor maris,* pro medio dixit. Eo enim quòd terra mari ambitur, dicũtur montes in medio mari ſiti. Fiduciam magis amplificant verſu 3, Si vndæ, in quiunt, eius, nempe maris perſtrepant, ac litora ita pulſent, concutiántque vt in lutum ſoluant, quin & montes ſuperbo ſuo impetu commoueant: hoc eſt tanta hoſtium vis ingruat cõtra Dei populũ, vt maximè tempeſtuoſo furentique mari mereatur aſſimilari, inſulam aliquã maxima vi exagitanti, ita vt montes in ea caſuri iam videãtur, & terra vndique pulſu fluctuũ liquefacta & in lutum reſoluta, difluxura, nihil tamen nobis officient. Iſta, vt ita dicam, maris lutificatio, quam verbum illud יחמרו ſignificat, notata eſt & Ieſcha. 57. d. 20, & ferè ad eandem allegoriam, Improbi, inquit, ſunt inſtar maris exagitati, quod nequit reſidere, cuius vndæ ſpumam eiiciũt & lutum. Nihil eſt tranquilli improbis. Quo verò tam eximiam in Deum fiduciam penitius conſideremus, adiectũ eſt Selah.

5 *Fluminis riui lætificabunt ciuitatem Dei, Sacrarium habitaculorum Excelſi.*

6 *Deus in medio eius, non nutabit, adiuuabit eam Deus ante mane.* Cauſam canunt huius tantæ fiduciæ primùm ſub allegoria riuuli, deinde ſimpliciter. Fluminis riuuli, inquiunt, lætificant ciuitatem Dei, Sacrarium, &c. Riuulos fluminis vtique prætenuis, nempe Gihon, quod Ieruſalem interfluit, oppoſuit frementibus & litora horrendè pulſantibus vndis, hoc eſt conſolationem, auxiliúmque Dei in exiguo populo Ieruſalem, nempe ciuitatis credentium Deo, ingenti maximéque terrificæ vi hoſtiũ. Eadem allegoria eſt vſus Ieſchaiah, cap. 8. a. 6, Propterea quòd populo iſti aquæ Siloah fluentes modicè, deſpicatæ ſunt, &c. Exiguam enim potentiam Hizkiiah, & eorum qui à Domino pendebant, per modicas Siloah aquas, Vates ille dixit, vt verſu mox ſequenti, per validum flumen, vim Aſſyriorũ. Cæterùm, hoſtes per infeſtam aquarum vim ſignificari, & ex Pſalmi 18 verſu 5, & 17, & Pſalmi 40 verſu 3, ac alibi liquet. Auxilia verò Dei, conſolationes, & fœcundũ Dei Spiritũ, per fontes, fluuios & riuulos, indicant item multa Scripturæ loca. Verſu 9 Pſalmi 36, Flumine deliciarum tuarũ potabis eos: Ieſcha. 12. a. 3, Haurietis aquas de fontibus ſalutiferis. Item cap. 31, d. 3, & 44 in eodem Vate. Populum autem dici flumen, præter locum Ieſchaiab adductũ, & cap. 48. a. 1, eiuſdẽ Vatis, ac alia loca non pauca probant. Riuuli itaque fluminis ciuitatem Dei lætificãtes, vel variæ diuini auxilii rationes ſunt, vel ſancti Spiritu Dei præditi homines, à quibus vera ſcilicet Eccleſia iuuatur & exhilaratur. Ciuitatem Dei vocant ſacri Cantores, Sacrarium habitaculorum Dei. Ex omnibus enim locis Iiſrael (quæ omnia Dei habitacula erant, quia vbique Deus cum ſuis agit) ſelecta Ieruſalem fuit, vt in ea primatius colendi Dei locus eſſet. Ita, vt quique fide prouectiores ſunt, & Deum ideo præſentius intra ſeſe habẽt, ſic ampliore ex Dei bonitate lætitia perfruuntur, & velut Sacrarium Dei, inter reliqua Dei habitacula, inferiores ſanctos, cenſebuntur. Verſus ſextus horum primam cauſam habet. Canit enim

Deum in medio ſanctæ ciuitatis præſidere: eo ergo defendẽte, mirum non eſt ſi negetur nutari, & Dei auxilio in tempore gaudere. Illud nanque, *ante mane*: idem eſt atque matutè: id quod ſuis Dominus pollicitus eſt Ieſcha.65.d.24, Antequam inuocauerint, ego annuam, adhuc ipſis loquẽtibus ego exaudiam.

7 *Infremuerant Gentes, nutarunt regna, dedit uocem ſuam, diſſoluta eſt terra.*

8 *Iehouah Sebaoth nobiſcum, arx nobis Deus Iaacob. Selah.* Videtur hîc de certo aliquo Diuinæ bonitatis in ſuum populũ miraculo loqui: fortè de eo quod æditum eſt data victoria contra Ammonitas, & auxiliares horum copias, ex Syris & Idumæis conductas: cuius belli hiſtoriam ab initio Pſalmi 20 perſtrinxi. A. Ezra meminit quoſdam Hebræorum ſcripſiſſe, compoſitũ hunc Pſalmum, quum Dominus Ieruſalem obſidione liberauit Aſſyriorũ, tempore Hizkiiah. Quicquid autem huius ſit, hoc ſatis patet, Vatem hic memorare plurimas Gentes aduerſus Iiſraelem & ſanctam Dei ciuitatem conueniſſe. id quum fieri ſoleat fremitu & ſtrepitu quodam, dixerunt ... id eſt fremuerunt. Nec rarò per fremitum, frementem & ſtrepentem hominũ multitudinem Scriptura ſignificat. Regna vocat Gentes quæ contra populum Dei conuenerant, quòd fuiſſent plurimæ, & ex diuerſis regnis coactæ. Auxeſim habet & quod aiunt, Terra diffluxit, non homines: quanquam intelligant homines, ſed innumeros, & quantum capiũt totæ regiones, vt iure totam terram dixerint diffluxiſſe & periſſe. Diffluxu ſiquidẽ Scriptura, interitum & extinctionem populi ſignificare ſolet. Inde ſcribitur Iehoſuah 7.a.2, de populo metu cõſternato, Liquefactum eſt cor populi, & factum eſt vt aquæ. Porrò vt hæc, nempe collapſa regna & terram diffluxiſſe opus ſolius Dei canerent, ſubiecerunt, *Dedit uocem*, ſubaudi Deus, & etiã contra illos impios. Fortè enim tonitru Deus opem ſe laturum ſuis, & proſtraturũ eorum hoſtes ſignificarat, vel tempeſtate quadam conſternatos illos fecit cædi, de quo in verſum 8 Pſalmi 18. Aut intelligunt ſacri Vates per vocem Dei, virtutem qua hoſtibus Dei populus factus fuit ſuperior. Vnde venit & gloriatio verſus 8, *Iehouah Sebaoth ſtat à nobis, arx & perfugium nobis*, quo non tuti modò, ſed & ſuperiores hoſtibus euadimus. Hæc gloriatio, raræ & memorandæ fidei eſt, præconium ſimul nunquam dignè æſtimatæ Diuinæ bonitatis: ideo adiectum Selah eſt.

9 *Huc agite, conſiderate facinora Iehouæ, qui poſuit uaſtitates in terra.*

10 *Abolet bella uſque ad fines terræ, arcum confringit, & conſcindit lanceas, currus exurit igni.* His Sancti & alios inuitãt, vt quæ pro ſuis Deus facinora edit, penſiculent. Amplitudinem victoriæ pacíſque ſuis donatæ, canit verſu 10, qui coniecturam facit de præclara illa contra Ammonitas & eorum ſocios victoria, qua omnia tandem bella ab Allophylis quidem finem acceperunt. Tropus quo hîc vſi ſunt Vates, deſtructione armorum, belli extinctionem, pacẽmque altiſſimam ſignificantes, & apud Ieſchaiah 2.b.4, & Micha.4.a.3, legitur, Cõtundent gladios ſuos in ligones, &c. Id verò in regno Chriſti vere demum completur, dum vt bono ſunt omnia Sanctis, ita optimi ab eis quoque conſuluntur: adeò vt de aduerſis, & cruce etiam gloriandum ſibi ducant.

11 *Remittite, & agnoſcite quoniam ego Deus, ſublimis ero in Gentibus, ſublimis ero in terra.*

12 *Iehouah Sebaoth nobiſcum, arx nobis Deus Iaacob. Selah.* Ex tam inſignibus factis, quib' ſuos Deus adeò magnificè defenderat, hoſtéſque eorum confecerat, vtique agnoſcendus erat, vnus omnia poſſe, infinitóque omnia præcellere, ne quis contra eos qui in ipſius fide erant, quicquam tentaſſet. Ad id ergo Deum inducunt quoſlibet hortari. *Remittite*, inquit, ſcilicet conatus veſtros contra populum meum, deſiſtite oppugnare quos ego propugno: agnoſcite tandem vel ex ingentibus miraculis, me eſſe virtute excelſa & inuicta in Gentibus quibuſvis, omníque terra. Quicquid circunquaque populorum eſt, arma contra populum meum ſumpſerat: videte vt vniuerſos obtriuerim, extinxerim, deleuerim, confractis arcubus, decurtatis lanceis, plauſtris, quibus vehebãtur ad bellum neceſſaria, exuſtis Ergo me vnum omnium Deum agnoſcentes, populo meo adiungere vos potius, quàm illis aduerſari, date operam. Hæc vt omnibus dicuntur, ita à ſolis renatis cæleſti Spiritu verè percipiuntur. ii ergo ſuccinunt Domino, & iterum atque iterum gloriantur, *Deus ſtat à nobis*, &c. Iam ſi fidei nobis oculi ſunt, quicquid vnquam Deus pro ſuis præclarè geſſit, perinde nobis erit atque ſi nobis ipſis id factum eſſet. Ea ergo omnia intento animo conſideremus: inde ita creſcet in Deum noſtra fiducia, vt non minus cõtra quæuis pericula gloriari liceat, atque iſtos gloriatos legimus, Deus ſtat à nobis, &c. Et, Deus nobis protectio & robur: propterea nihil formidabimus etiam ſi moueatur terra.

PSALMVS XLVII, εὐχαριστικός.

ARGVM. *Canunt hoc Pſalmo filij Korah de Diuinæ gloriæ per uniuerſum orbem illuſtratione, conuerſioneque ad Deum, regum ac populorum, quæ facta eſt exaltato Chriſto. ſed hîc, in ampliſſimam Dei & populi Iiſraelitici gloriam (quæ reſedit quũ Arca fœderis, extructo per Solomonem templo, ſplẽdidiſſima pompa inferretur, plurimique reges & populi Deum Iiſraelis agnoſcerent, & donis uenerarentur) deliniatis & adumbratis.*

PARAPH.

1 PRæſuli,Oda filiorum Korah.
2 Vniuerſi populi plaudite manibus,iubilate Deo ouantes.
3 Excelſus enim eſt Iehouah,tremendus,rex magnus ſuper omnem terram.
4 Subiicit populos nobis,& nationes ſubſternit pedibus noſtris.
5 Selegit ſibi nos,ſelegit noſtram hæreditatem, decorem Iaacob quem dilegit. Selah.
6 Aſcendit Deus cum iubilo & ſonitu buccinarum.
7 Canite Deo,canite: canite Regi noſtro,canite:
8 Nam rex omnis terræ Deus:canite quicunque ingenio præſtatis.
9 Regnat Deus ſuper Gentes,Deus ſedet in ſolio ſuo ſancto.
10 Optimates populorum adiungent ſe Deo Abraham, Deo adiungent ſe præſidia terræ:exaltatus enim eſt plurimum.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *OMnes populi plaudite manu,iubilate Deo in voce ouationis:*
3 *Quia Iehouah excelſus, terribilis,Rex magnus ſuper omnem terram.* Incredibili pompa & magnificentia Solomon templum à ſe extructum dedicaſſe, Arcámque fœderis ei intuliſſe legitur 1.Reg.8,& 2.Paralip.5.Quicquid enim populi ab Hemath Syriæ vſque ad AEgyptum erat,vtique totum Iiſrael coegerat,cum ſenioribus eorum,capitibus tribuum, & familiarum principibus,tantámque hoſtiarum vim obtulit, vt vix numerari poſſet: quanquam in libris Regũ memorantur viginti duo millia boum,& viginti ſupra centena millia ouiũ. Aderat quicquid erat generis Sacerdotalis atque Leuitici.Nihil quoque deerat cymbalorum,fidium & cithararum,tubis ſonabant Sacerdotes centum & viginti,omniúmque ſonus tanquã vna vox Deum laudantium exaudiebatur.Nubes denique replebat templum,quo Deus ſingularem ſui præſentiam exhibebat, adeò vt in miniſterio ſuo Sacerdotes nequirent conſiſtere, vi numinis abſterriti: tum hac inuitatione populorum ad laudes Dei ſacrámque lætitiam,de qua canit verſus primus,omnia indubiè reſonarunt. Tum quoque Deus ſemper præcellens,vt & conſeruans,agénſque omnia,excelſum ſe,tremendum,ac Regem omniũ inſigniori maieſtate exhibuit:vnde eum ob tam effuſam in ſuum populum bonitatem,nõ ſolùm Iiſraelitæ,ſed & Gentium quamplurimi agnouerunt, coleréque cœperunt, de quo canit verſus ſecundus. In his omnibus,typus & figura quædam exhibita eſt eorum quæ per Chriſtum poſtea perfecta ſunt, & quotidie perficiuntur,paſſim inuulgato Euangelio: quum vera fœderis Arca, verum propitiatorium, vera Diuinitatis ſedes, ipſe Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus, in viua templa illatus eſt, ac etiamnum infertur, plurimis in omnibus mundi regionibus ad fidem ipſius adductis, in quibus ipſe æternum Patris verbum, & per omnia dilectus Filius, Spiritu ſuo immortalia ſibi Patríque ſacraria extruit, parat,& ornat. Magnum fuit quod geſtum eſt per regem Solomonem: at tantùm vmbra eius quod abſolutum eſt per Chriſtum.Quare de Chriſti regno hæc præcipuè intelligenda: id quod & Iudæi agnoſcunt.Hinc ſacri Cantores omnes populos,non ſolum Iiſraelem, vt plaudant,clãgant, ouéntque Deo qui celſior ſit omnibus, & ſe iam Regem totius terræ declarauerit, inuitant. Hæc adumbrata quidem ſunt in magno illo feſto,quo templum dedicabat Solomon: at vera,plenéque perfecta, quum paſſim recepto Euangelio, & per illud vita æterna percepta, omnes Gentes ea in Domino lætitia perfuſæ ſunt: vt id non iam vocibus,ſed tota vita,quin & duriſſima morte teſtati ſint, ac quotidie teſtentur, quotquot verè Chriſto crediderunt: indéque agnouerunt quàm celſus,tremendus, & magnus ſit Rex ſuper omnem terram. Hi ipſi, & ſoli rerum omnium ac populorum domini:dequo dominio gloriantur Sancti, verſu ſequenti, & nos quædam diſſeruimus.

4 *Age populos ſub nos,& nationes ſub pedes noſtros.*
5 *Elege nobis hæreditatem noſtram, ſplendorem Iaacob quem dilige. Selah.* Gloriantur Sancti Deum ſuo imperio Gentes ſubiicere:eiúſque mox cauſam ſubiiciunt,quæ alia non eſt, quàm beneuola & vltronea Dei dilectio,de qua Paulus multa,cum alibi,tum Rom.9 & 10.Terrã,quæ Iiſraelitis in hæreditatem à Domino tradita erat,vocãt hæreditatẽ ſuã,& decorem Iaacob, vtique propter beneficentiam Dei in illam admirabilius effuſam, non quidem quòd lacte fluxerit & melle, ſed quòd ſe Deus notum in ea facere,leges & ceremonias dare fuerit dignatus.Hæc verò typũ prætulit Eccleſiæ Chriſti, ſparſæ per totũ orbem,quæ verioris Iaacob, Iiſraelis interni,ac ſempiterna *Vnde Terra Iiſrael dicta terra Iaacob.*

dilectione Deo chari, decor & magnificentia eſt, ipſiſſimũ ſcilicet regnum cælorum, in quo nulla omnino bonorum penuria, vita viuitur vt iuſta, ita beata. Iſta quo penitius introſpiciantur, adiectum eſt Selah. Eleganti verbo in verſu 4 vſus eſt Vates דבר, quo & ipſe vſus eſt verſu 48 Pſalmi 18: ſignificat verò ſubiicere. Vtrinque enim ſignificatum eſt, Deum populos etiam inuitos ſubmittere imperio ſuorum.

6 *Aſcendit Deus cum clangore, Iehouah cum voce tubæ.* Pompam canit qua illata templo Arca fuit, quam vocat nomine Dei, vt & Pſal. 24, Attollite capita veſtra portæ, & ingredietur rex gloriæ. De clangore & voce buccinæ illi pompæ rara magnificentia adhibitis, legitur 2. Paralip. 5.

7 *Canite Deo, canite, canite regi noſtro, canite.*

8 *Quia rex omnis terræ Deus, canite intelligens.* Memorat admirandum canendi ſtudium, quo tum Deum celebrabant, de quo ibidem, idque ſub ſchemate ad id hortandi. Figura & illud eſt, verſu 8, Canite intelligens, pro, quiſque intelligens ſit, hoc eſt ingenio ad id valeat. Deum enim ritè prædicare nemo poteſt, niſi qui bonitatem eius pernouerit: quod iis duntaxat datur qui cæleſti ſapiẽtia præditi ſunt: animali enim homini hæc ſtultitia ſunt. Videtur tamen, quantum ad typi rationẽ attinet, hoc, משכיל, id eſt intelligẽs, relatũ ad artem cõponendi carmina, quæ magno in pretio tum habebatur, ita vt Salomon ab illa tanquã raro ornamento laudatus ſit, 1. Reg. 4. d. 29, vt certè haud vulgare Dei donum eſt. Eo verò quòd artem exigunt, flagrans ſtudium Dei prædicandi requirunt, quod in primis præſtandum, de quo Paulus Coloſſ. 3. c. 16, Verbũ Chriſti inhabitet in vobis opulenter, in omni ſapientia: docentes, & admonentes vos ipſos pſalmis, & hymnis, & cãtilenis ſpiritualibus, cum gratia canẽtes in corde veſtro Domino. Cæterùm decet præcipua quoque concinnitate, & ſingulari elegãtia ac ſtudio, laudes Deo in Eccleſia canere.

9 *Regnat Deus ſuper gentes, Deus ſedet ſuper ſolium ſanctum ſuum.*

10 *Principes populorum collecti ſunt cum Deo Abrahã: quoniã Deo clypei terræ, exaltatus eſt plurimum.* His cauſam tam operoſæ & ſedulæ laudis, quã verſu 8 verbo attigit, pluribus explicat, nempe quòd Deus rex eſt omnium, ſedénſque in ſolio ſuo ſancto, verè auguſto, quia cæleſti, regnet in omnibus gentibus. Vbi enim ipſe regnat, vt æternam vitam, ita ſolidam iuſtitiam, ac quicquid omnino optabile eſt, Sancti poſſidẽt. Regni huius prolata pomœria, canit verſus vltimus. per Principes enim & clypeos, id eſt præſidia terræ, magiſtratus & optimates, ſimul & plebes intelliguntur. Principes vocauit ſcuta terræ, ſicut Deus ſubinde hoc nomine à Sanctis appellatur, propterea quòd defendit ſuos, & mala auertit, vti ſcutis auertuntur iacula, & ſeruantur quos illa tegunt. Hoſchea 4, vt hîc, Pi incipes populi hoc nomine vocantur, quòd eorum ſit populum tueri, & nocitura auertere. Hoc verò gaudium, hoc canendi Deo ſtudium, hæc exultatio de qua totus Pſalmus canit, quid ſit, ac quàm vehemẽs res, ii demum norunt qui iegni Chriſti verè ſunt participes. Oremus igitur ſedulò, Adueniat regnum tuum: & ſic ritè Prophetas Dei intelligemus.

PSALMVS XLVIII, in genere mixto, εὐχαριστικός.

ARGVM. *Canunt eximiam Eccleſiæ fœlicitatem, ob præſentiam & tutelam Dei, id verò ſub typo Ieruſalem.*

PARAPH. 1 Carmen Odæ filiorum Korah.

2 Magnus eſt Iehouah, & laudatus plurimũ, in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.

3 Locus elegans, exhilarans omnem terrã eſt mons Siion, latus ſpectans Aquilonem, ciuitas Regis eximii.

4 Deus in palatiis eius agnitus eſt eſſe ſuis pro arce.

5 Nam ecce Reges conuenerunt, tranſierunt vnà:

6 Ipſi viderunt ſic habere, obſtupuerunt, perterriti ſunt, in præcipitem fugam acti ſunt.

7 Trepidatio apprehendit illos iſtic, dolor qualis corripit parturientes.

8 Euro confringis naues maris magni.

9 Quemadmodum audiuimus, ita re ipſa vidimus in ciuitate Iehouæ Sebaoth Dei noſtri, Deus illam firmauit in ſeculum. Selah.

10 Animo bonitatem tuam in templo ſancto tuo præſidentis concipiebamus.

11 Vti de nomine tuo iactatum eſt, ita habet & laus tua, pertingens ad fines vſque terræ: quicquid omnino geris, iuſtitia eſt.

12 Lætabitur mons Siion, gaudio geſtient vrbes Iehudah, propter iudicia tua.

13 Circunfundite vos Siion,cingite eam,numerate turres eius.
14 Conſiderate mœnia eius,videte vt ſint celſa palatia eius,propterea memorabitur in generatione ſequenti.
15 Nam hic Deus,Deus noſter eſt in ſempiternum, ipſe ducet nos dum hac vita fungemur.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *Magnus Iehouah,& laudatus plurimum in ciuitate Dei noſtri,in monte ſancto eius.*

3 *Pulchrum clima lætificans omnem terram, mons Sion,latera Aquilonis,ciuitas regis magni.* Occaſio huic Pſalmo fuiſſe apparet,inſignis aliqua vrbis Ieruſalem contra hoſtes, propugnante Deo,victoria:ſiue ea fuerit nobilis illa contra Ammonitas, Syros & Edomitas,de qua in Pſalmum viceſimum: ſiue qua donatus fuit rex Iehoſaphat,de qua paulo pòſt:ſiue alia quæpiã. Vocat verò Ieruſalem ciuitatem Dei,regiſque eximii montem ſanctum, pulchrũ clima, elegantem locum, qui omnem terrã exhilaret,propterea quòd Deus verbo & Spiritu ſuo in ea potius,quàm in toto orbe tum regnauerit,indéque doctrinam ſaluificã in omnem terram ſparſerit: iuxta illud, E Siiõ prodibit Lex, & oraculũ Sempiterni de Ieruſalem,Ieſch.2.a.3.Hæc vitã æternam omnibus gentibus attulit:verè ergo prædicatur,omnem terrã exhilaraſſe. Mõtem Siion,& latus Aquilonis,eandẽ à parte ſcilicet eius vocat.in Aquilonari enim vrbis parte Siiõ erat,vti & Ieſch.14.b.13 notatur,vbi rex Babel inducitur dicere, Sedebo in mõte ſancti cœtus,ad latus Aquilonis. In hac Deus ingentia & innumera vſque ad vltimũ eius excidium:(quod occiſo Chriſto,poſt plurimorum Vatũ cædẽ meruerãt)beneficia præſtitit, quæ nunc cumulatiſſimè exhibet vbicũque ſunt qui in ipſũ credunt,ciues ſcilicet Ieruſalẽ ſupernæ,veréque liberæ,de qua Galat.4.d.26, & Hebr. 12.f.22.Et nuſquã quidem niſi in hac Deus & magnus,& laudatus verè agnoſcitur. נוף alii terminum,alii clima,alii etiam germen interpretãtur. Satis autem liquet, Vatem voluiſſe regionem & locum dicere:id quod hæc vox,& Ioſue 11.a.2,& 17.b.12, Iirme.44.a.1,& 46.b.14,ſignificat.

4 *Deus in palatiis eius, notus ad exaltandum.* Nunc canit quàm ex auxilio Dei, ſplendidiſſimo miraculo lato, manifeſtum factum ſit Deum præſidere in palatiis Ieruſalem, eſſéque ſuorum perfugium & vindicem:id canit verſu præſenti.

5 *Quoniam ecce reges conuenerunt,tranſierunt ſimul.* Nunc canit quàm ſplendidè & magnificè hoc auxilii Deus tulerit. Cõuenerant contra Ieruſalem multi reges,& vnà expugnaturi eam,tranſierant. Tale quid factum fuit quũ Ammonitæ bellum Dauidi intuliſſent. Accidit ſimile & poſtea,præcipuè regnante Aſa, contra quem AEthiopes decies centenis millibus venerant,2. Paralip.14 b.9.Item regnante Iehoſaphat,contra quem Moabitæ & Ammonitæ innumeras quoque copias duxerũt, & eaſdem è Syris trans Euphratem,ac etiam è regionibus trans mare collectas, 2.Paralip.20.a.1.Denique & regnante Hiſkiiah, Aſſyrii iam expugnaſſe ſibi Ieruſalem videbantur,quũ vna nocte Deus,deſideratis ex illis cẽtenis & octoginta quinque millibus, vrbem ſuam liberauit.Et quia verſus quintus tranſiſſe reges iſtos canit, & verſus ſextus & ſeptimus maximo illos terrore & perturbatione fuiſſe perculſos memorant, haud abſimile veri videtur Pſalmum hunc,quantum ad typũ attinet,de victoria illa præclariſſima, quam Dominus regi Iehoſaphat dedit,canere.Certè multi tum reges cõuenerant,nempe Moabitarum, Ammonitarũ,Idumæorum,& Syrorum. Tranſiſſe quoque mare Sacra hiſtoria teſtatur. Ioſephus Aſphaltitem lacum ſcripſit.Sed hunc Scriptura vt mare vocat,ita addit ferè מלח,id eſt ſalis,vt ex Ioſuæ 15.a.2,& alibi liquet.quare veriſimilius eſt,de mari mediterraneo hoc Vates intellexiſſe. Tharſis enim,cuius ſtatim meminerunt, vocatur. Præterea adeò metu perculſos & terrore exagitatos, Scriptura memorat, vt ſeipſos trucidarint,& Iehoſaphat cum populo tantùm ſpolia legerint, quæ tam multa quoque fuere,vt tres dies inſumpſerint ea colligendo,& diuidendo. Poſtremò admodum conuenit & quæ Sacra hiſtoria meminit de ſolenni pompa, qua rex & populus Ieruſalem fuere ingreſſi,déque ingenti ſtudio prædicandi nominis Dei, cum cantu omnique organorum genere, quo totus populus flagrabat. His nihil obſtat quòd filiorum Korah titulo Pſalmus prænotatus eſt. eorum enim ordo ad Ioſiah vſque tempora perdurauit. Porrò vtcunque iſta habeant, id abundè ex verbis Pſalmi liquet,inſignem fuiſſe tam hoſtium cõſternationem, quàm populi Dei victoriam,quæ hic canitur. 2.Reg.19.g.35. Ies.37.g.36.

6 *Ipſi viderunt,ſic obſtupuerunt: territi ſunt,metu præcipitati ſunt:*

7 *Tremor apprehendit eos ibi,dolor ſicut parturientis.* Viderunt,idem eſt atque ſenſerũt,nempe virtutem Dei ſuos propugnantis: inde obſtupuerunt, attoniti ad inopinatam vim numinis: & toti perterriti,atque metu præcipitati:id eſt ad fugiendum impulſi ſuprà quàm vires ſufficerent. Eſt enim hic חפז verbum, quo Sacra hiſtoria vſa eſt & 1. Regum 23, vbi memorat quemadmodum

Dauid conabatur fugere, iam ab exercitu Schaulis circundatus. Illic legimus, נחפז ללכת, id eſt metu acceleratus, & quaſi præcipitatus fuit vt fugeret, nimirum metu & conſternatione celeriorem fugam imperante, quàm pro facultate corporis. Verbũ enim חפז alicubi trepidare & conſternari ſignificat, alicubi etiam feſtinare. Deuteronomii 20.a.3, vbi in exhortatione populi præliũ commiſſuri legitur, אל תיראו ואל תחפזו, id eſt ne timeatis, néve conſternemini, apertè mecum ſignificat. Rurſus Exodi 12.b.11, vbi de Agno Paſchali dicitur. Comedetis illum בחפזון, ſignificat feſtinationem. In præſenti loco paſſiuè ponitur. vnde omnino, vt illud de Dauide fugam ſupra vires moliente, accipiẽdum videtur, vt intelligas metu actos, & præcipitatos in fugam viribus corporis celeriorem. His commodè ſubiectum eſt verſu 7, Trepidatio apprehendit illos vt dolor parturientis. Is vbicunque mulierem corripuerit, ibi detinet: ſic & illis intelligit hîc Vates facultatem fugiendi fuiſſe ademptam, quanlibet metu ad fugiendum impellerentur.

8 *Per uentum Orientalem [qui] confringe naues Tharſis.* Hunc verſum A. Ezra & Rabi Schlomoh vt allegoriam accipiunt, in hunc ſenſum, Terrore & dolore incredibili perculſi fuerũt atque deiecti, acſi vento קדים, id eſt Orientali (quem nos Eurum vocamus, cui ſumma in Scripturis vehemẽtia tribuitur, qui cõfringere ſolet naues maximas, quibus ſcilicet nauigatur mare magnum) fuiſſent agitati & proſtrati. Nuſquã ſanè legimus hoſtes Iſraelis per mare veniſſe, vt nauiũ eorum contractio hîc commodè narraretur, donec ab hac parte Græci primùm & Romani bella illis intulerunt: excepto eo bello quod cõtra Ioſaphat motum à Gentibus fuit, de quo ſuprà meminit. Verùm quia hoc bellum non fuit nauale: nec legimus hoſtium naues confractas, ſed ipſos ſe inuicem contrucidaſſe, actos à Domino in furorem: veri haud diſſimile videtur, Vatem propter vehementiſſimam illam hoſtium cõſternationem & diſiectionem dicere voluiſſe, velut per Eurum ventorum tempeſtuoſiſſimum fuiſſe deiectos & diſperſos. Hac ſiquidem ſimilitudine & Iirmeia vſus eſt capite 18.e.17, vbi inducit Dominum ſic minari, Vento Kedim diſpergam eos coram hoſtibus. Subaudiendum ergo hîc erit אשר, id eſt qui: vt iſtud, Frangit naues Tharſis, ſit deſcriptio virtutis huius venti: vnde intelligi Vates voluit immenſam illam vim Dei in populi ſui hoſtes deſæuientem. Hic ſenſus cum præcedenti verſu pulchrè conuenit. Tharſis Cilicia olim dicta eſt, à Tharſis nepote Iapheth: vnde & metropolis eius, quæ inſignem portum habuit, & mercatum maximũ, Tharſus nomen habuit. Ea Paulo patria fuit Hinc & mare Ciliciæ, Tharſis. & naues quibus in mediterraneo mari nauigabatur maximæ, quas quidem norant Iſraelitæ, naues Tharſis dictæ ſunt. Lege Ioſephum, 1. Antiquita. capite 11. Solinus ſcribit, Tharſum olim matrem vrbium dictam, & Ciliciam vſque ad Peluſiũ AEgypti pertinuiſſe, habuiſſéque ſub imperio Lydos, Medos, Armenios, Pamphyliam & Cappadociam. Memorantur quoque Cilices Xerxi contra Græcos centum naues ſuppeditaſſe. Siquis autem hîc ſimilitudinem non agnoſcat, & putet in hac de qua hîc canitur, victoria, hoſtiũ naues quoque diſiectas: cum eo non contendero, attamen, quod magis probabile viſum eſt, ex temporis & locorũ circunſtãtiis indicaui.

9 *Quemadmodũ audiuimus: ſic uidimus in ciuitate Iehouæ exercituũ, in ciuitate Dei noſtri, Dei qui confirmauit eã in ſeculum. Selah.* Promiſerat Deus ſe præſentẽ adfore populo: id in Vrbe ſancta, vbi præcipuus ceremoniarum locus cõtinuò prædicabatur. Quũ iſtuc ergo tam præclarè fuiſſent experti, rectè cecinerũt ſe ita in ſacra Vrbe quoque vidiſſe, atque re ipſa expertos eſſe, vt de Domino teſtari Legem & Prophetas inibi audierãt, planéque firmatã ab ipſo Ieruſalẽ, vt nunquam in æternum labatur, agnouiſſe. Illud, *In ciuitate Iehouæ*, ad duo referendum: in ea enim & audierãt Dominum auxiliaturum, & auxilium perceperãt, dum Deus quòd in ea regnũ, ſuique cultus erat, adeò inſigniter defendit. Porrò ex Diuinæ promiſſionis adnuntiatione id ſequebatur quod canit verſu 10,

10 *Animo concipiebamus: ô Deus, bonitatem tuam, in medio templi tui.* Erat ſiquidem templum & Arca in templo, credentibus velut præſentis & fauentis, omníque in neceſſitate adfuturi Dei ſignum atque teſtimonium. Hinc igitur vrgente periculo cogitabant, quæ promiſiſſet Deus ſui tam præclara præſentia in templo donata.

11 *Secundum nomen tuum Deus, ſic laus tua uſque ad fines terræ: iuſtitia plena dextera tua.* Hic verſus idẽ canit, quod nonus. Illud enim, *Secundum nomen tuum*, perinde eſt atque Vti nomen tuum iactatum, vti de te prædicatũ, ita cumulatim omnia à te percepimus: eóque reſpondet iam laus tua de percepto auxilio, prædicationi nominis tui, virtutiſque auxilium laturæ. Laudis huius ſumma eſt, Iuſtitia plena eſt dextera tua: hoc eſt vt verti, quicquid geris, iuſtitia eſt, nempe ſumma bonitas. Iſta iam neceſſe fuit conſequi: id quod canit verſu 12.

12 *Lætabitur mons Sion, exultabunt filiæ Iehudæ propter iudicia tua.* Sic nanque iudicat regítque omnia hîc Rex, vt ſuis nihil non ſalutem promoueat, & fœlicitatem augeat. Obſeruandum autem, operũ Dei hîc indicatũ ordinem: quippe primùm prædicari Dei bonitatẽ, inde fide eã expectari, poſtea re ipſa illã percipi, vltimo gratias agi ſumma cũ lætitia. Opera Dei vera ſunt & ſolida,

veróque gaudio & germana lætitia perfunduntur,quotquot ea planè percipiunt:ad quod plurimum confert,aduerſis probè exerceri.

13 *Circumite Sion,& cingite eam,numerate turres eius.*

14 *Ponite cor veſtrum ad murum eius,exaltate palatia eius,vt narretis generationi ſequenti.* Inuitant Sācti Vates ad cōſiderandū circunquaque Ieruſalem, mœnia & palatia eius, externam ſcilicet & internam magnificentiam,quòd ea tanta ſit,vt nunquā ſit eius memoria inter motitura.Id de terrena illa & ſerua Ieruſalem, pridem ſolo æquata quis intelligat? Hic ergo typus aperitur, & res ipſa indicatur.Eccleſia Chriſti eſt,cuius nec mœnia,nec palatia,id eſt nec inuicta contra quoſlibet hoſtes munimenta,nec vitæ modis omnibus ad humanitatem formatæ,ac cunctis virtutum numeris excultæ, ornamenta ſatis mirari quiſquam poſſit. Vtrunque multis & elegantiſſimis tranſlationibus in Cāticis canticorū prædicatur. Illud רומו,id eſt exaltate,idē valet atque, vt celſa ſint conſiderate. Vt enim nos dicimus extolli,quæ ab humo ſublata prædicantur:ita Scriptura dicit exaltari,quæ exaltata agnoſcuntur,& perpenduntur.

15 *Quia iſte Deus, Deus noſter, vſque [in] ſeculum & vſque: Ipſe deducet nos vſque ad mortem.* Hic verſus obſcuro fine clauditur,propter dictionē על מות. Autor libri quem Maſoreth Hebræi vocant,quo germana ſacrorum Bibliorum lectio traditur,& exemplarium diuerſitas indicatur, tradit duas dictiones eſſe על מות,id eſt ad mortem vſque. Quidam vnam dictionem faciunt, & interpretātur eam iuuentutem:ſenſúmque loci huius faciunt, Deduces nos, vt à iuuentute ducere ſolitus fuiſti. Sunt quoque qui ab עלם, quod occultum ſignificat, deducunt, vt intelligas Deum deducturum nos arcana & mundo ignorata bonitate. Mihi prima ſentētia ideò certior viſa eſt,quòd & prima huius verſus pars de ſempiterna Dei ſuper nos cura & tutela canit, quū habet, *Iſte Deus, Deus noſter in ſeculum, & vſque in ſeculum.* Docemur hîc veræ Ieruſalem, germanæ Chriſti Eccleſiæ, Deū nunquam abeſſe, nullos hoſtes poſſe ei præualere, iugémque eſſe in ea Dei laudem, vt illa eius proſpectione & beneficiis inceſſanter fruitur,eóque ſempiterno quoque gaudio de Deo ſuo exultat. Hæc autem, vitam viuens adeò Diuinam & beatam, quem lateat vbi agat? Quúmque omnino talis ſit Chriſti Eccleſia,quid ſolo nomine nobis placebimus,hæc ſi nobis vita defuerit?

PSALMVS XLIX, in genere mixto, διδακτικός.

Inſaniam diuitias admirantium traducit,& miſeriam exponit. In hac enim vita bonis ſuis perceptis, æternùm apud inferos miſeri erunt, quum ſtudioſi virtutum in regeneratione ſempiterna fœlicitate fruentur, domini & iudices horum, quos nunc orbis ob vim diuitiarum, vt deos quoſdam ſuſpicit & metuit. ARGVMĒ.

1 PRæſuli, Oda filiorum Korah. PARAPH.
2 Audite hæc omnes populi, auſcultate his quiq; qui in hoc ſeculo degitis:
3 Quique plebei, quique dignitate aliqua pollentes, dites pariter & inopes.
4 Os meum loquetur ſapientiam, meditatio cordis mei prudentiam.
5 Accōmodabo parabolæ aurem meā, exponā adhibita cithara ænigma meū.
6 Cur timeam in aduerſo tempore, quum me prauitas inſidiantium mihi circunquaque obſidet?
7 Illi nituntur opulentia ſua, & celebres ſunt ob multas copias ſuas:
8 Et tamen nemo quanlibet dignitate polleat, vel fratrem ſuum poſſit à morte redimere: nemo qui Deo pretium redemptionis perſoluat.
9 Nimiū ſiquidem pretii eſt redimere à morte animas illorum, vt æuo viuant perpetuo,
10 Et vitam in ſempiternum proferant, ſepulchrum nunquam viſuri.
11 Sanè vident & ſapientes mori: peruerſi pariter & ſtupidi intereunt, aliiſque relinquunt opes ſuas.
12 In animis ſuis cogitant domus ſuas permanſuras in ſempiternum: habitationes ſuas per ſecula, extulerunt nomina ſua in terra.
13 At homo in fortuna ſua ſplendida haudquaquam permanebit, ſimilis erit pecudibus quæ prorſus intereunt.
14 Hoc iſtorum inſtitutum, vera ipſorum ſtultitia eſt: & tamen poſteri eorum præcepta ipſorum cupidè ſectantur. Selah.
15 Inſtar gregis apud inferos collocabuntur, mors aget paſtorem eorum: recti

exorta luce dominabûtur illorum, forma eorum peribit: infernus, ipſorum domicilium.

16 Sed animam meam reducet ab inferno Deus: nam ſuſcepit me. Selah.

17 Nihil metuas quum ditatus vir quiſpiam fuerit, quum dignitatem domus ſuæ auxerit:

18 Haud enim ſumet omnia ſecum quum morietur, non deſcendet cum eo comes dignitas eius.

19 Nam anima eius in vita ſua bonis fruetur: & quum benefeceris tibi, ferent te laudibus.

20 Concedent autem iſti ad nationem maiorũ ſuorũ, lumine nunquã fruentur,

21 Homo cui cõtigerit fortuna ſplendida, nec ſimul recto iudicio præditus fuerit, is ſimilis erit pecoribus quæ prorſus interierunt.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *Audite hæc omnes populi, percipite auribus omnes habitatores ſeculi.*

3 *Etiam filij Adam, etiam filij viri, ſimul diues & inops.*

4 *Os meum loquetur ſapientias, & meditatio cordis mei intelligentias.* Præfatur his verſibus, & vocat quæ dicturus eſt, ſapientiam & prudentiã, quòd ex vera ſapiẽtia & prudentia omnia nata ſint, & rectè ſapere, prudẽtérque omnia iudicare ac inſtituere doceant. Vocat item parabolã & ænigma, eo quòd cum collationibus, quæ Hebræis propriè dicũtur משלים, tum tectioribus (præſertim hominibus huic ſeculo deditis) ſententiis vtatur. Sic & Prouerb. 1. a. 1, parabolæ, enarrationes, verba ſapientũ, & ænigmata pro eodem accipiuntur, grauioribus ſcilicet ſententiis, quæ ferè & recõditi, & collationis aliquid habent, atque ideo enarrationẽ apud imperitiores requirunt. Ieſch. 14. a. 4, carmen de caſu regis Babel, eo quòd audentiores tranſlationes & hyperbolas poematũ more habet, Maſchal, id eſt parabola à Vate nuncupatũ eſt. Infrà Pſal. 68. a. 2, cantaturus Aſaph beneficia & miracula quæ Deus Iiſraeli exhibuit, dicit ſe aperturum os ſuũ parabolis, & eloquuturũ ænigmata temporis priſci. Certè quæ hîc Korachiræ canunt, paupertatẽ, aliáque vitæ huius incommoda nõ eſſe timenda, opes & copias nõ admirandas aut quærendas: tum Deũ iis qui in gratiam ipſius omnia deſpondent, dare, dum hac vita defunguntur, beatã & perpetem, quouis ænigmate obſcurius & perplexius eſt omnibus qui non per Spiritum Dei fuerint renati. Verſu 2, חלד, quod ætatẽ hominis ſignificat, id eſt ſeculũ (de quo in verſu 14 Pſalmi 17) pro orbe poſuit, vt nosquoque ſeculo abuti ſolemus. Filii viri, pro præſtabilioribus dixit, vt verſu 3 Pſalmi 4.

5 *Inclinabo ad parabolam aurem meam: aperiam in cithara ænigma meum.* Hoc ad commendationem dicendorum dictum eſt, quæ nempe eiuſmodi ſint, vt illis ipſe quoque Vates auſcultare diligenter, operæpretium ducat. Eo verò quod hîc ſequitur, *Cum cithara aperiam ænigma meum*, indicatur ratio qua fuit hæc Oda decantata, nimirũ ad ſonum citharæ. Studioſa illa omnium ad hæc audienda inuitatio, commendat pretium eorum: tum monet, quàm paucis ex tota hominum vniuerſitate ea perſpecta habeantur.

6 *Cur timerem in diebus malis, prauitas inſidiatorum meorum circundedit me?*

7 *Nitentes opibus ſuis, & qui de amplitudine diuitiarum ſuarum gloriantur.*

8 *Fratrem non redimendo redimet vir: non dabit Deo antilytron ſuum.*

9 *Et pretioſa redemptio animæ illorum, & ceßauit in ſeculum.*

10 *Et viuet adhuc in perpetuum, non videbit foueam.*

11 *Quoniam videbit ſapientes moriuntur: ſimul ſtultus & bardus peribunt, & relinquent poſteris ſuis opes ſuas.* Sanctus, eo quòd aduerſarios ſuos videt diuitiis, re fluxa & fugaci, vitámque nõ potente ſeruare, niti, animum recipit, præſertim quum ipſe Deo nitatur, qui ſolus vitam vt donat, ita æternùm ſeruat. & inſultans illis, glorians verò de Deo, ait, *Quem timerem in diebus malis, dum iniquitas inſidiantium mihi me circundat*, vndique coartans. Quàm inanis verò ſit illorum confidentia, de qua verſu 7, eo oſtẽdit, quòd nemo quanlibet diues, vel fratri vitam cunctis opibus ſuis queat prorogare, redempta à Deo anima, de quo eſt verſus 8. Nono canitur, animæ redemptionem pretioſiorem eſſe, quàm vt ab homine queat parari. Id verò ex eo patère, quòd omne genus hominum moriatur, etiam ſapientes, de quo canit verſus 11. De voce עקבי, id eſt inſidiatorum meorum, nonnihil in verſu 10 Pſalmi 41. A. Ezra calcaneum hîc intelligit, & interpretatur verſum in hunc modum, Quid timeam in die mali? quid circundet prauitas calcaneos meos? Hoc eſt, Cur implicem vitam meam iniquitate, ſectatus huius ſeculi opes? Sed quia ſolent ſacri Pſaltes eandẽ ferè ſententiam mutatis verbis in eodem verſu repetere, עקבי malui pro inſidiatoribus hîc accipere,

quos hæc (vox in pondere, vt Hebræi loquuntur, formationem intelligentes, זקני, Zakenai, id eſt ſenes meos) ſignificat. Tum ſiquidem tempus aduerſum eſt, dum mali ſunt qui adfligunt. Illud in verſu nono, *Pretioſa redemptio*: eſt ſimilis loqûutio illi, Oraculũ Iehouæ erat in diebus illis pretioſum, 1. Schm. 3. a. 1. id eſt haberi non poterat. כסיל ſtultum ſignificat, qui vltrò rationem ſuam à recto deflectit, non tam ratione quàm recta ratione deſtitutus. בער autem eum ſignificat, qui omnino ratione deſtitutus, ſtolidus & bardus eſt.

12 *Intimũ eorũ, domus eorum in ſeculũ, habitacula eorũ in generationem & generationẽ: vocarũt nomina ſua in terris.*

13 *Et homo in pretio non morabitur, ſimilis erit iumentis [que] intereunt.*

14 *Hæc via illorum ſtultitia eis, & poſteri eorum in ore eorum current. Selah.*

15 *Sicut grex in infernum collocabuntur, mors reget eos, & dominabuntur eis recti ad mane, & forma eorum ut veteraſcat, infernus domicilium eius.* Inſaniam aduerſariorum regis magis traducit, præſertim ab eo quòd ſibi tantopere placent ex rebus nihili. Quòd enim pergrandes ſibi magnáſque ædes extruunt, nominis quandam æternitatem ſomniant. Id canit verſu 12. Quid autem id eos beare poſſit, quũ in dignitate ſua & ſplendida fortuna permanere nequeant, & nominis eorum memoria tota aboleatur? Hæc verſu 13. Porrò hæc via, inſtitutum & omnis ſapiẽtia eorum eſt, quam & poſteris ſuis tradunt, qui in ore ipſorum currunt, id eſt in verbis, vel iuxta verba eorum viuunt & verſantur: quibus nimirum idem ſequi inſtitutum illi præcipiunt, vt opes ſeculi huius rebus omnibus præferant, ac in primis quærant. Hanc miſeri ſapientiam arbitrantur, vt præ ea inſtitutum Sanctorum ſatis nequeant ridere. Quid autem æquè miſerum? Hinc igitur, iſtorum infœlicitas quo diligentius conſideretur, appoſitum Selah eſt. Hæc verſu 14. Quintuſdecimus finẽ horum canit. Vita hac ſiquidem functi, apud inferos velut oues colliguntur, morte eos paſcente, hoc eſt ipſis dominante. Manè autem, vbi vita fuerit reſtituta, dominabuntur illis recti. Tum enim, quũ hi Chriſto ponentur ſcabellũ pedum, etiam regnantibus cum Chriſto rectis ſubiicientur, à quibus modò eos nihil non iniuriarum perpeti oportet. Interim forma eorum (quidam reddũt robur, vtrunque enim צור ſignificat) veteraſcit & interit, & eſt domicilium eorum tartarus. His nihil obſtat quod Dominus illis dicet, Faceſſite in ignem æternum, &c. Hoc ipſum enim iuſtorum ſuper illos dominiũ eſt, quòd vnà cum Chriſto eos iudicabunt. De medio nanque tempore inter regenerationẽ & vltimũ iudiciũ, in quo priſci quidã ſcriptores, inter quos & Lactãtius fuit, Sanctos impiis dominaturos cõmenti ſunt, Scriptura nihil docet. Porrò hic verſus verũ ænigma filiis huius ſeculi cõtinet, nẽpe de aurora nouæ vitæ, qua exorta, iuſti dominaturi ſunt impiis, hoc eſt eos cum Chriſto ſuo condẽnaturi: vt Vates vel huius dicti cauſa, iure ſe ænigma dicturũ præfatus ſit. קרבם in verſu 12, quidam Hebræorũ pro קברם inuerſis duobus elementis non infrequenti Scripturis metatheſi poſitum autumãt: & ideo hunc ſenſum huic verſui aſſignãt, Sepulchrum eorum domus illorum in ſempiternum, nec eſt eis quicquam reliquum, quàm quod à domibus magnificè extructis, aliquandiu in hominum memoria hærent, dum iactãtur ſcilicet tam ſplendidarum ædium extructores. Sed videtur argumento Pſalmi magis quadrare, vt intelligamus hic ſtultam diuitum huius ſeculi cogitationem traduci, qua propter tam facilè & breui interitura ædificia, ſperant ſeſe immortales futuros: quũ per ſæpe eueniat vt ipſa quidem ædificia ad tẽpus admirationi ſint, quia hominibus vſui: eorũ autẽ, qui illa extruxerunt, nemo vel nomẽ ſciat.

16 *At Deus redimet animam meam de manu inferni, quia ſuſcepit me. Selah.* Deũ canit ſuis dare immortalitatem, reliquos tantùm in hoc ſeculo bonis perfrui. At Deus, inquit, redimet animam meam de manu inferni, hoc eſt mortis: vitam quoque corporis, & fœlicem, mente, dum corpus humo demandatũ eſca vermiũ eſt, beato Dei conſortio fruente, reſtituet. Huius verò fœlicitatis dum cauſam reddit, prædicat eandẽ omnibus credentibus cõmunem. ait enim, Quia ſuſcepit me. Quoſcunque enim ſuſcepit Deus (ſuſcipit autem quos elegit ad vitã, quibus ſuum donat Spiritum) ii omnes, vt Seruator dixit, mortem nunquam guſtabunt. Nam ſuſcitabit illos in die nouiſſimo, & interim mentibus ſua gaudia donabit in cælis. Et hoc ænigma eſt, quod caro & ſanguis intelligere haud poſſunt, ideo & Selah adiectum eſt. Chaldæus habet hîc, Quoniã docebit me Legem ſuam in æternum. Kimhi verò accipit יקחני pro tollet me: ſicut accipitur Gen. 5. c. 24, de Hanoch, Et non erat, quia לקח, id eſt ſuſtulit illũ Deus. vult enim ſenſum eſſe, Redimet Deus animã meam ab inferno, vel ſepulchro, quum ſuſtulerit me & mori fecerit, vt ſcilicet anima cum corpore extinguatur. Ab. Ezra autem, ſuſcipiet me, idem eſſe putat atque, aſſumet ad ſe in morte ſpiritum meum. iuxta illud, Deducet me conſilio ſuo, & poſtea gloria ſuſcipiet me.

17 *Ne timeas quum diues euaſerit quiſpiam, quum aucta fuerit dignitas domus eius:*

18 *Quia non auferet in morte ſua omnia non deſcendet poſt eum dignitas eius.* Veriori fœlicitate donatos hortatur ne metuant, id eſt ne ſibi diſpliceant, aut malorum potentiam formident, dum mali ditantur, & dignitate propter opes augentur. nihil enim ſecum tollent, dum vita functi ad inferos deſcendent, non comitabitur eos ipſorum ſplendor & dignitas.

19 *Quia animæ eius in uita eius bonis fruetur, & celebrabūt te quū benefeceris tibi.* De diuite loquitur, cui diuitiæ ſuæ in hac tantùm vita commodo ſunt, & celebrem nulla alia ratione faciunt, quàm quòd ſit vnde cutem molliter & delicatè curet, & ſibi ipſi benefaciat: id quod de diuite illo Euangelico legimus, cui poſt mortem cruciato apud inferos, reſponſum fuit, Memor ſis, te bona tua in vita tua recepiſſe, nimirum quum ſplendidè veſcereris, & purpura ac byſſo veſtireris. Ab. Ezra iſtam particulam, Laudabunt te quum benefeceris tibi: ad bonos & prudentes refert, qui ſibi ipſis benefaciunt, dum contemptis diuitiis, virtuti ſtudent. Sed quum etiam ſequenti verſu de ſtultis diuitibus Pſalmus canat, & ſit perpetuus ferè Pſaltis mos, eandem ſententiam mutatis verbis in eodem verſu repetere: mihi magis arridet, vt iſtud Benefacere ſibi, de mollicula cura genii intelligamus. iudicium ſit penes lectorem. Aliàs dictum, ברך & laudare & benefacere ſignificare. ſic vtrunque ſignificatum quadrat, ſi intelligas diuitem laudari propter diuitias. Kimhi totum verſum de bonis interpretatur, ſed repugnat contextus.

20 *Ibit ad nationem patrum ſuorum, uſque in ſempiternum non uidebunt lumen.*

21 *Homo in pretio, & non intelliget: comparatus eſt iumentis [quæ] ſilentur.* Canit iterum de fine nitentium diuitiis. Tandem enim dum ſibi videntur planè fœlices, nec quicquam tale expectant, rapiuntur hinc, & concedunt ad nationem patrum ſuorum, in infernum: & lucem, hoc eſt veram vitam, nūquam aſpicient. Homo enim cui Deus præclaram fortunam dedit, nec id intelligit, autorémque eius non agnoſcit, ille morte corporis ſemel omnibus bonis in ſempiternum ſpoliatur, non ſecus atque beſtiæ, niſi quòd ipſum cruciatus præterea excipiunt gehennæ, vbi pœnas ingratitudinis & impietatis ſoluet, at perſoluet nunquam. Hanc parabolam, hoc ænigma, qui verè perceperit, veram ſanè ſapientiam & prudentiam conſequutus eſt. A fucatis enim bonis animum auulſiſſe, & Deo bonorum omnium fonti addixiſſe, vita eſt ſempiterna & beata.

PSALMVS L, διδακτικός.

ARGVM. *Canit ut magnifice Deus cunctus orbis nationes Euangelio ad ſe uocaturus, electóſque ſuos potentiſſima manu adſerturus fuerit. Tum, ut bonitatis ſuæ confeſſionem & prædicationem à ſuis, & nulla iam ſacrificia requiſiturus: ac quantopere religionem eius abſque ſyncero pietatis ſtudio iactantes, execraturus.*

PARAPH. 1 ODa Aſaph. Fortis Deus Iehouah, verbum faciet, & aduocabit quoſque terram inhabitantes, ab ortu ſolis vſque ad occaſum eius.

2 E Siion, ornamento perquàm eleganti, Deus lampada emittet.

3 Adueniet Deus noſter, neque continebit ſe, ignis ante ipſum flagrabit, circa eum vndique turbo proterens.

4 Vocabit cælum ſupernè: & terram, vt vindicet populum ſuum:

5 Colligite mihi bonos meos, qui ſacrificiis ſanciunt fœdus meum.

6 Et annuntiate cæli iuſtitiam eius, nam Deus ipſe iudex. Selah.

7 Audi popule mi, & loquar: Iſrael, & per te teſtificor, quòd ego Deus ſum, & Deus tuus.

8 Non arguā te ob neglecta ſacrificia, aut intermiſſa holocautomata, quæ mihi offerri iugiter debent.

9 Non eſt vt accipiam de domo tua bouem, nec de caulis tuis hircos.

10 Meæ ſiquidē ſunt omnes feræ ſyluarū, pecora quæ in mille mōtib⁹ paſcūtur.

11 Noui cunctas in montibus volucres, penes me ſunt animantes agreſtes.

12 Si eſuriero, te haudquaquam appellabo, quum meus ſit orbis, & quicquid ille continet.

13 An comeſturū me putas carnem taurorū, & ſanguinem hircorū bibiturum?

14 Sacrifica Deo laudem, & hoc pacto perſolue vota tua Altiſſimo.

15 Tum premente aduerſitate, me inuoca, & tuebor te, túque me honorabis.

16 Improbo autem dixit Deus, Quare tu ceremonias meas memoras? cur fœdus meum ore iactas?

17 Quum tu odias vitæ correctionem, & verba mea abieceris.

18 Si conſpexeris furem, illi te cupidè iungis, & inis ſocietatem cum adulteris.

19 Os tuum addixiſti malo, & lingua tua concinnat fraudem.

20 Sedes,& contra fratrem tuum loqueris,filium matris tuæ probro afficis.
21 Iſta tu deſignas:quúmque ego vltionem differo,cogitas me omnino eſſe ceu
quempiam hominē,tui ſimilē:diſceptabo itaque tecū, & ſtatuā me aduerſū te.
22 Iſtuc quæſo agnoſcite,qui obliuiſcimini Dei:ne ille corripiat, nec ſit qui e-
ripiat.
23 Sacrificans laudem, is honorabit me: & qui recta via graditur, illi exhibebo
ſalutem Diuinam.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Psalmus Aſaph. Fortis Deus Iehouah locutus eſt,& vocauit terram ab ortu ſolis vſque ad occaſum eius.*
2 *E Syon ornamento pulchro, Deus effulgebit.*
3 *Veniet Deus noſter,& non ſilebit:ignis ante eum vorabit,& quæ circum illum ſunt, conturbabitur valde.* Et Aſaph principem fuiſſe Cantorum,præter 15,& 16,primi Paralip.alia quoque loca teſtantur. Primùm canit ſacer Vates de aduentu Chriſti, Euangeliíque exortu,ac populi Dei ſelectione. Hæc Dei in ſuos bonitas,omni humana æſtimatione maior eſt, ideò tam magnificis eam verbis celebrat. Fortem, Deum & Iehouam loquutum ait, qua appellationum congerie exprimere voluit quantopere hanc Dei bonitatem admiraretur. Vocaſſe ait terram ab ortu ſolis,&c.quia Apoſtolos ſuos Chriſtus in vniuerſum orbem miſit quæſitum & adductum quicquid paſſim ouium eius errabat. Id Ieroſolymis factum eſt: ibi enim Spiritu Dei perfuſi, ad hoc munus primùm ablegati ſunt. Inde canit, E Siion (quam propter tam beatum humanæ ſalutis initium,iure ornamentum perelegans vocat)lampada,nempe Euangelii,emittet. Illic enim ea primùm effulſit,indéque in mundū totum peruenit. Igni & proterente turbine(de quibus verſus tertius)virtutem intellexit omnia deuincentem,qua cooperans verbo nuntiorum ſuorum,totum ſibi orbem ſubegit. De qua Paulus 2.Corinth.10.a.3, In carne quidem verſantes, haudquaquam ſecundum carnem militamus. Arma enim noſtra non carnalia ſunt,ſed ex Deo potentia,ad demolitionē munitionum, quibus conſilia demolimur, & omnem celſitudinem, quæ extollitur aduerſus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cognitionem ad obediendum Chriſto. Verè vorans ignis,& cuncta proterens ventus,tum vnà cum Euangelii face in orbe graſſabatur,quum tam inuicto verbo,tātíſque ſimul portentis princeps mundi per Chriſti præcones fœliciter adeò expugnabatur.

A Ieruſalem initium ſalutis.

4 *Vocabit cælos deſuper,& terram ad iudicandum populum ſuum.* Per cælum & terram intelligit ſuperos & inferos, cæleſtia omnia & terrena: hæc ſiquidem omnia adhibuit Deus ad vindicandum populum ſuum. Nam præter prodigia quæ in cælo & in terra pro Sāctis edebat Dominus, ſimul tam cæleſtes mentes, quàm mortales in hoc ſeculo illis inſeruire fecit, quo Satanæ tyrannide eriperentur quicunque ad vitam erant præordinati.

5 *Colligite mihi bonos meos,incidentes fœdus meum ſuper ſacrificio.* Canit in quo ſit ſitus Chriſtianiſmus, & qualem iam Deus populum velit:facit enim Deum dicere, *Colligite bonos meos,* Spiritu nimirum meo præditos,quo ad bonitatis ſtudium impelluntur. Addit, *Qui ſacrificiis ſanciunt fœdus meum:* hoc eſt non ſolùm ceremoniis ſacrificiorum ſeſe mihi addicūt,ſed ſacrificiis fœdus mecum ſolida fide iciunt,vt me Patrem ſuum agnoſcant,& ſeſe,vt filios decet,mihi morigeros exhibeant.Illud enim,על זבח,cum,vel ſuper ſacrificio probè redditur.Sacrificiis ſiquidē ſolis ſine fide fœderis, populus olim Deo etiam abominationi erat. Inde apertis mox verbis hoſtias reiicit.Quidam,pro ſacrificio,legunt:nam על nonnunquam idem valet quod pro.Sic ſanè hunc locum Chaldæa paraphraſis intellexiſſe videtur: nā reddidit, Colligite ad me bonos meos, qui ſtatuunt pacta mea,paciſcuntur Legem meam,& occupantur in precibus,quæ pares habentur oblationibus.Mihi magis probatur prior interpretatio:quia non ſolùm apud veteres,ſed etiam apud nos,ceremoniarum & ſacrificiorum vſus eſt, qui piis ſemper ſacroſanctus eſt, vt quibus fœdus cum Deo velut publicè iciunt, & icti ſeſe admonent, ipſúmque renouant. Habetur hic כרתי, incidētes fœdus:olim enim incidebantur in æs aut ſaxum leges fœderum.De fœderis cum Deo ratione,dictum in Pſalmum 25,verſu 10.

6 *Et annuntiate cæli iuſtitiam eius, quia Deus ipſe iudex. Selah.* Canit maximè publicandam Dei bonitatem per Euāgelium.eo enim quod cecinit, *Annuntiate cæli iuſtitiam eius,* ſignificare voluit,iuſtitiam,id eſt bonitatem Dei vbique inuulgandam. Quæ nanque cæli adnuntiant, omnibus nota fiunt, quum illi ab omnibus conſpiciantur, & luce ſua cuncta detegant. Sic quum Moſcheh cælum & terrā teſtes inuocat eorū quæ Iiſraeli tradebat, idē erat acſi dixiſſet, Notiſſimum ſit hæc me vobis tradidiſſe, acſi id audiiſſent vniuerſæ creaturæ, & quicquid eſt in cælo & in terra. *Quoniam Deus ipſe iudex:* nimirum omnium, qui vnus omnia gubernat. huius iuſtitiam quo-

Deut.32.a.

que omnia prædicant,vt ſicut eſt omnium iudex & Deus,ita quoque talis agnoſcatur & colatur.
Hoc tam multis ſeculis fuiſſe ignoratum, & Euangelii primũ tempore cunctis gentibus adnun-
tiatum, ſumma dignum admiratione eſt, & Paulo nunquam ſatis prædicatum myſterium: ideò
hîc Vates Selah adſcripſit.

7 *Audi popule mi, & loquar. ô Iiſrael, & teſtificor per te, Deus, Deus tuus ego.* Reiicit hîc fiduciam ſacri-
ficiorum,eorúmque abolitionem prædicit. Quúmque inducit Deum poſcere à populo ſuo vt ſe
audiat,& agnoſcat ſuum Deum: oſtendit in hoc ipſo omnem verum Dei cultum & pietatẽ ſitam
eſſe, nempe vt Domino nos penitus addicamus, & vt Deo noſtro auſcultemus. Eadem omnino
habet Iirmeiah 7,quæ adduxi ſuprà verſu 7 Pſalmi 40. Item 1.Schmu. 15.e.22. Auſcultare,id de-
mum hoſtia eſt:& attendere,gratius adipe. Idem ipſum verò per populum teſtatus Deus eſt,dum
ita beneficiis affecit, vt vltrò Domino ſeſe conſecraret, & Deum eſſe profiteretur. Iſtuc eſt quod
ait, *Teſtificor per te*, id eſt teipſum in teſtem adhibeo , quòd ego Deus ſum, iudex & moderator om-
nium:& tuus Deus,id eſt iudex & Diuinæ ſortis largitor.

8 *Non arguam te propter ſacrificia, & holocauſta tua [quæ ſcilicet debent eſſe] coram me iugiter.* Hoc eſt,quãuis
ita in Lege mea ſtatuerim, vt iugibus ſacrificiis & holocauſtis fidẽ tuã erga me,vt populus meus,
teſteris, ob ea tamen, ſi nulla adhibeas,cæterùm fidẽ ſyncerã præſtes,nõ te reprehendã.Nam fieri
potuit vt hanc ſine ſacrificiis ac ceremoniis populus præſtaret,vt nõ ſolùm nunc reuelato Chri-
ſto, ſed etiã antea templo deſolato,vel dum in aliena terra ageret.Cæterũ quũ licebat,& per tem-
pus,decebat ſacrificiis fidem teſtari. id Sancti religioſiſſimè ſemper ſtuduerunt, vt aliquoties di-
Ierem.7.e.22. ctum.Simile hic verſus habet cum illo Iirmeiah,Non mãdaui vobis de ſacrificiis & holocauſtis.
Kimhi putat לא duobus locis ſeruire, eóque legendũ,Et holocauſta tua non ſemper corã me:hoc
eſt nõ habebo ſemper eorũ rationem, vt propter illa neglecta te corripere,ſicut ſi præceptis meis
Abrogata ſacrificia. parũ auſcultaris. Sed dicit Iudæus,Et de holocauſtis,aliiſque ſacrificiis Dominus præcepta dedit.
Dedit quidẽ, ſed tandiu obſeruanda,quãdiu veræ pietati ſeruiebant,hoc eſt quãdiu populus Dei
pueri inſtar habuit,& à Gẽtibus ſegregatus,ſub Lege,ceu pædagogo degit. At vbi fœdus nouũ cũ
electis per vniuerſum orbẽ ſparſis,per Euangeliũ,& huius perſuaſorem Spiritũ ſanctum,largius
quàm vnquam antea ſuper omnes electos effuſum, ictum eſt, & cœperunt plenius quàm antea
Deum cuncti agnoſcere,de quo Iirmeiah 31.f.31,& Vates alii: vt propius ad vitam cæleſtem San-
cti acceſſerunt,ita elementis pietatis,externis huiuſmodi ceremoniis facti ſunt liberiores,ſicut eo-
rum penitus liberi erunt, quum Deum videbunt ſicuti eſt. Quo certè mens Deũ cognoſcit ple-
nius,eo etiam verioribus & gratioribus ipſi obſequiis ſtudet illum demereri. Iam quæ Deus præ-
Rom.13.b 8. cepit,huc eunt vt ſemel reddamur per omnia boni, hoc eſt dii quidam. Inde dicit Paulus, Dile-
ctione proximi totam Legem impleri. Hæc paſſim in Scripturis, præſertim Prophetarum tradi
ta ſunt,ſi modò legantur mente, Dei Spiritu donata. Hac dum gens Iudæorum deſtituta, velum
habet ob oculos, fruſtra illos verbis vrſeris, quanlibet illa videantur noſtram veritatem teſta-
ri luculenter. Nihil eſt contentione carnali,dum pietatis curam mentitur, minus murum. Mit-
tendi igitur ſunt, donec Spiritus Chriſti eis contigerit. Eum vbi nacti fuerint,vt videbunt quid
potiſſimum à nobis requirat Deus, nempe plenam ſuæ bonitatis imitationem: ita nihil obſcu-
rum illis erit,Deum in hac Diuinæ cognitionis luce,eáque iam toti orbi impartita,nihil minus
à ſuis poſcere, quàm externas illas ceremonias Legis. Neque diffitebuntur id clarè à Prophetis
prædictum,vbicunque de donanda humano generi, & quidem omni,ampliore Dei cognitione,
& ſolidiore iuſtitia,vaticinati ſunt. Neque enim cohærẽt hæc,virilioribus iam Dei obſequiis ac-
commodatum eſſe,& ſimul detineri elementis puerilibus. Puerilia autem eſſe elementa,quicquid
eſt corporalium rituum,& externarum ceremoniarum,nemo dubitare poterit qui agnouerit vi-
rilem vitæ formam eſſe, vt Chriſto, atque adeò Deo ipſi conformes ſimus, ita comparati atque
inſtructi,vt omnia dicta & facta noſtra,omni tempore & loco, Deo gloriæ,& mortalibus ſint ſa
luti. Hæc volui hîc ad ea quæ in Pſalmo viceſimo & quadrageſimo de ſacrificiis memini,adiice-
re. Figuræ,typi,& vmbræ fuerunt, vt ſacrificii Chriſti,ita omnium Chriſtianorum,præfiguran-
tes noſtrum & omnium ſanctorum eſſe,nos ipſos iam Deo,vti Chriſtus fecit,offerre:in hoc iam
liberos tot ſacrificiorum obſeruationibus quæ veteribus indictæ erant, incumbere. Huius tem-
poris erit,non mactare pecudes,aut quicquam aliud offerre.

9 *Non accipiam de domo tua bouem,nec de caulis tuis hircos.*

10 *Nam mea eſt omnis fera ſyluæ,pecora in mille montibus:*

11 *Noui omne volucre montium, & pecus agri mecum.*

12 *Si eſuriero,non dicam tibi,quia meus eſt orbis, & quicquid illum implet.*

13 *Nunquid edã carnem taurorũ, & ſanguinem bibam hircorũ?* Hiſce verſibus quinque reddit cauſam cur
Deus nõ moretur ſacrificia. Primùm quicquid eſt vel cicurũ vel ferarũ animãtiũ, in ſua manu
habet:nõ igitur eſt ratio, cur ea poſceret de domo hominis. Deinde non veſcitur carne, nec bibit

ſanguinem beſtiarum: nihil ergo poteſt, vt homo, morari pecorum mactationem. Nunquam igitur ſacrificia ipſa, ſed animos ſacrificantium dedi ſibi popoſcit, ſacrificiorum ritu in hoc ſic ad tempus inſtituto, vt Diuinæ bonitatis rudior populus identidem admonitus, & ſui conſecrationem ſubinde teſtatus, in qualicunque Dei ſtudio augeſceret, & mori ſibi, viuere Deo paulatim diſceret. Obſeruandus in verſu 11 idiotiſmus, *Noui omnes uolucres*, pro habeo in mea poteſtate. quod idem in eodem verſu dixit per illud, Fera agri penes me. Quum itaque Scriptura habet, Deus nouit ſuos, nouit viam iuſtorum, & ſimilia, idem valet atque Habet eos vt ſuos, curat eos, viam eorum tuetur.

14 *Sacrifica Deo laudem, & redde Altiſſimo uota tua.*

15 *Et inuoca me in die anguſtiæ, defendam te, & glorificabis me.* Cultum verum Dei his apertius exprimit. Prædicare nanque Deum, & bonitatem eius in rebus omnibus celebrare, non eſt niſi eorum qui illam planè agnouerunt, eique ſeſe iuſta fide dediderunt. Hi iam neceſſe eſt auſcultent Domino, fœdúſque cum ipſo ictum ſeruent ſanctiſſimè. Totius igitur pietatis cóſummatio eſt, ex animo Dei laudes deprædicare. Hinc & Paulus, Corde creditur ad iuſtitiam, ore fit confeſſio ad ſalutem. Porrò quid quiſque de Deo ſentiat, nunquam certius prodit, quàm dum premunt aduerſa. Nam ſiquis tum vnius Dei opem inuocarit, teſtatur vtique illum vnum pro Deo ſuo agnoſcere & colere. Hinc ſubiunctũ hic eſt, *Inuoca me in die aduerſitatis*. Etenim ſolet quoque plenior eſſe laus Dei, quum bonitatẽ eius, animus aduerſitate liberatus deguſtauit largius & præſentius. Præterea ſic eſt hominis animus comparatus, vt dum quid orat, ſiue id à Deo, ſiue homine, ſemper aliquid viciſſim promittat. hinc veteres certas ſere hoſtias vouebant. At in luce Euangelii, quum puerilia illa finem habent, ſicut omnes norunt Deum vnum hoc poſcere, vt nos ipſos ei dedamus: ita nullum aliud, dum auxilium Dei Sancti flagitant, votum ſolent nuncupare, quàm nomen ſe ipſius, vita & verbis, quantum quiſque valeat ſtudioſiſſimè glorificaturos, ac eo quamplurimos, ſi modò ipſe aſpiret, huc vt bonitati ipſius ſe conſecrent, adducturos. Hæc vota ſunt quæ probat Deus, quæ ſubinde Dauid nuncupaſſe, & ſoluiſſe ſe memorat. In vita futura nihil aliud Sancti, quàm canent gloriam Deo, noménque eius laudibus vehent. Quo itaque illi propius tempore Euangelii acceſſimus, eo decet huic rei ſtudioſius incumbamus. Proinde quum tempus Euangelicum hic Vates voluerit prædicere, commodùm induxit Deum pro mactatione pecudum, nominis ſui laudem poſcere, eóque rectè honorati ſe, teſtari. Sed nemo putet ſe id ſolis verbis poſſe præſtare: ex animo laudare Deum, id demum totius pietatis perfectio eſt, & præcipuum quo Deo gratificamur. Sed qui ex animo Deum, vt Deum, omnis boni autorem poterit laudare, illi quoque nihil penitus habebitur Deo vel maius, vel charius. hinc iam & tota vita, cunctæque vires, ad ſanctificandum nomen eius ſeſe accommodabunt: vt ſicut Paulus hortatur, quicquid verbo vel facto tentauerimus, omnia ad gloriam Dei cedant.

16 *Et improbo dixit Deus, Quid tibi, ut commemores ceremonias meas, & ſumas in os tuum fœdus meum?* Canit nunc quàm deteſtetur Deus hypocriſim, & vt neminem inter ſuos agnoſcat, niſi qui ex animo ipſi ſeſe addixerit. Tam enim externis iſtis, ſine pietate cordis adhibitis, nihil delectatur, vt etiam ob ea grauiter iraſcatur. Hinc facit Deum cum improbo expoſtulare, quòd ſuas ceremonias (id enim חקי ſignificat, de quo in Pſalmo 19, & fœdus ſuum memoret.

17 *Et tu odiſti correptionem, & proieciſti uerba mea poſt te.* Obſeruandus verò ordo eorum quæ improbo tribuit. Sunt enim gradus impietatis. Primum eſt, correptionem reſpuere. nam quũ mali naſcamur, primus ad pietatem gradus eſt, correptionẽ admittere, & mala noſtra agnoſcere. Proximum, verba Dei abiicere. Qui enim non ſuſtinet argui, neceſſe eſt Dei verba abiiciat: quæ vt docent vitam innocentem, ita noſtram nuſquam non damnant. Iſta verò conſequitur, vt cum quibuſuis ſceleratis ſocietatem ineat, nullum flagitium execretur.

18 *Si uidiſti furem, & concurriſti cum eo, & cum ſcortatoribus portio tua.* Duo mala nominatim perſtrinxit: alterum peruerſæ libidinis: alterum iniquæ cupiditatis habendi. his totam reliquam ſcelerũ ſentinam complexus eſt.

19 *Os tuum miſiſti ad noxam, & lingua tua concinnat fraudem.*

20 *Sedens, contra fratrem tuum loqueris, contra filium matris tuæ das conuitium.* Hîc quarto loco notat in improbo ſtudium nocendi fraudandíque: mox quinto loco exuit eum omni humanitate, ita vt calumniari ſuſtineat, & probris afficere fratrem quoque & filium matris ſuæ: quo vel idem repetiit, vel maiorem coniunctionem dicere voluit dum vterini fratris meminit.

21 *Illa feciſti, & tacui: exiſtimaſti quòd ſim omnino futurus ſicut tu, arguam te, & ſtatuam me contra oculos tuos.* Hoc vltimum & totius impietatis conſummatio eſt, quòd impius ſibi perſuadet, Deum nullam habere ſuorum ſcelerum rationem, eo quòd vltionem differt: eſſéque ſicut ipſe, hominẽ neſcientem quæ ſecretò alii admittant. Inducit itaque Vates Deum vltionem minitantem, ínque tempore adhuc ſupplicium de ipſo ſumpturum.

Rom. 10. b. 10.

1. Corint. 10. g. 31.

22 *Intelligite obſecro hoc qui obliuiſcimini Dei: ne corripiam, & non ſit qui eripiat.*

23 *Sacrificiũ laudis honorificabit me: & qui ponit uiã, faciã uidere illũ in ſalute Dei.* Nihil eſt ſecurius hypocritis. Monet igitur eos vt intelligant hæc, agnoſcant Deũ maturè adhuc omnis prauitatis pœnas exacturũ: quo corripiente, nemo erit qui eripiat. Metaphora eſt à beſtiis prædam corripientibus mutuata. Vſus eſt ea & Pſalmi 7 verſu 3. Verſu vltimo repetit de ſacrificio laudis: quod nimirũ (vt dixi) totius Diuini cultus colophõ eſt. additque, Qui ponit viam: id eſt viã ſuam dirigit, hoc eſt recta via graditur, ei oſtendam, id eſt exhibebo ſalutem Dei, hoc eſt certam & diuinam: vt Dei vocari ſolent quæ ſunt maxima & abſolutiſſima. Donet Deus vt ipſum verè agnoſcamus: ſic faceſſet omnis hypocriſis, & licebit ex animo Deum prædicare, in quo plena & iuſtitia & fœlicitas ſita eſt.

PSALMVS LI, χρηματικὸς καὶ δικτικός.

ARGVM. *Precatio eſt peccata ſua seriò agnoſcentis, qua pius bonum Dei Spiritum (quo omnis praua cupiditas reprimitur, iuſtitiæ grauiter ſtudetur, quæ uera eſt peccatorum abolitio) orat: & tum ad docendũ eadem alios, bonitatemque Dei prædicandam, quæ germanæ reſipiſcentiæ officia ſunt, ſeſe offert, adiuncta prece pro communi inſtauratione Eccleſiæ, ueræ Ieruſalem.*

PARAPH. 1 PRæſuli, Oda Dauidis.

2 Quum adiiſſet eum Nathan Propheta, poſtquam congreſſus fuerat cum Bath-ſchaba.

3 Miſerere mei Deus pro bonitate tua, pro ingenti miſericordia tua abſterge ſcelera mea.

4 Laua plurimum me iniquitate mea, & flagitio meo munda me.

5 Nam ſcelera mea agnoſco, & flagitia mea ſunt ſemper mihi ob oculos.

6 In te, in te ſolum peccaui, & quod diſplicet tibi admiſi: propterea verè iuſtus agnoſcêris in verbis tuis, & purus quum de te iudicabitur.

7 En ego cũ iniquitate fictus ſũ, & peccato inquinatũ cõcepit me mater mea.

8 En tu voluiſti vt veritas obtineret in intimis: notã faciebas mihi ſapiẽtiam, quæ in penetrali cordis reſideret.

9 Expia me hyſſopo, & purus ero: lauabis me, & candidior ero niue.

10 Gaudio & lætitia perfunde me, fac exultent oſſa quæ percuſſiſti.

11 Auerte faciem tuam à flagitiis meis, & cunctas iniquitates meas abſterge.

12 Cor purum crea mihi Deus, & Spiritum firmum innoua intra me.

13 Ne abiicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne tollas à me.

14 Fac iterum gaudeam te ferente ſalutem, & Spiritus liberalis ſuffulciat me.

15 Inſtituam ſceleratos in via tua, & conuertentur ad te flagitioſi.

16 Eripe me à reatu cædis, ô Deus, Deus ſeruator mi, & ouabit lingua mea de iuſtitia tua.

17 Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam:

18 Nam hoſtiis nõ delectaris, alioqui eas obtuliſſem: holocauſtũ nihil moraris.

19 Hoſtiæ Deo gratæ, ſpiritus confractus: cor confractum & deiectum haud aſpernaberis Deus.

20 Benignè fac ex beneuolentia tua Siion, ædificentur muri Ieruſalem.

21 Tunc delectaberis hoſtiis, holocauſto, & libamento iuſtitiæ, tunc imponent altari tuo boues.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 Q*Vum uenisset ad eum Nathan Propheta, poſtquam ingreſſus fuiſſet ad Bath-ſchaba.* Memorabile humanæ imbecillitatis, & ſimul diuinæ bonitatis exemplũ in hoc Dauidis ſcelere propoſitum. Per ſe immane & multiplex ſcelus fuerat, vxorem innocentiſſimi & fidiſſimi militis ſtupraſſe, tum ipſum neci obtuliſſe: poſtremò victoriam hac cauſa, indubiè nõ abſque aliorum quoque ex Dei populo cæde, hoſtibus Dei conceſſiſſe. His tamen tam multis & atrocibus malis, totius ferè anni impœnitentiã adiecerat, interim oblectans ſe vxore aliena, ſibi ſanguine innoxio, cúmque tam inſigni Dei contumelia vindicata, vir Spiritu Dei tantus, & ad cor Domini formatus. Etenim nato iam ex adulterio puero, Nathã primùm ipſum huius facinoris appella-

uit. ſiquidem inter mala quæ iuſſu Domini minabatur, & hoc numerauit, moriturum filiũ qui ex Bath-ſchaba iam erat natus. Sic ſumus nobis relicti. Quàm modeſtè igitur, & quanto in timore verſari conueniebat? O exoſculandam autem Dei bonitatem, qui ſeruum ſuum in tantã impietatem, poſt tanta beneficia prolapſum, non abiecit pœnitẽtem! Sed qui hanc nobis ſperamus, conſideremus ſimul quàm ſeriò horum Dauidem pœnituerit, vtque correptioni ob hæc benigniſſimi Patris ſeſe æquo animo ſubmiſerit, dum per Abeſchalomum perficerentur quæ mala ei Nathan prædixerat. Mihi quoque non tam pro vita filii ex adulterio nati, quàm pro ſcelerum horum condonatione, videtur luctui illi, ieiunio & precibus per totos ſeptem dies, de quibus Sacra hiſtoria meminit, ſeſe dediſſe. Pœnam ſiquidem malorum ſuorum in parte perſoluens, iræ Dei contra illa grauius admonebatur. Miris affectibus hic Pſalmus flagrat. nam exiſtimo in eo referri quomodo fuerit Dauid in illo ipſo luctu & ieiunio affectus, & quibus Deũ precibus pulſarit: vnde qui nõ ſit expertus, quàm vrat, quàm cruciet ſeria peccati agnitio, & iuſta offenſæ Dei conſideratio, quæ hoc Pſalmo canuntur haud vnquam planè aſſequetur.

3 *Miſerere mei Deus ſecundum bonitatem tuam: ſecundum amplitudinem miſerationum tuarum, dele ſcelera mea.*

4 *Multum laua me à prauitate mea, & à peccato meo munda me:*

5 *Quia ego ſcelera mea agnoſco, & flagitium meum coram me ſemper.* Hiſce verſibus, ardentibus precatur affectibus, ſcelera ſua abſtergi, ſeque iniquitate probè ablui: plurimùm enim fœdatum & deturpatum ſe ſentiebat. paſſim enim in Scripturis peccata, ſordes & inquinamenta per tranſlationem vocantur. Bonitatem Dei & amplam miſericordiam inuocat: grauiſſima enim ſentiebat ſua flagitia. חסד, quod cum vulgo interpretatum *Miſericordiam* verti, rectius redderetur, humanitas. Diuus Paulus φιλανθρωπίαν id dixit. Eſt nanque habitus animi ad miſericordiam pronus. De eo in verſu 2 Pſalmi 18. Verſu quarto cauſam reddit cur Dei fauorem & miſericordiam, quo peccatis liberetur, tantopere oret, *Quia*, inquit, *agnoſco peccatum meum.* Hinc enim iam miſerum eſſe ſe ſentiebat, hinc ad implorandã Dei opem vrgebatur: hinc denique miſericordia & bonitate Dei dignus euaſerat.

6 *Tibi, tibi ſoli peccaui, & malum in oculis tuis feci, propterea iuſtus eris in uerbis tuis, & purus, quum iudicaris.* Hoc verſu magis adhuc exprimit, vt ſe ſua flagitia diſcruciarint, dũ ait, *In te, in te ſolũ peccaui.* Peccarat & in fidiſſimum militem Vriah, ac totum exercitum, quem huius necandi cauſa in periculum adduci iuſſerat: ſed dum perpendebat quantum hoc ſuo ſcelere contempſerat & offenderat Deum, inde ita torquebatur, & animo diſcerpebatur, vt id vnum ſentiret, vnum quereretur, ac diceret Domino, In te, in te vnum peccaui: idque & quòd tuum adeò verbum contempſi, quòd te tantopere irritaui, hoc inquam me enecat, dilaniat, excarnificat. Sic nanque ei Nathan dixerat, Quare 2.Sam.12.b.9. contempſiſti verbum Iehouæ, vt faceres quod malum eſt in oculis eius? id eſt quod ipſi diſplicet, quod offendit. Rectè igitur, non iam in homines, ſed in Deum ipſum peccaſſe ſe agnouit, & queſtus eſt. Id quod ſequitur, *Propterea iuſtus agnoſceris in uerbis tuis*: concepta iam ſpe veniæ, & à peccatis ablutionis, ad præmiſſam precem, Miſerere mei, & ablue me iniquitate mea, ſubiecit. Hunc enim ſenſum habet, Propterea quum purgaris peccatis me agnoſcentem illa & confitentem, iuſtus deprehendêris in verbis tuis, & purus quum iudicatus: quum facta tua excuſſa, verbiſque tuis fuerint collata, nempe qui ita vt pollicitus es agnoſcentibus peccata & te veniã orantibus cõdonaturum, in me quoque præſtiteris. Eundem ſenſum habebũt, ſi תזכה per ν τ reddas, vt D. Paulus vulgatã editionẽ ſecutus, vſurpauit. Quum enim iungis cum verbo Miſerere, omnia rectè quadrant, Miſerere mei, dele peccata mea, quia ego agnoſco, inque te ſolum admiſſa confiteor, vt iuſtus agnoſcaris in verbis tuis, &c. Et hoc ſenſu Apoſtolus iſta Rom.3.a.4, adduxit. Quum enim Explicatus Pauli locus ad docuiſſet cap.2, Deum haudquaquam morari Circũciſionem, & externè Iudæis adnumerari, ſed Rom.3.a.4. Legis ſuæ obſeruationẽ: quam qui Iudæus non præſtitiſſet, haberi eum pro incircunciſo: & contrà, Ethnicum, qui eam præſtitiſſet, pro Iudæo: ne videretur Iudæis ſuam prærogatiuam iniuria ademiſſe, ſubiecit, Multum habere Iudæos adhuc prærogatiuæ, nimirum quòd eis eſſent tradita oracula Dei. Neque enim id Dei fidem abolere, quòd plerique eorum fide excidiſſent: ſed ſic potius rem habere, vt omnis homo reperiatur mendax, quippe qui nequeat præſtare quæ receperit, quæque polliceatur: vnus autem Deus perpetuò verax, vt qui cumulatiſſimè quæcũque promiſerit, præſtare ſoleat. Hoc iam cõfirmaturus, adducit hunc locum, Vt iuſtus agnoſcaris in ſermonibus tuis, & vincas quũ iudicaris: quod idem eſt atque, agnoſcaris purus. Ex his ſatis liquet, Paulum voluiſſe hoc loco dicere, ex eo quòd Iudæis ſua verba Deus credidit, nec propterea quòd illi ab ipſo defecerant, eos penitus abiecit, verbis & doctrina ſua ſpoliatos, iuſtitiam ſuam feciſſe illuſtriorem: vt nemo ipſum iudicans, & facta eius expendens, non ſit iuſtum purũque pronunciaturus. Hinc ergo, quòd ex hoc Pſalmi huius loco dixerat, Iudæorum defectione iuſtitiam Dei illuſtriorem fieri, eo quòd Deus ſua illis promiſſa, quanlibet multis eorum deficientibus, præſtet, cogebatur occurrere iis qui inde calumniam contra eum colligebant, quaſi doceret mala facien-

da, quo Dei miſericordia & veritas fieret illuſtrior. Horum ſiquidẽ erat obiectio quam ſubiecit, Si verò iniuſtitia noſtra Dei iuſtitiam commendat, quid dicemus?&c. Ex qua obiectione abundè patet Paulum intellexiſſe, Dauidem hîc voluiſſe dicere, ex ſuo ſcelere, quũ id Deus remitteret, & ſibi quæ promiſerat, nihilominus præſtaret, fore iuſtitiam eius ſplendidiorẽ. Ob id tamẽ nemo gloriæ Dei amans in animũ inducat admittere peccata, quo Deus condonando illa, euadat glorioſior. Nam quicũque gloriæ Dei ſtudebit, is ſicut Spiritu Dei agitur, ita nulli rei ex animo ſtudere poterit quæ non ſit iuſta, ſancta, & Dei Legi conformis. Vnde D. Paulus reſpondens ad hanc quæſtionem, Rom. 6.a.2. (nã tertio capite probat à Dei iuſtitia, quæ tanta eſt vt iniuria punire in nobis peccata, quamlibet ſua per illa iuſtitia clarior reddatur, non poſſit) ſcribit, Qui mortui ſumus peccato, quomodo viueremus in illo? Ex peccatis, Dei iuſtitiam ſplẽdidiorem reddere, Dei opus eſt, non noſtrum: nos dum peccamus, vt à malo agimur ſpiritu, ita ad obſcurandam illam ferimur. Nemo igitur peccare ideo poterit vt Dei gloriam illuſtret: at dum actus ab hoſte illius peccauit, orabit bonitate Dei ſuum malum vinci, & ita non ſua, ſed Dei opera fieri, vt ſui peccati occaſione Dei iuſtitia illuſtrior fiat, dum ille ſe peccato liberauerit. Illud, *Malum feci in oculis tuis*, idem eſt atque offendi te: cui enim quid diſplicet, dicit Scriptura id malũ eſſe in oculis eius: idiotiſmus valde frequens.

7 *Ecce in prauitate ſictus ſum [in utero] & in peccato concepit me mater mea.*

8 *Ecce veritatem in reconditis voluiſti, & in ſecreto ſapientiam notam mihi faciebas.* Queritur verſu ſeptimo de corruptela naturæ, quæ tanta eſt vt dũ fingimur & concipimur, ea nos ſtatim occupet peruerſitas, vt niſi nouos ſuo Spiritu Deus faciat, ad malum propendeant omnes Sancti, cunctæque vires noſtræ. Loquitur hîc de peccato quod fictis & conceptis ſtatim adhæret, non de peccato parentum, vt quidam putant. Iam Deus poſcit vt veritas, hoc eſt certa & ſolida iuſtitia, intima noſtra obtineat, vt ne vlla praua cogitatiũcula locum apud nos habeat hoc eſt, requirit vt toti recti, ſancti & iuſti ſimus, qui ab eo quòd ficti & cõcepti ſumus, toti praui, impuri & perditi ſumus. Per notam itaque admirationis, Ecce, verſum ſeptimum & octauum extulit. טחות quidam renes vertunt, ſignificant autẽ intima, Iiob 38.d.36, Quis poſuit ſapiẽtiam in טחות, id eſt intimis? quis dedit in opertis prudentiam? Quia verò impoſſibile erat vt iniquitate deprauatus ſimulatque fingebatur, & peccato iam inquinatus, quũ à matre conciperetur, veritatem in intimis cogitationibus & affectibus ſuis ita poſſideret, ne quicquam praui adhæreret: memorat Deum veram ſapientiam, quæ ſedem in operto penetrali cordis eius haberet, ſibi notam feciſſe, vt veritas illic radice acta, germina ſua per reliquas vires ſpargens, fructus tandem veræ certæque iuſtitiæ proferret. Huic autẽ doctori Deo ſeſe ſubduxerat, & cupiditatibus permiſerat, inde totus fuerat defœdatus & perditus. Inde ergo orat Dominum,

9 *Expia me hyſſopo, ut munder: laua me, ut niue euadam candidior.*

10 *Fac me audire gaudium & lætitiam, exhilara oſſa [quæ] percuſſiſti.*

11 *Abſconde faciem tuam à peccatis meis, & omnem prauitatem meam dele.* In ſolenni illo ſacrificio pro peccato, de quo Num. 19.c.18: item in purgatione leproſi, de qua Leuit. 14.a.6: hyſſopus adhibebatur. Vt ergo aſperſione illa, vera animi puritas ſignificata fuit, ita pro illa hic precatur, plena ſcilicet remiſſione peccati, qua percepta, & reſtituto fauore Dei, indicibili animus gaudio exultat, adeò vt per omnia corporis membra gaudium peruadat. id quod ait verſu 10. Verſu vndecimo eãdem precem geminat, quo animi ſui ardorem prodidit, & quàm nobis dolere peccata debeant docuit. Ablutionis & dealbationis metaphora, ad eundem modum vſus eſt & Ieſ. cb.1.e.18. Hyſſopi meminit, quia (vt dictum) in ſacrificio pro peccato & ſolẽni expiatione eius vſus fuit. Id quod Dominus forſan ita ſtatuit, quòd hæc herba ſingularem habeat vim purgandi.

12 *Cor mundum crea mihi Deus, & Spiritum directum innoua intra me.*

13 *Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne tollas à me.*

14 *Reſtitue mihi gaudium ſalutis tuæ, & Spiritus libertatis ſuſtentet me.* His iam verſibus canit quænam ſit vera peccatorum ablutio, & quo pacto fiat. Dum enim cor purũ Deus donat, & Spiritum firmũ, integrum, rectum (id enim ſignificat נכון) quo nõ libeat niſi quod ſanctum eſt, quod Deo gloriæ, & proximis ſit ſaluti, in nobis innouat, verè peccatis abluti & liberi ſumus, verè quoque in numerum filiorum Dei cooptati: vti omnino proiecti ab ipſo, dum nos hoc Spiritu deſtituit. Vt ergo verſu duodecimo innouari ſibi hunc Spiritum, atque ita ablui verè & confirmari in adoptione Dei precatus eſt: ita tredecimo deprecatur, ſe rurſum abdicari, hoc eſt proiici. quod factũ fuiſſet, ſi Deus ſuum Spiritum ab eo tuliſſet. Eſt verò idem Spiritus ſanctus, & firmus, vel rectus, id eſt נכון: nec alius eſt Spiritus נדיבה, quem alii principalem, alii liberum, alii ſpontaneum vertunt. Sanctus eſt, quia à ſancto venit, & ſanctificat: firmus, inſtructus, expeditus, quia recta & docet, & facit ſectari conſtanter: liberalis denique, & lubenti alacritate admirãdus, quia ſingulari facilitate, decoro, miráque gratia, dicta & facta Sanctorũ inſtituit, expedit, abſoluit. Porrò vox iſta נדב omni

no vltroneam & ſpontaneam voluntatem ſignificat. vnde quæ olim populus offerebat ſua ſpō-te, citra Legis præceptum, ea dicebatur offerre נדיב לב, ſpōtaneo corde. Sed quia liberis & optimatibus hominibus facultas eſt pleraque vt volunt facere, & nullius voluntati magnopere obſtricti ſunt, vocātur in Scripturis נדיבים, id eſt liberi, ſui iuris: mihi videtur oraſſe Dauid hîc, vt libero, alacri, prompto, & lubenti ad omne bonū Spiritu fulciretur, eóque reddidi *liberalem*. Verùm quum caro nihil boni queat perficere, vt in qua nihil ſit boni, ad omnia honeſta & ſalutaria Dei afflatu & Spiritu opus eſt, maximè autē ad officia Principum, quos oportet plurimis ſapere, bonóſque eſſe: hoc fortè mouit eos qui *πνεῦμα ἡγεμονικὸν*, Spiritum principalē, dignum Principibus reddiderunt. Tali ſanè, & omni quidem bono ſpiritu, Schaul deſtitutus fuerat, vbi verbum Dei contempſerat: id igitur iure metuebat & Dauid, eáque ratio omnino fuit cur multis illud deprecaretur. Quanquam in omnibus hominibus, dum peccatum obtinet, repreſſus eſt omnis boni Spiritus vigor & alacritas, ſtupet mens, languet animus, iacet omnis actio, ſed & ipſum corpus inerti grauedine torpet. Hæc indubiè per annum illū, quo quaſi ſtupuerat impœnitens Dauid, probè fuerat expertus. tum primum rectè ſentiebat, atque agnoſcebat, quū excitata admonitione Nathan pœnitudine, peccatum ſuos aculeos expedierat, ídque ſeſe exhibebat quod eſt, mortis ſcilicet aculeum, & tormentum æternum enecans. Denique & illud obſeruandum, quòd lætitiam ſaluris, id eſt de ſalute, cum Spiritu liberali coniungit. præcipuus enim fructus Spiritus eſt gaudium de Dei bonitate, cuius ille Sanctos ſuo teſtimonio certos reddit, dum teſtatur ſpiritibus eorum, eſſe eos filios Dei & hæredes, Rom. 8. c. 16. Verſus 15 habet verè pœnitētiū officiū. huiuſmodi enim nō in ſe ſolùm, ſed in omnibus, vniuerſa peccata extincta eſſe, maximopere cupiunt: vt qui iam ſenſerint quàm peſtilens, quàm exitiale malum ſint, quantíſque bonis ſpolient. Hinc canit,

15 *Docebo ſceleratos vias tuas, & flagitioſi ad te reuertentur.* Hoc eſt, dabo operam vt vias tuas non ſolùm ipſe terram, ſed & alios in eas adducā: curabóque vt ad te conuertantur, quoſcunque adhuc peccata abs te alienant.

16 *Libera me à ſanguinibus ô Deus, Deus ſalutis meæ, ouabit lingua mea de iuſtitia tua.* A reatu ſanguinis, quo Vriah & alios, ad tegendum ſuum flagitium, neci dederat, magno affectu orat ſe liberari. grauiſſimus enim eſt hic reatus apud Deū: vnde reparato à diluuio humano generi, ſtatim hæc lex data, vt qui ſanguinem funderet, eius quoque ſanguis funderetur. Hinc eſt illa geminatio, Gen. 9. a.
Deus Deus meus. Illud, *Ouabit de iuſtitia tua lingua mea*: idem eſt atque Maximo affectu hinc tuam bonitatem prædicabit lingua mea, dum hoc me reatu abſolueris. Et hîc quoque multo apertiſſimè vides, iuſtitiam Dei pro eius bonitate accipi. Non verò omnem fuſi ſanguinis innoxii pœnam deprecatur, ſed mortis, qua opus Domini quod inſtituerat, fuiſſet interceptum, de quo in Pſalmū 6, & alios qui ſunt de morbis, quíque pro vitæ huius prorogatione orant, dixi iam ſæpe.

17 *Domine labia mea aperies, & os meum adnuntiabit laudem tuam:*

18 *Quia non oblectaris ſacrificio, & [ſi] dem holocauſtum, non moraris.*

19 *Sacrificia Dei, ſpiritus confractus: cor confractum & deiectum ô Deus, non auerſaris.* De laudis ſacrificio, & quàm externa illa Deus nunquam moratus ſit, de quibus canunt hi verſus, ſatis dictū in Pſalmum ſuperiorem. Decimusnonus ſacrificii meminit confracti ſpiritus, & deiecti cordis, nimirum ob peccatum & offenſam Dei: ex quo ſacrificio, laudis ſacrificium naſcitur. Bonitatē enim Dei nulli alii vere percipiunt, quàm qui fuerint antea probè adflicto & cōtrito ſpiritu: igitur nec dignè poterunt prædicare.

20 *Benefac cum beneuolentia tua Sion, ut ædificentur muri Ieruſalem.*

21 *Tunc oblectaberis ſacrificio iuſtitiæ, holocauſto, & pleno ſacrificio: tunc offerent in arā tuā boues.* Hic orat vt benignè & indulgenter cum Sion faciat, quo ædificentur muri Ieruſalem. Nondum enim ita extructa erat cultu & templo Dei, vt inſtituerat; nondum quæ ad ſucceſſionē regni, ſacratúmque ceremoniarū conſtitutionem attinebant, perfecerat. Quòd autem hoc oraret, occaſio ei fuit reiectio Schaulis, poſt contemptum Dei: quem vt videri poterat in re leuiori, nempe ſeruato rege Amalekitarū, & aliquanto numero bonum admiſerat, quū Dauid illū contempſerat, perdēdo homines. Ne igitur & ipſe ſicut Schaul reiiceretur, ac ira opus inſtaurandæ gloriæ Dei, quātū in ipſo erat, interciperetur, hæc precatus eſt. Quanquam inter contemptū Dauidis & Schaulis magnū fuerit diſcrimen. Dauidem rapuit tranſuerſum cupiditas parum cogitantem: Schaul autē apertum Dei verbū, recens ei per Schmuelē allatū, poſthabere non eſt veritus, arbitratus ſe poſſe ſententiam Dei corrigere. Porrò quòd Dauid pro conſummatione inſtituti ædificii Ieruſalē & cultus Dei tātopere orauit, nō fecit id quòd tanti faceret externum vrbis ſplendorē, vel ſolū ceremoniarum ſtrepitū, ſed verum ac internum Dei cultū, ſolidámque populi Sanctorū pietatem in his ſpectauit, imò in regnum Chriſti vſque mentem extulit, cuius in ſe vmbrā cernebat, & ſe illi nō poſſe niſi externis præludere agnoſcebat. Quantum ergo veram, & per Chriſtum conſummandam pietatē animo colebat, hoc circa externa Dei ſtudia declarabat, de quo in Pſalmo 24, & aliás.

Quod verſu canit vltimo, *Tunc probabus ſacrificia iuſtitiæ,&c.* etſi etiã de ſacrificiis Legis, ex vera animi pietate oblatis intelligi feram, nullum tamen mihi dubium, quum *iuſtitiæ* addidit, præcipuè ſenſiſſe hìc de vitulis labiorum, vera laude Dei ebulliente ex corde, quòd ſeſe per fidem Deo conſecraſſet penitus, iuſtitiæque totum addixiſſet. Habetur in hoc verſu עלה & כליל, quod vtrũque idem ſignificat: כליל enim dicitur quaſi conſummatum: totum ſiquidem incendebatur. Sic habebat & holocautoma, quod עלה dicitur. Sunt tamẽ qui per כליל intelligunt libamentum Sacerdotis: nam & illud totum incendebatur, vt legimus Leuit. 6. b. 9. Quum itaque libamenta ſemper reliquis ſacrificiis adhiberi ſolebant, malui hìc reddere *libamentum*: ſed intelligendum præcipuum & ſacerdotale, quod ſcilicet totum incendebatur. Quia enim ſolidum & plenum religionis ſtudium hìc prædicit, præcipuas ſacrificiorum ſpecies commemorauit.

PSALMVS LII.

ARGVM. *Memorat peruerſum animum & ſtudium Doeg, tum exterminium illius, & iuſtorum inde gaudium prædicit: ſuámque qui Deo nixus ſemper fuerit, gratulationem promittit.*

PARAPH. 1 PRæſuli, erudiens, Dauidis.

2 Quum veniſſet Doeg Idumæus ad Schaul, eíque nũtiaſſet, atque dixiſſet, Venit Dauid ad domum Achimelech.

3 Quid de noxa gloriaris, ô potens? bonitas Dei exiſtit quotidie.

4 Dolos meditatur lingua tua, facis fraudem, velut exacuata nouacula:

5 Amas nocere potius, quàm benefacere: mentiri, quàm loqui quod iuſtum eſt. Selah.

6 Amas loqui quæcunque perniciem adferunt, & lingua vti fraudulenta.

7 Et Deus confringet te, deſtruet te penitus, abradet te de tabernaculo, radicẽ tuam è terra vitæ huius. Selah.

8 Id videbunt iuſti, & Deum venerabuntur, déque illo ridebunt.

9 En, dicent, virum, qui non poſuit robur ſuum Deũ: ſed nixus eſt copiis ſuis, & roborauit ſe dolis.

10 At ego velut olea frondoſa in domo Dei, nitor bonitate Dei, in ſeculum & ſeculum.

11 Celebrabo te in ſeculum coram bonis tuis, quia tu hæc perfeciſti: & præſtolabor nomen tuum, nam benignum eſt.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *PRæſuli, erudiens, Dauidis:*

2 *Quum veniſſet Doeg Idumæus ad Schaul, eíque nuntiaſſet, atque dixiſſet, Venit Dauid ad domum Achimelech.* Doeg præcipuæ inter paſtores Schaulis potentiæ fuit, neque tam diues, quàm auarus, primarius ex aſſentatoribus Schaulis expers omnis humanitatis. nam quum Achimelechum ſacerdotem cum collegis eius nemo ſatellitum Schaulis, audita innocentia eorũ, trucidare vellet, ipſe ad iuſſum regis interemit Sacerdotes octoginta quinque, quos & regi prodiderat, indicato quòd Achimelechus Dauidi panes & gladium dediſſet: tacito autem, quòd id feciſſe illum ſciebat putantem Dauidem verſari in negotio regio. Sed & poſtea, quicquid omnino in oppido illorũ viuum deprehendit, viros, mulieres, pueros lactentes, boues, aſinos, & oues perdidit, crudeli regi crudelior miniſter abunde gratificatus. Interea autem pietatem egregie mentiebatur, ſubinde domo Domini ſeſe includens, & ſacris incumbens precibus: id quod eo ipſo quoque tẽpore fecerat quando Dauid Schaulem fugiens, ab Achimelecho panes & gladium acceperat: ac ita ſimul religioni tum operam dedit, & animo tot innocentum hominum cædem meditatus eſt: ita vt eſt natura hypocriſeos, quæ tum maximè in innoxios ſæuit, quũ videri contendit ſingulariter religioſa. His autẽ rectè patrẽ ſuũ Eſau retulit. Idumæus enim erat omni occaſioni, vt veros Iaacobos perderet, intentus. Hæc quum Dauid, audita cæde Sacerdotũ ab Achitob filio Achimelech, qui elapſus è manu Doeg, ad ipſum confugerat, in animo ſecum reputaret, accenſus fuit vt hanc in Doeg Odam cõponeret. Hiſtoria horum, 1. Schmu. 21 & 22, legitur. Kimhi putat Doeg Idumæum hìc dictũ, quòd in Idumæa aliquando habitarit, nõ quòd genere fuerit Idumæus. Sicut Obededom, Gathæus dictus eſt, eo quòd in Gath aliquando ſedem habuerit. In hunc Doeg, ac aſſentatores alios, pleroſque Pſalmos Dauid conſcripſit, ex quibus 5, 10, 12, 14, & 109, præcipui ſunt.

3 *Quid gloriaris in malo, ô potens? bonitas Dei omni die.*

4 *Peruerſa cogitat lingua tua, ſicut nouacula exacuata facit dolum.* Deſcribit peruerſa Doeg ſtudia, & præ-

dicit exitium. Patrata cæde innocentiũ,& profligato Dauide, impius Doeg mirè gloriabatur ſibi adeò contra innocẽtes ſuccedere, atque magnificè ſibi placebat quòd tantum nocere licuiſſet. Id cogitans ſecum Dauid,glorians ipſe viciſſim de bonitate Dei,cecinit, *Quid gloriaris, ô potens*, qui videris tibi omnia poſſe, poſtquam tãtum tibi in innoxios permiſſum eſt? *Dei bonitas omni die*, ſubaudi exiſtit,etiam dum nos tuæ,& tui ſimiliũ libidini ad tempus exponit. Quod poſtea canit,linguam eius noxia meditari, tribuit linguæ quod cordis eſt, eo quòd per linguam pernicioſæ cogitationes proferantur. Addit, *Facere fraudem, velut nouaculam acutam*, quæ ſcilicet, ſi vel leuiter contingas, vulnerat grauiſſimè:ita quem ille dolis ſuis potuit aſſequi, eum prorſus dabat internecioni.

5 *Dilexiſti malum præ bono, mendacium præ loqui iuſtitiam. Selah.*

6 *Dilexiſti omnia verba voraginis, linguam doloſam.* Hîc canit vt totus malo fuerit deditus, vt ſi nihil etiam referret, mallet nocere quàm benefacere, mentiri quàm iuſta loqui. Quæ quia immanis & ſtupenda eſt peruerſitas, adiectum Selah eſt. Verſu ſexto canit, quæque pernicioſiſſima, & quibus quàm facillimè ſterneret innocentes, ac deuoraret totos, illi cordi fuiſſe. Hæc vocat verba בלע, id eſt vorare, aut vorationis: id quod aliàs ſepulchro, quo homines velut vorantur & deglutiuntur, tribuitur.

7 *Etiam Deus euellet te in ſempiternum, confringet te, & abradet te è tabernaculo, & radicem tuã è terra viuentium. Selah.* Hîc memorauit vltionem de hoc improbo ſumptam, quam præuidit tum, quum contra eum indubiè Dominum precaretur, audita cæde Sacerdotũ, huius Doeg indicio & manu perpetrata. Voluit ipſum cum omni ſua poſteritate abſumptum canere, idque tam vehemẽtibus metaphoris, demolitionis, cõminutionis, & abolitionis. נתץ enim demoliri, חתה deſtruere ſignificat. Sed deducunt quidam quod hîc habetur à חתה, quod incendere & comburere ſignificat. Vnde R. Ioſeph Kimhi pater Dauidis, legit, Exuret te. Dauid Kimhi, Tollet te. נסח ſignificat abolere, quo vſus & Moſcheh eſt in execrationibus. Deutero. 28, Deus ſumma bonitas, nocẽdi ſtudioſos ſummè execratur, ac tandem abolet penitus. Id voluit Vates noſter hac ſua copia, & hiſce præduris tranſlationibus exprimere. Quod ait, *E tabernaculo*: idem eſt quod, è domo: voluit enim ſignificare ita excindẽdum improbum, vt nullus in domo eius & familia maneret ſuperſtes, quod & eo expreſſit, quòd cecinit radicem eius è terra viuentium, id eſt hoc ſeculo, extirpandam.

8 *Et videbunt iuſti, & timebunt, & de illo ridebunt,*

9 *Ecce ille potens, [quoniam] non poſuit Deum robur ſuum, & confiſus eſt in multitudine diuitiarum ſuarum, roboratus eſt per fraudem ſuam.* Vltione ſumpta de ſcelerato, auctũ iuſtis, hoc eſt iuſtitiæ ſtudioſis, timorem & reuerentiam Dei, tum ridendi improbos materiam exhibitam, canit verſu octauo. Nonus habet verba quibus riſerint illum qui opibus ſuis & dolis, pluſquam Deo fuerat fiſus. A. Ezra putat hic indicatum, eius exterminium tam atrox fuiſſe & inſigne, vt in publicum ſermonem abierit & ſingulare exemplum.

10 *Et ego velut olea frondoſa in domo Dei, confiſus ſum in bonitate Dei [in] ſeculum & vltrà.*

11 *Confitebor tibi in ſeculũ, quia feceris: & expectabo nomen tuum, quia bonum coram bonis tuis.* Seipſum opponit cõmodè improbo, vt qui Domini bonitate fuerit perpetuò cõfiſus, eóque habeat ſicut olea frõdoſa, nec minus fœcũda baccis, plãtata in domo Dei. Hoc verò propterea dixit, quòd impius ille domo Dei ſe ſubinde includebat, precaturus (vt ſuprà ex Sacra hiſtoria memini) ſed mentita religione: quare & extirpatus eſt penitus. Dauid autem vſque virens & florens, fructus ſuos in tempore protulit, radice in domo Dei ſic acta, vt excindi non poſſet, nempe de numero electorum. Quare in domo Dei, vera Sanctorum Eccleſia, egit, etiam quũ non illa ſolùm, ſed & toto Iſraele videretur excluſus. Hinc verſu vltimo ſemper celebraturum ſe Dominum quia ipſe fecerit, ſcilicet vt periret impius: ipſe verò & pii alii, quibus ille moleſtus fuerat, ſeruarentur: porrò ſe quoque totum ab ipſius nomine, hoc eſt virtute, ope, fauore, penſurum, eo quòd illud bonum ſit, hoc eſt ad benefaciendum omnibus in ſe confidentibus expoſitum. Hæc ex ſpe cecinit, ſciens certò ita euenturum: niſi Pſalmum compoſuerit, Doeg iam extincto, & ipſo in regnum collocato. Habẽt hîc, quos ſcelerati perſequuntur, vnde conſolentur, & vt Chriſtum caput noſtrũ in Dauide hæc patiente, adumbratum conſiderent, quo magis libeat veſtigia illius ſequi.

PSALMVS LIII, χρηματικὸς καὶ ψαλμικός.

1 PRæſuli, ad Machælath, erudiens, Dauidis. PARAPH.

2 Cogitant homines nequam in animo ſuo, Non eſt Deus: praua & abominanda ob iniquitatem deſignant, nuſquam eſt qui quod bonum ſit faciat.

3 Deus è cælis homines ſpeculatus eſt, vt videret ſi quiſquam eſſet intelligentia præditus, atque Dei verè ſtudioſus.

4 Cuncti pariter deflexerunt,perierunt,nemo eſt qui,quod bonum ſit,faciat,
ne vnus quidem.

5 Nihil adeò mentis eſſe vniuerſis iſtis prauitati deditis? populum meum vorant,
ac ſi quis panem voret,nulla Dei religione tenentur.

6 Illuc pauore cōſternabuntur,cui par nullus habeatur: nam diſperſit Deus oſ-
ſa te obſidentium:contemnes,propterea quòd Deus illos auerſatur.

7 O vtinam è Siion ſalus Iiſraeli contingat, vt Deus populi ſui captiuitatem
finiat,vt lætetur Iaacob,gaudeat Iiſrael.

Pſalmum hunc,qui cum quartodecimo,paucis verbis immutatis,prorſus idem eſt, ſimul cum illo enarrauimus.

PSALMVS LIIII, [illegible]

ARGVM. *Canit ut in periculum maximum proditione Ziphitarum adductus,Domini opem orarit, exorarit: & pro ea agre gratias inſtituerit: ut denique Deus de inimicis ſuis ultionem ſumpſerit.*

PARAPH. 1 PRæſuli in Neginoth,erudiens Dauidis:

2 Quum venirent Ziphitæ,& dicerent Schauli,Num Dauid abſconſus eſt
apud nos?

3 Deus nomine tuo ſerua me,virtute tua vindica me.

4 Deus audi precem meam,auſculta ſermoni oris mei.

5 Nam alieni inſurrexerunt contra me, & præualidi inſectātur animam meā,
non habent ob oculos Deum.Selah.

6 En Deus adiuuat me,Dominus iis adeſt qui animam meam ſuffulciunt:

7 Rependet malum inſidiatoribus meis,fide tua conteres illos.

8 Vltroneum ſacrificium faciam tibi,celebrabo nomen tuum,ô Iehouah,quia
benignus es.

9 Nam ex omni adflictione liberabis me, & videbit optata in inimicis meis o-
culus meus.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *PRæſuli in Neginoth,erudiens Dauidis.*

2 *Quum uenirent Ziphitæ,& dicerent Schauli,Annon Dauid abſconditus eſt apud nos?* Ziphitæ præ aliis apud quos Dauid latibula quærebat, dum ipſum Schaul inſectaretur,prodendi eius auidi ſtudioſique erant. nam quod hæc inſcriptio memorat, bis factum ab eis legimus,1.Schmu 23, & 26. Et priore quidem proditione,prope adeò necem eum adduxerāt(iam enim cinxerat vndique illum exercitus Schaulis,de quo in Pſalmo triceſimo primo) vt nunquam in omni exilio ſuo acceſſerit propius. Altera ſimiliter effecerant vt haud ita multum abfuerit quin inopinatum, Schaul oppreſſiſſet. adeò enim prope latibulum Dauidis venerat,vt ei dormienti Dauid haſtam & clypeum eriperet,& poſtea ex aduerſo monte alloqueretur.Quo conſilio tam ancipiti haud ſcio an vſurus fuiſſet, ſi alia licuiſſet ratione elabi. proinde mihi quidem veriſimile eſt, etiam hac vice Dauidem in ſummum diſcrimen per Ziphitas iſtos fuiſſe adductum. Non igitur mirū quòd è tantis periculis Diuina ope ereptus,de eis Sacra carmina cecinerit.In his enim typū Chriſti prætulit,indéque exemplo eſt omnibus Chriſtianis,quos ſimili ratione Dominus ſubinde exercet.

3 *Deus per nomen tuum ſerua me,& per uirtutem tuam uindica me:*

4 *Deus audi precem meam,& percipe auribus ſermones oris mei.* Ad nomen Dei,hoc eſt virtutem(vnde & fortitudinem & virtutem ſtatim ſubiicit)confugit,quia omni iam ope & virtute humana erat deſtitutus. Hanc ſperabat, vnde Deum inuocabat,& hæc eum ſpes ſeruabat, dum cætera omnia mortem intentarent.

5 *Nam alieni inſurrexerunt contra me ,& præualidi inquirunt animam meam ,non poſuerunt Deum in conſpectum ſuum. Selah.* Alienos queritur contra ſe inſurrexiſſe,quum illi Iiſraelitæ eſſent,ſed carne tantùm: vnde ſubiunxit, *Non poſuerunt Deum in conſpectū ſuū*: hoc eſt nullam habuerunt Dei rationem.Deum nanque credidiſſe,eiúſque metu teneri, non ſinit innocenti negotiū faceſſere, nedum quærere ad mortem. Vt ergo inexplicabile malum,omniúmque ſcelerum fons eſt,non habere ob oculos Deum,ita Selah adſcripſit.Conſolatio autē Dauidi fuit,quòd [illegible] & alieni à familia Dei,& ad hoc validi eſſent iſti ſui proditores,hoſtes & perſecutores,quū ipſe ſe ſciret Dei eſſe,& omnium hominum auxilio deſtitutum . Nequit enim tales deſerere Deus. [illegible], id eſt alienos, vel

alienigenas,& Gentes vocari,qui Iiſraelitæ carne ſunt,dum Dei metu vacant,vulgare in Scripturis eſſe annotaui in verſu vltimo Pſalmi 10.Hinc & Ieſchaiah 1.a.3, Principes & populũ Iehudah, principes Sedom, & populum Amorah vocauit. Per עריצים, id eſt validos & terrificos, intellexit Schaulem cum aſſentatoribus ſuis.

6 *Ecce Deus adiutor meus, Dominus cum ſuſtentantibus animam meam.*

7 *Rependet malum inſidiatoribus meis. per fidem tuam conſice illos.* Pluſquam frequenti,& Pſalmis familiari ratione,canit ſpem ſuam,quam a precatione roboratam ſenſit,nempe Deum ſe adiuturũ: & futurum cum ſuſtentantibus ſe, hoc eſt paucis illis qui ipſi benè volebant ſic adfuturum,vt ipſum poſſent vſque ſuffulcire & tueri.tum inſidiatoribus ſuis, tam Ziphitis, quàm aliis qui contra ipſum,Schaulem incitabant,repenſurũ:& fide ſua qua conſulere ipſi promiſerat,ac iam pridem cœperat,illos diſperſurum.

8 *Vltroneo ſacrificio ſacrificabo tibi,celebrabo nomen tuum ô Iehouah,quia bonum.*

9 *Nam ex omni anguſtia liberauit me,& in inimicis meis vidit oculus meus.* Spontanei ſacrificii meminit,quòd illud erat gratias agentium, Leuitici ſeptimo. Sui ipſorum nanque deditionem, in qua omnis erga Deum gratiarum actio ſita eſt, per ſacrificia illa teſtabantur,ſimúlque ad eandem ſeſe incitabant: ſicut & ſacrificio Chriſti, in quo illa perfectè exhibita eſt, & impetratus Spiritus, vt & in nobis ea locum habeat, præludebant. Præterea laudem nominis diuini,vt & ſuperiori Pſalmo, docet eſſe, vt prædicetur Deus bonus & benignus in omnes ipſum timentes. De illo, *videbit oculus meus in hoſtes*,id eſt optatam in eis vltionem: ſuprà in verſum 18 Pſalmi 22, & verſum 34 Pſalmi 37 dictum eſt.

PSALMVS LV.

A perditiſſimis & fallaciſſimis hominibus, quos inter primos amicos habuerat,ſe in ſummam anguſtiam adductum queritur,improbitatem & dolos eorum memorat,& vltionem eis imprecatur. ARGVM.

PARAPH.

1 PRæſuli in Neginoth,erudiens Dauidis.
2 Auſculta Deus precationi meæ , & ne ſubducas te à deprecatione mea:
3 Attende & reſponde mihi,in prece mea vlulanti & infrementi
4 Propter clamorem hoſtium,propter diuexationem improborum:nam peruerſa de me conſilia capiunt,& ira me inſectantur.
5 Cor meum adflictatur intra me,& terror mortis irruit in me:
6 Timor & tremor inciderunt mihi,horror obruit me.
7 Et cogitabam,Vtinam eſſent mihi alæ,vt columbæ:auolarem,vt tutò alicubi manerem:
8 En longè profugerem,morarer in deſerto. Selah.
9 Properarem,vt euaderem à flatu extirpante & proterente.
10 Diſperde Domine,varia linguas illorum, quoniam nihil præter violẽtiam & lites in ciuitate iſta vidi:
11 Hæc illam dies noctéſque in muris eius circumeunt, intra eam iniquitas & moleſtia:
12 Doli intra eam,à plateis eius ſycophantiæ & fraus nunquam declinant.
13 Neque enim hoſtis erat qui me probro afficiebat, alioquin tuliſſem:non extulit ſe contra me qui præ ſe ferebat odium mei,abſcõdiſſem enim me ab illo:
14 Sed tu homo eras velut æqualis mihi,præceptor meus,& familiaris meus.
15 Dulce erat,ſecreta inuicem communicare:in domo Dei vnà verſabamur.
16 Inferatur illis mors,petant Inferos viui:nam mala in conuenticulis eorum, in intimis eorum.
17 Ego Deum inuocabo,& Iehouah ſeruabit me.
18 Veſpere,& mane,& meridie precabor, vocémque tollam, & audiet me.
19 Redimet animam meam à prælio quod mihi intentatur, precémque donabit: nam plurimi aderunt mihi.
20 Audiet Deus,& adfliget illos,qui præſidet ab initio, Selah. nam non immutant ſe,nec timent Deum.

21 Iniecit ille manum amicis ſuis,prophanauit fœdus quod cum illis icit.

22 Os habent ſequacius butyro,& in corde bellum:verba eorum oleo magis lenia,& ea ipſa acuta ſpicula ſunt.

23 Abiice in Autophyem moleſtiam tuam,& ipſe ſuffulciet te:non permittet vt ſemper labaſcat iuſtus.

24 Vtique tu Deus detrudes iſtos ſanguinarios & fraudulentos in effoſſum ſepulchrum,non perducent ad dimidium dies ſuos:ego autem te nitar.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *PRæſuli in Neginoth,erudiens Dauidis.* Dauid Kimhi Pſalmum hunc interpretatur de coniuratione Abeſchalomi, & putat verſibus 10,11 & 12,vrbem Ieruſalem notatam:& verſibus 14 & 15,taxatum Achitophelem.Mihi autem non fit veriſimile,Dauidem ita inuectur ū fuiſſe in ciues Ieruſalem,quorum bona pars ipſum ſequebatur,nō Abeſchalomū. Deinde breui admodum tempore in ea coniurati egerunt: hîc autem perpetuum quoddā malorum ſtudium vrbi illi tribuit,quam inceſſit.Poſtremò votū illud alarum ad fugiendum in deſertū, de quo verſu 7 8 & 9, ſubindicat, cum in ea ipſa quam hîc notat,vrbe fuiſſe periclitatū. Proinde veriſimilius mihi eſt, de eo diſcrimine hunc Pſalmū conſcriptum,in quo erat quū oraculo didiciſſet aduenire Schaulem,vt ipſum in vrbe Keilah cōprehēderet, & ciues Keilah ſe Schauli tradituros,quos tamē Philiſthinorum obſidione magno ſuo periculo liberauerat.Ex quo eius facto & id cōiicere datur, habuiſſe illic amicos præcipuos:ciuitas ſiquidem erat in ſorte tribus Iehudah. Quadrat & quod ab his deſertus & proditus,in tantum periculum venerat, vt ſecundò oraculū ſciſcitaretur: quúmque illo monitus, vrbe illorum egreſſus cum ſuis eſſet, ibant, vt habet Scriptura, qua ibant: hoc eſt quacunque via ad elabēdum ſeſe obtuliſſet. Id ſanè indicat periculum vrſiſſe,eúmque multa fuiſſe animi perturbatione conſtrictum:in qua vtique columbæ ſibi alas optare cauſa fuit,quo auolans aliquò, in loco deſerto & abſtruſo lateret, dum exercitum Schaul reduceret. Nec minus hinc etiam cauſæ habuit de perfidia & dolis Keilaitarum querendi. De hoc itaque Dauidis periculo Pſalmum interpretabor.Hiſtoriam legis 1. Schmu.23.

2 *Auribus percipe ô Deus orationem meam,& ne abſcondas te à deprecatione mea.*

3 *Aduerte mihi,& reſponde mihi,quū ululo in ſermone meo,& infremo.* Precationis ardorem & vehementiam, quam ex vi ſummæ conſternationis, cum fremitu & vociferatione habuit, memorat. חר ſiquidem,ſignificat vocem edere doloris teſtem.

4 *A voce inimici,à facie violentiæ improbi:nam inclinarunt contra me prauitatem,& in ira me inſectantur.*

5 *Cor meum parturit intra me,& terrores mortis ceciderunt ſuper me.*

6 *Timor & tremor venerunt ſuper me,terror obtexit me.* Memorat indicibilem illam animi ſui perturbationem,trepidationem, & mixtum dolori terrorem, quo tantumnon exanimabatur, à voce hoſtis,id eſt propter hoſtilem clamorem, quem iam exaudire, & improborum oppreſſionem, quam iam ſentire videbatur, audito Schaulis aduentu, & cognito quòd Keilaitæ ſe illi tradituri eſſent,& Schaul atque aſſentatores eius iniquitatem iam ſuper ſe inclinaſſent:hoc eſt vt verti,praua de ſe conſilia firmaſſent, iámque iniqua & praua,quæ contra ſe inſtituerant, conarentur perficere,cum ira,hoc eſt ardenti ſemper in vltionem odio,ſe odientes.Cæterùm און etiam pro calamitate & re moleſta alicubi accipitur. ita certè eo vſus eſt verſu 14 cap.4, Iirmiah, vbi pro aduentu hoſtium,& re ſummè moleſta accipitur.

7 *Et dixit,Quis dabit mihi pennam ſicut columbæ?auolarem,& morarer.* Optat pennas columbæ,fortè quòd ea auis volatu ſit maximè pernici,vt eam accipiter nunquam queat aſſequi,niſi dum ex volatu plaudit in cælo,variéque ſulcat. Ea enim oſtētatione vt vincta præbetur accipitri implicatis ſtrepitu pennis, qui nonniſi ipſis alarum humeris eliditur , alioquin ſoluto volatu mūlto velocior. Speculatur occultus fraude latro, & gaudentem in ipſa gloria rapit. Hæc Plinius lib.10. capite 37. Kimhi citat quendam R.Ionah, ſcribentem ſolere columbam defatigatam volando, alteram alā contrahere,& ea quieſcere,altera remigare:quum aliæ aues delaſſatæ, in petra aliqua, vel arbore deſidere, ac ita patēre prædæ ſoleant.Huius dicti fides ſit apud autorem:nec enim Ariſtoteles, nec Plinius id memorāt. A.Ezra putat ideo columbæ potiſſimū alam ſibi Dauidem hîc optaſſe,quòd hæc volucris familiaris ſit hominibus,& Reges vti hac nuntia ſoleant. Iſtuc de columbis & Plinius, Quin, inquit, & internuntiæ in magnis rebus fuere, epiſtolas adnexas earum pedibus,obſidione Mutinenſi,in caſtra conſulum D.Bruto mittente.Quid vallum,& vigil obſidio, atque etiam retia amne prætenta, profuere Antonio,per cælum eunte nuntio? Sed quid columbarum erga homines familiaritas, & quòd idoneæ ſunt ad perferendas literas, ad id quod

tum Dauidem vrgebat: Cupiebat ex præſentiſſimo periculo elabi, auolare longè, vt tutus in latebris ageret: ad id columbæ ſibi alas optauit: quare velocitaté in illis præcipuè ſpectarit oportet.

8 *Et elongarem migrando, degerem in deſerto. Selah.*

9 *Properarem ut eripiat me, à uento procelloſa tempeſtate.* Maximè vero iſtuc miſerandum erat, tam optimè de hominibus meritum, nuſquam inter homines, & nec eos quos ſuo periculo, à maximo periculo liberauerat, potuiſſe tutò agere, adeò vt optandum ei eſſet in deſerto alicubi habere latibulum, eóque iam properare cupit. ideo verſu 8 adſcripſit Selah. In 9, adhuc magis idem exaggerauit, in quo fuerit periculo, quū vim Schaulis vento extirpanti & proterenti comparauit. [illegible] repentini & violenti flatus ſunt, de quibus quædam dixi in verſu 6 Pſalmi 11.

10 *Perde Domine, diſperti linguam eorum, quia vidi uim & contentionem in ciuitate.*

11 *Die & nocte circuiuñ eam ſuper muros eius, & prauitas & moleſtia in medio eius.*

12 *Fraudes in medio eius, & non declinat à plateis eius impoſtura & dolus.* Verſu 10 precatur, vt Deus diſſipet & variet linguas ciuium Keilah, ne certa de ipſo prodendo renuntiarent, vel renuntiandum conſultarent, quo eſſet ſpatium elabendi. Videtur petiiſſe ſimile illi quod accidit ædificantibus turrim Babel, Geneſ. 11. a. 5. Deinde incipit vrbis huius perfidiá, dolos, & vim accuſare. Vnde canit verſu 11, in muris illius circumerraſſe violentiam & lites, & intra eam incubaſſe prauitatem, moleſtiam & dolos, & ſycophantias, ac ita tam extima, quàm intima huius vrbis plena fuiſſe omni genere fraudis & iniuriarum.

13 *Quia non hoſtis me probro affecit, & tuliſſem: & nõ odiens mei contra me ſe extulit, & abſcondiſſem me ab illo.*

14 *Et tu homo ſicut æqualis meus, præceptor meus, & familiaris meus,*

15 *Qui ſimul dulciter fruebamur ſecreto, & ad domum Dei cum cœtu ibamus.* His videtur peculiariter queri de quopiam, quem habuit inter primarios amicos & ſecretorũ ſuorum conſcium. Is quiſquis fuerit, ſingulari illi amicitia coniunctus fuit, adeò vt nihil minus ab eo expectaret. vnde dicit verſu 13, Non fuit qui odium mei præ ſe ferret, alioquin abſcondiſſem me ab illo. Quantum verò in pretio illum habuerit, canit verſu 14. Quum enim illum vt [illegible], hoc eſt æqualem & parem, vt [illegible], id eſt præceptorem ſuum habuerit, ſatis dignè eum coluit, magnique fecit. Iam etiam nihil ei non credidit: quin planè omnium rerum diuinarum & humanarum perfectam cum eo ſocietatem contraxerat. *Pariter* (inquit verſu 15) *dulcorabamus ſecretum*: hoc eſt, cum dulci voluptate ſecretum inter nos communicabamus. Is enim amicitiæ præcipuus fructus eſt, habere quocum omnia audeas ſic loqui vt tecum. Et poſcit hoc vera amicitia, vt amicus amicum nihil prorſus celet. habent nanque iuxta vulgatum prouerbium, communia omnia, & eſt amicus alter idem. Non autem in profanis tantùm rebus coniunctè adeò cum illo vixerat, ſed etiam diuinis, dum domum Dei, vel ex Lege, præcipuis illis tribus feſtis: vel aliàs ex ſtudio religionis priuato peteret, illi ſe potiſſimum adiungebat: vt quocum de diuinis rebus, de quibus in eo itinere commentandum erat, maiore cum fructu verba faceret. Sic hanc particulam intellexit Kimhi. [illegible] enim pro [illegible] accipit. Sed ſolebant ſanctiores in populo, ſubinde certũ aliquod tempus apud domum Domini manere, & diuinis precibus ac laudibus incumbere, idque ferè ſociis aliquibus eius rei adhibitis. Et de huiuſmodi exiſtimo hîc Dauidem ſocietate loqui, in quam adhibuerit illum ſuum ſingularem amicum, & in qua cum ipſo in domo Dei iuerit, hoc eſt verſatus ſit. Et id præcipuæ amicitiæ argumentum fuit. Nam dum religioni opera datur, dum quis auocans ſe à rebus aliis, diuinis ſeſe totum addicit: haud poterit niſi cum iis, quos ſanctiſſimos ſimul & ſummè intimos habeat, colloqui. Talem iam habuit hunc de quo hîc queritur. Non poterat igitur illum magis amico animo complecti, & colere honorificentius. Typum igitur prætulit Iudæ proditoris, & omnium qui cum Sanctis agunt perfidè. De voce [illegible], in primum verſum Pſalmi ſecundi. Exod.23.d.17.

16 *Inferatur mors ſuper eos, deſcendant in infernum uiuentes, quia malum in conuenticulis eorum, in intimo eorum.*
His verſibus precatur vltionem inimicis ſuis; ardorem precationis ſuæ in periculo habitæ memorat: & taxata iterum illorum perfidia, ad fidendum Domino ſeſe hortatur, orátque vt viui infernũ petant: hoc eſt, vt eos terra abſorbeat viuos, vti Korah cum coniuratis ſuis, Nume. 16. Cauſam ſubiicit, *Quia malum in conuenticulis, & in intimis eorum*: hoc eſt planè deplorati ſunt: dũ conueniunt, malum & pernicioſum eſt quicquid conſultant: quia nihil niſi malum alunt in animis ſuis.

17 *Ego ad Deum clamabam & Iehouah ſeruauit me.*

18 *Veſperi, manè, & meridie loquebar, & fremebam, & audiuit uocem meam.* Dum nihil niſi perniciem ab iſtis expectare poſſet, iique tum rerum potirentur, conſequens fuit vt Dei contra illos opem imploraret: id canit ſe feciſſe, hiſce verſibus: & quidem magno ardentique ſtudio, quia omni tẽpore, quanquã etiam quæ expreſſit tempora, Sanctis ad precãdum fuerint peculiaria, vt intelligi poſſit certa & ſolita ſua ad precandum tempora hîc ſignificaſſe, in quibus iam nihil aliud quàm ab ho-

ſte liberationem orare potuerit, ac cum fremitu, ingenti animi adflictione expreſſo, quo periculi magnitudinem ſignificauit. Ea precatione, vt neceſſe erat fide orantem illico conſolatus fuit, & in tempore adfuturum ſibi Dominum, hoſtéſque deiectutum agnouit. Hæc canit verſibus tribus ſequentibus.

19 *Redimet in pace animam meam à bello [quod] mihi eſt: non in multis fuerunt mecum.*

10 *Audiet Deus, & adfliget illos, & ſedet à tempore priſco, Selah: quia non mutationes illis, & non timuerũt Deum.*

In verſu 19, illud ambiguum eſt, *Quoniam in multis fuerunt mecum.* A. Ezra intelligit de Angelis, quaſi Dauid eo oſtenderit, per quos ſe à prælio Dominus liberaturus eſſet, pacémque redditurus, nempe per Angelos, quos plurimos à ſuis partibus cõtra hoſtes haberet: vt ſit ſimile illi Eliſchæ, quod puero ſuo dicebat trepidanti, viſo exercitu hoſtium, Plures ſunt à nobis, quàm ab illis, 2. Reg. 6. c. 16. Pulchrè verò quadrabat ei fortunæ quæ tum illi erat, vt ab Angelis ſibi præſidium promitteret, quum amici proderent, & hoſtes tanta vi ipſi imminerent. Kimhi interpretatur de hoſtibus, & ſubaudit, bellarunt, in hunc ſenſum, Quoniam illi, nempe hoſtes, cum multis bellarũt mecum. Prior interpretatio vel ideo certior eſt quòd nihil oportet ſubaudire: quáquam etiam præcedentibus ac ſequentibus magis reſpondeat. Selah in medio verſui viceſimi ſubſcriptum illi, Sedet Deus in initio, id eſt ab initio regnat, regnum obtinens ſempiternum, monet, id ei in aduerſitate ſua perpenſum, præcipuam adtuliſſe conſolationem. Porrò quod ſequitur, *non mutationes illis*, ad Deum quidam referunt, qui non mutetur à propoſito malos vlciſcendi: ſed magis quadrat in hoſtes, quos videbat animum ad meliora nunquam mutaturos. Affert Kimhi & hanc interpretationem, Non ſunt mutationes illis: id eſt, non mutatur ſecunda illorum fortuna, ideo Deum nihil metuunt, arbitrati regi ſemper ita ex animi ſententia ſuccedere.

21 *Miſit manum ſuam in pacificos ſuos, violauit fœdus ſuum.*

22 *Blandiis ſunt ore ſuo præ butyro, & bellum in corde eius, leniora fuerunt verba eius oleo, & ipſa ſpathæ.* Iterum notat hoſtium ſuorum perfidiam & falſas blanditias. Perfidiam, qui manum miſerint in בשלמיו, ideſt pacificos, hoc eſt familiares, amicos ſuos. Blanditias, quia ita verba ſua ad audientium, & eorũ quibus imponere voluerint, animos attemperarunt, ſic ad cuiuſque voluntatem ſequacia & ſuauiter cedentia fecerunt, vt oleo & butyro leniora & ſequaciora viderentur; nihil ſcilicet habentes in ſe aſperum, nihil quod offenderet, quum animo nihil quàm bellum molirentur, & ipſas ſuas blanditias vice gladiorum haberent, quibus quoſque perdere ſolebant.

23 *Proiice ſuper Iehouam onus tuum, & ipſe ſuſtentabit te, & non dabit in ſempiternum nutare iuſtum.*

24 *Et tu Deus deiicies eos in effoſſum ſepulchri: viri ſanguinarij & fraudulenti non dimidiabunt dies ſuos, & ego confidam in te.* Seipſum alloquitur, vel animum ſuum, *Abiice in Iehouam onus tuum*, moleſtiam tuam, metum & ægritudinem: ipſe ſuffulciet, ne cadas in manus hoſtium: non poterit admittere vt vſquam nutet & vacillet iuſtus, rerum ſuarum incertus & periclitans. Verſu vltimo vel precatur, vel prædicit deiiciendos in infernũ ante tempus hoſtes ſuos, præmatura morte raptos: id enim ſignificat per non dimidiare dies ſuos. Deploratos enim eſſe, Spiritu agnoſcebat. De huiuſmodi verò Sanctorum in hoſtes ipſorum imprecationibus, ſæpe iam dictũ, fuſius in tractatu De precatione, ſubiecto enarrationi Pſalmi 5. In his omnibus cõſiderandus in Dauide, Chriſti & Chriſtianorum typus, quos ad eundẽ modum exercent filii Satanæ, & liberat atque vlciſcitur Deus.

PSALMVS LVI, χρηματιστὸς καὶ ἐλεητής.

ARGVM. *Memorat in opem Dei periclitatus apud Aſchis regem Gathi Philiſtæum imploratit: & Schaulis, aſſentatorúmque huius dolos ac vim, qui in id periculi ipſum detruſerant, apud Deũ accuſarit: atque ex conſideratione verbi Dei, per Schmuelem ad ipſum facti, de regno conſolatus, laudis vota Deo nuncuparit.*

PARAPH. 1 PRæſuli, de columba muta longè auolante, Michtam Dauidis, quũ eum Philiſtæi comprehendiſſent Gathi.

2 Miſerere mei Deus: nam me homo ferè abſorpſit, quotidie pugnans obtriuit me.

3 Abſorpſerunt qui mihi inſidiantur quotidie: multi nanque pugnant contra me, ô Excelſe.

4 Die quum vrgeret formido, te nitebar:

5 Oraculum Dei cum laude memorabam, Deo nitebar: ideo nihil metuebam quid mihi caro faceret.

6 Quicquid inceptarem, perpetuò ad inuidiam trahebant: omnes eorum cogitationes in hoc intentæ erant, vt pararent mihi malum.

7 Conuenerunt, inſidiati ſunt, veſtigia mea illi obſeruarunt, dum animæ meæ

capiendæ inhiabant.

8 Prauitate ſperauerunt ſeſe mala euaſuros, ſed tu ô Deus populos deiicis.

9 Fugas meas tu numeratas habes, lachrymas meas repones in vtrem tuum, refer in commentarium tuum.

10 Tunc quum inuocauero, retrocedent inimici mei: in eo agnoſcam, Deũ ſtare à partibus meis.

11 Cum laude memorabo oraculum Dei, cum laude memorabo oraculum Iehouæ.

12 Deo nitar, non metuam quid mihi homo faciat.

13 Vota nuncupabo tibi ô Deus, reddam laudes tibi.

14 Nam liberabis animam meam morte, certè à lapſu pedes meos, vt coram te agam in luce vitali.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *De columba muta longinquorum Michtam Dauid, quum eum cepiſſent Philiſthim in Gath.* A. Ezra putat hoc, *De columba muta longinquorum*: carminis cuiuſdam fuiſſe initium, ad cuius numeros ſit hîc Pſalmus compoſitus. Kimhi & alii, exiſtimant, Dauidem ſeipſum columbam mutam & longè auolantem vocaſſe, propterea quòd omnia Deo cõmittens, & nihil aduerſariis ſuis reſpondens, longè à ſuis fugiſſet, nimirum ad Philiſtæos vſque, gentem non ſolùm alienigenã, ſed & hoſtilem. Hiſtoria hæc legitur, 1. Reg. 21, & ſuprà in primum verſum Pſalmi 34 perſtricta eſt.

2 *Miſerere mei Deus, quia hauſit me homo, omni die pugnans obteriuit me.*

3 *Hauſerunt inſidiatores mei omni die, quoniam multi pugnantes mihi Celſe.* Memorat ſuam ad Deum pro auxilio precem: & de violẽtia hoſtiu, querelas. Primùm de Schaule: is enim ferè abſorpſerat ipſum, hoc eſt in ſummum diſcrimen adduxerat, & quotidie oppugnando ipſum planè obtriuerat. Tum & de Schaulis aſſentatoribus, & incentoribus. Ii nanque magno numero erant, & quotidie inſidias ei ſtruebant. In verbo *Abſorpſerunt*, hyperbole eſt apta in mortis articulum adducto. Illud eiuſdem verſus, *Quoniam multi pugnantes mihi, Celſe*: A. Ezra interpretatur de Angelis, quos Dauidi è ſublimi, nempe cælo, ſe propugnare iactarit. Scribit enim, quũ particula ל, verbo bellandi poſtponitur, ſignificare propugnationem. Id vt ſæpe ſic habeat, hîc tamen non video quadrare ſententiæ.

4 *Die [quo] timebam, ego te nitebar.*

5 *In Deo gloriabor [de] verbo eius, Deo nitebar, non timebo quid mihi caro faciat.* Canit vnde animũ ſuum firmarit, die quo timore percellebatur. Domino nitebatur, & promiſſionis eius ſibi per Schumuelẽ factæ recordabatur. Id verbum, hoc eſt oraculũ fuit quod in Deo laudauit, hoc eſt quod vt Dei verbum, cum laude Dei ſic fauentis memorauit, & diligenter ſecum reputauit, eóque omnem carnis, id eſt mortaliũ, metum propulſarit. Hæc vera de verbo Dei gloriatio eſt. Diſcamus hinc, in periculis, Dei promiſſiones diligenter excutere, & perpendere: inde vt fiducia in Deum accipiet incrementum, ita omnis ab hominibus formido pulchrè euaneſcet.

6 *Quotidie verba mea moleſta reddebant, contra me omnes cogitationes eorum in malum.*

7 *Conuenerunt, cõtemplati ſunt, ipſi calcaneos meos obſeruant, ſicut animam meã expectãt.* Queritur quãtopere ſibi Schaul & aſſentatores eius fuerint infenſi, infeſtique. Verba ſiquidem eius, hoc eſt quicquid inſtituiſſet, quicquid incœptaſſet, moleſtũ reddebant, rapientes omnia in partem deteriorem, & ad inuidiam. Omnibus cogitationibus ſuis malum ipſi parabant. In hoc identidem conueniebãt, & inſidias ipſi diligẽtiſſimè ſtruebãt, ſemper in hoc inhiantes vt animã eius perderent.

8 *Super prauitate ereptio illis, in ira populos deiice Deus.*

9 *Fugam meam dinumeraſti tu, pone lachrymam meam in lagenula tua, vtique in commentario tuo.*

10 *Tunc vertentur inimici mei retro in die [quo] inuocabo [:in] hoc noui quia Deus meus es.* His tribus verſibus canit de vltione hoſtium, & ſua liberatione. *Propter iniquitatem*, inquit, ereptio illis: hoc eſt ipſi ſperarunt ſe mala euaſuros, & in regno ſtabiles futuros, ſi me peremiſſent innocentem, ita ſaluti fore ſuam ſibi iniquitatem arbitrati ſunt. At tu Deus cum ira, hoc eſt ſæuè totos populos ob iniquitatem deiicis: nec iſtis igitur parces. Videtur enim illud, *In ira populos deiice ô Deus*, tanquam catholicam ſententiam ſubieciſſe, vnde ſignificaret idem iudicii & ſuis hoſtibus expectandum, eóque omnino fruſtrandos peruerſa ſpe ſua, propterea quòd Deus iuſtus iudex totos etiam populos deiiciat. Kimhi & A. Ezra putant, aduerſarios ſuos, populos vocaſſe propter multitudinẽ. ſed nominatim de ſuis hoſtibus canit verſus decimus. Exilii ſui & fugæ, tum precationis cũ lachrymis fuſæ rationem habendam apud Deum, iactat verſu 9. Eleganti verò vſus metaphora eſt,

dũ orat lachrymas ſuas poni in vtre Dei, quo repoſitas & ſeruatas in illo, gloriatus eſt. Vt enim illi vtribus vinum conſeruabant, vnde in Euangelio de nouis & veteribus vtribus, & Iehoſuah 9. b.13, de vtribus fatiſcẽtibus Gibeonitarum: ita veriſimile eſt, vtribus & coriaceis lagunculis alios quoque pretioſiores liquores ſeruare ſolitos. Altera apertior eſt tranſlatio, Vtique in libro tuo, propriè: in commentario tuo, ſubaudi ſunt adſcripta, & quæ iniuria à perditis iſtis perfero, & quas ad te preces & lachrymas fundo. Fugas Dauidis nobiliores adnumeraui ſuprà Pſalmo 11. Hinc itaque fiducia roborata, prædicit hoſtes repellendos, & infecta re retroceſſuros. Nunc ait, *in die quo inuocauero*. His videtur certum tempus, quo repellendos præuideret, denotare: alioqui quotidie Deum inuocabat.

Mat. 9. b. 17.

11 *In Deo gloriabor [de] verbo, in Iehouah gloriabor [de] verbo.*

12 *Deo nitor, non timebo quid faciat mihi homo.* Expertus Dei opem, & vototum ſuorũ compos factus, ex eo quòd Dei promiſſionibus fortiter nixus, certa ſpe hanc opẽ expectaſſet, iactat ad eundem modum ſe & porrò verbum & oraculum Dei cum laude memoraturũ, atque de eo gloriaturum, nixúmque Deo nihil formidinis ab homine admiſſurũ. Hæc conſequebantur vota Dei in Eccleſia celebrandi. De his mox memorat.

13 *Super me ô Deus vota tua, rependam laudem tibi.*

14 *Quia liberaſti animam meam à morte, nónne pedes meos à lapſu, vt verſer coram te ô Deus, in lumine viuentium?* Votorum præcipuũ erat celebratio nominis Dei, licet adiũcta & ſacrificia, & oblationes adhiberentur, de quo ſuprà aliquoties. Cauſam horum vototũ canit verſu 14, quòd nimirum ſe Deus à præſentiſſimo, in quo erat, periculo, à Philiſtæis comprehenſus, ac aliis omnibus liberaſſet, & daturus eſſet vt coram ipſo in omni iuſtitia & fœlicitate tanquam in ipſo Dei præſentis, tuentis, omnémque fœlicitatem ſuppeditantis, conſpectu, vitali aura (quam lucem ſuo more vocat) frueretur. Nam corã Deo verſari, eſt vt certò Dei fauore gaudere, ita viciſſim flagranti eius ſtudio teneri. Sic & illud dictum Abrahæ intelligendum, Verſare corã me, & eſto integer: Gene. 17. a. 1. Et hi ſoli, qui ita coram Deo agunt, veram vitæ lucem obtinent.

PSALMVS LVII. ἀκινδ᾽ καὶ ἀγρευσις.

ARGVM. *Canit, vt deſidens in ſpecu cum ſuis, Domino ſe committens, omne periculum euaſerit, & quanto ſtudio ob id Domino gratias egerit, cum deſcriptione malitiæ, & odij in ſe, hoſtium ſuorum.*

PARAPH.

1 PRæſuli, Ne perdas, Dauidis Michtam, quum à Schaule fugiſſet in ſpecum.

2 Miſerere mei Deus, miſerere mei: nam ſe tuæ protectioni anima mea cõmiſit, alis tuis me protegendum ſubmitto, donec prætereat violentia.

3 Inuocabo Deum excelſum, Deum qui omnia mihi perficit.

4 Demittet è cælo, & ſeruabit me: opprobrium abſorbere me cõnanti, Selah: demittet Deus ſuam bonitatem & fidem.

5 Anima mea in medio leonum, habito inter homines qui flammis exurunt, quorum dentes lanceæ & ſagittæ ſunt, & lingua gladius acutus.

6 Extolle te Deus ſuper cælos, ſuper omnem terram decus tuum.

7 Rete pararunt greſſibus meis, depreſſit ille animam meam: effoderunt mihi foueam, & inciderunt in illam. Selah.

8 Confirmatum eſt cor meum ô Deus, confirmatum eſt cor meum, cantabo & laudabo.

9 Attolle te lingua mea, attollite vos fides & cithara, manè cantabo.

10 Celebrabo te inter populos Domine, laudabo te in nationibus.

11 Ingens adeò eſt bonitas tua, vt vſque ad cælos pertingat: & fides tua, vt ad nubes vſque ſeſe attollat.

12 Extolle te Deus, ſuper cælos ô Deus, & ſuper omnem terram decus tuum.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 PRæfecto, *Ne perdas, Dauidis Michtam, quum ipſe fugeret ante faciem Schaulis in ſpeluncam.* Illo, *ne perdas*, quod duobus ſequentibus Pſalmis, qui de Schaule cõpoſiti ſunt, præmittitur, fortè id indicare voluit, quòd ſuos, qui vt perderet Schaulem incitabant, ſeſéque ad id offerebãt, his repreſſerit. Tum certè quando comitatus Abiſchai dormienti Schauli ſuperueniſſet, & ille cõfodere hunc vellet, dixiſſe ei Dauidem legimus אל תשחיתהו, id eſt ne perdas eum, ſicut hìc אל תשחת. A. Ezra ſcribit, carminis cuiuſdam fuiſſe initium, ad cuius numerũ fuerint hi Pſalmi compoſiti. Priorem ſenten-

tiam Kimhi ponit. Memorabilis verò hiſtoria eſt, Dauidem Schauli pepercíſſe tãto hoſti, quum ita in manus eius incidiſſet. Certè hæc animi celſitudo & bonitas tanta fuit, vt & Schauli, quum eam audiſſet, lachrymas excuſſerit, quanlibet implacabiliter inſenſo, atque compulerit hac vice exercitum reducere. Hiſtoria legitur 1. Schmu. 24, & 26. Nemo putet incredibile quod in hac hiſtoria legimus, Dauidem cum ſexcẽtis in ſpecu latuiſſe. ſcribit enim Strabo, lib. 16, in hac regione eſſe ſpecus tam capaces, vt ſint qui quatuor hominum millia capiant.

2 *Miſerere mei Deus, miſerere mei, quia in te confiſa eſt anima mea: & in umbra alarum tuarum confidam, dum tranſeant fraudes.*

3 *Clamabam ad Deum excelſum, ad Deum perficientem ſuper me.* Nihil eſt quod magis in aduerſitate conſoletur, atque ſentire in animo firmam in Deum fiduciam: ea nanque præditis Deus nequit deeſſe. hanc ergo ſtatim initio iactat, *in te confiſa eſt*, vel tuæ ſe protectioni commiſit *anima mea*. De vmbræ, id eſt protectionis alarum tranſlatione, non minus ſcita quàm frequenti in Pſalmis, dixi in verſum 8 Pſalmi 17. Verſu tertio vocat *Deum perficientem ſuper ſe*: hoc eſt omnia ſua expedientem, abſoluentem, & ad optatum finem perducentem.

4 *Miſit è cælis & ſeruauit me, opprobrium abſorbenti me, Selah: miſit Deus bonitatem ſuam, & ueritatem ſuam.* Vt ſeria & ex fide nata precatio, illico conſolationem, & adfuturæ opis certitudinem impetrat, canit Deum è cælo miſiſſe, nimirum Angelos ſuos, & virtute cælesti ſe ſeruaſſe. Ad illud, *opprobrium abſorbenti me*, ſubaudi Dominus afferet. Et quia admiranda eſt hæc tanta in tam ancipiti periculo fiducia, adſcriptum Selah eſt. Schaul videbatur Dauidem iamiam abſorpturus, ipſe autem præuidebat ſempiternum illi imminere opprobrium. hac cum reuelatione Deus, anguſtiatum & ad ſe vociferatum, fuerat conſolatus. Ad huius certitudinem pertinet quod repetit de auxilio adfuturo cælitus, *Mittet Deus bonitatem & fidem ſuam*: hoc eſt, bonitatem & fidem ſuam lato auxilio cælitus, in me declarabit.

5 *Anima mea in medio leonum habito, [in medio] incendentium filiorum hominum, dentes eorum lanceæ & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Deſcribit hoſtium atrocitatem, dum eos leonibus comparat: facit incendentes, dicit dentes eorum eſſe vt lanceas & ſagittas, & linguam vt gladium acutum. quibus nihil niſi pertinaciſſimum odium illorum, ſtudium & conatus perdendi ſe atrociſſimos voluit taxare. Per dentes autem & linguam, ſermonis inſtrumenta, noxias & peſtilentes aſſentatorum delationes atque conſilia, quibus Dauidi, boniſque aliis omne malorũ incendium continuò excitabant, intellexit. quare & inflãmantes eos vocat. Leonis truculẽtia, notauit Schaulem & alios, qui freti ſuis viribus perdere Dauidem conabantur. In horum dicit ſe medio habitaſſe, quia nuſquam potuit tutum ab his latibulum inuenire.

6 *Attolle te ò Deus ſuper cælos, ſupra omnem terram gloriam tuam.* Orat Deum ita potentiã ſuam declarare, vt ab omnibus metuatur & colatur. Eo enim gloria eius ſuper omnem terrã, & vltra cælos extollitur: de quo & verſus vndecimus canit.

7 *Parauerunt rete greſſibus meis, incuruauit animam meã: foderunt ante me foueã, inciderunt mediũ eius. Selah.* Canit latum ſibi auxilium, ſiue quòd ita certò præuideret, ſiue quòd iam re ipſa hæc perfecta fuerunt. Nam fortè quũ iam extinctis hoſtibus regnaret, Pſalmum hũc compoſuit. Singulare verò iuſtitiæ Dei argumentũ fuit, hoſtes Dauidem quo magis perdere quærerent, eo propius ſeipſos internecioni adduxiſſe. idcirco ſubſcriptũ Selah eſt. Idẽ iudiciũ Dei canit & Pſalmo 7 verſu 17.

8 *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, canam, & pſallam.*

9 *Euigila decus meum, euigila nablum & cithara, euigilabo mane.* Confirmatũ cor ſuũ, ac ſpe optima inſtructum gloriatur, & laudes hinc Dei ſeſe cantaturum magnis affectibus pollicetur. Inde per proſopopœiam iucundam, & Poetis non inſolentem alloquitur, & inuitat ad Dei laudes, כבודי, id eſt linguam ſuam, & organa. Cur כבוד linguam reddiderim, dedi rationem in verſum 9 Pſalmi 16, & verſu 15 Pſalmi 30. Dignitatem alioqui ſignificat. iam ſermonis facultate conſtat hominibus præcipua ſua dignitas & gloria. *Mane* in verſu 9, fortè de ſtato ſacrificii tempore dixit, vel vulgato more Scripturæ, maturandi ſtudium ita expreſſit.

10 *Celebrabo te in populis Domine, canam te in nationibus:*

11 *Quia magna uſque ad cælos bonitas tua, & uſque ad nubes ueritas tua.*

12 *Attolle te ſupra cælos Deus: ſupra omnem terram gloriam tuam.* Vt ex lato auxilio auctior ſancto fides amórque Dei euaſit, ita ſtudio ſanctificandi nominis eius, & quidem apud quamplurimos pluſculum exarſit: id nunc de ſe canit. In verſu 11, cælos & nubes pro eodem poſuit: & ſignificauit vndique in toto orbe bonitatem Dei agnoſcendam. In quo vltra ſe in Chriſtum mentis oculos traiecit: quo liberato ab hoſtibus ſuis, & per mortem glorificato, bonitas & fides Dei, verè demũ in toto orbe refulſerunt, omniáque impleuerũt. De hoc loquendi modo, & in verſu 2 Pſalmi 8. Verſus iſti ad verbum in Pſalmo 108 repetuntur.

PSALMVS LVIII, ψαλμός.

ARGVM. *Inuectiua eſt in aſſentatores Schaulis, quorum ultione prædicit iuſtos mirè exhilarandos.*

PARAPH. 1 PRæſuli, Ne perdas, Michtam Dauidis.
2 Num verè, ô concilium, quod iuſtum eſt pronuntiatis? rectà iudicatis mortalibus?
3 Vos potius iniquitatem in animo concinnatis: & pro æquitate vim in terra manus veſtræ appendunt.
4 Abalienati ſunt improbi iſti ab eo quòd egreſſi vuluam ſunt, errant iam inde quòd prodierunt è ventre.
5 Virus eſt illis, inſtar veneni ſerpentis, inſtar aſpidis ſurdæ, aurémque ſuam obturantis,
6 Quæ non exaudit vocem incantantium, magi artibus magicis præſtantis.
7 Deus, deſtrue dentes oris iſtorum, maxillares leonum confringe ô Iehouah.
8 Diffluant, quemadmodum dilabuntur aquæ: habeant ſe vt cui tenſo arcu ſagittæ diffringuntur.
9 Inſtar limacis colliqueſcentis diffluant, veluti abortiuum mulieris quod ſolem nunquam aſpexit.
10 Antequam ollæ veſtræ à ſubiectis ſpinis calorem concipiant, tanquam quis adhuc crudum eripiat, ſic æſtuanti indignatione ſubitò corripiat illos.
11 Lætabitur iuſtus vbi conſiderauerit vltionem, pedes ſuos lauabit in ſanguine improbi.
12 Et dicent vulgò, Vtique manet iuſtum ſuus fructus, vtique eſt Deus iudicans in terra.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *NVnquid uere ô collectio, iuſtitiam loquemini, æqua iudicabitis filij hominum?*
3 *Etiam in corde iniquitates operamini, in terra uim manus ueſtræ librant.* His verſibus deſcribit deploratam malitiã adulatorum Schaulis: & ſub horum typo, omniũ hoſtium Chriſti & Chriſtianorum. Primus verſus admodum obſcurus eſt. nam dictio אלם ambigui ſignificatus eſt. Poteſt pro collectione accipi, ab eo quod Geneſ. 37. b. 7, אלמים pro colligere manipulos, & אלם pro manipulo culmorum, ac faſciculo vſurpatur. forſan quòd inter ſe, in necem Dauidis conſpirauerant, ſic eos vocauit. Kimhi tamen exiſtimat ſic vocatos, quòd ad iudicium cogerentur, ceu conſeſſum, vel coronam iudicum. Satis enim liquet præcipuè Schaulis cõſiliarios atque iudices hic notatos eſſe. Porrò ſignificat etiam hæc vox mutum. vnde quidam ſic verſum legunt, Num verè mutam iuſtitiam loquimini, id eſt quod iuſtum eſt tacetis? ſed hoc durius eſt. Si enim iuſtitiã loquebantur, non tacebant. Senſus itaque iuxta priorem ſignificationem erit, O concilium, id eſt ſodalitium procerum & iudicum, qui Schaulem à perſequendo me innocentem reuocare debebatis, nunquando verè, quod veſtrum ſcilicet officium eſt, loquimini iuſtitiam, id eſt cum veritate quod iuſtum eſt cenſetis, conſulitis, pronuntiatis? nunquando quæ æqua ſunt mortalibus id à vobis poſtulantibus & expectantibus, iudicatis? Minimè. *Etiam in corde iniquitatẽ operamini*, hoc eſt omnẽ in hoc cogitationem conſumitis, vt quæ praua, quæ iniqua ſunt, & deſignetis ipſi, & defendatis in aliis: violẽtiam manus veſtræ appẽdunt, id eſt poſt librationẽ iudicii id pronuntiatis, & quaſi ex iudicialis autoritatis libra, poteſtate veſtra, qua abutimini, id appenditis quod mera vis & iniuria eſt: tam abeſt vt veritatem & iuſtitiam, quæ veſtræ partes erant, coleretis & tueremini.
4 *Alieni ſunt improbi ab utero, loquentes mendacium, errarunt à uentre.*
5 *Furor illis ad ſimilitudinem furoris ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ quæ obturat aurem ſuam,*
6 *Quæ non audit uocem incantantium, magi magicas artes ſcitè exercentis.* His verſibus cauſam reddidit peruerſitatis memoratæ. Ab eo enim quòd in hanc lucem editi ſunt, alieni fuerũt à familia Dei, mancipia ſpiritus mali, qui illos ad quæque peſſima ſemper egit. Inde verbis factiſque eorum nihil poteſt fingi nocentius, quod ſimilitudine veneni maximè præſentis expreſſit verſu 5. Ab hac immani malitia non potuiſſe eos reuocari, quia ex diabolo nati, nempe alieni, verbũ Dei reuocantis audire nequibant, canit verſu 6. Carminibus cogi ſerpentes & aſpides, vt virus ponant & mãſueſcant, apud omnes ſcriptores celebre eſt: & à noſtris, Marſis præcipuè ea facultas tribuitur. Facit autẽ aſpidi obturãti aurem, & ad quamuis incantationem obſurdeſcenti, illos ſimiles,

quòd nulla prorſus monitione potuiſſent ab inſtituto & ſtudio lædendi bonos depelli. Similitudinem autem hanc, malitiæ improborũ exprimendæ cauſa duntaxat adhibuit, non quòd etiam probaret vſum horum carminum. חבר enim meminit, qua magiæ ſpecie Deus nominatim interdixit, Deut. 18. De hac malorum alienatione dixi quædam in verſum vltimum Pſalmi 10.

7 *Deus commole dentes eorum in ore eorum, maxillares leonum demolire, ô Iehouah.* Prædicit & imprecatur vltionem hoſtibus ſuis, poſtquã nulla ratione reduci in viam potuerunt. Per dentes verba nocentia, & innocentes lacerantia intelligit: quóque exaggeraret eorum crudelitatem, leonũ dentes eis tribuit. Hos verò dentes illis Dominus confregit, quando ademit nocendi ſermonibus facultatem. Simili allegoria vſus eſt & Pſalmo 3.

8 *colliqueſiant, ſicut aquæ diffluent ſibi: [qui] tendet arcum ſuum, ſagittæ eius ſicut confractæ erunt.*

9 *Sicut limax quæ colliqueſcit, diffluet: [ſicut] abortiuum mulieris non aſpiciant ſolem.*

10 *Antequam intelligant ollæ veſtræ ſpinam, ſicut viuum, ſic ardente furore procellet eum.* Adimendam hoſtibus ſuis omnem nocendi poteſtatem canit, quinque adhibitis ſimilitudinibus, vel potius imaginibus, non minus elegantibus quàm vehementibus: quo ſpei ſuæ expreſſit certitudinem. Prima eſt aquæ dilabentis, qua Scriptura & Pſalmo 22 verſu 15, atque 2. Schm. 14. c. 14, vſa eſt. Altera conantis arcu iam tenſo iacere, cui ſagittæ in ipſa arcus tenſione atque iaciendi conatu cõtortæ & confractæ in fruſta diſſiliant. R. Schlomoh id Gallicè, per *fruſſer* expreſſit. Tertia, limacis intra teſtam ſuã colliqueſcentis, & pereuntis. Quarta, abortiui, quod periit priuſquam lucem hanc aſpexerit. חזו, verbum plurale reſpondet ſingulari nomini quod pro plurali poſitũ eſt, non infrequens ſchema in Scripturis. Quinta, carnis raptæ antequã olla calorem conceperit, cuique ex ea materia ignis ſubſtratus ſit quæ non poſſit, etiamſi fortiter ardeat, magnũ calorem ſubminiſtrare, nempe ex ſpinis. Eſt & in eo ſimilitudo, quòd ſubiicit rapiendos cũ tempeſtate (id enim ſignificat verbum ישער) & cum æſtuanti indignatione. Porrò סירות in verſu 10, quidam interpretãtur ſpinas, atque inde ſic enarrant, Antequã ſpinæ minores intelligãt, hoc eſt aſſecutæ ſint modũ rhamni, ſcilicet magnarum ſpinarũ: vt intelligas perdendos fuiſſe antequã malitia eorum maturuiſſet. Id vtcunque ſit, hoc abundè patet, his ſimilitudinibus voluiſſe Vatẽ ſignificare, ſe petiiſſe, atque præuidiſſe futurum vt impii illi penitus perderentur, & id quàm celerrimè, antequã eorum peruerſitas adoleuiſſet. Id verò omnibus impiis bonorum perſequutoribus euenit, etſi carnis iudicio ſæpe videantur nimis diu regnare, & plus nimio poſſe.

11 *Gaudebit iuſtus ut conſiderauerit ultionem, pedes ſuos lauabit in ſanguine improbi.*

12 *Et dicet homo, vtique fructus iuſto, utique eſt Deus iudicans exercens in terra.* Iuſti vt Deum ex toto corde diligunt, ita nihil illis maiorem affert voluptatem, quàm ipſius nomen illuſtrari, etiã cuiuſcunque id pernicie fiat. Parẽtes nanque, vxores & liberos, præ Deo, ſi res poſcat, odio habẽt. Dum itaque homines ſunt, quorum cum ſalute Dei gloria clareſcere nequit, ſummã eis iucunditatem affert, ſi ea claruerit illorum interitu. Huiuſmodi ergo iucunditatem prædicit futuram, quum ſcilicet extincti fuerint, de quibus hîc queritur, non tam ſui, quàm Dei hoſtes. Eam ſignificauit & in verbo חזה, quod contemplari, & cum mora aliquid intueri ſignificat. Item in hyperbole illa, *Lauabit pedes ſuos in ſanguine improbi*: quod alioqui ſummæ eſſet crudelitatis. Vt autem hæc iſtorum vltio ad illuſtrationem gloriæ factura erat, canit verſu vltimo, *Et dicet homo*: id eſt quiſquis, vulgò hoc iactabitur, Vtique manet iuſtum ſuus fructus, vtique eſt Deus iudicans in terra. In futuro ſiquidem Deus verum demum, ſolidúmque iudicium faciet, hîc nõ omnia compenſat. inde impii ſibi ſæpe conãtur perſuadere, illum non habere præſentium rerum curam. Dum itaque inſigni aliqua malorum vltione ſe orbis iudicem declarat, mirum in modum confirmatur infirmioribus Diuinæ prouidentiæ fides, eiúſque nomen redditur apud omnes auguſtius.

PSALMVS LIX, χειμαστικὸς καὶ ἐλεγκτικός.

Opem contra hoſtes implorat, ſuam iactat innocentiam, mores illorum deſcribit, & ultionem prædicit. ARGVM.

1 PRæſuli, Ne perdas, Michtam Dauidis, quũ miſiſſet Schaul ad obſeruandum PARAPH.
domum eius, vt ipſum occideret.

2 Eripe me ab inimicis meis Deus mi: ab iis qui contra me inſurgunt, recipe me.

3 Eripe me ab hominibus prauitati deditis, ſerua me à viris ſanguinariis.

4 Nam ecce animæ meæ inſidiantur, conuenerunt contra me robuſti: quũ nihil tamen ſceleris, ô Iehouah, nihil piaculi admiſerim.

5 Nulla iniquitate mea adducti accurrerunt, ſeſéque inſtruxerũt: exurge vt mihi ſuccurras, & reſpice.

6 Et tu Iehouah, ô Deus Sebaoth, Deus Iiſrael, euigila, vt de cunctis Gentibus
cognitionem inſtituas, ne ſis propitius omnibus qui ex iniquitate aduerſan-
tur. Selah.
7 Ad veſperam diſcurſant, fremunt vt canes, & vrbem circuncurſant:
8 Et loquuntur ore ſuo, gladii ſunt in labiis eorum: nam aiunt, Quis audiret?
9 At tu ô Iehouah ridebis illos, ſubſannabis cunctas Gentes.
10 Abs te, qui iam es robur illius, opem expectabo: nam Deus mihi pro arce eſt.
11 Deus qui me bonitate ſua dignatur, anteuertat me: Deus fac optata videam
in inſidiatoribus meis.
12 Non eveſtigio interimas illos, ne huius populus meus obliuiſcatur: redde va
gos in populo tuo, deiice eos Domine, qui es clypeus noſter.
13 Propter flagitia oris ſui, & quæ mala loquuntur, illaqueentur ſuperbia ſua: &
ob periuria atque mendacia ſua, fiant fabula vulgi.
14 Conſume accenſus in vltionem, conſume, vt iſti nuſquam appareāt: & ſciant
omnes ad fines vſque terræ, quòd Deus ſit Princeps in Iaacob. Selah.
15 Ad veſperam diſcurſant & fremunt vt canes, & vrbem circuncurſant:
16 Vagabuntur pro cibo, at nec ſatiabuntur, nec tectum eis ſubire dabitur.
17 Ego autē cantabo de robore quod cōtuleris: mane ouabo de bonitate qu a
præſtiteris, quòd mihi fueris pro arce: & dum premeret aduerſitas, perfugium.
18 Robur meum, tibi canā: nam Deus mihi pro arce eſt, Deus qui bonitate tua
me dignaris.

AD VERBUM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *PRæfecto, Ne perdas, Michtam Dauidis, quum miſiſſet Schaul, & obſeruaret domum eius, ut occideret eum.*
2 *Libera me ab inimicis meis Deus mi, ab inſurgentibus contra me attolle me.*

3 *Libera me ab operariis iniquitatis, à viris ſanguinum ſerua me.* Verſu primo notatur Pſalmi huius occaſio, quæ fuit periculum in quo Dauid erat, quando Schaul domū eius fecerat obſideri, quo mane cōprehenſum occideret. Id quod legitur 1. Schm. 19. b. 10. Verſu 2 orat eripi ab inimicis, in quorum iam manibus tenebatur, niſi ab vxore monitus, Deo viam faciēte, fugiſſet. Verſu tertio cur ſe Deus eripere debeat, cauſam addit, quòd illi hoſtes eius, eſſent פעלי און operarii iniquitatis, hoc eſt iniquitati dediti, & viri ſanguinarii, cædique intenti, de quibus verſu 5 Pſalmi 5.

4 *Nā ecce inſidiati ſunt animæ meæ, collecti ſunt contra me validi, non ſcelus meū, & non peccatum meū, ô Iehouah.*

5 *Abſque iniquitate occurrerūt, & inſtruxerunt ſe euigila ut occurras mihi, & vide.* Inſidiis, numero, viribus magno conatu oppugnatum ſe ab hoſtibus queritur, idque nihil commeritum. Quod quum permitteret Deus, dormire videbatur. orat ergo vt euigilet Deus ad occurrendum, id eſt ſuccurrendum ſibi, & videat. Inſidias expreſſit, numerum ſignificauit quum ait, *Collecti ſunt*. Vires, quū ait, *validi*. Conatum & ſtudium quum ait, *Concurrerunt & inſtruxerunt ſe*. Innocentiam ſuam teſtatur vtroque verſu, admodum apertè quum ait, *Non ſcelus meum*, id eſt, *non ob ſcelus meum*, non ob peccatū meum. פשע hic habetur, quod defectionē quoque ſignificat, cuius eum adulatores Schaulis perpetuò inſimulabant.

6 *Et tu ô Iehouah Deus Sebaoth, Deus Iiſrael excitare, ut de omnibus gentibus cognoſcas, ne miſerearis cunctis iniquè laceſſentibus. Selah.* Conſiderata inter precandum, vt filii, Dei bonitate, potentia, & in omnes æquitate, tamen quid promiſerit peculiariter Iiſraeli, eſſe ſcilicet illi Deus, hoc eſt vindex & ſeruator, animoſius orat vt ſe excitet, animaduerſurus in omnes gentes. Quū autē de omnibus gentibus cognoſcere Deum flagitauit, vtique ſub Gentium nomine, & perſonatos Iiſraelitas intellexit, contra quos Deum Iiſraelis, cui ipſi haudquaquam poterant iurè accenſeri, inuocabat: quos ideo & infrà verſu 9, Gētes vocauit, de quo in verſu 4 Pſalmi ſuperioris, & in vltimo Pſalmi 10. Vt verò hoc memorabile eſt, ita adſcripſit Selah. בגדי און intelligit qui aduerſantur, laceſſunt, oppugnant innocentes, nulla alia re quàm ſua ipſorū peruerſitate adducti. De verbo פקד, quod viſitare vulgò vertunt, in verſu 5 Pſalmi 8.

7 *Reuertebātur ad veſperam, fremebant ut canes, & circumibant ciuitatem.* Hoc verſu præcipuè eos notat, qui Schauli gratificari cupientes, ſtudioſe domum Dauidis noctu obſeruabant, & de peri-

mendo eo inter ſe commentabantur. De his ergo canit, *Ad veſperam diſcurſant.* ישובו enim pro ire & reuerti, hoc eſt ſedulò diſcurſare, accipitur. Voluit eo ſtudium & ſedulitatem iſtorum aſſentatorum indicare, quam & eo expreſſit quod ſeqoitur, *Fremunt vt canis.* Inſtar canum enim venantium, qui iam deprehenſam feram cum latratu illam prodente,& ipſorum deſiderium indicante,inſequuntur,per ciuitatem diſcurſabant,omnia obſeruantes & cuſtodientes,ne quà,ſi domum euaſiſſet,elaberetur.

8 *Ecce effutiebant ore ſuo, [&] gladij in labiis ſuis: nam quis audit?* Queritur nominatim de verbis quibus aſſentatores illi odium ſuum erga ipſum inuicem dum domū obſeruarent,& dormire Dauidem putarent, detexerant, & conſilia capiendi eum tractauerant. Ea fuere tam atrocia, vt per admirationis notam, & cum apoſiopeſi dixerit, *In ore ſuo loquuntur*, ſubaudi, nihil niſi cædem,necem,lanienam: vnde ſubiicit, *Gladij in labijs illorum:* hoc eſt,omnia verba eorum,de me necando, perdendo,extinguendo ſonant.Cauſam huius truculentiæ ſubiicit,impiam cordis eorum cogitationem, *Quis audiat?* Dum enim nullum hominem audire ſuos ſermones putabant, prorſus à nemine agnoſci rebantur. Nam Deum nihil horum curare,ſibipſis perſuaſerant: quæ radix eſt malorum omnium.

9 *Et tu ô Iehoua ridebis illos, ſubſannabis omnes Gentes.* Precem fide fuſam, Diuina ſemper cōſolatio excipit. Hanc modò canit. vnde hoc verſu ait, Deum illos dira in ſe cōſultantes,riſiſſe & ſubſannaſſe.id quod palàm factum fuit,quum præter omnem illorum expectationem, Domini ope adiutus,euaſit, quanlibet diligenter obſeruaſſent & cuſtodiſſent omnia. Quia autē ex horum manu elapſus,nondum omne periculum euaſerat,ſpem ſuam & in poſterum canit.

10 *Robur eius,ad te cuſtodiam, quia Deus arx mea.* Verſu vltimo habetur,Robur meum: ibi ſenſus apertior,hic nonnihil obſcurus eſt. Kimhi interpretatur, Præ robore Schaulis, cui reſiſtēdo non ſum,ad te ô Deus,qui me ab illo eripias,reſpicio,te obſeruo. A. Ezra verò ſic,O Deus, qui iam es robur Schaulis,& eum in regno tueris,paulo pòſt meum in hoc ipſo robur futurus es.Cum hoc conſentit Paraphraſis Chaldæa, *Ad te obſeruabo*, hoc eſt ad te ſemper reſpiciam, omne auxiliū abs te expectans. *Nam Deus mihi pro arce eſt.* Subita perſonæ mutatio, vt frequens in Pſalmis, ita indubiè in lingua Sacra non parum decora. Cæterùm illud, Obſeruabo ad te, antitheſim habet ad obſeruationem hoſtium,qua domum obſeruabāt ipſum capturi,ad hunc ſenſum, Iſti obſeruant domum meam,vt me perdant:ego autem obſeruabo tuam bonitatem,qua me eripies.

11 *Deus bonitatis meæ præueniet me, Deus faciet me videre in inſidiatoribus meis.* Canit ſic ſe iuuādum diuinitus, vt optata quoque videat in hoſtibus, *Deus*, inquit, *bonitatis meæ præueniet me.* Vocat autem bonitatem ſuā,qua Deus ipſum dignabatur, & erat adiuturus. Sic nanque mos habet Scripturæ, vt dicat alicuius eſſe, & quod ipſe facit, & quod ei fit ab alio. Ita dicitur Diuina bonitas Dei, quòd eam exhibeat: dicitur eadem hominis, quòd eam percipiat. Ad hunc modum inducitur Deus dicere de Chriſto, Pſalmo 2, Rex meus: eo quòd illi dederit vt rex eſſet. Eundem vocat & Eccleſia Regem ſuum, nempe quòd ipſam regat. Haud ſcio tamen annon poſſit intelligi, Deus bonitatis meæ præueniet me: vt idem ſit atque, Bonitatem meam compenſabit. De videre in inſidiatoribus,iam dictum in verſu 9 Pſalmi 54.

12 *Ne occidas eos, ne obliuiſcatur populus meus: diſperge eos in exercitu tuo, & deijce eos, ô clypee noſter Domine.* Certus iam exterminii hoſtium ſuorū,orat ne excindantur ſubitò,ſed lento potius ſupplicio, vt vagi,mendici, & modis omnibus miſeri,Dei in ſe iuſtitiam oſtentent. Illud, *vagos fac*, בחילך,alii in virtute tua reddūt. Sed A. Ezra & Kimhi interpretātur,in exercitu tuo,ſcilicet populo Iſrael,& id argumento ſatis commodè quadrat: etſi nec alienum ab eo ſit ſi legas, In virtute tua.

13 *Peccatum oris eorum, verba labiorum eorum, & illaqueentur in ſuperbia ſua, & execratione & mendacio memorentur.* Hic verſus obſcurior eſt. A. Ezra iungit priorem eius partem cum verbo deiice,in verſu præcedenti, vt ſit ſenſus, Deiice illos propter peccatū oris ſui,&c. Ambigua eſt & poſterior huius verſus pars. A. Ezra legit eam vt verti. Kimbi אלה maledictionem Domini,& כחש quum maciem etiam ſignificet,tabem intelligit qua Deus ita impios illos percuſſurus fuerit, vt inde in fabulam hominum abierint.

14 *Conſume in indignatione, conſume, & non ſint, & cognoſcant quòd Deus dominator eſt in Iaacob ad fines terræ. Selah.* Hîc præterquam quòd precem pro vltione iſtorum intendit, oſtendit eandem Domini gloriam ad fines vſque orbis illuſtrādam. Quod quum præcipuè ſpectarit, per Selah inſigniuit.

15 *Et reuertebantur ad veſperam, frendebant ſicut canes, & circuibant ciuitatem:*

16 *Ipſi vagabuntur pro cibo, ſi non ſaturabuntur, [ſi non] noctu quieſcent.* Repetit vt nocte illa ſategerint quum ſe obſeruarent, vt ex quo malitiam eorū præcipuè didicerit: tamen iterum mendicitatem eis imprecatur, qua veriſimile eſt, dediſſe impietatis ſuæ pœnas, extincto Schaule. At A. Ezra & Kimhi verſum 15, oppoſitū putant ſeptimo in hūc ſenſum, Antehac reuerſabantur nocte,& diſ-

curſabant canũ inſtar, vt me caperẽt & proderent:nunc rurſus diſcurſabunt, ſed vt panem miſeri mendicent: frement & latrabunt,ſed præ cruciatu famis, non vt antea præ furente in me odio.אם לא, A. Ezra duobus locis legendum putat,hoc ſenſu, Vagabuntur pro cibo, ſed nec ſatiabuntur,nec habebunt vbi diuertãt, aut nocturnam quietem capiant:vt ita duplici malo intelligas affectos,& cibi & veſtitus inopia.Cæterùm modus iurandi eſt,vt etiam iuramento affirmari intelligas illos toto die mendicaturos,nec tamen vel cibo vel tecto fruituros.

17 *Et ego canam uirtutem tuã,& orabo mane bonitatem mĩ, quia fuiſti arx mihi, & refugium mihi in die anguſtiæ.*
18 *virtus mea ad te canam, quia Deus arx mea,Deus bonitatis meæ.* Canit quàm velit iam magna animi lætitia,de lato auxilio,Deo agere gratias,& laudes canere: ídque mane in ſolenniori Eccleſiæ conuentu, quo plurimi ad colendum Deum excitentur. Vocátque iam Deum robur ſuum, vt ſuprà verſu 10 vocarat robur Schaulis.Item & Deum bonitatis ſuæ,vtique quòd ſe iam in regno roboraſſet,& omni genere beneficiorum cumulaſſet.

PSALMVS LX, in genere mixto, εὐχαριστικὸς καὶ δικανικός.

ARGVM. *Memorat ut olim iratus Deus populum ſuum hoſtibus permiſerit. rurſus tamen benigne illis opem ferens præclaros triumphos dederit Et nominatim narrat regni Iſraelis latitudinem & potentiam, cui & Moabitæ atque Philiſthæi iam ſubiecti erant:indéque colligit,ſe eodem Deo fretum, & de Ammonitis uictoriam relaturum.*

PARAPH. 1 PRæſuli,ad Schuſchan decorum,Michtam Dauidis ad docendum,

[illegible] 2 Dum bellum gereret contra eam Syriæ partem quæ Meſopotamia dicitur, & contra Syriæ partem quæ vocata eſt Soba: & Ioab reuerſus: percuſſiſſet AEdomitarum in valle Salis,millia duodecim.

3 Deus repuliſti olim nos, diſieciſti: iratus eras, at redhibuiſti rurſus te nobis placatum.

4 Cõcuſſiſti terrã,diripuiſti eam:Cura(orabam)fracturas eius,nã inclinata eſt.

5 Dura ſæpe feciſti experiri populum tuum,potaſti nos vino toxico:

6 At ſuſtuliſti rurſus timentibus te ſignum,ſub quo fœliciter vincerent, ídque propter veritatem,Selah.

7 Ideo tuti agebant amati tui,ſerua & nunc me dextera tua,annue mihi.

8 Deus oraculũ è Sacrario ſuo édidit,lætabor:Shechem iam diuiſi,& metitus ſum vallem Succhoth.

9 Meus eſt Gilead,& meus Manaſſeh:Ephraim principatus mei robur,regnum meum Iehudah.

10 Moab ſubiecta mihi eſt, ceu lebes in quo lauem pedes: AEdom erit vt locus in quem abiiciam calciamentum meum,Philiſthæa mihi vt regi ſuo acclamat.

11 Quis iam adducat me in ciuitatem munitã, quis adducet vſque in AEdom?

12 Certè tu Deus,qui olim repuleras nos,nec egrediebaris inter copias noſtras.

13 Fer auxilium nobis,vt ab infeſtis liberes:nam hominum auxilium inane eſt.

14 Deo freti,fortiter faciemus:ipſe autem conculcabit infeſtos nobis.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

P*Ræfecto, Super Schuſchan Eduth, Michtam Dauidis,ad docendum:*

Quum bellum gereret contra Aram fluuiorum,& Aram Sobah:& reuerſus eſt Ioab, & percuſſit Edom in ualle Sa-
1 *lis [ad] duodecim millia.* עדות alii teſtimonium vertunt:A.Ezra autem citat qui pulchritudinem inter
2 pretentur, quam & ſignificat. Illo, *ad docendum*, putat notatum quòd rex voluerit hanc Odam cantores doceri. Sed quum indubiè voluerit illos doceri quaſcunque ordinaſſet,vt in templo decantarentur,quibus tamen nihil tale in inſcriptione prænotatum eſt: neceſſe eſt,aliud hac particula ſignificarit quod & Hebræos,vt alia multa in inſcriptionibus, lateat.Mihi ſuperuacaneum videtur indulgere coniecturis, quum adeò deſunt paulo certiores. Quantum verò attinet ad ea quæ Pſaltes ſecũdo verſu ſcripſit, libro Schm.2.cap.8.d.13,legimus Dauidẽ reuerſum percuſſiſſe in valle Salis decem & octo millia Syrorum. Primo autem Paralipo. legitur, Abiſchai proſtrauiſſe in hac valle decem & octo millia AEdomitarum: hic autem tantùm duodecim millia memorantur, & quidem AEdomitarum, atque cæſa ab Ioab. Hæc videntur in ſpeciem inter ſe pugnare:attamen ſi rectè perpendas,nihil variant.Dauidi ſanè non iniuria tribuitur, quicquid vel per Ioab,vel Abiſchai,nempe eius duces in bello hoc geſtũ eſt.ſed & Abiſchai haud præter hiſtoriarum morem adſcribitur,quòd vnà cum fratre perfecit,propterea quòd ipſe fecerit prælii

1.Paral.18.d.12.

initiũ,& Ioab ab alia hoſtium cæde reuerſus, fratri velut ſuppetias tãtum tulerit,etſi ipſe cũ ſua
exercitus parte tũ,interfecerit,vt hîc memoratur, millia duodecim: & ideo Abiſchai tantũ ſex.
Quòd autẽ in lib. Schm. Syri cæſi,& in libro Paral. atq; hîc AEdomæi legũtur, inde factum eſt,
quòd cõmune harũ Gentium bellum extitit,vt 2. Schm. 10,& 1. Para. 19,ſcribitur. Quòd autem
hæc victoria in octauo 2. Schmu. & 1. Para. 18, ſeorſim inter præcipuas memoratur,cauſam eſſe
puto, quòd ea patentiori Diuini auxilii miraculo contigerit. quam ob cauſam & in præſenti
inſcriptione, eius mentionem factam nihil dubito. Nam aliis vicibus in hoc ipſo bello longè
plures hoſtium cecidiſſe,Sacra hiſtoria teſtatur.

3 *Deus depuliſti nos,diripuiſti nos,iratus fuiſti,reuertere ad nos.*

4 *Contremuit terra.vulneraſti eam,ſana confractiones eius,quia inclinata eſt.*

5 *Oſtendiſti populo tuo durum,potaſti nos vino toxico.* Sic Sacra hiſtoria hoc bellũ cũ Ammonitis,AE-
domitis, & Syris geſtũ deſcribit,vt nullũ omnino difficilius à Dauide bellatum legamus. Ideo
memorat vnde ſibi ſpes victoriæ cõtra tã ingẽtes copias firmata fuerit, nẽpe ex cõſideratione,
vt ſuperioribus ſeculis iratus populo ſuo Deus,hoſtes ſæuiſſimos illi immiſerit: ſtatim autẽ vt
ipſum feriò inuocauit,reſipiſcentia ſuſcepta,in gratiã iterũ receperit. Quòd verò ad ſuperiora
tẽpora hæc refero,in cauſa eſt quòd,vt Sacra hiſtoria teſtatur,Deus,quũ bellũ cum Ammonitis
& Syris gereretur,nunquã nõ in exercitu populi ſui præſens adfuit,victorémq; fecit,& quidem
cõtra copias fere infinitas. Vt hîc igitur lõgè triſtiora & acerbiora deſcribũtur, ita ad alia tẽpo-
ra referãtur oportet: fortè ad illa quæ fuerũt quũ occiſo Schaule,omnes circũquaq; hoſtes Iiſra
elẽ impeterẽt: aut certè his etiã ſuperiora,ſiue Eli,ſiue Iudicum aliorum,ſub quibus ſæpenume-
ro extremas calamitates fuerãt experti. E quibus tamẽ illos Deus ſimulatq; opẽ ſuã reſipiſcẽtes
imploraſſent,rurſum eripuit. Ergo præcipuã aliquã terræ Iiſraelis calamitatẽ his tribus verſi-
bus memorat. Quòd enim hoſtibus populũ tradiderat,& diſcerpi ab eis permiſerat, id eſt quod
Pſaltes hîc canit, *Repuleras nos,diſsecaras nos*. Reſtitutũ Domini bonitate populũ,canit particula ſe-
quenti, *Reuertere ad nos*. Ita enim orauerãt priſci,& exorauerãt,vt rurſum Deus ſe vindicẽ & ſerua
torem populi ſui declararet. Solet Vates nanq; narrationi interdũ precatiunculas interſerere,
quibus oſtẽdat quid tum orare vel ipſe,vel popul' fuerit coactus: indéque auget malorũ memo-
rationẽ. Id obſeruauit & verſu ſequẽti. Calamitatẽ traditi hoſtibus populi verſu 4 exaggerat,dũ
canit terrã à Domino concuſſã & diruptã,ita vt findi & dirumpi ſolet,dum cõcutitur grauius.
Intelligit autẽ populũ cõcuſſũ atque diruptũ: id nẽpe quod canit verſu 3. Subiecta precatiũcu-
la cõfirmat quod præmiſit de terræ interruptione & cõcuſſione. Verſu 5 idẽ agit alia metapho
ra,nẽpe vini toxici. תרעלה quidã inſaniẽ & rabiẽ interpretãtur,vt intelligas ita malis fuiſſe obru
tos,vt omnium rerũ ſuarũ fuerint incerti,& perturbati,adeò vt nuſquam nõ impingerẽt,vt qui
eſſent prorſus in furorẽ acti. Eadẽ metaphora vſus eſt Ieſchaiah 51. f. 17. Cæterũ frequẽs in Scri
pturis eſt per calicẽ, id eſt admẽſam vini portionem (vti in conuiuiis veterũ obſeruari ſolebat)
certã malorũ & bonorũ portionẽ quã cuiq; Deus deſtinarit, ſignificari. de quo in ver. 6. Pſal. 11.

6 *Dediſti timentibus te ſignum ad ſuſtollendum à facie ueritatis, Selah.*

7 *Vt defendantur dilecti tui,ſerua dextera tua, & reſponde mihi.* His verſibus canit, vt olim Deus po-
pulo,poſtquam pœnas ſcelerum dediſſet, benignè rurſus & fauenter adfuerit, victoriámque de
hoſtibus donauerit. Nam per datum ſignum,quod (ita vt ſolent victores) in altum ſuſtollerẽt,&
iactarẽt,amplã victoriam,à qua populus exultarit,hoſtibus inſultarit,planéque triumpharit,ſi
gnificare voluit. nam victi ſigna ſua aut demittunt,aut abiiciunt. Proinde quum fortuna exer-
citus à ſigni conditione cognoſcatur, & res ſaluæ ſint dum illud in ſublimi conſpicitur i mu-
tuatus hinc iſtam tranſlationem, cecinit, Deum ſuis ſignum dediſſe, & illud להתנוסס, id eſt ad
vexillandum (ſi ita loqui liceret) id eſt, ad extollendum more victorum. Nec potuit ſane ali-
ter accidere, quum Deus ſignum dediſſet, & dediſſet vt pararetur illi victoria. *A facie* (ſubiicit)
ueritatis, quo cauſam cur ſic populo ſuo adfuerit, Deus expreſſit. Nam veritatem vtique pro-
miſſionum Diuinarum intellexit. Inde & *ſelah* adiecit, quo moneret omnia ſoli vltroneæ Dei
bonitati accepta referenda. Atque hinc & ſuam ſpem firmabat, non dubitans, & ſe ex eorum
numero eſſe ad quos Dei promiſſiones attineant. vnde mox precem adnexuit, *Serua per dexteram
tuam & annue mihi*, etiam nunc tibi fidenti, atque opem tuam imploranti. למען hoc verſu & cum ſu
perioribus iungi poteſt. Nam ideo Deus timentibus ſe ſignum victoriale donauerat, vt à facie
veritatis (per hanc ſcilicet adiuti & victores facti,) defenſi & tuti eſſent dilecti eius. Nam qui ipſũ
verè timent, obſeruãt, colut, hoſquoque ille diligit, vt charos amicos tuetur. Hebræi ſic ordinãt,
Serua per dexteram tuam, qua nos Gentes putant temerè confidere, vt dilecti tui defendantur.

8 *Deus loquutus eſt in ſacrario ſuo: lætabar, diuiſi Schechem, & Succhoth uallem dimetiar.*

9 *Mihi Gilead, mihi Menaſcheh, & Ephraim robur capitis mei, Iudas præceptor meus.* Memorat nũc & quæ
ſibi Deus peculiariter magnificè fecerat, vt ſibi ab initio regnum Iiſraelis, & alias, quas tũ ſub

ctus. Et uidetur periculum hoc accidiſſe iam regnanti, ſiue id fuerit ab Ammonitis, ſiue à filio Abeſchalom. Quin & Chriſti ſeſe typum ſimul exhibet, de regni ſui æternitate glorians.

1 PRæſuli, ad Neginoth, Dauidis. PARAPH
2 Audi Deus vociferationem meam, auſculta precationi meæ:
3 Ad te, de extremo terræ anxifica cordis flagitatione clamo: in rupem nunc
altiorem quàm in eam poſſim conſcendere, ſubduc me.
4 Tu nanque es tutela mea, prævalida turris qua ſeruór ab hoſte.
5 Verſabor in tabernaculo tuo in ſecula, tutus agam in latibulo alarum tua-
rum. Selah.
6 Etenim tu Deus audiſti vota mea, dediſti hæreditatē timentibus nomen tuū.
7 Dies diebus regis adiicies, annos eius in multas generationes produces.
8 Sedebit corā Deo in ſeculū, exere bonitatē & veritatē, quibus eum cuſtodias.
9 Sic canam nomen tuum in ſempiternum, vt reddam vota mea quotidie.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *AVdi Deus uociferationem meam, attende preci meæ.*
3 *A fine terræ clamo ad te cum anxietudine cordis mei, in rupe quæ exaltatur à me, deducas me.* Precationis affectus habet verſus 2. De voce רנה, quod vocem editam ex affectu quolibet natam ſignificat, & hîc ardorē precationis notat, dictum in verſum 1 Pſalmi 17. Illud verſus 3, *Ab extremo terræ*, poteſt de alto aduerſitatis intelligi, vt profūda, in 1 verſu Pſalmi 130: vel de locis in quibus fortè exularit. nam in extremis regionis Iſraeliticæ partibus agebat, & quum Schaul eum perſequeretur, & quum Abeſchalom. Si Pſalmus compoſitus eſt de bello contra Ammonitas, metaphora erit. בעטף לבי, cum inuolutione cordis mei, quidam vertunt. ſignificat enim עטף inuoluere. Sed ſatis liquet ex verſu 1 Pſalmi 102, & verſu 5 Pſalmi 107, quando cordi, ſpiritui, vel animæ hoc verbū iungitur, ſignificare vehementem animi perturbationem.

4 *Nam fuiſti protectio mihi, turris roboris à facie inimici.*

5 *Verſabor in tabernaculo tuo [per] ſecula, tuebor in abſcondito fſcieti tuæ. Selah.*

6 *Nam tu Deus audiſti uota mea, dediſti hereditatem timentibus nomen tuum.* His verſibus canit de percepta ex prece conſolatione. Statim ſiquidem vt opem Dei implorauit, certius agnoſcere cœpit illum ſibi nunquam defuturum. Inde canit, Deum ſuum tutelam & turrim in qua ſeruetur ab hoſte quolibet. Item verſu quinto ſe in tabernaculo eius verſaturū, & ſecreta vultus eius (quod idem eſt: nempe proxime eum in ipſo cōſpectu Dei ſe tuentis & defendentis, quo nullum eſt latibulū tutius: ſicut in caſtris regiis nemo eo ſecurior eſt, cui in ipſo regis tabernaculo agere datū eſt) intuiturum. de qua allegoria dixi in verſu 5 Pſalmi 27. In hoc tabernaculo ii agunt qui Dei bonitatem ſibi proſpicientis, ſeducētis agnouerūt plenius. In hoc vita æterna ſita eſt: igitur adſcripſit Selah. In verſu 6, vota pro precibus dixit, eo quòd precantes ſimul ſemper vota ſolent nuncupare. de hoc in verſu 26 Pſalmi 22. Hæreditate quam canit Deum dediſſe timētibus ſe, ſignificauit ſempiternā bonorum, quæ illis Deus deſtinauit, poſſeſſionem. agnoſcebat enim iam beneuolentiam Dei in ſe & populum, nunquam finiendam, de quo canit & verſibus duobus ſequētibus. Cæterùm de hæreditario iure, quod pro præcipuo poni ſolet, dictū in Pſal. 37, & alibi.

7 *Dies ſuper dies Regis adiicies, annos eius ſicut generationem & generationem.*

7 *Sedet in ſeculum coram Deo, bonitatem & ueritatem conſtitue, cuſtodiene eum.* In his quibus de regni ſui diuturnitate & firmitate canit, typū Chriſti exhibuit, cui' regni null' finis eſt, vt qui verè corā Deo, id eſt Deo præſenter fauēti totus deditus, regnū adminiſtret. Quid verò ſit corā Deo ſedere, vel ābulare, in verſu 14 Pſal. 56 diximus. Obſeruādū hîc vnde ſit iſta regni, primū Dauidis vt typi, deinde & Chriſti vt regis Sāctorū, diuturnitas & fœlicitas, nēpe à ſic parata Dei bonitate, & veritate, vt in regno eius nihil aliud quàm hæc obtineant atque regnent. De quo & verſu 5 Pſal. 45.

9 *Sic canam nomen tuum in ſeculum, ut reddam uota mea quotidie.* Vota gratiarum & laudis, quæ ſola Deo grata ſacrificia ſunt, canit ſe perſoluturum. Obſeruandum autē, quòd in ſæculum & quotidie ſe hæc vota redditurum promittit. Perpetua enim laude Deum celebrant, qui eius beneficia ritè perceperunt. De quo in verſu 2 Pſalmi 34, & alibi ſæpius.

PSALMVS LXII, διδασκαλικὸς καὶ παραινετικός.

Docet cum exemplo ſui, tum præceptis, uno Deo, nullis mortalibus, nulliſue mortalium uel uiribus, uel copiis fidere: ſtudiorum que humanorum & peruerſitatem, & uanitatem, cum ultione quæ illam manet diuinitus, exponit. ARGVM.

PRæſuli, pro Ieduthun, Oda Dauidis.

2 Anima mea vtique ſilens ad Deum reſpicit,ab ipſo ſalus mea.

3 Ipſe vtique propugnator, ſeruator meus, & pro arce mihi eſt: non labaſcam grauiter.

4 Quouſque quibuſuis inſidiabimini? vos omnes interficiemini,& habebitis inſtar parietis iam inclinati,& vt maceria quæ impulſa eſt.

5 Vtique quos ille exaltat,de iis deiiciendis conſultarunt:cupiunt quod haudquaquam aſſequentur:ore bene precantur,corde deuouent. Selah.

6 Reſpice ad Deũ,vtique ſilẽs ô anima mea:nã ab ipſo pendet expectatio mea.

7 Ipſe vtique propugnator, ſeruator,& pro arce mihi eſt:non labaſcam.

8 A Deo pendet ſalus mea & decus: Dei eſt virtus qua defendar, quáque protegar.

9 Nitimini illo in omni tempore ô popule:effundite coram illo cunctas cordis veſtri curas:Deus protector noſter. Selah.

10 Vtique nihilum ſunt mortales,viri vanitas:ſi ſimul ponantur in trutina, leuiores erunt nihilo.

11 Nolite opibus niti,iniuria & vi partis,ne inanitatem accumuletis:quum diuitiæ augentur,ne cor apponite.

12 Semel & iterum loquutus eſt Deus: hoc ipſum audiui, Deo eſſe robur,

13 Et tibi Domine bonitatem, qui reddis vnicuique iuxta facta ſua.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Præfecto, pro Iedithun, Oda Dauidis.*

2 *Vtique ad Deum ſilet anima mea, ab ipſo ſalus mea.*

3 *Vtique ipſe propugnaculum meum & ſalus mea, arx mea non nutabo multum.* Verſus primus explicatus eſt initio Pſalmi 39. Sequentibus, vſque ad nonum, canit ſuam in Deum fiduciam. *Anima mea ſilet*, inquit, *ad Dominum*, hoc eſt tranquilla, ſortíſque ſuæ bene tolerans, ad Deum reſpicit, eiúſque voluntatem boni conſulit. De quo tropo dictum eſt in verſu 5 Pſalmi 4, & verſu 3 Pſalmi 77: De vocibus צור & משגב, quas etiam petram & perfugium vertũt, dixi in verſu 3 Pſalmi 18. Illud in verſu 3, *Non labaſcam grauiter*, aut lapſu graui: idem eſt quod hoc Pſalmo 37, Quum ceciderit iuſtus, non ſternetur: quia Iehouah ſuffulcit eum manu ſua. Hoc tamen רבה, id eſt multum, infrà verſu 7, qui cætera idem cum hoc tertio eſt, non repetitur: quia quũ bono Sanctis ſint omnia, nunquam verè labaſcunt: etſi ſecus cum ipſis, tum aliis videatur.

4 *Vſquequo fraudem cuique ſtruetis? occidemini vniuerſi vos ſicut paries inclinatus, [&] ſepes impulſa.*

5 *Vtique exaltationem eius conſultarunt deiicere, volunt mendacium, ore ſuo benedicunt, & intimo ſuo execrantur. Selah.* Ex ingenti in Deum fiducia quaſi inſultat improbis, qui dum lædere bonos conantur, non id modò perficere nequeunt, ſed etiam ſeipſos perdunt. Propter hanc enim malitiam eorũ, quòd bonis quibuſvis inſidiantur, & nocere ſolicitè quærunt, agente eos Satana, omnis iniuriæ autore, merentur vt eos det internecioni Deus. Id verò eſt quod canit, *Vos omnes interficiemini.* Quo verò oſtendat quàm vicini ſint perditioni, facit eos ſimiles parieti inclinato, & impulſæ maceriæ, quorum caſus non tam inſtare proximè, quàm vehemens eſſe, vt in minutiſſimas partes frangantur, ſolet. Huius cauſam reddit verſu 5, & ingeniũ improborum magis explicat, *Exaltationẽ eius*, inquit, *conſultãt deiicere*: hoc eſt quos euehit Deus. quo quũ nihil ſit æquè impoſſibile, rectè ſubiicit: *volunt*, cupiũt, *mendacium*: hoc eſt affectant quod efficere prorſus nequeunt. כזב enim ſæpe rem quæ nequeat conſiſtere, aut expectationem fallat, ſignificat. Similis omnino ſententia eſt verſu 3 Pſalmi 4. Memoranda verò eſt Dei in ſuos bonitas, ſic in autores vertẽtis quæ improbi intentant bonis. Porrò de ברך, quod vulgò benedicere vertunt, dixi in verſu 4 Pſalmi 21.

6 *Vtique Deo ſile anima mea, quia ab ipſo expectatio mea.*

7 *Vtique ipſe rupes mea & ſalus mea, arx mea, non nutabo.*

8 *Super Deum ſalus mea, & decus meum: rupes roboris mei, protectio mea in Deo.* His verſibus canit iterum ſuam in exemplum nobis, fiduciam: repetítque ſilentium, hoc eſt tranquillitatem, quæ eſt ſolida fide à Dei dignatione pendentibus. Pulchrè verò, quid ſit de quo loquitur, ſilentium, hîc explicat quũ ſubiicit, *Nam ab ipſo expectatio mea*. Pendere ſiquidem à Deo, & æquanimiter quæ ipſe nobis diſpenſat, expectare ſine querelis, ſine ſortis noſtræ deploratione, denique ſine omni

conatu nobis ipſis citra iuſſum Dei proſpiciendi, aut res noſtras expediendi, id demum eſt ſilere Deo. Quod verſu 8 ait, *Super Deum ſalus mea*, idem eſt, Ipſum meum Seruatorem verè agnoſco, & meam ipſo niti ſalutem confiteor.

9 *Fidite illo in omni tempore ô popule effundite coram illo cor veſtrum: Deus protectio nobis. ſelah.* His verſibus hortatur iam ad fidendum Deo, & ne metuamus ab hominibus, qui adeò nihil ſunt & poſſunt, néve peruerſa eorum ſtudia ſequamur. Canit ergo, Nitimini illo in omni tempore, etiam quum mali videntur regnare. *O popule*, inquit, & ſubaudiendum Dei: quod non ſine affectus nota ſuppreſſit. Quia autem vrit interim diuturna ſæpe malorum fœlicitas, quæ ſemper cum oppreſſione innocentium coniuncta eſt: ſubiicit, *Effundite coram illo cor veſtrum*, hoc eſt omnem animi veſtri æſtum ipſi laxatis dolori habenis querimini, vnde certa ſcilicet cõſolatio petitur. De hac loquendi forma in verſu 5 Pſalmi 42.

10 *Certe nihilum ſunt filii homini:, mendacium filii viri in lancibus, ſſic, ut aſcendant præ nihilo ſimul.*

Vt verò nihilum homines ſint, ne quis ab eis metuat, aut eorum quæ videtur, fœlicitatem alicuius æſtimet, canit verſu 10: eleganti ſanè collatione eos non ſolùm eſſe הבל, id eſt inanitatem & nihilum (de qua voce in verſu 6 Pſalmi 39) & mendacium, hoc eſt rem fluxam, & omnem de ſe expectationem fallentem, ſed adhuc leuius & inanius quid ipſa inanitate, ipſo nihilo, vt quibus ipſum nihilum præponderet: ſiquis eos trutina explorans, in alteram lancem illos, in alteram הבל, id eſt nihilum ponat. Quis iam iſtis inuideat? quis ſibi ab eis metuat? quis denique putet ſibi imitandos? Huc verò Pſaltes, tantopere homines eleuans, ſpectauit.

11 *Ne fidite male parto, & pro rapina ne inaniter ſatagite: vis opum ſi floreat, ne apponite cor.* Dehortatur ab opibus cum iniuria, hoc eſt fraude & rapina congerendis, vocátque ipſum inaneſcere. Dum enim copiæ quanlibet ingentes ſeruare hominem nequeãt, verè inaneſcit qui ſe illis addicit coaceruandis, præſertim iniuria proximorum, atque ideo cum exitiali ſibi ipſi offenſa Dei, quãdo eis, vt hortatur, quũ etiam vltro adfluunt, cor nequaquam adiiciẽdum ſit. עשק dicit Kimhi ſignificare magnas opes, quas à proximo ſuo quis obtineat, nec ei reddat: aut ſiquis quod proximo deberet, differt ſoluere. Sed quum loca inſpicimus, in quibus vſus vocis huius eſt, ſignificat omne id quod improba ratione proximò detrahitur, & malè, iniuriáque partum dicitur. גזל apertam & violentam rapinam ſignificat. נוב florere ſignificat, & hîc pro augeri accipitur.

12 *Semel loquutus eſt Deus, bis, id audiui: quia robur Deo eſt,*

13 *Et tibi Domine bonitas & tu reddis unicuique ſecundum opera ſua.* Verſibus duobus ſequentibus, canit Deo vni eſſe robur, vt ſaluare poſſit: & bonitatem, vt velit. his conatur allicere ad Deũ. Adiicit verò, & vnicuique pro meritis ſuis repenſurum, eo à rebus caducis etiam deterret. Illud, *ſemel loquutus eſt Deus, bis*: idem eſt atque ſemel & iterum, hoc eſt ſæpius, nẽpe in Lege & per Prophetas. Idipſum dicit ſe audiſſe, quo indubitatam eius veritatem, quæque mouere vnumquemlibet debeat, indicauit. Diſcendum hinc, dum premit aduerſitas, lædunt mali, vritque horum grauis innocẽtibus fœlicitas, vt cogitemus quàm ſit & præſtet omnia ſolus Deus, vt ſint minus quàm nihil cuncti mortales, merúmque mendacium, quicquid habent & poſſunt: ſic perfacile contra quaſvis horum iniurias, in ſtudio Dei firmabimur & fulciemur. Chaldæus illud תרתין, id eſt bis, cum verbo audiui coniungit, húncque ſenſum affert, Legem vnam loquutus eſt Deus, & bis illã audiuimus de ore Moſæ, ſcribæ magni.

PSALMVS LXIII, [illegible]

Canit ut in deſerto Iehudah à ſacra feſtiuitate, perſequente Schaule, abſtentus, & deſyderio ſacri cœtus adflictus, animo diuinæ bonitati & uirtuti contemplandæ ſeſe dederit: indéque mirificè fuerit conſolatus, ac ſui exaltationem ſimul & hoſtium extinctionem præuiderit, in quo & Chriſtum in ſe delineatum cecinit. ARGVM.

1 ODa Dauidis, dum eſſet in deſerto Iehudah. PARAPH.

2 Deus, Deus meus tu, mane ad te ſuſpiro: te ſitit anima mea, te concupiſcit caro mea, in hac terra vaſta & ſiticuloſa cui deſunt aquæ.

3 Sic quaſi in Sacrario tuo te contemplabor, vt videam virtutem tuam, & decus tuum.

4 Nam bonitas tua, ipſa vita optabilior eſt: labiis meis te laudabo.

5 Sic celebrabo te in omni vita mea, in laude nominis tui manus meas attollã.

6 Tanquam adipe & pinguioribus deliciis ſatiabis animam meam, vnde ouabunt labia mea, laudabit os meum,

7 Simulatque tui memor fuero in lecto meo, de te meditatus fuero in vigiliis nocturnis.

8 Tu etenim es qui fers mihi auxilium, tutus in vmbra alarum tuarum ouabo.
9 Tibi adhæſit anima mea: tua enim me dextera ſuffulcit.
10 Iſti qui animam meam, vt deuaſtent, quærunt, ſubibunt inferna:
11 Adigent illos in aciem gladii, cedent in eſcam vulpibus.
12 Rex autem de Deo lætabitur, & gloriabitur quicunque per ipſum iurauerit:
nam loquentium mendacium os obturabitur.

AD VERSVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *ODa Dauidis quum eſſet in deſerto Iehudah.*
2 *Deus, Deus meus es tu, maniabo tibi: ſitit te anima mea, ardet te caro mea, in terra ſiticuloſa & defatigationis [ubi] non ſunt aquæ.*

3 *Sic in Sacrario contemplabor te, ut uideam robur tuum & decus tuum.* Deſertum Iehudah, cuius meminit, deſertum Ziph eſt, in quo diu delituit. Ziph enim ad ſortem Iehudah attinebat. De deſiderio Dauidis ad ſacrum cœtum, dictum ſatis in poſteriorem partem Pſalmi 24, in verſum 4 Pſalmi 27, & initium Pſalmi 42. Gloriæ Dei ſupramodum ſtudebat, ideo nihil erat quod æquè cuperet atque illá cum Sanctis quàm religioſiſſimè concelebrare. Quũ itaque id ei per Schaulem minimè liceret, & fortè iam vnum ex tribus illis ſolennioribus feſtis inſtaret, aut quum celebraretur, æſtuans deſyderio, cecinit, *Deus Deus meus es tu,* אשחרך, id eſt *maniabo ad te*, ſi ita liceret dicere: hoc eſt manè ſtatim antequam dies oriatur, ad te ſuſpicio, & ſuſpiro, cupiens in tuo te cœtu adorare. In hac terra, in qua latibula mihi ægrè quæro, planè miſerè victito, vtpote quæ vaſta ſit & ſiticuloſa. at omnia ferenda ducerem, ſi tuæ tantùm liceret adeſſe panegyri, ſi te apud tuos daretur laudare. Id vnum ſitit & concupiſcit anima & caro mea: hoc eſt ita hoc deſyderiũ tenet, vt omnia animi & corporis peruadat, occupet, omnémque aliam curã eliminet. His magno affectu, & ſingulari deſyderio, quo ardebat, notam ſubiecit demonſtrationis, *Sic in ſacrario contemplor te.* habet enim in ſe demonſtrationem præſentis ſortis & ſolitudinis. Quaſi diceret, Vide in quali ſim ſacrario, quali panegyri, attamẽ quaſi in ipſo ſacro fœderis Tabernaculo, in medio populi tui eſſem, contemplabor te, vt videam, quoad eius licet, tuam virtutem & gloriam. Arca alioqui fortitudo & gloria Dei dicebatur, propterea quòd ex ea ſuam, per caliginem nonnunquam & per reſponſa, virtutem & magnificentiam præſentem exhibebat, de quo in verſu 5 Pſalmi 3, & verſu 7 Pſalmi 24, & alibi. Quia autem ſe ſuis, & alibi præſentem exhibere conſueuerat, canit, ſe in horrido illo deſerto, tanquam in ſacrario, viſurum, hoc eſt animo perſpecturum Dei virtutem & gloriam, quam maxime in defenſione ſuorum exerit, palámque facit. Cur autem ſe ita, quanuis in exilio, in vaſto deſerto, contemplandæ virtuti Dei vellet addicere, rationem reddit verſu 4.

4 *Quia bonitas tua melior quàm uita, labia mea laudabunt te.* Videbatur ſiquidem in media morte verſari, quia continuò ad mortem quærebatur, & eo agebat loco, qui propter horriditatem & vaſtitatem aliàs locus vmbræ mortis in Scripturis vocatur. Eſt itaque ſenſus, Totus in te conſiderando ero, ſiquo pacto liceat planè videre tuam virtutem & gloriam, hoc eſt glorioſam & potentiſſimam bonitatem, vtcunque externa habeant, quicquid periculi circunſtet, quocunque in loco exulem. Nam bonitas tua, quanuis fœlici & amœna vita, potior & optabilior eſt. Vita ſiquidem æterna eſt, numeris omnibus beata, ſi ritè modò cognoſcatur. Tantum ſiquidem eius poſſidetur, quãtum vera cognitione percipitur. Proinde etiam in hac ſorte, qua impii nihil putant magis miſerum, labiis meis te laudabo Hæc quum ſola vera laus Dei ſit, ex ſolida ſcilicet Dei bonitatis cognitione nata, rectè ſuccinit verſu 5,

5 *Sic celebrabo te in uita mea, in nomine tuo extollam manus meas.* Id eſt quandiu vixero, vtcunque habeã, vbiuis egero, in nomine tuo, hoc eſt laude nominis tui, attollam manus meas: id quod flagrãtis animi indicium eſt. Porrò iſtuc *ſic* notat laudem, expreſſa & ſecretiore diuinæ bonitatis conſideratione, perpenſionéque proſilientem, quæ ſola vera Dei laus dici meretur.

6 *Sicut adipe & pinguedine ſatiabitur anima mea, & labiis ouationis laudabit os meum.*

9 *Quum tui memor ero ſuper ſtrato meo, in uigiliis meditabor de te.* Quid efficiat, quàm verè beet ſtudioſa & ſeria de diuina bonitate cogitatio, vtque in laudem Dei accendat, magis explicat verſu 6 & 7. Nam eam voluptatem, ac cæleſtium bonorum ſatietatem canit animæ ſuæ obuenire ſimulatque ſeriò de Deo cogitationem inſtituerit: qualis eſſe ſolet quæ nocte remotis aliis negotiis in animo verſatur, vt in ouationem labia & os in laudem ſoluere cogatur. Inde ait, in lecto, in nocturnis vigiliis. [illegible] enim hic idem eſt atque [illegible], vti in multis Scripturæ locis huius vſus eſt. Adipem & pinguedinem, pro ſummis, ſed ſpiritualibus deliciis dixit. Solet enim Scriptura, pinguia & adipea vocare, quæ intelligit opima, fœlicia, bonis omnibus referta: de quo in verſu 10 Pſalmi 7.

8 *Nam es auxilio mihi, in umbra alarum tuarum ouabo.*

9 *Adhæſit anima mea poſt te, tenet me dextera tua.* Id iam canit, quod ex ſacra illa meditatione, Deique contemplatione, quæ ita cæleſtibus deliciis ſatiat, dicitur, nempe Deum ſemper nobis eſſe auxilio, & nos perpetua ſecuritate, ſub ipſius tutela, qua ita nos fouet, vt aues ſolent pullos ſuos, gaudere: quam ſi verè ſentiamus, neceſſe ſit de ea planè ouare, & iugi laude Dei, quendam agere triumphum. Hinc iam & illud ſequitur quod canit verſu 9, vt adhæreat ſemper Domino anima, agnoſcens ſe ab illius dextera in omnibus ſuſtulciri.

10 *Et illi fruſtra inquirunt animam meam: venient in inferna terræ.*

11 *Pertraxit eum in manus gladii, portio erunt vulpium.* Verſu 10 & 11, prædicit hoſtibus ſuis quærẽtibus ad mortem animam ſuam, exterminium, detrudendos ſcilicet ad inferos, quos intelligit per *inferna terræ.* De Schaule videtur peculiariter illud verſus 11, *Adigent illum in manus,* id eſt aciem & vim gladii, dixiſſe. Quanquam ſequẽs particula, *erunt pars vulpium,* videatur indicare, ſingulare pro plurali poſitum, & in communi, hic prædixiſſe omnium hoſtium ſuorum cædem, & in eſcam vulpium inter reliqua cadauera abiectionem.

12 *Et rex lætabitur in Deo, gloriabitur omnis iurans per eum: nam claudetur os loquentium mendacium.* Gloriatur ſibi & piis omnibus, nempe qui iurant per Deum, verè ſcilicet, & ideo quòd nihil habeant Deo auguſtius (de quo poſt enarrationem Pſalmi 24) ſummam fore de Deo lætitiã, laudandique eius bonitatem, materiam ampliſſimam: obſtruendum autem os loquentiũ vana, quales ipſius hoſtes erant. Hinc diſcenda, germanæ precationis atque diuinorum operum conſiderationis natura & fructus: de qua re nonnihil in tractatu De oratione, enarrationi Pſalmi 5 ſubiecto.

PSALMVS LXIIII, εὐκτικὸς, ἢ ψεκτικός.

Precatio eſt contra delatores, quorum ingenium deſcribit, & ultionem prædicit. ARGVM.

1 PRæſuli, Oda Dauidis. PARAPH.
2 Audi Deus precem meam, ſerua vitam meam ab hoſte terrente,
3 Abſconde me à conſilio noxiorum, à cœtu deditorum prauitati,
4 Qui linguam ſuam inſtar gladii exacuunt, & ceu tenſo arcu, moleſta verba pro ſagittis eiaculantur:
5 Vt iciant innocentem, ſubitò icient eum, nec quicquam timebunt.
6 Obſeruarunt ſibi rem noxiam, commentantur inter ſe de abſcondendis laqueis, Quis, inquiunt, videbit illos?
7 Veſtigarunt quæ praua deſignarent: perueſtigatam veſtigationem in intimo cuiuſque, cordéque alto conſummarunt.
8 Iciet illos Deus ſagitta ſubitò, accipient plagas ſuas.
9 Impingere ſeipſos ſua lingua facient: quicunque aſpexerint eos, ſtupefacti faceſſent.
10 Videbunt id cũcti mortales, & narrabũt de opere Dei, & facta eius cognoſcẽt.
11 Gaudebit de Iehouah iuſtus, & ſe fidei illius committet, gloriabuntur omnes recti corde.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 A*Vdi Deus vocem meam in ſermone meo, à terrore inimici ſerua vitam meam.*

2 *Abſconde me à conſilio noxiorum, à cœtu operantium prauitatem.* Pſalmo 5, 12, 52, 8, & nono, infrà 140, & multis aliis, in fallaces linguas, & noxios delatores ſimilia cecinit, ex quibus & quæ hic canit, abunde manifeſta ſunt, quanquam & per ſe ſatis liquent. שיחי, quod ſermonem aliàs ſignificat, pro prece, verſu 2 poſuit, quam fudit ſanè ardentem. impendebat enim ei periculum vitæ, vnde hanc ſeruari à terrore hoſtis orauit. Verſu 3, סוד, quod etiam arcanum conſilium ſignificat, de quo in Pſalmum 25, hic pro concilio vſurpauit, ſecreto ſcilicet in perniciem bonorum conſpirantium, atque hac cauſa ſubinde concurſantium. Vnde & רגשת hic dixit, quod collectum cœtum ſignificat, à verbo רגש, cuius vſus eſt & primo verſu Pſalmi 2.

4 *Qui exacuunt linguam ſuam ſicut gladium, tetenderunt ſagittas ſuas, verbum amarum:*

5 *Vt iciant in abſconditis ſyncerum, ſubito icient eum, & non timebunt.* Calumnias & peſtifera mendacia quibus hi improbi contra quos Deum inuocat, in ſe ac alios innocuos, & fraudis expertes homines (id enim תם hic ſignificat) petebant & perdebant, ſolita ſibi allegoria gladii & ſagittarum exprimit. Improbitatem horum eo exaggerat quod adiecit, *Nec timuerunt.* Natura enim

etiam ignorantes Dei abhorrent lædere ſimplices & innocentes homines. Catachreſi vſus eſt verſu 4, dicens, *Tetenderunt ſagittas*: pro, tetenderunt arcus: eandem habet & verſus 8 Pſalmi 58.

6 *Firmarunt ſibi verbum malum, narrarunt ad abſcondendum laqueos: dixerunt, Quis uidebit eos?*

7 *Inueſtigant prauitates, conſummarunt perueſtigatam ueſtigationem, & intimo cuiuſque, & corde profundo.*

Quàm intenderint firmarintq; ſuas improbi contra innocuos calumnias, quas vocat דבר רע, id eſt verbum malum, canit verſus 6. Narrarunt ſecretò Schauli & aliis nocendi poteſtate præditis, quibus ipſum Dauidem & alios innocentes, ſeu abſconſis laqueis in perniciem, caperent & illaquearent. Securitatem in mentiendo iſtorum eo notat, quũ memorat eos dixiſſe, quod ſubiicitur, *Et quis uidebit eos?* ſubaudi, laqueos: hoc eſt quis deprehendat noſtras fallacias, & tendiculas, contra pios & innocentes, Dauidem, ac huius ſimiles? Vt verò nihil ad ſummam cõcinnandi dolos contra recti ſtudioſos diligentiam reliquum illi fecerint, memorat verſu 7, quũ canit eos prauitates, hoc eſt calumnias excogitaſſe, ſingularíque ſtudio perueſtigaſſe, adeò vt perueſtigatam veſtigationem conſummarint, id eſt quicquid ad quàm exactiſſimam inquiſitionem, & acerrimam commentationem attinere poſſit, omne id perfeciſſe: intimo cuiuſque, & alto corde, id eſt ſumma mente quàm fieri potuit maximo ſtudio huc incumbẽtes, vt contra innoxios exitiales calumnias comminiſcerentur & inuenirent incendia.

8 *Iaciet illos Deus ſagitta [ſubito ſubito] erunt plagæ eorum.*

9 *Et facient impingere ſe ipſos linguis ſuis, fugient quicunque aſpexerit eos.* In verſu 8, eſt פתאם, id eſt ſubitò, bis legẽdum. Solita autẽ ratio diuinæ vltionis hîc canitur. Nam vt linguas ſuas illi improbi ceu ſagittas intendiſſent in innocuos, hoc eſt diras & peſtiferas calũnias, ita icti à Domino ſunt, & ſubitò, quum minimum putarent, ac ſuis ipſorum linguis præcipitati, atque perditi, adeò vt ſtupori & terrori fuerint cernentibus. Nam quicunque eos conſpexiſſent, ii præ metu mox deflexerunt, uideréque eorum calamitatem minimè ſuſtinuerunt.

10 *Et uidebit omnis homo, & adnuntiabunt opus Dei, & factum eius facient intelligi.*

11 *Gaudebit iuſtus in Iehouah, & fidet eo, & gloriabuntur omnes recti corde.* Canit vt ex vltione de improbis his ſumpta, gloria Dei illuſtrata fuerit, bonis iuſta Dei iudicia deprædicantibus, & de bonitate eius, qua ſola nituntur, exultantibus. Recto & æquo corde ſunt qui de Deo rectè ſentiũt, & erga proximos recta afficiuntur fide, & dilectione ſolidi, feruentéſque. De qua rectitudine & alibi dictum.

PSALMVS LXV, εὐχαριστικός.

ARGVM. *Canit Deum in Siion peculiariter præſidentem, agnoſcendum, colendúmque ab omnibus, ut à quo omnia ſint: qui que ut rerum uitæ huius omnimodam abundantiam, ita non minore liberalitate & cœleſtia bona largitur.*

PARAPH. 1 PRæſuli Oda carminis Dauidis.

2 Te manet laus ô Deus in Siion, tibi perſoluentur vota.

3 Te, qui precem exaudis, adibunt cuncti mortales.

4 Iniquitas nobis præualuerat, ſed ſcelera noſtra tu expias.

5 Fœlix quem elegeris, quem tibi adhibueris, vt in atriis tuis habitet: ſatiabitur enim bonis domus tuæ, & ſacri templi tui.

6 Ex iuſtitia tua ſtupenda annues nobis, Deus ſeruator noſter, confirmãs quicunque vltimos fines terræ maríſque longinqui inhabitant.

7 Qui montes virtute ſua inſtruit, accinctus potentia:

8 Compeſcit ſtrepitum mariũ, ſtrepitum fluctuũ illorum, & fremitũ nationũ.

9 Timebunt propter ſigna tua, quicunque in extremis terræ ſunt, facies lætos ouare egreſſu ſolis manè, & lunæ ſyderúmque veſperi.

10 Inuiſis terram quum ſiticuloſa eſt, ditas eam ampliter: riuus Dei plenus aquis fluit, facit fœliciter prouenire triticum eius, quandoquidem ſic illam inſtruis.

11 Liras eius irriga, complue ſulcos eius: fac imbribus illam colliqueſcere, fac fœliciter prouenire herbam eius.

12 Cumulabis annum benignitate tua, nubes tuæ ſtillabunt pinguedinem:

13 Stillabitur in manſiones deſerti, gaudebunt colles vndique fructuum copia:

14 Plana obtegentur gregibus, & valles opplebuntur frugibus: hinc cuncti iubilabunt atque canent.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *Tibi ſilet laus Deus in Siion, & tibi ſoluetur uotum*. Quia is qui ſilet, ceſſatatque expectat: hinc דמה quod ſilere ſignificat, in Scripturis vſu traductum eſt ad ſignificandum quieſcere, æquo eſſe animo, ceſſare, expectare: & hoc vltimo ſignificatu hîc vſurpatum eſt, vnde reddidi, *Te manet laus*, te expectat. Nam nuſquam ita vt in Siion Dei bonitas cognoſcitur: ideo nuſquam ita parata illi laus eſt. Siion hîc populum ſignificat vera præditum pietate, qui propterea quòd à Dauide ad Chriſtum vſque, præcipuam religionis ſedem in Ieruſalē & in monte Siion habuit, hinc paſſim in Pſalmis & aliorum Scriptis Prophetarum Ieruſalem & Siion denominatur, vt ſæpe iam diximus. Hi, vt Deum fide bonorum omnium authorem agnoſcunt, ita toti in eo ſunt vt laudes eius celebrent quàm religioſiſſimé. Inde eſt quod ita Siioni laudem Dei propriam Vates hîc faciat, acſi nuſquam alibi Deum ſua laus maneat: id quod ſanè ita habet, eo quòd nuſquam alibi cognoſcatur laudandus. Votum quod ibidem perſolui Deo canit, eadem laus & prædicatio bonitatis diuinæ eſt: de quo voto dictum & in verſu 26 Pſalmi 22, & verſu 14 Pſalmi 50. Hæc verò laus & prædicatio Dei, vt omnis ab immenſa eius bonitate eſt, ita hanc in ſequentibus magnificè extollit.

3 *Audi precem, uſque ad te omnis caro ueniet*. Laudat primùm & prædicat Dei bonitatem à facilitate, qua preces quorumlibet exaudit. Adeò enim eum exorabilem Deum facit, vt ad ipſum ſeſe recipiat omnis caro, hoc eſt omne genus hominum. Quo apertè admodum de regno Chriſti vaticinatus eſt. Quàm enim exorabilis Deus ſit, tum demum verè orbi innotuit, quando æternum & cæleſte Propitiatorium Dominus Ieſus toti mundo per Euangelium eſt propoſitus: tum etiam omnis caro, omnis creatura, ex cunctis mundi nationibus, veram Siion, Ieruſalem ſupernam, montem ſanctum Dei adire cœperunt.

4 *Verba prauitatum præualuerant mihi, ſcelera noſtra tu expias*. Hîc celebrat eundem à clementia in eos qui ipſum offenderunt. Canit enim nomine populi Dei, *Verba iniquitatum præualuerunt mihi*: hoc eſt moles ipſa prauitatis noſtræ, quæ omnium ſcelerum parens eſt, oppreſſerat, maliſque grauiſſimis ſæpe obnoxios fecerat. Hanc, ait, condonabis, expiabis: quod & ipſum in Chriſto Seruatore, ſingulariter mundo præſtitum eſt. Ipſius nanque ſanguine, (quod diuus Paulus tam præclarè vbique prædicat) vera conſtat peccatorum expiatio, ſolidáque ab ira Dei redemptio, dum merito mortis illius eo Spiritu donamur, qui vt de plena remiſſione & purificatione peccatorum certos reddit, ita animis noſtris inſerit & odium malorum, & amorem ſtudiúmque bonorum. Hinc iam eſt quod canit verſu ſequenti,

5 *Fœlicia[et quem] elegeris & adduxeris[ue] inhabitet atria tua. ſatiabitur bonis domus tuæ, Sacrarij templi tui.*

6 *Viſenda in iuſtitia reſpondes nobis Deus ſalutis noſtræ, firmas fiducia omnes fines terræ, & mare[in] longinquis.*

Verè ſiquidem omnis illi fœlicitas eſt quem ſelegit, ſibique adiunxit Deus, vt in atriis ſuis habitet: hoc eſt fide integra inter ſanctos cæli ciues vitam degat. Verè nanque eiuſmodi cæleſtibus bonis (quæ bona domus Dei, & Sacrarii templi eius, hoc eſt ſancti templi eius vocat: ſicut & ipſam credentium Eccleſiam, atria Dei) perfruitur. Porrò hæc cæleſtia bona, bona domus & templi Dei, germana iuſtitia eſt & pietas cum cæteris Spiritus ſancti fructibus, quos Paulus Gal. 5. d. 22, & Epheſ. 5. b. 9: ac etiam virtutibus, quas idem Apoſtolus Roma. 12. b. 6, & 1. Cor. 12. a. 7, & Epheſ. 4. b. 7, enumerat. Hæc ipſa quoque miranda illa ac ſtupēda portenta ſunt quæ Pater glorificato Chriſto, Sāctis ſuis annuēs, magnificè præſtitit, de quibus canit verſus 6. Ea in prima Chriſti Eccleſia ita Hieroſolymis effulſerant, vt illa terrori & venerationi eſſet omni populo, nec auderet ſe ei quiſquam adiungere, Act. 5. c. 13. His ipſis ſermonem Euangelicum confirmans, breui admodum tempore effecit vt cuncti fines terræ, omnes termini maris (nam קצו, id eſt fines, duobus locis ſeruit) quanlibet longinqui, hoc eſt quicunque terræ orbem ad vltimos vſque fines, & inſulas quanlibet longè remotas inhabitant, niti Domino cœperint. Hactenus de præclara & beata Dei inter ſuos præſidentis dignatione, quæ exaltato Chriſto in bonis ſpiritualibus ſic toti mundo innotuit, vt quàm latè orbis patet, nomen Dei agnoſci & adorari cœperit.

7 *Inſtruit montes in uirtute ſua, accinctus in fortitudine*. Hinc iam incipit prædicare Dei potētiam & bonitatem, qua & externis bonis populum ſuum benigniſſimè cumulat. Potentiam præcipuè in verſu 7, 8, & 9: in reliquis, bonitatem. Quod enim de montium inſtructione, & potentiæ cinctura cecinit, allegoria eſt, qua ſignificare voluit, Deum omnipotentia circundatum, & quaſi cinctum: hoc eſt omnem vndique poteſtatem penes ipſum eſſe, & ab ipſo pendere, iuxta illud, Dederas mōti meo robur. Paraphraſis Chaldæa inſtructionem montium intelligit, qua Dominus ibicibus, & inde aliis monticolis atque rupicolis beſtiis, proſpicit de victu. Sed planius, vt intelligamus Vatem hîc canere, ipſas montium moles Dei virtute conditas, ſicque firmatas & paratas. Et alibi enim ex tam immani montium magnitudine, viſenda Dei potentia & virtus proponitur. Si tamen quis inde ad regna (quæ montes per tranſlationem dicuntur) animo aſcendat, quorum ſci

licet robur omne item à Domino eſt,is vt piè,ita nihil abs re philoſophabitur:id quod verſus ſequens ſatis indicat,in quo allegoria ſedati maris explicatur.

8 *Sedas faſtum marium, faſtum procellarum eius, & fremitum populorum.* Quod Vates ait, Et fremitum populorum:ſatis monet,ſe hîc à duobus Dei potentiam prædicare, & ab eo quòd ſæuum & tempeſtuoſum mare quum libet ſedat,omnémque fluctuum faſtum,hoc eſt vim nulli cedētem comprimit:& ab eo quòd populorum quoque, qui inſtar moti & feruentis maris ſæpe fremunt, exitiúmque minantur,tumultus & furores domat.

9 *Et timent habitantes fines ſigna tua,egreſſibus matutini & veſperi facies ouare.* Signa hæc,vt Kimhi viſum eſt,ſunt Sol,Luna & ſtellæ,botúmque admirandus motus, magíſque admiranda vis,à quibus certè potentiam Dei cognoſcentes,quicunque fines(ſubaudi terræ)& marium, de quibus canit verſu 6,habitant,metuunt item eum atque colunt: ſicut innumera ſanè per hæc,Dei beneficia percipiunt. Vnde ſubiecit, *Facis ouare egreſſibus mane & veſperi*. Sol ſiquidem mane, veſperi quàm latè orbis patet,Luna & ſtellæ prodeunt,commoditatibúſque quas humano generi afferunt,materiam certè ouationis ſuppeditant.Hæc autem omnia,Dei dona & opera ſunt.igitur appoſitè cecinit Vates, Tu ô Deus facis ouare. Siquis præcedentia conſideret, maximè de compreſſis tumultibus populorum,poſſit forſan ſigna, quorum hoc verſu Vates mētionem ingeſſit,intelligere hanc ipſam tumultuum, populorum & bellorum ſeditionem: ad quæ conſideranda inuitat verſus nonus Pſalmi 46. Ea mirabilia:ſed ſequentia interpretationem Kimhi magis probant. ſicut & cæleſtia iſta ſigna,habitantibus fines orbis vt magis cognita, ita potior laudis cauſa exiſtunt,& materiam adminiſtrant.

10 *Inuiſit terram quū cōcupiſceret,multum ditat eam: riuus Dei plenus aquis,paras triticum eis, quia ſic inſtruis illā.*

11 *Liras eius riga,demitte in ſulcos: eius tempeſtiuam pluuiam:liqueſac eam,germen eius benignè ſoue.* His verſibus canit de beneficio imbris,quo Deus terram concupiſcentem,hoc eſt præ torriditate ſitientem inuiſit,ídque tā largiter,vt riui Dei,hoc eſt maximi (magna enim Dei dicūtur) inde promanēt, & triticum faciant prouenire fœliciter:liris ſcilicet,hoc eſt mediis cumulis,inter duos latius diſtātes ſulcos,irrigatis, vt etſi ſiccā,fœcundā tamen ſedem frumentis præbeant. Quidam riuū Dei, de ipſa pluuia intelligunt:id verò in ſenſu nihil variat. Hæc autem irrigatio,ex aquis in ſulcis deſidentibus commodè ſubminiſtratur:inde ait, *Demitte in ſulcos*, hoc eſt pluuiam in ſulcos immitte,vt tota ſcilicet terra colliqueſcat. Hinc tum coronatur annus bonitate Dei,id eſt omni genere frugum exornatur vndique,de quo verſus ſequēs. Eſt hîc enallage modi. Imperatiuus enim, *riga, demitte*, pro rigas & demittis dixit: quáquam ſimul ſubmoneat, ſic loquendo, pro his beneficiis homines quotidie orare,eo quòd ſine beneficio opportunæ pluuiæ viuere non poſſumus. רביבים volunt Ebræi,non quamuis,ſed eam pluuiam ſignificare quæ aliàs יורה dicitur,& verti ſolet pluuia temporanea,ſicut מלקוש ſerotina. Eſt enim יורה & רביבים ea pluuia quæ in Octobri ſemen excitat in herbam. מלקוש autem,quæ Aprili facit illud aſſurgere in ſegetes:dicitúrque ſerotinus,quòd in anni veſpera veniat. Annum enim Ebræi à menſe תשרי, qui noſtro Septembri reſpondet,incipiūt.

12 *Coronas annum bono tuo & ſemitæ tuæ ſtillant pinguedinem.*

13 *Stillabunt manſiones deſerti,& colles cingentur lætitia.*

14 *Veſtientur grege campi,& valles amicientur frumento: iubilabunt,etiam canent.* Annum coronat,cingitque Deus bono ſuo,quum omnium rerum prouentum vberem reddit. *Et ſemitæ*, inquit, *tuæ ſtillabunt pinguedinem*: has Kimhi interpretatur nubes,quibus vehi & ingredi Deum Scriptura dicit, propter operum eius celeritatem. A. Ezra ſcaturigines aquarum intelligit. Prior interpretatio mihi ideo probatur,quòd è nubium ſtillatione terræ pinguedo potiſſimum prouenit. Omnia fertilitate repleri, vbi Deus fauere incœperit, canit verſibus duobus reliquis. *Stillabunt*, inquit, *manſiones deſerti*, hoc eſt,ſtillabitur in manſiones deſerti, vt fructiferæ reddantur. *Colles accingentur gaudio*: hoc eſt omni genere fructuum,vnde homines gaudeant & exhilarentur. Sic campos gregibus,& valles canit replendas frumento, vt omnia plena ſint iubilo & cantibus. Sic adiiciuntur omnia quærentibus primùm regnum Dei & iuſtitiam eius. De eo quòd Deus non priſci ſolùm,ſed & noui populi vulgo commodam etiam in hoc ſeculo vitam,omnéque genus bonis ſatis adfluentem donet, etſi veteribus hæc largius promiſerit, volens ſcilicet pueros ſenſu in his ipſis notioribus beneficiis ſuis ſuam bonitatem edocere, dixi in verſum 8 Pſalmi 4. & verſum 15 Pſalmi 34.

PSALMVS LXVI, ἀχαριστικός.

ARGVM. *Gratulatio eſt de liberatione populi Iſraelitici à tyrannide impiorum, qua Pſaltes ad laudem Dei cunctos mortales inuitat: potentiam eius, cum à priſcis, tum recentibus ipſius erga populum ſuum facinoribus prædicat, & ſummam pietatem & gratitudinem populi nomine, in exemplum aliis profitetur.*

PARAP. 1 PRæſuli Oda Dauidis. Iubilate Deo quicunque inhabitatis terram,

2 Canite decus nomini eius,date decus laudibus eius.

3 Dicite Deo, Quàm tremenda facta tua: ob amplitudinem virtutis tuæ, e-
runt tibi ſeruiliter ſupplices inimici tui.
4 Tibi ſupplicabunt quicunque inhabitant terram: canent tibi, canent nomi-
ni tuo. Selah.
5 Huc agite, videte opera Dei, tremendum facinus erga homines.
6 Mutat mare in arentem, facit vt flumen ſicco pede trãſeatur: ibi de ipſo læ-
tabamur.
7 Dominatur potentia ſua ſeculo, oculi eius Gentes ſpeculantur, defectores
haudquaquam ſuperiores erunt. Selah.
8 Prædicate ô populi Deum noſtrum, editis vocibus laudate eum.
9 Hic eſt qui animæ noſtræ vitã ſeruauit, nec permiſit vt laberetur pes noſter.
10 Etenim explorauit nos Deus, examinauit igni, vti examinari ſolet argentũ.
11 Induxeras nos in anguſtum, affeceras lumbos noſtros moleſtia:
12 Impoſueras capitibus noſtris homines: veneramus in ignem & aquam: & e-
duxiſti rurſum nos in locum, vbi bonis ſatiamur.
13 Per omne æuum adibo Dominum, perſoluam tibi vota mea
14 Quæ voui labiis meis, & nuncupaui ore meo dum eſſem in adflictione.
15 Holocauſta pinguia offeram tibi cum nidore arietum, faciam bobus & hir-
cis. Selah.
16 Huc agite quicunque Deum timetis: audite quæ fecit animæ meæ.
17 Inuocaui illum ore meo, & lingua mea extuli.
18 Si ſpectaſſem animo quod iniquum eſt, non audiſſet Deus:
19 Iam autem audiuit Deus, attendit precationi meæ.
20 Laudetur Deus qui precẽ meã non repulit, nec ſubduxit à me bonitatẽ ſuã.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *PRæfecto, Canticum Dauidis. Iubilate Deo omnis terra:*
2 *Canite decus nominis eius, ponite decus laudis eius.*
3 *Dicite Deo, Quàm tremendus operibus tuis: præ amplitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Inſignis aliqua populi ſancti ab hoſtibus vindicatio, Pſalmo huic componendo occaſionem dedit: fortè qua regnante Dauide, Dominus illum non modò imperio vicinarum gentium, quæ grauiſſimè eum perſæpe oppreſſerant, exemit, ſed omnes illas ſubditas & vectigales reddidit. Inducitur itaque ille tanquam mirificè gratulabundus, vniuerſos mortales ad laudãdum pariter Deum inuitare, ita vt eſt omne votum & deſiderium pii pectoris, Dei bonitatem plenius experti. Hæc inuitatio continetur tribus verſibus prioribus. Poſterior ſecũdi verſus particula, *Ponite decus laudis eius*, ambigui ſenſus eſt. A. Ezra eam ſic accipit, Ducite laudem eius, decus veſtrum, hoc eſt nihil arbitramini vobis tam decorum, atque Deum magno ſtudio celebrare. Mihi videtur Pſaltes שמו, & תהלתו id eſt, nominis & laudis eius, pro eodem vſurpaſſe: ſicut etiã canere & ponere: vt ita priorẽ & poſteriore verſus huius particula, nihil aliud dixerit, quàm, Maieſtatem & celebritatem Dei attollite, laudibus vehite. Verſu tertio indicat cauſam & materiam laudis, facinora ſcilicet Dei tremenda, quæ nemo, qui dignè illa conſideret, mirari ſatis poſſit. Præcipuè autem ea quæ deſignarat in hoſtes ſuos, AEgyptios, Moabitas, Amalekitas, Amorrhæos, & omnes terræ Chenaan indigenas. Vnde ſubiecit, Præ multa virtute tua mentientur tibi inimici tui: hoc eſt erũt tibi ſummẽ ſupplices, vti ſolent ſeruuli difficilioribus heris, quibus ex metu identidem mentiuntur, non audentes fateri quod res eſt. Alii hoc aliter intelligunt: de quo in verſu 45 Pſalmi 18. Forſan vt apud Latinos, ſerui, furum cognomentum: ſic apud Ebræos, mendacium habuerunt.

4 *Omnis terra adorabunt te, & canent tibi, canent nomini tuo. Selah.* Conſiderata præſentius immenſa hac Dei potentia in hoſtes Iiſraelis declarata, vnde Iiſrael ipſum Deum, ſuum agnouit, & laudibus vexit: præuidit Spiritu, idem & in toto orbe futurum, vt perſpectis Dei in quoſlibet populos facinoribus, plurimi vbique electorum eidem ſupplicarent, & laudes canerent, nomini ipſius penitus addicti. Id ergo præſenti verſu cecinit. Et quia hæc Dei in humanum genus bonitas ſatis expendi non poteſt, Selah ſuo more adſcripſit.

5 *Venite, uidete opera Dei, tremendum facinus ſuper filios hominis.* Quoniam quæ Deus populo Iiſraelitico fecit, omnibus ſeculis obſeruandi typi ſunt, è quibus Dei potentia, bonitas & ſeueritas diſci debet (omnia enim, vt D. Paulus ſcribit, vt typi illis contigerunt, 1. Cor. 10. e. 11) hortatur Pſaltes hoc verſu quoſque mortales, vt conſiderent hæc Dei in Iiſraelem opera, atque facinora, nō admiranda modò, ſed planè terribilia, quæ pro illis edidit. Rectè autem ea facinora, ſuper, vel in filios hominis vocat. Quod enim iſtis fecit, non ideo fecit quòd Iudæorum tantùm Deus eſſet,

Rom.3.d.29

(eſt enim & Gentium Deus, vt Paulus ait) ſed vt in his demonſtraret quid de ſe vniuerſum hominum genus ſentire & ſperare debeat. De voce עלילה, quam *facinus* reddidi, dixi in verſu 12 Pſalmi 9.

6 *Conuertit mare in aridam. flumen tranſierunt in pede, illic lætabamur in eo.* Explicaturus miranda facinora Dei, duo præcipua memorat, miraculum ſecti ſinus Arabici atque Iordanis, vnde mirum in modum de Deo populus Iiſrael tam inſigniter in ſe Dei bonitatem expertus, fuerat lætatus.

7 *Dominatur in uirtute ſua ſeculo, oculi eius gentes conſiderant: defectores non exaltabuntur ſibi. Selah.*

8 *Prædicate ô populi Deum noſtrum, audiri facite uocem laudis eius.* Cōmodùm ex tam raro Diuinæ virtutis facinore, quo AEgyptios in Mari rubro, poſtea & Chenaanitas perdidit, traducto ſuo populo, & per Mare illud & per Iordanem ſicco pede, potentiam eius canit omnibus gentibus formidandam, vt qui omnes regat, omnium corda noſcat, cunctóſque ſit iudicaturus. Quare ei quod cecinit, Dominari Deum ſeculo, hoc eſt toti orbi, & intentos habere in Gentes oculos: rectè ſubiecit, defectores, qui à Deo deficiunt, haudquaquam exaltandos, id eſt nequaquam ſuperiores vſque futuros, id quod ad tempus videntur. Hoc ægrè credunt infirmiuſculi, defectores putant planè impoſſibile. ideo adiecit, Selah. Iſta verò quum ita habeant, vt Deus ſit moderator & iudex omnium, conſequens id erat quod cecinit verſu 8, vt nimirum hortaretur ad prædicandū, laudandúmque Deum, non iam ſolos Iiſraelitas carne, ſed etiam cunctos ſimul populos.

Exod.14
Ioſue.3

9 *Hic poſuit animam noſtram in uitam, & non dedit adlabi pedes noſtros.*

10 *Nam examinauit nos Deus, igne explorauit nos ſicut exploratur igne argentum.* Canit nunc populus Dei vt è maximis periculis, & malis grauiſſimis illius bonitate liberatus ſit. Ea memorāt liber Iudicum, & primus Regum ſupra modum horrenda. Vt autem doceat, in bonum Sanctis mala immitti, aſſimilat ea excoctioni & depurationi argenti. De qua ſimilitudine dixi in verſu 7 Pſalmi 12. Hæc verò mala, quum adeò fuerint atrocia, vt niſi miraculo illis adfuiſſet Deus, planè ad vnum omnes deleti fuiſſent: rectè canunt, *Ille nos in uitam poſuit*: id eſt in vita ſeruauit, nec permiſit vt laberetur pes noſter, & caderemus, in mortem ſcilicet & exterminium, quod imminebat. Et hinc, quia extrema ferè mala illis Deus immiſerat, & nihilominus ſeruauerat, iure canunt, ſe velut argentum igni excoctos & exploratos. Nihil enim igni voracius eſt. at quum quæuis alia conſumat, argentum tamen & aurum reddit purius. Ita mala quæ Deus immiſerat Iiſraeli, quemlibet alium populum planè internecioni dediſſent: at Iiſraelem etiam puriorē meliorémque reddiderunt.

11 *Adduxiſti nos in anguſtum. poſuiſti coartationem in lumbis noſtris.*

12 *Vehi hominem per capita noſtra feciſti, uenimus in ignem & aquam, & eduxiſti nos in ſatietatem [iſtam.]* Comparat ſeruitutem ſub tyrannis ſeruitam, inductioni in מצודה, id eſt arcem, ídque propter anguſtiā: & conſtrictioni lumborum. Per lumborum enim moleſtiam, Chaldæa paraphraſis catenam intelligit: & ſatis quadrat, quum de arce præmiſerit, qua velut carcere fuerint incluſi. Kimhi intelligit hac moleſtia lumborum, defectionem virtutis, qua laborans homo, nequeat conſiſtere: vt intelligas eam virium deiectionem qua contra hoſtes nequibant conſiſtere, maláve ab illis illata depellere. De eadem oppreſſione tyrannorum eſt & quod canit verſu 12, *Feciſti uehi* vel, equitare *homines ſuper caput noſtrum*: hoc eſt, ita alios capitibus noſtris impoſuiſti, vt nobis, inſtar iumentorum ſibi ſubiectis abuterentur, ac velut equis inſiderent. Demum mala quæ perpeſſi ſunt, ſummans ait, *Duxiſti nos per ignem & aquam*, quibus quum præualent, nihil necat hominem præſentius. Liberationem canit particula ſequenti, *Et eduxiſti nos in iſtam ſatietatem*: hoc eſt terram bonis omnibus adfluentem. A. Ezra intelligit aerem in quo homo ab igni refrigeretur, & ab aquis reſpiret. *iſtam*, adieci, quia ל dictioni רויה præpoſitum, cum camets notatum eſt. Hinc nanque, vt Kimhi ait, ſignificatur certa & nota quædam ſatietas, nimirum terræ Iiſrael. Celebris ille locus, mala diuinitus immitti credentibus, & in bonum ipſorum, ſicque eos tandem malis omnibus liberari, vt leue & momentaneum adflictionis, æternum pondus operetur gloriæ cæleſtis, quod Diuus Paulus ſcripſit 2. Corin. 4. d. 17: ſatis luculenter hîc quoque proponitur.

13 *Ingrediar domum tuam in holocautomatis, ſoluam tibi uota mea*

14 *Quæ uouerunt labia mea, & loquutum eſt os meum quum eſſet coartatio mihi.*

15 *Holocautomata pinguium offeram tibi, cum nidore arietum, faciam boue cum hircis. Selah.* Canit hîc Dei populus, vt gratias Deo agere inſtituerit pro tam beata ſui redemptione. Perpetuò aditurum ſe do-

mum Dei profitetur,quo ſcilicet in commune,ad multorum pietatem inſtaurandam, Dei bonitatem celebret.Ea præcipua vota ſunt quæ in adflictione vouerat. nam hoſtias tantùm ad commendandas Dei laudes,pro temporis ratione adiungebant.De quo in verſu 26 Pſalmi 22.De ſtudio frequentandæ domus, dictum in verſu 8 Pſalmi 5, & in verſu 7 Pſalmi 24. De ſtudio verò ſacrificandi, & hoſtiarum pinguedine,dixi pleraque in verſum quartum Pſalmi viceſimi. Selah adiectum eſt,quia in bis ſacrificiis externis,Chriſti & Sanctorum ſacrificia cogitãda ſunt.In verſu 14 eſt ???, quod aperuerunt ſignificat.accipitur autem pro loquuta ſunt, vel potius vouerunt, per ſynecdochen,inde quod loquentes aperiunt & diducunt labia.

16 *Venite,audite omnes timentes Deum:memorabo quæ fecit animæ meæ.*

17 *Ad eum clamaui ore meo,exaltaui ſub lingua mea.* Enarraturus quæ ſibi fecerit Deus,Inuitat ad audiendum timentes Deum:quia hi ſoli aures audiendi Dei laudes habent. inuitat autem omnes, non ſolùm Iudæos: quo vaticinatus eſt de euulgatione Euangelii per totum orbem. Hic verò affectus,hic ardor prædicandi nominis Diuini,eſt omnium qui verè Dei bonitatem perceperunt. Illud verſu 17,*Exaltaui ſub lingua mea,* A. Ezra de corde interpretatur, quòd ſub lingua ſit. Sed probabilior eſt ſententia Kimhi,qui ſub lingua,pro in lingua accipit,vt illud,Sub lingua eius moleſtia & iniquitas, Pſalmo 10.b.7.quod nihil aliud eſt quàm,quicquid hic loquitur,moleſtia & iniquitas eſt.ita quũ ait,Et exaltaui ſub lingua mea,nihil aliud eſt quàm,lingua mea ipſum extuli.

18 *Prauitatem ſi aſpexi in corde meo,non audiet Dominus.* Canit ideo ſe exoraſſe Deum id quod orauerat,quia nõ ſpectarit in corde iniquitatem.quo docet,eos exaudiri à Deo,quorũ hoc primum ſit votorum,Sanctificetur nomẽ tuum. Vnde rectè dicebat cæcus ille apud Iohãnem, Scimus quia Deus peccatores non audit. Peccatores enim Scriptura vocat,quorum totus animus malis ſeſe dedidit,de quo in verſu 1 Pſalmi 1. Iohan.9.f.31

19 *Certè audiuit Deus,attendit voci precis meæ.*

20 *Laudandus Deus,qui non remouit precem meam & bonitatem ſuam à me.* Gloriatur ſe à Domino fuiſſe exauditum,cum ſignificatione auxilii perampli & ſplendidi: vnde & in laudes Dei erumpit, eique confitetur quòd ſuam precem non reſpuit, & ipſius bonitatem à ſe non remouit. In quo liptote eſt.nam plus quàm dicit,ſe vult intelligi,ſanè plura multo, quàm fuiſſet auſus optare, à Domino exoraſſe,bonitatémque eius percepiſſe quàm largiſſimé. id quod in præcedentibus ſatis explicuit.

PSALMVS LXVII, Εὐκτικὸς καὶ εὐχαριστικός.

Fauorem & vultus Dei irradiationẽ orat populo Iſraelitico. quo inde diuinæ bonitatis cognitio & laus cum omnimoda (quæ ab hu ſcilicet venit fœlicitate,ſpargatur per vniuerſum orbem. ARGVM.

1 PRæſuli in Neginoth,Oda carminis. PARAP.

2 Faueat & benefaciat nobis Deus,irradiet nobis vultu ſuo,Selah,

3 Quo vbique in terra cognoſcatur inſtitutum tuum, apud omnes Gentes quam ferre ſoles ſalutem populi:

4 Vt celebrent te ô Deus,populi,celebrent te populi vniuerſi:

5 Gaudeant nationes,& ouent, quòd ius reddas ex æquitate populis, & nationes deducas in terra. Selah.

6 Vt celebrẽt te ô Deus, populi:celebrẽt te populi,celebrẽt te populi vniuerſi.

7 Terra verò reddat prouentum ſuum,& benefaciat nobis Deus, Deus noſter.

8 Benefaciat nobis Deus, & metuãt eũ quicũque ad fines vſque terræ habitãt.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 D*Eus faueat & benignè faciat nobis, illuminet facie ſua nos. Selah.* Breuis & luculẽtus Pſalmus,ſed quo origo,natura,& propagatio ſalutis & fœlicitatis tum cæleſtis, tum præſentis, mira gratia & perſpicuitate canitur.A Iudæis ſalus in orbem venit.per ſemen nanque Abrahæ, cũctæ nationes diuiniora illa beneficia iuxta Dei promiſſionem perceperunt.Nam ab ipſis (vt Seruator dixit)ſalus venit.Orat ergo hic populus ſelectus Dei fauorem,vnde omnium bonorum initium eſt:nemini enim quicquam debet Deus,cuncta fauori eius vltroneo accepta referimus. Inde beneficẽtiam fauori ſubiecit.Quia autem omnium in nobis bonorum caput eſt noſſe Deum,quod Chriſtus pronuntiauit vitam æternam eſſe:ſtatim canit de illuminatione vultus Dei, qua aſpiciens nos, donat, ſe quoque intueri: vnde & amor eius ſtatim prouenit, totúſque virtutum chorus.Hinc & Selah his ſubſcripſit.De iſtis verò nonnihil in verſum vltimum Pſalmi 16. Iohan.4.c.22 Iohan.17.a.3

3 *Ad cognoſcendum in terra vias tuas,in omnibus Gentibus ſalutem tuam.* Deum verè cognouiſſe, certũ & flagrantem eius amorem gignit:qui tum impellit vt nihil prius curemus quàm bonitatem eius

& aliis notam facere inde ſequitur, *vt cognoſcatur in terra*, vtique paſſim, viæ tuæ: hoc eſt conſilia, inſtituta, opera quibus tuis conſulis tam amãter, benefacis tam largiter, defendis tam potenter. Etenim viæ Domini nihil aliud ſunt quàm bonitas & fides, Pſalmo 25. b. 10. Vnde & hic ſequitur, *Et ſalus tua in Gentibus*: auxilium ſcilicet & ſalus quam tuis præſtas. Ex hac verò cognitione viarum Domini, & ſalutis quam ſuis fecit, in omni terra, cunctiſque Gentibus effulgente, id ſequitur quod canit verſu 4.

4 *Celebrent te populi ô Deus, celebrent te populi vniuerſi:*

5 *Lætentur & ouent nationes: nam iudicabis populos rectè, & nationes in terra deduces. Selah.* Quî enim nõ certatim laudarent & celebrarent, quem Deum, hoc eſt ſempiternum bonorum omnium fontẽ & ſibi quoque agnouerunt: quem ſciunt iudicare, hoc eſt regere & moderari cunctos populos, & id quidem ea æquitate & indulgentia, vt qui ipſi fidunt, ducendóſque ſe tradunt, nullo vnquam bono egeant? De qua iudicandi ratione, deductionéque, canit verſu 5. Inde verò eſt & lætitia illa atque ouatio, de qua canit verſu eodem.

6 *Celebrent te populi ô Deus, celebrent te populi vniuerſi.* Hunc verſum repetiit, quum hanc fœlicitatem, qua Sancti fruuntur, ius dicente Domino, & ſuo illos Spiritu ducente, exaggeret. Nam perquam eximiam oportet ſalutem & fœlicitatem eſſe, latiſſiméque patêre, ob quam cuncti populi tantopere Deum celebrare debeant. Repetitio enim huius, ſtudium & ſedulitatem laudis auget. Quo nanque bonitatis Dei cognitio creuerit, creſcit & eiuſdem perfruitio, indéque ſumma animi lætitia, cui nulla poteſt maior voluptas excogitari, quàm laudare paſſim Deum, in quo iam vitam æternam & beatam, huiuſmodi animus viuit.

7 *Terra det prouentum ſuum, benignè faueat nos Deus, Deus noſter:*

8 *Benignè faueat nobis Deus, & timeant eum omnes fines terræ.* Sanè vigente regno Dei apud ſuos, omnegenus bonorum, etiam externa, ingenti cumulo adiiciuntur, atque augentur quotidie. vnde dici non poteſt quàm ſimul in dies Dei cognitio & verus cultus, qui in timore eius ſitus eſt, incrementum accipiat. Id verò eſt quod iſtis duobus reliquis canit. Ardẽtes prodit affectus, appellationis, beneficentiæque geminatio.

PSALMVS LXVIII, ἀχαριστικός.

ARGVM. *Ad nicteria quæ Dauid ob inſignem illam, & de Allophylis ultimam victoriam, à Syris, AEdomitis & Ammonitis relatam, indubiè auguſtiſſima habuit, compoſitus hic Pſalmus videtur. In quo verbis planè heroicis, Dei in ſuum populum, in ſanctam ciuitatem Ieruſalem, bonitatem, & mirificè pro illis exertam virtutem prædicat: apertè ſimul Chriſti regno in his delineato, in nimirum totum orbem nomen daturum præuidit: quare & laudem Domino canere vniuerſos hortatur.*

PARAP. 1 PRæſuli Oda carminis Dauid.
2 Simulatque Deus exurrexerit, diſperguntur inimici eius, fugiũt ab eo qui habent ipſum odio.
3 Diſpellit illos, vti ſolet diſpelli fumus: ſicut cæra colliqueſcit ab igni, ſic diſpereunt à Deo improbi.
4 At qui iuſtitiæ ſtudent, gaudent & lætantur coram Deo, geſtiũt præ gaudio.
5 Cantate Deo, canite nomini eius: attollite illum, ſupremo cælo inequitantem: Exiſtens nomen eius, exultate coram illo:
6 Patre pupillorum, vindice viduarum, Deo præſidente in ſede Sacrarii ſui:
7 Deo qui carentibus liberis reſtituit familiam, educit qui vincti tenentur catenis: defectores autem inhabitabunt terram vaſtam.
8 Deus quum ante populum tuum progredereris, quum incederes per deſertum, Selah,
9 Terra concutiebatur, & cæli ſtillabant à Deo iſto Sinai, à Deo, Deo Iiſrael.
10 At imbrem tempeſtiuum diſtillaſti Deus terræ, quam tibi iure hæreditario vendicaſti, defectam viribus tu recreaſti,
11 Vt in ea moraretur grex tuus: paraſti adflictis, vt tuis ô De⁹ bonis fruerẽtur.
12 Dominus dedit quòd renuntiatrices de copiis maximis canerent,
13 Reges multis copiis inſtructi fugerunt, fugerunt: turba domeſtica diuidit ſpolia.
14 Si etiam tanquam inter ollas deſidentes atri ſitis, iam eritis candidi velut te-

pennis columbæ,quæ inſtar habet argenti candicantis, & alas tanquam aurum
fuluas.
15 Cũ propter illã Omnipotens reges frangeret,niuea reddebatur velut Salmõ.
16 Mons Dei velut Baſchan pinguis,mons celſus,mons inſtar Baſchan pinguis.
17 Quid vos effertis montes celſi,hic mons Dei,amœna ipſi habitatio: nam per
petuò inhabitabit illum Iehouah.
18 Equitatus Dei duæ myriades,multa millia angelorum : Dominus inter eos
in Sacrario.
19 Extuliſti te,cepiſti quos captiuos duceres,accepiſti ex hominibus velut mu-
nera,etiam defectores,eo quòd ſedem hic habeat Deus exiſtens.
20 Laudetur Dominus quotidie, augeat nobis beneficia ſua, Deus ille ſeruator
noſter.Selah.
21 Deus, qui nobis Deus ſeruator eſt, idem Iehouah Dominus, cui ſunt varia
genera mortis.
22 Vtique cecidit Deus caput inimicorum ſuorum, verticem capillatum eius
qui in ſceleribus verſatur.
23 Dixerat Dominus,Reſtituam meos,velut olim ex Baſchã,reſtituam tanquã
olim ex profundis maris.
24 Propterea rubet pes tuus,& lingua canum tuorum ſanguine inimicorum,il-
lorúmque regis.
25 Viderũt tui inceſſus tuos ô Deus,inceſſus Dei mei,regis mei,in Sacrario præ
ſidentis.
26 Præeunt cantores, ſequũtur canentes organis,in medio incedunt puellæ pul
ſantes tympana.
27 In cœtibus prædicate Deum:Dominum,qui eſtis ex ſemine Iiſrael.
28 Ibi ex Beniamin paruulo,qui poteſtate inter eos funguntur, principes Iehu-
dah copia eorum,principes Zebulon,principes Naphtali.
29 Deus tuus robur tibi ſuppeditat,firma Deus quod pro nobis patraſti.
30 A templo tuo ſuper Ieruſalem numen tuum ſe exerit, ideo adferent Reges
munera.
31 Dum increpas turbam lanceatam,cœtum validorum,inter vitulos populo-
rum,efficis vt deiecti,vectigaléſque facti,argenti tributa penſitent: diſſice po-
pulos,quibus bella cordi ſunt.
32 Venient optimates ex AEgypto, AEthiopia celeriter manus ſuas Deo pro-
tendet.
33 Regna terræ cantate Deo,canite Domino, Selah,
34 Equitanti ſuper cælis, cælis ſempiternis:en vocẽ ſuã edens, edit vocem præ-
ualidam.
35 Laudẽ roboris Deo tribuite,ſuper Iiſraele ſplẽdor eius,robur ei' in nubibus.
36 Tremendus es ô Deus in Sacrariis tuis,Deus Iiſrael, ipſe dabit robur & virtu
tem populo:laudetur Deus.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 EXurge Deus, diſpergentur inimici eius, & fugiant à facie eius qui habent illum odio.
2 *Sicut euaneſcit fumus, facies euaneſcere: ſicut liqueſcit cera à facie ignis, peribunt improbi à facie* Dei. In genere,
primùm Dei virtutem canit,& ad prædicandum eam inuitat. Sunt enim ſex priores verſus ceu
prooemium Pſalmi. Quum arca in deſerto transferebatur,dixiſſe Moſcheh legimus, Surge ô Ie-

houah,& diſpergantur inimici tui,& fugiant qui te habēt odio. Nume.10.d.35. Quia ergo in grāui illo contra Ammonitas & eorum ſocios bello,præclariſſimè Deus virtutem ſuam exeruerat, & inimicos non tam populi Iiſraelitici,quàm ſuos proſtrauerat & diſſiparat,alludens Pſaltes ad Moſcheh dictum,cecinit,*Exurgat Deus*: hoc eſt,ſimulatque exurgit, id eſt potentiam ſuam declarat. Quia hæc verba,exurgere,diſſipari,& fugere,in forma futuri poſita ſunt,quidā tanquā precationē,alii tanquā Prophetiam legunt:ſed omnia ſatis indicant, hymnū hîc cani ob victoriam iam partam.Malui igitur legere vt faciant catholicam ſentētiam,quales & verſus ſextus & ſeptimus habēt.Sic nanque procœmio conuenit:& ſolet verbis futuris pro præſentibus Scriptura ſæpe abuti.Obſeruanda verò in verſu 3,ſimilitudo fumi illicò euaneſcentis,& ceræ mox atque ignem aſpexerit,diffluentis.Sic enim omnes Sanctorum perſequutores pereunt, ſimulatque Deus ſuam potentiam extulerit,& vindicare illorum impietatem cœperit.

4 *Et iuſti gaudeant,lætentur coram Deo,& exultent in gaudio.*

5 *Canite Deo,pſallite nomini eius,attollite equitantem in cælis,in Iah[eſt]nomen eius,& exultate coram eo*, Ex vltione improborum,gloria Dei,quam vnicè Sācti clareſcere cupiunt,illuſtratur. Vt ergo nihil illi æquè cupiunt atque gloriam Dei illuſtrari: ita quum hæc ex vltione improborum clareſcit & effulget, ſingulari gaudio perfunduntur, & ad prædicandum nomen eius ſummopere extimulantur.Id canit verſu 4 & 5. בערבות vltimum orbem Ebræi intelligunt ,vt idem ſit atque in ſummis cælis.Et hæc interpretatio cum iis conuenit quæ alibi de Deo canuntur, equitare eum ſuper nubibus & ventis.De qua catachreſi dictum in verſum vndecimum Pſalmi 18.Alii legunt hîc Equitantem, alii veſperum. At ſi Scripturæ phraſim,& huius quoque argumenti rationem conſideres,facilè agnoſces,idem eſſe quod hîc canit cum eo quòd canitur infrà verſu 34, Equitare ſuper cælos,&c.*In Iah nomen eius*,idem eſt atque, Iah vocatur , hoc nomine celebrandus eſt. Deducitur autem יה à היה,quod fuit,ſignificat. vnde reddidi,*exiſtentem*.Kimhi dicit,ob creationem Deum ſic vocari.

6 *Patre pupillorum,& uindice uiduarum,Deo in manſione ſacrarij ſui.*

7 *Deo,qui reſtituit unicos [ut]domum habeant:educit uinctos catenis,etiam rebelles habitant ſiccitatem.* Habent vulgatam illam Scripturæ laudem & titulum Dei,dum illum prædicant patrem pupillorū,vindicem viduarum,donantem familiam iis qui abſque liberis ſunt,aut ſteriles: vinctos denique liberantem,hoc eſt afflictis omnibus & miſeris benigniſſimè opem ferentem. Deut.10.d.18,& infrà Pſalmo 140.b.13:& ſuprà Pſalm.10.d.14,habetur prior laudis huius pars, Deum eſſe defenſorem pupillorum & viduarum.Eam quæ fuerit ſterilis, reddere matrē filiorum, canit & Pſalmus 113.9.Liberare vinctos,Pſalmus 146.c.7.יחידים,*arentes liberis* reddidi,quo melius intelligeretur.Dixit enim *unicos*, quibus nulli ſunt liberi, ſiue id euenerit orbitate, ſiue ſterilitate. Reprobis ſimul ſuum iudicium canit,nempe habitaturos in vaſtitate,hoc eſt terra vaſta & ſterili,quo ſignificauit acturos miſerè. Vbicunque enim agant boni,ibi Paradyſus eſt·quia timentibus Deum,nihil poteſt boni deeſſe. Vbi mali,ibi deſertum omnium bonorum inops:nam in viis illorum contritio & infœlicitas. De præſentia Dei in manſione Sacrarii ſui, dictum iam ſæpe in verſum quintum Pſalmi tertii, in ſeptimum Pſalmi viceſimiquarti,& alibi.

8 *Deus in egrediendo te ante populum tuum,in gradiendo te in deſerto,Selah,*

9 *Terra mota eſt,etiam cæli ſtillarunt à facie Dei,iſtius[qui in]Sinai,à facie Dei,Dei Iiſrael.* Quia vix aliud eſt vnde carni huic Dei potentia æquè tremenda appareat, atque tempeſtates cæli , Pſaltes & alii Prophetæ,dum inſigne aliquod Dei pro ſuo editum populo facinus canunt, ſolent non illibenter tempeſtates memorare,quibus per allegoriam,virtutem Dei,omnia ſubitò immutare potentem,maximéque terrificam deſcribant. Quanquam re ipſa quoque illas Dominus nonnunquā ad declarandam numinis ſui præſentiam ediderit,vt quum Legem daret,& aliàs: de qua re dictū fuſius in verſum 8 Pſalmi 18,vbi Pſaltes omnino eadem ratione, qua hîc, tempeſtatis meminit. Proinde quum vellet hîc canere,Deum ſibi & populo, præcipuo iterū virtutis ſuæ miraculo adfuiſſe, & planè eum ſeſe exhibuiſſe quem fuerat pollicitus: tum quando data Lege,fœdus cum Iiſraele,in monte Sinai percuſſit,quémque inibi ſeadmodum terrifica tempeſtate declarauerat, hanc ipſam memorare in animum induxit. De ea itaque cecinit verſum octauum & nonum. *Egredi* verò *Deum ante populum ſuum*, eſt ipſum pro illo ſuam exerere virtutem . Vnde in Pſalmo 60 , memoratur Sanctorum querela , Deum non egredi in exercitibus ſuis . Selah verſu 8 ſubſcripſit , quòd ſummè memoranda res ſit, Deum ita hominibus ſe præſentem exhibuiſſe . *Stillatione cælorum* in verſu 9, pluuiam denotat. *Sinai* adiecit, quo expreſſit de qua Dei præſentia loqueretur:& ſimul cauſam dixit cur Iiſraelitis quouis ſeculo opem ferat tam ſplendidam : quippe in monte Sinai illos in populum peculiarem aſſumpſerat.

10 *Pluuia liberarum uoluntatum rigas Deus,hæreditatem tuam,& [quum] defecta eſt,tu perficis eam.*

11 *Cœtus tuus habitabunt in ea,bono tuo prouides adflicto, ô Deus.* Meminit verſu præcedenti pluuiæ,

& quidem terrificæ:commodùm ergo ſubiecit eam populo Dei profuiſſe, ita vt imbrem נדבות, id eſt voluntatum ſpontanearum, hoc eſt tempeſtiuum, qualem ſcilicet homines(ſi liceret)ſibi deligerent & optarent. Vel dicitur pluuia ſpõtanea,quæ quaſi ſua ſponte,ſenſim placidéq; deſtillet,nõ vi & impetu,vt in tẽpeſtatibus fit,deiicitur. Vtcunque accipias, temporaneam & gratã hic pluuiam Vates dicere voluit. nam pluit & ſuper improbos Deus, ſed ignem, fulmina, & ſulphur. Pſalmo 11. Grato itaq; & temporaneo imbre, hæreditatem ſuam, hoc eſt populum quem ceu agrum hæreditarium & peculium excolendum ſuſceperat, recreauit, boniſque omnibus fœcundauit (nam ᵽ etiam rigare & ſtillare ſignificat,non ſolùm eleuare) quum viribus defectus, ſterilis & deſerti ſoli inſtar haberet: idque tum quando depulſis fractiſque hoſtibus, pace frui bonis omnibus affluente ipſi dedit,de quo canit verſus 11. Populum Dei vocat חיה, quod pro fera aliàs accipitur:ſed ſignificat etiamnum hominum turbam & cœtum,vt 2.Schm 23.b.11,Collecti ſunt Philiſthim in חיה,id eſt cumulum vel exercitum. Et חיה, id eſt exercitus Philiſthim extra poſuit in valle Rephaim. Eundem verò populum, & afflictum vocauit. Sic enim erat antè quàm Domini illius terram fœcundo imbri compluerat, & velut frugibus inſtruxerat,hoc eſt ope ſua iuuerat, victoria de hoſtibus data.

12 *Dominus dedit ſermonem renuntiantibus exercitus magni.*

13 *Reges exercituum fugerunt, fugerunt: & quæ ſedit domi,diuiſit prædam.* Apertius nunc canit victoriam quã populo Deus conceſſerat, memorando carmen quo illam renũciatrices celebrarint. Nam etſi מבשרות diei poſſunt nuntiæ qualeſcũq;,hîc tamẽ omnino videtur Pſaltes eas dixiſſe quæ choro & carminibus epinicia cantabant:quales illæ fuerunt quæ Schauli reuertenti à prælio, cæſo per Dauidem Goliath,obuiam ierant, & cantabant, Schaul occidit mille, Dauid decem millia: haud rarò enim בשר velut præconio publicit' quidpiam celebrare ſignificat. Sic ſanè eo vſus eſt Pſaltes Pſalmo 40 verſu 10:de quo in eundem verſum nonnihil annotaui. Item infrà Pſalmo 96.a.2,Canite Iehouã,prædicate nomen eius, בשרו, id eſt euãgelizate, præconio extollite ſalutem eius. At mulierũ fuiſſe publicas victorias celebrare,& agere מבשרות,id eſt renũtiatrices,locus quẽ adduxi de Dauide & Schaule,ſatis probat:quanquam & ex aliis idem liqueat. Huiuſmodi autem renuntiatricibus dedit Deus ſermonẽ, hoc eſt carmen quod canerẽt, quando tam inſignem populo ſuo de hoſtibus victoriam parauit. Illud in hoc verſu צבא רב ambiguum eſt. Quidam referũt ad renuntiatrices,quarum fuerint magnæ turmæ. Alii, inter quos & Abraham Ezra, ad exercitum Iſraelis,cuius illæ victoriam prædicarint.& hoc viſum eſt dici probabilius: quod mulieribus nomen צבא non ita quadrare videtur. Quæ ſequuntur, ipſum carmen ſunt, *Reges exercituum fugerunt, fugerunt.* Ii fuerunt reges Syrorum, & Ammonitarum, & AEdomitarum. Turba domeſtica fuerunt,qui domi deſederant, domeſticis ſcilicet quàm bellicis negotiis magis intenti. Eo autem ſignificat hoſtes fuiſſe penitus fractos,vt per quos licuerit,etiam imbellibus atque vmbratilibus hominibus,qui domi deſidere ſolẽt,in caſtra prodire,& ſpolia diuidere. Quanquam haud ſcio an fortè ad illud alluſerit quod legimus 2.Schmu.12.g.29.Dauidem cum reliquo populo egreſſum,& Rabbah metropolum regni Ammonitarum cepiſſe, quam eò vt capi poſſet, Ioab cum ſuis legionibus,diutina ſanè obſidione redegerat. Tum certè נות בית,id eſt turba dom', hoc eſt qui ſub tecto agere conſueuerunt,ſpolia hoſtium diuiſerunt.

14 *Quum iacueritis inter ollas,alæ columbæ obductæ argento, & pennæ eius in fuluore auri.*

15 *Quum diſpergeret Omnipotens reges in ea,canduit in Salmon.* Fœlicitatem populi ex victoria quam cecinit, aſſimilat candori, vti miſeriam ſubinde atrori & nigredini, vt ſuprà Pſalmo 38 verſu 7,& Pſalmo 42 verſu 10,& alibi. Canit itaque, *Quum ſederetis inter ollas:* hoc eſt ita fuliginoſi atque funeſti eratis,hoc eſt verſabamini in ſumma afflictione & miſeria, pennæ vobis contigerunt columbæ tam candidæ quàm eſt argentum, cuiúſque alæ velut aurum fuluæ ſint: hoc eſt omnia vobis alba,optata, fœlicia facta ſunt. Vnde autem id illis cuenerit, canit verſu 15, *Quum diſpergeret reges* de victos, niuea, hoc eſt cãdida vt nix reddebatur in Salmõ:hoc eſt ſicut Salmõ niue ſemper candicat. Sæpe enim ב valet כ. Mons Salmõ propè Iordanem ſitus, niue præ aliis ſolet albere. Is ſaltum habuit: nam ex eo Abimelechus ligna cum exercitu ſuo petiiſſe legitur,quibus Sichemitas in arce Bethel fœderis extructo igni præfocaret, Iudic.9.f.46. Kimhi accipit Salmõ acſi eſſet,צלמות,id eſt vmbra mortis: vt ſit ſenſus, Quæ hactenus in anguſtiis mortis fuit,nũc victoria potita, & diſperſis regibus qui bellũ intulerãt, vt nix candida euaſit. Sed quum ſcriptum ſit Salmon,malui hic ſententiam ſequi Abra. Ezræ,quam ſcilicet præmiſi.

16 *Mons Dei, mons Baſchan, mons celſorum, mons Baſchan.*

17 *Quid exilitis montes celſi, mons deſiderabilis, Deus ad habitandum eum, Iehouah ſedebit ſemper.* Eandem fœlicitatem canit hiſce verſibus,alia vſus tranſlatione. Baſchan regio in qua Og vnus ex Gigãtibus reliquis regnauerat:prælpinguis erat,vt legim' Num.32,& alibi. Vocat ergo Ieruſalẽ,montẽ

t.i.

Baſchan,intelligẽs præpinguem&celſum. Verſu 17,cauſam reddit huius pinguedinis,id eſt fœlicitatis:Deo enim collibuit in illo habitare. Inde perſtans in tranſlatione, arguit verſu ſequenti,montes alios celſos,hoc eſt potentes,Reges& populos,quòd ſe contra montemDei efferrent. רצד aliàs ſubſilire interpretatur.

18 *Equitatus Dei duæ myriades,millia Angelorum,Dominus in eis, Sinai in Sanctuario.*

19 *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in homine, & etiam defectores ad habitandum Iah Deum.* Canit quibus auxiliis freti Sancti fuerint,& cuius ea ſit victoria de qua hic gloriantur.Nã Deo habitanti in Ieruſalem, & ad ſuorum defenſionem progredienti, duas myriades Angelorum, hoc eſt quamplurimos attribuit. Tali equitatu plenum montem, & magiſtrum ſuum circundatum videbat puer Eliſchah, quum ei id prece ſua impetraſſet, 2.Regum 6.d.17. Currum hic legunt alii,quem & רכב ſignificat:ſed quia etiam equitatum ſignificat,malui vel propter generalitatem hoc ſignificatu vti. Quo verò hunc formidabiliorem faceret, ſecundò affirmat, Deum inter eos eſſe, ita vt fuit in Sinai, in Sacrario ſuo, hoc eſt præſentiſſimé. Hinc verò conſequi oportuit quod cecinit deinceps, *Aſcendiſti in altum*:hoc eſt extuliſti te,omnibus ſuperiorem tuam virtutem declaraſti. *Cepiſti captiuitatem*:hoc eſt captiuos, ceu dona ex hominibus qui tibi loco hoſtiarum eſſent, etiam defectores qui prorſus à te defecerant, per omnia impii, tibi parêre coegiſti. In eo verò Deus palàm fecit, habitare ſe in Ieruſalem: ideo ſubiectum hîc eſt, *eo quòd habitaret*, hoc eſt habitare ſe demonſtraret *Iah Deus*. Verſiculum hunc diuus Paulus 4 ad Epheſios, loquens de exaltatione Chriſti, & donorũ Spiritus diſtributione, adduxit: ſed pro Accepiſti, Dediſti vſus eſt: quod tamen nec vulgata editio Græcorum habet. quare videtur ſenſum voluiſſe adducere,non verba. Ad hoc enim, vt dona ex hominibus,hoc eſt ſibi deditos aliquos mortaliũ Deus acciperet,neceſſe fuit vt antè dona daret, quibus alii Apoſtoli,alii Euãgeliſtæ,alii Doctores & Paſtores facti, Electos ipſi per Euãgelium,munerum vice adducerent. Rectè autem hunc locum de Chriſto ſeruatore interpretatus eſt:omnino enim Chriſti typus fuit,quòd aſcendens in altum Deus in Dauide,hoc eſt exerẽs ſuam virtutem,ipſi Ethnicos antea defectores,& ab Iſraele alienos captos ſubiecit. In Chriſto nãque multo verius Deus in altum ſe recepit, id eſt virtutem ſuam longè potentius exeruit, reuocato ipſo ſcilicet à mortuis, & ad dexteram ſuam euecto: túmque verè captiuos cepit, tam multos Filio ſuo, indéque & ſibi attrahens, atque addicens. Hi rectiſſimè oblata Deo munera dicuntur, cui ipſi viuunt toti. Tales captiuos gloriatur Paulus ſe Domino adduxiſſe, quum de ſe ſcribit 2.Corinth.10.b.5, Et captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Chriſto. Tales quoque obtuliſſe Deo hoſtias, talia attuliſſe munera gloriatur Rom.15.d.16, Adminiſtro,inquit, Euangelium Dei,vt fiat oblatio Gentium acceptabilis,ſanctificata per Spiritum ſanctum.

Locus Pauli ad Epheſ 4.b.8.

20 *Laudandus Dominus: quotidie,extollit nos ille Deus ſalutis noſtræ.Selah.*

21 *Ille Deus nobiſcum,Deus auxiliorum,& Iehouæ Domini egreſſus ad mortem.* Expreſſius nunc & ſimplicius relatam de hoſtibus victoriam canit: & primùm prædicat Deum, qui populum ſuum indies beneficiis cumulat, & extollit. עמס enim & ornare & extollere ſignificat. vnde emphaticõs iſtuc ſubiecit, *Ille Deus ſalutis noſtræ*, à quo nihil ſcilicet niſi ſalutẽ percipimus: & Selah adſcripſit. Inde verò mox ſuccinuit, Deum vt eſt populi ſui ſeruator, ita eſſe hoſtium huius vltorem. Omnia affectibus ardent, *Ille*,inquit, *Deus nobis eſt ſalutum*: hoc eſt,variis modis ſalutem noſtram procurat,multis viis ſeruat. *Et Iehouæ Domini ad mortem egreſſus*: hoc eſt,ipſe hoſtes variis quoque & multiplicibus modis ad mortem impellit.

22 *Etiam Deus vulnerat caput inimicorum ſuorum,verticem capilli ambulantis in delictis ſuis.* Hoc verſu canit Dominum hoſtium caput perdidiſſe,eóque penitus eos internecioni dediſſe. Poteſt autem hoc de rege, populi capite, vel etiam de capitibus ſingulorum intelligi. Ita autem hoc præcedentib' ſubiecit, vt ea confirmaret & augeret. *Ambulantem in peccatis ſuis*: hoc de perditis dixit, qui omnem iam vitam ſuam prauitati dediſſent. Singulari enim pro plurali vſus eſt.

23 *Dixit Dominus,E Baſchan reducam,reducam è profundis maris.* Aſſimilat hoc Dei in hoſtes populi ſui iudicium,de quo canit iſto Pſalmo,ei quod in Sichon regem Amorrhæorum,& Og regem Baſchan antè exercuerat:quos vnà cum populis eorum penitus deleuerat,terra eorum tradita ſuo populo poſſidenda, Nume.31: item in Pharaonem quem in Mari rubro ſuffocauerat. *Dixit*, inquit, *Dominus*,hoc eſt decreuit: *Reuerti faciam ex Baſchan*, hoc eſt ita populum meum reſtituam, vt olim ex Baſchan, vbi occiſo rege, & deletis habitatoribus eius regionis, eam tradidi populo meo iure hæreditario habitandam: & ſicut ante eos reſtitui ereptos præſentiſſimæ morti, quum per Mare rubrum duxiſſem, ſuffocato Pharaone cum omni AEgypti robore. Illud, *Reuerti faciam*, quidam ad hoſtes referunt, quos Dominus in fugam egerit: mihi prior interpretatio viſa eſt probabilior. nam ſi de hoſtibus hoc dixiſſet, in profundum maris, nõ, è profundis, dicendum fuerat.

14 *Propterea rubebit pes tuus in ſanguine, lingua canum tuorum ab inimicis, ab eo.* Commodùm iſtuc nunc ſubiecit, propterea nempe quòd ita populum ſuum Deus reſtituit, vt olim ex Baſeban & Mari rubro, facta ſcilicet hoſtium eorum cæde, tingere contigit populum pedem ſuum: item canum eius linguam in ſanguine, qui fluxit ſcilicet à trucidatis inimicis, & ab ipſo inimicorum rege. Quidam *מנו*, id eſt ab ipſo, pro ab ipſis accipiunt, vt ad inimicos referatur, ſitque ſolita Sacræ linguæ periſſologia. Sed non rarò etiam eclipſibus huiuſmodi vtitur, vt aliquid ſubaudiàs: vti & in ſuperioribus aliquoties annotaui. Hactenus decretum Domini recitauit.

25 *Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei, Regis mei in Sacrario.* His verſibus canit de pompa triumphali & gratulatoria ob victoriã, ſimul & de prece quam in põpa populus fudit. *Viderunt*, inquit, *ingreſſus tuos Deus.* Vocat inceſſus Dei, pompam populi, in cuius medio Deus incedebat iuxta ſuam promiſſionem, Leui. 26. a. 2. Addit, *Dei mei, & regis mei in Sancto*: id eſt qui præſides in Sacrario tuo, vt nobis ope tua ſemper adſis. Hac oratione tantos lætitiæ affectus præ ſe ferente, referre voluit geſtiens populi Dei de beneficio gaudium, & ſtudium agẽdi gratias multo ardentiſſimum. Hebræi quidam interpretantur hos ingreſſus Dei, de iudiciis in hoſtes exercitis. Sed non dabunt opinor locum, vbi eiuſmodi iudicia הליכות, id eſt inceſſus dicantur: tum non conuenit hæc interpretatio iis quæ ſequuntur.

26 *Præeunt cantores, poſtea modulantes in organis, in medio puellæ tympaniſantes.* Hic ordo pompæ deſcribitur. Vt verò omnium eſt Deus, ita vterque ſexus adhibebatur. Et quia ſummè ardere debet animus Sanctorum in laudem Dei, ideo adhibebatur quicquid excitare animum potuit, omne genus inſtrumentorum muſicorũ, idque ſingulari ſtudio & ſolenni apparatu. Præibant cantores, ſequebantur canentes organis, in medio ibant puellæ pulſantes tympana. Tympana in vſu fuiſſe mulieribus, teſtatur factum Miriam ſororis Moſeos, Exodi 15. c. 20. Hi verò ſuis canticis ad laudandum Deum totum Iiſraelem inuitabant, iis quæ ſequuntur verbis,

27 *In cœtibus laudate Deum, Dominum de fonte Iiſrael.* Quod ait, *Laudate in cœtibus*, iubet ibi prædicare Dominum vbi quamplurimi conueniant, & quidem ad audiendas laudes Dei idonei, ita vt ſolet in Sacris. *De fonte Iiſrael*, dictum Hebræi putant pro eo quod eſt Qui è ſemine Iiſrael eſtis prognati: nec habeo quod dicam probabilius. Et alìàs enim traducitur fontis nomẽ, ad ſignificandum rei originem, vt timor Domini eſt fons vitæ: ſapientia eſt fons vitæ.

28 *Ibi Beniamin paruulus dominator eorum: principes Iehudah collectio eorum. principes Zebulum, principes Naphtali.* Enumerat principes qui ſacram pompam ornarunt. *Ibi Beniamin paruulus dominator eorum*: paruulum vocat propter paucitatem populi: tota enim illa tribus vſque ad ſexcẽtos deleta fuerat ob ſcelus Gibeonitatum, Iudicum 20. Dominatorem autem populi vocat, quòd regnum penes hanc fuerat, ſed & regnante Dauide, plerique ex hac tribu proceres primis regni muniis fungebantur. nam plerique ad eum adhuc exulantem ſeſe receperant, vt legimus 1. Paral. 12. Eadem cauſa & principum Zabulum & Naphtali meminit. *Iehudah* vocat רגמתם, id eſt vt Kimhi habet, collectionẽ vel cœtum eorũ: quaſi dixerit, præcipuam multitudinẽ adfuiſſe ex tribu Iehudah. Cæterùm lapidationem ſignificat hæc vox, vnde Chaldæa Paraphraſis hunc locum reddidit: Poſt eos deſcẽderũt principes Iehudah, lapidauerunt eos lapidibus. Qui iam illud, *Dominator eorũ*, quod de Beniamin Vates cecinit, ad hoſtes referunt, quos Beniamin deuicerit, & imperio ſuo ſubiecerit: hi & iſtud, Iehudah lapidatio eorũ, ad hoſtes referũt, quos vi ſua Iehudah lapidibus oppreſſerit. Deinceps docent ſancti Vates precari, vt Deus fauorem atque beneficentiam ſuam & porrò exhibeat.

27 *Mandauit Deus tuus robur tuum, robora Deus quod feciſti nobis.*

38 *A templo tuo ſuper Ieruſalem, tibi afferent reges munera.* *Mandauit*, inquiunt, *Deus tuus*, id eſt ſuo beneficio ſuppeditauit robur tuum ô Iiſrael, quo euaſiſti victor. nunc ergo precare, *Robora* & firma *quod pro nobis patraſti.* *A templo tuo*, hoc eſt à teipſo, ſuper Ieruſalem prodit robur tuum & auxilium, vt victoria hac & fœlicitate perpetuò fruatur. hoc viſo, *Afferent reges munera*, te Deum cũcti adorabũt.

31 *Increpa cœtum lanceæ, concilium taurorum, in vitulis populorum [dum] ſuppliciter [quiſque] fragmentis argenti: diſperge populos qui delectantur bellis.* Et alìàs vbi hic Vates de regno Dei efferendo canit, prædicit alios vltrò illi ſe ſubmittere, viſis tam admirandis facinoribus Domini: alios verò vi eidem ſubiiciendos. Vt ergo in verſu ſequenti, vltroneos ex Gentium principibus Domino ſupplicaturos, ita in hoc precando prædicit, qui validi & formidabiles hoſtes populo Dei erant, hos increpatione Domini percellendos, & vectigales reddendos. *Increpa turbam lanceatam*, hoc eſt vi tua diſpelle, vt faciebas diffugere increpans Mare rubrum & Iordanem. Hanc hoſtilem turbam, & concilium taurorum appellat: vitulóſque iungit populorum, intelligens præcipuos inter principes, populorúmque rectores. Sic queritur Sanctus Domini Pſalmo viceſimo ſecundo, ſe à tauris Baſehan circundatum, vtique intelligens potentiores & violentiores inter hoſtes ſuos. Quod

ſequitur, *Supplicet in fragmentis argenti*, omnes Hebræi interpsetantur, vt fiat quiſque ſupplex, & tributum penſitet, argenti ſcilicet fragmenta. Idem eſt quod & ſequitur, *Diſperge gentes quæ bellis delectantur*.

32 *Venient præſtantiores ex AEgypto: AEthiopia curret manibus ſuis ad Deum.* חשמנים præſtãtiores & nobiliores dicuntur. vnde Mathathia & filii eius, quos Machabæos vocamus, hoc nomine inſignitos legimus: noſtri Aſmoneos dicunt. AEthiopia contermina AEgypto, religionis & innocentiæ ſemper ſtudioſiſſima: vnde & Homerus AEthiopes ἀμύμονας vocauit. Deũ ab exulantibus apud ſe Iudæis docta, verã religionẽ magno ardore coluit. De quo inter cæteros præclarè Ieſchaiah 18, & 45. Item Sephaniah 3. Circuncisionẽ acceptam à Iudæis, tã diu obſeruarunt, vt Herodotus libro 2, putet illos ante Iudæos eum ritum habuiſſe. Strabo quoque libro 17, inter cæteras illorum virtutes, & Circũciſionis meminit, ſicut & reginæ Candacis, quæ Eunuchum ſuum quum muneribus Ieruſalem miſiſſe legitur in Actis 8.d.27. Id ergo eſt quod hîc & noſter de hac gente vaticinatur, celeriter manus Deo protenſuram. Ad verbum eſt, *Curret manibus ſuis ad Deum*, quũ tamen pedibus curratur. ſignificare verò voluit, accurſuros, munera ferentes in manibus.

Religio Aethiopum.

33 *Regna terræ canite Deo, pſallite Domino. Selah.*

34 *Equitanti ſuper cælũ, cælũ priſtinis, ecce dat in voce ſua vocem roboris.* Quòd cuncta orbis regna ad celebrandum Deum inuitat, vaticinium eſt de fide omniũ Gentiũ: vnde & vocula *ſelah* hunc verſum inſigniuit. Eadẽ cauſa & potentiã Dei ab eo prædicat, quòd ſuper cælis equitet, & cælis qui pridẽ facti, iidem ſemper perennãt, quódq; inde voce tonitrui omnia perterrefacit. Id enim eſt quod aiunt, *Voci ſuæ dat vocem robuſtam*, id eſt facit vocem ſuam fortiſſimè & horrendè ſonare.

35 *Date Deo robur: ſuper Iiſrael magnificentia eius, & robur eius in nubibus.* Date, robur Deo, idem eſt quod date laudem roboris. Obſeruãda autem Iiſraelis cum cælis coniunctio. *Magnificentia*, inquit, *eius ſuper Iiſrael*, & robur eius in nubibus. Verus enim Iiſrael, verum regnum Dei eſt, regnúmque cælorum, in quo præclarius quàm in iſtis viſibilibus cælis, virtutem & bonitatẽ ſuam exerit. Hoc itaque rectè poſcebat: id quod canit verſus vltimus,

36 *Tremendus es ô Deus è Sacrariis tuis: Deus Iiſrael ipſe dat robur, & vires populo [illi], laudatus Deus.* Tremẽdus ſanè eſt Deus, non min' in peregrinãti hic ſuo populo Eccleſia, quàm in iſtis quos videmus, orbibus cæleſtibus. Iure itaque Deus Iiſrael dictus eſt, qui ſolus robur & virtuem ſempiternam ſuo populo vſque ſuppeditat: vnde Sancti perpetuò ei canunt, *Laudetur Deus*. Amen.

PSALMVS LXIX, χειμαστικὸς καὶ οἰκτικός.

ARGVM. *Continetur hoc Pſalmo primùm vehementiſſima quædam Dauidis, vt typi Chriſti, vt Sanctorum capitis, Chriſtianorum, vt quos decet capiti conformari, de maximis malis querulatio. Deinde ardens pro liberatione precatio: tum dira hoſtium deuotio. Poſtremo læta de læto auxilio gratulatio, adiecto de Eccleſiæ profectu vaticinio.*

PARAPH. 1 PRæſuli ad Schoſchannim Dauidis.

2 Serua me Deus, nam eò aquæ aſcenderunt, vt de vita pericliter:

3 Demerſus ſum in limum altiſſimum, in quo nequeo conſiſtere: veni in profundum flumen, & fluxus rapuit me.

4 Delaſſatus ſum clamitando, irraucuit guttur meum, euanuerunt oculi mei ſuſpiciendo ad Deum meum.

5 Qui me immeritum odio proſequuntur, pluresfacti ſunt capillis capitis mei: præualuerunt qui nulla me cauſa obterunt, inimicitiámque mecum exercent: rependere coegerunt quæ non rapueram.

6 Deus tu noſti ſiquid ſtultè admiſi: ſiquid deliqui, id te minimè latet.

7 Ne mei cauſa ô Domine Iehouah Sebaoth pudore afficiantur qui abs te pendent: ne pateant ô Deus Iiſrael ignominiæ qui tibi ſtudent:

8 Nam tui cauſa fero opprobrium, obtexit faciem meam ignominia:

9 Alienus factus ſum fratribus meis, extraneus filius matris meæ.

10 AEmulatio pro domo tua exedit me, vrunt opprobria quæ in te impii iaculantur.

11 Do me fletibus, ieiunio corpus meum affligo, & idipſum mihi probro eſt.

12 Sacco me pro veſte inuoluo: ſum illis occaſio parabolæ:

13 De me fabulantur qui deſident in porta, & canũt carmina qui potãt meracũ.

14 Ego interim precẽ ad teô Iehouah, fundo: ſiquãdo tẽpus ſit quo te ô Deus ob

multam bonitatem tuam propitium exhibeas: pro fide tua quia opem ferre ſo-
les, annue mihi:
15 Eripe à luto me, ne ſinas vt demergar, fac eripiar ab iis qui odio me proſequũ
tur, ab aquis profundis.
16 Ne rapiat me fluxus aquarum, néve abſorbeat altũ, neque claudat ſuper me
os ſuum puteus.
17 Annue mihi ô Iehouah, quãdoquidem benigna eſt bonitas tua: reſpice ad me
iuxta multam humanitatem tuam.
18 Et ne abſcondas à ſeruo tuo faciem tuam: nam affligor, propera annue mihi.
19 Adiunge te animæ meæ, adſere eam: redime me propter inimicos meos.
20 Tu noſti quid feram opprobrii, quid pudoris, quid ignominiæ: in oculis tuis
ſunt qui me infeſtant.
21 Opprobrium fregit cor meũ: affligor, expectaui qui verbis quæ patior, leni-
ret, ſed non erat: ſuſpexi ſi qui eſſent conſolatores, ſed nullos conſequi licuit.
22 Pro cibo fel miniſtrarunt: & quum ſitirem, potarunt me aceto.
23 Sit illis menſa ſua laqueus: & amici, tendicula.
24 Obtenebrentur oculi eorum ne videant: & lumbos eorũ fac ſemper labaſcere.
25 Effunde in illos furorem tuum, & indignatio iræ tuæ apprehendat illos.
26 Domus eorum deſolentur, nec ſit qui tabernacula illorum inhabitet.
27 Nam aiunt ſe perſequi quem tu percuti velis: & iactant ſe affligere quos vul-
nerare tu iubeas.
28 Fac illis iniquitas iniquitati accumuletur, neque vnquam iuſtitiæ tuæ parti-
cipes euadant.
29 Deleantur de libro vitæ, & cum iuſtis neutiquam adſcribantur.
30 Me verò quandoquidem afflictus ſum & dolens, ope tua ô Deus, vindicabis:
31 Laudabo nomen Dei cantico, attollam ipſum celebri laude.
32 Gratior ea fuerit Iehouæ boue & vitulo qui cornibus & vnguib⁹ inſtruct⁹ ſit.
33 Videbunt hæc manſueti, & lætabuntur ſtudioſi Dei, & viuet cor eorum.
34 Nam audit inopes Iehouah, & vinctos ſuos minimè ſpreuit.
35 Laudabunt eum cæli & terra, maria, & quicquid in illis moratur.
36 Nam ſeruabit Deus Siion, & vrbes Iehudah ædificabit: ibi habitabũt, terrám
que iſtam poſſidebunt hæreditario.
37 Poſteri ſeruorum eius in hæreditatem illam accipient: quicunque diligũt no
men eius, in illa habebunt ſuam ſedem.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *SErua me Deus nam uenerunt aquæ uſque ad animam.*
3 *Demerſus ſum in limo profundo, & non ſtatio: ueni in profundas aquas, & fluctus undis obruit me.* Mala in
quibus fuit, comparat aquis quæ ad animam peruenerint, hoc eſt iamiam ſuffocaturæ fuerint,
limo profundi, hoc eſt altiſſimo in quo nõ ſit fundus: denique alto fluuio in quo & medius flu-
xus, curſúſque rapiat, obruat, & obtegat: in quibus ſimilitudinib⁹ miræ auxeſes ſunt. Satis erat
periclitari in aquis etiam qualibuſcunque: iam addit tenax lutum, nec id ſimplex, ſed altum: de
múmque adiicit aquas profundas, atque vim rapidi fluminis. hac tranſlatione vſus eſt & Pſal-
mo 40 verſu 3.

4 *Laboraui clamando, raucum factum eſt guttur meum, oculi mei à ſuſpiciendo ad Deum defecerunt.* Queritur tan-
diu ſe opem imploraſſe vt clamãdo defatigatus ſit & irraucuerit, oculique ſuſpiciendo(id quod
accidere ſolet anxiè opem à cælis expectantibus) defecerint. Simile eſt in verſu 2 Pſalmi 22. De
ſuſpectione in cælos, in verſu 4 Pſalmi 5.

5 *Plures ſunt qui me immeritò oderunt quàm pili capitis mei, qui obterunt me, & inimici mei ſunt abſque cauſa, inualue
runt: quæ non rapui, tunc rependi.* Hyperbole apta ſic excruciatis, quòd plures queratur fuiſſe qui

ſe nihil commeritum perſequuti ſunt, quàm pilos habuerit capitis. Geminauit *ſine cauſa* illos odia in ſe exercuiſſe, *& inimici mei.* nam חנם & שקר dixit. eo & innocentiam ſuam teſtatus eſt, & vim doloris ob tãtam iniuriam expreſſit. Ad idem pertinet & quod ſubiecit, *Quæ non rapui, rependi*, quo nihil aliud quàm queſtus eſt ſe pœnas dediſſe eius quod non admiſerat. Videtur prouerbiale dictum fuiſſe, quo hoc quidẽ loco pertuliſſe ſe ſignificare voluit quæ minime meruiſſet.

6 *Deus tu noſti ſtultitiam meam, & peccata mea non ſunt abs te abſcondita.* Innocentiam ſuam de qua in præcedenti, Dei teſtimonio confirmat. Senſus enim eſt, Noſti ô Deus, nihil me ita ſtultè & prauè admiſiſſe, vt iſti hoſtes mei videri volunt, eóque ſine cauſa & immeritò me tanta inſectantur atrocitate. Quum ergo nullo ſuo peccato, ſed pietatis, atque adeò Dei cauſa ab impiis perſequutionem ferret, id quod verſu 8 piè iactat, periculum erat vt infirmiuſculi, ſi ei impii præualuiſſent, nonnihil offenderentur: id ergo deprecatur.

7 *Ne pudefiant in me qui expectant te ô Domine Iehouah Sebaoth: ne afficiantur in me ignominia qui quærunt te, ô Deus Iſrael.* Vulgò ſiquidem creditur, iis qui Deo probantur, debere omnia ex ſententia cadere. Et ſiquis pietate præcellens, à Deo ad magna euehatur, illi ſeſe quicunque à Deo pendent, Deíque ſtudio tenentur, certatim adiungunt, hunc ferunt in oculis, pérque eum ingentia cum ſibi, tum etiam aliis hominibus pollicentur. Hi ergo, vbi eiuſmodi præcipuus vir Dei extrema pati, & quaſi à Domino abiectus videtur, afficiuntur pudore, & apud malos planè ludibrio exponuntur: iſtud ergo hic noſter deprecatus eſt.

8 *Nam propter te pertuli opprobrium, operuit ignominia faciem meam.*

9 *Alienus habitus fui fratribus meis, & externus filiis matris meæ.* Vt ſuperioribus verſibus negauit peccatis ſuis, quam ferebat ab impiis perſequutionem commeruiſſe: ita hîc cauſam huius teſtatur fuiſſe ipſum Deum. *Propter te*, inquit, id eſt tua cauſa, quòd te colere ſtudioſius, tuámque veritatem adſerere ſolebam, abiectus, & conculcatus ſum, adeóque ludibrio & contemptui habitus, vt propè coram nullo hominum attollere auderem faciem meam. Id dicit, *Operuit*, obtexit *ignominia faciem meam.* Hæc verò tanta fuit vt iam fratres quoque, & quidem vterini, ſe à me ſubducerẽt, alienúmque me haberent: quod queritur verſu 9.

10 *Nam zelus domus tuæ vorauit me, & opprobria tibi opprobrantium ceciderunt ſuper me.* Cauſã cur tanto ipſum odio impii inſectarẽtur, magis exprimit. Erat erga domũ Domini, hoc eſt verã religionẽ, cuius peculiare domicilium erat Domus Domini, zelo ſingulariter flagrãti: huius neglectum nõ ferebat: contẽptúmque Dei & opprobria, ſua ducebat. Quæ ſanè etiam experiebatur, ſimulatque contra impios veram religionem adſerebat.

11 *Et flebam, in ieiunio animam meam, & cedebat in opprobrium mihi.*

12 *Et ponebam ſaccum veſtimentum meum, & eram illis [materia] prouerbii.*

13 *Loquebantur de me qui ſedebant [in] porta, & carmina [canebant] qui bibebant dulcem potum.* Præ ſtudio Dei & religionis, aliorũ lugebat impietatem & ſcelera, ídque vero ſerióque luctu. Ieiunio enim corpus ſuum affligebat, veſtibus lugubribus, quas Scriptura שקים, id eſt ſaccos vocat, indutus ſeſe humiliabat. Sic enim dictio verſu 11 ordinanda eſt, *Flebam, & ieiunio animam meam*, ſubaudi ענית, id eſt afflixi, vel caſtigaui. Ob hunc autem zelum quo debebat populo charior eſſe, vtpote ſalutis eorum tam ardenter cupidus, hoc populi principes magis eum irriſerunt, habuerúntque ludibrio: ita vt conuenientibus in porta, vbi quum illic forum eſſet, præcipua frequentia populus conueniebat, parabola, prouerbium (vtrũque enim משל ſignificat) & fabula eſſet, & potantib' materia carminum, quibus ebrii ſeſe oblectarent. Aliàs dixi שכר Hebræis quibuſdam credi vinum meracius ita fuiſſe dictum. ego putarim, potum quem cõficiunt in hac regione ex pomis palmarũ, hoc nomine vocatũ. Nã ex his quæ cariotas vocãt, ſunt præcipua vina Orienti, vt ait Plinius lib. 13. Quo minus mirandũ, quòd Mahometani hũc potũ vino prætulerint. Hactenꝰ de ſtudio ſuo in religionẽ & Deum quo flagrabat, & ſibi apud impios tãta mala conſciuit, cecinit. Cauſam autẽ cur impii tam infenſi infeſtique ſibi ob pietatis ſtudiũ fuerint, exprimit verſu 10. ardens enim illud erat adeò vt exederet ipſum: quæq; in Deũ admittebãtur, grauius quàm in ſe ipſum admiſſa ferret: quia Deũ vt par erat plus quàm ſeipſum, amabat, inde veniebat. Hoc Dei ſtudiũ vt in Chriſto ſummũ fuit: ita de ipſo hunc verſum propriè dictũ Apoſtoli agnouerunt, quum zeli quẽ depellẽdis templo venditoribus atque nũmulariis demonſtrauerat, à reſurrectione eius recordarẽtur, Iohã. 2. c. 17. Nec inſcitè & Paulꝰ Rom. 15. a. 3, alterã verſus huius particulã in Chriſtũ cõpetere voluit, cupiẽs eiꝰ exẽplũ in hoc cõmendare, ne nobis ipſis, ſed aliis in bonũ placere ſtuderemus, quãdo Seruator, quẽ vnũ in omnibꝰ imitari debemꝰ, ita gloriæ Dei ſtuduit vt eius tãtùm nomine opprobria tulerit, nec alia quàm quæ in Deũ iacerẽtur, ſua duxerit. Inuitat autẽ me & D. Pauli citatio, & quæ ſequũtur, vt putẽ Vatẽ hac particula, Opprobria opprobrãtiũ tibi ceciderũt in me, memorare ſic ſibi opprobria in Deũ iacta, hoc eſt dicta & facta gloriæ

Dei derogantia doluiſſe, vt pro eis tanquam à ſeipſo commiſſis, ſeſe humiliarit, defleuerit ea, & ieiunio affligens ſe, ſaccóque animi doloré teſtatus, irã Dei in alios hæc admittentes placare ſtuduerit. In hoc enim Paul', vt hortetur fortiores infirmiorum imbecillitatem ferre, Chriſti exẽplum ex hoc loco adduxit: volens vtique monere, vt ſicut Seruator opprobria opprobrantium Deo tulit, ita & nos fratrũ peccata feramus, tam longè ab eo futuri vt illos propter peccata abiiciamus, vt quantum in nobis eſſe poſſit, etiam ſatiſfacere, & lugere pro illorum commiſſis ſtudeamus. Sic ſanè & Dauid Pſalmo 35.b.13, meminit ſe pro inimicis ſuis luxiſſe, & cum ieiunio pro illorum ſalute eſſe precatum. Illic etiam in verſu 13, de ratione qua veteres ieiunabant, quædam dixi. Paulus item de ſe Corinthiis teſtatur, ſe pro quibuſdam ex illis humiliatum fuiſſe, atque luxiſſe: vereríque illorum peccatis ita exigentibus, pro quibus ipſi nullam pœnitentiam agerent, ſe rurſus quum ad eos veniat, ita humiliandum, id eſt ieiunio affligẽdum, atque luctui dedẽdum fore. Siue autem pro ipſis impiis, ſiue ex dolore propter violatum nomen Dei, & ſua liberatione hìc vir Dei fleuerit, ieiunarit, ſaccóq; ſe veſtierit, id probro ei impii verterunt, & parabolam de eo, fabulam, & carmen iactarunt, cum in publicis conuentibus ſuis, quos habebant in portis, de quo in verſu 15 Pſalmi 9, tum & compotationibus. Talem gratiam referunt impii; & ſic excipiunt zelum Sanctorum pro Dei gloria. 2.Corint.12.g.21.

14 *Et ego, oratio mea tibi ô Iehouah, tempore beneuolentiæ, ô Deus: in magnitudine bonitatis tuæ: reſponde mihi in veritate ſalutis tuæ.* Hoc eſt, Dum me irriderent, & ludibrio haberẽt, ego interim precem meam ad te intendebam indeſinenter. Eclipſis hìc affectum indicat. Tẽpus beneuolentiæ quod captabat, tempus intellexit quo Dominus ipſum exaudiret, eo ſuam beneuolentiam declaraturus. Veritatẽ ſalutis, certã ſolidámque ſalutẽ dicit, quam ex auxilii Dei bonitate vt ſtabat, ita & precabatur.

15 *Eripe me de luto, & ne demergar: eripiar ab odientibus me & de aquis profundis.*

16 *Ne obruat me fluxus aquarum, & ne abſorbeat me profundum, & ne obfirmet ſuper me puteus os ſuum.* Deprecatur hiſce verſibus ea, de quibus ſecundo & tertio queſtus eſt, iiſdem propè vſus tranſlationibus quas ſuprà & aliàs explicauimus: ipſéque hìc quoque explicauit, quum interpoſuit, *Ab odientibus me.* Hi ſiquidem lutum, aquarum fluxus, & profundum, vnde orat eripi, fuere.

17 *Reſponde mihi ô Iehouah, quia bona benignitas tua, ſecundum amplitudinem humanitatis tuæ reſpice ad me.* Cõſolatur ſe ab effuſiſſima Dei bonitate, & *φιλανθρωπίας*, id eſt humanitate. id enim ſignificat [illegible], de quo in verſu 3 Pſalmi 51: hac enim Sancti vnicè in precibus ſuis nituntur.

18 *Et ne abſcondas faciem tuam à ſeruo tuo, quia anguſtia mihi, properè reſponde mihi.* Conſolatur ſe, quòd ſeruus Dei eſſet, ſibi de ſtudio ipſi viuẽdi conſcius. hinc enim videbat ſe non poſſe in anguſtia deſeri, quæ iam vt ad ſummũ venerat, ita rectè ſperabat illam termino proximè acceſſiſſe. Nã nihil Sancti orant, quod non idem inſtincti à Spiritu Dei, bona ſpe à Domino ſibi expectent.

19 *Appropinqua animæ meæ, redime eam, propter inimicos meos redime me.*

20 *Tu noſti opprobrium meum, & confuſionem meam & ignominiam meam, coram te omnes coarctatores mei.* Cõſolatur ſe ab hoſtiũ atrocitate quæ eò peruenerat, vt nõ minus ipſi Deo, quàm ſancto Domini ſeruo ferri poſſet. Hinc aiebat, *Tu noſti opprobrium meum, & cuncti coarctatores mei corã te.* Dum enim fidẽ ſuã Sãctus firmauerat, Deum quæ patiebatur videre & noſſe, de liberatione diffidere iã non potuit.

21 *Opprobrium fregerat cor meũ, & affectabar, & expectabã conſolationẽ, & non [erat:] & cõſolantes, & nõ inueni.*

22 *Et dederunt in cibum meum fel, & in ſiti mea potarunt me aceto.* Memorat opprobrium, vtique Diuini nominis (nullum enim aliud eum vrebat) cor ſuum fregiſſe, ſéq; in ſummo dolore, nullã prorſus conſolationem à quoquam percepiſſe, quanlibet expectatam, & quæſitam. Neque ſolùm omni ſe cõſolatione fuiſſe deſtitutum, ſed à quibus conſolationem debuiſſet iure accipere, ab iis fuiſſe magis afflictum, vt ſiquis eſurienti amara vt fel, & ſitienti acetum præberet. Domino autem etiam re ipſa ſitienti, acetum propinatum fuit, præter id quod pro conſolatione conuitia ab omnibus ferè accepit. Iure igitur hic locus impletus in ipſo, ab Euangeliſta dicitur.. Matth.27.f.48.

23 *Sit menſa illorum coram eis in laqueum, & pacifici in tendiculam.* Veros hoſtes Sancti non agnoſcunt niſi deploratè malos & æternos hoſtes Dei. His iuſtum Dei iudicium imprecando, ſimul prædicũt. De quo in tractatu de precatione, enarrationi Pſalmi 5 ſubiecto, item Pſalmo 6 ſub finem, verſu 12, Pſalmo 10, verſu 4, Pſalmo 28, & in Pſalmo 35, ac alibi. Tales iam fuerũt & quos hìc deuouet. Ipſi bene merito, eóque iure ab eis beneficia expectanti, quicquid poterant maleficiorũ inferebant. imprecatur ergo eis, vt & ipſis vnde optata ſibi quærerent, perniciem accipiant. Id per allegoriam dicit, quum optat mẽſam eorum eis in laqueum fore, vt ibi capiantur in exitiũ vnde delicias ſibi petendas putabant. Simplicius idem dicit, quum precatur vt amici & pacifici eorum ſint eis pro tendiculis.

24 *Obtenebra oculos eorum ne videant & lumbos eorum ſemper fac nutare.*

25 *Effunde ſuper eos indignationem tuam, & feruor iræ tuæ apprehendat eos.*

tos,haudquaquam negligere.Similia habet verſus viceſimusſeptimus Pſalmi 22.

35 *Laudabunt eum cæli & terra,maria,& omne in his reptans.* Hac hyperbole,qua gaudium hoc tribuit cælis,terræ, maribus,& rebus omnibus quæ his continentur,de regno Chriſti vaticinatus eſt, in quo Euangelium vbique prædicatum effecit, vt propiore facta vitæ futuræ immortalitate, ſuo modo filiis Dei congaudeat tota creatura:ſicut & ea congemiſcit, propter id quòd adhuc corru- Rom.8.d.22.
ptio illos premit.Similem hyperbolem habet & Pſalmus 96.c.11.

36 *Nam Deus ſeruabit Sion,& extruet ciuitates Iehudah,& habitabunt ibi & hereditabunt eam.*

37 *Et ſemen ſeruorum eius hereditabunt eam:& diligentes nomen eius habebunt in ea ſedem[ſuam.]* Hi duo verſus Eccleſiæ inſtaurationem prædicunt planius: ea enim vera eſt Siion, Ieruſalem, & Iehudah: de quo & in Pſalmo 22, ſub finem, item in Pſalmo 48,& in verſu 20 Pſalmi quinquageſimi primi.Germani ſerui Dei,verè credentes ſunt:horũ ſemen & poſteri, qui eandem fidem colunt. Terra his hæreditaria,viuere ex fide Dei,quæ quodlibet deſertum,paradiſum reddit,& omnia Sanctorum imperio & vſui ſubiicit,facitque bono eſſe vniuerſa. Hæc per adflictiones vt in Chriſto,ita & Chriſtianis omnibus indicibili ſucceſſu promouentur. De terræ & rerum omnium poſſeſſione dictum & in verſum tertium Pſalmi 21:multa quoque in Pſalmum 37.

PSALMVS LXX, χειμαστικὸς καὶ ἀκτικός.

Orat ſibi celerem opem,hoſtibus ultionem,gaudium ex ſua ſalute Sanctus. ARGVM.

1 PRæſuli Dauidis ad memorandum. PARAP.
2 Deus,vt me liberes:ô Iehouah,vt me iuues,propera.
3 Pudore & probro afficiantur qui vitæ meæ inſidiantur: agantur retro, & ignominiæ pateant qui malis meis oblectantur.
4 Repellantur propterea quòd pudefacere me conabantur illi qui dicebant, Vah,vah.
5 Gaudeant & lætentur de te quicunque te inquirunt:& qui amant abs te iuuari,dicant,Semper extollatur Deus.
6 Et ego adflictus ſum & inops,ô Deus propera ad me,adiutor & ereptor meus tu es,Iehouah ne moreris.

EXPLANATIO.

AD verbum propè omnia reddita ſunt:vnde alteram verſionem adiicere viſum eſt superuacaneũ.Pſalmo triceſimoquinto,à verſu 23:& quadrageſimo Pſalmo,à 14 verſu,ferè ad verbum eadem quæ hìc,habentur: ſed & Pſalmo ſexto,ac aliis multis ſimilia Pſaltes cecinit. Hoſtes non tam ſuos,quàm Dei,à peruerſis conatibus ſuis contra innocentes orat depelli,ac inde opprobrio affici,vnde pietati via munita,& Domini gloria illuſtrata: Sancti, qui nihil prius cupiunt, quàm Dei nomen ſanctificari,gaudio & lætitia perfunderentur. Periculum vrgebat: igitur accelerare Deum auxilium precatur.

PSALMVS LXXI, ἀκτικός.

Communis argumenti Pſalmus eſt, quo memorat quemadmodum in periculo, ut creditur, coniurationis Abeſchalomicæ,opem contra coniuratos orauerit:& à Domino,qui ſicuti à puero ipſum ſeruarat,ita nec in ſenecta erat deſerturus,conſolatus,vota laudis ipſi nuncuparit. ARGVM.

1 IN te Iehouah præſidium meum collocaui,ne ſinas vnquam me pudefieri. PARAP.
2 Pro iuſtitia tua libera me:& eripe me,inclina ad me aurem tuam,& ſerua me.
3 Sis mihi vice rupis fortis in qua me contineam, quam ſemper adire liceat: curaſti hactenus vt me ſeruares,nam petra mea & arx mea es tu.
4 Deus mi,eripe me de manu improbi,de vola praui & violenti:
5 Tu enim es à quo pendeo,Domine Iehouah tu is es quo à puero nitor.
6 Tu me ſuſtentas ab vtero, tu me de ventre matris meæ extraxiſti, de te laus mea iugiter.
7 Factus ſum ceu portentum multis:at tu es tutela mea prævalida.
8 Replebitur adhuc os meum laude tua, quotidie extollet ſplendorem tuum.
9 Ne abiicias me in ſenecta,quum defecerit virtus mea ne me deſeras.
10 Nam inter ſe de me loquuti ſunt, quíque inſidiantur animæ meæ vnà conſultarunt.

11 Et dixerunt, Deus deſeruit eum: perſequimini, apprehendetis eum: nec enim erit qui eripiat.

12 Deus ne ſis à me procul, Deus mi, vt me adiuues propera.

13 Afficiantur pudore, pereant, qui vitæ meæ aduerſantur, obtegantur probro & ignominia, qui, quo mihi incommodetur, ſoliciti ſunt.

14 At ego opem tuam præſtolabor, & omnibus tuis laudibus adiiciam.

15 Os meum memorabit iuſtitiam tuam, quotidie opem quam tu præſtas: neque enim noui beneficiorum tuorum numerum.

16 Fretus fortitudine Domini Iehouæ veniam, memor ero iuſtitiæ tuæ ſolius.

17 Deus à puero inſtituiſti me, & vſque in præſés deprædico mira facinora tua.

18 Vtique & in ſenectam vſque & canos, Deus, haudquaquam me deſeres, donec prædicem virtutem tuam generationi præſenti, fortitudinem tuam omni poſteritari.

19 Certè eminet in ſublime vſque tua iuſtitia, ingentia ſunt quæ patraſti, ecquis tibi ſimilis?

20 Qui adflictiones magnas & difficiles experiri me feciſti, reſtituiſti autem & recreaſti me: ex abyſſis terræ reſtituiſti, & ſubduxiſti me.

21 Augebis dignitatem meam: nam rurſum placatus, conſolaberis me.

22 Et ego celebrabo te organo fidium, fidem tuam Deus mi, canã tibi cithara, Sancte Iiſrael.

23 Ouabunt labia mea: nam canam tibi, & anima mea quam redemiſti.

24 Et lingua mea quotidie de tua iuſtitia loquetur: quia pudore & probro afficientur, qui quo mihi incommodetur ſoliciti ſunt.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *IN te Iehouah confiſus ſum, ne pudefiam in ſempiternum.*

2 *In iuſtitia tua libera me & eripe me, inclina ad me aurem tuam, & ſerua me.*

3 *Sis mihi in rupem roboris ad ueniendum ſemper, mandaſti ad ſeruandum me: quia petra mea, & arx mea tu.* Deſcribuntur his verſibus affectus animi ex periculo anxii, & ſedulò tamen ſeſe in ſpem bonam erigentis. Anxietatem oſtendunt ardentes inuocationum geminationes: conatum ſuffulciendæ ſpei declarat memoratione diuinæ bonitatis, quæ à puero ſibi ſemper præſto fuerit, & adhuc vigentis in Deum fiduciæ. Verſus tres priores explicati ſunt ab initio Pſalmi 31. Vnum in tertio hic verſu adiicitur, *Ad ueniendum ſemper*. Sunt nanque arces quædam firmæ ſatis, vt tueantur qui in eam venerint: at non patent ſemper adeuntibus. Quo ergo augeat quam à Domino ſibi tutelam polliceretur, comparat ipſum arci & tutiſſimæ, & aditu facili, in quã ſemper cõfugere liceat.

4 *Deus mi eripe me de manu improbi, de uola peruerſi & uiolenti.* Vel peculiariter Abeſchalomum aut Achitophelum notat: vel poſuit ſingulare pro plurali.

5 *Quia tu expectatio mea Domine Iehouah fiducia mea à iuuentute mea.*

6 *Super te ſuſtentatus ſum ab utero, è uiſceribus matris meæ tu extractor meus, in te laus mea ſemper.* Eadem habent verſu 10 & 11 Pſalmi 22, vbi hæc quoque explicaui. Verè enim laudãdi Dei materiam, vt & à bonitate eius firmiter pendendi, habebit ampliſſimam quiſquis Diuinæ bonitatis circa ſe, adhuc in vtero materno delitescentem, & inde à materna adhuc cura pendentem, miracula diligenter conſiderauerit. Et quicquid animo à Domino expectauerit quiſque, vtcunque ipſo fidat, nemo non vt ſeipſum, ita omnia alia à Domini bonitate accipiet à puero vſque.

7 *Velut portentum factus ſum multis & tu protectio mea robuſta.*

8 *Implebitur os meum laude tua, quotidie decore tuo.* Queritur ſe velut portentum multis factum, propterea quòd à Deo videretur iam planè deſtitutus, à quo fuerat inde à puero, tam præclarè ſemper adiutus. Vt autem opis Diuinæ imploratio mirificè ſemper erigit, ilico confirmans ſeſe ſubiecit, *At tu protectio mea præualida*. Et, *implebitur os meum laude*, hoc eſt erit adhuc vt te pleno ore laudem, & magnificentiam bonitatis tuæ copioſè deprædicem.

9 *Ne proiicias me tempore ſenectutis, quum defecerit uirtus mea ne deſeras me.* Ex eo quòd ſecum reputaſſet vti à Domino formatus eſſet in vtero, eius bonitate inde extractus & in lucem editus: atque vſque

in eam,qua tum erat,ætatem à puero alitus,fotus & defenſus, confirmatus ſancta fiducia, rurſus precatur,& quidem animo iam pacatiore,& ſpe alacriore,vt & ſeni ſibi, viribúſque imbecilliori adſit,qui ſibi inde à materno vtero benignè adeò ſemper adfuiſſet.

10 *Nam dixerunt inimici mei mihi,& obſeruantes animam meam conſultarunt pariter,*

11 *Dicendo,Deus deſeruit eum,perſequimini,& comprehendetis eum:nam non [eſt]ereptor.* Illud, *Dixerunt mihi,* idem eſt atque De me cogitarunt:id quod ſequenti particula exprimit.Quúmque ob celebrē ſancti innocentiam,Deus vulgò crederetur illius præſidium & defenſor,impii conabantur hāc ſuis opinionem eximere & perſuadere:illum à Domino deſertum,eóque fore,ſi eum perſequerentur, etiam capturum, & voti ſui aduerſus eum futuros compotes. Id quum certò Sanctus ſciret falſum,erat ei confortationi iſtud ſecum reputaſſe:orat igitur deinceps,

12 *Deus,ne elongeris à me:Deus meus in auxilium meum propera.*

13 *Pudefiant,conſumantur aduerſarij animæ meæ,induantur probro & ignominia qui quærunt malum mihi.* Neque enim moram nectere Deus potuit,quum impii conarentur perſuadere à Deo deſeri, qui in ipſum certa fide, & ſyncero animo confidunt,qualis hic ſanctus erat. Solida igitur fiducia orat,diuerſum atque ſibi impii iſti pollicebantur,euenire:vt pudefacti,documēto eſſent,timentes Deum vt ab eo non poſſe deſeri,ita omnibus eſſe ſacroſanctos atque inuiolabiles.De hoc impiorum telo dixi in verſum 3 Pſalmi 3.

14 *Et ego ſemper expectabo,& adijciam ad cunctas laudes tuas:*

15 *Os meum enarrabit iuſtitiam tuam,quotidie ſalutem tuam, quia non noui numeros.* Spem firmatam canit, & vota laudis.hinc ait, *At ego ſemper expectabo,* noua ſcilicet bonitatis tuæ beneficia, vt ſit quod cunctis laudibus tuis,quas ob accepta pridem beneficia tibi debeo, innumeras ſemper adiiciam : His rectè ſubiunxit, *Memorabit os meum iuſtitiam tuam , & quam fert ſalutem quotidie* : quotidie enim illa fruor, & cumulatè adeò,vt numerum, ſubaudi laudum tuarum,ignorem. Hîc Græca verſio habet γραμματείας: Latina,literaturam,ſed ad quem quæſo ſenſum?

16 *Veniam in uirtutibus Domini Iehouah,memor ero iuſtitiæ tuæ ſolius.*

17 *Deus docuit me à iuuentute mea,& uſque huc adnuntio mirabilia tua*

18 *Et etiam uſque ad ſenectutem & canos,Deus ne deſeras me,donec adnuntiem brachium tuum generationi:omni [qui] uenturus,uirtutem tuam.* Fretus bonitate Domini hactenus mala cuncta euaſerat,& porrò igitur in virtute eius venturum, id eſt nixum ea,omnia tentaturum&geſturum profitetur, hánque ſolam inuocaturum. Nam hîc *meminiſſe,* ita vt verſu 8 Pſalmi 20, accipitur, Hi in curribus , illi in equis fidebant,nos autem nominis Iehouæ Dei noſtri memores eramus: id eſt nomen eius inuocabamus.Hæc verò memoria ſuggerebat quæ ſequuntur,nempe vt certò ſibi perſuaderet, Deum qui à puero eo fauore ſibi ſemper adfuiſſet, & ad omnia ita inſtituiſſet vt nunquam defuiſſet,vnde ipſi gratias,laudéſque caneret : ſic & in præſenti ſibi periculo, & porrò quoque in ſenium vſque, atque vltimos canos adfuturum, vt cauſam materiámque habeat & præſenti & futuræ generationi brachium,hoc eſt robur ac virtutem eius deprædicandi : tum & iuſtitiam eius exaltandi , qua ei libuit,tam ingentia ſibi præſtare.

19 *Et iuſtitia tua ô Deus uſque [in]ſublime eminet,quæ feciſti magna[ſunt,]Deus quis ſicut tu?* Quā præmiſit diuinæ erga ſe bonitatis recordationem,ea hanc velut exclamationem ex flagranti eiuſdem admiratióne,gratique animi affectione natam,expreſſit. Idem autem eſt quod priore verſus particula exclamat,cū illo Pſalmi 108.a.5,Magna eſt ſuper cælos bonitas tua,& vſque ad nubes veritas tua: Intelligit enim immenſam quæ cuncta non celſitudine modò, ſed & latitudine, longitudine & profunditate excedat.Quam amplitudinem & immenſitatem Paulus cognoſci ab Epheſiis tam obnixè orat,vt ab hac certè cognitione tota ſalus noſtra pēdeat,& cūcta excedat. Altera particula verſus idem apertius dicit,Ingentia ſunt quæ patraſti , ecquis ſicut tu ? Nemo enim vſpiam tā ingentia,tam æqua,tam ſalutaria perficere poteſt:quis tibi conferendus,non potentia ſolùm,ſed multo magis iuſtitia,id eſt abſolutiſſima bonitate? Porrò quum verſus hic ſubobſcurus ſit , ſunt qui eum cum עד,id eſt donec,in verſu præcedenti coniungendum putent,vt intelligas,Deus non deſeres me,donec fortitudinem tuam præſenti & futuræ generationi prædicem,& iuſtitiam tuā in ſublime,ſubaudi,feram,qui feciſti magna,vtique me à puero ducendo,fouendo, ſeruando,extollendo.Bonitatis Dei erga ſe facinora hîc ſummatim complexus eſt.

20 *Qui oſtendiſti mihi aduerſa magna,& acerba,reſtituiſti,uiuificaſti me,de abyſſis terræ reſtituiſti,reuocaſti me.*

21 *Auxiſti amplitudinem meam,& reſtituiſti conſolationes mihi.* *Oſtendiſti mihi,* hoc eſt feciſti experiri afflictiones multas & difficiles,contra quem,filium,primores regni,& totū populum cōcitaſti , *ſed reſtituiſti iterum & uiuificaſti me,* hoc eſt recreaſti & exhilaraſti. Sic enim vtuntur Ebræi verbo hoc חיה, quod aliàs viuificare ſignificat.Hæc verò ipſa mala,abyſſos terræ, id eſt altiſſimas profunditates vocat:quia emergere ab illis, humanis viribus nunquā potuiſſet. Similis metaphora Pſalmo 130,

a.1, De profundis clamaui. Non ſolùm autem reſtituendum ſe, ſed ampliore etiam dignitate augendum, canit verſu ſequenti,

22 *Etiam ego celebrabo te, in organo fidium ueritatem tuam, Deus mi pſallam tibi in cithara, ô ſancte Iiſrael.*

23 *Ouabunt labia mea, quia pſallam tibi, & anima mea quam redemiſti:*

24 *Etiam lingua mea meditabatur quotidie iuſtitiam tuam, quia pudefient, quia probro afficientur inquirentes malum meum.* Memorat quantum ardeat Dei in ſe bonitatem prædicare: vnde & organorum muſicorum meminit. de quorum vſu dixi in verſum ſecundum Pſalmi 35. Cauſam huius ardoris reddit verſu 23, *Et anima mea quam redemiſti*: toties ſiquidem à morte illam Deus redemerat. Iure igitur ſummo ſtudio gratias acturum ſe perpetuò, noménque Dei celebraturum profitetur. Geminatio illa, *Quia pudefient, quia probro afficientur*, affectum gaudii ardentiorem exprimit, de fruſtratis ſuo conatu, atque ideo pudefactis impiis hoſtibus.

PSALMVS LXXII, εὐχαστικός.

ARGVM. *Orat aduenire regnum Dei per Chriſtum: & uaticinatur de regni huius amplitudine, æquitate, fœlicitate & diuturnitate: omnia autem ſub typo regni Schlomonici.*

PARAP.

1 SChlomonis. Da Deus Regi tua gubernacula: da filio Regis tuam iuſtitiam.

2 Diſcéptabit populo ex iuſtitia, & adflictis tuis ex æquitate.

3 Montes ferent populo pacem, & colles iuſtitiam.

4 Vindicabit adflictos populi: ſeruabit pauperes, & retundet calumniatorem.

5 Colent te, dum ſol & luna lucebunt in omne æuum.

6 Habet inſtar imbris in reſectum pratum deſcendentis, pluuiæ ſenſim terrã rigantis.

7 Florebunt ipſo regnante iuſti, multáque pax erit, dum fuerit luna.

8 Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos terræ.

9 Coram ipſo procumbent accolæ deſerti: & inimici eius proſtrati, puluerem lingent.

10 Reges Tarſchis & inſularum munus reddent: Reges Scheba & Seba honoraria offerent.

11 Supplicabunt ei cuncti reges: cunctæ gentes ſeruient ei:

12 Nam liberabit pauperem ad ſe clamantem, & adflictum cui deeſt adiutor.

13 Pauperum & inopum miſerebitur, & animas pauperum ſeruabit,

14 Redimet animas eorum à fraude & violentia: & pretioſum habebit ſanguinem eorum.

15 Viuet, & dabitur illi de auro Scheba: bene illi ſemper precabuntur, & prædicabunt eum.

16 Prouenient è pugillo frumenti quod in terra, ac etiam in ſummis montibus ſeritur, tantæ ſegetes, vt tanquam arbores in Libano agitari videantur: è ciuitate prodibunt, velut herba vernantes.

17 Nomen eius celebrabitur in ſeculum: nomen eius dum ſol iſte luxerit, perẽnabit: eo ſe fœlices iactabunt, cunctæ illum gentes prædicabunt beatum.

18 Laudetur Iehouah Deus, Deus Iiſrael, qui mira edit facinora ſolus.

16 Laudetur nomen decoris eius, decore eius repleatur omnis terra. Amen & Amen.

20 Finem habent precationes Dauidis filii Iiſchai.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 S*chlomonis. Deus iudicia tua Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis.* Propterea quòd poſt finem Pſalmi huius legitur Finem habent precationes Dauidis, quidam putant eum à Dauide eſſe compoſitum, vt in quo pro filio Schlomone ſit vltimùm precatus, & ſimul de regni eius, & ſub eius typo, regni Chriſti ſucceſſu ac fœlicitate vaticinatus. Inde לשלמה pro Solomone interpretantur. Me verſiculus ille non adeò mouet. Poteſt enim ſubiectus eſſe, vt indicaretur, hæc quæ Pſalmus cõ-

tinet, fuiſſe vltima Dauidis vota, etiamſi Odam hanc Schlomoh conſcripſerit, & in ea patris vota populo cantanda dictarit. Deinde nec id magni mihi momenti habetur, quòd precationem Pſalmus continet pro Solomone. neque enim indignũ fuiſſet ſancto Rege, dictare quid pro ſe populus oraret, quum Regis ſalus, ſalus populi exiſtat. Id ſanè feciſſe Dauidem in viceſimo Pſalmo nihil dubitârim. Sed mittamus incerta. Quiſquis Pſalmum hunc conſcripſerit, Spiritus ſanctus author eſt: quare potius quæ in eo canuntur expendamus. Primo verſu, ſacer populus orat aduentum regni Dei. iudicia enim Dei eius gubernacula ſunt, & rectæ moderandi homines rationes, nec aliud eſt iuſtitia eius. Hæc Solomoni Deus hactenus dedit, quatenus ſuo illum Spiritu in adminiſtrando regno, duxit. Chriſto autem fuere, & ſunt conſummata, qui Spiritu Patris ſic donatus eſt, vt de plenitudine eius cuncti accipiant. Huic quoque dedit Pater omnium in cælo & terra poteſtatem, eámque vt æternùm beet quoſcunque ei tradiderit: denique facere iudiciũ omnium. Huic vni datum nomen & poteſtas eſt, vt qui ipſi ſeſe conſecrant, ii in hoc ſeculo vitæ beatæ & ſempiternæ arrham, Spiritum ſcilicet filiorum, & in futuro reſtituti in vitam immortalem, re ipſa, ex reuelata Dei contemplatione, inexplicabilem fœlicitatem percipiãt. Proinde etſi Dei populus, hîc Solomoni quoque iudicia & iuſtitiam Dei, id eſt Spiritum & virtutem, dextrè & fœliciter regnum adminiſtrandi orarit, attamen quum temporariũ & vmbratile fuerit, quidquid per Solomonem præſtari potuit, præcipuè pro Chriſti regno precati ſunt. huic nanque verè ſua iudicia, & ſuam iuſtitiam Pater dedit, quando ei dedit nihil loqui, aut facere, quod non ipſe per eum Pater & loqueretur, & faceret. Hinc & quæ ſequuntur ipſi vni competunt, Rom. 8. d. 12.

2 *Diſceptabit populo tuo in iuſtitia, & adflictis tuis in iudicio.* Id eſt æquiſſimo iuſtitiæ æquilibrio. Hoc quum præcipuum iuſti Regis officium ſit, & ab vno Chriſto præſtetur, omnibus aliis regibus aut laruas regum exhibentibus, aut ſiquid huius præſtant, à Chriſto mutuantibus: hic Pſalmus id Deo quinque verſibus canit: hoc 2, 4, 12, 13 & 14. Etenim eoſdẽ dicit adflictos, pauperes, & inopes, qui nimirum à malis hominibus adfliguntur. Idem quoque eſt, diſceptare eis, vindicare eos, redimere, ſeruare: cui ideo Seruator totus incumbit, quòd charos illos habeat, & magno ipſos affectu complectatur. Hi ipſi electi ſunt, & verè Dei populus, pro quibus ſolis deceat iuſtum regẽ poteſtatem ſuam exercere. Nam quicunque ex horum numero non ſunt, vt ſeſe tantùm amant, ita perpetuò in alios iniurii ſunt, eóque à iuſto Rege non ſeruandi, non vindicandi, ſed reprimendi, & tandem delendi. Iam Regis hæc prima laus, vt & proprium munus, defendere innocuos, ſeruare à malis oppreſſos. hoc ſic præſtat ſuis Rex Chriſtus, vt nihil prorſus eis queat nocumento eſſe, ſed ſint bono quæcunque acciderint. Deinde exiguo tempore, carne adflictos, beata immortalitate donat: iniurios autem, & innocentium oppreſſores retundit, gehennæ addictos, de quo canit verſus 4: in quo *filios pauperum*, pro pauperibus, more Hebræo dixit. Vt autem ad hunc modum regnum adminiſtrare, eſt Dei iudicia & iuſtitiam exercere: ita idipſum omnia ſecuriſſima pace tranquillat. Ea tamen hîc Sancti in ipſo, non in mundo fruuntur: ſed olim, nec à mundo quidem erit quod affligat. De hac pacis amplitudine canit verſus tertius, Quomodo iudicia ſua Deus Regi dat. Quomodo vindicat ſuos Chriſtus.

3 *Montes ferent pacem populo, & colles iuſtitiam.* Hoc eſt, ſicut montes & colles in annis fertilibus pleni ſolent eſſe frugibus: ita omnia vndique pacem exhibebunt & iuſtitiam, piis ſcilicet hominibus omnia occupantibus & moderantibus. Huius typus, regnante Solomone in eo refulſit, quòd pace altiſſima & fœlici, cum omnimoda rerum abundantia populus fruebatur. At tum verè cuncti montes & colles, velut fructus ſuos, pacem tulerunt & iuſtitiam, quando prædicatum omni creaturæ Euangelium, fructum vbique protulit, vt veram dilectionem, ita & iuſtitiam atque pacem. de quo Paulus ſuo iam tempore gloriatus eſt.

4 *Iudicabit adflictos populi, ſeruabit filios inopis, iniurium percutiet.* Hæc cauſa pacis eſt, dum nimirum adſeruntur oppreſſi, & retunduntur oppreſſores. Id quod proprium boni principis officium eſt, punire malos, defendere innocuos. Ex eodem & illud venit, quod canit quinto verſu.

5 *Timebunt te cum ſole, & coram luna [in] generationem generationum.* Vt ſanè Deus æternus eſt, ita diuturna eſſe oportet quæcunque ſunt diuina. Proinde quum hoc de quo canit regnũ, Dei regnum ſit, in quo verè arcentur mali, defenduntur boni, commodùm & ſempiternum fore canit. Nam illud *cum ſole*, idem eſt quod, quandiu ſol lucebit: idem eſt & לפני ירח, id eſt *coram luna*, vel præſente luna. Sic quoque habent, qui per Chriſtum ſemel Deo fuerint verè adducti, vt æternùm illum colãt & obſeruent.

6 *Deſcendet ſicut pluuia in reſectum pratum, ſicut imber tempeſtiuus rigat terram.* Vt rebus humanis nihil poteſt aduenire optatius, nihil quod fructum veræ iuſtitiæ tantopere prouenire faciat: ita aſſimilat nunc appoſitè illud pluuiæ deſcendenti in detonſum & demeſſum pratum, qua illud rigatũ, rurſus herbam producit, quáque & reliqua terra humectatur & fœcundatur: quo nihil eſt mortalibus gratius. In hac verò ſimilitudine perſtans, ſubiicit,

7 *Florebit in diebus eius iuſtus, & multum pacis uſque dum luna non ſit.* Hoc verò eſt, Vndique iuſti venient, & ab illis omnimoda & ſempiterna pax: filii enim pacis ſunt. Porrò vel ex hac ſola particula quæ hic ſubiuncta eſt, *Eſt multa pax donec fuerit luna*, abundè indicatur, cani hoc loco de regno Chriſti. Pax enim regni Solomonici ſimul cum vita Regis finem accepit, imò adhuc viuenti excitauit Dominus aduerſarios, Hædab AEdomitam, & Iaræbeam filium Nebât, 1.Reg.11.c.14. Cæterùm de pace Solomonis ſic meminit Sacra hiſtoria, Habitabat Iehudah & Iiſrael ſecurè, quiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, à Dã vſque Beerſchaba, omnibus diebus Solomonis. *omnibus diebus*, inquit, quia vſque ſub finem dierum Solomonis hæc pax viguit.

8 *Et dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad fines terræ.* Nunc canit amplitudinem regni Chriſti, potentiã & fœlicitatẽ. *A mari*, inquit, *uſque ad mare*. Hi termini, ſunt Mare rubrũ, & mare Paleſtinæ, flumen Euphrates, & Deſertum magnum. quia enim nullum vaſtius flumen Euphrate Iudæis notum erat, Scriptura illum abſolutè fermè, flumẽ vocat. Hæc regni Solomonis pomœria, 1.Reg.4.b.11, notantur, Dominabatur omnibus trans flumen à Tipſach vſque Gaza: omnibus Regibus trans flumen. In eo autem quòd Solomo ad vltimos vſque promiſſæ terræ terminos regnum obtinuit, Chriſti typum geſſit, cui Pater ſubiecit totum orbem, imò & cælos. Amplitudinem regni, ſequentes verſus magis explicant,

9 *Coram eo curuabunt ſe Siim: & inimici eius limum lingent.* Vltimarum gentium, & incolarũ deſerti, ſummam canit ſubiectionẽ, quam per curuari & limũ lingere (quod proſtratis, oréque terram contingentibus vſu venit) ſignificat. Incuruãdos dicẽs eſſe Siim, & inimicos eius terram lincturos, hoc eſt proſternendos, vt ore terrã contingãt: quanquã & hodie mos ſit Orientalibus, ad teſtãdam ſubiectionẽ quũ Regẽ adeunt, aliquoties terrã corã deoſculari. Siim, incolas terræ ציה, id eſt torridæ & deſertæ, intellexit. Eoſdem & inimicorum nomine ideo notatos puto, quòd Amalekitæ, Midianitæ, & Iſmaelitani, fuerint gentes feræ, & indomitæ: quæ deſerta Arabiæ incolentes, hoſtilibus ſemper incurſionibus Iiſraelitas vexarunt.

10. *Reges Tharſis & inſularum munus afferent: Reges Scheba, & Seba donum offerent.* Canit prolata regni pomœria ad Aquilonem & Meridiem. Tharſis enim Cilicia eſt, vt dixi in verſum octauum Pſalmi 48. Inſulæ vocãtur Cyprus, Creta, Græcia, & alia regna quæ Mare mediterraneum cingens, vel inſulas, vel peninſulas efficit. *Scheba* autem & *Seba*, Arabia fœlix, & vicinæ illi regiones ſunt. Geneſis 10.a.7, legitur סבא fuiſſe filius Chus, filii Cham. Ab hoc ſcribit Ioſephus libro primo Antiquitatum, cap.12, dictos Sabæos, apud quos thus, & omne genus aromatum prouenit: de quibus Strabo libro 16. שבא autem ibidem d.28, legitur fuiſſe nepos Chus ex filio Raemah: ab hoc ſcribit Ioſephus vocatos Sabathæos. Hi ad ſinum Arabicum habitant. Ptolemæus in quarta tabula Africæ, vrbis Sabat meminit: Strabo, portus Seba. Geneſ.25 דדן & שבא memorantur filii Iakſan filii Abrahæ ex Ketura: à quibus fortè his regionibus fuerunt hæc nomina denuò confirmata. De quo quicquid ſit, id ſatis firmis coniectutis liquet, Arabiam fœlicem, & regiones quæ ſub AEgypto, & ad Mare rubrũ ſitæ ſunt, hiſce nominibus ſignificari. שבא & Ieſchaiah 60.a.6, meminit. Quúmque infrà verſu 15, aurum Scheba dicat, & 3.Reg.10, de Regina Scheba ſcriptum ſit quòd ingentem vim aromatum & auri attulerit, non eſt obſcurum fœlicis Arabiæ regionem ita vocatam. Harum itaque regionum opulentiſſimos Reges, canit Pſalmus hic munera Solomoni delaturos, ac ita ſubiectionem teſtaturos. Illud ישיבו ſignificat, eos annua munera tributi vice penſitaturos: id quod & Sacra hiſtoria teſtatur. Verſum hunc, quem vulgata editio ſic habet, Reges Tharſis & inſulæ munera offerent: Reges Arabũ & Saba dona adducent, in feſto Epiphaniæ Domini, Eccleſiaſtici cantandum inſtituerunt, eo quòd illo die memoria agatur quomodo Chriſtùs cœperit manifeſtari, & à Magis fuerit muneribus veneratus: quod vtique præludium fuit huius vaticinii implendi, nempe cunctos Reges & Principes, Chriſtum, vt vnicum Seruatorem, adoraturos. Hinc autem quidam collegerunt Magos illos fuiſſe Arabes, & Sabæos: id quod cum Euãgeliſtæ ſcripto non conuenit, qui ſcribit illos non Reges ſed Magos ab Oriẽte veniſſe. Chryſoſtomus, haud dubiè ex veterum monumentis, Perſas fuiſſe, in eum Euangeliſtæ locum meminit. Sabæa certè & Arabia, quæ eſt in litore ſinus Arabici, Hieroſolymis ſunt à Meridie. Sed de his, quum incerta ſint, non eſt Chriſtiano digladiãdum. Magos ab Oriente veniſſe adoratũ Chriſtum Euangeliſta ſcripſit. Id miraculi ſi perpendat mens Chriſtiana, & conſideret factum in eo vocandarum Gentium præludium: ſatis habebit vt pietatem ſuam inſtauret. Ita qui circa hunc verſum expenderit vt hos Reges ditiſſimos & longinquos Dominus Solomoni ſubiecit, ita Chriſto ſubieciſſe quicquid totus orbis præclarum & præſtans habuerit (quod & ſub finem Pſalmi 22 canitur) vt inde diſcat & ſe totum imperio eius addicere, atque offerre quicquid omnino inſigne habuerit, ante omnia verò animum & cor: is ſatis fructus ex hoc loco percepit, miſſis interim quæ de dubia horum Magorum patria, numero, & dignitate prodita ſunt.

11 *Supplicabunt ei cuncti Reges, omnes gentes ſeruient ei.* Summat quæ per partes iã dixit. Omne ſiquidem genu ſe Chriſto tandem flectere, & omnem linguam illum Dominum confiteri oportet.

12 *Quia liberabit inopem à clamore, & adflictum cui non adiutor:*

13 *Miſerebitur attenuato & inopi, & animas inopum ſeruabit:*

14 *A fraude & violentia redimet animas eorum, & pretioſus ſanguis illorum in oculis eius.* Iterum rationẽ reddit cur omnes gẽtes eſſent Solomonẽ Regem agnituræ. Hæc verò omnia in imagine Chriſto competunt: qui non modò clamantes ad ſe pauperes audit ſemper & eripit, ſed vltrò, quicũque laborant & onerati ſunt, ad ſe inuitat, adeò charos habet, tanto erga eos affectu tenetur. Huius egregium de ſe argumentum dedit, quum viſis turbis ἐσπλαγχνίσθη, id eſt miſericordiæ affectu motus fuit, & verè, vt canit verſu 13, incaluit erga illas, quòd eſſent deſtituti & diſperſi velut oues nõ habentes paſtorem, Matth. 9 d. 36. Hic verè quoque inopes, & ab omnibus deſertos, miſeros & adflictos iuuat, adſerit & ditat, maximique facit ſanguinem illorum iniuſtè fuſum: pro momentaneis enim quas hîc perferunt adflictionibus, vitam donat ſempiternam.

15 *Et viuet, & dabit ei de auro Scheba, & orabit pro eo ſemper: quotidie laudabũt eũ.* *Et viuet, & dabit ei de auro,* &c. Locus hic obſcurior eſt. R. Schlomoh ita interpretatur, Viuet Rex Solomõ, fœlicitérque habebit, & dabit ei, ſubaudi Dominus, de auro Scheba Ab. Ezra autẽ & Kimhi enarrãt ad hunc modũ, Viuet quiſque, ſcilicet pauperũ, huius Regis beneficio: neque viuet ſolùm, ſed & diues erit, dante ei Rege de auro Arabiæ, hoc eſt de immẽſitate diuitiarũ ſuarũ: nã regnãte Solomone ingẽs auri copia erat, & argentũ ceu lapides reputabatur. Enarratio R. Schlomonis hîc viſa eſt ſimplicior: neque videtur tam cõmodè dici daturũ Regẽ pauperibus de auro Scheba, quàm ipſi Regi illud offerendum. Id quod canit verſu 10, & factum narrat Sacra hiſtoria, 1. Reg. 10. c. 15. Canit itaque hic verſus ſtudia omnium gentium in hunc Regem, vt qui vltrò ei, quicquid præſtantiſſimum haberẽt, eſſent oblaturi (ea ſiquidem per aurum Scheba ſignificat) tum Deum quoque pro eius ſalute precaturi, & ipſum certatim laudibus vecturi, ita vt ſolent qui Regem ſuum impenſè colũt & amant. Auget hoc Gentiũ ſtudium, quod ait ſemper pro eo precaturas, & quotidie eum laudaturas. De eo in Sacra hiſtoria, 1. Regum 10. d. 23, ſic legimus, Auctus fuit Rex Solomon diuitiis & ſapientia præ cunctis regibus orbis: omnéſque vbique homines ſtudioſè quærebant videre illum, quo audirent ſapientiam quam Deus in cor illius dederat. Singuli quoque offerebant illi munera ſua, vaſa argentea, vaſa aurea, veſtes & aromata, equos & mulos, idque annis ſingulis. Magna fuit hæc Solomonis dignitas, ingens apud omnes gratia & obſeruantia: ideo vmbram Chriſti prætulit. Hic enim gratioſior & amabilior eſt cunctis, non hominibus modò, ſed & Angelis: eas diuitias enim & eam ſapientiam habet atque largitur, vnde Electis ſempiterna vita & fœlicitas cõſtat, quam ipſe ſcilicet viuit, quáque fruitur propter Patrem, vt inquit Iohan. 6. f. 57. Hinc quicunque eum nouerunt, non aurum ſolùm, ſed & animas ſuas, magna cum voluptate offerunt, orántque ſedulò pro eo, hoc eſt regni eius in cunctis membris ſucceſſu & profectu, atque prædicant quotidie, dum quicquid omnino agunt verbo vel facto, omne id ad illuſtrandam ipſius gloriam inſtituunt.

16 *Et erit pugillus frumenti in terra: in capite montium agitabitur fructus eius ceu Libanus, & egredientur à ciuitate ſicut herba terræ* Canit de terræ fertilitate, regnante hoc Rege. Etenim verſus huius ſimplicior & certior ſenſus videtur, quem reddidi: nam habet nonnihil ambigui. Canere Vates voluit, eam fore ſoli fœcunditatem, vt ex pugillo ſeminis tantæ ſegetes enaſcerentur, atque ſic montes vndique replerent, vt earum à ventis agitatio, quandam Libani, in qua ventis exagitatæ cedri motantur, ſpeciem præ ſe ferrent. Hæc timentibus ſe Dominus promiſerat. Vt igitur prædicit, ſummum fore, hoc Rege rerum habenas moderante, apud omnes Dei timorem: ita conſequens erat vt & beatã rerum abundantiam prædiceret. Ea fuit Solomonis tempore admodũ eximia: de ea enim ſic meminit Sacra hiſtoria, Iehudah & Iiſrael plurimi, velut arena maris erant, edentes, bibentes, & lætãtes, 1. Reg. 4. b. 20. De reliquis opibus, eodem libro, cap. 10. d. 27, Fecit Rex vt argentum Ieruſalem eſſet velut lapides, & cedros dedit tanquam ſycomoros. Argenti enim (vt ibidem paulo ſuperius narratur) nulla erat ratio, tantam vim auri adferebat in triennium nauis Tharſis, hoc eſt maritima, ex Ophir. Vulgata verſio habet hîc, Quæ ibat in Tharſis, ſed falſó. Eſt enim Hebraicè tantùm אני תרשיש, id eſt nauim Tharſis, non in Tharſis, ſed in Ophir Indiæ locũ migraſſe, & ex ſinu Arabico: nam in littore Maris rubri in terra A Edõ ædificatæ erant naues, vt ſcribitur in fine cap. 9. d. 26. Porrò Chriſtianis hæc omnia longè verius eueniunt, quibus nihil poteſt boni deeſſe, & quibus regnum & iuſtitiam Dei quærentibus, quicquid eſt adiicitur. Cæterùm de horum opulentia dictum & in verſu 13 Pſalmi 25, & in Pſalmo 34 verſu 34.

17 *Erit nomen eius in ſeculum, coram ſole nepotabitur nomen eius, & in eo gloriabuntur: omnes gentes beatum illum prædicabunt.* Sempiternitas nominis & virtus ad ſaluandũ, quicunque ei ſeſe dediderint, deinceps canitur. *Coram ſole,* ita dictũ eſt vt verſu 5, *coram luna,* nẽpe pro, præſente Sole, dum Sol extiterit. pa-

idem eſt acſi diceres, nepotabitur, per omnem poſteritatem celebritatem obtinebit. נין enim nepotē ſignificat. Id quod ſequitur, ויתברכו בו, quod alii vertunt, Et benedicentur in eo, idē eſt atque in eo gloriabūtur, ſeſe fœlices iactabūt, ſicut ſanè ex hoc nomine, & per hoc nomē, ſempiternis & cæleſtibus bonis, quicūque in ipſum crediderint, perfruūtur. Idē nāque eſt cum illo, Et benedicētur in ſemine tuo omnes gētes terræ: id eſt per illud verā fœlicitatē cōſequentur. Quanquam
Gen.12.d.18 Kimhi & R. Schlomoh hūc ſenſum adferat, Quicūque ſibi volēt bene precari, precabuntur vt ita ſibi Deus faciat vti Schlomoni, vti ſemini Abrahæ. Sed alia eſt ſeminis huius benedictio quam norūt Electi, & prædicat D. Paulus, Gal. 4. c. aa: nēpe vt Spiritu Dei donati, quæ recta ſunt & cognoſcamus, & ſectemur. Ex hoc ergo loco clarum eſt, Vatem vltra typū in Solomone exhibitū ſeſe extuliſſe. Nam quantum quæſo beneficiorum per Solomonē ad cunctas gentes peruenit? At per Chriſtum ſalus æterna ad vltimos vſque orbis fines vniuerſis allata populis eſt. Sed vt in 2 Pſalmū & 45 dixi, propoſito typo de Chriſto, Vates ſua ſoliti ſunt oracula canere, eóque nunc dicere quædam quæ typo, nunc quæ antitypo propriè competūt. Ita noſter hic, quum ſuperius verſu 8, pomœria regni fecit Mare rubrum & Mediterraneum, Deſertum, & Euphratem: itē quū nominatim reges Arabiæ munera delaturos huic Regi, & precaturos eſſe pro eo, cecinit, propriè Solomonem reſpexit. at quum cecinit, montes pacem, & colles iuſtitiam prolaturos, hoc Rege regnante: item vbique Dei timorem obtenturum, tum nomen huius Regis nullum vnquam finem accepturum, & per ipſum cunctas gentes cæleſti beneficentia afficiendas, nonniſi ſeruatorē noſtrum Chriſtum eſt animo intuitus, quem & vnum cūcti mortales, hoc eſt electi ad vitam ex vniuerſis terræ populis, ſempiternis laudibus celebrant, vt à quo ſolo vitam, & eam immortalem, atque numeris omnibus beatā, percipiunt. Et hæc illa mira facinora ſunt, ob quæ Vates accenſus, tanto cum affectu hic ſubiecit,

18 *Laudandus Iehouah Deus, Deus Iiſrael faciens mirabilia ſolus.* Nihil enim dignū admiratione à crea
turis proficiſcitur: Dei autem opera, præcipuè verò hoc, quòd æternum verbum ſuum carnē fie
ri voluit, eique ita ſua iudicia & iuſtitiam tradidit vt per eam nos planè deos reddat, mirari ſatis
nemo poteſt. Hinc eadem repetens, iterum inquit,
19 *Et laudandum nomen decoris eius in ſeculum, & impleatur decore eius omnis terra. Amen & amen.*
20 *Finiunt preces Dauidis filij Iiſchai.* Verſu 19 omnes inuitat ad agnoſcendum & celebrandum
Deum, & decus ac maieſtatem nominis eius, quod vnum nobis datū ſub cælo eſt, in quo ſaluari
nos oporteat. Idē eſt quod ſubiicit, *Et repleatur omnis terra gloria eius,* hoc eſt, vbique Seruator adore-
tur. Amen & Amen. Verſum vltimū ſic (vt ſuperius dixi) intelligo, nēpe hæc quæ hic Pſalmus ca
nit, vltima fuiſſe Dauidis vota: vt ſcilicet Deus ſua iudicia, & iuſtitiam ſic filio Solomoni & cæte
ris ſuis poſteris daret, quo ex ſententia atque virtute eius, & fœlici ideo ſucceſſu, populi Dei regnū
adminiſtrarēt: tum præcipuè vt mitteret tandem cum cui omnem in cælo & terra poteſtatē tra-
deret: darētque cæleſti Spiritu refingere, & ad æternam vitam formare, atque perducere cunctos
ab ipſo huc deſtinatos: de quo ſimul, vt aliàs, ita & hîc præclarè adeò vaticinatus eſt.

IN TERTIVM HYMNORVM LIBRVM

Præfatio ad pium Lectorem.

EN habes Chriſtiane Lector, librū S. Hymnorum ſecundū, ſuccinctius quàm primū (ita vt pro miſeram) explanatum. Nec ero in reliquis verboſior: tametſi ea inſit his ſanctiſſimis Odis copia, eiuſmodi tranſlationes, aliique tropi, parabolæ, ſimilitudines, epitaſes, amplificationes, ac reliqua orationis ornamenta: tum voculæ vſus rarioris, variáque ſchemata noſtris inſolētia, vt nō pauca iis qui in Sacra lingua atque Scriptura parum ſunt exercitati, explicanda fuſius videantur. Verùm oportet & ſuum libro date modū, & eorū quoque habere rationem qui cupiunt lectionis ſerie, & germana intelligentia indicata breuius, mitti ſe in ſcholam Spiritus ſancti: hoc eſt in ſacratiorem omnium & preſſiorem animi conſiderationem atque expenſionem, qua ſola ritè & cū fructu, quæ Dei ſunt, intelliguntur. Sancti vt ex Deo nati ſunt, ita nonniſi ipſa Dei verba, atque ea ab ipſo Deo, animo, non ab homine, auribus cupiunt exaudire. Conuerſatio ſiquidem eorum, vita & deliciæ in cælis exiſtunt, neque alium quàm cæleſtem agnoſcunt magiſtrum Chriſtum. Et certè inprimis piis optandum, ſic apud nos Dei ſtudium aliquando obtinere, vt obtenturum
Ieſ.19.c.18 illud apud AEgyptios Ieſchaiah prædixit: nēpe vt non quinque tantùm, ſed vniuerſæ vrbes quæ Chriſto nomen dederunt, lingua Chenaan, id eſt Hebræa loquantur, habeántque hanc familiariorē, quàm vt tantis opus ſit explanationibus. Si enim inoffenſè & perſpicuè illico mens in id quod S. ſpiritus dictauit, intendere poſſet, nec remoris incognitæ adhuc linguæ, & phraſeos alienioris, tantopere impediretur, tota illico penſiculandis penitius Dei iudiciis, factiſque, ac eius in his bonitati contemplandæ, propius ſeſe addiceret. vnde tum amore Dei & Seruatoris noſtri accenſa, ad eiuſdem imaginem indies magis ac magis reformaretur, in quo vita æterna & beata ſita eſt. Det Dominus & hac in te, & aliis omnibus ea quibus vera viuáque Dei cognitio promoueri poteſt, ſedulò ſectari. Vale.

LIBER HYMNORVM TERTIVS.

PSALMVS LXXIII, γυμναστικὸς καὶ διδακτικός.

Canit in conſolationem Sanctorum qui fœlicitate impiorum uruntur & offenduntur, quàm infœlicem eo exitum habeat: & rurſus quàm fœlicem, illorum infœlicitas. ARGVM.

1 ODa Aſaphi. Vtique bonus eſt Deus Iiſraeli, iis qui puro ſunt corde. PARAPH.
2 Parum abfuit quin lapſus eſſet pes meus: nihil ferè interfuit quin effuſi
fuiſſent greſſus mei.
3 Vrit me fortuna ſtultorum, & quòd proſperitatem video improborum.
4 Neque enim ad mortem vrgentur, vigent & valent:
5 Nulla eos, vt reliquos mortales, premit moleſtia: malorũ quibus alii homines
afficiuntur, immunes ſunt.
6 Propterea circundedit illos ſuperbia, & ceu veſte amiciuntur violentia:
7 Præ nimia fœlicitate turgent, efferunt ſe cogitationibus cordis:
8 Nullis ſe putant legibus teneri, iactant noxam verſutæ circunuentionis: è
ſublimi loquuntur:
9 Efferunt in cælum os ſuum, lingua eorum peruagatur orbem.
10 Populum ſuum ad ſimilia ſtudia reuocãt, eo quòd plenum aquæ calicem apud
hos hauſturi videantur.
11 Hinc vulgo dicebãt, Quî cognoſceret hæc De⁹? quæ eſſet in Excelſo cognitio?
12 En (inquiunt) illi improbi ſunt, & tamen beati in hoc ſeculo: ingentibus diuitiis
adfluunt.
13 Vtique fruſtra purum ſeruaui cor meum, & lotas ab iniquitate cum innocẽtibus
manus habere ſtudui:
14 Plagáſq; quotidie pertuli, & ſingulis ſolis exortib⁹ caſtigationẽ meã ſuſtinui.
15 Si ita de his loqui cogitauero, en in nationem filiorum tuorũ fuero iniurius.
16 Inſtituebam cogitationem, ſi poſſem hæc cognoſcere: ſed idipſum moleſta
mihi res erat:
17 Donec in ſacratiora Dei adyta venirem, & intelligerem vt poſtremò eſſent
quique habituri.
18 Certè velut in lubrico cõſtituiſti res eorum: deiicies illos vt planè vaſtentur.
19 Vt vaſtati ſunt iſti, ſubitò finẽ acceperunt, abſumpti ſunt euerſione repẽtina.
20 Tanquam ſomnium ſunt eius qui euigilauit: Domine deſpicatam reddis in
ciuitate imaginem illorum.
21 Sanè velut aceto erat perfuſum cor meum, & intima mea velut ſtimulo pungebantur.
22 Eram bardus, nec quicquam intelligebam, vt pecus apud te habebar.
23 Et ſemper tamen tecum eram, tu manum dexteram meam apprehenderas:
24 Tuo me conſilio deduxiſti, poſtea collato decore, me ſuſcepiſti.
25 Quem in cælis, quem in terra præ te ſuſpicerem, & colerem?
26 Languet tui deſiderio caro & cor meũ, ô robur cordis mei, Deus portio mea
in ſempiternum.
27 Nã ecce qui à te procul recedũt, peribunt: cõficies quicunque à te deficiunt.
28 Ego itaque bonum mihi duxi Deo me adiungere: poſui Dominum Iehouã
tutelam meam, vt deprædicem opera tua.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 P*Salmus Aſaph. Veruntamen bonus Iiſraeli Deus, puris corde.* Fidei ſententiá carnis tentationi, quam ſtatim
ſubiũgit, præmittit. Sic enim ſolent Sancti ſe cõtra tẽtationes, cõmemoratione, atque
quadam apud ſe adſeueratione eorũ quæ ex verbo Dei didicerunt, munire. Quũ igitur voluiſſet
Vates referre perſonam ex fœlicitate impiorum & miſeria piorum tentati, cuique ſubeant

cogitationes, Deum impiis quàm piis eſſe fauentiorem, aut certè vtroſque negligere, rectè ſimul retulit vt fides in Sanctis contra huiuſmodi iacula ſeſe confirmet & tueatur. Quaſi ergo reſpondens huiuſcemodi cogitationibus, prouidentiæ fiduciam apud ſe labefactare conantibus, canit, *Attamen bonus eſt Deus Iiſraeli*, vtcunque externa iſta cadant, benignè agit cum omnibus qui ab ipſo pendent, quibus ſolis ſcilicet fide corda purificantur, quantalibet miſeria laborent, impiis interim omnia ex animi ſententia cadentibus. Ad eundem modum querelis ſuis & Ieremias præfatus eſt, Ierem. 12.a.1, Iuſtus, inquit, es Iehouah, quum iure tecum egero: attamen iudicia, id eſt quæ videantur rationem aliquam habere, loquar tecum, Quare inſtitutum improborũ proſperatur, fœliciter habent quicunque iniuriæ ſeſe dediderunt?

2 *Et ego, ſicut modicum lapſi fuiſſent pedes mei, ſicut non effuſi ſunt greſſus mei.* כמעט & כאין, id eſt ſicut modicum, & ſicut non, idem valet atque modicum, & nihil fermè abfuit. Exprimit vim tẽtationis: euſque enim motum ſe fœlicitate impiorum fatetur, vt propè à fiducia in Deum ſtudióque recti excidiſſet. id enim per lapſum pedum, & effuſionem greſſuum ſignificat.

3 *Quia æmulatus ſum in ſtolidis, [quum] pacem improborum viderem.* Cauſam reddit tantæ tentationis, ob fœlicitatem improborum, quos & הוללים, id eſt ſtultos ac vanos vocat. de quibus in verſum 6 Pſalmi 5. Hæc enim ipſum adeò vrebat, vt ferè ad ſectanda improba illorum ſtudia, cura Dei cõtempta, defeciſſet. vehemens nanque eſt hæc tentatio, nihil fermè iis qui Deo ſtudent ſuccedere: impiis autem omnia, & quidem contra Sanctos. quare hos Pſalmus 37 contra illam tam multis munit. Deinceps ſucceſſum improborum, & inde natum faſtum, arrogantiam, violẽtiam, & petulantiam deſcribit.

4 *Quia non ligamina ad mortem illorum, vigens robur eorum.* Non ſunt, inquit, ligamina ad mortem eorum. Kimhi nodos intelligit, & canere Vatem putat, non eſſe difficilem impiorum mortem, molliter viuere eos, & abſque vi, & tranquillè quoque mori. Sed quum Pſaltes ſtatim ſubiiciat de proſpera eorum valetudine, & perrarò nõ eandem ſententiã in vno verſu geminet, tum hîc numeros fœlicitatis qua impii fruentur, enumerare incipiat: mihi potius videtur per hæc ligamina, nodóſque mortis illorum, morbos intelligẽdos, quibus & vita miſera redditur, & mors accerſitur, imò quaſi alligatur. Ieſchaiah 58.b.6, חרצבות רשע, impiæ obligationes & nexus dicuntur. Caput igitur erit fœlicitatis impiorum, non eſſe nexus mortis eorum, vel ad mortem eorũ: hoc eſt non conflictari eos, vrgerique ad mortem morbis. Hinc tum ſequitur, *Et vividum* אולם, id eſt robur eorum, vt יש לאל ידי, id eſt in poteſtate manus meæ. Alii vlam pro palatio accipiunt, & addunt כ, quaſi diceret, ſicut palatium. Sed ni fallor, prior ſententia, quam & Kimhi & Ab. Ezra ſequitur, ad veri ſimilitudinem accedit propius.

5 *In moleſtia mortalis non ipſi, & cum homine non afficiuntur plaga.* Vt verſu præcedenti de proſpera eorum & florente valetudine queſtus eſt: ita hoc queritur, quod & alia ex animi ſentẽtia ipſis ſuccedant, nulla vt cæteri homines moleſtia premantur, nullis calamitatibus lædantur. Solet nanque nonnunquam Deus aliquos inſignitè impios & violentos homines, diuitiis & copiis, dignitate & potentia ad miraculum vſque euehere, quo primùm ſuis materiam exercendæ fidei obiiciat, tum doceat quàm parui externa iſta, nõ tam bona quàm bonorum ſimulachra æſtimet: denique tanto magis conſpicuum reddat & formidabile ſuum in illos iudicium, quos, quo euexit ſublimius, eo ſolet grauius rurſum deiicere, & florentes vigẽtéſque velut cedros, ſubitò excindere, vt vbi fuerint, nuſquam appareat.

6 *Propterea torques illis eſt ſuperbia, violentia amicit illos vestes.* Queritur de faſtu & arrogantia eorum, quibus velut torque & veſte circũdati ſunt. שית partem corporis ſignificat, qua ſedemus, eam diligentius & perpetuò tegimus: ita ſignificare voluit, illos violentia nunquam nudos eſſe.

7 *Egrediuntur eis præ pinguedine oculi, tranſierunt cogitationes cordis.* Notat hîc tumorem & inſolentiam. Quod enim ait, *Egrediuntur præ pinguedine oculi eorum*: ſatis ex adiecta particula liquet allegoriam eſſe, & voluiſſe Vatem tumentis ob pinguedinem ſimilitudine, faſtum & tumorem ob nimiam opulentiam & rerum ſucceſſum ſignificare. Illud autem, *egredi oculos* pro eo dixit quod eſt, euaneſcere: vti accidit iis quibus nimium genæ intumeſcunt. De his & in verſu 10 Pſalmi 17. *Tranſierunt cogitationes cordis*: idem eſt atque modum exceſſerunt.

8 *Diffluunt, & loquuntur in malo fraudulentæ circumuentionis, è celſo loquuntur.* Queritur de arrogantia & petulantia. ימיקו legunt Hebræi quidam actiuè: quaſi voluiſſet Vates dicere, Diſperdunt, & vi ſua quaſi colliquefaciunt proximos ſuos. Ego neutraliter accepi, eo quòd de violẽtia in verſu 6 queſtus ſit, & videatur hîc loqui præcipuè de arrogãtia & petulãtia. Reddidi igitur ימיקו, id eſt *diſſoluuntur*, vel *colliqueſcunt*, nullis putãt ſe legibus teneri, ab omni ratione vitæ probatæ diffluũt. Inde vtique venit quod ſequitur, *De malo fraudulẽtæ circumuẽtionis loquuntur*: id eſt iactãt ſe de verſutiæ ſucceſſu & noxa, qua innocẽtibus damnũ dederunt, neminẽ ſcilicet veriti, nec Deũ quidẽ. Vnde ſubiecit, *E ſublimi loquuntur*, tanquam omnibus ſupereminentes. Hanc arrogantiam auget verſus ſequens,

9 *Ponunt in cælum os ſuum, & lingua eorum perambulat terram.* Quod canit, nil aliud eſt quàm, Neque

ſuperis,neque inferis parcunt,in omnes venenatam linguam ſuā exerunt.Hæc tanta quū eis non ſolùm liceant, ſed eos etiam plurimum euehant, fœlicéſque reddant, ad impietatem ſuam plurimos ſollicitant.id videtur mihi queri verſu ſequenti,

10 *Propterea reuertitur populus eius huc, & aquæ pleni ſugentur eis.* Senſus,Apud quos verſantur improbi, eiſdem ſe ſtudiis addicunt: *& aquæ pleni*, ſubaudi calicis, *ſugentur eis*, hoc eſt bene quoque habent,& fœliciter qui ipſos cōſectantur. Kimhi ita interpretatur, Propterea cōuertet, ſubaudi Deus, populū ſuū huc,ad ſtudia ſcilicet pietatis, & inde ad verā fœlicitatē, abſtractos ab impiis, quorū fallax & euanida eſt proſperitas. Et ſugentur ab improbis aquæ calicis pleni toxico: hoc eſt,tandem obruentur malis difficillimis. prior ſententia videtur magis quadrare ſequentibus:

11 *Et dicunt,Quomodo nouit Deus,& ſi eſt ſcientia in Altiſſimo?*

12 *En iſti improbi,& beati [in]ſeculo,aſſecuti ſunt copias.* Conflictum canit deinceps cogitationum cordis propter impiorum fœlicitatem adflicti. Verſus 11 & 12, cogitationem habēt de Dei prouidentia dubitantem: dicunt nāque vulgò homines, dum improbi adeò bonis omnibus adfluunt, *Quomodo cognoſceret hæc Deus? En iſti improbi* ſunt, & fœlices tamen in hoc ſeculo, diuitiarúmque immēſam vim(eſt enim hîc חיל)conſequuti ſunt.Exiſtimat enim ratio hominis,ſi Deus cognoſceret quæ improbi deſignant,quum iuſtus ſit, nequaquam tanta eis eſſe permiſſurum, nedum tantam fœlicitatem donaturum.Hîc adiecta eſt in verſu 12,nota admirationis,Ecce.

13 *Ergo fruſtra purum præſtiti cor meum,& laui in innocentia manus meas:*

14 *Et fui cæſus omni die,& caſtigatio mea ad matutina.* Hic profert alteram dubitationis de ſcientia Dei rationem,nempe quòd bonos ſinat vſque adfligi, & vitā viuere miſerā,quod haudquaquam facturum ratio putat,ſi rerum humanarum certam Deus cogitationem haberet. Vtique (inquit quiſque qui hac tentatione agitatur) fruſtra innocentiæ ſtudui: nam quotidie adfligor,& ſinguli dies cum exortu ſuo incōmodi aliquid adferunt.Hactenus carnis cogitationes recenſuit:ſequentibus ponit cogitationes ſpiritus recipientis ſe ab æſtu carnis.

15 *Si cogitabam,Narrabo ſic,ecce inſurius fuero[in]nationem filiorum tuorum.*Hoc eſt,ſi vt ad iſtum modum vti præmiſſum eſt, loqui in animū induxero, iniuriā fecero nationi filiorum tuorū, quos omnes eo quòd diligis, caſtigas,& à creaturis ad te per aduerſa reuocas. dicere enim fruſtra eſſe pietatis ſtudium,cui illi incumbunt,& negligi eos à Deo,atque infœlicē eſſe vitam eorum,vtique atrox ipſis iniuria,& contumelia eſt.Bono ſiquidem eis cedunt omnia, & pluſquam paternam pro ipſis cæleſtis Pater curam gerit.

16 *Et cogitabam ut cognoſcerem hoc,id moleſtia[erit]in oculis meis.*

17 *Donec ingrederer in Sacraria Dei,intelligam poſtrema illorum.*Canit vt conatus ſit rationem peruestigare huius arcani, nec potuerit,quanlibet ſe huius cauſa torſiſſet,atque ideo adflixiſſet, donec in Sacraria Dei fuiſſet ingreſſus, & intellexiſſet poſtrema impiorum, quæ ſempiterno exitio excipiuntur.In Sacrario Deus ſuam præſentiā pollicitus fuerat,vbi(vt ſæpe dixi) Sancti oracula excipiebāt. hinc *ingreſſus Sacrarium Dei*,pro perceptione Diuinæ eruditionis poſuit,quæ tum percipitur,dum abſtractus à creaturis animus, voluntati Diuinæ diſcendæ & amplectēdæ,totum ſe ſancta cōtemplatione addicit.Id vbicunque Sancti faciunt,ibi Sacraria Dei ingrediuntur,& docentur conditionem improborum minimè à præſenti ſplendore,ſed ab infœliciſſimo potius exitu æſtimandā.Hoc quū Sancti agnoſcunt,non modò nō inuident impiis, ſed potius ſortem eorum deplorant,& ſibi plurimum,quanlibet aduerſis exagitentur,gratulantur, vt quos dignetur Deus paterna caſtigatione corripere,ne cum mundo condemnet.

18 *Attamen in lubricis poſuiſti illos,deiicies eos in vaſtitates.*

19 *Vt afferunt in deſolationem ſubitò,defecerunt,conſumpti ſunt ab horroribus.* Simili lubricæ viæ,cuius meminit verſus decimuſoctauus, vſus Pſaltes eſt,& in ſexto verſu Pſalmi 35. In huiuſcemodi via vt perfacilè quis cadit, ita caduca & fluxa eſt fœlicitas improborum, nihil prorſus habens ſtabile.Quidam autem in hunc ſenſum accipiunt, Dediſti illis ſuam fœlicitatē, velut falſò blandiēs, nimirum tēporariis iſtis bonis omnem fœlicitatē eorū finiens, quod indignari potius & ſæuire eſt,quàm benefacere:id quod externa proſperitate Deus præ ſe ferre erga illos videtur. Quidam משואות imposturas reddunt, ſicut נשא etiam imponere ſignificat. Sic ſenſus foret, Deiicies eos fallaciter:quod conueniet cum eo quod præmiſſum eſt, *Poſuiſti illos in lubricis*,ſubaudi eorum fœlicitatem. Falsò certè illis Deum blandiri & imponere, eo declaratur quòd ſubitò euertit & vaſtat huiuſmodi: quod quo exaggeret,inducit ſe verſu 19 ſtupentem repentinam eorum, & maximè terrificam euerſionem. Illud enim, *ab horroribus*, videtur ſynecdoche eſſe,& ſignificare ſubitaneā,ſummóque cum impetu deſtructionem,quia præmiſerat vaſtandos eſſe & finiendos.

20 *Sicut ſomnium euigilantis,Domine in ciuitate imaginem illorum ſpernes.* Eleganti admodum ſimili, quàm nihil ſit omne quo beati ſibi mali videntur,exprimit,ſomnio eius qui iā euigilarit,fœlicitatē illorū aſſimilans: quo nihil inanius, quālibet dormientē videatur oblectare. Ita dū improbi

ſecúdis rebus hîc fruũtur, vidẽtur ſibi beati, ſed tanquã ſomnio: nihil eſt enim illis æquè miſerũ, quia Deo qui ſolus omne bonum eſt, deſtituti ſunt. Exacta ergo hac vita, quum à ſomno præſentis ſtuporis, qui animum eorum huius ſeculi voluptatibus delinitum tenet, euigilarint, ſentient ſe tam inanes omnium eorum bonorum fuiſſe & eſſe, nõ aliter atque ſiquis eſuriens ſomniarit ſeſe edere, ſitiẽs bibere, qui euigilãs nõ ſolùm nihil tale fuiſſe ſentiat, ſed ſimul magis cibi potúſq; deſiderio adfligatur. Quo ſimili vſus eſt Ieſchaiah 29.c.8. Vt verò fœlicitas eorũ ſomniũ eſt illico euaneſcens, ita omnis eorum dignitas & ſplendor ignominia tandem cõmutatur. Id quũ Deus faciat, rectè dicit, *Imaginem eorum in ciuitate reddes deſpicatam*. Imaginẽ autem vocat dignitatem, & apud homines memoriam eorum, quæ nihil niſi vmbra quædã, & inanis imago eſt, iuxta illud Pſalmi 39, In imagine velut vmbra verſatur omnis homo.

21 *Quum acetoſum eſſet cor meum, & renibus meis ſpinoſus eram,*

22 *Et ego ſtultus, & non cognoſcebam, [inter] iumenta eram apud te.* Rurſus conditionem animi ſui, Dei iudicium nondum rectè perpendentis, & ob improborum proſperitatem ſeſe adfligentis, deſcribit, appoſita ſanè acetoſi cordis & ſpinoſi, id eſt punctionum renum, tranſlatione vſus. Hanc autem adflictionem animi, ſtultitiæ ſuæ tribuit, faſſus ſe ſtultum, omníque intelligẽtia ceu brutum pecus fuiſſe deſtitutum, ſed nihilominus fuiſſe apud Dominum, hoc eſt in eius cura. Eam curam duobus ſequentibus magis explicat.

23 *Et ego ſemper tecum, apprehenderas manum dexteram meam:*

24 *Conſilio tuo deducebas me, & poſtea gloria ſuſcepit me.* Canit ſe inſcium interim bonitatis erga ſe Dei, ab ipſo ceu per manum deductum, idque eo cõſilio, vt perbreui adflictione exercitus, ingenti mox gloria decoraretur, iuxta illud 2.Cor.4.d.17, Leue & momentaneum adflictionis, &c.

25 *Quis mihi in cælis, & tecum in terra [quis] placeat?*

26 *Defecit caro mea & cor meum, rupes cordis mei, & pars mea Deus in ſeculum.* Perpenſo iam Dei erga ſe fauore ampliſſimo, & charitate multo ardentiſſima, exultabundo animo inquit, *Quis mihi in cælis*, ſubaudi præter te arrideat? quis tecum, ſubaudi collatus, placeat in terra? Iam valedicto rebus omnibus, te vnum ſitio, te ardeo, quẽ video vnũ & eſſe, & largiri vniuerſa. Hinc dicit verſu 26, *Defecit caro mea & cor meum*: ſubaudi præ nimio deſiderio Dei: vt ſit ſimile verſui tertio Pſalmi 84, Affecta eſt, ac etiam defecit anima mea deſiderio veniendi in atria tua: cor meũ & caro mea præ hoc deſiderio clamant ad Deũ viuũ. Sic itaque accenſus, Deũ propugnatorẽ ſuum vocauit, & partẽ ſuã: hoc eſt quem vnum habeat defenſorem, bonorúmque vnicum autorẽ. Vt vero Deus ſanctorum portio appelletur, dictum in Pſalmo 16. Alii hunc verſum aliter interpretãtur, nempe quũ defeciſſet caro & cor, Deum adfuiſſe. Sed hic ſenſus non ita quadrat iis quæ præcedunt & ſequuntur.

27 *Nam ecce qui elongant ſe à te, pereunt: exſcindis omnem qui à te fornicatur.*

28 *Et ego, adiungere Deo mihi bonum, poſui in Domino Iehouah meam protectionem, ut enarrem omnia opera tua.* Canit & ab improbis cauſam eſſe cur tantopere de Deo ſuo exultet: pereunt ſiquidem quicũque à Deo ſe ſubducunt. Ipſe ergo profitetur ſeſe Deo adiuncturum & adducturum, quo ita perceptis ab eo ſempiternis beneficiis, in æternum quoque ipſum celebret, laudibúſque tollat, vt à quo in omnibus pendeat, à quo cuncta ſperet.

PSALMVS LXXIIII, *ψαλμὸς καὶ ᾠδή*.

ARGVM. *Queritur de templi, populique ſancti vaſtatione, de impiarum gentium in Deum & Sancta eius, contumelia: & memorata ad ſuffulciendum ſpem, Dei in præcipuis mundi rebus potẽtia, orat vindicari Sanctos, Gẽtibus digna ultione repreſſis.*

PARAPH. 1 ERudiens Aſaphi. Et quare Deus repuliſti nos penitus, cur feruet ira tua contra gregem paſcuæ tuæ?

2 Memor ſis cœtus, quem tibi pridem vendicaſti: ſortis hæreditariæ, quam redemiſti: montis Siion iſtius in quo habitare ſolitus es.

3 Attolle te, & veni vaſtatum in perpetuum hoſtes vniuerſos, qui mala intulerunt Sacrario tuo.

4 Rugierunt infeſti tibi in medio Synagogarum tuarum, ſigna ſua ſtatuerunt pro trophæis.

5 Olim tanti erat extruendo templo operam collocare, vt etiam qui ligna cædebant, præclari haberentur, eo quòd ad id vt illud in ſublime perueniret, cooperarentur:

6 Nunc ſculpturas eius bipenni, & malleis certatim comminuunt.

7 Incenderunt igni Sacraria tua, domicilium nominis tui deiiciẽtes in terram prophanarunt.

8 Cogitarunt in animo ſuo, Interimemus eos ſimul. exuſſerunt cunctas ſynagogas Dei in terra.

9 Signa noſtra non videmus, nullus ſupereſt Propheta, nemo nobiſcum qui ſciat quouſque.

10 Quis tandem ô Deus, finis opprobriorum infeſti, & contumeliarum hoſtis, quibus afficiunt nomen tuum?

11 Quare auertis manũ tuam, & dexteram tuam? profer hanc tãdem ẽ ſinu tuo.

12 Certe Deus iam olim rex meus eſt, qui ſalutẽ tulit in media ditione hoſtiũ.

13 Tu ſanè diſturbaſti virtute tua Mare, confringis capita draconum in aquis.

14 Tu capita immanium cetorum contudiſti, & dediſti illa cibum populo deſerta incolenti.

15 Tu eduxiſti fontes & fluuios, valida flumina tu ſiccaſti.

16 Tuus eſt dies, etiam tua nox, tu inſtituiſti lucem & ſolem.

17 Tu cunctos fines orbis conſtituiſti, æſtatem & hyemem tu finxiſti.

18 Sis memor huius, quòd hoſtis opprobrio affecit Iehouã, & populus nequam conuitiatur nomini tuo.

19 Ne permittas cœtui hoſtiũ vitam turturis tuæ, cœtus adflictorum tuorum ne obliuiſcaris perpetuò.

20 Intuere fœdus, nã locis tenebricoſis violentis carceribus omnia plena ſunt.

21 Ne pateant ignominiæ qui cõtriti ſunt, qui repulſam à te paſſi: da potius vt adflicti & pauperes te collaudent.

22 Exurge Deus, aduerſare aduerſariis tuis, memor ſis opprobrii tui quo te quotidie homines nequam afficiunt.

23 Ne obliuioni tradas vocem infeſtorum tibi, tumultus eorum qui contra te inſurgunt, ſemper aſcendat.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *INtelligens Aſaphi, Quare depuliſti [nos] ô Deus penitus, fumat naris tua in gregem paſcuæ tuæ?*
2 *Memor ſit cœtus tui [quem] vendicaſti pridem redemiſti virgam hæreditatis tuæ, montem hunc Sion in quo habitaſti.*
3 *Attolle paſſus tuos ut vaſtes in perpetuum omnem hoſtem qui adflixit Sacrarium.* Apertè admodum de templi vaſtatione hic Pſalmus canit: quare veriſimile eſt eum, nõ ab Aſaph, quem Dauid cum quibuſdam aliis Sacris carminibus præfecit, compoſitum, ſed poſteris eius, quorum ordo, patris nomen retinuerit. Inſunt ſanè huic libro plerique Pſalmi, quos Leuitæ tempore exilii Babylonici, ac poſtea conſcripſerũt, ex quibus indubitatò eſt Pſalmus 137, Super flumina Babel, &c. At dum ſingula huius Pſalmi cõſidero, in nullam templi & populi vaſtationem magis quadrare videntur, quàm quæ facta eſt per Antiochũ. Quũ enim per Nebucadnezar exureretur, Prophetas ſuos Iudæi habuerunt, qui quouſque ſæuitura eſſet ea vltio, palàm prædicebant. Iudæi de ea Pſalmũ interpretãtur quæ facta per Titũ eſt: ſed excæcatis tum, nihil minus quàm piæ adeò voces, quales hic Pſalmus memorat, exciderũt. Ergo vbi Antiochus tẽplum contaminaſſet ac deſpoliaſſet, optima quæq; ciuitatis loca igni cremaſſet, Sacras ceremonias aboleuiſſet, abominationes Ethnicas inuexiſſet, optimos quoſque captiuos auexiſſet, innumeros etiam trucidaſſet, promiſcuã denique plebẽ ad ritus impios coegiſſet, Sancti qui reliqui erãt, quæ hic Pſalmus habet, queſti apud Deũ fuerunt & orarunt. De quibus deinde ſacri Poetæ poſteri Aſaphi, reſtituta iam libertate & religione, carmen iſtuc compoſuerũt. Agnoſcunt itaque primùm, quod pietatis ſcilicet eſt, & rectæ fidei, quæ pati videbãtur ab Antiocho, omnia à Deo ipſis immiſſa, ac ideo Domino ſua mala querebãtur, *Quare tu,* inquiũt, *ô Deus repuliſti nos penitus, quare ſuccenſa eſt adeò in nos ira tua?* Nunquã enim duriora paſſi erant, eo quòd nullus adhuc hoſtium, quos hic populus expertus erat, religionis nomine in eos ſæuiſſet. Inde verò erat, quòd videbãtur ſibi abiecti à Deo לנצח, id eſt penitus, in ſempiternũ, tanquam is nullam vnquã illorum rationẽ habere ſtatuiſſet. Sed vbi iſta querebãtur Deo, ſuggerebat Spiritus ipſos eſſe gregem, id eſt Eccleſiã, Dei populũ, quem ille tot iam ſeculis, ceu peculium ſuum habuiſſet, poſſeſſionem hæreditariam, ſacram regiã, propriam ſedem. Hinc verò animos pulchrè recipiebant, opem Dei, quantumlibet actum de ipſis videretur, implorandi. Eſt ſiquidẽ hæc in ſummis tentationibus ceu ſacra ancora, recordari & credere, Deũ nos ſemel in

numerum ſuorum aſſumpſiſſe. Perficit enim Deus quicquid ſemel inſtituit. Reſumpto igitur animo orant vt Deus attollat ſuos paſſus, hoc eſt celeriter adueniat, qui horrendùm adeò ſæuiente Antiocho videbatur vel abeſſe, vel lentè venire auxiliatum. *Sacrarij* ſtatim meminerunt, quod non tam templum, quàm ipſe populus erat. Hunc enim ſi ſibi delegiſſet Deus vt in eo præcipuè regnaret, fieri non potuit vt eum ſceleſti ac impii tyranni libidini vſque permitteret. Vaſtari hoſtes orant לנצח, id eſt vaſtatione irreparabili. Sic enim ſors habet hoſtium Dei, qualis iſte Antiochus erat. Quod verſu primo ait, *Cur fumabit naris tua* (id quod vehemẽter iratis vſu venit) notare voluit immanem hoſtilis ſæuitiæ truculentiam. In verſu ſecundo, *virgam hæreditatis* dixit, propterea quòd virgis menſoriis terra ſoleat diuidi, ſicut & funiculis, de quo in Pſalmo 16.

4 *Rugierunt tui infeſtatores in medio Synagogarum tuarum, poſuerunt ſigna ſua, ſigna.* Hîc hoſtium, quos ex firmata in Deum fiducia, audet Dei infeſtatores dicere, vt reuera erant, truculentiam, & in populum Dei atque ſacra loca ſæuitiam deſcribere Vates incipit. Inſtar leonum, quàm indicibili immanitate vociferantes irruebant in ſacras populi ſcholas, in ſancta ſtudentium Legi Dei concilia, quæ ideo מועדי Dei vocant: Græco nomine, Synagogæ dicebantur. Domus erant ſacrorum cœtuum, quarum pleræque templo adhærebãt. habebantur tum & in aliis vrbibus, in quibus populus Legem docebatur, & ad ceremonias instituebatur. De his canit verſu octauo, Exuſſerunt omnes ædes Dei in terra. Hinc de Chriſto nanque & Apoſtolis legimus, quòd ſynagogas paſſim ingreſſi ſunt. Talem dicebant Phariſæi, Centurionem, pro cuius pueri ſanatione orabant, ipſis ædificaſſe. Illud, *Poſuerunt ſigna ſua, ſigna*, idem eſt quod, vbique ſtatuerũt ſua trophæa, in ſigna ſcilicet victoriæ ſuæ, vbi antea fuerant omnia plena ſignis beneuolentiæ diuinæ.

5 *Nobilis erit ſicut adducens ad ſublime, [adducens] in ſylua arborum ſecures:*

6 *[Et nunc] ſculpturas eius ſimul in bipenni & malleis deiiciunt.* Deplorant Sancti ornamentorum templi detractionem, quæ inſano hoſtes ſtudio, & ſingulari tumultu vndique detrahebãt. Cuius indignitatem eo exaggerant, quòd memorãt, olim quũ extruebatur templũ, eos qui tantùm ligna cædebant, in pretio aliquo fuiſſe, propterea quòd ad id cooperarentur, vt in ſublime ſacrum ædificium perduceretur. Nunc tanquã nullius ſit momenti, & meritò demolienda moles, omnia bipennibus & malleis immani quodam furore deſtruuntur. Nam dubiũ non eſt quin militũ furor in deſpoliando templo, & ornamentis eius auellẽdis, impiæ voluntati Antiochi, volentis domum Dei non deſpoliari ſolùm, ſed etiam inſignitè prophanari, pro viribus reſpõderit. Hi duo verſus perquam obſcuri ſunt: qui ex multis viſus eſt probabilior, hũc ſenſum reddidi. Chaldæus Paraphraſtes in hanc ſententiam voluiſſe iſta reddere videtur, Sicut eminet qui ſecurim eleuat ad decidendos ramos arborum, ita iſti bipennibus & malleis omnia comminuunt. Quod in verſu 6 eſt, *Nunc*, antitheſim hanc doctiſſimi Hebræorum, ad tempus quo incredibili ſtudio tẽplum extruebatur, ſtatuũt. Et illud in ſexto verſu querelam auget, quòd meminerunt פתוחיה, id eſt ſculpturarũ: quanquam ea vox etiam oſtia, vel portas ſignificat, quæ quum inauratæ eſſent, non alienum erit ab hiſtoria etiam fores hîc legere. Nam vt Ioſephus teſtatur, quicquid vſpiam auri erat, Antiochus detraxit & abſtulit.

7 *Miſerunt in ignem Sacraria tua, ad terram prophanarunt habitaculum nominis tui.*

8 *Dixerunt in corde ſuo, Conficiamus eos pariter, concremarunt omnes ſynagogas Dei in terra.* Sacraria querũtur exuſta, habitaculum autẽ nominis Dei prophanatum in terram, hoc eſt ceu deiectum in terram, contumelioſiſſimè acceptum. Intellexit enim hoc dicto Vates, templi violationem ſingulari petulantia & contumelia perfectam. Nam aram in eo Antiochus extruxit in qua porcos immolauit, immolaréque, & idolũ venerari Iudæos coegit. Sic proculcata ab hoſtibus templi ſanctimonia, dicit eos Vates, illud quaſi in terram deiectũ prophanaſſe. Sed forſan per משכן, id eſt habitaculum nominis Dei, interius Sacrarium, Arcam ſcilicet fœderis, & Propitiatorium intellexit, peculiarem illã numinis ſedem. Nam iſtud cum aliis theſauris & pretioſis templi rebus, Antiochus abſtulit: & vt erat incredibili in religionem Dei furore, in terram forſan ſimul abiecit, eo quòd ſciret Iudæis nihil haberi diuinius. מקדשים, & מועדים pro eiſdẽ ſynagogis & ſcholis Legis accepit. Quum enim anniteretur Antiochus religionem Domini prorſus extinguere, veriſimile eſt, eum has vbi vbi haberentur ſuſtuliſſe. Erant enim cõuenticula Dei, in quibus Dei timor & cultus dicebatur. Quod verò de ipſis Iudæis dixiſſe hoſtes, Vates canit, *Conficiemus eos pariter*: id eſt ſemel, quantum ad religionem attinet, intelligendum eſt. Iudaicum enim nomẽ & Dei ritus abolere volebant, hominibus ſeruatis, ſed qui ad ritus Ethnicos deficerent: ideóque circuncidi pueros capitale fecerant, libróſque Legis exuſſerant. Hoc enim pacto Iudæi, id eſt veri numinis cultores conficiebantur, & interibant. Porrò illud verbum נינם, quidam nepotes eorum interpretantur: ſed non ita quadrat vt ſi occidamus, vel depopulabimur, vel conficiemus, legimus, id quod verbum ינה ſignificat. Inde חרב היונה gladius depopulãs, Iirmeiah 46.d.16, dicitur, vbi vulgò legitur gladius columbæ: ſed quo ſenſu?

9 *Signa noſtra non vidimus: non eſt amplius Propheta, & non nobiſcum ſciens vſquequo.* Queruntur ſe ſolitis & in Lege promiſſis Dei auxiliis & ſolatiis fuiſſe in hac ſumma & incomparabili calamitate deſtitutos, vt antea nunquàm: Signis ſcilicet, id eſt beneuolentiæ diuinæ portentis, quibus ſæpenumero è maximis malis fuerant erepti: Prophetis qui auxilium Dei certò pollicerentur: denique Cognoſcentibus ex Spiritu, quãdo tandem finem eſſent hæc mala acceptura. Hinc, vt dixi, coniectura mihi eſt, vaſtationem templi, & populi incredibilem afflictionem hic notatam, quæ facta eſt per Antiochum. In hanc ſequens verſus admodum quadrat: ſupra modum enim Deum hic blaſphemauit, nec fuit ante eum quiſquam qui tanta audentia & petulantia, diuina contempſerit & oppugnarit.

10 *Quouſque ô Deus opprobrabit infeſtus, comminabitur nomini tuo hoſtis ſemper?*

11 *Quare auertis manum tuam, & dexteram tuam? arce de medio ſinu tuo.* Quia hic hoſtis religionem potiſſimũ oppugnabat, rectè querebãtur, Quouſque permittes hoſti iſti nõ iã noſtro, quàm tuo, vt tibi conuitia dicat, vt tuũ nomen blaſphemet? Niſi enim Dominus hactenus cedere furori Antiochi decreuiſſet, tanta erat eius impietas, vt meritò perire debuerit ſimulatque tam ſcelerata in animũ induxiſſet. Inde ſubiiciunt Sancti, *Quare auertis manum tuam, & dexteram tuam:* qua nos nominis tui ſtudioſos defendere, & hoſtes tam blaſphemos atque ſceleratos vlciſci debebas? Prohibe igitur, & arce dexteram tuã de ſinu tuo, inque hoſtes iſtos tam impios & ſceleratos exere. Inertes ſiquidem & nihil agentes, in ſinum manum recondere ſolent: inde hac loquendi formula Vates ceſſationem ab vltione in hoſtes (vt Sanctis videbatur) indignam exprimere voluit. Hic idiotiſmus Gallis quoque communis eſt, *il ha touſiours ſes mains en ſon ſein.*

12 *At tu, ô Deus, olim rex meus [eras] qui ferebas auxilia in medio terræ:*

13 *In virtute tua ſcindebas mare, confringebas capita cetorum in aquis:*

14 *Tu concidiſti capita cetorum ingentium, dabas eum eſcam populo incolis deſerti.* Sõlenne eſt in Pſalmis, & quibuſlibet Sanctorum precibus, quòd memorant apud ſe potiora diuinæ erga ſuos beneuolentiæ, & cum in hoſtes, tum res vniuerſas declaratæ potentiæ facinora: hunc morẽ & hîc Sancti obſeruant. Primùm, memorant Deum ab initio ſuum Regem fuiſſe, & in medio terræ, hoc eſt potentiſſimè & patentiſſimè, opem ſibi tuliſſe. Quod enim quis in media vrbe, in media regione, in medio populo perficit, neceſſe eſt eum ſic eſſe inſtructum, vt à nemine poſſit impediri, ſicut & nemine poteſt latere. Potiſſimum autem de terra AEgyptia, tum hoſtili, iſtud canunt, In cuius medio ita exerebat potentiam ſuam Deus, vt quantũlibet inuitos, ſupplices tum illos ſibi redderet. De quo Dominus illud Pharaoni dicebat, Vt cognoſcas quòd ego Iehouah in medio terræ. ſubaudi Dominus ſum Hæc verſu 12. Exod.8.f.22. Verſu 13 memorat vt ſuum populũ Deus deduxit per Mare rubrũ ſuffocatis in eo AEgyptiis, quos vocat dracones: ſicut & Ieſchaiah Pharaonẽ, & Leuiathã, & draconẽ appellat, 27.a.1. Quanquã etiã ſoleat nonnunquã Dei potẽtia & ex eo prædicari, quòd vt condidit & alit, ita ſolus quoque conficiat dracones, & alias belluas hominibus inuictas. Id copioſe admodũ facit Iiob 38, 39, 40, & 41. Kimhi & ſequentẽ verſum de Pharaone per allegoriam intelligit, ſicut & Ieſchaiah ipſum Leuiatã vocauit. Hunc dedit Deus in cibũ populo incolẽti deſertum, dum Iiſraelem fecit potiri eius ſpoliis. Cæterum לויתן, nomen ab additione ductum, cete, & quaſlibet immaniores belluas maris ſignificat, de quibus nonnihil in verſu 9 Pſalmi 8.

15 *Tu ſcidiſti fontem & flumen, tu exiccaſti flumina valida.*

16 *Tuus eſt dies, tua etiam nox, tu paraſti lucem & ſolem:*

17 *Tu excidiſti omnes terminos terræ, æſtatem & hyemem tu finxiſti.* Poſſunt & hi verſus de miraculis peculiariter exhibitis Iiſraeli, & iis quæ in vniuerſum exhibet hominibus, intelligi. Nam vt populo Iiſraelitico ſecundò per miraculũ cæſa, fiſſáq; petra fontẽ in flumen redundantẽ eduxit, & cõtrà Iordanẽ tranſiturus exiccauit, vt ſicco pede per medium eius tranſirent: ita ſolita, ſed non minus miranda beneficentia ſua, in toto orbe petras ſecat, & fontes ac flumina inde emanare facit, contrà quoque, potentia flumina ſorbet. Sic verſu 16, quũ de ſeruata luce Iiſraelitis in AEgypto, & tenebris immiſſis reliquæ AEgypto, tum de vniuerſali lucis beneficio accipi poteſt. Nec aliter habet verſus 17. Vt enim de poſſeſſione & terminis Chenaã aſſignatis populo Iſraelitico, ita & de omnium gentiũ & terrarũ terminis, ingentibus ſanè miraculis diſtinctis: tum de cæli omníque temperie, quæ Dei beneficio & populo ſancto, & toti orbi contigit, atque quotidie contingit, canere videtur. Mihi videor obſeruaſſe hunc morem Scripturæ eſſe ferè, dum prædicat Dei beneficia populo ſancto peculiariter exhibita, ab illis in laudes ſeſe & memoriam effundere eorũ quæ ille præſtat toti humano generi. Nec enim alia ratione Dei maieſtas, quàm ex operibus eius, à nobis animaduerti, cognoſcíque poteſt.

18 *Memor ſis huius, inimicus opprobrauit Iehouæ, & populus nihili blaſphemarunt nomen tuum.* Iterum conſolantur ſe Sancti ab eo quòd hoſtes Deo conuitiabantur, homines nequam & ſceleratiſſimi: id enim iuſtus Deus vſque ferre non potuit.

19 *Ne des beſtiæ animam turturis tuæ, cœtus adflictorum tuorum ne obliuiſcaris penitus.* Vt ſuperiori verſu ſe Sancti conſolati ſunt ab hoſtium impietate, ita hîc animum ſibi ſumunt à ſua ſimplicitate & innocẽtia ſua. Turturem enim ſe vocant, qua nihil eſt imbellius, & magis innocuum. Sic idem aliàs columba vocatur. Et hîc rurſus חית pro cœtu vſurpatur, vt in Pſalmo 68.

20 *Reſpice ad fœdus, quia tenebrioſis terræ, plenæ ſunt habitaculis violentiæ.* Hæc præcipua Sanctorum conſolatio eſt à fœdere quod cum ipſis icit, nec poteſt facere irritum. Nam dum orant Deũ huius rationem habere, ſeſe monent, Deum illud perſanctè ſeruaturum. Adiiciunt de violentia hoſtium, ad quam nequeat diutius conniuere Deus iuſtus. Eam ſignificant quum queruntur, *tenebroſis terræ*, hoc eſt habitaculis adflictorum & miſerorum, quæ manſiones ſunt violẽtiæ, omnia plena eſſe: hoc eſt populum Dei vbique inter impios teneri captiuum. Id ſanè vſuuenit Iudæis, obtinente apud eos tyrannidem Antiocho.

21 *Ne redeat contritus contemptus, pauper & inops laudabunt nomen tuum.* Hîc ſolantur ſe ab adflictione & miſeria ſua. Nec enim ſuſtinet Deus ſui ſtudioſos vſque adfligi & obteri. Ne, inquit, *reuertatur contritus, confuſus*: id eſt, nõ ferat repulſam à te, ac ita ignominiæ pateat, ob id quòd tua fuerit ope cõfiſus. Quum verò nulli, niſi qui aduerſis exerciti, & à Domino adiutos ſe agnoſcunt, ipſum verè laudant, & hinc ſpem ſuam confirmant, adiicientes, *Adflictus & inops laudabunt nomen tuum.* ſentiunt enim quàm ſit illud bonum.

22 *Surge Deus, aduerſare aduerſarius tuis, [&] memor ſis opprobrij tui, [quod eſt] à nequam omni die:*

23 *Ne obliuiſcaris uocis infeſtorum tibi, faſtus eorum qui ſe contra te erigunt, aſcendat ſemper.* Spes auxilii potiſſimum eo nitebatur, quòd ſcirent ſe Dei ſtudioſos: hoſtes autem, Dei oſores eſſe. id igitur toties ingeminant: & blaſphemiarum illorum, quæ nullum nec modum nec finem accipiebant, recordantur. Vtque ſperãt, ita orant, illas ſemper ad Dominũ aſcendere, hoc eſt ſic à Domino cognoſci vt vltio maturetur. Similia iis, de quibus hoc Pſalmo Sancti queruntur, Chriſtiani ſemper fere patiuntur. Quare valde appoſitus eſt eorum conſolationi.

PSALMVS LXXV, εὐχαριστικός.

ARGVM. *Chriſtus ſeruator inducitur ſub typo Dauidis primùm gloriari de poteſtate ſibi tradita, qua uelit labentem iam mundũ reſtituere. tum monere, ne quiſquam contra ſuum ſe regnum efferat, quòd Deus unus ſit, qui quẽ uelit, exaltet. denique prædicere, id contentibus grauem ultionem: & in ſe credentibus, omnimodam fœlicitatem.*

PARAPH. 1 PRæſuli, Ne perdas, Oda carminis Aſaphi.

2 Celebrabimus te Deus, celebrabimus: propè enim adeſt inuocantibus te nu men tuum, me morabunt facinora tua.

3 Nam aſſumam mihi Eccleſiam, iudicium ex æquitate faciam.

4 Diffluxerat terra, & quicunque eam inhabitant, & ego ſuſtentacula eius ſuſfulſi. Selah.

5 Dixi ſtultis, Nolite ſtultè agere: & improbis, Nolite extollere potẽtiã veſtrã:

6 Nolite in ſublime attollere potentiam veſtram, nolite loqui præfractè.

7 Nam nec ab Oriente, nec ab Occidẽte, neque à Meridie contingit exaltatio:

8 Deus ſiquidem iudex eſt: is hunc deiicit, illum exaltat.

9 Nam calix in manu Iehouæ vino infuſo, quod turbidum eſt, plenus, ex eo propinauit: vtique fæces eius ſugent, bibent cuncti improbi in terra.

10 Et ego adnuntiabo ſemper, canam Deo meo Iaacob.

11 Omnem quoque potentiam improborum confringam, exaltabitur potentia iuſtorum.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *PRæſuli, Ne perdas, Pſalmus Aſaphi canticum.* Inſcriptionem Ne perdas, habent & Pſalmi 57, 58, & 59. In Pſalmum 57 de ea dixi quædã. Hîc fortè ſignificat, impios conari perdere Chriſtum & qui ei credunt: ſed prohibente Domino, id haudquaquam poſſe.

2 *Celebrabimus te ô Deus, celebrabimus, & propè nomen tuum: enarrabunt mirabilia tua.* Regnante Chriſto, ſumma obtinet iuſtitia, pax, & gaudiũ: hoc enim eſt regnum eius. Rom. 14. c. 17. Vita ſiquidem æterna bonis omnibus adfluens, in regno eius viuitur. Hinc vnà cum membris ſuis, iurè in Patre exultans, laudaturum ſe eius bonitatem profitetur. Laus ea in hoc ſita eſt, quòd prædicant Sancti, propè eſſe nomen Dei, omnibus ſcilicet ipſum inuocãtibus, omnibus adflictis & miſeris, ab ipſius bonitate pendẽtibus. Hæc verò nominis Dei propinquitas nihil aliud eſt, quàm varia Dei, quibus ſuos quotidie afficit, beneficia. ea & mira illa ſunt facinora, quæ canit Sanctos cum

laude narraturos. Hæc omnia quū à Chriſto iam regnante mundus percepturus erat, rectè inducitur, horum cauſam hanc reddere, quòd ſit ipſe iam regnum initurus.

3 *Quia ſumam cœtum, ego æquitates iudicabo.* Per cœtum intelligit Electorum eccleſiam. Hanc Rex & ſummus diſceptator ſibi adiunxit, & ex reliqua hominū turba, vt in ea regnaret, gloriam & potentiam ſuam declararet, ſelegit. In hac omnia ex ſumma æquitate adminiſtrans, impietatem profligat: pietatem verò, innocentiam, omnémque vitæ decorem aſſerit. Nam ſuum Spiritum credentibus ſibi donat, quo vt ſuis omnia ad ſalutem miro ordine inſtituit, & attemperat; ita improbis iudicium quod merentur, & prædicit, & exercere quoque incipit, in ſeculo futuro illud conſummaturus.

4 *Colliqueſcunt terra & omnes habitatores eius, fixi columnas eius. Selah.* Deo iudium ſuū per Filium cui dedit omne iudiciū exercere, terra ipſa, & quicquid in ea eſt, metu velut colliqueſcit & diffluit: ſoli ii ſubſiſtunt qui non ſunt de terra, qui Spiritu regenerati, Diuinæ & cæleſtis naturæ participes euaſerunt. Vnde ſubiecit, *Ego fixi columnas eius.* Nam ſicut propter filios Dei condita ſunt omnia, ita hi quoque orbem, velut columnæ, ſuſtinent. Pſalmus 82, canit regnantibus malis nutare fundaméta terræ: ſic ergo rectè canit præſens, parari, inſtitui, & firmari columnas eius, regnante Chriſto. Selah hic adſcriptum, monet vt cogitemus Chriſti vnius eſſe, mundū reſtituere, qui illum & condidit. Cæterùm, eſt Vates hoc verſiculo myſterium regenerationis totum mira breuitate complexus. Primùm enim vis verbi Dei terret & deiicit, adeò vt diſſoluatur atque diffluat quicquid eſt veteris Adæ: deinde parantur & firmantur noui & cæleſtis Adæ ſuſtentacula, vt ſint iam noua atque cæleſtia omnia.

5 *Dixi ſtultis, Ne ſtulteſcite: & improbis, Ne extollite cornu:*

6 *Ne attollite in ſublime cornu veſtrum, loquimini in collo duro.* Rex hic laudis Diuinæ inſtaurator appellat eos, qui ſibi nondum nomen dederūt, ac etiam aduerſantur, eo quòd ille teſtetur mala eſſe eorum opera. Hæc autem ſumma & pernicioſa ſtultitia eſt, quum hic rex ſuis vitam largiatur æternam, & abiiciat in gehennā ſibi cōtradicentes. Ab hac igitur ſtultitia & improbitate reuocat, monens, ne ſua cornua, hoc eſt quam videntur habere potentiā, contra ſe efferant. Idem monet verſus 12 Pſalmi 2, Dedite vos Filio: & verſus 4 Pſalmi 4, Agnoſcite quòd Iehouah ſelegerit ſibi hunc iuſtum. *Loqui collo duro*, vel forti, eſt loqui præfractè & arroganter. Nonnulli referunt Durū ad Loqui, vt conueniat cum illo verſu 19 Pſalmi 31. Obmuteſcent labia quæ loquuntur contra iuſtum עתק, id eſt durum, ſuperbum. Sed idem ſenſus erit, quū ſciamus hoc colli epitheton eſſe. Et alibi verò duri & rigidi colli allegoria, arrogantiā, & iugi Chriſti reiectionem ſignificat. Collo ſiquidem iuga feruntur. Rationem cur ſe humiliare debent, canit duobus ſequentibus,

7 *Quia non ab Ortu & Occaſu & non à Deſerto exaltari:*

8 *Quia Deus iudex eſt: hunc deiicit & hunc exaltat.* Siquidem à ſolius Dei volūtate, & iudicis & moderatoris omnium, non ab Ortu ſolis, non ab Occaſu, neque à Deſerto, hoc eſt Meridie, exaltari contingit. Verè ſtulti ſunt, qui huic regi omnium iudici ſeſe ſubiicere detrectant. Deſertum magnum à meridie Iudææ eſt, ideo pro Meridionali plaga vſurpatur: ſicut ים, id eſt mare, pro Occidentali, propterea quòd mare Iudæis ſit ab Occidente.

9 *Nam calix in manu Iehouæ & infuſo vino turbido plenus, & effundit ex hoc, utique fæces eius exprimentes, bibent cuncti improbi terræ.* Canit nunc aduerſantium ſibi vltionem. vtque certam eam & paratam eſſe indicaret, facit calicem turbido vino plenū, à Deo illis propinari, & ipſos eū prorſus ebibituros, adeò vt ſucturi ſint & fæces. Vinū enim dixit חמר, id eſt lutoſum & turbidū eſſe. Kimhi rubrum intelligit, ac ita dictum putat, quòd rubrum in terra Iiſrael præſtabilius ſit, vt hac tranſlatione intelligas vim vltionis eſſe ſignificatā. Me, quòd fæces ſubiectæ ſunt, mouit, vt lutoſum & turbidū reddere maluerim, quàm rubrū. חמר enim vtrunque ſignificat. Ieſchaiah. 51. f. 17, ad eundē ferè modū hac allegoria vſus eſt, Excitare, excitare Ieruſalé, quæ bibiſti de manu Iehouæ calicē ardentis indignationis eius, fæces calicis toxici bibiſti, ſuxiſti. Quæ hoc verſu Vates cecinit, experti ſunt Iudæi, qui dixerant de Domino, Nolumus hunc regnare ſuper nos: & cruci ideo ipſum adfixerant, quum atrociter adeò per Titum exciſi fuere, vt nullum excidium viderit hic ſol atrocius. Biberunt poſtea & Romani, Græci, gentéſque aliæ ex eodem calice, horrendis cladibus deiecti: & bibituri ſunt quotquot dare Chriſto nomen dedignantur.

10 *Et ego annuntiabo in ſeculum, canam Deo Iaacob:*

11 *Et omnia cornua improborum confringam, exaltabuntur cornua iuſti.* Dum Improbi contra regnum Dei inſaniunt, & ob id pœnas partim exoluunt, partim expectant, vt penitus confringantur, Chriſtus cum ſuis ſemper adnunciat beneficia Dei, canitque laudes in perpetuū, donec tempus appetat, quo ſemel omnem impiorum potentiam frangat, regnúmque perfectum ſuis reſtituat vocatis ad plenum conſortium fœlicitatis cæleſtis. Hæc canunt verſus decimus & vndecimus. His verò omnibus præluſit Spiritus Dei in Dauide: qui quum perdi ab hoſtibus haudquaquam

potuiſſet, tandem deſtinatum regnum accepit, fecitque iudicium & iuſtitiam omni populo: monuitque nequis Deo in ſe reſiſteret, ac reſiſtentibus vltionem paratam prædixit, ſæpéque numero partim eam de eis ſumpſit: perpetuò laudibus Dei, & tam deprimendis improbis, quàm exaltandis iuſtis, intentus.

PSALMUS LXXVI, ἀιχαριστικός.

Canit inſigniter defenſam à Deo Ieruſalem: indéque potentiam eius, omnibus ut ſupereminentem, ita unicè formidabilem celebrat.

1 PRæſuli in Neginoth, Oda carminis Aſaphi.
2 Celebris in Iehudah Deus, præclarum nomen eius in Iiſrael:
3 In Schalem eſt tabernaculum eius, manſio eius in Siion.
4 Illic confregit iacula, arcum, clypeum, gladium, & bellum. Selah.
5 Illuſtris tu, ſuſpiciendus præ regnis prædantibus.
6 Illi valido corde ſpoliati ſunt, cœpit eos ſomnus ſuus: nihil manibus ſuis po
tuerunt efficere cuncti viri bellica virtute inſtructi:
7 Ab increpatione tua Deus Iaacob, conſopitus eſt currus & equus.
8 Tu terribilis es, tu inquã, quis coram te cõſiſtat, ſimulatque ira tua exarſerit?
9 E cælo feciſti audire iudicium, terra timuit & ſiluit.
10 Quum exurgeret Deus ad iudicandum, ad ſeruandũ cunctos manſuetos terræ, Selah:
11 Quòd homines furiũt, cadet tibi in laudem, & abſolues tu reliquum furoris.
12 Nuncupate & perſoluite vota Iehouæ, Deo veſtro: quotquot in circuitu eius eſtis, offerte munera terribili:
13 Qui eripit ſpiritum principibus, terribilis eſt Regibus terræ.

AD VERBUM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 N*Otus in Iehudah Deus, in Iiſrael magnum nomen eius:*
3 *In Schalem eſt domicilium eius, & manſio eius in Siion.* Eiuſdem ferè argumenti hic Pſalmus eſt, cuius 48. Præclaram aliquã hoſtiũ deiectionem celebrat, qua ſuam Deus in Ieruſalem præſentiam demonſtrarit, & ſe præſidem, & Deum Iehudæ ita declararit, vt inde apud Gentes quoque nobilis magníque nominis haberi cœperit. Qualis illa fuit, quam vel de Ammonitis, vel de Ioſaphat, vel Aſſyriis, rege Chizkiiah populo ſuo contulit, effecitque vt paſſim Gentes cõfiterentur, magnum, ſolúmque potentem Deum illum qui in Iudæa & Iiſrael colebatur. Exercitũ Ammonitarum, qui contra Ioſaphat venerant, perdidit: & Aſſyriorum, qui rege Sancherib Ieruſalem obſidebant, ſtrauit. Schalem vocat Ieruſalem, quæ hoc nomen habuit antequam Ieruſalem diceretur, vt legimus Gene. 14. c. 18. Ieruſalem putant dictam, poſtquam ei loco Abrahã nomen indiderat, יהוה יראה, id eſt Dominus videt, Gene. 22. c. 24. Ex שלם enim & יראה cõpoſitum eſt ירושלם.

4 *Ibi confregit iacula arcus, clypeum & gladium & bellum. Selah.* Canit nunc quare Deus in Iudæa & Iiſraele præſidens, nobilis, magníque nominis factus ſit: quòd nimirũ omnem vim hoſtilem à populo ſuo ſemouit, pace altiſſima donata. רשפי quidam ignita iacula eſſe putant: aliàs enim vox iſta fulmina ſignificat. Selah hic adſcriptũ, monet vt perpẽdamus quàm præclarè ſuis Deus adſit, veráque, ſed in ſe, pace donet. Nec ipſi enim Sancti qui ſoli veræ Ieruſalem ciues ſunt, inter ſe belligerantur, nec aliis ad id dant occaſionem, ſed Patrẽ imitati, pacem potius vbique reſtituunt: denique & mala quanlibet atrocia, boni ab aliis conſulunt, vt nihil eis non bono cedit. hinc rectè canit verſus quintus,

5 *Illuſtris tu, ſuſpiciendus præ montibus prædæ.* *Montes prædæ*, vocat regna tyrannica, quæ ad ſe omnia rapiunt velut montes: in quibus nihil niſi leones, vrſi, & aliæ ex præda viuentes belluæ, ſtabulantur. Mundi ſiquidem regna quum videantur omnia poſſe, & cunctis bonis affluere, inopia tamen perpetuò laborant, miſeréque ſeruiũt, quum Deum timentibus nihil boni deſit, & poſſint omnia, id verò beneficio Dei, qui eos ſic potentes & dites reddit. Verè ergo illuſtris Deus, & præ cunctis Regibus, quanlibet potentibus, ac ideo ad ſe cuncta rapientibus, magis admirandus eſt. Cauſam huius canit verſu 6.

6 *Deprædati ſunt validi corde, dormitarunt ſomnũ ſuũ & non inuenerũt manus ſuas cuncti viri præſtãtes virtute:*

7 *Ab increpatione tua Deus Iaacob, ſopitus eſt & currus & equus.* Deſpoliantur enim tandem qui ſpoliabant alios, & non rebus modò, verùm etiam vita. Id verò eſt quod ait, *Dormitarunt ſomnum*

ſuum, hoc eſt ſe in ſomnum mortis ſenſim inclinarunt: *nec inuenerunt manus ſuas*, hoc eſt dum opus eſſet, non ſunt eis præſto, nihil valent illis efficere, quanlibet viri fuerint bellicoſi, hoc eſt אנשי חיל, & nemini non vim intentarint. אשתוללו à שלל venit, & eſt א capitalis pro ה poſita, quod nonnunquã Scriptura ſolet. In verſu ſeptimo currũ & equum, pro iis qui curribus & equis vtebantur, dixit, quos Deus conſopiuit quũ vitam eripuit. Elegans verò ſimile dormitationis, conſopitionis & ſomni. Quum enim ſomno oppreſſi dormitamus, ſenſim & quaſi vltrò omnem vigorem mittimus & cadimus. Sic Deus hoſtes populi ſui occulta vi vrſit, omnémque virtutem exemit, vt velut dormitantes, conſilium ſimul & conatum Dei populũ expugnandi amitterent, morti cedentes. Memorata hic vltione hoſtium, quam ſola increpatione, ſolo verbo Deus effecerat, admirabundus exclamat,

8 *Tu formidabilis, tu, & quis ſtabit coram te, quum ira tua* [*ardebit*?]

9 *E cælis feciſti audire iudicium, terra timuit & ſiluit.*

10 *Quum ſurgeret ad iudicandum Deus, ad ſeruandũ omnes manſuetos terræ, Selah.* Quod bis *tu*, poſuit, admirationis affectũ expreſſit, & ſolum Deum formidandũ eſſe, quo ſaoè irato nemo queat conſiſtere, confeſſus eſt. E cælis ſiquidem iudicium ſuũ in hoſtes protulerat, cæleſti planè virtute contra eos depugnans: quo vtique effecerat, vt ſe iam mouere contrà in terra nemo vel auderet, vel poſſet. Id enim eſt quod adiecit, *Terra timuit & ſiluit.* de quo tropo dictum iam ſæpe. Id autem omne pro *ſeruandis manſuetis terræ*, id eſt qui Deo ſe totos cõſecrarunt, ad calamitatem parari, Deus fecit. Ideo adiectum Selah eſt. Nihil ſiquidem ita firmat fiduciam in Deum, & animum ſub quauis cruce durat, atque iſtuc probè expendiſſe. Porrò iudicium planè cæleſte, quale hic canitur, Deus & in Ammonitas ſub Ioſaphat, & Aſſyrios ſub Hizkiiah exercuit.

11 *Nam indignatio hominis celebrabit te, reliquo indignationum accinges te.* Hoc eſt, indignatio & furor hoſtium contra te ô Deus, in laudem tibi cedet. Fatebuntur enim hoſtes ipſi: & quicunque tua in illos pro nobis facinora audient, te Deum & omnium iudicem, eorum verò qui tibi fidunt certum ſeruatorem. Ii autem quos aſſeruiſti, aliud nihil ſtudebunt, quàm nomen tuum quammaximè celebrare & efferre. Sic celebrat tandem Deum, impiorum contra populum Dei, atque adeò Deum ipſum, furor & indignatio. Illud quod ſequitur, *Reliquo indignationum accinges te*: Hebræi bifariam interpretantur. Legi enim poteſt, Cinges, vel alligabis reliquũ furoris: ne ſcilicet poſthac quiſquam ex Gentibus contra populũ tuum ſæuiat. Vel, Te accinges reliquo indignationis, vt quicquid hoſtium ſupereſt, penitus conficias. Priorem ſenſum tradit A. Ezra, poſteriorẽ Kimhi, & Paraphraſtes Chaldæus.

12 *Vouete & reddite Iehouæ Deo veſtro quicunque eſtis circa eum, afferte munera terribili,*

13 [*Qui*] *vindemiat ſpiritum Principum, formidabilis regibus terræ.* Pro hac iam tanta Dei in populum ſuum beneficentia, iubet vota nuncupari & ſolui, ſed vota laudis: verùm quæ debebant ſuo tempore cum hoſtiis exolui. Celebris eſt hic locus ad confirmanda vota: quem perperã quidam legunt, Si voueritis, reddite. Vouet enim omnino, quicunque verè orauerit, gratiáſve egerit, de quo in verſu 28 Pſalmi 21. quare ad vouẽdum Pſaltes hic hortatur: & eſt *vouete*, imperatiuè legendũ. Hoc autem monendi homines ſunt, vt Deo id voueant, quod illi gratum nouerint. Huiuſmodi eſt vera innocentia, & officia dilectionis, quæ totam implet Legem. Quicquid huiuſmodi eſt, id & vouendum piis eſt, & item reddendum. His autem ſiquid aduerſum ſit, neque vouendum: neque ſi votum ſit, præſtãdum eſt. Dei ſumus enim, contra cuius voluntatem nihil licet tam velle quàm facere. Cauſam cur Deo nuncupanda vota, & offerẽda munera ſint, reddit verſu vltimo. Excellit enim cunctos reges & Principes, adeò vt ſpiritum eorum dum libet eripiat. Eleganti verò verbo vſus eſt בצר, quod vindemiare ſignificat. Vt enim racemos homines colligunt, ita ille homines ſublegit, nullis quantumuis potentibus parcens. Hic loquendi modus & Gallis familiaris eſt, *Ils ſeront vendengez.* Hæc ſi rectè perpẽderemus, nulli quàm vni Deo, nos addiceremus, eiúſque vnius voluntati gratificari ſtuderemus.

PSALMVS LXXVII, in genere mixto, χρωματικῶς.

Canit ob calamitatem populi ſancti, ſe ſupra modũ afflictum fuiſſe, & moleſtis cogitationibus tantum nõ exanimatum: rurſum autem memoria facinorum Dei olim pro populo ſuo editorum, animum recepiſſe, ſeſéque conſolatum. ARGVM.

1 PRæſuli pro Ieduthun, Oda Aſaph. PARAPH.

2 Vox mea ad Deum, & vociferabar: vox mea ad Deũ, & auſcultabat mihi.

3 In die qua infeſtabar ô Iehouah, quæſiui te: manus meas expãdi noctu, nec
remiſi, renuebat conſolari anima mea.

4 Memor erã Dei, & infremebã: loquebar, & torquebatur ſpiritus meus. Selah.

5 Vigiles oculos meos tenebam, percellebar, adeò vt deficeret loquela.

6 Reputabam mecum dies priſcos, annos priorum ſeculorum:

7 Recordabar carminum meorum, quæ nocte modulabar: corde meo commentabar, ſpiritus meus inquirebat,

8 Ergo repellet perpetuò Dominus, nec iterum beneuolentiam ſuã exhibebit?

9 Ergo ſublata eſt in ſempiternum bonitas eius, finem habet in omnes ætates oraculum?

10 Ergo oblitus eſt miſereri Deus, continebit iratus miſericordiam ſuã? Selah.

11 Et cogitabam, Hæc mea expectatio eſt, vt tempus veniat, quo, vt olim, Altiſſimus dexteram ſuam exerat.

12 Memor ero factorum Exiſtentis: nam memor ero facinorũ tuorum, quæ priſcis temporibus edidiſti.

13 De omnibus operibus tuis commentabor, loquar de factis tuis.

14 O inſtituta tua Deus, qui in Sãcto præſides: quis potens & magnus vt Deus?

15 Tu Deus es qui mira edis facinora, clarã reddidiſti in populis virtutem tuam.

16 Vindicaſti populum tuum potenter, filios Iaacob & Ioſeph. Selah.

17 Viſo olim te ò Deus, aquæ quaſi expauerunt, etiam abyſſi exagitatæ ſunt.

18 Atræ nubes nimbos demiſerunt, in nubibus tonuit, etiam grandines diſcurrerunt.

19 Vox tonitrui tui ĩ cælis, illuxerũt orbi fulgura, exagitata eſt & tremuit terra.

20 In mari viæ tuæ, & ſemitæ tuæ in aqs validis, & veſtigia tua nemo cognoſcet.

21 Deducebas velut gregem populum tuum per Moſcheh & Aharon.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Vox mea ad Deum, & clamabam: vox mea ad Deum, & aurem expoſuit mihi.*

3 *In die anguſtiæ meæ Dominum inquiſiui: manus mea noctu diffluxit, nec remiſſa eſt, renuit conſolari anima mea.*

Ardentiſſimus affectus exprimit animi calamitatem, populi ſancti ſingulariter dolentis. Memorat ſe opem Domini vehementi prece imploraſſe, & Deum item ſibi auſcultaſſe. In tertio, ad id exaggerandum ait, manum ſuã diffluxiſſe, expãſionem intelligens, citra remiſſionem, ad quam vrſit ſummus animi dolor & opis neceſſitas. Vnde negat animã ſuam conſolationem admiſiſſe. Permittit ſiquidem plerunque Deus, vt ſancti ſibi extrema pati, & citra ſpem remedii laborare videantur, quo ferens poſtea auxilium inexpectatius, illis magis dulceſcat, eóſque ſibi arctius deuinciat. Iſtud, ידי לילה נגרה ולא תפוג, quoniam admodum amphibolũ eſt, perquàm variè enarratur. Alii per יד, quod alioqui manum ſignificat, plagam, alii virtutem, alii locum intelligunt. Primi hunc ſenſum adferunt, Plaga mea diffluxit, nec ceſſauit: quo putãt Vatem voluiſſe per metaphoram ſignificare, malum ſuũ fuiſſe inſanabile, ita vt eſt vlcus perpetuò ſuppurans. Alii ſenſum faciunt, Virtus mea defecit. Tertii, Locus meus lachrymis rigatus diffluxit. Ego verò quũ duriores iſtæ enarrationes eſſent, prætuli, vt manũ ſimpliciter acciperem: & per diffluere, expanſioné quæ fit dum ſeriò quis precatur, intelligerem: niſi quis putet id hac voce ſignificatum, quod aliàs per נגר exprimitur, quod nos concidere dicimus: id quod vſu venit ſummé perturbatis. propter defectum enim viriũ, illis concidunt manus. פוג alioqui ſignificat etiam remiſſionem, vt in Threnis cap. 2. c. 18, Fluuius lachrymarum die & nocte, ne des פוגת, id eſt remiſſionem tibi. vnde viſum eſt hîc תפוג לא, non remiſſa eſt interpretari. Porrò vtcunque vacillare in ſuis ſpem ſinit, nunquam tamen ſuſtinet vt planè intereat. Recipit igitur ſtatim ſe animus, & Dei ſui recordatur. Id illico non aliter ad implorandã eius opem toto pectore accendit, atque ſiquis iamiã à latronibus conficiendus, ſubirò aſpiciat aduenientem qui ſe eripere & poſſit & velit. Hinc ait verſu ſequenti,

4 *Recordabar Dei, & fremebam: loquebar, & torquebatur ſpiritus meus.* Ait ſe fremuiſſe & loquutum eſſe, ídque eo animi feruore vt queratur ſpiritum ſuũ contortum, ſumméque fuiſſe exagitatum. id enim ſignificat verbum תתעטף, de quo & in verſum 3 Pſalmi 67. Selah hîc ſubſcriptum, monet conſiderare, quouſque ſuos ſubinde Deus deiiciat, quum tamen diligat.

5 *Apprehendiſti oculos meos, vigiliis contuſus ſum, nec loquebar.* Canit tantam fuiſſe ægritudinem, vt ſomnum penitus excluſerit, & loquelam ademerit. *Tenuiſti oculos meos cuſtodiis*, id eſt vigiliis, pro, arcuiſti ſomnũ ab oculis meis, per noctis cuſtodias, id eſt partes. In quatuor enim excubias vel vigilias apud Iudæos diuidebatur nox: quod & Euangeliſtæ indicant. Sic autem ſomno excluſo, &

animo moleſtia excruciato,dici non poteſt quæ & quàm moleſtæ cogitationes ſubeāt:maximè
autem de temporibus prioribus,in quibus res ſecundæ erant. Hinc ſequitur,
6 *Cogitaui dies ab olim,annos priſtinos:*
7 *Memor eram modulationis meæ, in nocte cum corde meo loquebar, & inquirebat ſpiritus meus.* Memorat
ſe priſca tempora, & annos ſuperiores ſecum reputaſſe, ac recordatum, vtque olim Dei laudes
carmine modulatus fuerit, agens gratias ob ampliſſima eius beneficia, quũ nunc totus ſit in de-
ploranda ſua miſeria & calamitate, de qua tota nocte ſecum commentetur. Sic verò laborantes
animi altiſſimè ſe dedere cogitationibus ſolent,maximè noctu,conarique, rimari,& excutere o-
mnem iudiciorum Dei rationem,quo infinitũ ſibi dolorem adſciſcunt. Id ſe feciſſe canit,quum
ſubiungit,ſpiritum ſuum perueſtigaſſe,vtique Dei ſuper ſe conſilium,& calamitatis cauſas mo
dúmque. Hinc ergo ſubierunt ſequentes querelæ,
8 *Nunquid in ſecula propellet Dominus,& non addet ut beneuolus ſit adhuc?*
9 *Num collegit penitus ſuam bonitatem,defecit ſermo in generationem & generationem?*
10 *Num oblitus eſt beneuolus eſſe Deus? ſi præſcidit in ira miſerationes ſuas?Selah.* Spiritu docti & inſtin
cti Sancti,haudquaquam credere potuerunt, ſe vſque à Domino deſerendos. de mora ergo que-
runtur. אמר in verſu 9, *oraculum* reddidi. Omnino enim de ſermone conſolatorio,& Dei (nam ho
minum conſolatio nullius momenti eſt apud Sanctos, dum Dei flagella ſentiunt) loquutus eſt.
Huiuſmodi autem ſermo,quid aliud quàm oraculum eſt Spiritus,cordi Sanctorũ perſuadentis,
de Dei erga ipſos perpetua beneuolentia? Selah his queſtibus ſubiectum,indicat quàm ſoleant hi
flagrantes eſſe,etiã in ſanctiſſimis: ac inde monet, vt Dei in ſuos conſilia propius conſideremus.
11 *Et dixi, Ægritudo mea hæc,annorum dexteræ Excelſi.*
12 *Recordabar ſtudiorum Iah,nam recordabor ab olim miraculi tui:*
13 *Et meditabor in omni opere tuo, & in ſtudijs tuis loquar.* Canit vt receperit ſe ab omni conſterna-
tione, & qua ratione, memoria ſcilicet mirabilium Dei, quæ antehac Deus populo ſuo fecerat.
Verſum vndecimũ alii aliter interpretantur. quem ſenſum ſequutus ſum,eum puto ſequẽtibus
conuenire: alii iudicent. Kimhi verbum *recordabar* ſequentis verſus & huc trahit, hoc modo, Et
quum cogitabam, Hæc mors mea,hæc internecio mea (ſic enim interpretatur חלותי) recordabar
annorũ dexteræ Altiſſimi, hoc eſt facinorũ quæ ſua dextera olim Deus pro ſuis edidit. שנות alii
mutationem vertunt, ſed paucis Hebræis ſubſcriptoribus, & omnino euincunt ſequentia,ac to-
tum Pſalmi argumentum,rectius legi annos. Certè nihil eſt quod æquè animum in afflictione
erigat vt preſſa operum Dei pro ſuis cõſideratio. Huic ergo ſeſe dediſſe, canit tot verbis,per tres
hos verſus,11,12 & 13. Intentiſſimam ſiquidem meditationem hæc res requirit,nec alia ſeſe à per-
turbatione ſua ſanctus recepit,& conſolatus eſt. Vt enim perpenſio calamitatis auget dolorem,
ita operum bonitatiſque Dei illum pellit,& ſpe optima facit exaltare. Hinc ſequitur,
14 *Deus in Sancto,uia tua,quis potens & magnus ſicut Deus[noſter?]*
15 *Tu Deus facis miraculum, notam facis in populis uirtutem tuam.* Hæc exultabundi animi exclama-
tio eſt, *Deus*,inquit, *in Sãcto*,hoc eſt,qui præſides in Sactario,& iuxta promiſſa tua,te propitium ac
beneuolũ nobis exhibes. *via tua.* hoc per exclamationem legendũ puto,acſi dixiſſet, O vias tuas,
ô mira bonitatis ſuper populũ tuum conſilia. A. Ezra ſubaudit בעבור,id eſt propter, quaſi cecine-
rit Deum glorioſum in Sancto,propter inſtituta ſua. Alii Sanctũ pro cælis intelligũt. Equidem
quia illud *in Sancto*,ſolet ferè à Pſalte vſurpari quũ Dei in populo ſuo præſentiã canere inſtituit:
& viæ Domini,facta & conſilia eius ſunt,quæ non in templo nec cælo ſolùm,ſed maximè inter
homines exercet: quũ denique quæ in hoc verſu ſequũtur, exclamatio quædam ſunt: viſum eſt
ad eundem modum & priorem particulã accipere. iudicium ſit penes lectorẽ. Solitum brachii e-
pitheton ſubaudiendum eſt, nempe נטויה,id eſt extentum, quo Scriptura inſignem illam poten-
tiam Dei ſignificat, qua filios ſuos ex Ægypto eduxit. Filios dicit Iaacob & Ioſeph, propterea
quòd Ioſeph ob beneficium fratribus & patri,quũ fame laborarent, præſtitum,& ipſe patris loco
ab eis coli cœperit. Poſteri quoque eius per Ephraim ita aucti numero & potentia fuerũt, vt nõ
raro totus Iſrael eius nomine cẽſeatur. Selah hîc adſcriptum monet conſiderandũ, Deum nun-
quam reiicere quos ſemel in numerũ ſuorum aſſumpſerit: id quod de Iiſraele vbique Scriptura
prædicat. Sed veri Iiſraelitæ ſunt qui ad vitam beatam electi ſunt.
16 *Redemiſti in brachio populum tuum, filios Iaacob & Ioſeph. Selah.*
17 *Viderunt te aquæ Deus,uiderunt te aquæ,parturierũt, commotæ ſunt abyſſi.* Hiſce verſibus canit quàm
potẽti brachio Deus,quámque mirãda potentia,ſuos Ægyptiaca ſeruitute vindicauerit. Exod.
14.f.24, legimus vt Iehouah in columna ignis & nubis reſpiciens exercitum Ægyptiorũ, illum
concuſſerit, & rotas curruum eorum euerterit, egeritque in profundum. Tum verò aquæ Ma-
ris rubri viderunt Deum, & ſentientes potentiam eius parturierunt, hoc eſt quaſi metu perculſi,
doloribúſque acerbiſſimis agitati homines,fuerunt commotæ. Metaphora enim eſt ab animali

ad inanimatum. Sic eſt & ſequens particula, *trepidarunt abyſſi.* Videtur autem hîc Pſaltes voluiſſe vim deſcribere venti Orientalis præualidi, quo vna noćte exiccatum fuit Mare rubrum: ſimul & impetum recurrentis iam in locum ſuum, & AEgyptios rapientis & obtegentis.

18 *Deciderunt nimbi aquarum denſarum nubium, nocem dederunt nubes, etiam grandines tuæ diſcurrerunt.*

19 *Vox tonitrui tui in rota, illuxerunt fulgura orbi, commota eſt & tremuit terra.* Exprimit tempeſtatem, quam notat in Exodo verbum המם, quod ſignificat tumultu quodam perterrefacere. creditur enim tum tonuiſſe Deus, & nimbos ex atra denſáque nube, ita vt fieri ſolet in tempeſtatibus, demiſiſſe, grandinem ſparſiſſe, & fulguribus micaſſe, ſimul & terram concuſſiſſe. De eo quòd tempeſtatibus Deus erga ſuos beneuolentiã, & erga horum hoſtes indignationem declarare ſoleat, dictum in Pſalmo 18 & 29.

20 *In mari via tua, & ſemita tua in aquis magnis, & veſtigia tua à nemine cognoſcuntur.*

21 *Deduxiſti populum tuum ſicut gregem, in manu Moſcheh & Aharon.* Semitæ iſtæ Dei in mari & validis aquis quæ nequeunt cognoſci, de quibus canit verſu 20, eæ ſunt per quas populũ ſuum velut gregem, ducibus Moſcheh & Aharon duxit: quæ aliis adeò incognoſcibiles ſunt, vt quũ eas tentarent AEgyptii, illico interierint præfocati.

PSALMVS LXXVIII, *ἐπιγραφὴ τοῦ διδακτικοῦ.*

Monet eſſe Dei præceptum, & in primis ſalutare, facinorũ Domini in ſuum populum probè meminiſſe. Inde canit, vt quamlibet incredulum, ſignis in AEgypto editis, ex ea eduxerit, tum in deſerto continuo ſe irritantem beneficiis cumularit. Deinde reiectis iis qui ex AEgypto educti fuerant, ob eorum impietatem filios eorum, quantumuis patrum incredulitatem imitantes, & portenta pro patribus in deſerto deſignata contemnentes, in terrã præmiſſam electis indignus introduxerit: in qua etſi prouocantes ſe ſæpe grauiter adflixerit, ac tandem in ſignum iræ maximè ardentis, præter ipſorum ingentem cladem, Arcam quoque eripi paſſus fuerit, tempore Eli ſacerdotis, iterum tamen reſpexerit, dato rege Dauide, & inſtaurata religione Hieroſolymis: in quo & de Chriſto ſub typo Dauidis, vaticinatus eſt.

1 ERudiens Aſaphi. Auſculta popule mi inſtitutionem meam, inclinate aures
veſtras ad ſermones oris mei.

2 Aperiam in parabolam os meum, eloquar ænigmata temporis priſci.

3 Quæ audiuimus & cognouimus, patres noſtri narrauerunt nobis.

4 Nihil celatum eſt filios eorum in ætatibus poſteris, qui & ipſi laudes Iehouæ, robur eius, & mira facinora quæ edidit, memorant.

5 Statuit hoc decretum Iaacob, & legem poſuit Iiſraeli, quum præcepit patribus, nota hæc facere filiis ſuis:

6 Vt cognoſcat ætas poſtera, quíque nati filii ſunt, quum adoleuerint, narrent eadem ſuis filiis.

7 Indéque in Deo fiduciam ſuam ponant, nec obliuiſcantur operum Dei, & præcepta eius obſeruent:

8 Nec euadant ſimiles patrib' ſuis, natio deficiẽs & irritãs, natio quæ rectè cor ſuum haudquaquã inſtituit, & cuius ſpiritus Deo ſe firmiter minimè credidit.

9 Filii Ephraim armati, iaculantes arcu, terga dederunt tempore belli,

10 Non obſeruarunt fœdus Dei, renuerunt viuere in Lege eius,

11 Obliti ſunt factorum eius, & facinorum eius quæ illis exhibuerat.

12 Videntibus patribus eorũ portenta fecit in terra AEgypti, in agro Tãnitico.

13 Secuit mare, & traduxit illos, fecit conſiſtere aquas velut aceruum.

14 Et deduxit eos per nubem die, & ſingulis noctibus per ignem lucentem.

15 Secuit rupes in deſerto, & potauit tanquam abyſſis multis.

16 Eduxit è petra riuos, & fecit decurrere tanquam flumina aquas.

17 Adhuc peccarunt illi, & irritarunt Altiſſimum in deſerto.

18 Tentauerunt Deum in corde ſuo, quum poſcerent cibum animabus ſuis:

19 Et cõtra Deum loquuti ſunt, Num poteſt Deus mẽſam inſtruere in deſerto?

20 Percuſſit quidem petram, & effluxerunt aquæ, fluuiíque inundarunt: an poſſit autem & panem dare, carnéſque parare populo ſuo?

21 Ergo audiuit hæc Iehouah, & commotus eſt, & ignis exarſit contra Iaacob,

& ira inualuit contra Iiſraelem:
22 Quoniam Deo non crediderunt, non ſunt nixi ope eius.
23 Attamen mandauit nubibus ſupernè, & oſtia cæli aperuit:
24 Et depluit illis Man vt ederent, frumentum cæleſte dedit eis:
25 Panem nubium edit homo, demiſit illis victum ad ſaturitatem.
26 Vertit Eurum in cælis, & adduxit in virtute ſua Africum:
27 Et depluit ſuper eos carnem, tànquam puluerem, & alatas volucres, velut arenam maris.
28 Et cecidit in medium caſtrorum illorum, circum tabernacula eorum.
29 Et ederunt, ſaturatíque ſunt abundè, cupiditati eorum ſatiſfecit.
30 Nondum erat exempta cupiditas, hærebat adhuc cibus eorum in ore eorum,
31 Quum ira Dei contra illos inualuit, & occidit præſtantiores inter eos, & ſelectiores Iiſrael deiecit.
32 Super hæc omnia adhuc peccarunt ei, nec fidem habuerũt mirabilibus eius.
33 Et conſumpti ſunt dies illorũ miſerè & celeriter, anni eorum cum iugi perturbatione.
34 Quũ perderet eos, quærebãt ipſum: reuertebãtur, & ſolicitè Deo ſupplicabãt:
35 Tum recordabantur, Deum eſſe ipſorum propugnatorem, & Deum excelſum eſſe ipſorum redemptorem.
36 Fefellerunt autem ore ſuo, & lingua ſua ſunt ei mentiti:
37 Cor eorum non erat rectũ aduerſus illũ, nec fidẽ præſtiterunt in fœdere eius.
38 At ipſe tamen miſericors, remiſit iniquitatem, nec diſperdidit: magnopere iram ſedauit, nec omnem ſuam indignationem excitauit: Medium libri.
39 Memórque fuit quòd caro illi eſſent, ſpiritus qui faceſſit, nec redit.
40 Pluries irritarunt eum in deſerto, moleſti ei fuerunt in ſolitudine:
41 Rurſum tentarunt Deum, & Sanctum Iiſrael reiecerunt.
42 Non fuerunt memores manus eius, & diei quo redemit illos ab infeſtis.
43 Signorum quoque eius quæ in AEgypto fecit, & portentorum quæ edidit in agro Tannitico:
44 Quum lacus illorum vertit in ſanguinem, & riuos eius ne biberent:
45 Immiſit in eos turbam inſectorum, quæ vorarunt illos, & ranas quæ perdirunt eos:
46 Et dedit brucho prouentum eorum, & locuſtis laborem eorum:
47 Diſperdidit grandine vites illorum, & ficus eorũ cõcretis ex nube lapidibus:
48 Tradidit penitus iumenta eorum grandini, & fulminibus pecora eorum.
49 Immiſit in illos infeſtam vltionem feruẽtis iræ ſuæ, æſtuantis cõmotionis, indignationis ſæuientis, anguſtiam, vímque angelorum nocentium:
50 Muniuit viam iræ ſuæ, animæ illorum à morte non pepercit, vitam eorum peſti deuouit:
51 Percuſſit omne primogenitũ in AEgypto, primitias pignorum illorum, in tabernaculis Cham.
52 Et traduxit populũ ſuũ tanquã gregem, minauit illos vt pecora per deſertũ,
53 Deduxit tutò vt nihil expaueſcerent, inimicos eorum obtexit mare.
54 Et adduxit eos ad terminos Sacrarii ſui, ad mõtem iſtum quem vendicauit dextera eius.
55 Expulit ante eos Gentes, admenſus eis eſt hæreditatem funiculis, & fecit ha-

bitare in tabernaculis illorum tribus Iiſrael.

56 Attamen tentarũt & irritarũt Deũ excelſum,& conteſtata eius nõ ſeruarũt.

57 Deflexerunt,& perfidè contra illum egerunt,quemadmodũ & patres eorum: retorti ſunt vt arcus ſagittantis:

58 Prouocauerunt eũ ad irã excelſis ſuis,& idolis ſuis æmulatione accẽderunt.

59 Audiuit Deus,& commotus eſt, & admodum auerſatus eſt Iiſraelem:

60 Deſeruítque domiciliũ Schilo,tabernaculũ in quo inter homines habitabat:

61 Permiſit capi ſedem virtutis ſuæ, & venire in manus infeſti,domicilium decoris ſui.

62 In gladium prorſus tradidit populum ſuũ,æſtuauit ira in hæreditatem ſuam.

63 Iuuenes eorũ vorauit ignis, & virgines eorum nõ ſunt laudatæ epithalamiis.

64 Sacerdotes eorum ceciderunt gladio,& viduæ eorum non fleuerunt.

65 Et euigilauit, acſi dormiſſet Dominus, tanquam vir qui excuſſo ſopore vini vociferatur.

66 Et percuſſit infeſtos ſibi in parte poſtica, ſempiterno obnoxios opprobrio reddidit.

67 Attamen auerſatus eſt tabernacula Ioſeph,& tribum Ephraim non elegit.

68 Elegit autem tribum Iehudah,montem Siion quem dilexit.

69 Et extruxit Sacrariũ ſuum tanquam palatia celſa, velut terram ipſam quam fundauit,vt ſubſiſtat perpetuò.

70 Et elegit ſeruum ſuum Dauid,& accepit eum à caulis gregum:

71 A ſequendo fœtas adduxit eum,vt paſcat populum ſuum,& Iiſraelem hæreditatem ſuam:

72 Et paſcet illos pro integritate cordis ſui, & deducet eos minando prudenter.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Aſapho erudiens. Percipe auribus popule mi Legem meam, inclinate aurem veſtram ad ſermones oris mei.*
2 *Aperiam in parabola os meum, eloquar ænigmata ab olim.* Omnia à Dei cognitione pendẽt,quod ſæpe monuimus: hæc nulla ex re melius quàm preſſa operũ Dei conſideratione comparatur & augetur. Hinc ſiquidẽ bonitas eius & potentia rectè cognita,efficit vt in vno Deo fiduciam collocemus,& iuxta præcepta eius, vitam ſtudioſe inſtituamus. Hanc ſiquidem reddit cauſam cur debeant opera Dei omnibus adnuntiari, & liberis diligenter inculcari, verſu 7. Adiungitur ibi, Nec obliuiſcãtur operum Dei:quo indicat vt neglecta horum ratione regnat impietas, ita tum demum obtinere pietatem,quũ habentur perpetuò in oculis. Tantum ſanè momentum habet, hæc ritè perpẽdiſſe,vt Vates hoc carmen quod de his ſummatim canere inſtituit, Legem vocarit,& vitæ inſtitutionẽ,quæ ſcilicet haud poterit aliunde peti rectius. Vocauit idem & משל, quòd contineat graues & ſapientiæ fœcundas ſententias,quæ משלי vocari ſolent, ideo quòd ferè collationibus conſtent. Item ænigmata,quòd arcana,& nulli ſatis perueſtigata rerum ſcientia in his lateat. De his in verſu 5 Pſalmi 49.

3 *Quæ audiuimus & cognouimus, patres noſtri narrauerunt nobis.*

4 *Non eſt celatum filios eorum, generationi poſterorum narrantes laudes Iehouæ, & robur eius, & mirabilia eius quæ fecit.* Dixit ænigmata & parabolas ſe memoraturũ: & nunc ait ea à patribus velut per manus tradita,idque per multa iam ſecula. Sed licet cantatiſſima in populo ſemper hæc fuerint, ritè tamen à ſolis electis percepta fuere: adeò ſunt Spiritu Dei carentibus tectæ parabolæ,& obſcura ænigmata. Laudes enim Dei ſunt, quas celebrãt quicunque ex fide facinora Dei, & miracula in quibus ſuam oſtentat virtutem,memorant. Id quod quiſque filiorum Dei ſtudet,cum apud omnes,tum maximè apud liberos ſuos,& aliàs ſibi peculiariter iunctos.

5 *Et ſtatuit teſtimonium in Iaacob, & Legem poſuit in Iiſrael, quod mandauit patribus, iſta nota facere filijs ſuis.*

6 *Vt agnoſcat generatio poſtera, filij qui naſcentur, ſurgant, & narrent filijs ſuis.* Id quod prioribus duobus verſibus Vates factum cecinit, hoc hiſce canit, vt ita fieret, à Deo fuiſſe perſanctè præceptũ. Hoc præcepti legitur Deut. 4. b. 9: Hoc, inquit, vnicè caue,& ſerua hic animam tuam, ne obliuiſcatur rerũ quas viderunt oculi tui,néve recedant à corde tuo omnibus diebus vitæ tuæ,notáque facies

illa filiis tuis,& filiis filiorum tuorum.מו,id eſt teſtimonium,more Scripturæ ſolenni,hoc præceptum vocat,quòd id cum conteſtatione Deus, vt alia, præceperit. Kimhi teſtimonium hic & Legem,intelligit Legem vniuerſam,quam Dominus præcepit docere filios. Deut.6.Sed ſatis liquet hîc Pſaltẽ tantùm de eo teſtimonio ac Lege loqui,qua Deus præcepit narrare liberis facinora ſua,quib' populũ ſuum AEgyptiaca ſeruitute liberatũ,per deſertũ induxit in terrã Chenaam.

7 *Et ponant in Deo fiduciam ſuam,nec obliuiſcantur facinorum Dei,& præcepta eius cuſtodiant.*

8 *Nec euadant ſicut patres eorum,natio auerſatrix & irritatrix,natio quæ cor ſuum non direxit,& non eſt mixtus ſpiritus eius Deo.* Hæc cauſa eſt,vt dixi, cur Deus perpetuam voluerit eſſe inter ſuos operum ſuorum memoriam, & iugi ſucceſſione patres filiis ea commẽdare:nimirum vt Deo crederent,memores ſemper quid ille iam pro ſuis feciſſet,vt & porrò facturum omnia ſperarent,tum ſe inuicem amarent:quò vocant Dei præcepta omnia. Natio patrum de qua in verſu 8 canit,& vocat auerſatricem & irritatricem,ii fuerũt qui ex AEgypto egreſſi,propter incredulitatem ſuam, qua decies Dominũ tentarunt,præter Kaleb & Iehoſua,in deſerto omnes periere:quod Dominus iuraſſe legitur,Num.14.f.35.Cauſa omnium malorum illis fuit,quòd cor ſuum non dirigebant ad Deum,non confirmatum ad ipſum habebant ſpiritum, hoc eſt non rectè de ipſo ſentiebant,non fidebant, quia quid poſſet & vellet, non cognoſcebant, quanquam plurima iam in AEgypto & Deſerto portenta eius vidiſſent.

9 *Filij Ephraim armati lanceis,arcu,conuerſi ſunt in die belli.* Incipit iam memorare in quam impietatẽ,ac inde in quas calamitates priſci ex eo inciderunt quòd factorum Dei nullam habuerunt rationem.Et primò filiorum Ephraim nominatim meminit, quos ſua in fugam egit impietas. Hebræi ad id referunt quòd hos legimus à Gathæis cæſos,quum vellent abigere illorum pecora, de quo 1.Paralip.7.d.21.Sed quia Vates ſub finem Pſalmi, Dei erga ſe bonitatem celebrat,qui ſe Regem cõſtituiſſet populi ſui,& in ſua ciuitate,reiecta Schilo,ſedem gloriæ ſuæ delegiſſet: ac ita per occaſionẽ meminit cladis populo inflictæ, quũ Arca à Philiſthæis caperetur,à quo tempore Schiloh reiecta à Domino fuit.Mihi magis veriſimile videtur ,hoc eũ de toto populo canere:& ideo Ephraim potius quàm Iiſraelem dixiſſe,quòd in horum ſorte Schiloh ſedes Arcæ fuerit.vnde veriſimile eſt,eam tribum primas in eo bello partes habuiſſe,eòque & maiorem accepiſſe cladem quanlibet armati fuerint & lanceis, & arcubus, & ad ſagittandum inſtructi. Hanc cladem eo ſignificauit quòd ait conuerſos, hoc eſt dediſſe terga hoſti.

10 *Non obſeruarunt fœdus Dei,& in Lege eius noluerunt ambulare.* Hæc cauſa erat quòd ſtare cõtra hoſtes nequibant,nempe quòd fœdus Dei violarant,non ipſum vnũ Deum colẽtes, & Legi eius viuentes:id quod recepta Lege in monte Sinai promiſerãt. De fœdere inter Deum & populum ſuum,dixi in verſu 10 Pſalmi 25.Id verò mali ex eo veniebat de quo canit verſus ſequens,

11 *Et obliti fuerunt facinorum eius, & miraculorũ eius quæ oſtenderat eis.* Nam dũ in memoria iã non haberent vt Deus ſe declaraſſet ſeruatorem maiorum ſuorũ, ipſi quoque fiducia eius exciderũt.

12 *Coram patribus eorum fecit miracula in terra AEgypti[in]agro Soan.* Perſtringit ſummatim miracula edita in AEgypto.צען,Græci & Latini Tanim fuiſſe putãt, nec abludit adeò nomen Tſoan. Hæc,teſte Strabone libro 17,maxima in oſtio,quod Tanniticum vocatur,ciuitas fuit.

13 *Secuit mare,& traduxit eos,& conſtituit mare ceu aceruum.*

14 *Et deduxit eos in nube die,& omni nocte in lumine ignis.* Quòd canit conſtitutas & collocatas aquas ceu aceruum,voluit illud verbo exprimere quod legimus Exod.14.g.29, Et erãt illis aquæ ceu murus à dextris & ſiniſtris. Ibidẽ d.19,præſentia & ducatus Angeli nube per diem,& igne per noctem,deſcribitur.Quo vtique ſemel Dominus demõſtrauit quantam ſuorum curam habeat, & vt illis ducẽdis ſuos Angelos nullo vnquam tempore abeſſe patiatur:qui illis bona cuncta adducant, & pericula quæuis depellant. omnino enim figuræ & typi ſunt,quæcunque huic populo Deus exhibuit,in quibus Dei ſuper nos conſilia delineata conſiderare debemus.

15 *Secuit rupes in deſerto,& potauit[eos]abyſſis ampliſſimis.*

16 *Et eduxit riuos è petra,& fecit decurrere tanquã flumina aquarum.*Miraculum aquarũ,quas è petra populo Dominus eduxit,legitur Exod.17.Huius miraculi meminit & D.Paulus 1.Corint.10.a.4, Locus Pauli, Corinth.10.
vocauítque petram hanc ſpiritualem,ſicut & Man ſpiritualem cibum,propterea quòd ſingulari Dei beneficio ad hoc præcipuè collato vt gloria Domini à populo agnoſceretur,iſta Iiſraelitis olim contigerunt. Addítque Chriſtum eſſe illam petrã,hoc eſt,vt D. Auguſtinus interpretatur, per petram illam fuiſſe repræſentatum & adumbratũ. Vt enim ex illa Dei populus, ſiti alioqui in Deſerto periturus, abundè corpore potus fuit, ita in deſerto hoc mundo,vbi nihil eſt quod ſitim animorum ſedare queat, ſic potat Seruator ſuo donato Spiritu, vt in æternum ſitis omnis excludatur.Quidam ſpiritualem petram,de qua bibiſſe Patres Paulus ſcribit,ipſum Chriſtũ per fidem hauſtum intelligunt.ſed iſti non animaduertunt,quòd Paulus in exemplũ nobis(ne ceremoniis fidamus abſque pietate)memorat Patres omnes de ſpiritali petra bibiſſe,nec tamẽ omnes

Deo placuiſſe, ſed ob impietatem in deſerto fuiſſe proſtratos. Iam qui Chriſtum bibit, nihil vnquam bonorum poterit ſitire.

17 *Et adiecerunt adhuc peccare illi, irritare Altiſſimum in torrido.*

18 *Et tentarunt Deum in corde ſuo, petendo cibum cupiditati ſuæ.*

19 *Et loquuti ſunt contra Deum: dixerunt, Num poterit Deus inſtruere menſam in deſerto?* Canit hîc quæ
legimus Num.11, accidiſſe in ſepulchris concupiſcentiæ. Tentare Deũ (de quo verſus 18) eſt cum manifeſto contemptu Dei & promiſſorum eius irriſione, virtutis eius experimentũ poſcere. Sic
Matth.4.a. quum Scriptura memorat illos Dominũ tentaſſe in Raphidim, narrat dixiſſe, Eſtne Dominus inter nos, an non? quaſi diceret, Prædicas tu Moſcheh perpetuò Deum nobis adeſſe, noſtrique curã agere: cur igitur ſinit aquæ inopia tãtopere nos adfligi? res ipſa clamat, te nobis verba dare. Si eſt inter nos Deus, demonſtret id ſuppeditando aquas, nec ſinat enecari ſiti: vtinã in AEgypto manſiſſemus, &c. Ad hunc modum omnes ſanè tentationes populi deſcribuntur. Hinc quouis modo intempeſtiuã Diuinæ virtutis declarationem petere, Tentare Deum in Scriptura dicitur. Ita tentationem Dei Dominus interpretabatur, ſi ſe è pinna templi præcipitaſſet, periculum facturus ſi Angeli eum manibus ſuis eſſent excepturi, ita vt Pater promiſerat.

20 *En percuſſit rupem, & defluxerunt aquæ, & fluuij inundarunt: num etiam cibum poterit dare? ſi parabit carnem populo ſuo?* Hic verſus ſic eſt vt poſſit videri à Vate ſubiectus, tanquã volẽte populo murmuranti & de Deo diffidenti reſpõdere, in hunc ſenſum, En iam experti eſtis virtutẽ Dei in Raphidim, vbi iuſſu eius petra cæſa, potũ vobis dedit largiſſimè: quî poteſtis modò dubitare, eum poſſe & cibos ſubminiſtrare, mẽſámque parare quibuſlibet inſtructã lautitiis in deſerto? Si verò iis verba populi murmurãtis voluit referre, incredibilis ſanè eũ impietatis accuſauit: vt qui impietatẽ populi mirè exprimit, qui expertus Dei bonitatẽ & virtutẽ in data aqua, adhuc non dubitare modò, ſed etiã irridere illũ ſibi permiſerint. לחם verò hîc nõ pro Man, ſed cibo alio (vti paſſim ſolet) accipitur. Man enim iampridẽ depluere Dominus cœperat: populus autẽ illud faſtidiebat, vulgarem cibũ petens. vnde & carnium, eodẽ verſu (quo indicaret de eadẽ re ſe loqui) ſimul meminit.

21 *Propterea audiuit Iehouah & ſuccenſuit: & ignis exarſit in Iaacob: & etiam ira inflammata eſt in Iiſraelem.*

22 *Quia non crediderunt in Deo, & non ſunt ope eius confiſi.* Kimhi videtur quòd Vates hîc duplicem vltionẽ meminerit: incẽdij quod poſtremã partem caſtrorum apprehẽderat, quũ de labore viæ murmuraſſent, & eius quæ populũ inuaſerat, quũ carnes accepiſſent. Vtraque ſanè eodẽ loci accidit, vt legimus Num.11. Cauſa vtriuſq; erat quòd Deo nõ fiderẽt: id quod exprimit verſu 22.

23 *Et mandauit nubibus deſuper, & oſtia cælorum aperuit:*

24 *Et pluit ſuper eos Man in cibum & frumentum cælorum dedit eis.*

25 *Cibum potentum edit vir, uictum miſit illis ad ſatietatem.* Miraculum dati Man, ita miraculo coturnicum coniunxit, quaſi ſimul accidiſſet, quũ id populo contigiſſet antequam aquas accepiſſet in Raphidim. Mihi tamen videtur Pſaltes his verſibus non voluiſſe memorare datum Man, ſed potius populi traducere impietatem, qui inſigne adeò Dei donum ingratus faſtidierit, atque
Num.11.b.a abominatus ſit: nec ex eo didicerit Deo planè fidere, & ipſius ſe bonitati totum committere. Areſcit, inquiebant, anima noſtra, nihil videntibus oculis noſtris niſi Man. Atque ideo videtur tã magnificè hoc Dei donum celebraſſe. vocat enim frumentum cælorum, & cibum אבירים, id eſt fortium. Hebræi nubes interpretantur, quæ & שחקים, quod item robuſtos ſignificat, dicuntur. Alii Angelorum legunt, quod tamen non ita intelligendum eſt quaſi eo cibo Angeli veſcantur: ſed quòd è cælis Angelorum domicilio deſcẽderit. Dum enim nihil poſſumus animo cõcipere cui non locum aliquem tribuamus, ſupernas interim Deo & beatis mentibus ſedes aſſignamus: qui tamen loco haudquaquam circunſcribuntur, corporum expertes. מן vocatum hunc cibum, cuius figura & ſapor Num.11.b.7, ſatis diligenter deſcribitur, R. Schlomoh putat quaſi paratũ, ordinatũ. מנה enim parare ſignificat. Sic Dan.1.a.5, ſcribitur, וימן להם המלך, & ordinauit eis rex cibũ, &c. Exo.16.d.15, legimus, quum populus vidiſſet ceu pruinã, hoc frumentum cælorum circa tabernacula ſua ſparſum, dixiſſe quenque ad fratrem ſuum, מן הוא, id eſt paratum iſtuc. quaſi diceret, Hic ille cibus eſt quem Deus nobis parauit: neſciebant enim quid eſſet. Reliqui verſus omnes abunde patent ex hiſtoria facti, Num.11.

26 *Et uertit in cælis Eurum, & adduxit uirtute ſua Aphricum:*

27 *Et pluit ſuper eos carnem ſicut puluerem, & uolucre alatum ſicut arenam marium.*

28 *Et cecidit in medio caſtrorum eius, circum tabernacula eius.* Et hæc indicant, proximis verſibus Vatem voluiſſe impietatẽ populi exagitare, qui Man faſtidierit: non autem hiſtoriã, vt illud datum fuit, memorare. Nam hîc hiſtoriam quaſi concludit & ſatiatæ & vltæ concupiſcentiæ. Vocat Aphricum תימן, quia regio Theman Meridionalis Iudæis eſt, nomen habens à filio Iiſmael, Theman dicto, vt legimus Gene.25.b.15.

29 *Et comederunt, & ſaturati ſunt ualde: & attulit eis deſiderium eorum.*

30 *Non receſſerant à cupiditate ſua, adhuc cibus eorum in ore illorum.*

31 *Et ira Dei exarſit in eos, & occidit in pinguibus eorum, & iuuenes Iiſrael humiliauit.* Canit vt maturè vltio, hæc dona Dei impiè poſtulata, cõſequuta ſit. Quo monemur, nõ ſemper beneuolentiæ eſſe ſi cupita Deus largiatur, ſæpéquenumero iræ potius quàm fauoris eſſe documentum, externis iſtis bonis abundare: id quod in diuite epulone videre eſt. Tam ſiquidem bonus eſt Deus, vt qui Luc.16.e.19. æterna reſpuunt, his temporaria tamen bona ſuppeditet, ne nihil à bonitate eius percipiant.

32 *In omni iſto peccarunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius.*

33 *Et conſumpſit in nihilo dies eorum, & annos eorum in nihilo.* Notat murmur populi & ſeditionem quæ excitata fuit quũ exploratores terram Chenaã renuntiaſſent, optimã quidem, ſed inuictã: de qua Nume.14.a.1. Hoc murmure ita ſanè Deus offenſus fuerat vt vellet totum populum delere: quùmque placatus fuiſſet ad precem Moſcheh, iurauit tamen nemini eorũ qui ſigna ſua in AEgypto vidiſſent, quique numerati fuiſſent à xx annis & ſuprà, illam aſpiciendam. Id canit Pſaltes verſu ſequenti,

34 *Quum occiderentur, & inquirebãt eum, & reuertebantur, & maturabant [ad] Deũ.* Prædicat Dei bonitatem, qui populũ identidẽ veniã orantem receperit, etſi cõtinuò ad ingeniũ redirẽt, ac reſipiſcẽtia promiſſa fallerent, nec diutius illi ſupplices eſſent quàm ad id diris cruciatibus cõpellerẽtur.

35 *Et recordati ſunt quòd Deus rupes eorum, & Deus altiſſimus redemptor eorum.*

36 *Et fefellerunt eum in ore eorum, & in lingua eorum mentiti ſunt ei.*

37 *Et cor eorum non fuit rectum cum eo, & non fuerunt firmi in fœdere eius.* Quòd eſſent caro & ſpiritus abiens, nec rediens, hoc eſt nullarum virium, nullius firmitatis.

38 *Et ipſe miſericors remiſit iniquitatem, & non diſperdidit: & multus in eo fuit, vt iram ſuã auerteret, & non excitauit omnem indignationem ſuam.*

39 *Et recordatus eſt quia caro ipſi, ſpiritus vadens, & non reuertens.*

40 *Sæpius irritarunt eum in deſerto, moleſti ei fuerunt in ſolitudine:*

41 *Reuerſi ſunt, & tentarunt Deum, & Sanctum Iiſraelis reiecerunt.* Ingens fuit populi impietas, qua ita Deum in dies irritabant, vt incõparabilis indulgentiæ fuerit quòd toties illis parceret. Id voluit Vates monere, eóque tot verbis canit, vt iram ſuam Deus velut vi ſuppreſſerit, meritámque vltionem auerterit. Præterea prædicat miſericordiam eius, & ex eo quòd huius rationem habuit, quo id notat quod Dominus dicebat, Num.14.d.22, En decẽ vicibus irritarunt me. *Reuerſi ſunt*, de eo dictum eſt quòd ſemper, quanlibet admirandis oſtentis, Dei virtutẽ & bonitatem experti eſſent, ad tentandum tamen ipſum atque irritandum redirent.

42 *Non ſunt recordati manus eius, diei qua redemit eos de anguſtia.*

43 *Quum poſuit in AEgypto ſigna ſua & portenta ſua in campo Soan:*

44 *Et vertit in ſanguinem riuos eorum, & fluenta eorum ne biberent.* His verſibus accuſat impietatem populi, quòd ſigna in AEgypto pro ipſis edita cõtempſiſſent: & quædam eorum enumerat, quæ vt cantatiſſima tum fuere, ita nõ habuit neceſſe illa eo ordine recenſere quo acciderũt. Primum quidem primò poſuit, lacus ſcilicet AEgypti verſos in ſanguinem. Scribit ſiquidem Strabo libro 14, AEgyptum foſſis Nili riuos recipientibus vndique interſectã, vt vbique nauigabilis ſit. has foſſas & lacus Scriptura יאורים vocat. de hoc malo Exod.7.d.20.

45 *Miſit in eos mixtionem, & vorauit eos, & ranam, & vaſtauit eos.* Malum venenatarũ muſcarum, (quas ערב, quod alioqui mixtionem ſignificat, vocari vulgò credũt) quinta plaga fuit, vt ranæ ſecunda. de quibus Exod.8.d.17.

46 *Et dedit brucho prouentum eorum, & laborem eorum locuſtæ.* Hoc malum in ordine quem Exodus habet, ſeptimũ fuit. Scitè exprimit qua ratione ſingulariter hoc malum vſſerit, Abſumpſit fructum laboris. de eo legis Exod.8.f.24.

47 *Et perdidit grandine vineam eorum, & ficus eorum lapide grandinis.*

48 *Et concluſit grãdini iumentum eorum, & pecora eorum fulminibus.* Hæc ſeptimo loco memorãtur Exod.9.e.23, Tempeſtas, grando, & fulmina. חנמל quidam pruinã vertunt, ſed ſunt lapides grandinis maiuſculi. nam Exod.9, de tempeſtate loquitur qua fuerunt omnia vaſtata. Paraphraſis Chaldæa habet, Carbones ignis. Modus iſte loquendi, *Et concluſit grandini*, habetur etiam infrà in verſu 59, & 62. Significat autem quid penitus tradere, ceu incluſum eius manibus cui traditur.

49 *Miſit in eos feruorem iræ ſuæ, ardentem indignationem, furorem & anguſtiam, legationem angelorũ noxiorum.*

50 *Librauit ſemitam iræ ſuæ, non pepercit à morte animæ illorum, & vitam eorum concluſit peſti.* Hæc peſtilentia de qua canunt hi verſus, quinta plaga fuit, vt legitur Exo.9.a.3, ſæua admodum: ideo de ea tam atrociter cecinit. Vocauit autem eam Legationẽ angelorum nocentiũ: per illos enim Deus peſtem & alia mala immittit. Inde Dominus dicebat, infirmã muliercula à Satana ligatam. De Luc.13.d.16.
Iiob quoque. & iis qui (quũ Dauid Dominũ irritaſſet numerato populo) peſte peribant, & de exer Iob.2.b.7. 2.Sam.24.c.16.
citu Sãcherib, ac aliàs ſæpe, manifeſtè Scriptura per Angelos, Dei vltionem perfectã memorat. 2.Reg.19.g.35.

51 *Et percuſſit omne primogenitum in AEgypto: primitias uirtutis illorum in tabernaculis Cham.* Hæc interfectio, decima plaga fuit, de qua Exod. 11. b. 5. *Tabernacula Cham* dixit pro AEgypto, quia Miſraim (vnde AEgyptii nomen Hebræis & originem duxerunt) filius Cham fuit. Gene. 10. b. 6.

52 *Et traduxit ſicut gregem populum ſuum, & eduxit eos ſicut pecus in deſerto:*

53 *Et deduxit eos tutò, & non trepidarunt, & inimicos eorum operuit mare.* Hîc canit beneficium eductionis ex AEgypto, & deductionis per Deſertum, certè admirandum: (nam omni humano præſidio deſtituti erant) tum oppreſſionis hoſtium, quos operuit mare. In quo Deus eximiè ſanè demonſtrauit qua ſuos ſoleat cura moderari, quàm benignè tutari, vtque bonis omnibus, etiam vbi nihil quàm incultum deſertum eſt, cumulare.

54 *Et adduxit eos ad terminum ſanctum ſuum, montem iſtum [quem] poſſedit dextera ſua.* Terrã Chenaan ſanctã vocat, & peculiariter à Deo poſſeſſam, quia decreuerat Deus in hac nominis ſui cultum celebriorem & ſolennem inſtituere, ita vt huic religione Abrahæ & Iiſaak & Iaacob præluſerat. In hanc ergo terram adduci, ſingulare Dei beneficium erat, ſicut extremum malum inde eiici: id quod in Iudæis luce clarius adparet. Nunc perinde eſt vbi habites, quantũ quidem ad locũ attinet: at pio nihil optatius quàm degere inter Sãctos, qui vbicunque fuerint, in terra ſancta, & Dei poſſeſſione erunt. Montem hîc, regionem montanam Amorrhæorum intelligit.

55 *Et expulit ante eos Gentes, & fecit eos ſorte poſſidere hæreditatem, & fecit habitare in tabernaculis eorum tribus Iiſrael.* Agri funiculis & ſorte miſſa diuidi ſolẽt: hinc mittere ſortẽ & funiculos, ſæpe pro tradere poſſeſſionẽ Scriptura vſurpat: de quo & in Pſal. 16. b. 5. Porrò quòd canit Dei beneficiũ, eſt quòd Gentes in gratiam Iiſraelis expulit, & hunc in illorũ poſſeſſionẽ adduxit, propriámque ei fecit.

56 *Et tentauerunt & irritarunt Deum altiſſimum, & teſtimonium eius non obſeruarunt:*

57 *Verſi retro ſunt, & defecerunt ſicut patres eorum, uerſi ſunt ut arcus iaculantis.*

58 *Et irritarunt eum excelſis ſuis, & idolis ſuis ad æmulationem eum prouocarunt.* Defectiones recẽſet accuſati populi, admiſſas in terra Chenaan, in quã introducti erãt, vt colerent ſumma innocentia & pietate Deum: de quibus memorat totus liber Iudicũ. *Arcum* רמיה, alii legũt, arcum eiaculãtem ſagittas: alii, doloſum. & hîc putãt doloſum & fallentem arcum dici, qui illicò vertatur, & aliud feriat quàm expectatum ſit. Sic filios Iiſrael alios quàm promiſerint, quàm ab eis expectatũ ſit, ſeſe exhibuiſſe. A. Ezra, & Paraphraſis Chaldæa, eiaculãtem legunt: vt intelligas aſſimilatũ Iiſraelem arcui ad eiaculandum facto, ſed euerſo, id eſt remiſſo, qui iam ad impellendum ſagittam ſit planè ineptꝰ. Sic ſanè illi Deo prorſus inutiles facti, nihil omnino virtutis ad officia iuſtitiæ reliquũ habebant. Hoſchea 7. d. 15, eodem loquẽdi modo vſus eſt. De his eſt totus liber Iudicum.

59 *Audiuit Deus, & ſuccenſuit: & ſpreuit admodum Iiſrael.*

60 *Et repulit habitaculum Schilo, tabernaculum [quo] habitat inter homines.*

61 *Et dedit in captiuitatem robur ſuum, & decorem ſuum in manum anguſtantis.* Deus populum ſuum tum magnifacere agnoſcitur quum benignè ei conſulit. Vbi ergo ſub Eli ſacerdote Arcam fœderis ſingularem ſedem nominis ſui (quam Vates ideo עז virtutem, vel robur eius & decorem vocat, eo quòd hæc populo ex Propitiatorio exhibuiſſet) Philiſthæis permiſiſſet, ac eo velut numinis ſui præſentiã & præſidium negaſſet, populũ ſanè ſupramodum contempſit, vilémque habuit. De his legimus 4, 5 & 6 primi Schumuelis. hæcque reiectio Schilo fuit: nam eò Arca relata nunquam fuit.

62 *Et concluſit gladio populum ſuum, & hæreditati ſuæ ſuccenſuit:*

63 *Iuuenes eius vorauit ignis, & uirgines eius non ſunt laudatæ.*

64 *Sacerdotes eius in gladio ceciderunt, & uiduæ eius non fleuerunt.* Sæuiſſimum bellum fuit, & verè populus à Deo hoſtibus gladio traditus, & addictus: ceciderunt enim vno prælio ex populo triginta millia. Tum *vorauit ignis*, hoc eſt vis belli, ſummæque vltionis, iuuenes. ignis enim hîc metaphoricõs accipitur. Et virgines eius nõ ſunt laudatæ, ſcilicet epithalamiis, vt mos erat: quia ſponſos abſumpſerat bellũ. Sacerdotes quoque interempti ſunt, & viduæ eorum nõ ſunt lamentatæ: quia audita morte maritorũ, cum Arcæ captiuitate, ipſæ pariter interierũt præ dolore: vti legitur de vxore Pinehas filii Eli principis Sacerdotum.

65 *Et euigilauit ſicut dormiens Dominus, ſicut fortis uociferans à uino.*

66 *Et percuſſit aduerſatores ſuos in parte poſtica, opprobriũ ſempiternum poſuit eis.* Solet Dominus ſic impiis vice virgæ ad caſtigandum ſuos vti, vt mox ipſos ſuæ virtuti omnia adſcribẽtes, penitus deleat. Ita & Philiſthæos diis ſuis eam victoriã referentes, ſempiterno opprobrio affecit, cæſis cunctis Philiſthæis in partibus pudẽdis: ſicque compulit Arcam remittere. Vſus eſt hîc Vates ſimili viri ſopiti à vino, qui excitatus cum impetu & vociferatione in hoſtes ruit. Sic enim nihil tale expectantibus, & ſecurè triumphãtibus, ſubitò Deus vltionem immiſit, qui antea viſus erat dormire, & nullam ſuorum habere rationem.

67 *Et auerſatus eſt tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit,*

68 *Et elege tribum Iehudah, montem Siion quem dilexit:*

69 *Et extruxit ſicut excelſa Sacrarium eius, ſicut terram fundauit eam in ſeculum.* Arca fœderis à Philiſtæis reddita, non eſt reducta Schilo, quæ in tribu erat Ephraim, ſed manſit vſque ad regnum Dauidis in Kiriath-Iearim. Ita reiecta eſt tribus Ephraim, & tabernaculum Ioſeph, & electa tribus Iehudah, in qua perpetuum domicilium ſibi Dominus delegit, extructum, vt excelſa regia, & fundatũ vt terra quæ nũquam mouetur. In quo eſt de Eccleſia Chriſti vaticiniũ, vt & Pſalmo 46 & 48, atque alibi. Nã templũ à Salomone extructũ, nõ multis adeò pòſt annis exciſum fuit.

70 *Et elegit David ſeruum ſuum, & tulit eum à caulis gregis.*

71 *A tergo fœtarum adduxit eum ad paſcendum Iaacob populum ſuum, & Iiſraelem hæreditatem ſuam.*

72 *Et paſcet eos ſynceritate cordis ſui, & in prudentiis manuũ ſuarũ minabit eos.* De ſua à paſtura ouium ad regnum exaltatione canit: & in ſeipſo, quem canit cõſtitutum fuiſſe, vt pro innocẽtia cordis ſui, prudentia manuum ſuarum, hoc eſt, prudenti adminiſtratione regni, populum Dei, ceu gregem ſynceriter deduceret, Chriſti typum exhibuit, conſiderandum. Humilitatis ſuæ multis meminit, qui à cura gregis, ab opera quam fœtibus ouium teneram & ſedulam impenderat, ad gubernandum populum Dei fuit ſelectus. ita Seruator noſter, verus homo, inſtaurator & rex factus eſt omnium, ad dexteram Patris exaltatus. Qua ratione Principes, ſubiectos regere debeãt, exprimit verſus vltimus: corde ſcilicet ſyncero, nihilque quàm populi commoda ſpectante: & prudentia manuum, id eſt omnibus quæ gerenda ſunt, inſtitutis prudentiſſimis. Sed hæc Chriſti propria ſunt: igitur à ſolis Chriſtianis Principibus præſtabuntur.

PSALMVS LXXIX, ψαλμὸς τῷ Ἀσάφ.

Queritur de calamitate illata Hieroſolymis ab Antiocho, contra quem & opem Dei implorat. ARGVM.

1 O Da Aſaphi. Inuaſerunt Gentes in hæreditatem tuã, polluerunt regiam PARAP.
Sacrarii tui, redegerunt Ieruſalem in aceruos lapidum.
2 Dederunt cadauera ſeruorum tuorum in cibum volucribus cælorum, & car
nem bonorum tuorum beſtiis terræ:
3 Effuderũt ſanguinẽ eorum circa Ieruſalem velut aquam, nec eſt qui ſepeliat.
4 Eò recidimus vt probris nos vicini noſtri afficiant: ſubſannent, ac ignominia
deturpent, qui circum nos habitant.
5 Quouſq; ô Iehouah? ſuccẽſebíſne perpetuó? ardebit ceu ignis æmulatio tua?
6 Effunde indignationem tuam in Gẽtes quæ te non agnoſcunt, in regna quæ
nomen tuum non inuocant.
7 Nam Iaacob vorarunt, & ſedem eius deſolarunt.
8 Ne ſis nobis memor iniquitatum priorum: maturè præueniat nos humanitas
tua, nam admodum miſeri ſumus.
9 Adſis nobis Deus, ſerua nos propter decus nominis tui, & libera nos: propitius
ſis peccatis noſtris propter nomen tuum.
10 Cur dicant inter Gentes, Vbi eſt Deus illorum? nobilis euadat inter Gẽtes nobis
videntibus, vltio ſanguinis ſeruorum tuorum, qui effuſus eſt.
11 Perueniant in conſpectum tuum ſuſpiria vinctorum, pro magnitudine potentiæ
tuæ fac ſuperſtites eos qui morti iam addicti ſunt.
12 Repende vicinis noſtris ſeptuplum in ſinum eorum, opprobrium quo affecerunt
te ô Iehouah.
13 Da verò vt nos populus tuus, & grex paſcuorum tuorum, te celebremus in
ſeculum, deprædicemus laudes tuas in omnes ætates.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 P*Salmus Aſaphi. Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctitatis tuæ, poſuerunt Ieruſalem in aceruos lapidum.* Regio Iiſraelitarũ, ex omnibus regionibus orbis electa à Deo fuit vt in ea inuocaretur nomẽ eius: ideo dicitur peculiũ & poſſeſſio Domini hæreditaria. In hac metropolis erat Ieruſalem, quæ templum habebat, in quo ſolo Deus ſuam præſentiam erat pollicitus. Sancta igitur vt erant, ita excoli debebant à Sanctis, non pollui & vaſtari ab impuris Ethnicis. queruntur ergo contrà fieri per Antiochi milites.

2 *Dederunt cadauer ſeruorum tuorum cibum volucri calorum, carnem bonorum tuorum beſtiæ terræ.*

3 *Effuderunt ſanguinē eorum ceu aquam circum Ieruſalem[undique] & non ſepeliens.* Scel eratos populus etiā hac tēpeſtate habuit: verùm in pios, Deóque in veritate feruientes, qui in omnes beneficos ſe præſtare ſtudebant, potiſſimum ſæuiebatur, adeò vt ſepultura eis negaretur.

4 *Fuimus probrum uicinis noſtris, irriſio & ignominia iis qui circum nos ſunt.* Quanlibet dira patientibus, ac ideo miſericordia dignis vndiq; illudebatur: quæ querela paſſim in Pſalmis à Sanctis occinitur.

5 *Quouſque iraſceris Iehouah penitus, ardebit zelus tuus uelut ignis?*

6 *Effunde indignationem tuam in Gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ in nomine tuo non inuocant.*

7 *Nam uorauit Iaacob, & habitationem eius deſolarunt.* Ira & iudicium Domini à domo eius cœperat, in impiis Deum ignorantibus: ideóque quavis re, potius quàm nomine Dei confidentibus, erat abſque fine ſæuiturum. id ergo Sancti orant. Cognitio itaque Dei & inuocatio, ira Dei liberant. *Zelum* dicit, Deus enim zelotes eſt: & hoc vnicum in ſuis vlciſcitur, quòd creaturas plus quàm ſe creatorem amant. In verſu 7 eſt, *uorauit*, pro vorarūt. Excindere ſiquidem penitus & haurire, cum populum, tum templum, Antiochus ſtatuerat.

8 *Ne memor ſis nobis prauitatum priorum, propterea præueniant nos miſerationes tuæ, quia miſeri facti ſumus plurimum.* Priores prauitates, Kimhi delicta iuuētutis. A. Ezra, patrū intelligit: vtrūq; verò rectè. Externæ enim iſtæ & claræ vltiones, non tam in hoc à Deo immittuntur, vt repēdatur illis, cuique pro merito ſuo (id enim iudicii poſt hāc vitam expectatur) quàm vt Deus teſtetur mūdo, ſe vltorem ſcelerū: & in horum agnitionem homines adducat quanquam in nullum ſuprà meritū animaduertat: nec de filiis pœnas ſumat patrum, qui nullas dare pœnas digni ſunt. Fit igitur ſæpe vt quū diu ad pœnitentiam nos fruſtra expectauit, immiſſis malis, cum nobis, tum aliis, oſtendat quàm inuiſa ſibi ſint quæ olim admiſimus, efficiátque vt ea & nobis inuiſa reddantur. Sic & patrum prauitatem in filiis vlciſcitur, ſed huius prauitatis eiuſmodi hæredibus, vt digni ſint, in quibus Deus exempla edat, declarétque quàm prauitatem illam deteſtetur. Obſeruandum autem quòd quanquam pro religione iſti paſſi ſunt, peccatis tamen ſuis id imputāt. Et ſic res habet, omnium quæ Deus aduerſa immittit, cauſa peccatū eſt, etſi ſuos ſic Deus honoret, vt quæ peccatis ipſorū debentur, ſub nomine religionis & iuſtitiæ pati faciat. Siquis Eccleſiaſticam hiſtoriam legat, videbit & Chriſtianorum grauiores perſequutiones, eorum errore partim, partim ſceleribus prouocatas fuiſſe.

9 *Iuua nos ô Deus opis noſtræ, propter decus nominis tui: & libera nos, & propitius ſis ſuper peccatis noſtris propter nomen tuum.*

10 *Quare dicent[in] Gentibus, vbi eſt Deus eorum: cognoſcatur in Gentibus, coram oculis noſtris, uindicta ſanguinis ſeruorum tuorum qui effuſus eſt.* Quia religio potiſſimum impugnabatur, & qui cruciabantur & interimebantur, verè ſerui Dei erant, nominis Dei gloriam ingenti ſua conſolatione memorabant, quam vtique cedere Gentium impio furori Deus non potuit.

11 *Veniet coram te gemitus uincti, ſecundum magnitudinem brachii tui, reliquos fac filios mortis,*

12 *Et eorum, rependε uicinis noſtris ſeptuplum in ſinum eorum probrum quo te ô Iehouah opprobrarunt.*

13 *Et nos populus tuus, & grex paſcuorum tuorum, celebrabimus te in ſeculum, in generationem & generationem narrabimus laudem tuam.* Erigebant ſibi Sancti animum quū in ſe adeò Antiochus ſæuiset, & diritate eorū quæ patiebantur, & raritate ſuperſtitum ex populo, & hoſtium impietate, & ſua pietate. Quæ nimirum in omnibus ſimilibus precibus Sanctorum reperias. Septuplá repenſionem pro ampla & ſæua dixerunt. Ingens autem conſolatio erat, potuiſſe gloriari ſe popuum eſſe Dei, & gregem paſcuorum Dei. Ea verò gloriatio ſigillo electionis, Spiritu filiorum Dei conſtat. Multum profectò cōſolationis & ſanctæ doctrinæ hic propoſitum eſt Chriſtianis, qui ob tepiditatem ſuam, impiis ſubinde permittuntur: tantùm ſingula ritè perpendant.

PSALMVS LXXX, παραινετικὸς καὶ ἀκλασ[illegible].

ARGVM. *Eiuſdem argumenti hic Pſalmus eſt, cuius præcedens. Populus Dei, impiis permiſſus, orat ſe uindicari: & priora Dei beneficia, ſub uineæ allegoria præſenti calamitati collata, ad erigendam ſpem, memorat.*

PARAP. 1 PRæſuli ad Shoſchannim decoram, Oda Aſaphi.

2 Paſtor Iiſraelis auſculta, qui minas velut gregē Ioſeph, quíque inſides Chrubim, affulge.

3 Qui es ante Ephraim, Beniamin, & Menaſcheh excita potentiam tuam, age ſerua nos.

4 Deus reſtitue nos, fac illuceſcere faciem tuam, & ſeruabimur.

5 O Iehouah Sebaoth, quouſque iraſceris precationi populi tui?

6 Effeciſti vt pro cibo haberent lachrymas: pro potu, lachrymarum plurimum.

7 Poſuiſti nos, vt vicini noſtri ſemper nobiſcum contendant, vt ſubſannēt nos

inimici noſtri.

8 Deus Sebaoth reſtitue nos, fac illuceſcere faciem tuam,& ſeruabimur.

9 Vitem ex AEgypto traduxiſti,eiectis Gentibus plantaſti illam:

10 Expediuiſti illi locum,feciſti vt radices ageret,& terram repleret.

11 Vmbra eius obtexit montes,pampini eius cedros excelſas.

12 Feciſti progerminare palmites eius vſque ad mare, & malleolos eius vſque ad Euphratem.

13 Quare dirupiſti ſepem eius,vt ex ea decerpant quicunque illac tranſeunt?

14 Cur vaſtat illam aper è ſaltu,& depaſcunt eam feræ agri?

15 Deus Sebaoth redi obſecro,intuere è cælis,aſpice & inuiſe vitem iſtam:

16 Vitiarium quod plantauit dextera tua,& vitem quam roboraſti tibi,

17 Quare exuſta iam igni,conſcerptáque eſt:te increpante perierunt.

18 Adferas manu tua,pro quibus potẽtiam tuam ſolebas declarare:adferas quos tibi corroboraueras.

19 Haudquaquam à te deflectimus,vitam nobis reſtitue,vt inuocemus te.

20 O Iehouah Deꝰ Sebaoth,reſtitue nos, fac illuceſcere faciẽ tuã, & ſeruabimur.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 PAſtor Iiſraelis auribus percipe,minator ſicut gregis Ioſeph,ſeſſor Cherubim affulge.

3 *Coram Ephraim,& Beniamin,& Menaſcheh excita fortitudinem tuam,& ueni in auxiliũ nobis.* Promiſſionẽ Diuinæ præſentiæ atque tutelæ multis ab initio meminit,quo fiduciam erigeret precandi. Populum Iiſraelẽ, gregis loco habere Deus ſe receperat, acturúmque ſe illi paſtorem promiſerat: inque huius ſignum ſedem dignationis ſuæ inter Cherubim, in operculo Arcæ delegerat: de quo in Pſalmum 24,& alibi. Hæc intra Tabernaculum collocata,circundabatur vndique ab Iiſraelitis. Ab Oriente caſtra ſua habebat Iehudah,Iſachar,& Zebulon. A Meridie Ruben, Shimeon & Gad:& hi præibant quũ proficiſcerẽtur. Ab Occidente erant caſtra Ephraim,Menaſcheh,& Beniamin. Ab Aquilone,Dan,Aſcher, & Nepthali,& hi ſequebantur. Ita ferebatur Tabernaculum ante Ephraim, qui & ſigna ferebat: quæ adiunctæ copiæ Menaſcheh & Beniamin ſequebantur. huc itaque reſpexit Pſaltes verſu 3. Nume.2.4.11

4 *Deus reſtitue nos,& fac illuceſcere faciem tuam,& ſeruabimur.* Confirmata ex iam memoratis fiducia in Deum,precatur vt adfulgeat,potentiam ſuam excitet,adueniat ſeruatum,hoc eſt præſentem opem exhibeat:quod & ipſum eſt,faciem eius illuceſcere, quo populus Dei reſtituitur, & ſeruatur. Hic verſus 4 eſt intercalaris,tertiò enim repetitur.

5 *O Iehouah Deus Sebaoth,quouſque fumabis contra precem populi tui?* Queritur fumare eum cõtra precem populi ſui,hoc eſt iraſci: iratis ſiquidem fumant nares Intelligit autem cum precem iratum repellere,& libidinem impiorum,populum Dei vexantem non compeſcere.

6 *Cibaſti eos pane lachrymarum,& potaſti eos lachrymarum ampla menſura.* Senſum habet quem quartus verſus Pſalmi 42:nimirũ queritur ea calamitate populũ Dei preſſum vt dies noctéſque tantùm lachrymari libeat, præ cibo & potu. שליש capacem menſuram ſignificat. voluit enim dicere,ſe plurimum lachrymarum fudiſſe.

7 *Poſuiſti nos contentionem vicinis noſtris,& inimici noſtri ſubſannant nos.*

8 *Deus Sebaoth reſtitue nos,& fac illuceſcere faciem tuam[ſuper nos]& ſeruabimur.* Queritur populus Dei ſe poſitũ contentionem vicinis,hoc eſt factum vt vicini cũ eo iugiter contendant. Alii intelligũt ſic poſitos contentionẽ,vt vicini de eis contenderẽt,quibus ſeruirent,quorúmve iniuriæ eſſent obnoxii. Cum vtroque ſenſu quadrat quod ſequitur,nempe ſubſannatos ab hoſtibus.

9 *Vitem ex AEgypto eduxiſti,propuliſti Gentes,& plantaſti eam:*

10 *Euacuaſti coram ea,& radicaſti radices eius,& repleuit terram.*

11 *Obtecti ſunt montes umbra eius,& pampinis eius cedri Dei.*

12 *Emiſiſti palmites eius uſque ad mare,& ad flumen malleolos eius.* Similẽ facit populũ viti trãſplãtatæ. qua ſimilitudine vſus eſt & Ieſchaiahu.a.2. Agere radicẽ fecit,dũ eiectis indigenis dedit firmã illi ſedẽ in terra Chenaã. Potentiã & multitudinẽ canit verſu 10. Vocat cedros Dei,maximas,quas hæc vitis vmbra ſua ſicut & montes obtexit, quando potentiæ ſuæ omnia ſubiecit. Terminos regni,mare Philiſtinorum,& flumen,id eſt Euphratem fuiſſe,cecinit & verſu 8 Pſalmi 72.

13 *Quare dirupiſti ſepem eius,& decerpunt eam quicunque tranſeunt uiam?*

14 *Vaſtat eã aper de ſylua,& fera agri depaſcitur eã.* Sepes huius vineæ perrupta fuit, quũ ſublata ſua

protectione, Deus illam impiis Gentibus diripiendam permiſit. Apri è ſaltu nominatim meminit, & ferarum agri, quia ſolent vineæ ab his maximè depaſci. Dixit autem aprum pro apris, vti & feram agri pro feris, nequis putet de ſingulari aliqua fera ſibi philoſophandum. Abraham Ezra זיז pro volucribus accipit. Verſu 11 Pſalmi 50, ad eundem modum dixit זיז שדי pro חיה, & cõiungitur eodem verſu cum volucribus: verùm quia agri adiectum eſt, videtur rectè fera interpretari poſſe iuxta Kimhi.

15 *Deus Sebaoth redi obſecro, aſpice è cælo, & vide, & inuiſe vitem iſtam.*

16 *Et hortum quem plantauit dextera tua, & ſuper filiũ [quẽ] roboraſti tibi.* Orat vt rurſus vitẽ hanc reſpicere Deus dignetur. כנה variè interpretantur. Quidam כ pro ג poſitum arbitrantes, legunt גנה, id eſt hortum. Quidam putant idem eſſe atque כן, id eſt inſtructus locus vel manſio. Abraham Ezra vult epitheton eſſe horti vel vineæ. Vtcunque autem accipiatur, ſatis liquet vineam Domini, Eccleſiam Iiſraelis, per hanc vocem ſignificari, quam precatur ſcilicet inuiſi, & à depaſcentibus feris vindicari. Iungitur enim cum verbis præcedentis verſus, *Intuere, inuiſe*, &c. Eandem vocat & filium dexteræ eius. Scriptura enim id filium cuiuſque rei vocat quod ab ea factum eſt, aut ſeruatur, vllá ve ratione ad illã attinet. Sic Ieſchaiah 5.a.2, locũ vberẽ vocat filium olei, & 21.c.10, vocat Babel filium areæ ſuæ, quod ita vt frumentum in area, eam vellet conterere. Hîc verò iterum obſeruandum vnde fiduciam Sancti ſibi alant, memorando ſcilicet ſe vineam eſſe Dei ab ipſo plantatam, & multis donis corroboratam. Hinc certò cogitabant, fieri non poſſe quin & porrò ipſis opem ferret. Vnde ſtatim ſubiiciunt ſuam miſeriam,

17 *Exuſtam igni, exciſam, ab increpatione faciei tuæ perierunt.* Quia vineæ populum Vates aſſimilauerat, perſtat in ſimilitudine, habuiſſéque queritur inſtar vineæ exuſtæ, & conſcerptæ, vaſtatæque, ídque propter iram ipſius, qui nimirum ita de peccatis ipſorum pœnas ſumeret. Vnde adiunxit Pſaltes, mutata perſona, *Ab increpatione faciei tuæ*, vel iræ, illi *perierunt*, nempe Iiſraelitæ.

18 *Sit manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, ſuper filium hominis [quem] tu roboraſti.*

19 *Et non deflectimus à te, viuifica nos, & inuocabimus in nomine tuo:*

20 *Iehouah Deus Sebaoth reſtitue nos: fac illuceſcere faciem tuam, & ſeruabimur.* Rurſũ facit populũ Dei beneficiorũ in ſe meminiſſe, quũ orat Dominũ vt manus eius ſit ſuper virũ dexteræ eius, cui ſcilicet dextera ſua mirabiliter ſemper adfuerit: item filium quẽ ſibi confirmauit. Hinc ſanè ſciebãt veri Iiſralitæ, docente eos Spiritu, haudquaquam diu impiis tãta in ſe permittẽda. Ex eodẽ Spiritu & illud erat quod ſequitur, *Non deflectemus à te*. obſignati ſiquidem ſunt huiuſmodi Spiritu filiorum Dei, vnde deficere ab ipſo nunquam poſſunt. Omnia affectibus ardent, & iis ex deſiderio gloriæ Dei illuſtrandæ natis. Digna omnia quæ Chriſtiani diligenter expendant: nam omnino ſic, vt hic Pſalmus canit, habet ſors illorum.

PSALMVS LXXXI, ἐγκελευστικὸς καὶ διδακτικός.

ARGVM. *Ad colendum ſeriò Deum hortatur, beneficia eius in Iiſraelem memorat: tum quid hic à neglectu Dei acceperit mali, quantúmque bonorum accipere potuiſſet, ſi illi dicto audiens fuiſſet, ſummatim perſtringit.*

PARAP. 1 PRæſuli ad Githith, Aſaphi.

2 Ouate Deo opitulatori noſtro, iubilate Deo Iaacob.

3 Attollite modulamen, edite ſonum tympani, citharæ ſuauis cum fidibus:

4 Clangite tuba in Neomenia, in definito tempore ſacrificii noſtri.

5 Idipſum enim ſtatutum eſt Iiſraeli, ius Deo Iacob.

6 Obteſtatus eſt Ioſephum vt illud obſeruaret quum egrederetur AEgyptum: linguam quam non cognoſcebam, audiebam.

7 Subduxi oneri humerum eius, manus eius à furno receſſerunt.

8 Dum infeſtareris, inuocabas me, & vindicaui te: arcano tonitru annui tibi, exploraui te apud aquas iurgii. Selah.

6 Audi popule meus, & conteſtabor tibi, Iiſrael, ſi audieris me,

10 Si non fuerit tibi Deus alienus, nec ſupplicaueris Deo peregrino:

11 Sed me agnoueris Deum qui te eduxi ex AEgypto, ſolues os tuum ad petendum, & dabo omnia.

12 Sed populus meus voci meæ non auſcultauit, Iiſrael noluit me.

13 Et permiſit eos temeritati cordis ipſorum, iuxta ſua ipſorũ conſilia egerunt.

14 O ſi populus meus audiſſet me, ſi Iiſrael in viis meis ambulaſſet:

15 Quàm breui inimicos illorũ deieciſſẽ, & in infeſtãtes eos reduxiſſẽ manũ meã.

16 Qui odio habent Iehouam,eſſent illi ſeruiliter ſupplices,ipſorum autem æ-
uum perpetuò floreret:
17 Cibaret eos Deus medulla tritici,& melle è petris ſatiarem te.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *Attollite ouationem Deo,robori noſtro,iubilate Deo Iaacob:*
3 *Sumite pſalmum,& date tympanum,citharam iucundam cum fidibus.*

4 *Clangite tuba in nouilunio,in præfinito die ſacrificii noſtri.* Oda hæc cõpoſita videtur,vt in aliquo præcipuo feſto caneretur,ad excitandũ Dei ſtudium in populo. Illud verò Neomenia erat,in qua ex Lege,Nume.10.a.2, buccinis clangebatur ad ſacrificia, quo populus admoneretur Domini: qui quum Legem illi daret,& fœdus cum eo iceret,tubæ ſonitum ediderat in nubibus,Exod.19. Lex חצוצרות meminit,quum hîc habeatur שופרות: ſed vtrunque buccinas vel tubas ſignificat. Ita ſatis conſtat, etiam שופרות vſos fuiſſe, quarum mentio fit Leuit.25.b.9. Primùm ergo hortatur vt tam ſonitu buccinarum,quàm aliorum inſtrumentorum, ac etiam humanis vocibus feſtũ Domino religioſè celebrent,ita beneficiorum eius memoriam refricaturi. In verſu quarto,feſtum quidam reddunt,ſed propriè חג ſacrificium ſignificat, non feſtum,niſi qui in feſtis diebus ſacrificia offerebantur. Vnde Pſal.118.d.27, Ligate חג,id eſt hoſtiam,ad cornua altaris.

5 *Quia ceremonia Iiſrael iſtuc,iudicium Dei Iaacob.*

6 *Teſtimoniũ poſuit illud in Ioſeph quũ egrederetur contra terrã AEgypti,labium*[*quod*]*ignorabam audiebam.* Ceremonias, iudicium & teſtimonium pro eodem dicit, præcepto nimirum hoc feſtum,de quo canit,celebrandi:ſicut & Iiſrael, Iaacob atque Ioſeph,nempe pro populo ſancto. Quia verò vt cætera, ſic & iſtud feſtum de quo canit,in hoc inſtitutum erat vt populus beneficiorum Dei admoneretur,& præcipuè Legis datæ,eóque totius gentis à Deo vindicatæ,& ita in veram libertatem adſertæ, ſicut in Domini tum ſeruitutem redactæ,appoſitè Vates liberationis à ſeruitute AEgyptiaca meminit, cuius memoria religionis ſtudium in populo meritò accendi debuit. Habetur hic בצאתו על ארץ מצרים: quúmque על ferè ſuper,vel aduerſus ſignificet,Kimhi ad Deũ hoc refert,legens ad hunc modũ,Quum Deus exiret contra AEgyptum,vt ſuos vlciſceretur. Ab.Ezra ad id refert quòd è terra Rameſſes venerint,ac trãſierint AEgyptum. Chaldæa Paraphraſis refert ad Ioſeph egreſſũ carcerẽ, ad imperiũ AEgypti. ſed abũde liquet, hîc de toto Iiſraele Pſaltẽ canere,qui ſub inde nomine Ioſeph appellatur,vt dixi in verſũ 16. Pſalmi 77. Idẽ ſatis liquet & ex verſu 2 Pſalmi præcedentis. Kimhi ſententia cum ſequentibus probè congruit. Mox enim verſu 7,Deus inducitur,memorans vt remouerit humeros populi ab oneribus. Verùm hoc totum, *Quũ egrederetur*,cum ſequentibus iungi debet, non cum præcedentibus. non enim tum quando Deus cœperit egredi contra AEgyptum, ſed nec quũ populus inde proficiſceretur,data hæc Lex eſt, ſed poſtea in deſerto. Cum phraſi Hebræa non pugnaret ſi legas,Quũ egrederetur Iiſrael in AEgyptũ, nimirum ex terra Chenaã,linguam tum audiebam quam ignorabam. Nec eſt iſta perſonæ mutatio inſolens. Iſtum ſenſum ideo probarim quòd ſimplicior ſic erit ſeruitutis memoratæ:cui ſequens verſus,qui liberationem memorat,pulchrè quoque reſpondebit. Fortè & hoc obſeruandũ quòd ſcriptum hîc eſt יהוסף, cum alibi habeatur tantùm יוסף. Sed alia quoque nomina hanc mutationem recipiunt,vt יצחק & ישחק.

7 *Remoui ab onere humerum eius,manus eius à furno tranſierunt.* Inducit Deum memorantẽ vt ab onere tam duræ ſeruitutis humerum illis ſubduxerit:& ſubiicit:& *à furno*,in quo ſcilicet lateres excoquebantur,tranſierunt manus eius. Kimhi legit, Ab ollis cõficiendis. Nam non ſolũ ad faciẽdos lateres,ſed & quicquid ex luto fingitur, cogebantur. Vnde legimus Exod.1.c.14. Ad amaritudinem perducebant vitam eorum ſeruitute durã, in luto & lateribus,ac omni opere agreſti.

8 *In anguſtia inuocabas me,& liberaui te, reſpondi tibi in abſcõdito tonitrui, exploraui te apud aquas iurgij. Selah.* Canit id quod Domin' Moſcheh dicebat, Exo.3.b.7, Vidi afflictionẽ populi mei qui eſt in AEgypto,& clamorem eorum audiui,&c. Illud, *In arcano tonitrui annui tibi*,ad illud refertur, quod tonitru exercitum AEgyptiorum conturbauit, quũ Iiſraelem in Mari rubro perſequeretur: de quo ſuprà in verſum 17 Pſalmi 77. Id auxilii per antiphraſim vocat reſponſionẽ in arcano vel abſcõdito,quòd minimè in abſcõdito eſſet, licet illi ad Deũ,propter metũ AEgyptiorũ, quaſi in ſecreto clamaſſent. Volens verò ſimul populum admonere ſuæ incredulitatis, tentationis vnius (ſed præcipuæ) meminit loco omnium. In quo tamen iuxtà docet Dei bonitatem conſiderandam, quum vocat explorationem. ad hoc enim, vt & ſeipſos & Deum melius agnoſcerent, vtile eis erat ſic ſubinde tentari. Hiſtoria huius habetur Exod.17. Selah adiectum,monet conferendam inter ſe Dei in populum ſuum Iiſraelem bonitatem, & huius in Deum ingratitudinem: noſtri enim in eo typum habemus delineatum.

9 *Audi popule mi,& teſtabor tibi,Iiſrael ſi audias me.*

10 *Nec erit in te deus alienus,& non adorabis deum externum.*

11 *Ego Iehouah Deus tuus qui adduxi te ex terra Ægypti [dico]; Dilata os tuum, & replebo illud.* Inducit Deũ obtestantem populum vt ſibi auſcultet: quod ſi faciat, ſit bonis omnibus abundaturus: ſi minus, permiſſurum ſe illum ſuis cõſiliis, quibus ſeipſum ſit perditurus. Sic ſanè babent res humanæ, vt ſæpe quanlibet athei, tamen diffiſi rebus quas vident, ad inuocandnm numen conuertuntur inuiſibile, ſed ſemper falſum. non enim niſi renati, verum Deum agnoſcunt, cui & viuere ſtudẽt. Sui itaque Deus ſolidam cognitionẽ & obedientiã requirit, quã promittit cõſequuturum omne bonum. Quod enim ait, *Latè aperi os tuum:* idem eſt ac, pete quidnis, & accipies. nulla nanque bonorum poſſunt inopia laborare diditi Deo. Vnde Galli rerum & bonorum ſucceſſum notare volentes, dicunt, *Tout luy chet en la bouche.*

12 *Et non audiuit populus meus uocem meam, & Iſrael non voluit me.*

13 *Et dimiſi eos in perplexis cogitationibus cordis ſui, ambularunt in conſiliis ſuis.* Querẽtẽ Deũ inducit, quòd audire ſuã vocẽ, hoc eſt ſuis parêre iuſſis, quæ ſola ſalutifera ei erant, populus detrectarit, eóque effecerit vt eum ſuis conſiliis (quo nihil perniciosius homini) permiſerit. Ea ſunt מועצות, id eſt perplexa & perturbata, & ſemper ex mala cauſa deteriorẽ faciẽtia. Decet ſanè vt vinẽtes iuxta cõſilia ſua, conſiliis itẽ ſuis in malum ſuum fruãtur. Id quod & Prouer. 1, bellè deſcribitur, atq; Rom. 1.

14 *Si populus meus audiſſet me, Iſrael in viis meis ambulaſſet,*

15 *Propè inimicos eorum deieciſſem, & in coartantes eos reduxiſſem manum meam.*

16 *Qui odio habent Iehouam, mentirentur ei, & eſſet tempus eorum in ſeculum,*

17 *Et cibaret eum adipe frumenti, & è rupe ſatiarem te melle.* Memorat quãtis ſeipſũ populus ſpoliarit bonis dũ auſcultare Domino renuit, victoria ſanè optata & præclara contra omnes hoſtes ſuos, quos ſcilicet ſeruos haberet, ſi ipſe ſeruire Domino voluiſſet: tum rerũ omniũ beata copia. Illud, *Odientes Iehouam mentirentur ei,* explicatum eſt verſu 45 Pſalmi 18. Per *adipem,* fructus, id eſt medulla delicatiſſimi frumenti, atque mel è petra, omnis rerum delicatarum abundantia ſignificatur. Magnam ſiquidem oportet eius ſoli fœlicitatem eſſe, vbi apes in petris mellificant. Simile autem eſt Deut. 32. b. 13, Sugeret mel de petra, & oleum de ſcopulo rupis. Hyperbole eſt incomparabilis fœcunditatis, adeò vt in ſaxis proueniant quæ aliàs vix in miti ſolo prouenire ſolent. Diſcamus nos verò hinc, ibi eſſe Paradiſum, vbi timor Domini: deſertũ, vbi Domini cõtemptus: quemadmodum & verſu 7 Pſalmi 68, diximus. Cæterùm melle abũdaſſe regionẽ Iiſraelis, (quare & melle manaſſe dicta eſt) id ſanè indicat quòd Ionathan Schaul filius in ſaltũ mel reperiſſe legitur, 1. Schm. 14. d. 27.

PSALMVS LXXXII, διδασκαλὸς καὶ παραινετικός.

ARGVM. *Monet Principes ut iuſtitiæ ſtudeant: accuſat uulgi: horum iniuſtitiæ. & Deũ inuocat ut ipſe per Chriſtum orbem iudicet, cui omnes Gentes in hæreditatem ceſſuras ſimul uaticinatur.*

PARAPH. 1 ODa Aſaphi. Deus in ſenatu potentium præſidet, in medio Deorum iudicem agit.

2 Quouſque iudicabitis iniquè, & improbis deferetis? Selah.

3 Vindicate pauperes & pupillos, adflictos atque oppreſſos adſerite:

4 Eripite pauperem, & inopem de manu improborum liberate.

5 Nihil norunt nec intelligunt, in tenebris verſantur, nutarunt cuncta fundamenta terræ.

6 Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi vniuerſi.

7 Attamen ſicut homines moriemini, & ſicut violenti principes cadetis.

8 Surge Deus, iudica terram: nam tibi cunctæ Gentes in hæreditatem cedent.

AD VERBVM EX HEB. VERſIO ET EXPLANATIO.

1 P*Salmus Aſaphi. Deus adſtat in cœtu potentis: in medio Deorum iudicabit.* Omnino diuinum quiddã eſt, hominem in homines vitæ neciſque arbitrium habere: & ingens miraculum, tam multos quorum quiſque natura ſibi magis quàm alii viuere quærit, quorum denique maximam partẽ Satan ob omni obedientia detorquet, vni homini, ac ſæpe tyranno parêre. Ob hanc ergo humana conditione maiorem dignitatem & poteſtatem, támque luculentam Diuinitatis portionem, Scriptura Principes & Iudices, deorum nomine dignatur, vocás eos אלים, & אלהים. Illi autem ferè, acſi nulli altiori poteſtati ſubiecti eſſent, pro libidine, non regũt ſubiectos, ſed omni genere iniquitatis diuexant & obterunt. Monet ergo eos vt credant Deum inter ipſos adeſſe, & paulo pòſt, de violentia eorum pœnas ſumpturum, quia ſit iudicem ipſorum acturus,

2 *Quouſque iudicabitis iniquè, & facies improborum ſuſcipietis? Selah.* Hoc eſt, quàm diu nõ piget ſic deferre improbis, eóſque deprauando in ipſorum gratiam iudiciũ, honorare? Selah hìc adſcriptũ, monet malum hoc, quo nihil magis execrandum, paſſim & apud eos quoque qui ſibi admodum iuſti videntur, planè regnare.

3 *Iudicate pauperem & pupillum, afflictum & miſerum iuſtificate:*

4 *Eripite pauperem & inopem, è manu improborum liberate eum.* Hortatur ad officium, quod eſt tueri ac defendere, præcipuè eos qui, quòd ſeipſos nequeunt defendere, iniuriæ malorum maximè obnoxii ſunt. id nanque Deus ſolet: de quo in verſu 14 Pſalmi 10, & in verſu 6 Pſalmi 68. Quare & Principum erat in idem incumbere, vt quem poteſtate referunt, & vſu poteſtatis referrent. Ecquid præſtabilius quàm tueri innocuos, arcere nocentes, hoc eſt Deum quendam inter homines agere, curando vt ordine & rectè inter ſe viuant? Hinc iure ſanè Vlpianus ſcripſit, Quũ ius ſit ars boni & æqui, meritò Iuriſconſultos Sacerdotes appellari: vt qui iuſtitiã colant, boni & æqui notitiam profiteantur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolùm metu pœnarum, verùm præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes. Quibus Hoſtienſis Cardinalis, & fratrum Prædicatorum religionem profeſſus, ita ſubſcripſit, vt affirmarit in procemio quartæ Summæ, Iudices rectos, & aduocatos, vtentes legibus prout debent, meliorẽ vitam agere, quàm fratres Prædicatores, vel alii religioſi: addit Iaſon Iuriſconſultus, quàm heremitæ, ſolis veſcentes radicibus.

5 *Non cognoſcunt, nec intelligunt, in tenebris ambulant: nutant omnia fundamenta terræ.* Queritur eos qui deos quoſdam hominibus præſtare debebant, nihil horum quæ ſui muneris ſunt aduertere, nihil cõſiderare: inde miſcentur & perturbantur omnia, adeò vt terræ fundamenta ſubuertantur, hoc eſt omnis humanæ vitæ ratio & ordo, quæ nõniſi fide & iuſtitia conſiſtit, perturbetur & confundatur: tũ Diuina, quæ omnia abſumat, vltio prouocetur. Sic verſu 4 Pſalmi 75, defluxiſſe terrã canit, priuſquam iudicare, hoc eſt regere orbem Chriſtus incœpiſſet.

6 *Ego dixi, Dii nos, & filii Excelſi omnes vos:*

7 *Veruntamen ſicut homo moriemini, & ſicut vnus Principum cadetis.* Affirmat eſſe quidẽ ipſos deos, & filios Excelſi, ob tam Diuinam poteſtatem: verùm vt reliquos homines morituros, ac ſicut vnum de Principibus caſuros. Intelligit autem principes violentos, qui & ſeipſos ob vim & iniuriam, quibus ſubditos oppreſſerunt, in perniciem detruſerunt.

8 *Surge ô Deus, iudica terram, quia tu hæreditabis in omnibus Gentibus.* Tanquam ergo fruſtra ab hominibus iuſtitia expectetur, inuocat Deum vt ipſe ſurgat, & terram iudicet, gubernaculis humani generis ſibi vendicatis. Id verò per Chriſtum, cui omne iudicium, & cunctam in cælo & terra poteſtatem dedit & fecit: quare de huius regno vaticinium Pſaltes ſubiecit, *Quia hæreditate accipies omnes Gentes*: hoc eſt in peculiarẽ poſſeſſionẽ, quum ſcilicet eius Spiritu attracti, totos ſe illi dederint vltrò. Sic autem omnes gentes ipſi in hæreditatem cedunt, vt ex omnibus gentibus ſuos habeat, reiectis ſemper qui ex diabolo nati ſunt. de hoc in verſu 8 Pſalmi 2. Diſcant hîc Chriſtiani apud vnum Deum iuſta iudicia fieri, quo æquanimius ferant in mundo affici iniuriis.

PSALMVS LXXXIIII, [illegible]

Populus ſacer conſpiraſſe ad expugnandum ſe cunctos finitimos queritur: & orat illos Diuina ultione penitus abſumi ac deleri, ita ut priſci ſui hoſtes abſumpti & deleti ſunt.

1 CArmen Odæ Aſaphi.
2 Deus, ne contineas te, nẽve conniueas, ne ceſſes Deus.
3 Nam en inimici tui fremunt, & qui te odio proſequuntur, extollunt caput.
4 Aduerſus populum tuum vafrè conſultarunt, inierunt conſilium aduerſus abſconditos tuos.
5 Dixerunt, Agite, deleamus eos, ne ſint amplius gens, ne memoretur deinceps nomen Iiſraelis.
6 Conſpirarunt vnà ex corde, aduerſum te fœdus icerunt.
7 Tabernacula AEdom, & Iiſmaelitarum, & Moabitarum, & Hagarenorum.
8 Gebalitæ, Ammonitæ, & Amalekitæ, Philiſtiim cum Tyris:
9 Etiam Aſſyrii iuncti illis ſunt, fuerunt auxilio filiis Loth. Selah.
10 Fac illis vt Midian, vt Siſera, vt Iabin apud flumen Kiſhon:
11 Qui vaſtati ſunt in Endor, facti ſterquilinium terræ.
12 Fac vt horum Principes habeãt ſicut Oreb & Zeeb: & ſicut Zebach ac Salmuna, cuncti iſtorum tyranni.

13 Qui dixerunt, Vendicemus nobis vrbes Dei in hæreditatem.
14 Deus redige huc illos vt ſint ceu rota, & vt ſtipula expoſita vento:
15 Vt incendium ſyluæ, vt conflagratio montium:
16 Sic perſequitor illos procellis tuis, & turbine tuo conſterne illos:
71 Totos ignominia perfunde, & inquirent nomen tuum.
18 Pudefiant & conſternantur in omne æuum, afficiantur opprobrio, & pereant.
19 Et cognoſcent quòd tu ſolus, quòd nomen tuum excelſum ſit ſuper omnem terram.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 Deus, ne ſileas tibi, ne obmuteſcas, & ne taceas ô Deus. Hebræi exiſtimant Pſalmũ hunc in hoſtes illos compoſitum eſſe qui contra Iehoſhaphat ingentibus copiis venerant: de quibus legimus 2. Paralip. 20. Ii ſanè, ita vt hic populus Sanctus precatus eſt, extincti diuinitus fuerunt. Hanc hiſtoriam perſtrinxi in verſu 5 Pſalmi 48. Contra hos ergo orant Sancti, ne Deus ſileat, id eſt virtutem ſuam contineat, ſinens in populum ſuum graſſari impios: vehemẽter autem orant, quia extrema eis intentabant. De hac tranſlatione ſilentii, dixi in verſum 1 Pſalmi 28.

3 *Quia ecce inimici tui infremunt: & qui te oderunt extulerunt caput:*

4 *Contra populum tuum vafrè inierunt conſilium, & conſultarunt contra abſconditos tuos.*

5 *Dixerunt, Venite & extinguamus eos à gente, & non memoretur nomen Iiſrael vltrà.* Notat inſolentiam & arrogantiam, tum & ſtudium atque conatus hoſtium, nihil non tentantium quo Iiſraelem perderent. In verſu 4, vocat populum Dei abſconditos eius, eo quòd tutela eius mundo abſcondita fruantur: & quòd tam quid modò apud ipſum ſint, quàm quid futuri ſint coram omnibus, nunc omnino lateat. Conſolatio erat Sanctis quòd potuerunt dicere Deo, *Hoſtes tui, & contra populum, & abſconditos tuos.*

6 *Nam corde pariter conuenerunt, fœdus contra te icerunt*

7 *Tabernacula AEdom & Iiſmaelitarum, Moab & Hagarenorum:*

8 *Gebal & Ammon, & Amalech, Philiſtiim cum habitantibus Tyrum.*

9 *Etiam Aſchur additus eſt cum eis, fuerunt brachium filiis Lot. Selah.* Numerum canit hoſtium, qui omnes contra Deũ fœdere icto conſpirauerant. Quod verſu 7 canit, *Tabernacula AEdom:* putat Kimhi notatum, ad diuturnum bellum eos inſtructos veniſſe, ſi fortè breui expugnare Iehudah nequiſſent, nempe tabernaculis ſuis, totáque familia ſimul adductis. Porrò cunctæ ferè iſtæ gentes Meridionales, vt AEdõ, Iiſmaelitani, Hagareni, & cæteræ, nulla alia domicilia, quàm tabernacula habẽt. Hagareni quos dicit, ſatis liquet ab Hagar ancilla Abraham ita vocatos: incertum autem an à filiis venerint, quos ex alio habuerit marito, an ab iis quos ex Abraham. Quidam enim putant ipſam eſſe quæ Kethurah, quã duxiſſe Abrahã legitur mortua Sarah. Ex hac legimus, Gene. 25. a. t, natos Abrahæ aliquot filios, qui ſedẽ ſuam in deſerta Arabia habuerunt: de quo nonnihil in verſum 10 Pſalmi 72. Gebalitarum certam originem, vt aliorum, Scriptura (quod equidem ſciam) non indicat. Porrò Thargũ Ieroſolymitanũ vocat Seir גבלא. Inde veriſimile mihi eſt, gẽtẽ fuiſſe, quæ cũ AEdomitis ad hunc montẽ habitarit, vel partẽ AEdomitarũ ſic fuiſſe dictam. Aſchur vocat eos qui à regione trans Euphratem in auxilium filiis Lot, hoc eſt Ammonitis & Moabitis venerant. *Selah* hîc ſubſcriptum monet conſiderandum vt omnes finitimi, etiam cognati populi Sancti, ad delendum ipſum conſpirauerint. Et hæc ſanè eſt ſors Chriſtianorum.

10 *Fac illis ſicut Midian, ſicut Siſeræ, ſicut Iabin, in torrente Kiſchon.*

11 *Vaſtati ſunt in En-dor, fuerunt ſterquilinium terræ.*

12 *Pone eos [nẽpe] optimates eorum ſicut Oreb, & ſicut Zeeb, & ſicut Zebach, & ſicut Salmuna omnes principes eorũ.*

13 *Qui dixerunt, Hereditabimus nobis manſiones Dei.* Populus Dei precatur dignã hoſtibus vltionẽ: & memorat vltionis ſumptæ de Midianitis olim, & Chenanæis. Midianitæ, iunctis Amalekitis, ac aliis, quotannis omnia in terra Iiſrael vaſtabant, & cogebant populum in ſpeluncis & hiatibus petrarũ ſeſe abſcõdere. Hos tandẽ miſſo contra eos Gideone, cũ tubis & lãpadibus, Dominus ita conſternauit, vt ſe mutuò interficerent. Horum principes Oreb & Zeeb comprehenſos populus ex Napthali, Aſer & Ephraim, interfecit: ſicut & Gideon duos eorum reges, Zebach & Salmuna. Hæc ſcribuntur Iudic. 6, 7, & 8. Antea fuerant attriti viginti annis, per Iabin regem Chenaanitarum, cuius princeps militiæ erat Siſera. Huius exercitum caſtra habentem apud torrentẽ Kiſchõ, Deus ita exagitauerat, vt Siſera deſiliret curru ſuo, ac pedes fugeret: quem Iael vxor Heber Keninæi, in tabernaculum ſuum receptum & dormientem, impacto clauo in caput, interemit. Exercitum autem eius ad vnum deleuit Barak, cum eo populo quem ſecum habebat. Nam perſequutus eos fuit vſque Heroſeth Gentium. Hæc 4, Iudicum legimus. Talem ergo vltionem Sancti & ſuis hoſtibus imprecantur. Verſu decimo, Midianitarum verbo tantùm meminit,

& de Chenaanitis mox ſubiecit,& verſu 12,de Midianitis. Endor de quo in verſu 11, nō memoratur in libro Iudicum: ſed Dauidis tempore, multum adhuc veterum monumentorū,præter Sacram hiſtoriam quam nos habemus,extabat. Eſt עין דר,quod ſignificat fontē nationis. Cæterùm locus eſt in tribu Menaſcheh,vt legimus Iehoſ.17.c.11, indubiè prope fluuiū torrentem Kiſchō. Facti autem fuerunt ſterquilinium & fimus terræ,quum inhumati in terra cōputruerunt.quanquam alii metaphoram putent,quòd nempe ita vt ſterquilinium terræ,conculcati ſunt.

14 *Deus meus,pone eos ſicut rotam,ſicut ſtipulam coram uento.* Similitudinē quiſquiliarum vel ſtipularum quæ ſint expoſitæ vento, habet & verſus 4 Pſalmi 1,& verſus 5 Pſalmi 35:rotæ verò Ieſcha. 17.d.14.Orat autem vt ſummè perturbentur hoſtes,conſternentur, ac penitus intereant. Dei enim hoſtes erant,& habitacula Dei (vt canit verſu 13)occupare tanquam ſuam hæreditatem fuerant conati.

15 *Sicut ignis[qui]exurit ſyluam,& ſicut flamma[quæ]incendit montes.* Exaggerat quam orat vltionem, dum precatur redigi hue eos,vt ſint inſtar ignis vorantis ſyluas,& flammæ,qua conflagrant mōtes. Eiuſmodi enim incendium nequit reſtingui,& vorat omnia.

16 *Sic perſequeris eos in tempeſtate tua,& in procella tua terrefacies eos.* Id imprecatur quod habet verſus 5 & 6 Pſalmi 35, nempe vt vi vltionis ceu procella, & סופה,id eſt, turbine (Gallicè *tourbillon,* vti R.Schlomoh reddidit)ita proterātur vt nullo pacto cōſiſtere ac ſe recipere vnquam poſſint.

17 *Imple facies eorum ignominia,& inquirent nomen tuum ô Iehouah:*

18 *Pudefiant,& terrefiant perpetuò,& afficiantur probro,& pereant.*

19 *Et cognoſcant quia nomen tuum Iehouah ſolum tibi,& Altiſſimum ſuper omnem terram.* Precatur apertioribus verbis vt ſempiterno pudore & opprobrio affecti, & terrore exagitati hoſtes planè pereant: ita agnituri Dominum vnum eſſe,& poſſe omnia, atque non in Iudæos ſolùm,ſed & in omnem terram poteſtatem habere. Hic exitus eſt hoſtium filiorum Dei, ſic propugnat ille ſuos:ei ergo nos totos committamus.

PSALMVS LXXXIIII, εὐκτικὸς & ἐπαινετικός.

Multo flagrantiſſimum Dauidis deſiderium ueniendi in cœtum Sacrum,& fœlicitas illum adeuntium,ac in eo Deum laudantium deſcribitur. ARGVM.

1 PRæſuli,ad Githith,Oda filiorum Korah. PARAPH.
2 Quàm ſunt,ô Iehouah Sebaoth,amabilia tua habitacula!
3 Ardet,ac etiā deficit anima mea præ deſiderio veniendi in atria Iehouæ,cor meum & caro mea clamant ad Deum viuum.
4 Etiam paſſer inuenit ſibi domicilium, & hirundo nidum vbi reponat pullos ſuos:altaria tua,ô Iehouah,rex meus & Deus meus.
5 Fœlices qui domum tuam inhabitant,perpetuò laudabunt te.
6 Fœlices illi homines quorum robur in te ſitum eſt, quibus fuerint cordi ſemitæ tuæ.
7 Tranſeuntes vallem fletus, fontibus abundātem reddēt,etiam ciſternas pluuia replebit.
8 Ibunt de cumulo ad cumulū, cōparebit quiſque eorum apud Deum in Siiō.
9 Iehouah Deus Sebaoth audi precem meam,auſculta Deus Iaacob. Selah.
10 Clypeus noſter,aſpice Deus,intuere faciem vncti tui:
11 Nam potior eſt dies in atriis tuis,quàm mille hîc:malui ad limē deſidere domus Dei,quàm habitare in tabernaculis perturbatis:
12 Nam ſol & clypeus eſt Iehouah Deus: dabit Iehouah gratiam & dignitatem, non auertet bonum iis qui viuunt innocenter.
13 O Iehouah Sebaoth,fœlix homo qui te nititur.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *QVàm dilecta habitacula tua ô Iehouah Sebaoth!*
3 *Accenſa eſt deſiderio,& etiā deficit anima mea ad atria Iehouæ:cor meū & caro mea ouabunt ad Deū uiuum.*
4 *Etiam paſſer inuenit domum,& hirundo nidū ſibi, ubi ponat pullos ſuos: altaria tua ô Iehouah Sebaoth, rex mi,& Deus mi.* Idem argumentum eſt huius Pſalmi quod 42. Inducunt enim filii Korah Dauidem hîc & illic,querentem ſe abſtineri ne feſtum Domini apud Tabernaculum fœderis cum reliquo Iiſraele agat. Et quoniam in verſu 8,Siion meminit,videtur eadē fuiſſe abſtentio de qua

illic & hîc queritur, nempe quæ contigerat à coniuratione Abeſchalomi. Quum ſiquidem nihil prius haberet illuſtratione gloriæ Dei,& incremento religionis,facilè crediderim incredibiliter adflictum fuiſſe,quòd quum bello contra filium occuparetur,feſtum agendũ Domino incidiſſet:& id occaſionem dediſſe filiis Korah vt plures Pſalmos hac de re componerent. In hoc enim tanto Dauidis ad feſtum Domini veniendi deſiderio, indicatum eſt quanta ſit fœlicitas agere in Eccleſia Chriſti,in qua verè præſidet Deus, in qua ſola ſcilicet ſalus & vita percipitur, ad quã Sancti tantopere anhelant.Quàm verò,& cur tãtopere arſerit in Sacris feſtiuitatibus cũ populo Deum celebrare,dictum iam aliquoties eſt, præcipuè in verſus tres poſteriores Pſalmi 24, & verſum 4 Pſalmi 27. Hoc ergo deſideriũ deſcribitur verſibus ſecundo,tertio & quarto. Porrò verſum quartũ,quidam Hebræorum ſic accipiũt, En paſſerum & hirundinũ ſors potior eſt mea: illæ enim locum apud aras tuas reperiunt vbi nidulentur, & mihi non licet illas adire. Sed licet paſſeres & hirundines in hominum domiciliis agere ſoleant, haud tamen ſcio an fuiſſe illis in altaribus Domini locum ad condendos nidos, hic precator intellexerit.Quare malo verſum hunc legere per reticentiam,aptam ſic affectis vt hunc fuiſſe præcedens verſus indicat: nempe in hunc modum,En paſſeres & hirũdines quæ crebrò (quòd ſubinde nidi earum deturbentur) emigrant, inueniunt tandẽ vbi pullos ſuos reponant:mihi autem peruenire ad altaria tua Deus,apud quæ ſola grata mihi quies foret, non datur. Sic igitur erit verſus legendus, Etiam paſſer in domo, & hirundo nidum ſibi inueniunt quo reponãt pullos ſuos: altaria tua ô Iehouah, ſubaudi ego contingere nõ poſſum, quæ ego nõ minus expeto, quàm volucres pro excludendis fouendiſque pullis ſuis nidos:à quibus dum abſum, nihil quietis animo meo expectandum eſt.

5 *Fœlicia habitantibus domum tuam,uſque laudabunt te.Selah.* Ex tam flagranti deſiderio veniendi ad locum Dei,fœlices pronuntiat, quibus datum in domo Domini perpetuam manſionem habere,& id ideo quòd ſemper laudare Deum valeãt: quod ſcilicet cenſet ſummam eſſe fœlicitatem, vti reuera eſt.quod vt dignè perpendatur,ſubiunxit Selah.

6 *Fœlicia homini cuius robur in te,ſemitæ in corde eorum.* Quum Sacerdotum & Leuitarum,ac aliorum paucorum hominum fuerit apud Tabernaculum fœderis perpetuò habitare,nõ ſolùm hos fœlices pronũtiat,verùm eos quoque quibus etſi non eſſet datum domo Domini adeſſe perpetuò, vt Sacerdotibus & Leuitis, aliiſque liberioribus hominibus, contigiſſet tamen ſuppeditante eis virtutem Domino,ſtatis feſtis illam adire,haberéque in corde ſemitas,hoc eſt habere animum & ſtudium,iter ad domũ Domini ſuſcipiendi. Sic intellexit hũc verſum A.Ezra. Haud ſcio tamen an illud,*robur eius in te*,non poſſit intelligi,Qui in te omne robur ſuũ ſitum exiſtimat, eóque toto pectore ad domum tuam anhelat.

7 *Tranſeuntes per uallem fletus,fontem ponent eam,etiam ciſternas amiciet pluuia.*
8 *Ibunt de cumulo ad cumulũ,uidebitur Deus deorũm Siion.* Canit feſta adeuntiũ ſtudiũ & alacritatem. *Tranſeuntes*, inquit, *uallem fletus*,hoc eſt,ſi etiam ſitiẽtem vallem,& ob id ad fletũ potius quàm gaudium prouocantem, pertranſeant(vt valles multæ in terra Iiſrael ſunt)ponent eam fontem: hoc eſt facient ita fontibus abundare,vt tota, fons quidã videatur. ſignificare ſiquidem vult, Sanctos præ nimio ſtudio adeundæ domus Domini, ac alios eodem pelliciendi, puteos paſſim in arentibus locis effoſſuros:& vbi id terræ ariditas fieri neget,paraturos ciſternas & piſcinas quibus pluuialis aqua recipiatur. vnde ſubiicit, *Et pluuia ueſtiet*, hoc eſt replebit, *ciſternas*. A. Ezra putat locum certum fuiſſe vocatũ Vallem fletus: aut certè arbores eſſe, quæ בכאים dictæ ſint, vnde vallis nomen acceperit. Alacritatem & animi iucunditatem magis exprimit verſu 8, *Ibunt*, inquit, *de cumulo ad cumulum*:turmatim enim aſcendebãt. Vt ergo fieri ſolet præ ingenti animi lætitia,diſcurrebant de turma ad turmam,de beneficiis Domini inuicem colloquentes,donec ſinguli in Siion coram Domino apparerent. Vulgò legitur,De virtute ad virtutem:habetur enim חיל, quod virtutem etiam, ſed bellicam ferè ſignificat: nonnunquam robur opum. Hinc quidam hoc dictum ſic accipiunt, quaſi voluiſſet Propheta canere, inter eundum robur Sanctis cõtinuò augendum: vt ſanè Dominus ſuis quæ pia ſunt molientibus, vires ſemper ſufficit. Prior tamen interpretatio videtur ſimplicior.

9 *O Iehouah Deus ſebaoth,audi precem meam,auribus percipe Deus Iaacob.Selah.*
10 *Clypee noſter aſpice Deus,& reſpice faciem uncti tui.* Ex memoratis accenſus,precatur vt precem ſuam audiat Deus,vtique qua precabatur hanc & populo & ſibi fœlicitatem reſtitui: vnde & Selah adſcripſit. Sui peculiariter meminit vt vncti Domini. *(nis.*
11 *Quia melior dies in atriis tuis quàm mille:elegi liminare in domo Dei,quàm ut uerſer in tabernaculis perturbatio-*
12 *Quia ſol & clypeus Iehouah Deus,gratiam & decus dabit Iehouah: non auertet bonum ambulantibus in ſyncer-*
ritatibus. Cauſam precis præmiſſæ hiſce verſibus ſubiungit, *Melior enim eſt dies*, inquit, *unus in atriis tuis, quàm mille*, ſubaudi, dies vel anni, alibi. Omnia affectibus ardent, ideo reticẽtiis huiuſmodi vtitur. In verſione adieci, Hîc, vt intelligas locum vbi detinebatur. Eum exprimit verſu 7 Pſalmi 42,

dum ait, Tui recordabar in terra trans Iordanem, à monte Hermon, &c. Idem eſt quod ſequitur, *Elegi ad limen deſidere in domo Dei mei, quàm habitare in tabernaculis* רשע, id eſt perturbationis, vti erant in quibus tum erat, propter coniurationem Abeſchalomi. רשע enim inquietem & perturbationem ſignificare, oſtendi in primũ verſum Pſalmi primi: & ſatis probat quod legimus, 1. Schm. 14. d. 17, Schaul quocunque ſe vertebat ירשיע, id eſt tui batos reddebat, adfligebat. Cur verò melius putet, habitare in domo Domini, & id præ omnibus eligat, cauſam reddit verſu 12. Deus enim ſol eſt vitæ, lucem ſemper infundens: clypeus eſt qui cuncta mala depellit, dat gratiam qua ipſi & bonis omnibus amabiles ſimus atque gratioſi, dátque dignitatem ſanctimoniæ & fœlicitatis ſempiternæ, & nihil omnium bonorum abeſſe ſuis patitur, iis ſcilicet qui innocenter vixerint.

13 *Iehouah [Deus] Sebaoth, fœlicis homini nitenti te.* Epiphonema eſt animi ſpirituali voluptate ex cõſideratione Diuinæ bonitatis, ardẽtis, & inde geſtiẽtis quamplurimos ad ſtudiũ Dei inuitare.

PSALMVS LXXXV, προφητικὸς ϗ εὐκτικός.

ARGVM. *Vaticinium eſt de regno Chriſti, & pro aduentu eius precatio: cum deſcriptione fœlicitatis, qua omnia plena ſunt ubi illud obtinuerit.*

PARAPH.

1 PRæſuli, Oda filiorum Korah.
2 Beneuolus eris terræ tuæ ô Iehouah, captiuitatem Iaacob auertes:
3 Auferes iniquitatem populi tui, obteges cuncta ipſorum errata. Selah.
4 Tolles omnem æſtum tuum, & ſedabis feruorem iræ tuæ.
5 Reſtitue nos Deus ſeruator noſter, extingue indignationẽ tuam contra nos.
6 Num iugiter ſuccenſebis nobis? extrahes iram tuam in omne æuum?
7 Tu profectò is es qui reſtitues te nobis: viuificabis nos, de te lætabitur adhuc populus tuus.
8 Exhibe ô Iehouah bonitatem tuam, & tuam opem nobis præſta.
9 Audiam quid loquatur Deus Iehouah: nam loquetur pacem de populo ſuo, de bonis ſuis, nec recident ad ſtultitiam.
10 Vtique propè erit ope ſua iis qui ipſũ timẽt, vt inhabitet decꝰ in terra noſtra.
11 Bonitas & fides ſibi inuicem occurrent, iuſtitia & pax ſe mutuò oſculabuntur.
12 Fides è terra progerminabit, & iuſtitia è cælis manabit.
13 Etiam Iehouah benignè faciet, terráque noſtra reddet prouentum ſuum.
14 Iuſtitia corã ipſo fœliciter ingredietur, & pedes ſuos in viam alacriter ponet.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *GRatum habebis terram tuam ô Iehouah, auertes captiuitatem Iaacob:*
3 *Condonabis prauitatem populo tuo, operies omnia peccata eorum. Selah.*

4 *Collige omnem indignationem tuam, & reuocabis iram tuam à feruore.* Verus Iiſrael & Iaacob ſunt omnes electi & Spiritu Dei donati: horum Eccleſia, terra Domini eſt. His præuiderunt ſacri Vates, Chriſtum ſeruatorem à Patre donandum, & cum eo omnia. iure igitur cecinerunt, *Gratum habebis terram tuam.* Idem ſolus verè liberos efficit, donatos Spiritu recti tantum ſtudioſo. rectè igitur ſubiecerunt, *Captiuitatem Iaacob auertes.* nam hæc nihil aliud eſt quàm ita Satanæ & peccato obſtrictum eſſe, vt nolentes quoque ad malum agantur. id quod Paulus de ſe queritur Rom. 7. d. 19. Commodùm igitur ſuccinuerunt, *Condonabis iniquitatem populi tui.* quæ tum verè condonata eſt, dum non dominatur amplius nobis. Quùmque idem nos Patri planè recõciliat, gratóſque efficit, verè tegit peccata noſtra, ne vnquam ille ad vindicandum ea videat. Vnde & hoc ſubiici conueniebat, *Obteges cuncta ipſorum errata:* vtique quũ filio tuo Domino Ieſu plenè veſtieris. quæ Dei in nos indignatio, nunquã ſatis expendi poterit: ideo adſcriptum Selah eſt. Hæc verò quũ perfecta in nobis fuerint, nihil erga nos quàm fauor & dilectio Dei ſentietur. Tum igitur implebitur quod de colligenda, id eſt frænanda æſtuanti indignatione, auertendáque ira, ne nimium ferueat, vaticinati ſunt verſu 4. Hactenus vaticinium: ſequitur precatio,

5 *Reſtitue nos ô Deus opis noſtræ, & diſſolue indignationem tuam erga nos.*

6 *Nunquid in ſempiternum iraſceris nobis, trahes iram tuam in generationem & generationem?*

8 *Nunquid tu reuerteris, viuificabis nos, & populus tuus lætabuntur in te?*

8 *Oſtende nobis ô Iehouah bonitatem tuam, & opem tuam dabis nobis.* Hìc precantur ſancti Vates, de quibus præcedentibus verſibus vaticinati ſunt. Nam quid aliud eſt noſtri reſtitutio, & iræ in nos Dei diſſolutio, atque decurtatio & finitio, quã orant verſu 5 & 6: quid item Dei ad nos reditio, atque noſtri viuificatio, in ipſóque lætitia quam precantur verſu 7: tum bonitatis opíſque Dei exhibi-

rio quam petunt verſu 8, quàm gratuita peccatorum condonatio & purgatio, ſolidæque iuſtitiæ
quam ſuis beneuolus Deus donat, cõmunicatio, de quibus præmiſſum vaticinium eſt: Repreſſa
ſiquidem vi prauitatis genuinæ, & accenſo in nobis amore, ſtudióque Dei, verè Dei beneuolentia
fruimur, ſalui ſumus, vita ſempiterna & beata donati. Vſque huc precatio eſt: ſequitur vaticiniũ
& deſcriptio fœlicitatis quæ regnante Chriſto vbique futura erat.

9 *Audiam quid loquatur Deus Iehouah, quia loquetur pacem ad populum ſuum, & ad bonos ſuos: & non reuerten-*
tur ad ſtultitiam. Quo maiore fide hi Sacri cantores de fœlicitate regni Chriſti prædicere agno-
ſcantur, inducunt Vatem ad excipiendum oraculum ſeſe accommodantem, & dicentem, *Audiam*
quid loquatur Deus Iehouah, nam loquetur ad populum ſuum, id eſt de populo ſuo *pacem*, id eſt nunc fœlici-
ter res populi ſui habituras: id enim pax ſignificat. Bonos Dei eoſdem vocant, quia in bonita-
te, præcipuè qua aliis nos præſtamus, Dei imago quam in nobis Chriſtus reſtituit, ſita eſt. אל hîc
pro על accipitur: ideo probè redditur De populo, de bonis. Porrò hæc populi ſelecti fœlicitas in
eo maximè eſt quòd Spiritu Dei donatus, recta & ſalutaria ſequitur, nec redit ad ſtultitiam, ſer-
uitutem ſcilicet cupiditatum ſuarũ, qua erat ante perceptum Spiritum Chiſti, obſtrictus. Vnde
ſubiiciunt ſacri Vates, *Nec recident ad ſtultitiam*. Vnde autem futura ſit hæc populo Dei fœlicitas,
canit verſus ſequens,

10 *Vbique propè erit ſalus eius timentibus ipſum, ut habitet decus in terra noſtra.* In Chriſto ſiquidem Deus
habitat corporaliter, & hic adeò propè ſe nobis adiunxit, vt nos de carne & oſſibus ſuis eſſe vo-
luerit, vt in medio ſit omnium qui in nomine eius conueniunt, vt denique viuat, loquatur, & agat
omnia in iis qui ſibi credunt: quippe qui cum Patre perpetuam apud illos habeat manſionem.
Hanc ergo beatam Dei præſentiam vocant gloriam, quam præuiderunt habituram in terra po-
puli ſancti, hoc eſt in horum Eccleſia, vbicunque ea corpore degat.

11 *Bonitas & ueritas obuiabunt, iuſtitia & pax ſe mutuò oſculabuntur.*

12 *Veritas de terra germinabit, & iuſtitia è cælis deſpiciet.*

13 *Etiam Iehouah dabit bonum, & terra noſtra dabit prouentum ſuũ.* Chriſt⁹ iuſtitia Dei eſt: quare vbi ſic
præſens eſt, ibi ita regnat vt omnia fide & bonitate (quibus vita Deo digna, & ad Legẽ eius forma
ta conſtat) pollent. id iam canunt hiſce verſibus prædictum. Nam bonitatis & veritatis inter ſe
obuiatio, tum iuſtitiæ & pacis mutua oſculatio, quod ſcilicet eſt amicè ſibi obuiantiũ, tum fidei
è terra progerminatio, iuſtitiæ è cælis deſpectio, id eſt depluſio, nihil aliud eſt quàm apud omnes
paſſim hæc obtinere, & vnumquẽque Sanctorũ iſta alteri præſtare. In verſu 11, mutuata ſimi-
litudo eſt ab hominibus ſibi inuicẽ occurrentibus, & ſe mutuò oſculantibus: quod quũ paſſim
fit, magna eſt hominum frequẽtia. inde nihil niſi veritatis, bonitatis, iuſtitiæ, & pacis frequẽtiam
& abundantiã, hac proſopopœia ſacri Vates canere voluerunt. Nec aliud volũt verſu 12, in quo
ſimilitudo accepta eſt à copia frugũ quæ fœliciter & copioſe proueniunt vbi ſoli fœcunditati
reſpondet cæli benignitas. Canunt ergo & terram nihil niſi veritatẽ germinaturam, & cælos ni-
hil niſi iuſtitiã depluturos, hoc eſt omnia plena fore iuſtitiæ & veritatis ſtudioſis. נשקף proſpexit
ſignificat: ſed hîc pro manare & depluere accipitur. A. Ezra intelligit iſtud, *Iuſtitia de cælis proſpiciet*,
vt idem ſit, pro iuſtitia agentium in terra, cælorum moderatio, terram fœcũdando, reſpondebit.
Sed prior interpretatio videtur ſimplicior, & regno Chriſti magis digna. Ad hæc ſequens verſus
de externarum rerum abundantia canit, quæ & ipſa perpetua ferè pietatis comes eſt, vti dixi in
verſu 13 Pſalmi 34. Vt autem in iuſtitiæ ſtudio omnia ſita ſunt, ita iterum de eius fœlici prouen
tu in regno Chriſti canunt ſacri Vates verſu vltimo.

14 *[Et] iuſtitia coram eo ingredietur, & ponet in uia greſſus ſuos.* Hoc eſt, vbique magna eorũ erit copia,
qui iuſtitiæ fœliciter ſtudebunt: illi ceu coram Deo ipſo fauente, & ſucceſſum ſuppeditante, fœli-
citer agent, & alacriter in via iuſtitiæ & pietatis promouebunt. Pro eodem dixit, iuſtitiam paſſus
ſuos ponere in viã, & gradi. Eſt metonymia: nam iuſtos corã domino ingreſſuros, & fœliciter in
via ſuos paſſus, id eſt pedes poſituros, dicere voluit. Quid verò ſit Corã Deo verſari vel gradi, di-
xi in verſum vltimũ Pſal. 56. In his autẽ omnibus fides, iuſtitia, bonitas, pax, pro eodẽ accipiũtur,
vt hæc ſe inuicem perpetuò concomitantur: qui enim ex fide cum proximo egerit, & iuſtè & be-
nignè aget, pacẽmque colet: ita qui ex iuſtitia, bonitate, ac ſtudio pacis aget, habebit & reliqua.

PSALMVS LXXXVI, Δαυίδ.

ARGVM. *Precatio eſt qua orat primùm ut innocenter, inde ut ab hoſtibus tutus uiuat & fœlix, ſimúlque potentiam Dei & boni-*
tatem, ampliſſimè cum ſibi, tum aliis exhibitam, ac etiam exhibendam memorat.

PARAPH. 1 PRecatio Dauidis. Auſculta ô Iehouah, annue mihi: nam adflictus & inops
ego ſum.

2 Cuſtodi vitam meã, quandoquidẽ ego bonitati ſtudeo, ſerua tu Deus meus
ſeruum tuum, qui nimirum te nititur.

3 Faue mihi Iehouah, te enim quotidie inuoco:

4 Exhilara animum ſerui tui, nam ad te animum meum ô Domine attollo.

5 Etenim tu Domine beneuolus es & propitius, & ãpla bonitate in omnes qui te inuocant.

6 Audi Deus precem meam, & ſuſcipe deprecationem meam.

7 Quum infeſtor, te inuoco: nam ſolès mihi annuère.

8 Non eſt tibi inter deos quiſquam conferendus ô Domine: nec eſt qui, qualia tu, faciat.

9 Cunctæ, quas condidiſti, Gentes venient, tibíque ſupplices erunt Domine, & nomen tuum extollent:

10 Quandoquidem magnus tu, miráque edis facinora: tu Deus ſolus.

11 Doce me Iehouah vias tuas, quo viuã ex fide tua, vni cor meum vt te timeat.

12 Celebrabo te Domine Deus meus ex toto corde meo, & extollam nomen tuum perpetuò:

13 Magna ſiquidem fuit ſemper in me bonitas tua: nam liberaſti animam meã ex inferno inferiori.

14 Deus, flagitioſi inſurrexerunt in me, & cœtus violentorũ quærunt animam meam, qui nullam habent tui rationem.

15 At tu Domine pronus es in miſericordiam, propenſus in beneuolentiam: tardus ad iram, bonitate & fide effluens.

16 Reſpice me, & miſerere mei, da virtutẽ tuã ſeruo tuo, & ſerua filiũ ãcillæ tuæ.

17 Inſigniter benefac mihi, vt qui me odio habent, pudefiant, viſuri quòd tu Iehouah me iuueris & conſolatus ſis.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

Ad eundem fermè modum hæc compoſita precatio eſt, quo ea quam habet Pſalmus 25. vnde ſatis ex dictis in illum, quæ hîc canuntur, liquebunt. Precatur Sanctus Dei ſe audiri & iuuari, vt innocenter & piè, ac inde fœliciter viuat: hoc eſt ſpem ſibi firmat, ſe diuinitus audiẽdum, & ad id iuuandum. Primùm, quòd ſit afflictus & inops, omni ſcilicet humano præſidio & conſolatione abdicatis. id verſu 1, qui ſic habet,

1 *Precatio Dauidis. Inclina Iehouah aurem tuam, reſponde mihi, quia afflictus & inops ego.* Deinde quòd bonus ſit, id eſt bonitati ſtudeat. Sic enim ſunt electi vniuerſi, & neceſſe eſt ſic eſſe comparatum qui velit Dei bonitatem implorare. Tertiò, quòd Dei ſeruus ſit, nomini ſcilicet eius planè conſecratus, eóque ipſo vno nitens. hæc verſu 2, qui ſic habet,

2 *Cuſtodi animam meam, nam bonus ego: ſerua Deus mi ſeruum tuum qui te nititur.* Quartò, quòd inuocet Deum quotidie: perſeueranter enim orandum. hæc verſu 3, qui ſic habet,

3 *Miſerere mei Iehouah, nam ad te clamo tota die.* Quintò, quòd oret ſeriò, quia animum ſuum ad Deũ penitus attollat. id verſu ſequenti,

4 *Lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te Domine animam meam attollam.* Sextò, quòd Deus natura ſit bonus: hoc eſt ad præueniendum beneficiis propenſus, & propitius: id eſt facilis ad peccata condonanda, & ampla bonitate, vt modis omnibus iuuet ſe inuocantes. hoc verſu ſequenti,

5 *Quoniam tu Domine bonus & propitius, & multa bonitate omnibus inuocantibus te.* Septimò iterum audiri ſuam precem orat, & fiduciam ſuam fulcit eo quòd Deus, vt antea ac ſemper, opem conferre conſueuerit. hoc verſibus duobus ſequentibus,

6 *Auribus ſuſcipe Iehouah precem meam, & attende voci deprecationum mearum.*

7 *In die anguſtiæ meæ inuoco te, nã reſpõdes mihi.* Octauò, quòd nemo inter deos, hoc eſt potentia pollentes, tam Angelos, quàm homines, Domino conferendus ſit: nemo talia, vt ipſe, facinora edat. id verſu ſequenti,

8 *Non ſicut tu in dijs Domine, & non ſecundum opera tua.* Nonò, quòd ita adhuc ſit bonitatẽ in humanum genus effuſurus, vt in vniuerſis Gentibus adoretur & colatur. id verſu ſequenti,

9 *Omnes Gentes quas feciſti, venient & ſupplicabunt coram te Domine, & honorabunt nomen tuum.* In hoc præterea verſu vaticinium eſt de regno Chriſti, ad quem, vt & Ieſchaiah vaticinium cap. 11, Gentes certatim venturas prædixit.

dit, Cuius fundamentum ſuper ore patrum qui fuerunt à principio. Sed in Prophetis, maximè Iirmeiah, id crebrò fit, vt quum de Ieruſalem & Iiſraele ſermo fit, ſubiiciatur relatiua maſculina, quæ non Ieruſalem, aut concioni Iiſraelis, ſed nomini quo illi populum dicunt, *&* reſpondent: id credo & hic factum. nam ſequentia ſatis indicant, etiam iſtud Pſalmi initiū de Ieruſalē dictum.

2 *Diligit Iehouah portas Siion præ omnibus habitaculis Iaacob.* Quum nihil poſſit Deus donare ſui cognitione præſtabilius (æterna ſiquidem vita, hac conſtat) & hæc Hieroſolymis primùm cumulatiſſimè Sanctis donata eſt, ac inde in totum mundum deriuata: rectè canit hic Vates amatas huius portas, id eſt ipſam præ cunctis habitationibus Iaacob. hanc vnam ſiquidem ad hoc delegit vt in ea regnum cælorum inſtitueret, atque ex ea ad cunctas orbis nationes perferret. Summum hoc beneficium, ſummam item Dei in illam beneuolentiam atque dilectionem ſatis probat. Iudæi putant quòd ſancti Vates, *portas Siion* dixerint, conſilia ſapientum ſignificātes, qui in his doctrinā tractarunt cæleſtē. Sed nō in ſolis portis (etſi in his publica iudicia haberētur) hæc tractari ſolebant, imò apud Tabernaculum, & in certis Synagogis, aptioribus Sacræ philoſophiæ locis.

3 *Præclara dictum in te, ciuitas Dei. Selah.* Enallage numeri eſt, ſingulare pro plurali, dictum pro dicta: & *in te*, idem eſt atque de te. Sunt autem hæc præclara, cæleſtes virtutes & Diuina illa dignitas, quibus vera Ieruſalē, ciuitas Dei, in qua ciues ſunt omnes electi, præpollet. Si, *in te*, noſtro more accipias, erunt iſta præclara, quæ de Seruatore noſtro & regno eius per Prophetas fuere prædicta. Quid enim potuit æquè glorioſum ac præclarum dici, atque venturum, qui in ſe credentes, vt peccatis, ita malis omnibus liberaret, planéque deos, ſolida iuſtitia, & perfecta immortalitate redderet?

4 *Faciam memorari Rahab & Babel cognoſcentibus me: ecce Philiſtæa, & Tyrus cum AEthiopia, iſte natus ibi.*

5 *Et de Siion dicetur, vir & vir natus in ea eſt, & ipſe confirmabit eā Altiſſimus.* Hi verſus nōnihil obſcuritatis habent: quod Dominus dederit, iudicio Sanctorū offerā. אזכיר, alii memorabo, alii faciā memorari, reddunt. Poſterius amplexus ſum. Satis nanque videtur liquere, hic canere ſacros Vates, fore vt ad Eccleſiam Dei perueniant & gentes quas enumerant. Viſum igitur eſt reddere, Annumerabo cognoſcentibus me. poteſt enim *Faciam memorari cognoſcentibus me*, idem eſſe atque, cum cognoſcentibus me. ſic omnino, quem reddidi, ſenſus veniret. Meminerunt autem nominatim Gentium, quæ cognoſcibiliores Iudæis erant, AEgyptiorū, Babyloniorum, Palæſtinorū, Tyriorum, atque AEthiopum: ſed cum iis intelligenda eſt tota gentium (quàm latè orbis patet) vniuerſitas: quia oportuit Euangelium adnuntiari omni creaturæ. רהב AEgyptus vocatur & Ieſcha. 51. d. 19. Hemiſtichium illud, *iſte eſt natus illic*, videtur mihi vt cauſam eius quod præmiſſum eſt, & de Seruatore noſtro intelligendum, qui in Siion vtique natus eſt, quia ibi primum Dei Filius, mundíque inſtaurator renuntiatus. de qua natiuitate dixi in verſum 7 Pſalmi 2. Et hinc factum eſt vt cunctæ gentes inter cognoſcentes Deum memorarētur. Siquis hoc ad Schlomonem, vt ad Chriſti typum, referre velit, cum eo non pugnauero, modò in Chriſto fateatur impletum: quo glorificato, verè cunctæ orbis nationes Ieruſalem ſeſe iunxerunt, cuius tenuis modò vmbella regnante Schlomone præceſſerat. Chriſti autem in Siion natiuitas, hoc eſt reuelatio, effecit vt quamplurimi ibi renaſcerentur. Die vno ſiquidē ad Euangeliū Petri, dederunt Domino nomen tria millia, & quotidie quamplurimi ſe Eccleſiæ iungebāt. Id canit verſus 5. Tum ergo de Siion, Chriſti Ec- Act. 2. g.
cleſia, quotidie dicebatur, *vir & vir*, id eſt ille & ille in hac natus eſt, vtique in Filiū Dei, & ciuem cælorum. Notum eſt renaſcentiæ nomen & myſterium. Hinc ergo quum Vates præuiderēt fore vt quotidie Pater quamplurimos Chriſto ſuo attraheret, meritò ſubiecerunt, *Altiſſimus confirmabit eam*, & prouehet: quam & donis ſpiritualibus ſic quoque inſtruxit, vt omnibus eſſet ſuſpicienda & formidāda. At verò ex eo quòd quotidie Domino permultos in Siion renaſcituros Sancti præcognoſcebant, rectè & iſtud ſubiunxerunt quod habet verſus ſequens,

6 *Iehouah numerabit conſcribendo populos, iſte natus ibi. Selah.* Hoc eſt ingentem in omnibus nationibus ſibi exercitum colliget. Quúmque huius fœlicitatis vna cauſa ſit, Chriſtum in Siion Deum & Seruatorem agnitum & prædicatum eſſe: repetierunt, *iſte natus eſt illic*: & Selah adſcripſerūt, quo id propius conſideraretur, in quo ſanè tota Sanctorum ſalus & fœlicitas ſita eſt. Hinc ſubiiciunt de laudibus Dei, quas in Siion, ob tam incomparabilis dignationis beneficium, maximo ſtudio & ſummo gaudio decantandas prædicunt.

7 *Et cantores ſicut canentes tibiis, omnes modulationes meas in te.* Hoc eſt quicquid omnino laudis, quicquid gratiarum actionis, quicquid præconii & celebritatis excogitare potero, totum id in te, ô Siion, ad prædicandā & extollendā Dei in nos bonitatē, qui vnigenitū ſuum pro noſtra ac totius orbis, ſalute (quo nihil habet maius, & cum quo neceſſe eſt donet omnia) tradidit, exhibebo, effundam, perpetuóque ſonare faciā, tam vocibus humanis, quàm omnegenus inſtrumentis muſicis, quo ad tantæ ſalutis participationem quamplurimos inuitē. חללים quidā tripudiātes vel ducen-

tes chorum reddũt:quod etiã vox hæc Hebræis alicubi ſignificat. Nec male argumeno præſenti quadrabit ſi ita legas, *Tam cantores, quàm ducentes chorum:* id eſt qui ad cantorum modulationem ſaltant. Vtique in ſancta Siion, vt cantores ſunt qui Dei immenſam bonitatem in Chriſto exhibitam prædicant, ita ſunt & in choro ſaltantes,qui nimirum credentes Euangelio, ingenti cum alacritate & gaudio, totam vitam ſuam iuxta numeros Euangelii inſtituunt:ſtudioſiſſimè cauentes ne vllus corporis motus illis nõ reſpondeat. מעינים ſcaturigines & fontes ſignificat:& transfertur ad modulationes è pectore, velut è fonte aquæ,ſcaturientes & ebullientes. Et haud ſcio annon & illud verſu 26 Pſalmi 68,In Eccleſiis benedicite Deum Dominum,de fonte Iiſrael,aliquid talis metaphoræ habeat:licet cum Hebræis enarrauerim,Qui eſtis de fonte, id eſt ſemine & origine Iiſrael. non enim erat vnde traſlationem hanc confirmarem. Sed indubiè fuerunt in hac lingua innumeræ tranſlationes,ac loquendi formulæ admodum vulgares,quæ prorſus interierũt, quũ nihil ex ea ſuperſit,præter ſacra Biblia,quibus totæ linguæ huius copiæ haudquaquam potuerũt comprehendi. Nec pauca ſunt, quæ quum vno tantùm loco in Bibliis habentur, queant ex aliis locis elucidari. De hoc & in verſum decimũ Pſalmi 60,queri me neceſſitas coegit . Quidã מעינים ad cogitationes cordis referunt: ſed illæ non ita vt modulationes & carmina conueniunt,quum שרים חללים, id eſt cantoribus & canentibus tibiis,vel tripudiantibus. Pſalmus hic,vt vides optime Lector,nõnihil obſcurus eſt. Viſum igitur eſt & Hebræorũ interpretationẽ ſubiicere,Ab.Ezra ſcilicet,& Kimhi, quos video ſimpliciores & certiores. Illi hũc ſenſum quarti, quinti & ſexti verſus adferunt, Memorabo Rahab, Babel , &c. quòd *iſte* tantùm,id eſt vnus & alter ſapientia præditus, ibi natus ſit. De Siion autem dicetur, Ille,& ille natus eſt in ea: hoc eſt plurimi ſapiẽtes. Ergo quũ numerabit Deus populos,iſte tantùm apparebit ibi, in regionibus Gẽtium natus:hoc eſt perpauci, quũ in Siion appariturí ſint permulti. Sed quid hæc quæſo ad inſigniter notandam emphaſim, *iſte natus eſt ibi* , & eam repetitam? Nos ſcimus cur tam præclara vbique de Ieruſalem Scriptura prædicet,vnam cauſam eſſe,regnum Chriſti, regnum cælorum, Euãgelium vitæ,quod in ea cœpit, & inde in orbem propagatum eſt. Scimus vnum eſſe Seruatorem noſtrum, per quem contingit naſci filios Dei:& omnem humani generis ſalutem,ab ipſo homine facto,& in ea noſtra natura ſuper omnia exaltato, pendere: quare mihi dubium non eſt, de ipſo illud repetitum hemiſtichium, *iſte natus eſt illic*, intelligendum & illud, *uir & uir*, id eſt ille,hoc eſt quamplurimi:de Sanctis ipſius Spiritu renatis, quique ad finem vſque mundi renaſcentur. Quòd hæc non dicta ſunt explicatius,me non offendit,cõſiderantem & carminis, & temporis, quo hæc cãtata ſunt, rationem.

PSALMVS LXXXVIII, [illegible].

ARGVM. *Querulatio multo uehementiſſima, qua extremis ſe malis,& (ut uidetur) tam difficilis morbi alicuius, quàm perſecutionis,ab inimicis adobrutum, ac tantum non extinctum queritur.*

PARAPH.1 CAnticum Odæ filiorũ Korah. Præſuli ad Machælath,propter adflictionẽ Hemanis Ezrahitæ.

2 Iehouah Deus autor ſalutis meæ,die vociferatus ſum,nocte quoque corã te.

3 Perueniat in conſpectum tuũ precatio mea,inclina aurem tuã clamori meo.

4 Nam ſaturata eſt malis anima mea,& vita mea ſepulchrum contigit.

5 Habitus ſum vt qui in foueam dimittitur,vt vir cui nihil eſt virtutis.

6 Ago inter mortuos liber à rebus vitæ huius, velut interempti qui habitant in ſepulchris,quorum nullam iam habes rationem,quóſque eò reiecisti vt tua tutela minimè fruantur.

7 Collocaſti me in foueam inferiorem,in loca tenebroſa & profunda.

8 Incubuit in me feruens indignatio tua, obruiſti me cunctis fluctibus tuis. Selah.

9 Feciſti vt noti mei procul à me diſcederẽt, reddidiſti me illis abominãdum: concluſus ſum,nec poſſum egredi.

10 Deiecta eſt præ adflictione facies mea,inuoco te quotidie,expãdo ad te manus meas.

11 Nunquid mortuis facies mirabilia tua:num manes ſurgent,& celebrabũt te? Selah.

12 Nunquid in ſepulchro prædicabitur bonitas tua,& in interitu fides tua?

13 Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis?

14 At ego ad te ô Iehouah clamo,& mane oratio mea te præuenit.

15 Quare repellis ô Iehouah animam meam, auertis à me faciem tuam?

16 Adflictus & quaſi exanimatus fui ab adoleſcentia,tuli errores tuos, ſemper animo ſuſpenſus.

17 Me inuaſerunt æſtus tui, & metus tui confecerunt me:

18 Circundederunt me velut aquæ quotidie,cinxerunt me pariter.

19 Effeciſti vt procul à me ſint amici & noti,notos meos obſcuras.

ADVERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Canticum Pſalmi filiorum Korah. Præſuli ſuper Machelath de afflictione, erudiens Hemanis AEzrahitæ.* In inſcriptione eſt, על מחלת לענות. Id verterũt quidam, De infirmitate propter adflictionem. habet autem dictionem מחלה & inſcriptio Pſalmi 53, cuius argumẽto non ita quadrat. Reddidi eam per infirmitatẽ. A. Ezra more ſuo, putat eſſe initium carminis, ad cuius numeros & hic Pſalmus cantatus ſit. Alii inſtrumentum, alii certam modulationem hac voce ſignificari arbitrantur. Iudæi ingenuè fatentur ſibi hæc incognita: non igitur nobis multum de eis diſputandum. Filiis Korah Inſcribitur hic Pſalmus,& Heman. Reddidi igitur, vt titulum Pſalmi 39, qui Ieduthun & Dauidi inſcribitur: vt nimirum intelligamus, autorem Pſalmi Heman fuiſſe: attributum autem ad cantandum ordini cantorum, qui filii Korah dicebantur. quemadmodum Pſalmum 39, compoſitum credimus à Dauide, cantatum autem ab ordine cantorum, quibus præerat Ieduthun. Heman, 1. Paral. 6. c. 13, & 25. a. 1, inter principes cantorum numeratur. Singulari autem ſapientia fuiſſe præditum, ex eo ſatis colligitur, quod quũ Sacra hiſtoria vult eximiè laudare Schlomonem, & ſapientia cunctis mortalibus præferre, cõfert eum Ethan, Heman, Calchol, & Darda, vt qui omnes alios homines ſapientia præcelluerint. de quo in verſu 1 Pſalmi 42. Iam ad enarrationem Pſalmi. In Pſalmo 6, 22, 30, 31, 38, & 69, ferè omnia quæ hîc habentur: vnde iis quæ in illos Pſalmos ſcripſi, & quæ hîc canit, explicaui.

2 *Iehouah Deus opis meæ, die clamo, nocte coram te.*

3 *Veniat in conſpectum tuum precatio mea: inclina aurem tuam ad vociferationem meam.* Canit vt ardenter preces ad Deum fuderit. In verſu ſecundo, *Et nocte coram te:* eclipſis eſt, apta dolentibus: ſubaudiendum enim eſt, Effundo precem meam.

4 *Quoniam ſatiata eſt calamitatibus anima mea, & vita mea infernum contigit.*

5 *Reputatus ſum cum deſcendentibus [in] foueam, fui vt vir [cui] non eſt virtus.* Queri incipit quantis in malis fuerit, & primùm illis animam ſuam ſatiatam. quo ſignificare voluit, non fuiſſe pluribus ferendis: quia omnibus viribus deſtitutus eſſet, adeòque morti acceſſiſſet, vt שאול iam contingeret, hoc eſt ſepulchrum. Infernum vulgò reddunt: ſed vt conditio, ſtatúſque mortuorum hac voce ſignificatur, propriè tamen nomen ſepulchri eſt, ſicut & בור שחת קבר.

6 *Inter mortuos liber, ſicut cæſi iacentes [in] ſepulchro, quorum non es memor amplius, & ipſi à manu tua reiecti ſunt.*

7 *Poſuiſti me in foueam inferiorem, in tenebroſis, in profundis.* Vt fit dum homines querelis fræna laxant: auget querulationem. Prioribus dixerat ſe morti acceſſiſſe proximè, nunc planè mortuũ illic contigiſſe ſepulchrũ, hîc in eo collocatũ. Eò mala eius creuerãt. *Liber:* illud intelligendũ eſt à negotiis huius vitæ, vt in Iob ועבד חפשי מאדניו, Et ſeruus liber à dominis ſuis. Loquitur autem de mortuis, intelligens mortem afferre ſeruis libertatem: ita dicebat ſe fuiſſe liberum futurum à malis, ſi in vitam hanc nunquam veniſſet. In eodem verſu, *Et ipſi à manu tua reiecti ſunt:* legunt quidam, Reciſi ſunt. ſignificat enim גזר, etiam abſcindere. Quum autem ſignificet ferè ſententia aliquid definire, ſtatuere: videtur Vates voluiſſe dicere, ſe ſententia Dei reiectũ à manu eius, id eſt cura & tutela, vt qui iã hîc vixerit, & poſthac apud Inferos agere debeat, rerũ huius ſeculi liber & ſolutus. In verſu 7, per inferiorẽ foueã, profunda & tenebricoſa, intelligit extrema & morti proxima mala. Iob.3.e.19.

8 *Super me ſuſtentatur indignatio tua, & omnibus fluctibus adflixiſti. Selah.* Videbatur ſibi iram Dei totam ferre, hoc eſt quæcunque mala immittere cuiquam poſſet. vnde ſubiecit, *Adflixiſti*, excruciaſti me *cunctis fluctibus tuis:* hoc eſt aduerſis quæ à te venire poſſunt omnibus.

9 *Fecisti notos meos longè à me recedere, poſuiſti me illis abominationem: retentus, & non egrediar.* Præter defectionem amicorum, queritur ſe retineri & arceri, vt egredi nequeat: id eſt ita teneri morte conſtrictum vt euadere non poſſit.

10 *Dolet oculus meus præ adflictione mea: inuoco te Iehouah in omni die, expando ad te manus meas.* Repetit quáto

ardore opem Domini implorarit. דאבה עיני interpretatur quidam, Defecerunt oculi mei præ adflictione: quod intelligũt, vel ob nimiũ fletũ quem tanta adflictio expreſſerit: vel ob diuturnam ſuſpectionem ad cælos pro auxilio: quale verſu 4 Pſalmi 69. Mihi autẽ videtur non ineptè legi, vt reddidi, *Deiecta eſt facies mea*, vt ſimile ſit illi verſus 8 Pſalmi 6, Cadauroſa facta eſt facies mea. Significat enim פני, & faciem, vt ibidem dixi.

11 *Nunquid mortuis facies miraculum: num manes ſurgent: celebrabunt te? Selah.*

12 *Num memorabitur in ſepulchro bonitas tua, [&] fides tua in perditione?*

13 *Nunquid cognoſcetur in tenebris miraculum tuum, & iuſtitia tua in terra obliuionis?* Sanctificari per ſe nomen Dei ardentiſſimè ſemper optauerat: hinc dolebat intolerabiliter, illud in ſe tam calamitoſo obſcurari, nullúmque Diuinæ bonitatis ac fidei erga ſe miraculum edi. Cæterùm de hoc loco dictum eſt in verſu 6 Pſalmi 6, & in verſu 10 Pſalmi 30. Vocat Inferos, vel ſepulchrum, terram obliuionis, quòd mortuorum memoria apud Inferos breui intereat.

14 *Et ego ad te Iehouah clamo, & mane oratio mea præuenit te.*

15 *Quare Iehouah repellis animam meam, abſcondis faciem tuam à me?* Queritur preces tanta inſtantia fuſas non audiri, animámque ſuam vſque repulſam pati.

16 *Adflictus ego & laborans [ſum] à puero, fero terrores tuos, [dico] Ne fortè.*

17 *Super me tranſierunt indignationes tuæ, metus tui confecerunt me.*

18 *Circundederunt me velut aquæ omni die, cinxerunt me ſimul.* Sic eſt ratio vltionis Diuinæ, vt non vrgeat magis iam prementibus, quàm impendentibus, perpetuóque terrore ſemper exagitet: vt in Euangelio, Gehennæ cruciatus, fletu & ſtridore dentium, hoc eſt dolore & terrore deſcribitur. De hoc ergo intolerabili & exanimante terrore hîc queritur. אפונה, verbum eſt factum ex dictione פן, quæ ne ſignificat. trepidantis enim habitum voluit Vates exprimere, qui vel ad folii motum exterretur, & dicit, Ne fortè quid accidat, nequis opprimat. Talem animi cõſternationem & expaueſcentiam legis pulchrè deſcriptam Leuit. 26 f. 36, inter maledicta Domini. Verſu 18, queritur ſe tanquam aqua, ita terroribus circuncinctum & incluſum fuiſſe: hoc eſt, ſic malis adobrutum, ſic conſternatum & exagitatum fuiſſe, vt omnia circa eum terrori fuerint, ac omni momento exitium expectarit.

19 *Longè feciſti à me diligentem & proximum, notos meos obſcuras.* Idem quod verſu 9, & hîc queritur, in his tantis malis nullum fuiſſe notum, nullum amicum qui fuiſſet conſolatus: ſed eos Dominum obſcuraſſe, hoc eſt ceu obtectos tenebris è cõſpectu ſuo ſemouiſſe. Cogitet autem hîc Chriſtianus, ſic acceptum Dauidem, ſic Chriſtum ſeruatorem, qui ſudore ſanguineo talia pati teſtatus eſt, ſic acceptos & innumeros alios Dei filios: quare ad eadem & nobis animus obfirmandus eſt. omnino enim interire nos oportet, vt ad immortalitatem refingamur. Confitamus autem his pleríque noſtrum, delicias quibus diffluimus, quum tamen duram ſubinde viuere vitam nobis videmur.

PSALMVS LXXXIX, [illegible]

ARGVM. *Fœdus, quod Teſtamentum vulgo vocamus, nouum & æternum, quod per Chriſtum Dauidis filium, Deum inter & electos ictum eſt, nunquam violandum, id ſub typo Dauidis & poſteritatis eius, multis & eleganter celebrat. Ab initio Pſalmi, uſque ad verſum vicesimum, prædicat Dei bonitatem qua cum Sanctis ſuis percutere fœdus dignatus eſt, & potentiã qua illos primum uindicauit, & hinc illorũ fœlicitatem. Inde uſque ad triceſimũ nonum, memorat promiſſionem regni, Dauidi & poſteris eius factam. Poſt hæc ad finem uſque, queritur hos quaſi rupto fœdere, à Deo reiectos, maliſque omnibus obiectos.*

PARAPH. 1 ERudiens Ethan AEzrahitæ.

2 Bonitatem Iehouæ canam perpetuò, fidem tuam ore meo notam faciam in omne æuum.

3 Nam ſic mecum cogitaui, bonitas parabitur, vt æternùm perennet, in cælis fidem tuam conſtituiſti.

4 Ici fœdus meum cum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo,

5 Poſteros eius confirmabo vt in ſempiternum perſtent, ſolium eius in omnes ætates inſtaurabo. Selah.

6 Cæli mirabilia tua celebrant Iehouah, Sancti in concione fidem tuam.

7 Nam quis in nubibus Iehouæ cõferatur? quis inter deos Iehouæ aſſimiletur?

8 Deus plurimum terribilis in concilio Sanctorum, plurimum tremendus in eos qui circa ipſum ſunt.

9 Iehouah Deus Sebaoth, quis vt tu, præſtans virtute ô Exiſtens? omnia cir-

cum te fides ſunt.
10 Tu poteſtatem exerces in faſtum maris,tu elatos fluctus eius comprimis.
11 Tu percuſſiſti ac confeciſti AEgyptum,robore virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos.
12 Tui ſunt cæli,tua eſt terra:orbem,& quicquid in eo eſt,tu fundaſti.
13 Aquiloné & Meridié condidiſti:Thabor & Hermon in nomine tuo ouabunt.
14 Tibi robur eſt prævalidum,roboras manum tuam,attollis dexteram tuam.
15 In iuſtitia & æquitate ſitum eſt ſolium tuum, bonitas & fides antecedunt faciem tuam.
16 Fœlix populus qui nouerit clangorem, ô Iehouah: freti fauore vultus tui ingredientur.
17 De nomine tuo gaudebunt quotidie,propter iuſtitiam tuam ſeſe attollent.
18 Nam ſplendor roboris eorum tu es, & pro beneuolentia tua extolles potentiam noſtram.
19 Princeps noſter Iehoua eſt,& Sancti Iiſrael,rex noſter.
20 Tum oraculum edidiſti per viſum bonis tuis, & dixiſti,Cõſtitui prævalidum qui eſſet auxilio,extuli electum è populo.
21 Inueni ſeruum meum Dauid,oleo meo ſancto vnxi illum:
22 Vt firma eſſet cum eo manus mea,& brachium meum roboraret eum.
23 Hoſtis ei non imponet,prauus non adfliget eum.
24 Conteram ante eum infeſtos ei,& odientes illum conficiam.
25 Bonitas & fides mea cum ipſo ſunt,& meo numine extolletur poteſtas eius.
26 Subiiciam potentiæ eius mare,& flumina imperio eius.
27 Ipſe inuocabit me, Pater meus es tu, Deus meus,propugnator ſalutis meæ.
28 Etiam ego primogenitum conſtituam illum,celſiorem Regibus terræ.
29 In ſempiternum cuſtodiã illi bonitaté meã, & fœdus meum ei certum erit.
30 Efficiam vt eius poſteritas perennet,& ſolium eius ſtet dum ſteterint cæli.
31 Si deſeruerint filii eius Legem meam,& ſecũdum inſtituta mea nõ vixerint:
32 Si meas ceremonias prophanarint,& præcepta mea non obſeruarint:
33 Virga animaduertam in ſcelera eorum,& plagis in iniquitatem eorum.
34 At bonitatem meam non auferam ab eo,nec fallam illi fidem meam.
35 Non faciã irritum fœdus meũ:quódque egreſſum eſt ore meo non mutabo.
36 Semel per ſanctitatem meam iuraui,haudquaquam Dauidem fefellero.
37 Poſteritas eius iugiter perennabit:ſolium eius coram me,vt ſol,perſtabit:
38 Firmum,vt luna,manebit,quæ teſtis eſt certus in nubibus huius. Selah.
39 Tu verò repuliſti,auerſatus es,ſuccenſus ira es in vnctum tuum.
40 Fœderis cum ſeruis tuis icti,nullam habuiſti rationem,deieciſti in terram diadema eius.
41 Dirupiſti muros eius,munitiones eius poſuiſti vt ſint formidini.
42 Diripiunt eum quicunque trãſeunt viã:eò redactus eſt vt ludibrio ſit vicinis.
43 Extuliſti dexterã eorum qui ei infeſti ſunt:cunctos inimicos eius exhilaraſti.
44 Certè retudiſti aciem gladii eius,& opem non attuliſti in prælio.
45 Finem feciſti dignitatis eius:& ſolium eius in terram deieciſti.
46 Præcidiſti dies iuuentutis eius,obtexiſti eum ignominia. Selah.
47 Quouſque auertes iugiter te,ô Iehouah, ardebit velut ignis feruens tua indignatio?

48 Memor ſis quantuli æui ego ſim:an fruſtra creaueris vniuerſos homines?

49 Quis enim vir qui non moriatur, eripiat animam ſuam de poteſtate inferna? Selah.

50 Vbi eſt bonitas tua illa priſtina, ô Domine, quam Dauidi ex fide tua iuraſti?

51 Memor ſis opprobrii quod ferunt ſerui tui Domine: tuli in ſinum meũ cuncta opprobria populorum multorum.

52 Quibus affecerunt nos inimici tui, ô Iehouah, quibus affecerunt vnctũ tuũ, propterea quòd moram faciat.

53 Laudetur Iehouah in ſeculum, Amen & Amen.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *Bonitates Iehouæ ſemper canam, fidem tuam ore meo notam faciam in generationem, & generationem.*
3 *Nam dixi, Semper bonitas ædificabitur, [in] cælis firmabitur fides tua.* Nõ effari modò, ſed nec cogitatione
complecti quiſquam poteſt, quãta ſit Dei in humanum genus bonitas, cui dedit ad Diuinitatis conſortium peruenire, ſempiterna iuſtitia & beata immortalitate donatũ. Iſtud verò tam inæſtimabile beneficium hac ratione voluit conferre, vt hominum natura verbo ſuo ineffabili modo vnita, hominem modis omnibus ad voluntatẽ ſuam factum, primogenitum eorũ quos vitæ deſtinauit, conſtitueret, per quem illos refictos, vitæ ſempiternæ & beatæ capaces redderet. Hunc ex ſemine Dauidis ſecundum carnem naſci voluit, cui peculiariter quoque illum promiſerat: atque id fœdus eſt quod cum Dauide & huius poſteris icit, nunquam violabile. Verùm Dauidis poſteri, nõ carnis, ſed Spiritus agnatione cenſentur. De hac itaque Dei in electos bonitate, de hoc fœdere cum Dauide icto, quo cõſummata conſtat fœlicitas, Vates hîc canit: in omnibus eo ſpectans, quòd per Seruatorẽ, germanum Dauidis filium, nobis perditis alioqui homunculis, in Dei filios cooptari, & ſicut ſolida iuſtitia, ita vita plenè beata contigit donari. Hinc itaque tanto affectu orditur, *Bonitatem Iehouah canam perpetuò*, &c. quia frui illa Sãctos abſque fine agnoſcebat: id quod canit verſu tertio, *Nam cogitaui*, inquit, id eſt mihi ita perſuaſi, *bonitatem in perpetuum ædificandam*, hoc eſt ſemper inſtaurandam atque augendam, donec nimirum cuncti electi in virum perfectum, in menſuram ætatis plenè adultæ Chriſti, perueniant: ſcilicet cõformes imagini Primogeniti. Idem eſt & quod ſequitur, *Fidem parabis* vel *confirmabis in cælis*. Non poſſum vno verbo vim verbi כון exprimere. ſignificat enim confirmare ſimul & prouehere, ſucceſſúmque donare. Quòd autem canit, in cælis fidem Dei confirmatam: voluit ſignificare, eam cõfirmationem ſempiternam fore, vt cæli ſunt. Fidem autem & bonitatem, pro eodem accipit. de quibus in verſum ſextum Pſalmi 25.

vt per Chriſtum humana natura reparatur.

Epheſ. 4. c. 13. Rom. 7. a. 4.

4 *Incidi fœdus cum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo.* Obſeruandum, cum Electis tantùm, & inde ſeruis ſuis Deum fœdus icere. De fœderis ratione dixi in verſum decimum Pſalmi 25. Solet vulgò, vbi Scriptura habet ברית, teſtamentũ reddi: forte quòd vocẽ ברית Græci διαθήκην verterunt, quo nomine illis & Teſtamentum dicitur, quanquam & fœdus ſic appellent. Sed confirmauit hunc vſum Epiſtola ad Hebræos, quæ cap. 9, argumẽto inſeruiens, iuxta hanc ſignificantiam de διαθήκη, id eſt fœdere, verba fecit, dicens teſtamẽtũ morte cõfirmari, nec firmum eſſe niſi mortuo teſtatore quum tamen ibi de fœdere nouo diſputet, quod Deum inter & nos per mediatorẽ Chriſtum confirmatum eſt. Vt autem in loco conueniat, ſic de hoc fœdere loqui, & propter Chriſti mortem qua nititur, teſtamenti ſimilitudinem in eo conſiderare, ac inde & hoc nomine vocare: ita multa loca ſunt, in quibus, meo quidem iudicio, ad cognoſcenda Scripturæ myſteria, cõmodior erit appellatio fœderis. omnino enim pactum illud ſignificat, quo nos Deus in fidẽ ſuam recepit, & nos illũ in Deum. Habet hic Pſalmus, *incidi fœdus*: olim enim fœderũ leges in ſaxo vel ære incidebantur, quo firmius ſeruarentur perpetuæ memoriæ conſecratæ. de quo & in verſu 5 Pſalmi 50. Quam firmitatem & hîc iure conſiderabimus.

5 *Vſque in ſempiternum firmabo ſemen tuum, & ædificabo in generationem & generationem thronum tuum. Selah.* Hæc de perpetuo ſucceſſu, & ſtabilitate ſeminis Dauidis, de Chriſto & Chriſtianis intelligenda ſunt, in quibus ſẽper Dei dona augeſcunt, donec ſit Deus in omnibus omnia. Ad hoc myſteriũ, vt mẽtem aduerteremus, adſcriptum Selah eſt. Notandũ hîc ædificandi verbũ, quo & in verſu 3 vſus eſt. Id D. Paulus, vbi de pietatis inſtauratione & profectu loquitur, non illubens vſurpat.

6 *Et celebrabunt cæli miraculum tuum Iehouah, & fidem tuam in cœtu Sanctorum:*

7 *Nam quis in nube conferatur Iehouæ, aſſimiletur Iehouæ inter filios deorum?*

8 *Deus terribilis in conſilio amplo Sanctorũ, & tremendus ſuper omnes qui circum illum [ſunt.]* Vt autẽ ex hominũ inſtauratione, etiã cæleſtes mentes ſuã perfectionẽ cõſequuntur, ita de ea illæ Deũ pariter prædicant. Hos enim vocat Cælos, Sanctos, incolas nubium, filios fortiũ vel deorũ, hoc eſt deos.

Etenim dum ad vitam electi peccatores nondum ſunt conuerſi & reſtituti penitus, ſpiritus illi cæleſtes haud plenè gaudẽt: quũmque quotidie ab Eccleſia diſcant multifariam Dei ſapiẽtiam, vt Paulus ſcripſit Epheſiis, vtique tum prorſus beatos ſe agnoſcent quum hanc viderint abſque vlla ruga & macula. Vna eſt quæ ex ipſis & nobis conſtat Dei ciuitas: pariter itaque Deum & ob ea quæ nobis confert, laudibus celebrant. In verſu 7, *nubes* pro cælis dixit, & eoſdem agere in nubibus quos vocat בני אלים, id eſt filios deorũ, vel fortium, nempe ſpiritus ſupernates: de quibus & in verſum 1 Pſalmi 29. In verſu 8 סוד, quod alioqui ſecretum cõſilium ſignificat, pro concilio & Sacro cœtu poſuit. Canit autem Deum, omnibus quãlibet tremendè diuinitatẽ præ ſe ferant, ſupereminere, quod perpauci ſe neſcire arbitrãtur, quũ tamen planè id ignorent quicunque Deũ non etiam præ omnibus rebus ſuſpiciunt, metuunt, amant, ſtudent demereri. Ephe.5.b.10.

9 *Iehouah Deus Sebaoth, quis ſicut tu robuſtus ô Exiſtens, [quæ] circũ te ſunt. fides tua.* Generalis propoſitio eſt laudis Dei, quam deinceps per partes explicat. Laudat verò Deum, vt ſemper, à potẽtia & bonitate. Nam quod ait, *Fides tua, quæ circum te ſunt*, idẽ eſt atque, quæ circum te ſunt, nihil quàm fides & bonitas ſunt: his circundaris, & hanc qui te adeunt experiuntur vniuerſi, his omnia reples.

10 *Tu dominaris ſuperbiæ maris, elationes fluctuum eius, tu comprimis eos.*

11 *Tu percuſſiſti ceu vulneratum Rahab, in brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos.* Canit potentiam & bonitatem Dei, in liberatione & deductione Iſraelis ex AEgypto per Mare rubrum, & AEgyptiorum extinctione inſignitè declaratam. AEgyptios enim deſignaſſe videtur nomine רהב, vt & verſu 4 Pſalmi præcedentis ſignificat: & inimicos Dei vocat, quos brachio virtutis ſuæ diſperſerit. Quidam רהב ſuperbum interpretantur: & per faſtum quoque maris impias atque ſuperbas gentes intelligunt: ſicut & verſu 4 Pſalmi 46, per aquas maris ſignificantur.

12 *Tui cæli, etiam tua terra, orbis, & quod illum replet: tu fundaſti illa.*

13 *Aquilonem & dexteram tu condidiſti: Thabor & Hermon in nomine tuo ouabunt.* Canit omnia à Deo condita, & in eius ſolius poteſtate cõtineri. Meridiem vocat dexteram, hæc enim plaga dextera mundi cenſetur. Occidentem verò Thabor: Orientẽ Hermon, eo quòd ille ad Occidentem, hic ad Orientem ſitus ſit. præcipui montes in terra Iiſrael.

14 *Tibi brachium cum virtute, roboras manum tuam, attollis dexteram tuam.*

15 *Iuſtitia & iudicium, locus paratus ſolij tui, bonitas, & veritas præueniunt faciem tuam.* Celebrat potentiam omnibus ſupereminentem, tum iuſtitiam & bonitatẽ omnia beneficiis cumulantem, & ad fœlicitatem ſuam perducentem, hoc eſt gubernãtem & regentem. id enim ſignificat dum canit, *Iuſtitia & iudicium*, id eſt æquitas, *locus ſolij tui*, hoc eſt ſolium tuum in media iuſtitia & æquitate ſitum eſt: omnia ex iuſtitia & æquitate per te adminiſtrantur. Idem ſibi vult & quod ſequitur, *Bonitas & fides præcedunt faciem tuam.* Idem namque eſt cũ illo Pſalmi 85, Iuſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos: hoc eſt, in omnibus factis tuis iuſtitia primas tenet, ſemper hæc præſtò eſt, & ob oculos verſatur: vſus enim eſt proſopopœia.

16 *Fœlicia populo qui norunt iubilationem, Iehouah, in lumine vultus tui ambulabunt:*

17 *In nomine tuo gaudebunt omni die, & in iuſtitia tua attollentur.* Ex his quæ præcedentibus verſibus cecinit (nempe eſſe à Deo omnia condita, & optimè adminiſtrari) id omnino quod hîc canit, conſequens erat, vt ſcilicet fœlicem pronuntiaret populum, qui ſciret clangorem, hoc eſt qui ſciret Deum in medio ſui præſentem, vti Regis in exercitu præſentia, ex clangore tubarum cognoſcitur. Fortè alluſit ad id quòd Dominus Legem daturus, præſentiam ſuam buccinarum clangore in monte Sinai declararit. vnde ſubiunxit, *Iehouah in lumine vultus tui ambulabunt*: hoc eſt, aſpirãte illis tuo fauore fœliciter in omnibus agẽt: vt ſemper eis ſit quod de nomine tuo, id eſt virtute tantũ rerũ ſucceſſum ſuppeditante, gaudeant, & freti tua iuſtitia, hoc eſt tanta in ipſos bonitate exaltentur, cunctis mortalibus modis omnibus ſupereminẽtes. Cæterùm, ei quod habet verſu 16 de clãgore, ſimile eſt quod legimus Nume. 13. e. 13, Non vidit iniquitatem in Iaacob, moleſtiam in Iiſrael non deprehendit: Iehouah Deus eius cum ipſo, & clangor Regis inter illos. Quis hic clangor Regis? Indubiè præſens tutela Dei, clãgore buccinarum, quas facere præceperat Num. 10, ſignificata. Hunc iam clangorem is populus verè cognoſcit, qui perſuaſus Deum pro ſe vigilare, inque ſui defenſionem iugiter excubare, ſecurus ſe ipſius nomini committit. Vt igitur huic nihil penitus nocere poteſt, nec bonorum quicquã deeſſe, ita iure eum beatũ pronuntiauit. Id verò explicatius canunt verſus ſequẽtes,

18 *Nam decus roboris eius tu, & in beneuolentia tua attolles cornu noſtrum.*

19 *Nam Iehouah clypeus noſter, & Sanctus Iiſrael rex noſter.* Canunt enim Deum ſplendorem roboris Sanctorum, id eſt eum qui ſic robur illorum attollat, & ſucceſſu ac victoria ſplendida donet, vt palàm ſentiatur illos manu Dei propugnari. Solet autem Deus ordine ſua gerere, & ſemper ferè ſuos miniſtros habere, per quos miracula ſua exerceat. Ita quũ vellet populũ liberare tyrannide AEgyptiorum, præfecit illis Moſcheh, & poſtea quoties opem ſuam præclarius exhibuit,

judicibus ad id miniſtris vſus eſt. Sic ergo canit Vates & de Dauide, *Iehouah eſt clypeus*, id eſt Prin-
Princeps noſter Iehoua eſt. ceps noſter: de qua appellatione dixi in verſum vltimũ Pſalmi 47. *Et ille Sanct[us] Iſrael Rex noſter*, hoc
eſt Deo totus addictus, in omnibus, eius Spiritu agitur, quare fœliciſſimè cuncta adminiſtrat.
Hic loquendi modus habetur & Exod. 32. f. 26, quum Moſcheh vlturus ſcelus populi, quod adora-
tione vituli admiſerat, dicebat, Quis eſt Iehouætis ad me, &c.

20 *Tunc loquutus es in viſione bonis tuis: & dixiſti, Poſui auxilium ſuper forti: extuli electum è populo.*
21 *Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſanctitatis meæ unxi eum.*
22 *Quis eſt [is] cum quo manus mea directa erit: etiam brachium meũ roborabit eum.* His verſibus canitur
promiſſio Dauidi facta, quam memorat & Sacra hiſtoria 2. Reg. 7, & 1. Paralip. 17. Verſu 20 ca-
nit vaticinium Schmuelis ac Nathan. fortè aliis quoque de electione cõfirmationéque Dauidis
reuelatum fuit. Bonos Dei vocat: bonitati enim ſtudet quoſcũque agit bonus Dei Spiritus. Illo,
Et *poſui auxilium ſuper potente:* ſignificauit Deũ ſtatuiſſe Iiſraeli adeſſe, & opem ferre per Dauidem
potenté, vtique ipſius Spiritu: & hinc fuit vt ſemper vinceret. De his, nempe Dauidis electione,
de qua canit verſu 20: item vnctione, de qua eſt verſu 21: denique manus Diuinæ cũ eo confirma-
tione, vtique ad iuuandũ in omnibus, & euehendũ eum, quod canit verſu 22, legimus 1. Schm. 16.
23 *Non imponet illi hoſtis, & filius iniquitatis non adfliget eum.*
24 *Et contundam ante eum oſtores eius, & odientes eum cædam.*
25 *Et fides mea, & bonitas mea cum eo, & in nomine meo attolletur cornu eius.*
26 *Et poſui in mari manum eius & in fluminibus dexteram eius.* Quæ canit verſu 23, Dominus præ-
ſtitit quum eum e tot inſidiis Schaulis & adulatorum illius ſeruauit. Quæ verò habet 24, im-
pleta fuerunt quum Schaul vnà cum aſſentatoribus ſuis ſublatus fuit è medio. Quæ canit verſu
25, percepit quum Rex a toto Iſraele ſalutaretur: de quo legimus 2. Schm. 5. Promiſſio verſus 26,
impleta fuit quũ eius imperium agnoſcerent cuncti Syri vſque ad Euphratem, Palæſtini ad ma
re, Ammonitæ, Moabitæ, AEdomitæ, & aliæ gẽtes finitimæ: id quod legimus 2. Schmu. 8. Palæſti
nis ſubiectis, qui ad mare habitabant, poſita fuit manus eius in mare: quũ domuit Syros, ad Eu-
phratem vſque, & tributariam habuit totam Meſopotamiam, quæ Syria fluminum dicitur, po-
ſita eſt dextera eius in fluminibus.
27 *Ipſe inuocabit me, Pater meus tu Deus meus, [&] rupes opis meæ.* Iſtuc hiſtoria Sacra de Salomone
memorat, ſed Dauidi idem & promiſſum & præſtitũ eſt. à Deo enim in tantã potentiam & iu-
ſtitiæ præcellentiam euectus, verè Patrem expertus eſt. de quo dixi in verſum 7 Pſalmi 2.
28 *vtique ego illum primogenitum conſtituam, celſiorem regibus terræ.* In his ad id reſpexit quòd primo-
genito principatus in fratres erat, quod paſſim Scriptura reſtatur, & apertè ex iis quibus Iiſaak
filiis ſuis benè precatus eſt, colligitur.
29 *In ſempiternum cuſtodiam illi bonitatem meam. & fœdus meum erit illi certum.* Iſta, Sacra hiſtoria ſic me
morat, Bonitatem meã non auferam ab eo, vt abſtuli à Schaul, quem reieci à me. Sed tua domus
& regnum tuum ſtabile erit in ſempiternum coram me, & ſolium tuũ firmum vſque in ſecula.
30 *Et poſui in ſempiternum brachium eius. & ſolium eius ſicut dies cælorum.* Hæc in Sacra hiſtoria ſic
2. Sam. 7. b. 13. leguntur, Confirmabo ſolium regni eius in ſeculum. *Sicut dies cælorum*, idem eſt atque, in omne
1. Paral. 22. c. 10. æuum: dies cælorum enim perpetui ſunt.
31 *Si dereliquerint filij eius Legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint,*
32 *Si ceremonias meas prophanauerint, & præcepta mea non cuſtodierint.* De his vocibus, Lex, Iudicium,
& Præcepta, dixi nonnihil in Pſalmo 19. חקים ceremoniæ ſunt. Comprehendit his quæcunque
Deus ſuo populo præcepit.
33 *Et animaduertam virga [in] defectionem eorum, & plagis in iniquitatem eorum.*
34 *Et bonitatem meam non ſoluam ab eo, & non fallam fidem meam.*
35 *Non violabo fœdus meum, & egreſſum labijs meis non mutabo.*
36 *Semel iuraui per ſanctitatem meam, ſi Dauid mentiar.* Per virgam, caſtigationẽ paternã intelligit,
quæ ſcilicet virga fieri ſolet. In Sacra hiſtoria habetur, virga hominum, & plagis filiorũ homi-
num: quo ſignificare voluit, Deum clemẽtem, tãquam patrem filiorũ errata caſtigaturum, non
occiſurum eos, aut penitus abiecturum. vnde mox inducit eum promittentem ſuam bonitatem
ab illis nunquam ablaturum, fœdus ac promiſſa ſua minimè violaturum aut mutaturum: ad-
ditque de iuramento quo illi hæc omnia confirmauit. Illud, *Si Dauidi mentiar*: eclipſis eſt familia-
ris iurantibus, ſubaudiendum, Hoc, aut illud mihi eueniat: vulgò dicebant, Hæc mihi Deus fa-
ciat, & iſta addat.
37 *Semen eius in ſempiternum erit, & ſolium eius ſicut ſol coram me:*
38 *Sicut luna firmum erit [in] ſempiternum, & teſtis in nube certus. Selah.* Repetit quæ cecinit verſu 30.
Ineſt enim his illud quod Angelus dicebat, Regnabit ſuper domum Iaacob in ſempiternum, &
Luc. 1. d. 33. regni eius non erit finis. Scitè autem ſolis ac lunæ diuturnitatem regno Chriſti tribuit, quod &

Pſalmo 72,factum eſt:quia vbi huius conditionis rerum finis apparuerit,& mors, vltimus Sanctorum hoſtis,ſublata fuerit,tradet Chriſtus regnum Deo & Patri,1.Corinth.15.c.24. Illud, *Teſtis in nube certus*:Hebræi ad lunam referunt,quæ cum ſole teſtis eſt,regnum Chriſti perſtiturū. Nam dum hæc in cælis apparuerint,hoc regnum perdurabit. Hactenus promiſſio Dauidi facta:ſed vt Chriſti typo,& poſteritati eius,ſed germanæ,hoc eſt ſpirituali. Chriſtus enim is eſt quem Pater in hoc delegit & vnxit, vt dum ſol & luna luxerint, regnet. Huic vni nocere hoſtes nequeunt, & neceſſe eſt ſeruire orbem Primogenito viuorum & mortuorum,vt eum Paulus prædicat. Cum hoc regnat germana Dauidis ſoboles,cūcti Spiritu ſuperno renati, quibus ille regnum parauit, ac habere ſecum ſtatuit:quos denique peccantes Pater corripit quidem,ſed humaniore tantùm, & verè paterna virga, ne ſcilicet eos cum reliquo mundo condemnet.1.Corint.11.g.32. Col.1.b.11.c.13.

39 *Et tu repuliſti,& auerſatus es,ſuccenſuiſti uncto tuo.*

40 *Diſſipaſti fœdus ſerui tui,violaſti[proijciendo]in terrā diadema eius.* Hunc de calamitate vel Babylonica vel(quod veriſimilius eſt)ea quā per Antiochū perpeſſus eſt Dei populus,queritur,qua omnia videbātur promiſſionibus Dei contraria euenire. Iudæi cōtendunt hæc de præſenti eorū exilio dicta:ſed dum alieni à Chriſto ſunt,alieni ſunt & à vera ſobole Dauidis. Porrò Pſaltes,more quem & in aliis aliquot Pſalmis obſeruatū vidimus,hanc querulationē,ita vt animo perturbato videbatur, nō vt Spiritus recto iudicio cēſebat,compoſuit. Hinc ſunt illa, *Oblitus es fœderis ſerui tui,* verſu 40. Et, Vbi ſunt bonitates tuæ priores quas iuraſti Dauidi? Volunt enim his Vates exprimere affectus eorum,qui quū nihil prius haberēt,quàm illuſtrari nomen Dei in populo ſancto, & viderent ab impiis hunc penitus conculcari,ſanctúmque Dei nomen dirè blaſphemari:ita dolebant vt vim doloris ſatis exprimere nō poſſent. inde in tam duram,vt videri poſſit,cum Deo expoſtulationē proruperūt. Qua tantum abfuit vt ipſum offendiſſent, vt ea ſingularem ab ipſo inierint gratiam: nempe ſpectante vnde ea proficiſceretur, nempe ex corde nihil aliud ardenti, quàm ipſius nomen ſanctificatum. A. Ezra meminit fuiſſe in Hiſpaniis quendam ſingulari ſapientia & probitate morum celebrem Rabinum, qui hunc Pſalmum ob duriuſculam iſtā cum Deo expoſtulationem,nec ipſe legere,nec lectum ab alio audire ſuſtinuerit. A. Ezra putat hæc dicta iuxta æſtimationem hoſtium Iſraelis. Kimhi, per admirationē, quòd in tot ſecula præſens eorum exilium protrahatur. Sed in præſenti exilio, vt dixi, Iudæi, defracti ex Sacra hac ſtirpe rami ſunt: vnde nihil ad eos quæ hìc memorantur, Sanctorum querelæ attinēt. Hos autem veros Dauidis ac Iſraelis filios haud dedecuit his verbis æſtus animi ſui coram Deo effundere:nempe Patre,quem vt ex toto corde,tota anima,totiſque viribus amare debuerunt:ita quū eſſe homines illos adhuc vellet,neceſſe fuit iſta quæ hìc queruntur,quū diriter adeò contra omnia Dei Antiochus deſæuiret, ſentire, atque quū nihil huiuſmodi diſſimulent, ſuis quoque verbis efferre: quæ tamen,vt ex dilectione ſtudióque Dei nata,non potuerint Deo non grata haberi. Porrò ſicut hic Antiochus primus filiorū Dei tortor fuit: ita omnium aliorum, quorū poſtea innumeri ſecuti ſunt, typum prætulit. Vnde & in his querelis delineatum eſt, quantopere Sancti ad finem vſque mundi,excruciari,torqueri,querulari,ac cum Deo quaſi expoſtulare ſoleant,dū vident permiſſum impiis. ſic in credentes Deo graſſari, vt ipſius inde gloria obſcuretur. Qui itaque expertus fuerit,quid valeat viuus Dei amor,& natus hinc de conculcata Dei gloria,dolor,atque poſſit animo ſimul cernere,quàm dira Sancti ab Antiocho paſſi ſunt,& poſtea ſæpe à tyrānis aliis,qui nec noſtro ſeculo deſiderantur, huic haudquaquam indignæ Sanctis, quæ hìc memorātur querelæ videbuntur,quālibet vehemētes: imò agnoſcet,nihil illos æquè decuiſſe. Sed tandem ipſos audiamus, *Et tu,* inquiunt, *repuliſti, auerſatus es,ferues ira tua contra unctum tuum.* Dauidi enim, imò Chriſto veriori Dauidi,irrogabatur,quicquid perferebant germani eius poſteri. Epitaſis eſt in eo quod dixit, *uncto tuo.* Auget adhuc quod ſequitur, *Diſſipaſti fœdus ſerui tui.* Non enim,inquit,præteriſti,ſemel ac iterum violaſti,ſed prorſus diſſipaſti,neque eo ſolum,quod nobis regnum non tueris,verum ipſe in terram inſigne regium proieciſti, omnémque dignitatem & potentiā noſtram pesſundediſti. נזר ornamentum capitis eſt,quo dignitatem regiam intellexit.

41 *Diruiſti omnes ſepes eius,poſuiſti omnes munitiones eius terrorem.*

42 *Deprædantur eum omnes tranſeuntes uiam,fuit opprobrium uicinis ſuis.* Queritur populum expoſitum à Deo quibusvis impuris & impiis hoſtibus, ſub ſimili oppidi quod muris dirutis, omniū depopulationi patet:vel reſpexit ad vineæ allegoriam, de qua Pſalm.80. Sic ſanè in eum ſæuiit Antiochus,vt diuinitus traditum ſe,huiúſque libidini expoſitum,plus ſatis experiretur.

43 *Extuliſti dexteram oppreſſorum eius,lætificaſti omnes inimicos eius.*

44 *Etiam auertiſti aciem gladij eius,& non erexiſti eum in bello.* Querūtur Deum qui ipſis auxilium ferre ſolitus erat,nunc ſtare ab hoſtibus, illis virtutem ſuppeditando, & ſuo populo adimendo. id eſt quod dicunt, *Auertiſti aciem gladij eius.* Hìc צר חרב,quod aciem gladii vertunt, pro defenſione gladii dixit. ſignificare enim voluit,neminem valuiſſe gladio Dei populum tueri.

45 *Finiuiſti munditiem eius, & ſolium eius in terram deieciſti.*

46 *Præcidiſti dies iuuentutis eius, amiciuiſti illum ignominia. Selah.* Queruntur eſſe prorſus actũ de ſe, finitam omnem munditiem, id eſt dignitatem, nullam omnino haberi iam rationem ſanctitatis ſuæ: ſolium ſuum, hoc eſt omnem poteſtatem in terram deiectam, ac ita planè extinctam, idque præmaturè. Dum enim præciſos queritur dies iuuentutis: ſignificat antequam planè adoleuiſſet, regnum populi Dei fuiſſe exciſum. Etenim modum omnẽ excedens calamitas, faciebat vt & plus nimio intempeſtiuè accidiſſe videretur.

47 *Vſquequo abſconderis Iehouah penitus? ardebit ſicut ignis indignatio tua?*

48 *Memor ſis ego quanti æui: ad quid fruſtra condidiſti omnes filios hominis?*

49 *Quis vir fortis viuet, & non videbit mortem, eripiet animam ſuam à manu inferni? Selah.* Incipit precari vt tantis malis liberarentur: ſed iis verbis quæ deceant animum ſummè excruciatum, *Quouſque*, inquit, *Iehouah abſconderis?* Quo vtique ſpem adhuc ſibi eſſe reliquam ſignificauit, ita vt & à Deo immiſſa omnia agnoſcebat. Querela verſuum 48 & 49, eum affectũ exprimit qui eſt in Pſalmo 39. Senſus eſt, Perbreue eſt totius vitæ noſtræ ſpatiũ. nemo enim eſt, quanlibet validus vir, quem mors nõ abſumat: cur igitur tot nos calamitatibus adobruis, qui alioqui vitã hanc citiſſimè ponimus? Quin das vt reſpiremus, & bonitate tua vel aliquantulũ fruamur? fruſtra alioqui nos videberis cõdidiſſe. Similia multa leguntur in queſtibus Iiob. Hæc verò cogitatio ſuprà quàm dici poteſt, excruciat, niſi contra erigat ſpes vitæ futuræ: ideo his adſcriptum Selah eſt.

50 *Vbi ſunt bonitates tuæ priores Domine? iuraſti Dauidi in fide tua.*

51 *Memor ſis Domine opprobrij ſeruorum tuorum: tuli in ſinu meo omnia populorum magnorum.*

52 *Quod opprobrarunt inimici tui Iehouah, quo opprobrarunt plantas vncti tui.*

53 *Laudetur Iehouah in ſempiternum. Amen & amen.* Erigunt ſibi animos Sãcti, recordando priſtina Dei beneficia, atque promiſſa: tum ſuã pietatem (ſeruos enim Iehouæ ſe adhuc agnoſcebant,) denique omnia quæ patiebantur, in ignominiã Chriſti vergere. *Pedes*, inquit, *vncti tui.* mapy plantas alioqui ſignificat. Intellexit hoſtes inſultaſſe populo Dei ob expectationẽ Chriſti, quaſi nunquã venturi, cuius plantas nunquã eſſent viſuri. Quũ autem illi omnẽ in hac expectatione ſpẽ haberent, nihil potuit accidere illis moleſtius quàm huiuſmodi opprobriis exagitari, quibus nõ tam ipſi, quàm Deus & Seruator orbis, vnctus Dei irridebatur. Iudæis nos non diſſimili irriſione de greſſib⁹ vel plãtis, hoc eſt aduẽtu vncti Dei ſciſcitãtibus, reſpõdendũ eſt, vt ſibi diſplicere, & Deo vni cõſecrare ſeſe diſcãt, diffiſi genere, & ceremoniis ſuis, ſic eũ illis adfuturũ. Deũ ignorãt miſeri, ideo mirũ non eſt quòd Chriſtũ videre nequeũt. Verſus vltimus ſic habet, vt haud ſciã Pſalmũ hunc an librũ tertiũ, qui hic finẽ habet, claudat. nec enim quadrare cũ præcedẽtib⁹ videtur. Si vt Pſalmi clauſula accipiatur, vox eſt animi ſecreto per Deũ, de redẽptione Sanctorũ perſuaſi, atq; ideo iã velut depulſa omni moleſtia, qua cõſiderans illorũ adflictionẽ & deiectionẽ, tort⁹ fuerat, ob eã exultãtis & gloriãtis. *Amen & Amen* notat calcẽ libri: nã & ſic præcedẽtes libri finierunt.

IN QVARTVM HYMNORVM LIBRVM

Præfatio ad pium Lectorem.

DEdit Dominus, optime Lector, abſoluere qualitercunque & tertium S. Hymnorũ librum: in quo ſciens, at non ſemper volens multa præterii, quæ forſan nõ abſque fructu indicari poterant, præſertim iis qui linguæ Sacræ, & ſimpliciori Scripturarum excuſſioni nondum adſueuerunt. Sed deterruit excreſcens ſupra modum voluminis magnitudo, vrſitque temporis anguſtia: mouit quoque nõ parum (vt in præfatione libri tertii monui) eorum palatum, quibus ineſcatis commẽtatione Spiritus Diuini, illicò faſtidiũ ingerunt verba hominum. Ne autem hæc explanationum curta ſatis breuitas, fraudi ſit Spiritu nondũ adeò inſtructis: oro hos, & per Dominum hortor, probè ſemper memores ſint, hic ſe carmina legere Spiritus Dei, hic omnia viuifica vtuci & cæleſtis Magiſtri noſtri doctrina referta: accedãt animo, curis aliis planè vacuo, myſteriorũmque Dei verè ſitienti. Ante omnia verò ſedula prece inuocent interpretẽ eum, qui hæc primùm modulatus eſt, Spiritum ſanctum: tum argumentum cuiuſque Pſalmi, habitum, affectúſque canentiũ: denique quid illi in his Odis querantur, quid petant, quid iactent, de quo exultent, & quibus etiam verbis, diligentiſſimè expendant. Spero, vtcunque ſuccinctè dixerimus omnia, verſione tamen expeditiore, tum quanlibet breui explanatione eorũ quæ viſa ſunt dicta noſtris inſolentius, ſic, vt iam dixi, cõparatum Lectorem, talique ſtudio ſingula cõſiderantem, haud contemnẽdo cum fructu hæc lecturum: præſertim ſi hinc operum & miraculorũ Dei, quæ Sanctis ſuis edidit, admonitus, illis contemplandis, animũ iã nõ ſolùm à rebus prophanis, ſed ab ipſa etiam lectione, & libro ſacro ſubductum, totis viribus intenderit, eáque quaſi in cõſpectu Patris cæleſtis, & Sanctorũ eius conſiderarit. Sic enim ſacrariũ Dei ingreſſus, ſuprà quàm effari poſſit, Dei bonitatem & potentiam peruidebit. Inde ſic vt amore eius flagraturus, ita ad ipſius quoque imaginem fœliciſſimè transformandus: qui vnicus totius ſacri ſtudii ſcopus eſt. Dominus det hunc nobis & ſpectare ſemper, & plenè tandem attingere. Vale.

HYMNORVM LIBER QVARTVS.

PSALMVS XC, [illegible]

ARGVM. *Queritur de inanitate vitæ præſentis: & fauorem Domini ſecundaturi quæ inſtituerit, precatur.*

PARAPH.

1 PRecatio Moſcheh viri Dei. Domine refugiũ fuiſti nobis per õnia ſecula.
2 Antequam montes ederentur,& pararetur terra ac orbis, à ſeculis vſque ad
ſecula tu es Deus.
3 Reducis hominẽ donec ſenio cõficiatur:ac tũ dicis, Reuertimini ô mortales.
4 Nam mille anni coram te ſunt vt dies heſterna quæ iam præteriit, vt vigilia
in nocte.
5 Facis impetu ceu nimbum dilabi illos: ſunt velut ſomnium, mane ſtatim ve-
lut herba immutantur,
6 Quæ mane floret & vires accipit, veſperi reſecatur areſacta.
7 Etenim ab ira tua conſumimur, & à feruente indignatione tua deiicimur.
8 Poſuiſti in cõſpectum tuum iniquitates noſtras, culpam noſtram in lumen
faciei tuæ.
9 Cuncti dies noſtri te iraſcente dilabuntur, conſumimus annos noſtros ceu
ſermonem.
10 Dies annorum noſtrorum, anni ſeptuaginta, & ſi admodum valuerimus, an-
ni octoginta: & virtus horum qua tantopere ſuperbiũt, moleſtia & ærumna de-
teritur, celeriter auolamus.
11 Quis nouit vim iræ tuæ? quin, vt te quique timent, ita in eos indignationem
tuam exeris?
12 Vt ergo ſciamus dierum noſtrorum numerum, tu nobis planè indica, quo ſa
pientiam cor noſtrum conſequatur.
13 Redi ô Iehouah, quouſque? placare ſeruis tuis.
14 Satia nos mane bonitate tua, ouabimus & lætabimur cunctis diebus noſtris.
15 Lætos redde nos, pro diebus quibus adflixiſti, pro annis quibus mala pertu-
limus.
16 Effulgeat in ſeruis tuis opus tuum, magnificentia tua in filiis eorum.
17 Decor Domini Dei noſtri adſit nobis, quæque inſtituerimus fac proſpera:
quæ inſtituerimus fac proſpera.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 P*Recatio Moſcheh uiri Dei. Deus Domine manſio tu fuiſti nobis, in generatione & generatione.*
2 *Priuſquam montes naſcerentur, & parturiretur terra & orbis, & à ſeculo uſque ad ſeculum tu Deus.* Similia
habet his quæ hic canũtur Pſalmus 39. Moſcheh iuſcribitur, quem putãt Thalmudici, & decem
ſequentium autorem eſſe. Alii alia adferũt, ſed incerta: quapropter ea mittimus. Virum Dei vo-
cat, quia præ cunctis mortalibus Dei Spiritu pollebat. Eo quòd Domino ait, *Habitaculum tu nobis
factus es:* videtur reſpexiſſe ad Tabernaculum fœderis. quaſi diceret, Non eſt hoc, ſed tu ipſe habi-
taculum es, quò confugiamus, vbi ſeruati nos ſimus. & id fuiſti priuſquã hic orbis conderetur. Ephes.1.a.4.
Hoc idem eſt cum eo quod Paulus habet, Elegit nos ante conditum mundũ. Cómodùm autem
memorat in Deo vno eſſe ſalutem, & vitam nobis repoſitam, etiamſi cætera omnia perirẽt: quia
mox memoraturus eſt quàm ſimus in nobis nihilum. Ad vnum igitur Deũ animus attollendus
eſt, qui ita in ſe ſolo ſeruare poteſt conditos, ſicut ante cuncta ſecula in ſe geſtauit condendos.

3 *Reduci: hominem donec [ſit] contritus: & dices, Reuertimini filij hominis.* A verſu 3 vſque ad 13, queri-
tur de inanitate & fugacitate vitæ præſentis, *Reducis,* inquit, *hominem uſque ad contritionem:* hoc eſt con
tinuò ducis ad mortẽ, & quaſi ad te, è quo profecti ſumus, reuocas, diciſque, *Reuertimini filij hominum*
corpore in puluerẽ vnde vos finxi, ſpiritu ad me qui illum vobis inſpiraui. R. Ioſeph Kimhi il-
lud, *Reuertimini,* ad conuerſionem pœnitentiæ refert: ſed prior interpretatio ſimplicior eſt.

4 *Quia mille anni in oculis tuis ſicut dies heſterna quum tranſiit, & cuſtodia in nocte.*

5 *Facies inſtar nimbi illos diffluere: ſomnus ſunt, mane ſicut herba mutatur:*

6 *Mane germinat, & mutatur, & ad veſperam reciditur, & areſcit.* Illud verſu quarto, *In oculis tuis,* A.Ezra & Kimhi ad hominem referunt,hoc ſenſu,Nam etſi viueres ad mille annos, adhuc nihilum id foret apud Deũ,apud quem,quod tibi mille anni ſunt,velut heſternus dies qui iam præteriit,velut vigilia noctis,quæ tribus duntaxat horis cõſtat,habetur. Verùm quũ reliqua his verſibus,ſicut & præcedẽtis verſus,ad Deum dicuntur,malui alios quoſdam Rabinos ſequi, qui & hoc ad Deum referũt:vt ſit ſenſus,Tu ipſe Deus noſti quàm nihilum ſit omne tempus quod viuimus:nam mille anni in oculis tuis,ceu dies quæ iã præteriit,ceu vigilia noctis. Verè igitur miſeri ſumus,& tu præmaturè nos hinc rapis,imò deturbas nos,ac præcipitas ex hac vita,vti nimbos deiicis,vti rapida decurrunt flumina,repentina nimirũ celeritate:vti fugit ſomnus, vti herba,quæ mane ſtatim immutatur,id eſt mane vernat & rubeſcit(id enim hîc ſignificat יחלף) & veſperi ſtatim reſecatur & areſcit. Iſtæ ſimilitudines & alibi in Scriptura crebræ ſunt.

7 *Quoniam in ira tua conſumimur, & in indignatione tua terremur.*

8 *Poſuiſti iniquitates noſtras coram te, & abſcondita noſtra in lumine faciei tuæ.*

9 *Nam omnes dies noſtri defluxerunt in feruente ira tua: conſumimus annos noſtros ceu ſermonem.* Vitæ fugacitatem de qua hîc queritur,pœnã fatetur, quam Deus ſumit de peccatis noſtris: quod paſſim & D.Paulus prædicat. Verſus 9,prioribus ſimilitudinibus,quibus expreſſit quàm fugax ſit vita noſtra, & ſermonis ſimile adiecit,id eſt הגה, quod poſſet etiam reddi,cogitatio, vel leue murmur momento deſinens.

10 *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: & ſi fortitudines, octoginta anni: & faſtus illorum moleſtia: & ærumna, quia extractio feſtina & auolam.* Definit modũ ætatis ad quem vulgò homines viuunt. pauci enim hunc excedunt. Moſche, qui hoc carmen compoſuit,vixit annos viginti ſupra centum,in optima valetudine:ſed hũc quotuſquiſque aſſequitur? Illud,רהבם,id eſt ſuperbia illorum, annos iuuentutis ſignificat:de his dicit, Ærũna ſunt & moleſtia, hoc eſt omnegenus malis obruuntur.און ſignificat quidem iniquitatẽ, ac iunctum עמל,ferè pro ærumna accipitur & miſeria, qualem patiũtur quibuſcum agitur iniquè. Iterum verò de vitæ breuitate queritur, quũ ſubiicit, גז חיש, id eſt cita euulſio vel reſectio,aut deraſio:hoc eſt,illicò hinc rapimur & auolamus.

11 *Quis nouit virtutem iræ tuæ? & ſicut timor tu, fremens ira tua.*

12 *Modum dierum noſtrorum ſic notum fac [nobis,] & cordi adducemus ſapientiam* Hi duo verſus ſubobſcuri ſunt. Simplicior ſenſus hic eſt, *Quis nouit uim iræ tuæ,* id eſt quis poſſit agnoſcere quàm illa nos premat? nam pro modo quo te quiſque timet & colit,videtur ſæuire ira tua. Notum ergo nobis fac numerum dierum noſtrorum, vt ſcientes quantæ tuæ iræ ſubiecti ſimus,atque ob id verè nihilum modeſtè agamus,cõſequuti cor ſapiens,quòd tibi omnia adſcribat,& à te vno pendeat. Eſt hoc idem cum illo, Notum fac mihi finem meum,&c. Pſal.39,vbi etiam iſta precatio explicata eſt latius. Id ſanè,כיראתך עברתך,id eſt ſicut timor tuus,feruens indignatio tua, A.Ezra & Kimhi interpretantur,Sicut in vnoquoque fuerit tui timor, ita ſæuit in eum indignatio tua,non illa quidem perpetuò,ſed in ſeculo præſenti, dum Sancti hîc mala ſua percipiunt, quo bonis ſuis fruantur in futuro, & caſtigantur hîc, ne cum mundo damnentur:dum denique ipſe ſanctificatur in his, qui accedunt ei,Leuit.10.a.3,quo appareat quis futurus ſit in reprobos: & incipit iudicium Dei à domo eius.

13 *Reuertere Iehouah, quouſque? & placare ſuper ſeruos tuos.* Orat pro vita, quæ hic ſpiritu incipit, & in futuro conſummatur. *Redi,*inquit,*Domine, quouſque?* Deus ſiquidem omne bonum eſt,idcirco calamitoſè agentibus nobis,videtur abeſſe. Orat ergo vt redeat & conſoletur, id eſt tanquam recepta ſatiſfactione, ſeruis ſuis placetur. In quo notatur,reſtitutionem & renaſcentiã,non omnium, ſed eorum tantùm eſſe qui ad id vt ſerui Dei ſint,electi ſunt.

14 *Satia nos mane bonitate tua, & iubilabimus, & lætabimur in omnibus diebus noſtris.*

15 *Lætifica nos ſecundum dies adflictionis noſtræ, annos [quibus] vidimus mala.* Satietas fide cõſtat,qua Deus qui vnus ſatiare animum noſtrum poteſt,percipitur:hæc tum parit gaudium, pacem,laudem, & gratiarum actionem. vnde & de lætitia & gratiarũ actione ſequitur. Hanc precatur pro diebus quibus adfligimur. vt enim Chriſtum,ita & Chriſtianos oportet multa perpeti, ac ita in gloriam ſuam ingredi.

16 *Appareat ſuper ſeruos tuos opus tuum, & decus tuum ſuper filios eorum.*

17 *Et ſit ſplendor Domini noſtri ſuper nos, & opus manuũ noſtrarum inſtitue ſuper nos, & opus manuum noſtrarum inſtitue illud.* Quum fidem,& ex hac veram lætitiam darẽ,ſit vnius Dei,precatur conſequenter vt opus Dei ſuper nos appareat,id eſt vt Spiritu ſuo fœliciter adeò nos,ac noſtra omnia,tum & filios noſtros,id eſt quicunque ad nos attinent,quæque illi geſſerint,inſtituat,ac dirigat, vt magnificentia,ſplendor,& decor eius in nobis ſemper conſpiciatur,rebus omnibus in gloriam Dei & proximorum ſalutem,atque ideo nobis ad fœlicitatem cadentibus.

PSALMVS XCI, διδακτικὸς καὶ παραμυθητικός.

Canit quàm tutus agat, liberque à malis uniuersis qui Deo ſeſe ſolida fide commiſerit.

ARGVM. PARAPH.

1 SEdens in abdito Excelſi, ſub vmbra Omnipotentis moratur:
2 Dicam Iehouæ, Tutela mea & arx mea, Deo meo nitar.
3 Nam ipſe liberabit te à laqueo venantis, à peſte exitiali:
4 Pēnis eius obteget te, & ſub alis eius tutus ages, tectus fide eius, tanquam ſcuto & parma.
5 Non pauebis ab eo quod exterret nocte, à ſagitta volante de die:
6 A peſte in obſcuro graſſante, ab exterminio vaſtante meridie.
7 Concident à latere tuo mille, & à dextris tuis decem millia, ad te tamen non perueniet.
8 Tātùm oculis tuis cum voluptate conſiderabis, & talionem improbi videbis:
9 Nam tu dicis Iehouæ, O tutela mea: Altiſſimum habes refugium.
10 Non accidet tibi malum, neque plaga tabernaculo tuo accedet. nam Angelis ſuis mandatum de te dedit, vt obſeruent te in omnibus viis tuis.
11 In manibus portabunt te, ne impingas in lapidem pedem tuum.
12 Leonem calcabis, & aſpidem: premes pede leunculum & draconem.
13 Nam ſic de te Deus teſtatur, Ardet me, ideo eripiam eū: ſuperiorem faciam, agnouit enim nomen meum.
14 Inuocabit me, & reſpondebo ei: adero ei in afflictione, tuebor eum, & dignitate ornabo.
15 Vita longæua ſatiabo eum, & exhibebo ei ſalutem meam.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *QVi ſedet in abſcondito Excelſi, in umbra Omnipotentis moratur:*
2 *Dicit Iehouæ, Protectio mea, & arx mea, Deus mi, nitar illo.* De ſecuritate Domino confidentis canit toto Pſalmo. Verſu autē 2 & 9, ſeipſum quaſi in exemplū ponit, ac ſua in Deū fiducia, alios ad eandem inuitat. A verſu 13, inducit Dominum in ſe confidentibus ſecuritatem malorum, & copiam bonorum pollicentem. De ſecreto Dei, in quo ſedent qui iam ad veritatem perſuaſi ſunt, ſe Deo curæ eſſe, ac bonitate ipſius pleniore guſtu perfruūtur, dixi in verſum 5 Pſalmi 17, in verſum 21 Pſalmi 31, & in verſum 5 Pſalmi 61: vbi & de inumbratione alarum habetur. de quo ſimili dixi in verſum 8 Pſalmi 17.

3 *Nam ipſe liberabit te à laqueo uenantis, à peſte confractionum.:*

4 *Sub pēna ſua proteget te, & ſub alis eius defenderis, [quaſi] ſcuto & parma ueritate ſua.* *Laqueo uenantis* videtur ſignificaſſe inſidias, & clācularias inimicorū machinas, vt דבר הוות, id eſt peſte confractionum, manifeſta exitia: quanquam הוות etiam pro exitiali dolo nonnunquam accipiatur. Simile integētium alatum ab auibus mutuatum, pullos obiectu proprii corporis defendentium, repetit, adiecto ſimili ſcuti & parmæ. de quo dixi id verſu vltimo Pſalmi 47.

5 *Nōn timebis à terrore noctis, à ſagitta uolante per diem*

6 *A peſte ualente in obſcuro, à pernicie uaſtante meridie.* Prædicat, tutum forè fidentem Deo à malis tā nocturnis quàm diurnis. Quidam Hebræorum noctis frigora, & diei æſtus intelligunt: ſed leui' hoc eſſet quàm conueniat tam inſigni defenſionis Diuinæ præconio, quale hic canitur. Videntur igitur [illegible], id eſt magiſtri ſubtilioris veſtigationis, qui aliàs perrarò non nugantur, hic veriſimilitudini propius accedere. Peſtem enim graſſantem in tenebris, & exterminium vaſtans in meridie, de ſingularibus noxis dæmonum intelligunt. iis vtique miniſtris, Deus mala hominibus immittit. de quo dixi in verſu 49 Pſalmi 78. Probat verò id & verſus ſequens,

7 *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te non appropinquabit.* Hoc eſt, Si tāta etiam vis deſæuiat peſtis dæmonū miniſterio immiſſæ, vt à ſiniſtris mille, à dextris decem millia cadant, nihil tum erit quod tu tibi metuas. Id Dauid expertus eſt, quum Angelus ob peccatum ipſius perdidit ex populo à mane vſque ad tempus conſtitutum, ſeptuaginta millia.

8 *Sed oculis tuis aſpicies, & repenſionem improborum uidebis.*

9 *Quia tu Iehouah protectio mea, Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.*

10 *Non accidet ad te malum, & plaga non appropinquabit ad tabernaculum tuum.* Mala quæ memorauit, canit oppreſſura hoſtes Sancti, Deóque fidētis, vt in illis viſurus ſit optatam Dei vltioné. Nā quum

hîc Iehouæ dicat vera fide, Tu mea tutela es, ponâtque Altiſſimũ ipſum ſuum perfugium, ſuam arcem, non poteſt vel ipſi, vel iis qui ad ipſum pertinent, mali quicquam accidere, quantumvis malorum occupet reprobos. Per tabernaculum quod pro domo ponit, vxorem intelligit & liberos qui domi agere ſolent. Hinc quum Scriptura vellet Iacobum Patriarcham à ſtudio vitæ tranquillioris & vmbratilis commendare, teſtatur eum verſatum in tabernaculis.

11 *Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis:*

12 *Super manus tollent te, ne impingas ad lapidem pes tuus.*

13 *Super leonem & aſpidem calcabis, conculcabis leunculum & draconem.* Cauſam canit cur Sanctus Dei viuat ab omni malo tutus, aliis pereuntibus. Angelos ſiquidem ait portare illum manibus ſuis, ſed gradiẽtem viis ſuis, hoc eſt in iis rebus verſantem, ac ea tentantem quæ deceant Filium Dei: quæ ſint ex ſententia Dei, non quæ gloriæ Dei derogent, & nulla ſpe fructus redituri ad proximum ſuſcipiuntur: quale erat quod Satan ex hoc loco perperam citato perſuadere Seruatori conabatur, Matth. 4. a. 6. De hac Angelorum cura & cuſtodia, canit verſus 8 Pſalmi 34. Ex hac ſcilicet & id ſequitur quod canit verſu 12, nihil prorſus quanlibet nocens ſit, Sancto poſſe noxium eſſe: vt qui illæſus leonem & aſpidem, leunculum ferocientem & draconem pedibus calcet. Videtur autem Vates hac conculcatione, non ſolùm voluiſſe canere credentes Deo non poſſe à tam noxiis beſtiis lædi, ſed etiam eas oportere illis parêre, ac commodo eſſe: nec modo has, ſed quicquid vſpiam eſt, quantiſlibet vel viribus, vel ferocia formidabile ſit. Has enim beſtias pro ſummè nocentibus ac terrificis, tam hominibus, quàm rebus aliis poſuit.

14 *Quia ardet me & eripiam eum, defendam eum, nam nouit nomen meum.*

15 *Inuocabit me, & reſpondebo ei, cum eo ego [ero] in anguſtia, tuebor eum, & ornabo eum.*

16 *Longitudine dierum ſatiabo eum, & faciam eum videre opem meam.* Inducit Deum ipſum omnia pollicentem. In quibus obſeruandum, à Sanctis hæc ſola requiri, vt ament & cupiant Deum, agnoſcant nomen eius, hoc eſt dignè ſuſpiciant maieſtatem eius, inuocent eum: quod ex prioribus neceſſariò ſequitur. Sic comparatos Deus eripit malis, ſuperiores hoſtibus ſuis efficit, adeſt in afflictione, durat vt ferre poſſint, conſolatur, & in tempore mala omnia diſcutit: quibus diſcuſſis tuetur, nequid aliud accidat quod obſit: dignitate ornat, ſed conſtante, vita verè innocenti & bonis omnibus amabili, vita longæua, ſed quæ ad ſuam gloriam, & ad proximorum vtilitatem geratur, ſatiat: ſalutémque eam tandem oſtendit, hoc eſt exhibet, qua liberi malis omnibus, æternùm beati cum ipſo viuant. Quæ vitæ longitudo expetatur Sanctis, dixi in verſu 13 Pſalmi 34.

PSALMVS XCII, *εὐχαριστικὸς καὶ ἐπαινετικός.*

ARGVM. *Sabbatho eſſe peculiarem laudandi Deum opportunitatem, cuius ampliſſimam materiam ſuppeditare conſiderata probè opera Dei, quibus ſuos mirificè adeò fouet, euehitque: abiicit autem & perdit improbos.*

PARAP. 1 ODa Carminis ad diem Sabbathi.
2 Cõmodum nunc eſt celebrare Iehouam, & canere nomen tuum ô Excelſe:
3 Prædicare mane bonitatem tuam, & fidem tuam in noctibus,
4 Ad decachordum, ad fides, ad Higaion cum cithara.
5 Nã lætitia me perfudiſti Iehouah operib' tuis: de factis manuũ tuarũ ouabo.
6 Quàm magna ſunt facta tua ô Iehouah, alta vehementer conſilia tua.
7 Vir ſtupidus iſtuc non cognoſcet, & prauè ſtultus non intelliget:
8 Quum floruerint improbi ſicut herba, & vernant cuncti dediti iniquitati, in hoc vt vaſtentur per omnia ſecula:
Tu verò celſus es in ſempiternum ô Iehouah.
10 Nam ecce inimici tui ô Iehouah, nam ecce inimici tui pereunt, diſperduntur quicunque dediti ſunt iniquitati.
11 Attolles autem cornu meum vt vnicornis: delibutus ero vnguẽto præſtãti.
12 Videbit optata oculus meus in inſidiantibus mihi: audiet de iis qui in me inſurgunt, grata auris mea.
13 Iuſti inſtar palmarũ florebũt, ãpli grãdéſque eminebũt vt cedri in Libano.
14 Plantati ſunt in domo Iehouæ, in atriis Dei noſtri florebunt.
15 Ideo & quum ſenuerint, fœcundi tamen erunt ſemper, ſucculenti & viuidi:
16 In hoc vnum incumbentes, vt prædicent quàm æquus ſit Iehouah, propugnator meus, in quo nulla eſt prauitas.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Psalmus cãtici ad diẽ Sabbathi*. Ad diem Sabbathi inſcriptus Pſalmus eſt, quòd fuerit Sabbathis præcipuè, vt creditur, cantatus. Quidam Hebræorum audent ſcribere, Adam hunc Pſalmũ cecinisse quo die conditus eſt. Nos miſſis iis quæ nulla veri ſimilitudine dicuntur, nedum citra Spiritus ſancti authoritaté, certa potius ſequamur. Id verò certum, hoc doceri Pſalmo quæ Sabbathis Sanctis agenda incumbunt: ex hoc veriſimile eſt, eum Sabbathis cantari fuiſſe ſolitum.

2 *Bonum celebrare Iehouam, & pſallere nomini tuo Altiſſime,*

3 *Ad annuntiandum mane bonitatem tuam, & fidem tuam in noctibus.*

4 *Super me decachordum, ſuper me fides, ſuper me Higgaiõ in cithara*. Sabbatho Dei bonitas potiſſimè prædicãda erat: inde ait, Sãctis *Bonum eſt*, hoc eſt tẽpus idoneũ & inuitans ad celebrandũ Deũ (ſic canebat Dei populus Sabbatho) bonũ canere nomẽ tuũ. *Ad annuntiandum*, vtiq; cũ laude, *bonitatẽ fidẽmque tuam mane, & noctibus*: id eſt vel ſingulis diei exortibus, atq; noctib⁹: vel ſtatis ad hæc tẽporibus: quæ vt aliquoties memini, matutinũ erant & veſpertinũ. *Noctibus* dicit, quòd qui ſpirituales erant, totas Sabbathorũ noctes, aut bonã earum partẽ in laudibus Dei inſumebant, iuxta illud, Medio noctis ſurgebam ad celebrãdum te. Et, Præuenerũt oculi mei vigilias, vt loquerer de ſermonibus tuis, Pſalmo 119. Ad huius imitationem matutini, quos vocant, Eccleſiaſticorum conuentus inſtituti ſunt: ſed quàm pauci ſunt quos huc agat Spiritus, laudum Dei ſic ſtudioſus vt dies illis ad eas ſatis non ſit: & non aut receptarum legum neceſſitas, vel paruæ pecuniolæ expectatio, vel deniq; quòd ſolis vigiliis atque cantibus (quibus ſæpe animus nihil afficitur) ſarcire putent vitæ impuritatem, quam tamen vt seriò eluant, nondum ſecum ſtatuerunt? Sed de his nõnihil in Tractatu de precatione, ſubiecto enarrationi Pſalmi 5. De vſu organorum muſices, quorum meminit verſus 4, dixi in verſum ſecundum Pſalmi 33. Higgaion canticum quidam interpretantur, inter quos eſt Kimhi. Alii volunt nomẽn inſtrumẽti eſſe, quibus Abraham Ezra nihil repugnat. Me vt putem pro inſtrumento hic poſitum, mouet quod Pſaltes illi æquè præmiſit, עלי, id eſt ſuper, vel ad, vt עשור & נבל. At Pſalmo 9 verſu 17, pro cãtico accipi, magis videtur veriſimile. Sed vt ſæpe dixi, de his, deſtituentibus nos veterum monumentis, nihil certi, ne à Iudæis quidem poterit afferri.

5 *Nam lætificaſti me Iehouah in operibus tuis, in operibus manuum tuarum ouabo.*

6 *Quàm magna ſunt opera tua Iehouah: valde profundæ ſunt cogitationes tuæ*. Memorat opus Sabbathi, nẽpe religioſam & attentã operũ Dei cõſiderationem: ex hac ſe canit Sanctus lætitia perfuſum, quam ouatione, hoc eſt cantico laudis erũpente ex corde in præconium Dei ardenti, teſtari oportuerit: tali inquam cantico quale habet verſus 6, quo Sancti infinitam operum & conſiliorum Dei ſapientiam & bonitatem extollebant pro viribus. Simile habet Pſalmus 77, verſibus 14 & 15. Opera verò Dei & cogitationes quæ admirantur Sancti & celebrant, ſunt quòd homines admiranda ſapientia gubernat, ſe timentes malis mirabiliter eripit, æternum autem exterminat, ſui, ac inde omnis pietatis & iuſtitiæ contemptores. Hinc dicit cogitationes Dei altas, quarum ratio nequeat peruestigari. Hæc autem in ſequentibus certius explicat.

7 *Vir ſtupidus non cognoſcit, & ſtultus non intelligit hoc.*

8 *Quum floreant improbi ſicut herba, & progerminant cuncti operarii prauitatis, ut vaſtentur in ſempiternum.*

9 *Et tu excelſus, in ſempiternum Iehouah:*

10 *Quoniam ecce inimici tui Iehouah, quoniam ecce inimici tui peribunt, & diſſipabuntur cuncti operarii prauitatis.*
Sancti quos hîc ab improbis multis modis exerceri oportet, hinc ſe maximè conſolantur, quòd Deus omnia ex æquo gubernat: tãdẽmque improbos ſui nominis hoſtes, quãuis hîc ſæpe florere videãtur, deiicit & abolet, ipſos verò extollit & beat. Hácque viuẽtes fide, iuſtitiæ ſedulò ſtudẽt, & aduerſa omnia æquo animo perferũt. Qui autẽ Spiritu Dei deſtituti, & ob id ſtupidi & ſtulti ſunt, cum Sãctos, tum improbos à præſenti eorum fortuna æſtimãt, ac ideo hos quàm illos ſectari malunt. De horũ ſtultitia canit verſu 7. notata etiam pulchrè eſt Pſalmo 73. Nec enim animaduertunt quàm euanida ſit improborum fœlicitas, vtpote quæ herbæ, & graminis inſtar habeat, eóque quo magis eminet, hoc citius diſperdenda ſit. Sancti autem id probè intelligentes, toti à Deo pendẽt, eique quòd omnibus ſupereminet iudex, & improbos à quibus illi multa perferunt, ſuos habet hoſtes, tandem in ſuo tempore eos diſperditurus confitentur, vt habet verſus 9 & 10, *Et tu*, inquit, *ô Iehouah, excelſus in ſecula*, hoc eſt ſempiternam in omnes poteſtatem exerces: ideo æternùm florebunt qui tibi ſeſe addixerint: peribunt quicunque tibi fuerint aduerſati. Quod exprimit verſu 10, tanquam cauſam reddens eius quod habet nonus, in hunc ſenſum, Verè tu Deus excelſus es ſuper omnes, omnium iudex & gubernator, *Nam ecce inimici tui ô Iehouah, nam inimici tui peribunt*: indubiè te iudicante & eos perdente. Inducit autem ſe quaſi cernentem hos perire: quare notam demonſtrationis, & geminationem adhibuit, quibus voluit ſignificare quàm celeriter pereant, & tum etiam quando præcipua videntur fœlicitate florere. Opera Dei in eos qui ſibi fidunt, canit verſibus ſequentibus.

11 *Et attolles cornu meum, ſicut unicornis: delibutus ſum unguento uiridi.*

12 *Et uidebit oculus meus in obſeruatoribus meis, in inſurgentibus contra me noxiis audient aures meæ.* *Attolles*, in-
quit ô Deus *cornu meum*, id eſt potentiam & fœlicitatem, ſicut cornu vnicornis, id eſt in immẽſum.
Nulli⁹ enim beſtiæ robuſtius cornu eſt monocerotis: de qua fuſè dixi in verſu 22 Pſalmi 22. ſeu &
vnguentum ſignificat. Dicit autem ſe vnguento viridi delibutum fore, hoc eſt quod perpetuò vi
geat, & floreat. Id vnguentum eſt Spiritus fauoris Diuini, quo animum exhilarante, ac beatum
rerum ſucceſſum ſuppeditante, corpus quoque cæleſti quodam vigore iuueneſcit, florétque, iux
ta illud Prouer. 17. d. 22, Cor gaudens valetudinem perficit: ſpiritus deiectus arida reddit oſſa. O-
leo per ſe natura eſt plurimum corpus iuuandi, dum tepefacit, contra algores munit, capitiſque
feruores refrigerat, aliáque commoda affert. iam admixtis aliis ſalutaribus liquoribus, maior il-
li medendi vis adiicitur. Huius vſus præcipuus fuit in Palæſtina, vtpote Perſidi, vbi vnguentorũ
vſum natum arbitrantur, & AEgypto (quã ſcribit Plinius vnguentis accommodatiſſimam) vici-
na. Proinde quum vellet Vates ſe Domini fauore, modis omnibus habiturum optimè canere, al
legoriã à cura corporis vnguentis cõſtantẽ mutuatus, dixit, *Delibutus ero unguento uiridi*. id eſt ita cor
pus reſtituente, & valetudinem fulciente, vt velut virens, frondoſáque arbor, habeam quàm com
modiſſimè. Succeſſum contra inimicos canit verſu 12, in quo ad verbum *videndi & audiendi*, ſup-
plendum eſt, grata vel optata. De quo loquendi modo dictum in verſu 18 Pſalmi 22.

13 *Iuſtus ut palma florebit, ſicut cedrus in Libano eminebit.*

14 *Plãtati in domo Iehouæ [ſunt: &] in atriis Dei noſtri florebunt.*

15 *Adhuc in ſenecta fructum ferent: pingues & uirides erunt.*

16 *Ad adnuntiandum quòd rectus [eſt] Iehouah, rupes mea: & non eſt in eo prauitas.* Celebrat Sanctorũ fœlici
tatem in vniuerſum. Hos palmæ ſimiles facit (nam hic *iuſtus*, pro iuſtis dixit) propter dulcedinem
fructus: & cedris propter robur. quanquam & palmæ aſſimilatum, A. Ezra ſcribit, propter vitæ
diuturnitatẽ. Notũ vulgo illud eſt de ingenio ligni huius arboris, quod aiũt impoſitis oneribus
ſurſum conniti: vnde putãt ortum vt victores certaminum palma coronarẽtur. Porrò hanc ſi-
militudinem probat verſu 14, quum canit perſiſtens in allegoria arborum, iuſtos plantatos eſſe
in domo Domini, in eáque florituros, & fructum laturos. Nam domũ & atria pro eodẽ dixit: in
atriis enim verſabatur populus. At plantatio hæc, inſitio eſt in Chriſtũ, de qua Paulus Rom. 11. b.
17. Nemo enim fructũ facere poteſt, niſi palmes ſit huic viti inſitus: & ſoli huic implantati in do
mo Dei, Sanctorum Eccleſia radices agunt, fœcundatique Spiritu Dei, fructum afferũt vitæ in-
nocentis & probæ, eúmque perpetuò. nunquam enim vel folium illis areſcit, vt canit Pſalmus pri
mus. Hanc perpetuam fertilitatem canit hic verſu ſequẽti, dicens, *iuſtos & in ſenecta pingues, frondoſóſque
fore*, hoc eſt fœcundo ſucco vigentes, & vernantes: omnibus ſcilicet quæ ſiue agant, ſiue loquan-
tur, ad pietatis inſtaurationem, bonorúmque gratiam facientibus. Hos enim, non ſolùm nulla
poteſt à dilectione Dei creatura diuellere, ſed etiam obliti eorum quæ à tergo ſunt, continuò ſeſe
cum Paulo, ad præfixam metam extendunt, Chriſtique imagini accedunt propius. Quæ omnia
tam externa, quàm interna bona hũc tãdem fructum pariunt, perfectam laudem Dei, ob quam
ſolam ſcilicet externum rerum ſucceſſum, vitæque longæuitatem ſibi Sancti precantur: de quo
eſt verſus vltimus. Dum nanque timẽtes ſe, Deus ſic bonis cumulat, planè ſuam bonitatem, quæ
nullam penitus prauitatis admixtionem agnoſcit, depromit: quámque certa ſint ſua promiſſa,
omni excluſa falſitate, declarat. Id quod mundus alioqui credere adeò non ſuſtinet, vt quibuſvis
nugamentis potius, quàm Dei pollicitis fidem habeat.

DISPVTATIO DE SABBATHO ET FERIIS CHRISTIANORVM.

SEptimũ diem legimus Diuinitus ſanctificatũ, hoc eſt ſacris deputatum ceremoniis: eo quòd illo à condendis rebus Deus ceſſarit. Quo vtique ſignificatũ eſt, fore tempus quo Electi vſum rerum quas Deus ſex diebus creauit, trãſgreſſi, & ab illis feriantes, in ipſius iam Creatoris bonitate & potentia conſideranda detinerentur. Quod tum planè futurum eſt quando hanc carnem in qua nihil boni eſt, exuti, vitam viuere cæleſtem, prorſus renati cœperimus. Verus ſiquidem ſabbathiſmus eſt ab operibus noſtris planè ceſſare: ita eum definit Epiſtola ad Hebræos, 4. c. 9: id antè non cõſequemur, quàm quũ extincto vltimo hoſte, qui mors eſt, Deus fuerit omnia in omnibus, 1. Cor. 15. d. 28. Ad hũc autẽ ſabbathiſmũ, quoniam in eo cõſummata noſtra fœlicitas eſt, decet nos hic præparari. id fit dum ſecluſis negotiis vitæ præſentis, Dei opera diligentius conſideramus: quod ſanè prægustatio quædam eſt fœlicitatis quæ obueniet quum videbitur Deus ſicuti eſt. Hanc iam conſiderationem nihil æquè promouet atque admonitio Diuinæ bonitatis, & operũ eius publicum præconium. Ad hæc ergo vacationem à rebus aliis populo ſuo indixit: nec aliam ob cauſam ſeuerè adeò præ cunctis aliis ceremoniis, exegit obſeruantiam Sabbathi, quàm quod peculiariter eam ad ſui cognitionem, quæ æterna vita eſt, in populo alendam, & prouehendam inſtituiſſet. Et ſanè haud vulgaris Dei contemptus erat, tota hebdomada non ſuſti-

nere vel vnum diem cognoſcendo & prædicando Creatori,à quo homo & ſe,& omnia habet,inſumere.Chriſtiani priſci diem Dominicũ,ita dictum quòd in eo Chriſtus ſurrexerit à mortuis, pro Sabbatho,ſacro conuentui conſecrarunt. Quo & per Domini reſurrectionem,viam ad ſempiternum Sabbathum apertam, & ſe dominos Sabbathi eſſe teſtari voluerunt. Quanta enim in huiuſmodi ceremoniis,quum iam Euangelium Gentibus cœpiſſet annunciari,quorundam fuerit ſuperſtitio, Epiſtolæ ad Galatas & Coloſſenſes ſatis indicant. Poſteriores Chriſtiani pleraque Martyrũ feſta,in quibus fidei illorũ & conſtantiæ populus admoneretur adiecerunt. Nouiſſimè dicati ſunt & aliis qui ſingulari ſanctimoniæ ſtudio fuere cõmendati, dies. Sed refrigeſcẽte ſtudio Dei,nõ ſolum his feſtis promotũ id nõ eſt propter quod vnicè feriandum erat, nimirum vt in cognitione, amoréque Dei popul⁹ proficeret, ſed otium,ſpatiũ,facultas & occaſio data eſt, quævis ſcelera impudẽtius & cumulatius quàm vllo alio tẽpore patrãdi. Quæ vtinã Epiſcopi & Eccleſiaſtici ordinis alii,vnà cũ Principibus ita deteſtarẽtur,tollẽdiq; tã impiam peruerſitatẽ,tãto flagrarẽt zelo, quãto flagrarũt pientiſſimi Principes Leo,& Anthemius quorũ hac de re iſta lex eſt,Dies feſtos,dies maieſtati Altiſſimæ dedicatos,nullis volumus voluptatibus occupari,nec vilium exactionũ vexationibus prophanari. Dominicũ itaque diẽ ita ſemper honorabilẽ decernimus & venerandũ,vt à cũctis executionibus excuſetur. Et paulo pôſt, Nec huius tamẽ religioſæ diei otia relaxantes, obſcœnis quenquã patimur voluptatibus detineri: nihil eodẽ die ſibi vindicet ſcena theatralis, aut circenſe certamen, aut ferarũ lachrymoſa ſpectacula, etiãſi in noſtro ortu aut natali,celebranda ſolennitas inciderit,differatur. Amiſſionẽ militiæ,proſcriptionẽmq; patrimonii ſuſtinebit,ſiquis vnquã hoc die feſto ſpectaculis intereſſe, vel cuiuſcunque iudicis apparitor, prætextu negotii publici ſeu priuati,hæc quæ hac lege ſtatuta ſunt,crediderit temerãda. Hoc legis,tractatu de feriis,C. Vide Chriſtiane lector quò res noſtræ reciderit. Alii militiæ dignitate,alii patrimoniis exuebãtur ſi tãtùm ſpectaculis die Dominico interfuiſſent. Iã nihil ferè ſcelerũ eſt quod non maximè ſacro Dominico die perpetretur: palàm luditur,inebriatur, ducuntur obſcœni chori,ſcortatur, pugnatur, & vtinã non etiam his atrociora multo deſignarẽtur: & ea nuſquam ferè licentius quàm in ipſis Principum & Epiſcoporũ aulis. Vnum eſt quo feſti dies violari creduntur,vtile quippiam operari.id ſolùm etiã dũ neceſſitas indicit,à Magiſtratibus vindicatur: quũ Imperator Cõſtantinus ita de eo ſtatuerit, Ruri tamẽ poſiti,agrorum culturæ liberè licentérque inſeruiant:quoniam frequẽter euenit vt nõ aptius alio die frumẽta ſulcis,aut vites ſcrobibus commendentur, ne occaſione momẽti pereat cõmoditas cæleſti prouiſione conceſſa. Sed oremus Dominum vt det olim apud nos verè ſanctificari nomen ſuum,vt seriò ipſum metuamus,ex animo colamus, & innumera videbimus ob quæ noſtri nos pudebit. Noſtrũ ſanè erat,vt Sabbathũ Sabbatho pietatis ſtudiis,iuxta vaticinium Ieſchaiah vlt.g.23, cõiunctũ haberemus:ſemper vacui curis carnis,perpetuò liberi peccatis,nunquã nõ intenti Diuinis in nos beneficiis penſitandis & celebrandis. Iam iſta ne in iis quidem diebus cogitamus quos ad hæc peculiariter dedicauimus:ſolo otio,& eo perditiſſimis moribus permiſſo,feſta celebramus.

Lex imp. Leo. & Anth. de feriis, Cod. lib. 3, tit. 12.

Eodem lib. & titulo, lege 3.

PSALMVS XCIII, ἀνεπίγραφος.

ARGVM. *Prædicat maieſtatem Dei à conditura orbis, & deiectione Gentium maximè formidabilium: tum oraculorum eius certitudine, atque Eccleſiæ perpetua fœlicitate: non diſſimili argumento cum Pſalmo decimonono.*

PARAPH.

1 IEhouah rex eſt: celſitudinem ſibi tanquã veſtẽ circundedit, circundedit ſibi Iehouah robur,robore ſe cinxit:etenim orbem condidit,vt non nutet.

2 Paratum eſt ſolium tuum à tempore ſempiterno,à ſeculis tu es.

3 Extulerunt flumina ô Iehouah,extulerunt flumina ſtrepitum ſuum,extulerunt flumina fluctus ſuos.

4 Pluſquam ſtrepitus aquarum multarum, procellarúmque maris admirabilium,admirandus eſt Iehouah qui in excelſo præſidet.

5 Oracula tua certa ſunt valde:pulchra eſt domus tua,hæc ſancta ſtabit Iehouæ in tempora longiſſima.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

I*Ehouah regnat,celſitudinẽ induit,induit Iehouah robur,* [*robore*] *accinctus eſt,etiã inſtituit orbẽ,nõ mouebitur.* Potentiã canit Dei,qua omnia cõdidit. Frequens verò eſt hæc in Scripturis metaphora, vt dicat indui tanquam veſtimento,quo quis abundat. Sic vocat ignominia amictum, qui ignominia ſupra modum affectus eſt: indutũ iuſtitia qui illi per omnia deditus eſt,ac ceu veſte ornatur. Ad hunc modum ergo canit Deum amictũ celſitudine & robore,quòd omnibus ſuperemineat,& robore cuncta præcellat,nihil ſcilicet non potens. עז,id eſt robur,in hoc primo verſu ſemel poſitum,bis legẽdum eſt,vt iungatur & cum induendi & cum cingendi verbo.

2 *Firmatum ſolium tuum ex tunc, à ſeculo tu*. Celebrat prouidentiam Dei, vt qui ab æterno regnum plena in omnia poteſtate (etſi id mundus non agnoſcat) obtineat & adminiſtret.

3 *Extulerunt flumina Iehouah, extulerunt flumina vocem ſuam, extulerunt flumina fluctus ſuos:*

4 *Præ vocibus aquarum magnarum, admirabilibus fluctibus maris, admirabilis in excelſo Iehouah.* Allegoria eſt, qua vſus eſt & verſu 3 Pſalmi 46. Per aquas alioqui vim hoſtilem ſignificari, abundè notum eſt. Canit ergo extuliſſe ſe Gentes, & plurima contra Dei populum molitas eſſe, quas Dominus longè illis vt potentior, ita formidabilior, atque plus admirandus compeſcuerit. Hebræi in verſu quarto putant ineſſe gradationem, vt intelligas per aquas multas, flumina, quorum ſtrepitu formidabilior ſit ſtrepitus procellarum maris: & hoc admirandus magis ac tremendus Dominus in ſublimi præſidēs. Cauſam autem cur hæc cecinerit, non dubito fuiſſe inſignem aliquam victoriam, qua Deus ſuum populum hoſtibus ſuperiorem fecerit. In eo verò ſimul ſalus parta per Chriſtum fuit adumbrata, qui tandem cuncta per orbem bella, obtritis ſuis hoſtibus, ſubmoturus eſt. Hinc ergo fuit occaſio recordādi teſtimoniorum Dei, quibus & illam hanc victoriam promiſerat. inde ergo ſubiectus eſt verſus vltimus,

5 *Teſtimonia tua certa valde, domui tuæ ô Iehouah pulchra, ſanctitas in longitudine dierum*. Senſus hic eſt, Reipſa nunc potentiam tuam ô Deus, pro aſſerendis nobis declaraſti, ita vt promiſeras: ſic & quam per Chriſtum tuum ſalutem pollicitus es, indubiè præſtabis. certa enim ſunt tua teſtimonia, oracula Vatum quibus hæc nobis promiſiſti, vt ſtet Sacrarium præclarum illud, elegans, & ſanctū in longitudinem dierum. Intelligit autem per domum hanc, veram Sanctorum Eccleſiam. Ab. Ezra, quæ habent verſus 3 & 4, ſimpliciter accipit, quaſi Propheta à vi & perennitate fluminum, mariſque multo maiore impetu & violentia, Dei potentiam voluerit prædicare: tum his maieſtatis eius teſtibus viſibilibus, prætuliſſe verſu 5, teſtimonia Scripturarum, quæ percipiuntur animo credenti. In verſu vltimo variè quoque poſterior pars enarratur. Quidā legūt, Domum tuā decet ſanctitas: coniungentes לביתך cum verbo נאוה, quod Decet interpretantur. R. Schlomoh illud pro habitatione accipit. Sic & de voce קדש variant: nam quidam hæc affirmatiuè legunt, quidam precatiuè. Quod viſum eſt ſimplicius, ſequutus ſum: penes Lectorē ſit iudicium. ל accipi alicubi pro מפני, vt per De reddi poſſit, ſuprà indicatum eſt. Ideo poſſet forſan etiam in hunc modum intelligi, Teſtimonia tua de domo tua, certa valde ſunt: pulchrum eſt Sanctuarium Iehouæ in longitudinem dierum. Sed vtcūque accipiamus, ſatis liquet, Vatem duo dicere voluiſſe hoc verſu. Vnum, firma eſſe Dei teſtimonia: alterum, domum Dei pulchram & ſanctam, perpetuò perſtiturā: ſiue dixerit hoc Dei in eo beneficium prædicans, ſiue id ipſum orans. Quæ item duo, ſi rectè perceperimus, nempe indubitata eſſe Dei oracula, & æternùm omni genere beneficiorum Dei ornatā Eccleſiam Chriſti perennaturā, ſalui indubiè ſumus: vtpote qui verba Dei quæ vera credimus, in omnibus ſimus ſequuturi, & eius Eccleſiæ quā beatā minimè dubitamus, nos addicturi.

PSALMVS XCIIII, δεικτικὸς ἢ διδακτικός.

ARGVM. *Iudicium Dei inuocat contra improbos, innocentum & afflictorum oppreſſores: & idem minatur ne gentibus quæ hic ignorantur haberi Deo cognita: prædicans ſimul eſſe ſalutare, à Domino ad tempus corripi, qui ſibi credentes maturè à malis omnibus aſſeret, atque dum illa perferunt, abundè conſolatur.*

PARAP. 1 IEhouah Deus ſcelerum vltor, Deus ſcelerum vltor affulge:

2 Attolle te ô iudex terræ, redde talionem ſuperbis.

3 Quouſque improbi ô Iehouah, quouſque improbi exultabunt?

4 Effutiunt, loquuntur ſuperba, iactant ſe quicunque iniquitati dediti ſunt:

5 Populū tuū ô Iehouah obterūt: quos tibi iure hæreditario vēdicaſti, affligūt:

6 Viduas & aduenas occidunt, & pupillos interimunt.

7 Et cogitauerunt, Exiſtens hæc non videt, nec intelligit Deus Iaacob.

8 Intelligite ſtupidi è populo: & ſtulti quando demum ſapietis?

9 Is qui aurē cōdidit, quî nō audiret? qui finxit oculum, quo pacto nō videret?

10 Qui totas Gentes corripit, vos non arguet? quíque hominibus ſcientiam ſuppeditat, veſtra conſilia ignoret?

11 Nouit Iehouah cogitationes hominum: nam ipſi nihil ſunt.

12 Fœlix vir quem tu ô Exiſtens corripueris, & de Lege tua inſtitueris:

13 Quo tranquillitatem illi pares à tempore aduerſo, etiam dum adhuc foditur improbo fouea.

14 Neque enim reiiciet Iehouah populum ſuum, & quos ſibi in hæreditatem aſ-

ſumpſit,non deſeret.
15 Nam erit adhuc iudicium coniunctum cum iuſtitia: hanc ſectabuntur omnes recti corde.
16 Quis conſurgat pro me contra improbos? quis adſtet mihi contra deditos iniquitati?
17 Niſi Iehouah auxilio mihi fuiſſet,breui habitaſſet anima mea in locis ſilētũ.
18 Sed quum cogitarem, Nunc lapſus eſt pes meus: bonitas tua ô Iehouah ſuſtentabat me.
19 Pro æſtu multarum cogitationum intra me,recrearunt animam meam conſolationes tuæ.
20 Nam quid commune tecum haberet ſolium ſycophantiis addictum,cui pro more eſt fingere iniurias?
21 Conglobantur illi contra animam iuſtorum,& ſanguinem innoxium improbè fundunt.
22 Sed erit mihi Iehouah pro arce in qua eripiar, & Deus meus pro rupe in qua protegar:
23 Et rependet illis iniquitatem ipſorum: & dum in eo ſunt vt alios iniuriis lædant,ipſos perdet,perdet eos Iehouah Deus noſter.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *DEus ultionum Iehoua Deus ultionum affulge.*

2 *Attollere[qui]iudicas terram,rependo retributionem ſuper ſuperbos.* Quæ hic Pſalmus canit, habent & pleri que alii,præcipuè decimus,quartuſdecimus, quinquageſimus octauus, & quinquageſimus nonus,ac alii quidam.Primùm,orat Deum vt tandem de impiis innocuos opprimentibus pœnas ſumat:ſicque potētia ſua declarata,affulgeat, ſeſéque omnibus ſupereminere oſtēdat, quod alioqui ſcelerati illi credere nō ſuſtinent. *Deum ultionum* vocat:nã inde ſpē ſibi Sancti ſuffulciunt, quòd cogitãt illũ tandem pro ſe cōtra impios iudicaturũ.Ipſe nanque dixit, Mea eſt vltio, & ego rependo,Deut.32.e.35. Sed & tota de eo Scriptura prædicat,vnicuique iuxta facta ſua repēſurum.

3 *Quouſque improbi Iehouah,quouſque improbi exultabunt?*

4 *Effutiunt,loquuntur durum,iactant ſe omnes operarij prauitatis.* Exprimit vt vrat Sanctos ſceleratorũ ſucceſſus & arrogantia,& hãc deſcribit. Verbo יביעו,quod ebullire ſignificat,notat oris temeritatem & petulantiã; qua impii ſeſe cunctis præferentes,quicquid eis in buccã venerit,tam contra Deum quàm homines,loqui ſibi permittunt.Illud verò Loqui עתק,id eſt dura,ſuperba(ſingulare enim pro plurali dixit)habes & verſu 19 Pſalmi 31.יתאמרו,quod ſequitur,hic pro extollere ſe verbis poſitum eſt, vt & Deut.26.d.17,vbi quũ Moſcheh vellet dicere, Extuliſti hodie Iehouam vt ſit tibi in Deum: & paulo pòſt, Et ipſe extulit te vt ſis illi in populum: verbo האמיר vſus eſt. Ita Ieſchaiah 61.b.6,Opulētia Gentium fruemini,& in gloria earum תתימרו, id eſt exaltabimini, vel iactabitis vos.Hinc ergo & hic,per iactare,hoc verbũ reddidi. Cæterùm de iſta impiorum ſuperbia & petulantia,queritur multis & Pſalmo 10,atque 73.

5 *Populum tuum Iehouah obterunt,& hæreditatem tuam adfligunt,*

6 *Viduam & aduenam occidunt & pupillos maſtant.* Accuſat violentiam iſtorum in populum Dei & eos præcipuè qui aliis magis inopes & miſeri ſunt,vt viduæ,pupilli,& aduenæ.

7 *Et dixerunt,Non uidebit Iah & non intelliget Deus Iaacob.* Vt autem in eam immanitatem, niſi antè eiecto ex animo omni Dei metu, efferari nō poſſent: ita canit eos negare Deum iſta videre. Emphaſim verò habet, quòd Iah, id eſt Exiſtentem, & Deum Iaacob dixit: expreſſit enim in eo quàm ſibi doluerit vnicum & verum Deum ſic blaſphemari.

8 *Intelligite ſtupidi in populo,& ſtulti quando ſapietis?*

9 *Qui plantat aurem,nunquid audiet? ſi fictor oculi non aſpiciet?*

10 *Qui corripit Gentes,nunquid arguet? nunquid qui docet hominem ſcientiam?*

11 *Iehouah nouit cogitationes hominũ: quòd ipſi nihilum.* Admonet improbos illos, de quibus queritur,vt ſuſtineant credere Deũ omnia intueri, & iudicaturũ. nam hinc ipſi in tantã improbitatē & crudelitatem peruenerãt,quia perſuadere ſibi conati fuère, Deũ non cernere quæ deſignarēt. Hinc verò obſeruãdũ, בערים nō ſemper pro ſtupidis natura vſurpari, quũ hic Vates hoc nomine appellarit ex impietate deſipientes. Aſtruit verò Deũ omnia cognoſcere, & iudicaturum, ex eo

quòd nobis cognoſcẽdi facultatem dedit, & antea quoque mundi ſcelera ſæpe grauiter vltus eſt. Quòd enim audimus nos, quòd videmus, quódq; cognoſcimus, id eius dono & virtute nobis contingit: nõ quòd ſemel hæc donarit, & lateat poſtea eum horum vſus, ſed ſine ipſo nullam vel cogitatiunculam, nullum in toto corpore motum habere poſſumus, quippe qui in ipſo ſimus, moueamur & viuamus. Nihil igitur videbimus, nihil audiemus, nihil omnino cogitabimus quod ille non melius nobis ipſis, nempe opus ſuum magis quàm noſtrum, cognoſcat. Illo verò in verſu 10, *Qui corripit Gentes*, ad celebriores videtur vltiones reſpexiſſe, nempe diluuii, ignis Sedomitici, Pharaonis, & ſimiles. Ex his vtique ſatis colligere quilibet poſſunt, & iure debent, Deũ ipſorum ſcelera haudquaquam inulta permiſſurum. Poſterior huius verſus particula, videtur ſuo carere antitheto. nam ad hoc, *Qui docet hominem ſcientiam*, fuiſſe ſubiiciendum iuxta priores antitheſes videtur, qui non & veſtra mala ſciret? Verſu 11, eſt læta quædam de prouidentia Dei cuncta intuentis & cernentis, & ipſos homines nihilum eſſe, prædicatio: quod toties repetit Pſalmo 39. *Act.17.f.28.*

12 *Fœlicia vero quem ô Iah corripu[is], & de Lege tua inſtitueris eum,*

13 *Vt tranquilles ei à diebus malis, donec excindatur improbo fouea.* His verſibus canit Vates vt ſoleat Deus ſuos, dum ab impiis diuexantur, conſolari, & eis in tempore reſtituere tranquillitatem. Hinc fœlicem pronũtiat quem corripuerit Dominus, & ſimul de Lege ſua docuerit. Inde enim is agnoſcet, ſibi in bonũ cedere quicquid acciderit: nec diutius laturum Deum vt ſibi impii præualeant quàm ſalutis ſuæ interſit. Fidus enim eſt Dominus, vt inquit D. Paulus, nec ſinit tentari vltra quàm ferre poſſimus: ſed ſimul cum tentatione donat exitum, id eſt in tempore à malis liberat. Hoc canit verſus 13. Nam id ait, Ad hoc proderit iuſtis, à Domino corripi, & ſimul Lege eius inſtrui, vt etiam quũ adhuc improbo fouea foditur, hoc eſt antequã cecidit, dum adhuc viribus valet, & adfligere innocuos modis omnibus laborat, ipſis trãquillitas à diebus malis, finiſque, ac ſilentium quoddam adflictionis contingat. Id autem biſariam dare Dominus ſolet, vel quòd iniuriæ malorum amplius non ſuccedunt, vel quòd Sanctis nihil dolent. *1.Corinth.10.f.13*

14 *Quia non repellet Iehouah populum ſuum, & hereditatem ſuam non deſeret.*

15 *Quia adhuc reuertetur iuſtitia [&] iudicium, poſt hoc omnes recti corde.* Cauſam adfert cur Deus hanc tranquillitatem ſuis confert, nempe quòd Deus nequeat populum ſuum abiicere quem in hæreditatem ſibi adſumpſit & peculium: nimirum vt peculiari eum beneuolentia excoleret, de quo dixi in verſum 5 Pſalmi 16, & 12 Pſalmi 31. Hinc certè eſt quòd nequit ſemper præualere iniquitas, ſed oporteat iuſto Deo mundum adminiſtrante, tandem iudicium & iuſtitiã reuerti, hoc eſt in locum ſuum reſtitui: hoc eſt fieri vt olim iuſtè res arbitrentur, & ex æquitate iudicium omnibus fiat. Porrò hæc variè enarrantur. Ioſeph Kimhi, Adhuc erit tempus quũ redibit iudicium ad iuſtitiam, nimirum iudicatis & perditis improbis. A. Ezra, Reuertetur adhuc iudicium meum, id eſt ius meum ad iuſtitiam: hoc eſt iuſtè vindicabitur. Mihi videtur, quum aſyndeton haud infrequens in Scripturis ſit, vt alibi annotauimus, legere, Iudiciũ & iuſtitia reuertetur, id eſt erit vt rectè & ordine omnia gerantur. Relatiuũ ו in ואחריו, refert ad id eſt iuſtitiam, quam ſectandã Vates dicit à rectis corde. Sed illud incertũ an debeat iſtud ſectari, referri ad tempus in quo adhuc adfliguntur iuſti ab improbis: an ad id quũ iam vltione ſumpta de illis obtinuerit iuſtitia. Kimhi ad prius refert, quòd nimirum recti corde, quanlibet ab impiis adfligãtur, iuſtitiã tamen ſectari nõ deſinant. Siquis putet ad poſterius referendũ, is intelliget, iudicio facto contra impios, multam fore eorum frequentiã qui iuſtitiæ ſeriò ſtudeant, videntes eſſe aliquod eius operæpretium, & ſceleratos dare improbitatis ſuæ pœnas.

16 *Quis conſurget mecum contra improbos? quis aſſiſtat mihi contra operarios prauitatis?*

17 *Niſi Iehouah auxilium mihi [fuiſſet,] propemodum habitaſſet anima mea ſilentium.* Queruntur Sancti, neminem ſibi contra improbos, præter Dominum, auxilio fuiſſe: quo calamitatis in qua erant, magnitudinem Vates expreſſit. Nam eò ventum erat vt nomine Sanctorum dicat, *Niſi Iehouah auxilio fuiſſet, habitaſſet anima mea in ſilentio*, id eſt in loco ſilentum, apud inferos, vel in ſepulchro. נפש enim & corpus ſignificat.

18 *Quum dicerem, Lapſus eſt pes meus, bonitas tua Iehouah ſuſtentabat me.*

19 *Pro magnitudine anxiarum cogitationum mearum intra me, conſolationes tuæ lætificarunt animam meam.* Eouſque ſæpe Deus permittit ſuos improbis, vt illi actum eſſe de ſe putent. At dum obrepit deſperatio, & Sancti lapſos iam pedes ſuos, ſeque planè cecidiſſe arbitrantur, ſuccurrit cogitatio de Domini bonitate, qua credentes in eum deſtitui non poſſunt, hæc illos erigit, & bona ſpe firmat, imò etiam animum exhilarat, miráque in mediis malis conſolatione perfundit: de qua eſt verſus ſequens. Quantum enim anxiæ cogitationes animum excruciant, tantum recreat ille ſua conſolatione, docens cogitare, & animo iam cernere quàm beneuolè cum ſuis agat, agerque adhuc inſtituerit.

20 *Nunquid ſociabitur tibi ſolium contritionum [quod] fingit moleſtiam ex more?* Canit quæ de Dei boni-

tate cogitatio Sanctos firmet atque conſoletur: hæc nimirum, Deum non poſſe vſque ferre improbitatem malorum, ne conſentire illis videatur. Simile eſt in Pſalmo 5, Nam non es Deus cui probatur improbus, noxius nõ aget tecum, &c. Quid enim ipſi iuſtitiæ authori commune eſſet cum ſceleratorum poteſtate, ad lædendum innocuos tantùm intenta? Ideo dicit, ſolium horum fingere moleſtiam, עלי חק, id eſt pro ritu vel lege, quòd ſcilicet iniuria quoſvis afficere, & innoxios opprimere, ſibi tanquam legitimum morem conſuetudine firmauerint.

21 *Conuenerunt contra animam iuſti, & ſanguinem noxii condemnant.*

22 *Sed erit mihi Iehouah pro arce: & Deus meus pro rupe protectionis meæ.*

23 *Et rependet ſuper eos iniquitatem eorum, & in noxa eorũ conficiet eos, conficiet eos Iehoua Deus noſter.* Malorum conatus contra Sanctos, memorat: ſed Deum ſic adeſſe his, vt illos planè cõficiat, & vicem rependat, faciátque eos ſua ipſorum verſutia & peruerſitate perire.

PSALMVS XCV, [illegible]

ARGVM. *Inuitatio eſt ad colendum ſeriò Deũ, noménque eius celebrandum, quãdo ipſe unus omnia finxit, regit, ac peculiariter nobis Deus eſſe dignatur. Adducitur & antiquorũ exemplum, qui ſeipſos ſua inobedientia, terra promiſſæ quietis priuarũt.*

1 AGite, ouemus Iehouæ, iubilemus propugnatori ſalutis noſtræ. PARAPH.
2 Maturemus venire cũ laudibus in conſpectũ eius: hymnis iubilemus ei.
3 Nam Iehouah Deus magnus eſt, & rex magnus præ omnibus diis.
4 In cuius manu ſunt penetralia terræ, & celſitudines montium ipſius ſunt.
5 Cuius eſt mare: nam fecit illud, & continentem manus eius finxerunt.
6 Ingredimini, proſternamur, ſupplicemus, & genua curuemus corã Iehouah fictore noſtro:
7 Nam ipſe eſt Deus noſter, & nos populus paſcuorum eius, & grex quem ipſe minat: hodie vtinam voci eius auſcultetis.
8 Ne obduretis cor veſtrum, vt in Meribah, vt in die tentationis in deſerto,
9 Quum tentauerunt me patres veſtri, explorauerunt me, ac etiam viderunt opera mea.
10 Quadraginta annis iurgatus ſum cum natione hac, dixíque, Populus iſte errat corde, ignorant vias meas.
11 Quibus iuraui iratus, Nunquam ingredientur in terram quietis meæ.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *VEnite, ouemus Iehouæ, iubilemus rupi opis noſtræ.*
2 *Præueniamus faciẽ eius [in] celebratione, in Pſalmis iubilemus ei.* Pſalmus hic nõ tã explicatione quàm diligenti & religioſa perpẽſione opus habet. Laudem Dei poſcit multo ardentiſſimã, quam ouationem, ideo & iubilũ vocat. quæ voces, animi ſunt iam præ ingenti lætitia nequientis cõpoſita verba promere. Etenim laudari ſatis Dei maieſtas & bonitas haud poteſt. Quod ait, *Præueniamus faciẽ eius*: id nihil aliud eſt quàm, maturemus venire cũ laudibus in conſpectũ eius, in ſacrũ cœtũ.

3 *Quia Deus magnus Iehouah, & rex magnus ſuper omnes deos:*

4 *Quia in manu eius profunda terræ, & celſitudines montium eius [ſunt:]*

5 *Quia eius mare & ipſe fecit illud, & aridam finxerunt manus eius.* Cauſam cur tantopere celebrari Deus debeat, exponit. Eſt enim Optimus Maximus, præſtans omnibus quæ magna & diuina habẽtur: quia in manu ſua habet, vt & finxit omnia. Nominatim autẽ meminit מחקרי, quæ pro infernis terræ partibus ponit, ſicut & תועפות, quos alii celſos montes, alii cornua interpretãtur: quo exprimere voluit, nihil tam humile, nihil tam ſublime, nihil tam abſurdũ, nihil tam extans & eminens, quod non ſit in manu Dei noſtri. Eóque, vt ſemper ſolet, potentiam Dei omnium conditricem, & cuncta moderantem prædicat. Hac enim cognita, verè Deus cognoſcitur, cognitúſque & colitur & amatur.

6 *Ingredimini, ſupplicemus proſtrati, & incuruemus ceruicem, flectamus genua coram Iehouah fictore noſtro.* Sic ſinguli inuicem ad ingrediendum in atria Dei, adorandúmque Deum inuitare debent. Cauſam verò adiecit, vocans Iehouam noſtrum fictorem, ſicut præcedentibus, rerum aliarum omnium conditorem prædicauit. Quo autem, quanto nos deceat ſtudio Deum colere ac venerari, vtcunque exprimeret, complexus eſt omnem modũ, quo corporis quidem motu, reuerentiam exhibemus. נשתחוה enim, quod vulgò adorare vertunt, eſt expanſis manibus & pedibus toto corpore pronos proſterni: כרע autẽ, incuruare ceruicem, vt fratres Minores ſolent, quũ accipiunt largiorẽ, ac ob id grauiorẽ eleemoſynã. ברך flectere genu: à ברכים, id eſt genua. Eſt verò in his gradatio,

ſed pro more Scripturæ, retrograda nobis. nos enim quod minimum eſt, vt flectere genua, præmiſiſſemus, quòd gradatim creuiſſet oratio. De hoc dixi in verſu 1 Pſalmi 1.

7 *Quia ipſe Deus noſter, & nos populus paſcuorum eius, & grex manus eius: hodie utinam uocem eius audiatis.* Sicut præcedenti verſu, Deum etiam noſtrũ conditorem celebrauit, ita hîc nobis quoque ſingulari dignatione canit prouidentem, curámque noſtri gerere: neque hanc vt aliorum hominum, ſed vt in id ſelectorum, quibus conſortiũ impertiat Diuinitatis ſuæ. Quod perpẽſum, ſummam certè venerationem, & religioſiſſimas laudes eius apud nos iure excitauerit. Nam tum ille nobis ſe Deum præſtat, nóſque ſuum gregem, ſuúmque populũ habet, quum ſuo refictos Spiritu, iuſtitia ſolida ornat, vita æterna donat. *Populum* vocat *paſcuorum Dei,* quum oues dicendum erat, ſed voluit explicare metaphoram. *Gregem manus Dei* nos vocat, quòd ipſe Deus ſua manu nos ducat, ac minet. *Hodie,* in hoc verſu copulat A. Ezra cum verbo Ingredimini, proſternamur, in verſu 6, vt ſit ſenſus, Venite ſi libet, auſcultate Deo, & adoremus eum hodie. Vocẽ Domini interpretatur hanc ipſam ad laudandũ eum inuitationem. Kimhi iungit cum proximè præcedenti, in hunc ſenſum, Hodie grex Dei ſumus, & eſt ipſe Paſtor noſter, qui nihil patietur nobis deeſſe, ſi modo vocem eius audierimus, hoc eſt ipſius iuſſis obtemperauerimus. Prior ſenſus videtur ſimplicior. nec enim tam ſubitam poſcit perſonæ mutationem: quanquam illa haud ſit Pſalti inſolens. Valet autem אם alicubi, idem quod vtinam. Quũ ergo nulla ſit grata Deo celebratio, niſi viuere ex præſcripto eius demus operam, nec fuerint alia de cauſa ſacri cœtus inſtituti, quàm vt Legẽ Dei populus & cognoſcere & amare diſceret: malui hunc ſenſum hîc reddere. Vtinam hodie quũ in id conuenimus vt præcepta Dei diſcamus, & victuros nos ex ſententia eius quaſi profiteamur, vocem eius audire, omnibus ſeſeque illi addicere detur. Poſſit etiam legi vt vltima Pſalmi particula quaſi negaſſe Vates voluerit, populum Deo auſcultaturũ. eiuſmodi enim vti eclipſi mos eſt iurantium, vt alibi dictum. Senſus ergo foret, Ego magnopere ad veniendum in Sacrarium Dei, inibique celebrandum Deum quàm religioſiſſimè inuito. Sed iſti peruerſitatem patrum ſuorum imitati, voci Dei minimè auſcultant. ſic enim impletur illa eclipſis, *Hodie ſi audiant uocem Dei,* hoc vel illud mihi eueniat.

8 *Ne induretis cor ueſtrum ſicut [in] Meribah ſicut [in] die tentationis in deſerto,*
9 *Quum tentarunt me patres ueſtri, explorarunt me: etiam uiderunt opera mea.*
10 *Quadraginta annis offenſus ſum nationi, & dixi, Populus ſunt qui errant corde, & ipſi nõ nouerũt uias meas.*
11 *Quibus iuraui in ira mea, Si ingredientur in requiem meã.* Deterret itaq; ab inobediẽtia neglectúque Dei exẽplo patrũ: & meminit præcipuè tentationis factæ in Raphidim, quia ea celebris adeò fuit vt loco indiderit nomen, qui inde Maſſa meriba, id eſt tentatio iurgii dictus eſt. De hac tẽtatione, & quid ſit in vniuerſum tẽtare Deũ, dixi in verſu 18 Pſalmi 78. Obſtinata verò hæc Iiſraelis incredulitas, & quo agebatur, error cordis, ne fideret fictori ſuo, ipſum tantis beneficiis & miraculis cumulãti, de quo canit verſus 10, deſcripta eſt & verſibus 34, 35, 36, 37 Pſalmi 78. Item à 12 verſu vſque ad finem Pſalmi 81. De iuramento, cuius meminit verſu vltimo, legis Nume. 14. Ex initio Pſalmi, ac præcipuè verſib' 6 & 8, ſatis liquet, certo die & indubie ſingulari beneficiorum Dei memoria celebri, hanc ad laudãdum Deum inuitationem fuiſſe cantatam. Iam nullus eſt qui Dei nobis bonitatem exhibeat præſentius, quàm Dies Chriſti, dies reuelati Euangelii, de quo Pſal. 118. Quicunque ergo Domini vocem audiunt, hoc die percepto tam inæſtimabili redemptionis partæ per Chriſtũ beneficio, proſterni vtique, incuruari, & genua flectere illi debẽt: hoc eſt ad ſanctificandũ nomen eius ſe totos cõſecrare. Quod niſi faciãt, in requiẽ eius patriæ cæleſtis tam nõ peruenient, quàm nõ peruenerũt in terrã Chenaã Iiſraelitæ, qui voci Domini, ad ſui cultũ inuitantis, fuerunt immorigeri. Hanc anagogiã tractat Epiſtola ad Hebræos cap. 3.

PSALMVS XCVI, εὐχαριστικὸς καὶ παραινετικός.

PARAPH. *Inuitat ad laudem Dei cunctas creaturas, propterea quòd Deus iam, utique per Chriſtum ſuum, regnet, unde non homines modò, ſed uniuerſæ creaturæ reſtituuntur. Vaticinium autem eſt de regno Chriſti & eiuſdem incremento.*

PARAPH. 1 CAnite Iehouæ canticum nouũ, canite Iehouæ quicunque terrã inhabitatis.
2 Canite Iehouæ, laudate nomen eius: euangelizate in dies quam adfert ſalutem.
3 Memorate inter Gentes decus eius: in omnibus populis mirabilia eius.
4 Nam magnus eſt Iehouah, & laudatus plurimum, tremendus ipſe præ omnibus diis.
5 Nam cuncti dii populorum nihil ſunt, at Iehouah cælos fecit.
6 Celebritas & ſplendor eſt coram ipſo: potentia & magnificentia reſplẽdet in ſacrario eius.

7 Date Iehouæ ô familiæ populorum,date Iehouæ decus & potentiæ laudem:
8 Date Iehouæ decus dignum nomini eius: date munus, & venite in atria eius.
9 Supplicate Iehouæ in magnifico & ſplēdido Sacrario, metuite eum quicun-
que terram inhabitatis.
10 Dicite in Gentibus, Iehouah regnat,inſtituet orbem,ne nutet,diſceptabit po
pulis cum æquitate.
11 Lætamini cæli,gaudeat terra,perſtrepat mare,& quicquid in eo natat.
12 Exultet ager,& quicquid in eo continetur: nunc ouent cunctæ arbores ſyluæ
13 Coram Iehoua: nam venit vt terram regat, regat orbem ex iuſtitia, & popu-
los ex fide.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Cantate Iehouæ canticum nouum,cantate Iehouæ omnis terra.*
2 *Cantate Iehouæ, laudate nomen eius:euangelizate de die in diem opem eius.*

3 *Memorate in Gentibus decus eius:in omnibus populis mirabilia eius.* Quum optime res populi haberent, nempe regnante iam pacificè Dauide,ac poſtea Solomone, adumbratū fuit regnum Chriſti,qui inſtaurat vniuerſa,& filios Dei planè beat. Eo ergo quòd Vates ad laudes Dei tantopere, támque eximiè inuitat, & id occaſione indubiæ beneuolentiæ Dei inſignius erga populum declaratæ, qua oſtenderit ſe illius regem, illi adeſſe:de Chriſti regno ſimul vaticinium cecinit. Iubet verſu 1, canticum nouum canere, quòd nouum & inauditum Dei beneficium, nouos & antea inauditos hymnos requireret. Solemus enim nouis celebrare carminibus quæ eximiè afficiunt. de quo dixi in verſu 3 Pſalmi 33. Quod verſu 2, in omnibus gentibus & populis euulgare Dei gloriam hortatur, prophetia eſt de Euangelio: vti & illud verſu 2, בשרו, id eſt Euangelizate, præconio vbique renuntiate ſalutem, quam populo ſuo præſtat. De hac voce בשר dixi in verſum decimum Pſalmi 40.

4 *Nam magnus Iehouah,& laudatus valde:tremendus ipſe ſuper omnes deos.*

5 *Quia omnes dii populorum ficti:& Iehouah cælos fecit.* Cauſam (vt ſolet) exponit cur Deus celebrari tanto ſtudio debeat. ſolus enim eſt,& poteſt omnia: fictor vt cælorum,ita rerum omnium: eóque dignus eſt laudari atque vereri ab omnibus,quum numina Gētium, nihil quàm hominum figmenta ſint. Quòd autē hæc Vates deos vocat,mimeſis eſt: illarum enim nomenclaturam hactenus vſurpauit quo illa plus contemneret, mox ſubiiciens ea nihil eſſe quàm אלילים, id eſt nugas, res fictas & nihili. Quis verò contemptus maior, quàm dicere fictum, nihilum, quæ illi colebant pro diis?

6 *Celebritas & ſplendor coram eo,virtus & magnificentia in Sacrario eius.* Hæc omnia, propria ſunt Eccleſiæ Chriſti. quæ quum cæleſtibus ornamentis & virtute polleat, verè in ea Dei magnificētia, virtus & decus refulget: quæ templi magnificentia & ornamentis præfigurata ſunt.

7 *Afferte Iehouæ familiæ populorum,afferte Iehouæ decus & virtutem:*

8 *Afferte Iehouæ decus nominis eius:tollite libamentum,& ingredimini atria eius.* Hi verſus ad verbum habentur & ab initio Pſalmi 29, vbi item explanati ſunt. Munus, cuius meminit verſus octauus, nos ipſi ſumus, dum quāti ſumus, nomini Dei nos addicimus. Et hæc cōmunis illa eſt omnium populorum oblatio, de qua paſſim Prophetæ vaticinati ſunt: qualem & D. Paulus gloriatur ſe Domino obtuliſſe, Rom. 15. d. 16. Obſeruandū & illud, quod cum laude & celebritate nominis Diuini, non vt aliàs, hoſtiarum, ſed מנחה, id eſt libamenti, eius oblationis quæ cōſtabat libis, vel farina, oleo, thure & vino, meminit. poſt immolatum enim Chriſtum deſierunt mactari hoſtiæ, & conſtat nobis omnis ſacrificiorum ratio in ſacro Euchariſtiæ, ad quod panis & vinū adhibetur. Nec eſt præterea aliud victimarum genus offerendū, quàm quo paſcatur & foueatur proximus.

9 *Supplicate proni Iehouæ in ſplendore Sacrarii: trepidate coram eo omnis terra.* Splendor vel magnificentia, ſacrarium eſt ſplendidum & magnificum, reuera Eccleſia Chriſti, vt iam dictum. etſi typum huius prætulerit templum olim externè quoque inſignitè ſplendidū & ornatū. De quo typo tēpli ſatis multa dicta ſunt in Pſalmū quintum, viceſimum quartum, & viceſimū ſeptimum. Quanquam autem vbique Deo ſupplicādum, & laudes celebrandæ ſunt, ſacrum tamen cœtum huic peculiariter addicit, quia in hoc omnia auguſtiora & præclara magis habentur.

10 *Dicite in Gentibus, Iehouah regnat,etiā orbem parauit,non nutabit,iudicabit populos in æquitatibus.* Hic verſus ipſiſſimum Euangelium habet. Per Chriſtū enim regnum Dei verè demū mundo contigit, quo ille ita inſtituitur, paratur, & confirmatur, ne vnquam nutet. Hic autē mundus qui Dei regnum recipit, electi ſunt, ita petræ (quæ Chriſtus eſt) innixi, vt deiicere illos nulla prorſus vis creaturæ

poſſit. His etiam ſolis, quàm æqua ſint Dei iudicia, notum eſt: ſicut & Dei omnem potentiã eſſe. Vbique quum Dei laus ſummatur, creationis & gubernationis præconium finitur.

11 *Lætentur cæli & gaudeat terra, perſtrepat mare, & quo refertum eſt.*

12 *Exultet ager & quicquid in eo eſt, tunc ovabunt omnia ligna ſylvæ*

13 *Coram Iehouah: nam uenit, nam uenit iudicare terram, iudicabit orbẽ in iuſtitia, & populos in fide ſua.* Inuitat ad lætandum de fœlicitate regni Dei, vniuerſas creaturas. Homine enim reſtituto, reſtituuntur & illæ, quæ filiis Dei hic adhuc laborantibus, ſemper cõgemiſcunt, corruptioni ſubiectæ. Rom. 8 d.21. Communis ergo ipſis eſt de regno Christi lætitia. Singularis & geſtientis gaudii affectus, habet verſus vltimus, ob id quòd iam Dominus ſit iudex, rex, & gubernator omnium futurus. Solus enim ex iuſtitia & fide cuncta inſtituit & moderatur.

PSALMVS XCVII, [illegible]

ARGVM. *Et hic de regno Chriſti uaticinium canit, quo potentiam ſuam mirifice in ſalutem ſuorum & deiectionem hoſtium, atque uanarum ſuperſtitionum exer????: ad cuius agnitionem ſimul hortatur.*

PARAPH. 1 IEhouah regnat: gaudet terra, & lætantur inſulæ amplæ.
2 Nubes & caligo circa eum: in iuſtitia & æquitate ſitum eſt ſolium eius.
3 Ignis ante eum graſſatur, & incendit vndique qui ipſi infeſti ſunt.
4 Illucent fulgura eius orbi: videt, & expaueſcit terra.
5 Mõtes velut cera diffluũt à præſẽtia Iehouæ, à præſẽtia Domini totius terræ.
6 Cæli adnuntiant iuſtitiam eius, vident cuncti populi decus eius.
7 Pudefiant quicunque colunt idola, qui gloriantur de figmentis nihili: ſupplicate ipſi dii vniuerſi.
8 Audiuit Siion, & læta eſt: gaudent vrbes Iehudah propter iudicia tua ô Iehouah.
9 Nam tu Iehouah excelſior es omnibus qui in terra ſunt, plurimum exaltatus ſupra deos vniuerſos.
10 Qui amatis Iehouam, odio habete malitiam: cuſtodit ille animas ſuorum qui bonitati ſtudent, è manu improborum liberat illos.
11 Lux ſparſa eſt iuſtis, & rectis corde lætitia.
12 Lætamini iuſti de Iehouah, & celebrem facite memoriam ſanctitatis eius.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 I*Ehouah regnat gaudet terra, lætantur inſulæ magnæ.*
2 *Nubes & caligo circa eum, iuſtitia & iudicium locus ſolii eius.* Quum regnum Dauidis ipſiſſimus typus fuerit regni Chriſti, facilè crediderim, fœlicitatẽ regni Dauidis, qua ab inſigni illa cõtra Ammonitas victoria præclarè floruit. vt multis Pſalmis in quibus de regno Chriſti vaticinia canũtur, ita & huic dediſſe occaſionẽ. Inſulas amplas in primo verſu Kimhi interpretatur terminos Gentium: ſed idem ſenſus erit, nempe longiſſimè à Iudæa habitãtes Gentes, gaudio à regno Dei in Chriſto perfundẽdas, quia ad extremos vſq; orbis fines illud (quod nihil aliud eſt quàm iuſtitia, pax, & gaudium in Spiritu ſancto, Rom. 14. c. 17) erat proferendum. Huius regni maieſtatem & fœlicitatẽ canit verſus ſecundus, eóque cauſam gaudii & lætitiæ, quæ totum perfudit orbem Chriſto regnante, explicat. Potentiam omnibus tremendam prædicat, quum ait, *Circum eum nubes & caligo*: hoc eſt denſa & atra nubes, ita vt in tempeſtatibus cælum viſitur. tum enim Deus à mortalibus maximè timetur. Hunc ergo Deum, qui quoſlibet homines, quantumvis feroces, dũ denſa nube velut adæquitat, & in dira caligine tonat, terrìtat & exanimat, adeſſe iam & regnare gloriatur. Nam ex æquitate & iuſtitia, hac ſua tam terrifica potentia vtitur, ſuíſque in ſalutem eam exercet. Ideo Vates ſignificat, quum vt & in Pſalmo 89 verſu 15, addit, Solii eius locum eſſe, iudicium & iuſtitiam, in iudicio & iuſtitia illud ſitum: hoc eſt quæ gerit, quæ iudicat, quæ inſtituit, omnia eſſe ſummè æqua & iuſta.

3 *Ignis ante eum uadit & incendit undique infeſtos eius.*

4 *Illuminant fulgura eius orbem: uidet, & anxiatur terra.*

5 *Montes ſicut cera diffluunt à facie Iehouæ, à facie Domini totius terræ.*

5 *Adnuntiant cæli iuſtitiam eius, & uident omnes populi decus eius.* Verſu 2 cœpit Deum tempeſtate potentiam ſuam declarantẽ introducere, eóque aduentus eius ſumma maieſtate verendi in monte Siion admonere: id his verſibus proſequitur. Idẽ & Pſalmo 18, 29, 48, 67, & 77 fecit. Eo autem voluit ſignificare, Deum, regnante Chriſto, verè demum ſuam potentiam mundo fuiſſe exhibi-

turum præclarius multo & magis tremendè, quàm tempeſtate illa qua in mõte Sinai populum exterruit. Quod glorificato Chriſto multis ſanè modis præſtitum eſt: præcipuè autẽ ab illa tempeſtate qua ſuis Spiritum ſanctum adflauit in die Pentecoſtes: de qua Act. 2. 2. 1. Tum vtique fœlicius multo præſentiam ſuam, nube, caligine, fulmine, fulgetris, terræque concuſſione exhibuit, quum ſuos ſtupẽda adeò, & toti orbi terrifica virtute, ex alto induit. Hinc quum in verſu 2 hic dixiſſet, *Nubes & caligo circa eum*, de cuius myſterio dixi in verſum duodecimum Pſalmi 18, ſubiunxit, *Iuſtitia & iudicium locus ſolij eius*: quo videtur voluiſſe innuere, Chriſto regnãte, ſuam Deum præſentiam exhibiturum, non iam nube & caligine, ſiue vt primùm ſæuiente tempeſtate in monte Sinai populum exanimauit, ſiue vt poſtea, impleto ea Tabernaculo conſolatus eſt: ſed iuſtitia & æquitate in toto orbe iucundiſſimè florente. Sic quũ verſu 3, ignis fulminum meminiſſet, ſubiecit illum incendere impios, qui ſoli ſcilicet Deo infeſti ſunt. Huius autem præclarum ſpecimen in Anania & Sapphira Petrus edidit. Nec aliter accipio & verſum quartum, quum ait *orbem illuminaſſe fulgura*: quo voluit eorum ſignificare immanitatem, vnde tota ſcilicet terra expauerit. Hæc indubiè fulgura, emicationes fuerunt virtutis ſupernæ, verbo & portentis per Apoſtolos in mundo coruſcantis. Ita quòd in tempeſtate montes, vi aquarum ex eis, alioqui ſiccis & ſtantibus decurrente, defluentis ceræ imaginem præ ſe ferebant: multò verius & potentius factum eſt virtute Chriſti in mundo ſic exerta, vt primæ celſitudinis, & firmitatis regna, quæ montiũ inſtar ſtabãt, ceræ modo defluxerint, partim voluntate, partim vi Chriſto ſubiecta. Vis in Iudæorum, Romanorum, & multorum aliorum regnorum diſſolutione, præclarè ſatis oſtenſa eſt. Ad eundem modum & cæli, vi tempeſtarum, magnificè orbi Dei potentiam prædicant, gloriámque eius omnibus conſpicuã reddunt: ita multo magnificentius iuſtitia eius orbi adnuntiata eſt, decúſque Dei cunctis populis oſtenſum, quũ cæleſtes mentes Euangeliũ, quo fœliciſſimè iuſtitia ſimul & potentia Dei reuelatur, paſſim prædicarunt.

7 *Pudefient omnes colentes idolum, qui celebrant figmenta: adorabunt eum omnes dij.*

8 *Audiuit & læta eſt Sion & exultarunt filiæ Iehudah, propter iudicia tua ô Iehouah:*

9 *Nam tu Iehouah excelſus ſuper omnem terram: valde exaltatus es ſuper omnes deos.* Et hæc in regno Chri
ſti verè demum impleta ſunt. Tum enim pudefacti ſunt ſuperſtitioſi vniuerſi, vero cultu Dei à
mundo recepto, cunctis iã diis, hoc eſt Angelis, & hominibus potentia aliqua præditis, ipſius ho-
men adorantibus. Tum & Sion, filiæque Iehudah, hoc eſt cunctæ Dei Eccleſiæ, audito Euange-
lio ſalutis æternæ, viſiſque tandem tam præclaris iudiciis Dei, beata ſcilicet rerum adminiſtra-
tione, qua cuncta ſedens à dextris Dei Chriſtus fœliciſſimè gubernat, & inſtaurat, ſolidè lætatæ
ſunt. Tum denique verè apparuit id quod horum omnium cauſa eſt, Deum ſcilicet excelſiorem
eſſe cunctis qui terram inhabitant, ac diis vniuerſis, tam factitiis, quàm ex participatione poteſta
tis, veris: (de quibus in Pſalmum 82) quia tunc illi cuncta in Chriſto regnanti genua flexerunt, o-
mníſque lingua, gloriam eius confiteri cœpit.

10 *Qui amatis Iehouam, odite malum. cuſtodit animas bonorum ſuorum, è manu improborum liberat eos.*

11 *Lux ſata iuſto eſt & rectis corde lætitia.*

12 *Lætamini iuſti in Iehouah, & celebrate memoriam ſanctitatis eius.* Opportunè poſt tantã regni Chri-
ſti fœlicitatem hortatur amantes Dei, vt à malitia, id eſt ſtudio lædendi alios, iniuriámque reta-
liandi abſint quàm longiſſimè, eo quòd bonitatis ſtudioſos ille ſeruet, & in tẽpore vindicet. Hanc
tantam electorum fœlicitatem ſecum reputans, carmen finiturus, velut epiphonema ſubiicit,
Lux ſata eſt iuſtis. Recepto enim Chriſto, lux vitæ & fœlicitatis ſẽpiternæ, materiáq; lætitiæ perẽnis
ſic ſeminata eſt vt perpetuò quod beet metere liceat. Hinc iure illos ad laudes Dei ſic ipſis ꝓpẽ-
ſi & beneuoli, quo memoriam eius ſacroſanctã faciant cunctis mortalibus, verſu vltimo inuitat.

PSALMVS XCVIII, χαιρετικός.

Idem argumentum eſt quod Pſalmi præcedentis, & nonageſimiſexti. ARGVM.

1 ODa. Canite Iehouæ canticum nouum, nam mira facinora patrauit: opem PARAPH.
tulit ſola ſua dextera, & brachio ſancto ſuo.

2 Demonſtrauit opem ſuam Iehouah, iuſtitiã ſuam reuelauit corã Gentibus.

3 Memor fuit bonitatis ſuæ & fidei, domui Iiſrael: viderunt cuncti fines terræ opem quam tulit Deus noſter.

4 Iubilate Iehouæ omnis terra, extollite vocem: ouate, canite.

5 Canite Iehouæ, cithara, cithara, & modulatione carminis:

6 Buccinis & tubis iubilate coram Rege Iehouah.

7 Perſtrepat mare, & quæ in illo continentur: orbis, & qui illum inhabitant,

8 Flumina plaudant manibus,ſimul montes ouent
9 Coram Iehoua:nam venit vt ipſe terram regat:reget orbem ex iuſtitia,& populos ex æquitate.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Psalmus. Cantate Iehouæ canticũ nouum,quia mirabilia fecit:ſeruauit ſibi dextera ſua,& brachio ſanctitatis ſuæ.*
2 *Notam fecit Iehouah opem ſuam,ad oculos Gentium reuelauit iuſtitiam ſuam.*
3 *Memor fuit bonitatis ſuæ,& fidei ſuæ domui Iiſraelis:viderunt omnes fines terræ opem Dei noſtri.* Quantũ ad typum attinet,canit ſalutem quam Deus præclarè tulit populo ſuo,regnante Dauide:quantum ad veritatem,quam patrauit ſeruator & Deus noſter Ieſus Chriſtus. Hanc Deus ſua ſibi dextera & brachio ſuo perfecit,id eſt ſola ſua virtute, quia per vnigenitum ſuum,per Verbũ ſuum, non per Angelos,aut vllam aliam creaturam. Omnia quidem in omnibus per hoc verbum Dei, per quod omnia quoque condidit,perficiuntur:hoc tamen opus redemptionis noſtræ, ideo peculiariter ipſi tribuitur,quia non,niſi ipſo incarnato, potuit perfici. Hic verò loquendi modus הושיעה לו ימינו, id eſt ſeruauit ſibi dextera ſua , pro, ſola ſua dextera, legitur & apud Ieſchaiah 59.c.16, Et vidit quòd nemo adeſſet,ſtupuitque quòd nemo intercederet,& ſeruauit ſibi brachio ſuo,& iuſtitia eius ipſa ſuſtentatio ipſius. Id verò eſt, Quum nemo adeſſet qui innoxios defenderet,& iuſto patrocinaretur, ipſe Dominus ſua virtute opem tulit. Eundem ſenſum habet quod idem Vates ait cap.63.a.5,Et vidi quòd non eſſet opitulator,ſtupui quòd non eſſet ſuſtentans:& ſeruauit mihi brachium meum,& indignatio mea ipſa ſuſtentabit me. Porrò quia Deus per Chriſtũ ſuum nouo & inaudito modo rebus humanis opem tulit, vt Electi eius iam peccatis,ac inde malis omnibus liberi,æternùm viuant, iuſſitque illum cunctis mortalibus per Euangelium offerri: rectè cum emphaſi ſubiecit Pſaltes quod habet verſus 2, *Notam fecit Dominus ſalutem ſuam,reuelauit iuſtitiã ſuam coram Gentibus.* Nam etſi ſæpe virtutem ſuam in ſalutem ſuorũ antea quoque Deus exeruerit,nihil tamen vnquam præſtitit quod huic ſaluti queat conferri. Tum ſanè quando Vnigenitum dedit, & cum hoc omnia,præclarius quàm vnquam bonitatis ſuæ Iiſraeli populo ſelecto memor fuit. nam ad fines orbis vſque hanc ſalutem protulit.

4 *Iubilate Iehouæ omnis terra:reſonate,& ouate,& canite:*
5 *Canite Iehouæ in cithara,in cithara,& voce cantici:*
6 *In tubis & voce buccinæ iubilate coram rege Iehouah.* Communis eſt omnium Gentium ſalus facta per Chriſtum. meritò igitur omnem terram ad laudes Dei inuitat,& quidẽ ſtudioſam: quod per id,quòd omne ferè genus organorum muſicorũ requirit,& adhiberi iubet, ſignificat:nam ab hac ope quam tulit Chriſtus,pendent omnia. De vſu organorũ dixi in verſu 2 Pſalmi 33. De ſtudio cantandi Deo cum voce,tum organis ante Arcam Dei,dictum eſt in Pſalmo 47.
7 *Fremat mare,& quo refertum eſt:orbis,& habitantes in eo.*
8 *Flumina plaudant manu,ſimul montes ouent.* In his verſibus habetur proſopopœia quæ & 11,& 12 verſu Pſalmi 96:niſi quòd hic etiam fluminibus plauſum manuum,& montibus ouationem tribuit. Monent autem hæc, non ſolùm quòd ad cunctas creaturas hæc ſalus perueniat, de quo illic dixi:ſed etiam quantũ nos ea debeat afficere. ita ſanè vt haud ſatis nobis ſit,vniuerſos mortales qui huc modò adduci poſſunt,ad laudis Dei ſocietatem perduxiſſe: ſed ſi fieri liceat, cupiamus ad pariter lætandum, & exultandum nobiſcum permouere creaturas vniuerſas. Qui enim ſolidè gaudent, cõgaudere ſibi quicquid vſpiam eſt percupiunt. Sed deeſt proh dolor nobis ſalutis huius quã hic Pſalmus canit,iuſtus ſenſus, atque ideo ipſa quoq; adhuc tenuiter adeſt: alioqui dici non poteſt quantopere in Domino & exultaremus ipſi,& ad gaudii huius conſortium perducendi quoſlibet arderemus.
9 *Coram Iehouah:nam venit iudicare terram:iudicabit orbem in iuſtitia,& populos in æquitatibus.* Iſtuc quantum ad typũ attinet, de Arca fœderis intelligendũ eſt, de quo dixi in verſum 7 Pſalmi 24:quantum ad veritatem Chriſti,de præſentia Dei quæ fide Chriſti habetur,dum ſpiritus noſter ſolidè faciem Dei nobis adeò præſentis,& vt filiis in omnibus conſulentis,contẽplatur. De regno Dei per Chriſtum mundo illato,plæraque dixi in Pſalmum 72,& alibi.

PSALMVS XCIX, εὐχαριστικὸς ἢ προτρεπτικός.

ARGVM. *Canit & hic Pſalmus bonitatem & potentiam Dei,per Arcam fœderis olim repræſentatam,& Iiſraeli multis portentis pro ipſo æditis,declaratam:atque huc ad colendum Deum,ac prædicandum inuitat.*

PARAPH. 1 REgnat Iehouah,conturbẽtur populi,præſidet inter Cherubim,nutet terra.
2 Iehouah qui in Siion manet,magnus eſt,poteſtatéque in omnes populos ſublimis.
3 Celebrabunt nomen tuum:magnum enim & tremendum & ſanctum eſt.
4 Robur eſt regi qui amat iudicium, tu feciſti obtinere quæ recta ſunt,

ex æquitate & iuſtitia res Iaacob inſtituis.
5 Extollite Iehouam Deum noſtrum,&proſternite vos ante ſcabellum pedum
eius:ſanctus enim eſt.
6 Moſcheh & Aharon inter ſacerdotes eius, & Schmuel inter eos qui inuocant
nomen eius:inuocabant Iehouam,& annuebat eis:
7 E columna nubis loquebatur illis : obſeruarunt oracula eius , & ceremonias
quas dederat illis.
8 Iehouah Deus noſter tu es,annuebas iſtis,& propter eos ô Deus condonabas
illis, ſimul & vlciſcebaris facta eorum.
9 Extollite Iehouam Deum noſtrum,& proſternite vos ante montem eius:nã
ſanctus Iehouah Deus noſter.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Iehouah regnat,commoueantur populi,ſedet [ſuper] Cherubim,inclinet terra.*
2 *Iehouah in Syon magnus,& excelſus ipſe ſuper omnes populos.*
3 *Celebrabũt nomen tuum magnum & tremendum,ſanctum ipſum.* Tribus præcedentibus Pſalmis cecinit Pſaltes de ſaluifico regno Dei ad vniuerſas Gẽtes per Chriſti Spiritum proferendo: ideo quanto eſſet hinc orbis gaudio perfundẽdus, ſimul prædixit.Hîc eiuſdem regni vim qua tuetur,fouétq; ſuos,& proterit eorum hoſtes, celebrati ideo memorat vt ſeſe Patribus exhibuerit, potentiſſimũ ſanè illorum propugnatorem, & hoſtium terrificum oppugnatorem . Inde canit, eo regnante conturbari populos.Certè Gẽtes vndique turbatæ fuerunt, quũ numinis ſui in Iiſraele præſentiã, tã præclaris victoriis contra Sichõ Amorrhæũ,Og regẽ Baſchan:item Amalekitas, tótq; reges Chenaanitarũ teſtatus fuit, verúmq; demõſtrauit,ſe ſedẽ ſibi delegiſſe in Propitiatorio inter Cherubim.Eæ imagunculæ erant alatæ,humana tamen facie formatæ:quibus adumbratum eſt, Deum nuſquam habitare verius quàm inter mentes humanas quidem, ſed quæ poſita peccati mole, & ſumptis alis Spiritus, in cælis verſantur. Iam iſtam dignationis ſuæ præſentiam, nunquam antea Deus tam magnificè,atque confirmato regno Dauidis,nec vllo in loco,vt in Siion exhibuit: quum ſcilicet populo ſuo primùm tam longè latéque gentes finitimas ſubiecit quàm initio promiſerat. Id ergo canit verſus 2. Tum enim verè Dominus ſe in Siion magnum & excelſum ſuper cunctos populos declarauit. At infinito maiorem & celſiorem exhibet ſeſe in Siiõ cæleſti Eccleſia Chriſtianorum. Et hinc ampliore quoque eum laude Sancti celebrãt. de quo canit verſus tertius. *Cur inter cherubim habitauit Deus.*

4 *Et virtus Regis iudicium diligit:tu paraſti æquitates,iudicium & iuſtitiam in Iaacob tu facis.* Canit Deum ſalute ſuorum cuncta potenter & æquiſſimè inſtituere,vt vni nos committere, vnum colere, vnius præceptis viuere conueniat. *Et robur regis iudicium diligit:*hoc eſt potentia hic rex iuxtà & æquitate pollet. Vnde mutata perſona(quod ardentioris affectus ſignum eſt) ſubiecit,Paraſti quæ æqua,quæ recta ſunt: vt ordine, iuſtè,& decenter in Iaacob populo tuo cuncta haberent,effeciſti. De vocibus his,Iudicium & Iuſtitia,dixi in verſum quintum Pſalmi 33.

5 *Exaltate Iehouam Deum noſtrum,& ſupplicate [ad] ſcabellum pedum eius,ſanctum ipſum.*Cõmodùm ad ea quæ quarto cecinit,hortatur vt Deum ſic præſentem,&omnia optimè inſtituentem,religioſè colamus:peculiaris tamen huius locus erat coram Arca fœderis,quam ſcabellum Dei vocat. iubet ergo ante hanc ſeſe proſternere.De Arca dixi pleraque in verſum ſeptimum Pſalmi 24.Cur verò certum locum ſuo nomini conſecrarit,dixi aliquoties: nimirum vt religionis ſynceritas melius in populo conſeruaretur , ac Chriſtianæ Eccleſiæ ad cælos vndique ſuſpiranti & contendenti præluderetur.

6 *Moſcheh & Aharon in ſacerdotibus eius,& Schmuel in inuocantibus nomen eius:inuocabant Iehouam,& ipſe reſpondebat eis:*

7 *In columna nubis loquebatur ad eos:cuſtodierunt teſtimonia eius,& ſtatutum [quod] dedit eis.*

8 *Iehouah Deus noſter tu,reſpondiſti eis: Deus condonans fuiſti eis,& vindicans ſtudia eorum.* Proponit exemplum Moſcheh, Aharõ, & Schmuelis, qui præcipui fuerũt inter Sacerdotes & Dei cultores,id eſt בקראי שמו,quod alioqui inuocantes nomen eius vertunt.de quo diximus in verſum quartũ Pſalmi 14.Erat ſanè Schmuel ex genere Leui,per Kahar,ex quo & Aharon atque Moſcheh nati fuerant: id legimus 1.Paral.6. His canit Dominum ex nubis columna dediſſe reſponſa : & cauſam adiicit,quòd ſeruarunt eius teſtimonia,ſtatuta, vel ceremonias: hoc eſt plena fide verbis eius ac Legibus fuerunt addicti:atque hinc ita fuiſſe illis Deum propitium,vt ad preces eorum & populo placaretur,rebelléſque ipſis diſperderet. Tantum certè in placando Deo valuerunt,vt & ipſe de Moſcheh & Schmuele,tãquam de præcipuis hac in re dixerit Ieremias 15.a.17,Si ſtetetint coram me

Moſcheh & Schmuel, non eſt mihi animus ad populum iſtum. De Aharone legimus Nume.16. g.46, quòd incendii malum quo populus propter ſeditionem vaſtabatur, incenſo thuris & precibus coercuerit. In eodem capite legitur vt Dominus ſtudia illorum, ſcilicet ſeditioſorum, vindicauit: primùm Korah, Dathan & Abiram, cum tabernaculis & vniuerſa ſubſtantia eorum, viuis à terra abſorptis: tum ducentis & quinquagintaquinque qui offerebant incenſum, ab igni cōſumptis: denique & quatuordecim millibus, qui propter horū exitium, cōtra Moſcheh & Aharō ſeditionem excitauerant, ſimiliter extinctis. Illud itaque אל נשא היית להם, id eſt Deus fuiſti condonans illis, Hebræi interpretantur בעבורם, id eſt propter illos fuiſti condonans, ſcilicet populo. Sed videtur etiam להם poſſe I ſraelitas referre, ſicut quod ſequitur עלילותם, id eſt ſtudia, vel facta eorū, ad rebelles in populo refertur. Neque enim rarò relatiua vſurpantur ſine antecedentibus.

9 *Exaltate Iehouam Deum noſtrum, & ſupplicate ad montem ſanctum eius: quia ſanctus Iehouah Deus noſter.* Hic eadem habet quæ verſus quintus: niſi quòd montem Siion hic, quum illic Aream propoſuerit, ſignum Diuinæ præſentiæ: & hic ſanctitatem, hoc eſt Diuinam maieſtatem ipſi Domino, fonti & authori eius tribuit.

PSALMVS C, *εὐχαριστικὸς καὶ παραινετικός.*

ARGVM. *Inuitatio eſt ad laudem Dei in cœtu ſacro.*

PARAPH. 1 ODa ad laudem. Iubilate Iehouæ quicunque inhabitatis terram:

2 Colite læti Iehouam, venite in conſpectum eius ouantes:

3 Agnoſcite quòd Iehouah Deus eſt, ipſe fecit nos, & non ipſi nos: ſumus populus eius, & grex paſcuorum eius.

4 Ingredimini portas eius celebrantes, & atria eius cum hymno: celebrate eum, laudate nomen eius:

5 Nam beneuolus eſt Iehouah, in ſempiternum perennat bonitas eius, & fides eius in omnes ætates.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 P*Salmus ad celebrationem. Iubilate Iehouæ omnis terra.*

2 *Colite Iehouam in lætitia, venite in conſpectum eius cum ouatione.* Quæ hic Pſalmus canit, ſæpe iam repetita ſunt, præcipuè Pſal. 33, 47, & ſex proximè præcedentibus. Hortatur Sanctos vt frequentes, lubentes, & læti ex conſideratione immenſæ Dei in ipſos bonitatis, templū eius adeant, ipſum laudaturi & prædicaturi, quo ad colēdum ipſum & alii excitētur. Habetur in primo verſu לתודה, quod è verbo eſt Ad celebrationem. ſacrificium tamen quo Deo gratiæ agebantur, & nomē eius celebrabatur, ſic quoque vocatum eſt. Et fieri poteſt vt hic Pſalmus ad eius generis victimas cātari ſolitus fuerit. עבד in verſu ſecundo, quod Seruire alioqui vertunt, idem eſt atque Colere. Vt nanque Latini colere agrum, & colere Deum dicunt, ita vtitur Scriptura verbo hoc עבד, dicitque עבד את יהוה, ואת האדמה id eſt colere Iehouam, & colere terram.

3 *Cognoſcite quoniam Iehouah ipſe Deus, is fecit nos, & non [ipſi] nos: populus eius, & grex paſcuorum eius.* Hæc habet & verſus ſeptimus Pſalmi 95. Quæ præcipuè ſanè in ſacro cœtu diſcenda ſunt, ſicut & ſola, ſi ritè percipiantur, ſufficiunt ad omnem pietatem, vitámque ſempiternam atque fœlicem. Quis enim certò ſciat Iehouam Deum eſſe omnium vindicem & Regem, qui nos ex nihilo condidit, & vnus velut paſtor gregem moderatur, & ſic quidem vt ſaluet, nec ei ſeſe totum addicat, vnum colat, amet, laudet, extollat, & æmuletur, quæ vita eſt Dei, & beata?

4 *Ingredimini portas eius cum celebratione, atria eius cum laude, celebrate eum, prædicate nomen eius.*

5 *Quia bonus Iehouah, in ſeculum benignitas eius, & uſque in generationem & generationem fides eius.* Ad id quod in ſacris cœtibus debet eſſe præcipuum, hortatur iterum. Atriorum meminit, quia illic cōueniebat plebs. Summam laudis Diuinæ habet verſus vltimus. nam bonum & benignum eſſe in omnes, ídque perpetuò, vt vel ſolum Dei naturam nobis exprimit, antéque omnia expetitur: ita nihil eſt quod ad fidei ac dilectionis, id eſt vitæ Chriſtianæ & profeſſionem & incrementum potentius inuitet.

PSALMVS CI, *ἐπαγγελτικὸς καὶ διδακτικός.*

ARGVM. *Officio priuſanctéque principis functurum ſe pollicetur. hoc eſt, & ſe victurum innocenter, & malos ſtrenuè oppreſſurū, euectúrúmque bonos.*

PARAPH. 1 DAuidis Oda. De bonitate & æquitate cantabo: tibi canam ô Iehouah.

2 Prudenter me habebo, vitam viuens innocentem: quādo ad me venies? verſabor domi meæ corde innocenti.

3 Nihil praui mihi proponam, odio habeo ea quibus ſtudent à recto declinan-

tes,nihil tale mihi adhærebit:
4 Cor malitioſum faceſſet à me,noxium non agnoſcam.
5 Obtrectantem ſecretò proximo ſuo perdam: qui elatis ſuperciliis eſt, cordéque turgido,hunc non feram.
6 Diſpiciam qui in terra fidem colunt,vt mecum verſentur:qui viuit innocẽter,is mihi miniſtrabit.
7 Non erit locus in domo mea agenti fraudulenter:qui loquitur mendacia, apud me nihil habebit ſecundum.
8 Maturè perdam improbos in terra, vt excindam è ciuitate Iehouæ cunctos deditos iniquitati.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Dauidis Pſalmus. Bonitatem & iudicium cantabo,tibi Iehouah pſallam.* חסד,id eſt bonitate, qua animus ad iuuandum quoſlibet propendet:& משפט,id eſt æquitate,qua ex recto & æquo iudicio cuncta geruntur, conſtat tota vitæ integritas & iuſtitia, quocunque munere quis fungatur.Quum ergo canere inſtituiſſet quàm probè, quàm ſanctè propoſuiſſet Principis munus obire, iure hîc dixit,*Bonitatem & æquitatem cantabo,* id eſt de bonitate & æquitate,quam in adminiſtratione regni omnibus exhibebo,memorabo.Sic & Hebræi iſtuc enarrãt.Hæc autem vt à Domino donantur,ita eius duntaxat debent gloriæ inſeruire,nec in aliud memorari,quàm vt ipſe inde laudetur, plurimis ad ſimilia ſtudia incitatis.Hinc ſubiecit pius rex,*Tibi ô Iehouah canam.*

2 *Prudenter agam in uia ſyncera , quando uenies ad me? ambulabo in ſyncæritate cordis mei,in medio domus meæ.* Vt verò caput eſt omnis officii, rectè de rebus iudicare,& prudenter omnia inſtituere:prudentiæ primùm,deinde viæ,id eſt vitæ innocẽtis meminit,de qua dixi fuſius in verſu 2 Pſalmi 15.Illud, *Quando uenies ad me?* puto referendũ ad plenã eius in regnũ euectionẽ.Nam apparet hæc ceciniſſe Dauidẽ adhuc agentẽ in exilio,quũ videbatur Deus illi nondũ aduениſſe ita vt promiſerat,& vt poſtea aduenit,regno plenè tradito.Quidã,R.Moſcheb & Kimhi, referunt ad aduentũ Dei per Spiritum prophetiæ. Ab.Ezra אשכילה ad viam refert,& accipit מתי pro עד,vt ſit ſenſus, Studebo prudenter in via innocenti verſari,donec via hæc ipſa vltrò ad me veniat:id eſt, donec ei ſic adſueſcam,vt in omnibus rebus ipſa ſe innocentia offerat.Et dat ſimile de perito,habentíque habitum pulſandi citharam,cui etiam aliud agenti, chordæ tamen ex ordine pulſandæ quaſi vltrò occurrũt.Mihi prior ſenſus viſus eſt ſimplicior.Porrò vt quali quiſque animo eſt domi ſuæ,& in eorũ quos coniũctiores habeat,& in miniſtrorum delectu potiſſimum, demonſtrat cõmodùm ſe domi ſuæ innocenti corde victurum,dum cecinit,

3 *Non ponam coram oculis meis uerbum belial: facere declinantium odiui,non adhærebit mihi.* Confitetur Domino de propria innocentia.Non ponam ob oculos meos, id eſt,non proponam, aut non probabo rem prauam,flagitium, ſcelus.Id enim vocat verbum belial, de qua voce dixi in verſum 9 Pſalmi 41. Idem eſt quod ſequitur, *Facere declinantium:* id eſt ſceleratorum ſtudia & facta (infinitiuum enim pro nomine poſitum eſt)odiui,non hærebit mihi,ne in animo quidem. His nanque omnibus voluit teſtari,ſe ab iis quæ praua & flagitioſa ſunt, animo ſuo abhorrere. Qua ratione Sancti ſuam prædicant innocentiam & iuſtitiam,in Pſalmum 4,& aliàs ſæpius dictum.

4 *Cor peruerſum recedet à me,noxium non cognoſcam.*

5 *Obtrectantem proximo ſuo in occulto,hunc conſiciam:elatum oculis,& uaſtum corde,eum non feram.* Boni bonis delectantur, & execrantur malos,& ſi illis, dum neceſſitas poſcit, perfectam Dei bonitatem imitati,benefacere non detrectent. Sua autem amicitia & familiaritate iſtos haudquaquam dignantur,multo minus ſuſtinent eos publicis præficere miniſteriis. Peruerſum corde, verſutum & fraudulentum intelligit, cuius conſilia nemo poteſt perueſtigare aut cauere. Noxium,qui ad nocendum ſemper proximis intentus eſt. Qui huiuſmodi ſunt, eos auerſatur, non agnoſcit vt commune cum eis aliquid habere poſſet.Qui verò infamat ſecretò proximum,hunc dicit ſe cõfecturũ:nã nihil eſt hoc malo pernicioſius & peſtilentius.Prouerb.21.a.4,vterque loquendi modus habetur.Sublimes oculi crebrius apud Prophetas,& in libris aliis taxantur.Qui enim planè improbi ſunt, ſolent eſſe impudenti facie & aſpectu: quo teſtantur, ſe neminem vereri, ac præ ſe cũctos deſpicere.Reliquis duobus faſtum & arrogantiam expreſſit. qui enim hac laborant,in ſublime iaciunt oculos, & vaſto adeò corde ſunt, vt nihil illis ſatiſfaciat, nulla dignitas,nullus honor,nulla potentia ſatiet.Iſtuc malum homines facit intolerabiles. Ideo hîc dixit, *Non feram.* De his & in Pſalmum 15,& 24.

6 *Oculi mei in fideles terræ,ut habitet mecum qui ambulat uiam ſyncæram: mihi miniſtrabit.* Sicut malos execrabatur,& à ſe propellebat:ita conſequens erat vt bonos ſibi iungeret.Canit ergo *oculos ſuos eſſe in*

fideles terræ, ſubaudi, intentos & defixos: hi enim ad animum eius faciebant. eos ergo ex omni terra & ditione ſua delectos, ſibi iūgebat, & cum domeſtica, tum publica eis miniſteria cōmittebat.

7. *Non habitabit in medio domus meæ faciens dolum: loquens mendacia non dirigetur coram oculis meis.*

8 *Mane conficiam omnes improbos terræ, vt excindam è ciuitate Iehouæ cunctos operarios prauitatis.* Repetit vt velit à ſe reiicere, ac etiam extinguere improbos. Nam quum hi omnibus bonis fugiendi ſunt, ſummopere tamen deteſtari & perſequi eos debent qui funguntur magiſtratu: quòd quum apud hos vel gratia vel potentia valent, hoc ampliorem habeant improbitatis ſuæ & materiā, & facultatem. In hos ergo ſic animaduertere vult, vt nulli improbo, dolo & mendaciis dedito (vt ſunt quicunque ſub Satana adhuc merent, patre mendacii) quicquam apud ſe loci ſit, aut aliquid ſuccedat. Maturè exterminandis inuigilare deſtinat, vt nullus in ciuitate Iehouæ maneat reliquus. id quod cum obſeruanda emphaſi dixit. Ciuitatem enim Dei ſolis Sanctis patère conuenit, cauendúmque & ab ea omne improbitatis contagium ſtudioſè abarceri. Illud, לא יכון לנגד עיני poſſet etiam reddi, Non ſtabilietur coram me: ſed vt dixi in verſu 3 Pſalmi 89, verbum כון ſucceſſum quòque ſignificat. Agentem fraudulenter, & loquentem mendacia potiſſimum hîc memorat, quòd hæ peſtes aulis vt nocentiſſimæ, ita & infeſtæ ſunt ſupra modum. Hinc omnibus diſcendum, maximè autem Principibus, quàm vitandus ſit bonis conuictus malorum. quare & diuus Paulus ab Epiſcopis requirit innocentiam, fidémque miniſtrorum. Tum vt ſeuerè in eos animaduertendum ſit, malúmque è medio populi Dei tollendū. Væ Schauliticæ illi miſericordiæ, qua malis parcitur vt bonis plus officiant, quáque mortales cum iniquitate concepti, æquitate ſe Deo conantur præferre. In Pſalmo 15, 24, & 26, plæraque omnia habentur quæ hîc: vbi & fuſius de his diſſerui.

PSALMVS CII, γενναστικὸς ἢ προσευκτικός.

ARGVM. *Vehemens querulatio eſt de miſeria populi ſancti qua reuerſus à Babylone, dum templum & urbem conaretur reparare, innumeris iniuriis & contumeliis ferè conficiebatur à Gentibus vicinis. Conſolatio admiſcetur ex conſideratione æternitatis, & beneuolentiæ Dei iam illuceſcentis ex fauore Cyri ac Darii.*

PARAP. 1 PRecatio adflicti, quū torqueretur, & corā Iehouah effunderet ſermonē ſuū.

2 Iehouah audi precem meam, & ſine vt ad te oratio mea perueniat.

3 Ne abſcondas faciem tuam à me, die quo infeſtor, inclina ad me aurem tuam: die quo inuoco propera, annue mihi.

4 Etenim dies mei euanuerunt vti fumus: & oſſa mea velut focus exuſta ſunt.

5 Cor meum ceu herba percuſſum eſt, atque exaruit: nam defieram ſumere cibum meum.

6 Præ eiulatu meo adhæſerunt oſſa cuti meæ.

7 Similis factus ſum onocrotalo incolenti deſertum: factus ſum vt bubo incolens ſolitudinem.

8 Vigil expecto, habitóque tanquam paſſer in tecto, ſolitarius.

9 Quotidie afficiūt me opprobrio inimici mei: cōuitiatores mei per me iurāt.

10 Puluerem enim loco panis edo, potum meum fletu miſcui,

11 Propter indignationem atque iram tuam: nam elatum deieciſti me.

12 Dies mei ceu vmbra euanuerunt: & ego quaſi herba exarui.

13 At tu Iehouah in ſempiternū ſedes: & memoria tua in omne æuum perēnat.

14 Tu ſurges, téque Siionis miſerebit: nam tempus eſt vt illi faueas, nam aduenit conſtituta dies.

15 Adlibeſcunt ſiquidem ſeruis tuis lapides eius, & pulueri eius fauent.

16 Gentes quoque colent nomen Iehouæ: & cuncti Reges terræ decus tuum.

17 Etenim Iehouah ædificabit Siion, videbitur in decore ſuo.

18 Et reſpiciet ad precem ſolitarii: precem eius haud aſpernabitur.

19 Scribetur hoc, ſeculo futuro, laudabit hinc Exiſtentem populus qui adhuc creabitur.

20 Nam proſpiciet è ſublimi ſacrario ſuo, Iehouah è cælis terram intuebitur:

21 Vt audiat gemitum vinctorum, & ſoluat eos qui morti ſunt deuoti:

22 Vt deprædicent nomen Iehouæ in Siion, & laudem eius in Hieruſalem,
23 Quum colligentur vnà populi,& regna ,vt colant Iehouam.
24 Aff lixit in via virtutem meam,præcidit dies meos:
25 Tum dicebam, Deus mi, ne tollas me in dimidio dierum meorum: per omnes enim ætates durant anni tui:
26 Terram tu pridem fundaſti,& cæli ſunt opera manuum tuarum.
27 Ipſi peribunt,quum tu tamē perſtabis, & cuncta velut veſtis veteraſcent: tanquam indumentum mutabis illos,& mutabuntur.
28 Tu ipſe es,& anni tui nunquam finientur.
29 Filii ſeruorum tuorum habitabunt,& poſteri eorum fœliciter coram te agēt.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *ORatio adflicti, quum conuolueretur coram Iehouah & effunderet ſermonem ſuum.* Ex ipſis Pſalmi verbis, ſatis liquet eſſe precem pro reparando templo & vrbe. Interpretes Iudæorum ad præſens exilium referunt: ſed obſtat D. Paulus, Roma. 11, qui illos modò pro defractis ramis habet, vt & monui ſuprà in verſu 39 Pſalmi 89. Primùm autem vehementer de miſeria & adflictione queritur, qua afficiebātur dum ſacrum ædificium reparare conarentur: de qua miſeria multa memorāt Ezra & Nehemiah. ideo inſcriptionem Oda habet, *Quum torqueretur*, id eſt כי יעטף: de quo verbo dictum in verſu 3 Pſalmi 61. Kimhi ad habitum anxiè & ſuppliciter precantis refert. nam dum ſe penitus incuruat, vel torquet, vel conuoluit ſe. *Et effunderet*, id eſt ex corde æſtuanti, vique doloris ſupra modum agitato, querelas iam non loqueretur, ſed effunderet. Aliàs habet Pſaltes effundere animam, effundere cor: de quo in verſu 5 Pſalmi 42, & verſu 9 Pſalmi 62.

2 *Iehouah audi precem meam, & clamor meus ad te ueniat:*

3 *Ne abſcondas faciem tuam à me in die [qua] anguſtia mihi, inclina ad me aurem tuam in die [quo] inuoco: propera, reſponde mihi.* Semper auſpicantur Sancti preces ſuas ab eo quòd orāt preces ſuas audiri. nam perpetuæ illis preces, ac continua vota ſunt. Quum ergo differt ferre opē Deus, videtur eis ſuas preces non audire, auertere oculos & aures, ne cognoſcat quid vel patiantur, vel orent: proinde rogāt vt audire tandem dignetur, quæ non orant modò, ſed & vociferantur, vi doloris acti.

4 *Nam defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut focus exuſta ſunt.*

5 *Percuſſum eſt, & exaruit cor meum ſicut herba: nam oblitus ſum comedere cibum meum.*

6 *A voce planctus mei adhæſit os meum pelli meæ.* Exprimit ægritudinis & doloris magnitudinem, quæ tanta erat vt abſumeret omnem vitæ vigorem, faceretque ætatem populi ſubitò conſumi, & fumi inſtar euaneſcere. Quia verò vehemens dolor ſuccum corporis adurit & vorat, iuxta illud Prouerb. 17.d.22, Spiritus contritus areſacit oſſa: de quo in verſu 16 Pſalmi 22, addit, *ſicut focum*, id eſt מוקד, locum in quo perpetuò ignis eſt, aduſta fuiſſe oſſa ſua, & cor ceu percuſſam æſtu herbam, exaruiſſe. cauſámque alteram ſubiicit, quòd fuerit oblitus ſumere cibum ſuum, quē לחם, id eſt panem vocat, vt ſolet Scriptura frequenter. *Aiunt* habet, *oblitus ſum*: nam ſignificare voluit, per ægritudinem diu adeò omni cibi cupiditate caruiſſe vt iam eius oblitus eſſet, nihil amplius de cibo cogitaret. vnde ſanè ita labaſcere eum oportuit. Idē ſignificat & eo quod ſequitur, Præ nimio fletu & clamore conſumptam carnem ſuam, vt oſſa iam cuti hærerent. Simile habetur in Threnis Ieremiæ 4.b.8, Corrugata eſt, (legit Ab. Ezra, pro adhæſit) cutis eorū in oſſibus eorū, arida velut lignum. בשר, id eſt carnem pro עור, id eſt cute, dixit, vt & cutis alicubi accipitur pro carne: nempe Iiob 7, Comedet muſculos עור, id eſt cutis ſuæ, pro carnis ſuæ.

7 *Similis factus ſum onocrotalo deſerti, fui ſicut bubo ſolitudinis.*

8 *Vigilaui, & fui ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Queritur vt deſertus ab omnibus, & agens calamitoſiſſimè, per āxia liberationis expectatione tortus fuerit, quæ etiā totas noctes cogebat ducere inſomnes, & hac re noctuis, & deſertū incolentibus auibus ſimilē fieri. קאת Pelicanū vulgò vertūt, & כוס nycticoracē. Verùm ne apud Hebræos quidē, quænā iſtæ aues ſint, cōſtat: etſi ſatis liqueat eſſe incolas deſertorū. Hieronymus 2. Zeph. reddit Onocrotalū, licet hoc loco verterit Pelicanū. Quū autē קאת à vomendo nomen acceperit, & ſcribat Plinius lib. 10, Onocrotalū quum ſe rapina repleuit, rurſus in os reuomere, & inde demum in inferiorem aluum, ruminantis modo, demittere: malui equidem onocrotalum, quàm pelicanum reddere. כוס Hieronymus & hic Bubonem vertit. שקד vigilare, & intentum quippiam obſeruare ſignificat. Sic dicit Sanctus ſe expectaſſe redemptionem Iiſraelis, ac interim velut ſolitarium paſſerem in tecto deſediſſe, propterea quòd deſertus ab omnibus in exilio detineretur, excluſus patria ſua.

9 *Omni die afficiunt me probro inimici mei: ſubſannatores mei iurant per me.* Queritur ſe populus dum in

exilio teneretur, hoſtium cótumeliis & opprobriis quotidie fuiſſe exagitatum: tum adeò calamitoſum, vt qui iurantes ſibi dira voluiſſent imprecari, ni quod promiſiſſent præſtitiſſent, imprecati ſibi ſint ſortem Iudæorum. Id quod Sacerdos imprecabatur mulieri ſuſpectæ de adulterio, nimirum vt in execrationem abiret & iuramentum. Nume.5.d.27.

10 *Nam puluerem velut cibum edebam, & potum meum lachrymis miſcui*

11 *Propter commotionem tuam & indignationem tuam: nam extuliſti me, & deieciſti me.*

12 *Dies mei ſicut umbra declinauerunt, & ego ſicut herba exarui.* In puluere ſolebant iacère qui vehementer lugerent, vt de Dauide lugente moriturum puerum, & Niniuitis legimus: hinc dicit verſu 10, ſe puluerem velut panem eſitaſſe, dum nimirum pronus in terrã procumberet. Id in Pſalmum 22, lingere puluerem Vates dixit. Quod ſequitur, *Potum meum fletu miſcui*: Kimhi intelligit, ſibi lachrymas fuiſſe pro potu, quod & Pſalmus 42 habet. Significat enim מסך non tam miſcere potum, quàm infundere, & ad bibendum quaſi parare. De inſigni luctu Nehemiah qui biduo propter ruinas Hieruſalem ieiunauit ac precatus eſt, legitur Nehemiah 1.b.4. Similia autem multi Iudæorum fecerunt. Omnem verò calamitatem hãc, iræ Dei fert acceptam: vnde dicit verſu 11, *Extuliſti me, & deieciſti me*: quo voluit ſignificare vehementem deiectionem: nam quæ elata deiicimus, grauius collidimus. Fugacitatem vitæ iterum canit verſu 12, de qua & in Pſalmo 99. Nec potuit aliud euenire ſic diuexatis & adflictis.

13 *Et tu Iehouah in ſeculum ſedes, & memoria tui in generationem & generationem.*

14 *Tu ſurges, & miſereberis Sijon: nam tempus miſerendi eius, quia venit tempus definitum:*

15 *Quia beneuoli ſunt ſerui tui cum lapidibus eius, & pulueri eius fauent.* Nunc canit vaticinium de reſtituendo populo, & vrbe Hieruſalem, quo ſimul de regno Chriſti, & cóuerſione Gentiũ prophetat. Fidem vaticinio parat, prædicans initio Dei æternitatem, & immutabilitatẽ. Hæc vtique cauſa fuit vt promiſſis ſuis non poſſet deeſſe, oporteretque tandem populum colligere in quo nomen ſuũ efferret. Ad idem facit quod temporis, & condicti, id eſt מועד quo conueniebat Deum deſolatæ ſuæ vrbis miſereri, meminit. Id verò ſic vocat propter definitos annos ſeptuaginta, quibus durare oportuit captiuitatem Babylonicam, 2. Paralip. vltimo d.21, Iere.29. b. 10. illi enim erant exacti, & nihilominus impediebãtur ab opere Domini, vt legimus 4. Ezra, & Nehemiah 4. Colligit denique tempus legitimum vt Hieruſalem reſtauraretur, aduenisse, & ex eo quòd iam ſeruis Dei Cyro ac Dario, horúmque proceribus placuiſſet Hieruſalẽ reædificari, de quo Ezra 1,6,7. Nehe.2. Serui Dei, iſti Reges ideo dicuntur quòd magna per eos perfecerit. Hinc & Nebuchadneſer ſeruum ſuum vocabat, Iirm.25.b.9. Cyrũ autem etiam ſelectum ſeruum ſuum vocat, ſed vt Chriſti typum, Ieſcha.42.a.1. Obſeruandum hîc, Sanctos collegiſſe tempus reædificãdæ Hieruſalem adeſſe, quia iam Regibus quorum id intererat, placebat eam reædificari, miſertus ſcilicet ruinis eius. Quum enim Dominus quid facere ſtatuit, ad idem facit propẽdere eorum animos quibus ſtatuit, vti ad illud miniſtris. miro enim ordine Deus facit res ſibi ſeruire. Quare ſi videas ad tuas iniurias conniuere eos quorum erat illas vlciſci, iure colliges viſum Deo vt ita exercearis, alioqui indubiè diuerſum illorum animis immitteret.

16 *Et timebunt Gentes nomen Iehouæ, & omnes reges terræ decus tuum.*

17 *Nam ædificabit Iehouah Sijon: videbitur in decore ſuo.*

18 *Reſpiciet ad precem ſolitarij, & non ſpernet precem eorum.* Quæ hîc de religione Gentium & Regum earum vaticinatur, impleri cœperũt in iam nominatis regibus Cyro & Dario: qui donaria ſua ad ſacrum ædificium, & ſacrificia, præter facultatem Hieruſalem reædificandi dederunt. Id autẽ omne fuit opus Domini inſtitutum ad id vt tãdem ſe in Süon glorioſum exhiberet: quod exaltato Chriſto verè præſtitit. hoc canit verſu 17. Tum quoque verè declarauit ſe preces populi ſãcti exaudiſſe: id quod canit verſu 18. ערער, quod ſolitarium omnes ferè vertunt, ſignificat & arborem quãdam in deſertis naſci ſolitam, Ierem.17.a.9. redditur ab aliis myrica: ab aliis iuniperus. Kimhi illam ita deſcribit vt videri poſſit caſtanea.

19 *Scribetur hoc generationi poſteræ, & populus qui conditur laudabit Iah.*

20 *Nam proſpiciet è ſublimi ſanctitatis ſuæ, Iehouah è cælis ad terram aſpexit:*

21 *Vt audiat gemitum vincti, vt aperiat filijs mortis:*

22 *Vt adnuntient in Sijon nomen Iehouæ, & laudem eius in Hieruſalem,*

23 *Quum colligentur populi ſimul, & regna ut ſeruiant Iehouæ.* Vt vera reſtitutio Hieroſolymorũ, facta ſcilicet per Chriſtũ, orbis quoque reſtitutio fuit: quæcũque Dominus huic vrbi benignè fecit, etiã terrena illa reparatio facta per Iudæos reduces ex Babylone, in primis memorãda omnibus Sãctis habétur, laudántque religioſiſſimè omnibus ſeculis Deũ, qui Chriſti ſui regnũ iã tũ illic cœpit, atque ideo reædificari eã vrbẽ curarit quũ eſſet concremata, penitúſque vaſtata. id canit Vates verſu 19. Verè illa omnia Dei beneficia conſcripta ſunt nationi poſteræ, quæ hinc laudat

Deũ,cui & ſe addixit,quũ hodie à piis omnibus celebrẽtur.Quæ verſus 20 & 21 habẽt,impleta ſũt regnantibus Cyro & Dario:qui quum vinctos,mortique addictos,hoc eſt filios mortis,liberos & regiè donatos ad ædificandam Hieruſalem miſerunt, inſtincti à Domino, id rectè Dominus feciſſe dicitur,eóque è cælis proſpexiſſe. Vera autem laus Dei, quæ nuſquam quàm in Siion, hoc eſt Eccleſia Sanctorum,celebrari poteſt,quod canit verſu 22,tum cœpit iuſta reſonare,quum populi vndique,& regna per Chriſtum collecta,& adducta Deo ſunt:de quo verſu 23.

14 *Adflixit in via virtutem meam,præcidit dies meos* Hoc verſu queritur populus de malis quibus affligebantur à vicinis,quum iam captiuitate Babylonis ſoluta,in terram ſuam rediiſſent. De iis multa narrat Sacra hiſtoria libris Ezræ & Nehemiæ. *Adflixit*,inquit,*in via virtutem meam*: hoc de hoſte interpretatur Kimhi . Poſſet autem & de Deo interpretari , iuxta ſenſum verſus vndecimi: Tale verò quid orarunt Iudæi, quum indicto ieiunio proſperari ſibi iter, ſeſéque defendi ab hoſtibus qui eis inſidiabantur,precati ſunt apud flumen Aheua,de quo Ezræ 8.d.21.

25 *Dicebam,Deus mi,ne tollas me in dimidio dierum meorum:in generatione generationum anni tui.*

26 *Pridem terram fundaſti,& opus manuum tuarum [ſunt] cæli.*

27 *Illa peribunt,& tu perſtabis,& omnia illa ſicut veſtimentum veteraſcent:ſicut indumentum mutabis ea,& mutabuntur.* Cõfert populus caducæ & breui ac calamitoſæ vitæ ſuæ potentiã & æternitatem Dei,indéque ſeſe conſolatur , & in fide confirmat, Deum perfecturum omnia ita vt erat ipſis pollicitus,iámq; implere cœpiſſet.Inde memorat verſu 26,cælum & terram ab ipſo pridem condita. Verſu 27,ea ipſa rurſus immutanda quanlibet diu ſteterint: & mutanda ea facilitate qua quis immutet veſtẽ quæ inueterauerit.Iſtud ergo,*peribunt*,de immutatione orbis intelligẽdum eſt,de qua 2.Pet.3.b.7. aut certè ſecundum Kimhi ſubaudiendum , ſi voles. Nam vt Sancti æternùm viuunt, ita ſtabit quoque in ſempiternum hæc machina orbis. Vt tamen Deus omnia condidit ex nihilo, ita in manu eius eſt,ſi velit,cuncta rurſus in nihilum redigere.qua autem voluntate condidit, ea ſeruabit quoque reſtituta,à corruptione,cui nũc ſubiecta ſunt, liberata quũ filii Dei ſortem ſuam plenè tuerint conſecuti.Rom.8.d.21.

28 *Et tu ipſe,& anni tui non conſumentur.*

29 *Filij ſeruorum tuorũ habitabunt,& ſemen eorũ coram te proſperè aget.* Ex eo quòd Deus æternùm Deus eſt,colligũt & Dei cultores ſemper victuros,atque omnimoda fœlicitate donádos,& in terra Domini habitaturos. De renatis enim Spiritu ſuperno loquitur, quos ideo Deus in ſeruos ſibi delegit vt colant ipſum perpetuó. Et de his dixit Seruator futuros eos vbi ipſe eſſet.Hinc,vt & ex ſuperioribus aliquot locis Pſaltes ſatis indicauit,ſic præcipuè de reſtitutione ſupernæ Hieruſalẽ,ac verioris Iiſraelis, ſed ſub typo vrbis, populique inferni,hîc ceciniſſe. Qui igitur verè didicerit precari , Adueniat regnum tuum, multa hîc habebit vnde ardorem ſpiritus ad huiuſmodi precem alat.Hæc à verſu 26, Epiſtola ad Heb.cap.1.c.10, de Chriſto ſeruatore interpretatur: & iure, quia ipſe Verbum Patris eſt,per quod vt ſunt omnia condita,ita & ſeruantur,manétque ipſe immutabilis,ſuique ſimilis in ſempiternum. Iohan 12 d.26.

PSALMVS CIII, δικαιοσύνης καὶ ἐπαινέσεως.

Celebrat Dei bonitatem in homines,peccata illis condonantis,& corporis pariter ac animi bona cumulatim impartientis: hinc cum eos,tum Angelos,& quicquid creaturarum eſt,ad laudandum Deum inuitat. ARGVM.

1 DAuidis. Lauda Iehouam ô anima mea,& quæcunque intra me ſunt,nomẽ ſanctum eius: PARAPH.

2 Lauda Iehouam ô anima mea,& ne tradas obliuioni omnia beneficia eius:

3 Qui remittit cunctas tuas iniquitates,ac ſanat omnes morbos tuos:

4 Redimit à perditione vitã tuã,cumulat vndique te bonitate & humanitate:

5 Satiat bonis os tuum,renouat vt aquilæ iuuentutem tuam.

6 Ex iuſtitia & æquitate reſtituit quicunque iniuria afficiuntur.

7 Nota fecit inſtituta ſua Moſcheh,facta ſua filiis Iiſrael.

8 Pronus ad miſericordiam, propenſus ad beneuolentiam eſt Iehouah: tardus ad iram,multus bonitate.

9 Non ſemper iurgabit,neque perpetuò vlciſcetur.

10 Haud fecit nobiſcum ſecundum peccata noſtra,neque rependit iuxta iniquitates noſtras.

11 Nam quantum cælum eſt altius terra, tantum præualere fecit bonitatẽ ſuam ſuper ſe colentes.

12 Quàm lōgè eſt Oriēs ab Occidēte,tā longè ſubmouit à nobis flagitia noſtra.
13 Quo pater in filios affectu eſt,eo eſt Iehouah in ſe colentes:
14 Nam agnoſcit quales ſumus,memor eſt quòd puluis ſumus.
15 Dies hominis ſunt vt gramen,effloreſcit enim vt flos agri:
16 Quem quum perflauerit vētus, illicò eſſe deſinit, nec agnoſcit eum amplius locus vbi erat.
17 At bonitas Iehouæ à ſeculis vſque ad ſecula ſuper ipſum colentes, & iuſtitia eius ad nepotes vſque pertingit:
18 Iis qui tuentur fœdus cum eo ictum, memoréſque ſunt eorum quæ commiſit vt ea faciant.
19 Iehouah in cælis firmauit ſolium ſuum,& regno eius cuncta ſubiiciuntur.
20 Laudate Iehouam Angeli eius,præſtantes virtute,qui quæ ipſe iuſſerit, facitis,dicto ipſi audientes.
21 Laudate Iehouā cūcti exercitus eius, miniſtri eius qui perficitis placita eius.
22 Laudate Iehouam cuncta opera eius in omni loco dominii eius:lauda anima mea Iehouam.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 DAuidis. *Prædica anima mea Iehouam, & omnia interiora mea nomini ſancto eius:*
2 *Lauda anima mea Iehouam,& ne obliuiſcaris omnium retributionum eius.* Omnia ex ſpiritu & veritate cum Deo gerenda ſunt:ideo in exemplum animam ſuam ſecundò ad laudandum Deum excitat.Addit,*interiora ſua omnia,*id eſt(vt aliàs Scriptura loquitur)omnia viſcera ſua. intelligit autem omnes vires ſuas,& affectus intimos.גמוליו ferè retributiones vertunt:ſunt autem, vt ſequentia teſtantur,beneficia Dei,non ſolùm quæ repēdit,ſed quibus etiam nos præuenit: quorum ſanè qui non oblitus fuerit, hoc eſt dignè illa æſtimauerit, huius cor, anima, & quicquid in eo fuerit, in laudes Dei ardebit ſummopere.

3 *Qui propitius eſt omni iniquitati tuæ,qui ſanat omnes morbos tuos:*

4 *Qui redimit à foſſa vitā tuā,qui coronat te benignitate & miſerationibus.* Inter Dei beneficia, primùm canit remiſſionem peccatorū. nam dum illis premimur,nullorum ſumus beneficiorum Dei capaces,eo quòd aduerſantibus Deo,aduerſa eſſe oporteat omnia. Hinc commodùm morborum leuamē,peccatorū remiſſioni ſubiecit.Deus ſiquidem vita eſt:ab eo ergo quum per iniquitatem receditur,à vita receditur. quare D.Paulus mortem, peccati fructum vocat. Morbos peccatis deberi, & ea conſequi, dictum eſt in Pſalmum 32. Summam beneficiorum cum animæ, tum corporis in eo expreſſit,*coronat te bonitate & miſerationibus:*hoc eſt cumulat & cingit vndique.Quid enim deſit ei cui Deus benignè facit, & paterno affectu proſpicit? Rerum tamen abundantiam,& vitā longæuam,cum valetudine proſpera exprimit nominatim verſu ſequenti,

5 *Qui ſatiat bono maxillas tuas,renouat ſicut aquilæ iuuentutem tuā.*עדיך,quod hìc habetur,maxillas ſignificat:vnde pro ore alii id accipiūt.ſed quū etiā ornamentū ſignificet, & anima ſit ornamentū corporis,A.Ezra pro anima poſitū arbitratur.Sed paſſim in Scripturis,ac etiā in Euāgeliis per cibū ac potū,quæcūque cupimus ſignificātur. Vnde quū Dominus vellet ſignificare credētes in ſe nihil bonorū deſideraturos, dicebat,Qui venit ad me,nō eſuriet:& qui credit in me,nō ſitiet vnquā. Sicut ergo ſuprà per illud,Dilata os tuū,& implebo illud,cumulus bonorū omniū deſignatus eſt: ita & hìc Vates per ſatietatē oris,bona omnia expreſſit,quibus opus habet iſta vita, præcipuè quidē tēporaria:verùm per hæc tum ſimul & æterna ſignificauit. De renouatione iuuentæ aquilarū, cuius meminit verſus quintus,varii varia narrāt.Iudæus quidam Saadiah ſcribit aquilam quolibet decēnio donec ad centū annos perueniat,petere ignē elementalem,& ab eo,vbi ſupra modū incaluerit,deiicere ſe in mare, indéque ei nouas ſuccreſcere plumas, ac ita reiuueneſcere.At quū centeſimo id anno facere tentet,deſtitui viribus,vt è mari, quū ſe in illud præcipitauerit, reſurgere nequeat. De hoc verò quidquid ſit, viuacem admodum aquilam eſſe teſtantur & Ariſtoteles, & Plinius: qui ſcribunt, non ſenio aut ægritudine, ſed fame illam mori, eo quòd ita aduncatum eius roſtrum euadat vt nequeat amplius cibum ſumere.Hinc prouerbium natum putant, Aquilæ ſenecta:de viridi, ſed vini potiꝰ quā cibi appetētiore ſenecta.Quicquid de his ſit,ſatis Pſalmus indicat, eſſe rationem qua aquilæ vires inſtaurentur, ac ipſa quaſi reiuueneſcat: hinc ergo Pſaltes ſimilitudinem mutuatus eſt.Nam Sancti etiam corpore ferè optimè valent,& ad iuſtam ætatem vitam ſolent producere.Id quod Abraham,Iaacob, Moſcheh, D.Paulus,& alii selectiores Dei filii ſatis teſtantur.quanquam ſoleat Deus & ſuos Hænoch habere, quos rapiat hinc ma-

Ioh.6.d.35.
Pſal.81.b.11.

turius,ne malitia ſenſus eorum deprauentur.de quo nonnihil dixi in verſu 13 Pſalmi 34.

6 *Facit iuſtitias Iehouah,& iudicia omnibus affectis iniuria.* Solus etiam depellit mala,& hominũ iniurias, fraudéſque: non ſolùm bonis omnegenus ditat. Ad huius igitur tribunal prouocemus læſi,qui ſolus omnia ex æquitate certa temperat.

7 *Notas fecit uias ſuas Moſi,filijs Iiſrael ſtudia ſua.* Canit immenſum illud Dei beneficium quo Deus Iiſraeli ſeipſum dedit cognoſcendum,dum Moſcheh,& per hunc toti populo vias ſuas & ſtudia,conſilia ſcilicet & facta patefecit.Putant autem Hebræi,propter verſum ſequẽtem notari hîc quæ Moſcheh quum Dominus in Horeb ante faciem eius tranſiſſet,exclamaſſe legitur Exo. 34.a.6.Sed rectius accipiemus, Vatem hîc de totius Legis beneficio loqui : quod certè ſummum fuit,adeò vt propter illud gens hæc omnibus mundi populis præſtiterit.

8 *Miſericors & benignus Iehouah, remotus ab ira,& multus bonitate.*

9 *Non uſque obiurgabit,neque in ſempiternum ſuccenſebit.* Ex cõſideratione beneficiorum Dei quæ memorauit,in hanc laudem Dei, bonæque ſpei vocem erupit. Eſt autem verſus octauus mutuatus ex illo quòd Moſcheh,viſo Domino,exclamauit, Iehouah Deus pronus ad miſericordiam,propenſus & ad bonitatẽ,tardus ad iram,effluens bonitate & fide,ſeruãs bonitatẽ millibus,condonãs iniquitatem,ſcelus & peccatum, purum reddens qui alioqui purus eſſe non poſſet, vindicãs iniquitatem patrum in filiis & nepotibus in tertia & quarta generatione. Hæc diſtingunt Iudæi in XIII proprietates Dei,quas מדות vocant,ſed ſcrupuloſa ac conficta ſectione. Verſus 9 & in Prophetis ſæpe occurrit, dum Sancti ſe ſpe de Dei bonitate firmant . Qui enim nihil niſi bonitas eſt,ſemper iraſci,punire,obiurgare quod ſuum eſt,non poteſt.

10 *Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis,& non ſecundum iniquitates noſtras rependit nobis:*

11 *Nam ſicut celſitudo cælorum ſuper terram,ualere fecit bonitatem ſuam ſuper timentes ſe.*

12 *Sicut longè Oriens ab Occidente,longè fecit à nobis ſcelera noſtra.*

13 *Sicut patrem miſeret filiorum,[ita]miſeret Iehouam timentium ſeſe.* Vt omnis noſtra ſalus eſt, peccatis tãdem purgari,& Deum illa,non vt nos meremur vindicare,de quo in Pſalmo 32:hanc Dei clementiam per verſus hoſce quatuor ſequentes pluribus celebrat. Quod canit verſu 11,idem eſt atque quod cecinit verſu 11 Pſalmi 57, Magnificata eſt vſque ad cælos bonitas tua . de quo loquendi modo dixi in verſu 1 Pſalmi 8. Obſeruandum autem in hoc verſu, quibuſnam peccatoribus Deus ſit adeò propitius & indulgens:ſanè timentibus,id eſt colentibus ipſum.qui interim etſi cupiditatibus carnis in tranſuerſum acti delinquãt, ſemper tamen Dei timorem & amorem in animis ſuis ſeruant . Quod canit verſu 12, ex eo venit quòd valida adeò & copioſa eſt in nos Dei bonitas, vt ad cælum vſque pertingat . Tam bonus enim & indulgens in nos Deus nihil quàm benefacere poteſt.Quod quũ peccatoribus minimè debeatur,canit Vates, Deũ noſtra peccata à nobis remouiſſe tam longè quàm longè diſtat ab Oriente Occidens.Hi mundi termini ſe contingere nunquã poſſunt:ita nequeunt Sanctos & Dei timẽtes eorũ peccata vnquã ſic attingere vt meritis malis inuoluant,vtcunque in ſalutem ipſorum à cæleſti Patre ſubinde caſtigentur. Verſus 13 primam totius clementiæ huius & indulgẽtiæ cauſam canit,quòd nimirum nos Deus vt pater complexus eſt,& planè paterno in nos affectu exiſtit.

14 *Quia ipſe nouit figmentum noſtrum,memor eſt quòd [ſimus] nos limus.*

15 *Hominis dies ſicut gramen:ſicut germen agri,ſic germinat:*

16 *Quoniam uentus tranſit per illum,& non ipſe,& non cognoſcit eum amplius locus eius.* Quoniam tam paterno in nos,& pluſquam indulgẽti eſt affectu, agnoſcit vt ipſe nos finxerit, ſanè ex limo terræ terrenos, caducos & miſeros, hoc eſt magna lenitate, infirmitatis & inanitatis noſtræ rationẽ habet,ne dignas ſcilicet de commiſſis noſtris pœnas ſumat: ſed conſiderata potius vitæ noſtræ fugacitate,indulgentius nobiſcum agat quàm certè prauitati carnis noſtræ debebatur. Quæ canit hic verſus,habet & verſus 39 Pſalmi 78. Quæ verò duo ſequẽtes , pluribus habet Pſalmus 90. Magnam auxeſim habet, *Et non cognoſcet eum locus eius*:hoc eſt vbi egit,floruit,omnia habere & poſſe videbatur,ibi iam nemo eius meminit,nemo videtur vnquam illum nouiſſe:tam nulla habetur eius ratio,& extincta eſt omnis eius memoria. Iſtuc quotidie euenire videmus: adhuc tamen deſcendere in nos,& quàm nihil ſumus,agnoſcere cunctamur.

17 *Et bonitas Iehouæ à ſeculo & uſque in ſeculum,ſuper timentes eum,& iuſtitia eius filijs hominum*

18 *Obſeruantibus fœdus eius,& ijs qui memores ſunt eorum quæ præcepit,ut ea faciant.* Eadem canit Pſalmus præcedens ſub finem:nempe ideo quòd ſempiterna eſt Dei bonitas,& ipſe per cuncta ſecula regnat, ſeruare ſuos cultores, quanlibet ipſi inanes per ſe & caduci ſint: atque ideo & peccata eis condonare,illiſque eos purgare, quo conſiderare & laudare perpetuò ipſius bonitatẽ queant. Et hi ſunt qui fœdus eius ſeruant, & mandata : de quo dictum in verſum 10 Pſalmi 25. De voce פקודים in Pſalmo 19.

19 *Iehouah in cælis firmauit ſolium ſuum,& regnum eius in omnem dominationem.*

20 *Prædicate Iehouam Angeli eius, ualidi uirtute, facientes uerbum eius, ad audiendum uocem uerborum eius.*

21 *Prædicate Iehouam omnes exercitus eius, ministri eius facientes placitum eius.*

22 *Prædicate Iehouam omnia opera eius, in omnibus locis dominationis eius: lauda anima mea Iehouam.* Etiam in cælis regnat Deus, & regnum atque imperium habet in omnem dominationem & poteſtatem: igitur non homines ſolùm, ſed iam etiam Angelicos ſpiritus ad laudem Dei inuitat, vt qui omnia fecit, & vbique dominatur, agitque omnia in omnibus: ab omnibus item rebus, & in omnibus locis cum ſupernis tum infernis, vbi dominatur, omnémque poteſtatem habet, laudetur & extollatur. Sic enim ſolet animus amore & iuſta admiratione accēſus, cupere amari, laudaríque ab omnibus, quem ipſe amauerit & ſuſpexerit. Vocat autem Angelos potētes virtute, quia ingētia Deus per illos efficit: vt fuit extinctio exercitus AEgyptiaci in Mari rubro, ſtrages Midianitarum, Aſſyriorum, ac ſimilia. Subiicit, *Facientes uerbum eius*: eo quòd ipſi ad omnia illicò parent, nihil cunctantes: nihil enim prius habent quàm voci eius auſcultare. vnde ſubiectum eſt, *Ad audiendū uocem uerbi eius*: id eſt vt pareant illicò iuſſis eius. Per *exercitus* in verſu 21, quidam aſtra intelligunt: quod vt non improbo, ita non dubito eſſe innumeram, & modis nobis incognitis diſtinctam multitudinem ſanctorum ſpirituum, qui ad nutum Domino obtemperant: vnde adiecit, *Facientes beneplacitum eius.* Et hinc illud eſt in precatione Dominica, Fiat voluntas tua in terra hìc apud nos, carne tam rebelli grauatos, ſicut ea ſumma cum voluptate fit in cælis à ſanctis mentibus, quarum hîc obedientiæ promptitudo prædicatur, tum & operum Dei quæ per illos facit magnitudo. Ex eo autem quòd Angelos ad laudandum Deum Pſaltes hîc inuitat, & illud diſcendum, nos illorum conſortes & ciues eſſe, vt & eodem ipſi capite gaudent, & Chriſto ſeruatore. Verſus vltimus docet, quum vbique Deus Dominus ſit, miráque efficiat, vbique etiam colendū. Quare gloriam eius, quantum in ipſis eſt, in arctum illi contrahunt, qui iniuſſu eius certis ipſum duntaxat locis docent adorandum.

PSALMVS CIIII, ἀνεπίγραφος ἢ ἀνώνυμος.

ARGVM. *Hymnus eſt quo Deum à conditione rerum, & benigna omnium gubernatione celebrat.*

PARAPH. 1 LAuda Iehouam anima mea, ô Iehouah Deus mi, eximius es valde: celebritate & ſplendore te ornaſti.

2 Amicis te luce ceu veſtimento, expandis cælos tanquam cortinam.

3 Ille ponit in aquis trabes cœnaculorum ſuorum, ille vtitur nubibus pro vehiculo ſuo, ille iter facit alis venti.

4 Flatibus vtitur pro nuntiis, & pro miniſtris igni conflagrante.

5 Fundauit terram ſuis fulcris innitentem, non nutabit in omnia ſecula.

6 Abyſſo ceu veſtimento inuoluiſti eam, aquæ ſtabunt in montibus.

7 Ab increpatione tua fugerunt, à voce tonitrui tui præcipites delapſæ ſunt.

8 Supernè eminuerunt montes, infernè reſederunt campi ad locum quem fundaſti illis.

9 Terminum poſuiſti quem non tranſgrediuntur, ne reuerſæ terram obtegāt.

10 Ille emittit ſcaturigines in fluuios qui inter montes decurrunt.

11 Bibunt inde feræ, ſedant ſitim ſuam onagri.

12 Iuxta illos volucres cæli ſedem habent, inter frondes cantillant.

13 Rigat montes è cœnaculis ſuis, fœcunditate operum tuorum ſatias terram.

14 Facit prouenire gramen, pabulum iumentis, & herbam, culturam adhibente homine, qua is è terra ſibi cibum educat:

15 Vinum quod exhilarat cor hominis, oleum quod nitere facit faciem hominis: & panem qui cor hominis ſuffulcit.

16 Reficiuntur arbores Iehouæ, cedri Libani quas plantauit:

17 In quibus nidulantur aues, ſicut abietes domicilium ſunt ciconiæ.

18 Montes celſi refugium ſunt rupicapris, petræ herinaciis.

19 Fecit Lunam vt ſtata tempora deſignet: Sol nouit occaſum ſuum.

20 Adducis tenebras, & fit nox: tum diſcurſant beſtiæ incolentes ſyluas,

21 Leones rugientes in prædam, & vt quærant à Deo eſcam ſuam.

22 Oritur Sol,& rurſus conduntur,ínque luſtris ſuis accubant.

23 Egreditur homo ad opus ſuum,& ad laborem ſuum, dum appetat veſpera.

24 Quàm eximia ſunt opera tua ô Iehouah:cuncta ſapiẽter feciſti,plena eſt terra bonis tuis.

25 Illud mare magnum, & ampliſſima latitudine,illic reptilia abſque numero, animantes tum paruæ,tum magnæ.

26 Illic vadunt naues,& cete illa quæ finxiſti vt ibi luderent.

27 Omnia ad te reſpiciunt,vt des cibum illis in tempore:

28 Quum dederis eis, colligunt: quũ aperueris manum tuam, ſatiantur bonis.

29 Simulatque auerteris faciem tuam, conſternantur: vbi collegeris ſpiritum eorum,intereunt,& in terram ſuam reuertuntur.

30 Quum rurſus emittis Spiritum tuum,creantur,& renouas faciem terræ.

31 Decus Iehouæ in ſempiternũ perſtat,lætabitur ſẽper Iehouah de operib' ſuis.

32 Intuetur terram,& tremit:tangit montes,& fumant.

33 Cantabo Iehouæ dum vixero,canam Deo meo dum fuero.

34 Suauis ſit illi ſermo meus:ego de Iehoua lætabor.

35 Conſumantur flagitioſi in terra, & improbi donec ne vlli quidem ſuper ſint: lauda amima mea Iehouam, Halelu-iah.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 P*Rædica anima mea Iehouam: Iehouah Deus mi magnus factus es ualde, celebritate & ſplendore ueſtitus es:*

2 *Amiciens lucem ſicut ueſtem, extendens ſicut cortinam cælos.*

3 *Qui contignat in aquis cœnacula ſua. qui ponit nubes uehiculum ſuum, qui ingreditur ſuper pennis uenti.* Primùm canit Pſaltes, Dominum celebritate & ſplendore veſtitum:quo in genere dixit quæ deinceps per ſpecies explicat. Nam intelligit, cuncta Dei opera tam abſoluta & admiranda bonitate præſtare vt Deum quaſi celebritate & ſplendore veſtiant, dum præclarè adeò potẽtiam, ſapientiam,& bonitatem eius teſtãtur. Vt autẽ in cælis hæc præcipuè relucent,ita ab illis orditur:& quũ Scriptura illos aliàs ſedem Dei faciat, facit hic noſter eos Dei veſtem & expanſam cortinã, dum canit eum luce(quæ proprium cælis & cæleſtibus corporibus ornamẽtum eſt)amiciri,cælóſque ceu cortinam,intra quam ſedeat,extendiſſe. Eadem anthropopathia, dicit eum cœnacula ſua poſuiſſe in aquis,intelligens nubes. Nubes enim,diffinitore Ariſtotele, libro de Mundo ad Alexãdrum,eſt craſſamentum exhalationum conuolutum, vim habens aquæ gignendæ,atque ideo ipſa quoque aqua dicitur. Sic Pſalmo 18 verſu 12,pro dẽſis & atris nubibus, dixit obſcuras aquas. Nam ea omnia ex quibus præcipuè Diuina potẽtia mortalibus demõſtratur, è nubibus veniũt. inde facit Pſaltes illas, Dei cœnacula. Pſalmo 18,vocat eas latibulum Dei, hìc etiam vehiculum. Sic & hìc & illic prædicat ferri cum alis ventorum,nempe indicibili pernicitate.

4 *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, miniſtros ſuos ignem flammantem.* Perſtat in cœpta proſopopœia,canens Deum flatus(intelligit autem repentinos & violentiores, nam ignem fulminis ſubiicit)facere ſibi eſſe loco nuntiorum, & ignem conflagrantem,loco miniſtrorum. Ad eundem modum canit verſu 8 Pſalmi 148, Ignis,grando,nix,caligo,& רוח סערה, id eſt ſpiritus,vel flatus(ſic Plinius vocat)tempeſtuoſus,procelloſus,faciens verbum eius, id eſt exequens iuſſa Dei. per talem enim ſpiritum euerſa eſt Sedom, exercitus AEgypti exagitatus, & aliæ inſigniores Dei vltiones perfectæ. Hinc canit hic Pſaltes,talibus ſpiritibus & flatibus Deum vti pro nuntiis & legatis, per quos ſcilicet ſententiam iræ ſuæ impiis denuntiat,ſicut & ſe colentibus ſuam beneuolentiam. De his flatibus,ſimul & igni fulminum,dixi fuſius in verſu 6 Pſalmi 11,& in verſu 5 Pſalmi 29. Alii hæc de mẽtibus Angelicis interpretãtur: ſed quomodo quadrabit quod ſubiicit de igni flagrante? Simplicitatem malo ſequi:quanquam ſiquis in igni, aut cum igni mittere Deum ſuos legatos & Angelos intelligat,ac ita dum induit ſuos Angelos igni,facere igem & flammã ſuos Angelos & miniſtros,is à vero nihil aberrabit. Hæc ſic per ſimilitudines ab humanis & aliis huiuſce inferioris conditionis rebus mutuatas deſcribere,& imparibus adeò illa perſonis induere, non ſolùm gratiam quandam habet, ſed maiorem etiam ingerit admirationem, propter tam immenſam inter ea à quibus perſonæ mutuantur,& quibus adaptantur,inæqualitatem.

5 *Fundauit terram ſuper locum ſuum,non mutabit[ur] ſeculum & uſque.*

6 *Abyſſus[erat] ceu operimentum eius ſuper montibus ſtabant aquæ.* Quæ canit hiſce verſibus,perſtrinxit &

verſus ſecundus Pſalmi 24;vbi de miraculo terræ in aquis fundatæ nonnihil dixi. Fixam itaque in aquis, quibus nihil minus ſtabile eſt, terram, canit verſu 5. Fuiſſe initio totam aquis opertam, ac ceu veſte inuolutam, canit verſu 6.

7 *Ab increpatione tua fugerunt, à voce tonitrui tui præcipitatæ ſunt.*

8 *Aſcenderunt montes, deſcenderunt valles ad locum iſtum [quem] fundaſti eis.*

9 *Terminum poſuiſti [eis, quem] non tranſgredientur, non reuertentur obtegere terram.* Canit opus tertiæ diei, quo aquæ quæcunque ſub cælo erant, in vnum locum iuſſu Dei coactæ ſunt. Hoc verò iuſſum Domini quo apparere aridam, & aquas ſe ſuo loco continere effecit, vocat increpationem & vocem tonitrui. Quóque inſignius Dei potentiam celebret, per proſopopœiã tribuit aquis, tãquam hominibus, trepidantem & præcipitantem fugam. Significantiam verbi חפז quo hîc vſus eſt, expoſui in principio Pſalmi 31. Verſu 8, ad phantaſiam hominum dicit montes aſcendiſſe, & deſcendiſſe valles, vbi deſidẽtibus aquis, & in Oceanum collectis, montes & campi, vallé ſque apparuerunt. In verſu 9, monemur ingens illud virtutis miraculum conſiderare, quòd quum aquæ maris ſæpe ſuper terram eleuentur, in eam tamen non inundent.

10 *Qui emittit fontes in flumina, inter montes decurrunt.*

11 *Bibunt omnes feræ agri, frangunt ſitim ſuam onagri.*

12 *Iuxta eos habitabit volucris cælorum, ex frondibus dabunt vocem.* Quia autem aquis opus erat ad hanc vitam degendam cum hominibus, tum beſtiis, canit nunc vt eas mira commoditate, nec vulgaribus miraculis perpetuò adminiſtret. Et primùm fontium & fluminum meminit, quibus tantam ineſſe vim Diuinitatis, cum propter perennitatem, tum reliquos vſus priſci agnouerunt, vt eos ſacros haberent, ac numina eis tribuerent. Et certè niſi occupatos adeò in rebus nihili ſenſus haberemus, vel ſolum hoc fontium & fluminum miraculum, quòd in vſum noſtrum perpetuo adeò tenore inexhauſta ſeruiunt, ſatis erat vnde ſic cõditoris admiratio, & amor nos accenderet, vt nunquam aliud quàm ipſi viuere & mori liberet. Verſu 11, canit vſum horum, etiam in iis locis vbi nulli homines habitant: beſtiis enim inſeruiunt. Meminit autem nominatim onagrorum, quòd ſint inter cæteras beſtias, ſolitudinis amantiores, eóque ferè habitent in locis arentibus: quare ſitis illorum pro exemplo ardentioris deſiderii ponitur Iirmeiah 2.c.23. Quòd alieniſſimi ſint à conſortio hominũ, & penitiora deſerta incolant, notatur Iiob 39.a.8. Arbores quæ apud flumina eſſe ſolent, memorat verſu 12, dum auiũ iuxta fontes & fluuios, ac inter frondes canentium, meminit.

13 *Qui rigat montes è cœnaculis ſuis, à fructu operum tuorum ſatias terram.* Beneficiũ pluuiæ canit hoc verſu, vbi iterum nubes cœnacula Dei vocat. Montes verò pluuia rigari, ideo nominatim dicit (quũ tamen tota terra per illã fœcundetur) quia illi, niſi pluuia rigarentur, prorſus ſterileſcerent, quãdo rigari nequeunt per flumina.

14 *Qui facit germinare gramen iumento, & herbam ad cultum hominis, ut educat cibum è terra.* Quæ verò ex rigatione pluuiæ in vtilitatem hominibus, & reliquis animãtibus proueniunt, nempe gramen, herbæ, fruges, vinũ, oleũ, ac reliquæ arbores, canit deinceps per verſus quinque. In præſenti verò, de gramine pro iumẽtis, & herbis pro homine, ſed quas ſuo cum labore oporteat à terra educere, iuxta illud, In ſudore vultus tui veſcêris cibo tuo, Gene. 3.d.19, canit verſu 14. Accipitur autem hîc לחם, quod alioqui panem ſignificat, pro cibo. de ipſo enim pane canit verſus ſequens,

15 *Et vinum [quod] lætificat cor hominis, ut niteant facies ab oleo, & panis cor hominis conſolidet.* Hunc verſum hinc ſic legendum puto, vt pẽdeat vel à verbo Facit prouenire, vel à verbo Educat, verſus præcedentis. Si ad prius (quod mihi magis arridet) ſenſus erit, Deus facit prouenire, ſicut gramẽ pro iumentis abſque hominis cultura, & herbam qua ipſe homo veſcatur adhibito eius cultu: ita & vinum, quo moderatè hauſto, cor hominis mirum in modũ recreatur. Tum facit prouenire & vnde vnguento niteant facies, nempe oleum. hoc enim, de quo loquitur, nitore, exiſtimo ſignificatũ vſum vnguentorũ, de quo & verſu 5 Pſalmi 23, & Pſal. 92, verſu 11: non vt eo luxũ, ſed incomparabilem Dei in nos indulgentiam commendaret, qui ſatis non habuit cõdidiſſe neceſſaria, ſed voluit etiam nobis ſuppetere quæ ferè tãtum ad voluptatem & delicias faciunt. Nam ſi inungi, luxus, & Sanctis illicitũ eſſet, Seruator nequaquã Simoni Phariſæo, quòd oleo ſibi caput non vnxiſſet, tanquam officii neglectum amici amãtioris obieciſſet: & contrà, nõ laudaſſet mulierculã peccatricem, quæ etiã pedes eius vnxerat vnguẽto pretioſo. Quidã per illud *nitere*, vel *luceſcere faciei*, putant vſum olei in lucernis deſignatũ. hinc enim noctu facies hominũ illuminantur. Quia verò vini & olei meminit, nominatim & panis meminiſſe dignum duxit. Ne autẽ videretur panis beneficium obſcurius eſſe quàm vini & olei, adiecit, *quod ſuffulcit cor hominis*. neque enim cibus eſt quo vires hominis melius reficiantur. vnde & Abraham quum ad ſumendum panem Angelos quos viros putabat, hortaretur, adieciſſe legitur, סעדו לבכם, id eſt, Et cõfortate cor veſtrum, Geneſis 18.a 5. Sic dicebat & ſocer Leuitæ, Iudic.19.a.5. Siquis לחם & in hoc verſu pro cibo quolibet

accipere velit, quadrabit nihilominus quod adiectum eſt: vires enim corporis, quarum fons in corde eſt, cibo firmantur.

16 *Satiantur arbores Iehouæ, cedri Libani quas plantauit.* Canit ex eodem pluuiæ beneficio ſatiari, hoc eſt rigari, refici, & fœcundari arbores. *Arbores* dicit *Iehouæ*, pro ingentibus & maximè celſis, ſicut omnia magna, Dei dicuntur: de quo in verſum 7 Pſalmi 36. Quidam ideo Iehouæ arbores dici putant quòd nulla niſi eius cultura creſcant. ſicut cum emphaſi adiectum eſt, *quas plantauit*: ſignificare quidem voluit, quum tam ingentes proueniant, hominũ tamen operam non conferre, ab ipſo Deo illas & plantari & foueri.

17 *Quòd ibi nidificent volucres, ciconiæ [quarum] domus abietes.* Vſum canit arborũ ingentium, quæ etiam nec ædificiis adhuc ſeruiũt, nec etiam fiunt materia ignis, vt ſcilicet hominibus ſeruirent. Ciconiæ peculiariter meminit quòd ea in altioribus ſoleat arboribus nidificare.

18 *Montes celſi rupicapris, rupes protectio herinaciis.* Canit vſum mõtium, qui celſiores ſunt quàm vt homines in eis quicquam queant agere. illic enim agunt capræ rupicolæ: in petris שפנים. hos alii cuniculos, alii herinacios vertunt: ſed viderint alii quomodo cõueniant quæ de hoc animali habentur Leui. 11. a. 5, & Deut. 14. a. 7: nempe ruminare illud quidem, ſed nõ findere vngulã. Item quòd ſedem ſuam habeat in petris: vnde de eo Prouerb. 30. d. 26, שפנים populus non robuſtus, & collocant in petra domum ſuam. Ego ne non verterem hanc vocem, herinacios cum aliis reddidi: quanquam omnino putem aliud animal eſſe, ſed quodnam, nondum conilcere potũi.

19 *Fecit Lunam ad feſta, Sol nouit occaſum ſuum.* Solis iã & Lunæ, ac inde noctis ac diei vtilitatem celebrat. Factam Lunã canit ad feſta, id eſt מועדים: omnia enim ſecundum Lunæ curſum numerabãtur, vt Exo. 12. a. 2, Leuit. 23. a. 5, & alibi legimus. Solem addit noſſe occaſum ſuũ, quo certum & perennẽ motũ ſolis ſignificauit. nouit ſiquidẽ quò currat, vbi occidat, ſtatim rurſus oriturus.

20 *Ponis tenebras, & eſt nox: in hac prorepunt cunctæ beſtiæ ſyluæ,*

21 *Leones rugientes in prædam, & vt quærant à Deo eſcam ſuam:* Canit quibus potiſſimũ vſui nox ſit, beſtiis ſcilicet quæ interdiu in luſtris ſuis accubant. Addit, petere has beluas à Deo eſcam: vnde enim aliàs illis præda ſemper obueniret? Hinc autem diſcendum, ſi iuſtus Deus has truces beluas innocuis feris paſcit, quibus tamen poſt hanc vitam nihil promiſit: ferendum nobis eſſe ſiquãdo malorum libidini permittimur, qui poſt hanc, beatã vitam certò expectamus. Verſu 21, notat præterea ingenium leonũ qui rugire ſolent prædam nacti. de quo in verſu 14 Pſalmi 22.

22 *Oritur ſol: colliguntur, & in luſtris ſuis cubant.*

23 *Egreditur homo ad opus ſuum, & ad laborem ſuum uſque ad veſperam.* Diei vſum celebrat, in quo beſtiæ ſcilicet hominibus noxiæ & formidabiles conduntur in luſtris ſuis, vt homo ad colendã terram (quod præcipuum eius opus quũ ſit, hic ſolùm memoratur) prodeat, diemque in eo conſumat, nocte quieturus, ita cum beſtiis illis velut per vices terra vſus.

24 *Quàm magnifica ſunt opera tua ô Iehouah, omnia illa in ſapientia feciſti: terra plena eſt poſſeſſionibus tuis.* Tranſitũ facit ad canenda miracula maris, cũ exclamatione nata ex admiratione tam immenſæ virtutis, ac ſapientiæ: quæ vtraque mirificè adeò in tanta rerũ copia, ordine, vſu, relucet. Verè enim totum orbem bonis Dei redundare videt, quicunque id quod omnium oculis expoſitũ eſt, poterit agnoſcere. Poteſt רבו in hoc verſu ad numerum & ad præſtantiam referri; ſed quũ hic vtilitatem & mirificum ordinem Vates celebret, videtur potius de præſtãtia intelligendũ. Quod ait קנינך, ſignificat omnia propria Dei, & ſemper in eius poteſtate eſſe, ità vt nihil penitus queat euenire fortuitò. quod Kimhi piè hic adnotauit, vtcunque aliàs cum Iudæis, ac impiis omnibus, aliquid homini tribuat quo per ſe in bonum feratur.

25 *Iſtuc mare magnum & amplum locis, ubi reptile & non numerus, beſtiæ paruæ cum magnis.*

26 *Ibi naues vadunt, Leuiathan iſtum finxiſti, vt ludat in eo.* Celebrat Dei potentiam & ſapientiam à mari. Id dicit רחב ידים, id eſt latum ſpatiis. Vnde R. Schlomoh Gallicè *lieux larges*, ſiue *ſpatieux*, reddit. Id verterunt ſpatioſum manibus, eo quòd ידים & manus ſignificet, ſed perperã. De Leuiathan, cuius meminit verſu 26, quo nomine cete, id eſt immaniores maris beluas ſignificat numero ſingulari, habet & verſus 14 Pſalmi 74. Dixi de his nonnihil in verſu 9 Pſalmi 8. Iiob horũ quoque meminit cap. 40. b. 10. Eo verò quod Pſaltes canit, *vt ludat in eo*, id eſt mari: ſignificatur immenſum eius robur, quo ita in mari dominatur vt merus luſus ſit venari & capere animantes in eo quaſlibet, naues euertere, cunctámque vim, cum hominum, tum beſtiarum proterere.

27 *Omnia illa ad te ſpectant, vt des illis cibum in tempore ſuo:*

28 *Das illis, colligunt: aperis manum tuam, ſatiantur bono.*

29 *Auertis faciem tuam, turbantur: colligis ſpiritum eorum, intereunt, & reuertuntur in limum ſuum.* Hæc præcipuè ad prouidentiæ laudem pertinent. omnibus ſiquidem proſpicit, qui omnia paſcit, à cuius beneficiò omnium vita pendet. Iſtuc vtinam quàm clarè hîc dicitur, tam eſſet certò omnibus perſuaſum. Quò enim ſcelerum (proh dedecus) miſeros nos vna vẽtris cura non protrudit? Tum quantus eſt rerum omnium abuſus, quanta temporis, benéque agẽdi occaſionum negli-

gentia: quæ longe à nobis eſſent, ſi certò crederemus à beneuolẽtia Dei ſic donari omnia, vt quũ ille velut momento fauoris ſui aſpectum auerterit, nõ ſolũm miſerè turbari nos ſolitis eius beneficiis deſtitutos, ſed ſimul reuerti etiam oporteat in limum noſtrum, vnde ille nos finxit.

30. *Emittis Spiritum tuum, [&] creantur, & renouas faciem terræ.* Canit occaſione eius quod de morte animantium præmiſit, nouas quotidie animantes à Deo refingi, & ita continuò orbem renouari, *Emittis*, inquit, *Spiritum tuum*: nam vita ab ipſo vno inſpiratur, iuxta illud, Et inſpirauit in faciem eius halitum vitæ, Gene. 2. a. 7. Rectè ergo dicit, emiſſo Spiritu Dei, animantes creari, quibus facies orbis velut renouatur.

31 *Sit decus Iehouæ in ſempiternum, lætetur Iehouah in operibus ſuis.*

32 *Qui aſpicit terram, & tremit: tangit montes, & fumant.* Exclamatio eſt animi Dei maieſtatem ex conſideratione operum eius, quæ meminit, ſummopere admirantis, & meritò ſempiternũ fore decus & laudem eius agnoſcẽtis, qui ex operibus ſuis velut voluptatem & lætitiã percipere videtur, quòd ea tanta ſapientia formauit & inſtituit, tantáque bonitate ſua cumulat, ſicut pater lætari in filio videtur, quem ſingulari fouet indulgẽtia, & artifex in eo opere in quo plus operæ impendit. Quia autem homines, ex peruerſo carnis huius ſtupore, Deum nunquã ex beneficiis ſuis tam certò, atque dum iratũ ſeſe exhibet, & exitium minitari videtur, agnoſcere ſuſtinẽt, vt quum terram commouet, & montes fulminibus facit fumare: ideo hæc de virtutis Diuinæ oſtenſione ſubiecit, *Qui reſpicit terram*, &c. id eſt nutu ſuo exagitat, &c. Per terræ autẽ tremorem, & montium fumigationem, ſignificat nihil tantis niti viribus quod non concidat ipſo irato. Perelegans autem eſt potentiæ Diuinæ ſignificatio in eo quod canit à ſolo Dei intuitu terrã tremere, & à ſolo eius contactu montes iam incenſos fumare. Solenne quoque eſt in Scripturis per ignem, Diuinam vltionem ſignificare. ſic ea deſcribitur & Deut. 32. d. 22.

33 *Canam Iehouæ in vita mea: pſallam Deo meo, dum adhuc ego.*

34 *Sit ei ſuauis ſermo meus: ego lætabor in Iehouah.* Hactenus celebrauit Pſaltes opera Dei ex quorum cõſideratione accenſus Diuinæ bonitatis admiratione, ſuccinit ſe dum vixerit, laudes Dei cantaturũ. id orat verſu ſequenti, gratũ & ſuaue Domino haberi, in quo vno ſit perpetuò lætaturus, & ſuã voluptatẽ habiturus, dum ita ſummo ſtudio illius voluntati accõmodare ſeſe ſtudet: ſicut Deus in nobis lætari, & ſeſe oblectare videtur, dum declarat, dum tãtis nos ornat beneficiis.

35 *Conſumentur flagitioſi è terra, & improbi amplius non ipſi: prædica Iehouam anima mea: laudate Iah.* Maieſtatis laudiſque Diuinæ verè ſtudioſum, perfecto odio odiſſe oportet improbos, omniq; ſtudio orare, & ad id operã ſuam impendere, vt obtineãt vbique pii, qui Deũ patrem agnoſcãt, colant, prædicent. Inde orat iam, & ſimul prædicit fore vt è terra cõſumerentur improbi, & ſint vbique qui Dei laudes verè celebrẽt. Ad quod iterũ ſeipſum hortatur: deinde & alios, adiiciẽs Halelu-iah.

PSALMVS CV, εὐχαριστικὸς καὶ ἱστορικός.

ARGVM. *Inuitat ad laudandum Deum in ſacro cœtu apud Arcam fœderis: & memorat Dei in populum ſanctum beneficia, ab eo quo fœdus icit cum Abraham, uſque ad id temporis quũ ei educto magnis portentis ex AEgypto, & per deſerta adducto, terram Chenaan tradidit poſſidendam iure hæreditario.*

PARAPH. 1 CElebrate Iehouam, inuocate nomen eius, memorate inter populos mirabilia eius.

2 Canite ei, modulamini ei, loquimini de cunctis facinoribus eius.

3 Gloriamini de nomine ſancto eius, lætetur cor eorum qui Iehouã quærunt.

4 Studiòſè quærite Iehouã, & ſedem roboris eius, quærite faciem eius ſemper.

5 Memẽtote facinorum quæ patrauit, portentorum & iudiciorum quæ profecta ſunt ab ore eius,

6 O ſoboles Abraham ſerui eius, filii Iaacob electi eius.

7 Ipſe Iehouah eſt Deus noſter, qui in omni terra regnum obtinet.

8 Memor fuit per omne æuum fœderis ſui, & pacti quod ſtatuit, vt in mille generationes perſtet:

9 Quod icit cum Abraham, & iurauit Iiſchaac:

10 Quódque ſtatuit Iaacob pro lege, & Iiſraeli in fœdus ſempiternum:

11 Quum diceret, Tibi dabo terram Chenaan, ſortem hæreditatis veſtræ,

12 Quum eſſent homunculi exiguo numero, & aduenæ in illa,

13 Migraréntque de gente ad gentem, de regno ad populum alterum:

14 Non permiſit quenquam illis facere iniuriã, & caſtigauit propter eos Reges.

15 Nolite attingere vnctos meos,& Prophetis meis nolite nocere.
16 Adduxit famem in terram,omnem annonam contriuit.
17 Miſit ante illos virum:in ſeruum venundatus fuit Ioſeph.
18 Afflixerunt pedes eius compedibus,& venit in vincula ferrea corpus eius,
19 Quouſque innoteſceret factum eius:oraculum Iehouæ reſtituit eum, velut argentum excoctum igni.
20 Miſit Rex & eripuit eum:moderator populorum,& ſoluit eum:
21 Cõſtituit eũ dominũ domus ſuæ,& moderatorem omniũ facultatũ ſuarũ:
22 Vt pro ipſius arbitrio erudiret Principes ſuos, & Senatores ſuos doceret ſapientiam.
23 Et venit Iiſrael in AEgyptum,factúſque eſt Iaacob aduena terræ Cham.
24 Et auxit Deus populũ ſuũ valde, fecítque valentiorẽ iis qui erant illi infeſti.
25 Vertit porrò cor iſtorum vt odio populum ſuum proſequerentur, vt dolos ſtruerent ſeruis ſuis.
26 Miſit Moſcheh ſeruum ſuum,Aharon quem elegerat.
27 Hi ediderunt inter illos ſigna eius,& portenta in terra Cham.
28 Immiſit tenebras,& obtenebrauit AEgyptum,nec repugnauerũt verbis eius.
29 Vertit aquas illorum in ſanguinem,& occidit piſces eorum.
30 Ranæ vndique reptabant in terra eorum,in cubiculis regum eorum.
31 Dixit,& venit turba inſectorum:pediculi in cunctis eorum finibus.
32 Pro pluuiis eorum dedit grandinem,& ignem conflagrãtem in terra eorum.
33 Percuſſit vites illorum & ficus,confregítque arbores in finibus eorum.
34. Dixit,& venit locuſta,& bruchus abſque numero.
35 Is depaſtus eſt omnem herbam in terra illorum, depaſtus eſt fructum in agris eorum.
36 Percuſſit & omne primogenitum illorum,primitias pignorum illorum.
37 Et eduxit eos argẽto & auro ditatos,nec erat in tribubus eius qui incommodè haberet.
38 Lætata eſt AEgyptus quum egrederentur:nam inuaſerat illos terror.
39 Expandit nubem quæ eos operiret,& ignem qui luceret nocte.
40 Petierunt,& venerunt coturnices,& pane cæleſti ſaturauit eos.
41 Aperuit rupem,& fluxerunt aquæ:decurrerunt in deſertis flumina.
42 Nam memor fuit verbi ſancti ſui,& Abraham ſerui ſui.
43 Et eduxit populum ſuum gaudentem,electos ſuos ouantes.
44 Et tradidit eis terras Gentium, & laborem populorum ſibi iure hæreditario vendicarunt:
45 In hoc vt obſeruarent ceremonias eius,& Leges eius cuſtodirẽt. Halelu-iah.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *CElebrate Iehouam,inuocate nomen eius.nota facite in populis ſtudia eius.*
2 *Canite ei,pſallite ei,loquimini de omnibus mirabilibus eius.*
3 *Gloriamini in nomine ſanctitatis eius,lætetur cor inquirentium Iehouah.*
4 *Inquirite Iehouam & virtutem eius,inquirite faciem eius ſemper.* Quòd verò hortatur inquirere,hoc eſt religioſè adire Dominum apud Arcam fœderis,vbi ſcilicet ſuam peculiarem præſentiam promiſerat,voluit Sanctos frequentes in ſacrũ cœtum conuenire,vt inibi facinora & miracula Domini pro Iiſraele facta memorantes, Deo gratias dignas, quoad eius fieri poteſt,agerent, ſeſeque ſtudio veræ pietatis & innocentiæ accẽderent. Inuitat ad laudandum Deum,& inuocandum nomen eius:id eſt profitendum,ipſum eſſe à quo ſunt & ſeruãtur omnia:qui eſt veriſſimus Dei cultus. vnde קרא בשם inuocare nomen Dei, pro colere Deum, ſæpe vſurpatur. Quum autem Deus

ex factis ſuis cognoſcatur, iubet de his loqui, hoc eſt ea celebrate, indéque Domino patratori eorum laudem canere. Vocat hæc *mirabilia*. nec enim iniri ratio poteſt ſapientiæ & bonitatis quæ in illis relucet. Vtque mirificè in eiſdem ſemper eminet Dei erga nos amor atque indulgentia, appoſitè ſubiūxit, *Gloriamini in nomine ſanctitatis eius*: id eſt in præclara illa Dei maieſtate quæ ſe vbique in veſtram ſalutem tam mirificè oſtentat. *Et lætetur cor eorum*: quòd hac ritè cōſiderata, omnino fieri neceſſe eſt. Quis enim non impēdiò lætetur agnoſcens ſuum Deū & patrem eſſe, & tanta quæ fecit, & facere paratus eſt, in ſalutem ſe colentium fieri? Statim itaque ad hunc cultum hortatur, *Inquirite*, inquit, *Iehouam & robur eius*, id eſt Arcam fœderis: quam Iehouæ nomine vocari, dixi in verſu 7 Pſalmi 24. Dici autē & robur eius, annotaui in verſu 3 Pſalmi 63. Abundè idem probat verſu 71 Pſalmi 78. Eandem verò Arcam vocat & faciem Dei, vt & Pſalmo 95.

5 *Memores eſtote mirabilium eius quæ fecit, portentorum eius, & iudiciorum oris eius.*

6 *O ſemen Abrahæ ſerui eius, filii Iaacob electi eius.*

7 *Ipſe Iehouah Deus noſter, in omni terra iudicia eius.* Ad recordationem eorum miraculorum quæ peculiariter pro Iiſraele Dominus fecit, hortatur, eáque vocat & portenta: nam ſæpe admirandis & inſolētiſſimis rationibus Deus ſuis adfuit. Eadem appellat iudicia oris Dei: nam eo ita decernēte atque iudicante, miracula illa pro Sanctis edita fuere. A. Ezra intelligit *portenta*, quibus Deus afflixit AEgyptios: *iudicia oris eius*, quæ Iiſraeli protulit in monte Sinai. Kimhi pro eodem accipit portēta & iudicia, nempe quæ Dominus deſignauit in AEgypto, Deſerto, & in ducēdo populū in terram Chenaan. Et putat hæc ideo à Pſalte portenta & iudicia oris Dei hîc dici, quòd antequam fierent, ea per ſeruos ſuos Moſcheh & Aharō prænuntiarit ac promiſerit, imò & verbo eorum effecerit. Appellando populum, vocat ſemen Abrahæ ſerui Dei, & filios Iaacob electi Dei: quo voluit admonere Diuinæ dignationis qua eū ſibi in ſeruū elegit, non ex ipſius ſolùm familia, ſed tota hominum vniuerſitate. deinde & Iaacob, reiecto fratre primogenito Eſau. Tum enim ſe Deum populi ſelecti conſtituit, licet eius iudicia, id eſt poteſtas ac regnum in omni terra ſemper obtineat. de quo canit verſu 7.

8 *Memor fuit in ſeculum fœderis ſui, verbi [quod] mandauit in mille generationes:*

9 *Quod excidit cum Abraham & iuriſiurandi ſui ad Iiſahac.*

10 *Et ſtatuit illud Iaacob in legem, & Iiſrael fœdus ſempiternum:*

11 *Dicendo, Tibi dabo terram Chenaan, funiculum hæreditatis veſtræ.* Canit fidem Dei, quæque promiſcuè ſanctis Patribus fœdere cum illis icto pleniſſimè præſtiterit. Ictum fœdus cum Abraham legimus Geneſ. 17. a. 2: cum Iiſahac, Geneſ. 26. a. 3: cum Iaacob, Geneſ. 27. c. 13. Leges fœderis erant vt eſſet ipſe illorum Deus, & viciſſim illi ipſius populus, vt in iam adductis locis apertè legitur. In ſignum autem huius & promiſit, & dedit illis poſſeſſionem terræ Chenaā: de quo canit verſu 11. In verſu 9 dixit ישחק pro יצחק, ש pro צ poſita. Nam literæ quæ eiuſdem ſunt exitus, (vt loquuntur) id eſt eiſdem ferè inſtrumentis proferuntur, interdum inter ſe permutari ſolent. Iam ש & צ inter eas ſunt literas quæ dentales vocantur, quòd dentium potiſſimum miniſterio reddantur. Verſu 10 indicat hanc fuiſſe populo à Deo datam legem, fœderiſque quod cum eo icerat, rationem quam vnicè Deus exegit, vt fœdus hoc coleret, Dominum Deum ſuum agnoſcens, ſéque populum eius præſtans.

12 *Quum ipſi eſſent homines numeri, ſicut modicum, & aduenæ in ea:*

13 *Et tranſirent de gente ad gentem, de regno ad populum alterum:*

14 *Non permiſit hominem eis nocere, & caſtigauit propter eos Reges:*

15 *Ne attigeritis unctos meos, & Prophetas meos nolite lædere.* Memorat prima Dei in Iiſraelē beneficia, quū adhuc exiguo numero, hoc eſt, vt Hebræi loquuntur, homines numeri, id eſt eſſent perpauci, & in terra quæ deſtinata eis erat in hæreditatē aduenæ, quū de regione in regionē migrarēt. Tum ſanè quantumvis ſic haberent vt quorumvis iniuriis obnoxii eſſent, eam tamen illorum curam Deus egit vt nemo lædere eos potuerit. nam & Reges, nempe Pharaonem regem AEgypti, & Abimelech regem Palæſtinæ, quòd illorū vxores etiam inſcientes ſibi ſumpſiſſent, caſtigauit, teſtatus eſſe illos ſuos vnctos & Prophetas, quos ſcilicet in hoc ſibi delegiſſet vt ſoli mortalium, gratū ſibi cultum exhiberēt, & oracula ſua exciperent, aliiſque renuntiarent, ſéque ipſum precibus placarent: quod ſcilicet munus Prophetarum eſt. hæc legimus Gene. 12, 20, & 26.

16 *Et vocauit famem ſuper terram, omnem baculum cibi fregit.*

17 *Miſit ante eos virum, in ſeruum venūdatus eſt Ioſeph.* Trāſit ad celebrandum beneficium Dei quod Iiſraeli præſtitit per Ioſeph, cuius hiſtoriam legimus Gene. 39, 40, & 41. Obſeruādum verò famē à Deo vocati: agnoſcamus ergo ab ipſo vno nos paſci. Virgā panis pro ſuſtētatione panis dixit: ducta inde metaphora quòd gradientes baculo nitantur. Sic Ieſchaiah 3, משען לחם, id eſt gubernaculum panis, dixit. Singulari verò Dei cōſilio, & in bonum cum ſibi, tum ſuis miſſum ſe in AEgyptum (id quod canit verſu 17.) Ioſeph ipſe quoque teſtatus eſt fratribus, his verbis, Gen 45. b. 5,

Ne affligat, néve doleat vobis quòd me huc vendidiſtis: nam vt in vita vos ſeruarem, miſit me Deus ante vos. Et quũ mortuo patre, impietatis ſuæ in ipſum commiſſæ orarent veniam, Ne, inquit, timeatis: nam velut Dei loco habeor. Vos quidem iuſtitueratis contra me malum, at Deus vertit illud in bonum, vt efficeret quod præſens dies teſtatur, & ſeruarem in vita populum multum. Memorandum ſanè exemplum, quod vtinam liberet nobis ſemper imitari. Sic enim habẽt cũcta de nobis Dei erga ſuos conſilia, vt habuit hoc quod de Ioſeph ſæpiſſimè iam prædicamus, Tantùm in bonum ſinit nobis accidere quicquid accidit, quãlibet improbi mala ſint in nos voluntate, quibus ille vt virgis ad caſtigandum nos vtitur. Gen.50.c.19.

18 *Afflixerunt pedes eius in compedibus, [in] ferrum uenit anima eius.*

19 *Vſque ad tempus [quo] uenit uerbum eius, ſermo Iehouæ examinauit eum.* Memorat quibus malis oportuerit antea exerceri, ac probari Ioſephum, quàm Deus eo populi ſui ſeruatore vteretur, in principalem dignitatem euecto: præter carceris moleſtiam, ferre eum compedes, & ferreis catenis atteri corpore. נפש, quod aliàs animam ſignificat, pro corpore dixit. Deeſt etiam ב, præponenda dictioni ברזל, quæ ferrum ſignificat: dicere enim voluit corpus eius veniſſe in ferrea vincula. Sicque cruciari virum innocẽtem neceſſe fuit ad id vſque tempus quo venit (nimirum ad Pharaonem) דברו, id eſt verbum eius, hoc eſt quid hominis eſſet, vtque vaticinandi facultate valeret, qua pincernæ ſcilicet & piſtori ſomnia ſua interpretatus fuerat. Hic ſermo Iehouæ, quem nimirum Iehouah illi cõtulerat probauit, & vero Spiritu præditum illum declarauit, vt iam verus Vates haberetur. Sic Hebræi enarrant hunc locum. Mihi autem videtur per *verbum* Ioſeph, deſtinatam ei Diuinitus ſortem rectè intelligi. Dum ergo definitum huic tempus adueniret, ſermo Dei, & decretum de illo exercuit, probauitque eum per varia mala iactatum. Niſi quis velit per ſermonem Dei intelligere ipſa vaticinia quibus primùm fratribus ſuis inuiſum ſe reddiderat, & in omnem calamitatem abiecerat. Quæ rurſus aucta fuit quum honeſtatem, fidem, & religionem prodere nollet, ſermoni Dei inhærens.

20 *Miſit Rex, & liberauit eum: moderator populorum, & ſoluit eum:*

21 *Poſuit eum dominum domus ſuæ, & moderatorem in omni poſſeſſione ſua,*

22 *Vt erudiret principes eius in anima ſua, & ſenatoribus eius ſapientiam ſuppeteret.* Quum veniſſet verbũ Ioſephi, vel vt noteſceret Regi quãtus Vates eſſet, ſiue quam ſortem Dominus ei deſtinaſſet, miſit Rex pro eo, nec ſolùm eripuit eum, ſed etiam dominum ac moderatorem domus ſuæ, imò totius regni cõſtituit. ita enim dicebat ei, Præeris domui meæ, & ad imperiũ oris tui parebit omnis populus meus, vno ſolio te anteibo. Et rurſus, Et conſtitui te ſuper omnẽ terram AEgypti. Et iterũ, Ego ſum Pharcho, præter tuam voluntatem nemo attollet manum, vel pedem ſuum in tota terra AEgypti. Tum ſanè calamitatibus ſuis, ceu igni ereptus, in tam præcellentem dignitatem (defæcato iam argento ſimilis) eſt euectus. Hæc dignitas quanta fuerit, explicat verſus ſequens, *Vt erudiret principes ſuos in anima ſua:* id eſt pro voluntate ſua. nam נפש pro voluntate animi dixit: ſicut ſolet quum inducit precari Sanctos ne tradantur animæ, id eſt voluntati malorum. Chaldæa paraphraſis, & Græci, ad hunc ſenſum præſentem locum legunt. Hebræi quoniam אסר hîc eſt, non יסר, vt vincirent legunt: ſed quum י & א inter ſe tranſmutari ſoleant, & ſequenti particulæ, *Et ſeniores eius ſapientiam doceret*, magis quadret legere, Vt erudiret, quàm vt vinciret: viſum eſt Græcorum hîc verſionem ſequi. Gen.41.e.39, & 44.

23 *Et uenit Iiſrael in AEgyptum, & Iaacob aduena fuit in terra Cham.*

24 *Et auxit populum ſuum ualde, & reddidit eum ualentiorem infeſtis ipſi.* Ingreſſus Iaacob in AEgyptum quem canit verſu 23, deſcribitur Gene.46. AEgyptum vocat terram Cham, quòd huius filius fuerit Mizraim, vnde AEgyptus cœpit incoli. Notat autem ſimul hanc gentem impietatis primi ſui conditoris. Populi autem incrementum, de quo eſt verſu 24, legitur Exod.1 a.7, his verbis, Et filii Iiſrael germinarunt more reptilium, plurimi prouenerunt, multi facti ſunt, & numero inualuerunt multo plurimum, & repleuerunt terram ſuam. Vide quanta auxeſi auctos Iiſraelitas hîc Scriptura teſtetur. Hinc canit hoc loco, *Fecitque ualentiorem iis qui erant illi infeſti*: id quod rex AEgypti ipſi quoque fatebatur, quum ſuos ad opprimendum illos exhortaretur, En (inquiebat) populus filiorum Iiſrael multus eſt, & valẽtior nobis. Hinc verò diſcamus vt ſuos Dominus tum maximè euehat quum à mundo grauiſſimè premuntur.

25 *Vertit cor eorum ut odirent populum ſuum, ut machinarentur contra ſeruos ſuos.* Tranſitum facit ad memorandum Dei beneficium, quo ex AEgypto populum rurſus potenti brachio ſuo eduxit. Illud autem nonniſi antea humiliati, & quum iam plus nimio fuiſſent ab AEgyptiis attriti, conſequi nõ potuerunt. nec enim poteſt vera populo Dei gloria contingere, niſi carne hac penitus confecta. Ipſe ergo ſuis immittit qui eos exerceant, carnẽmque eorum obterant. vnde canit hîc Pſaltes, *Et uertit*, nempe Deus, *cor illorum, ut haberent odio populum ſuum.* Vide, populus Dei eſt, & ipſe tamen concitat impios vt odiant illum. Obſerua hinc, omnem hominum & fauorem & odium, ab vno Deo proficiſci. Exo.12 b.9

26 *Miſit Moſcheh ſeruum ſuum, Aharon quem elegit.*

27 *Poſuerunt in eis uerba ſignorum eius, & portenta in terra Cham.* Vt verò Deus fidus eſt, ita non ſinit affligi ſuprà quàm queat ferri: & in tempore etiam, dum adhuc malis exercendi ſumus, ne illis frangamur, mittit qui conſolentur. Hac cauſa miſit oppreſſis nimio iam Iiſraelitis, conſolatores Moſcheh & Aharon: id quod canit verſu 26. Quóque efficacior eſſet horum conſolatio, facultatẽ eis dedit mira edendi portenta. id canit verſus 27. Nam quod dicit, *Poſuerunt ſigna*, ad Moſcheh & Aharon referendum eſt: illud autem, *in eis*, refertur ad AEgyptios.

28 *Miſit tenebras & obtenebrauit, nec repugnarunt uerbis eius.* Enumerat portenta quæ Dominus per manum iſtorũ edidit, non tamen omnia, nec ordine quo Sancta hiſtoria. de his & in Pſalmo 78. Tenebræ de quibus hic primùm meminit, nona vltio fuit. Altera particula huius verſiculi 28, *Et non repugnarunt uerbis eius*, ambigua eſt. Quidam eam referunt ad Moſcheh & Aharon, qui quanlibet periculoſum erat tãtum regem ſic prouocare, iuſſis tamen Domini obtemperarunt. Quidam ad ipſa portenta referunt, quæ illicò ad iuſſa Dei per Moſcheh & Aharon edita apparuerunt. Prior ſenſus videtur ſimplicior: teſtatur nanque Scriptura, & timuiſſe primùm Moſcheh, & Pharaonẽ ſubinde dira quoque illis minatum.

29 *Conuertit aquas eorum in ſanguinem, & occidit piſces eorum.*

30 *Redundauit terra eorum ranas, in cubiculis regum eorum.*

31 *Dixit, & uenit inſectum: pediculi in omni termino eorum.*

32 *Dedit pluuias eorum grandinem, ignem flammarum in terra eorum.*

33 *Et percuſſit uitem eorum, & ficum eorum, & fregit arborem termini eorum.* Verſio aquarum in ſanguinem, de quo verſus 29, prima vltio fuit. Ranæ de quibus verſus 30, ſecunda. Turba inſectorum, de quibus verſus 31, quarta. Pediculorum malum, de quo in eodem verſu, tertia. Tẽpeſtas, de qua hic verſus 32 & 33, ſeptima fuit. In verſu 33, quum גפן, ficum cum vite iungit, ſatis liquet in Pſalmo 78, verſu 47, שקמותם pro manſuetis, germaniſque ficubus, non pro fatuis dictum eſſe.

34 *Dixit, & uenit locuſta, & bruchus, & non numerus.*

35 *Et comedit omnem herbam in terra eorum, & comedit fructum ſoli eorum.*

36 *Et percuſſit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis uirtutis eorum.* Locuſtæ & bruchus, de quibus verſus 34 & 35, octaua vltio fuit. Interfectio primogenitorum, de qua verſu 36, decima. In hoc verſu dicit, ראשית לכל אונם, id eſt primitias de omni virtute eorum. Verſus autem 51 Pſalmi 78, ſimpliciter ראשית אונים, id eſt primitias virtutum, habet. Virtus autem hic pro generandi virtute dicitur. Sic Iaacob dicebat de Ruben primogenito ſuo, ראשית אוני, id eſt primitiæ virtutis meæ, Gene. 49.a.3. Quum itaque primogenita, & pecorum & filiorũ AEgyptiis interierint, quo exprimerem hac poſteriori particula propriè filios ſignificari, reddidi primitias pignorum. De his portentis, quibus afflicta AEgyptus fuit, legitur ordine à capite 7, vſque ad 12 Exodi.

37 *Et eduxit eos in argento & auro, & non in tribubus eius impingens.*

38 *Læta eſt AEgyptus in profectione eorũ, quia ceciderat pauor eorũ ſuper eos.* Onuſtos diuitiis AEgyptiorum eductos Iiſraelitas, de quo canit verſu 37, memorat Sacra hiſtoria, Exodi 12. In quo obſeruãdum vt Dominus operas ſuorum & moleſtiam ex facultatibus AEgyptiorum rependerit, inuitis etiam AEgyptiis. quos quum ex iuſſu Domini fefellerunt, adeò nihil iniqui admiſerunt, vt grauiter peccaſſent niſi ita fefelliſſent: non minus quàm Schaul ſua in regem Amalekitarum præpoſtera clementia peccauit. Apertè & ſynceriter cum omnibus etiam hoſtibus agendum, niſi ſecus iubeat cuius toti ſumus. Ita nemo quoque lædendus eſt: at quum ſecus iuſſerit Deus, iam impia eſt miſericordia quæ parcit. Impia itaque fuiſſet veritas, ſi Iiſraelitæ iuſſi à Domino, fallere noluiſſent. Quòd verò ait, *Non fuiſſe in tribubus eius*, nempe Dei, *impingentem*: intelligit pauperem, afflictum, habentem miſerè. Circa verſum 38, notanda rerum immutatio. Tam raris & tremendis ſignis adduci AEgyptii vt dimitterent populum Dei, non poterãt: tandem autem acti malis ſuis, vrſerunt etiam illos vt abirent, multúmque lætati fuerunt quum abiiſſent.

39 *Expandit nubem ad obtectionem, & ignem ad lucendum nocte.* De ducatu nubis & ignis, de quo hic verſus canit, habet Sancta hiſtoria Exodi 13. Tum autem ſigno viſibili oſtendit Deus vt inuiſibiliter ſuis perpetuò adeſſe, eóſque ducere ſoleat.

40 *Petiit, & uenit coturnix, & pane cælorum ſatiauit eos.*

41 *Aperuit rupem & defluxerunt aquæ, decurrerunt in deſertis flumina.* Quæ canit verſu 40, de coturnicibus & Man, leguntur Exodi 16, verſ. 13, 14. Eadem canit & Pſalmus 78. Eo miraculo declarauit Deus vt ſuos alturus ſit, ſi etiam nihil in orbe ſupereſſe videatur vnde paſci poſſint. Miraculum aquæ datæ in Raphidim, de quo Exo. 17, canit verſus ſequens: de quo & in Pſalmo 78.b.15.

42 *Quia memor fuit uerbi ſanctitatis ſuæ cum Abraham ſeruo ſuo.*

43 *Et eduxit populum ſuum in lætitia, in ouatione electos ſuos.* His autem miraculis quæ Vates memorauit, potenter adeò Iiſraelem adſerẽdo, & per deſertum ducendo, declarauit Deus quàm ſanctè fœ-

dus cum Abraham ictum coluerit. id quod canit verſu 42. *Lætitiam & onationem*, de qua verſu 43, memorat Sacra hiſtoria Exodi 15.

45 *Et dedit illis terras Gentium, & laborem populorum hereditarunt.*

45 *Propterea cuſtodiunt ſtatuta eius, & leges eius obſeruabunt. Halelu-iah.* Vt terram Chenaā illis Dominus ex pacto tradidit, quo leges & ceremonias eius obſeruarent, narrat liber Iehoſuah. Ex eo autem quòd tam multis antea exerciti, & multo tempore per deſertum ducti fuerunt, indicat electos itē variis probari malis oportere priuſquā ſuperna quiete, & cælorum poſſeſſione donētur.

PSALMVS XCVI, ἀνεπίγραφος.

Populus Dei ob peccata ſua per diuerſas Gentium nationes diſperſus, ad laudandum Dei bonitatem, quærentibus ipſum ſemper expoſitam, ſeſe hortatur: & in hoc memorat maiorum ſuorum peccata: & contrà, Dei beneficia, quæ illis & in deſerto, & poſtea in terra Chenaan, mira benignitate exhibuit. ARGVM.

1 LAudate Exiſtentem, celebrate Iehouam: nam beneuolus eſt, nam bonitas e- PARAP.
ius in ſempiternum extat.
2 Quis eloquatur facinora Iehouæ? quis enarret cunctas laudes eius?
3 Fœlices qui obſeruant æquitatem, ſtudent iuſtitiæ omni tempore.
4 Memor ſis mei ô Iehouah, dignatione quam tuo populo promiſiſti: inuiſe
me ope quam es pollicitus:
5 Vt oblecter videns bona electorū tuorum, vt læter ex lætitia gētis tuæ, vt glo-
rier cum populo quem tibi iure hæreditario vendicaſti.
6 Deliquimus cum patribus noſtris, iniquitatē admiſimus, egimus improbé.
7 Patres noſtri in AEgypto non intellexerunt mirabilia tua, multæque boni-
tatis tuæ non fuerunt memores, rebelles fuerunt apud Mare, in Mari caricoſo.
8 Attamen ſeruauit eos propter nomen ſuū, vt celebrem redderet virtutē ſuā.
9 Increpuit Mare caricoſum, & exiccatum eſt: & duxit illos per abyſſos, tan-
quam per deſertum.
10 Seruauit eos è manu odientium, & redemit eos è manu hoſtili.
11 Et aquæ operuerunt infeſtos illis: ne vnus quidem ex eis relictus eſt.
12 Tum fidem habuerunt verbis eius, & cecinerunt ei hymnum.
13 Præproperè obliti ſunt operum eius, non ſuſtinuerunt pendêre à cōſilio eius:
14 Exarſerunt concupiſcentia in deſerto, & tentauerunt Deum in ſolitudine.
15 Et dedit illis quæ petierant: immiſit autem tabem in corpora eorum.
16 AEmulati ſunt Moſcheh in caſtris, & Aharon Sanctum Iehouæ.
17 Aperuit ſe terra, & abſorpſit Dathan, & obtexit concilium Abiram:
18 Corripuit ignis cœtum eorum, flamma incendit improbos.
19 Fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt fuſile:
20 Et permutarunt decus ſuum ſimilitudine bouis edentis herbam.
21 Obliti ſunt Dei ſeruatoris ipſorum, eius qui magna in AEgypto patrarat:
22 Miraculorum in terra Cham, oſtentorum terribilium quæ patrauerat in Ma-
ri caricoſo.
23 Et cogitarat exterminare illos, niſi Moſcheh electus eius corā eo ſequeſtrem
ſe conſtituiſſet, diuulſos reconcilians, flagrantémque indignationem eius ſe-
dans, ne perderet illos.
24 Aſpernati ſunt deinde terram deſiderabilem, nec habuerunt fidē verbis eius.
25 Turbauerunt ſeditioſè in tabernaculis ſuis, non auſcultarunt Iehouæ.
26 Elata manu ſua iurauit illis vt proſterneret eos in deſerto:
27 Vt proſterneret poſteros eius inter Gentes, & diſpergeret eos in regionibus.
28 Adiuncti ſunt Baal-Peor, & ederunt ſacrificia mortuorum.
29 Irritarunt factis ſuis, & graſſata eſt in eos vltio.

30 Tum adſtitit Pinehas,& vindicauit,vltionémque continuit:
31 Id ei iuſtitiæ datum eſt per omnia ſecula vſque in ſempiternum.
32 Prouocauerunt quoque Deum apud Aquas iurgii, & multatus eſt Moſcheh propter illos:
33 Nam offenderant ſpiritum eius,& perperam loquutus eſt ore ſuo.
34 Non vaſtarunt quoque populos de quibus illis Iehouah præceperat.
35 Commixti ſunt Gentibus,& didicerunt opera eorum:
36 Et coluerunt idola illorum,quæ fuerunt ipſis vice laquei.
37 Et mactarunt filios ſuos,& filias ſuas dæmoniis:
38 Effuderunt ſanguinem innoxium, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum quas mactarunt idolis Chenaanitarum,& polluta eſt terra ſanguine.
39 Prophanati ſunt per opera ſua,& proſtituti factis ſuis.
40 Et ſuccenſa eſt ira Iehouæ contra populum ſuum, & auerſatus eſt hæreditatem ſuam.
41 Et tradidit eos in manus Gentium,& dominati ſunt illorũ qui odiebãt eos:
42 Et oppreſſerunt illos hoſtes eorum,& ſubiecerunt poteſtati ſuæ.
43 Multis vicibus liberauit eos:ipſi autem rebelles fuerunt conſilio ſuo,& attriti ſunt in iniquitate ſua.
44 Et aſpexit quum infeſtarentur,audiuítque clamorem illorum.
45 Memor fuit erga illos fœderis ſui, & recepit ſe ab indignatione ob multam bonitatem ſuam.
46 Et effecit vt eos qui tenebant ipſos captiuos,illorum miſereſceret.
47 Serua nos ô Iehouah Deus noſter,& collige nos è Gẽtibus,vt celebremus nomen ſanctum tuum,& laudemus te hymnis tuis.
48 Laudetur Iehouah Iiſrael à ſeculis vſque ad ſecula: & dicat omnis populus, Amen. Halelu-iah.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Laudate Iah. Celebrate Iehouam, quia bonus, quia in ſeculum benignitas eius.*
2 *Quis eloquatur fortitudines Iehouæ, enarret omnem laudem eius?*

3 *Fœlicia obſeruantibus iudicium, facienti iuſtitiam in omni tempore.* Commemoratio bonitatis Diuinæ, fiduciam in Deum & amorem, ac inde omne pietatis ſtudium mirum in modum accẽdit, auget, prouehit. ideo hanc initio ſtatim, vt cauſam cur ſumma religione celebrari ab omnibus Deus debeat, memorat: tantámque eſſe prædicat vt non ſolùm in omne æuum extet, ſed à nemine etiam poſſit ſatis enarrari, id quod habet verſus 2. Huius autem quantlibet immenſæ & ſempiternæ bonitatis, quoniam nulli participes, nedum idonei præcones eſſe poſſunt, niſi qui fide eam deguſtarunt, adeò vt iam & æmulari ſtudeãt: illicò ſubiecit, *fœlices eſſe qui obſeruent iudicium, & faciant iuſtitiam:* hoc eſt (vt aliquoties dictum) ex æquitate & iuſtitia facere omnia ſtudeant.

4 *Memor ſis noſtri, ô Iehouah, in beneplacito populi tui, redime me ope tua,*

5 *Ad uidendum in proſperitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ad gloriandum cum hæreditate tua.* Inducit ſeipſum Pſaltes precari (quo tamen cuiuſque Sancti ex populo vota expreſſit) vt tandẽ Dominus promiſſam populo ſuo beneuolẽtiam exhibeat, & collectum rurſus ſeruet, vera iuſtitia & ſalute donatum. Vnde verſu 5 ſubiicit, *vt uideam in proſperitate electorum tuorum:* hoc eſt (vt reddidi) oblectet vidẽdo res illorũ fœliciter habere. De quo loquẽdi modo, dictum verſu 18 Pſalmi 22. Hæc precatio eadem eſt cum illa, Adueniat regnum tuum. externa ſiquidem proſperitas non rarò impiis multo contingit cumulatior: vtcunque illis propter animi rectè vti ea neſcientis, vera proſperitas non ſit. Solet autem Scriptura ab iis bonis & prædicare Deum, & accendere in Sãctis pietatis ſtudiũ, quæ habẽtur notiora, & in quibus Dei bonitatem perpetuò ſentimus. Sed quia vbi deeſt rect⁹ animus, nihil prorſus bonorũ ſentiri poteſt: ideo quoties externa bona Scriptura memorat, ea intelligit quæ ſtudium conſequuntur regni & iuſtitiæ Dei. Hinc nanque gẽs Dei ſolidam demum percipit lætitiam, & gloriatur ſeriò. Huiuſmodi igitur populo Dei proſperitatem, lætitiam, & gloriationem precatur, ſeſéque eius in his fieri conſortem optat.

6 *Peccauimus cum Patribus noſtris, iniquè egimus, improbitatem admiſimus.* Confitetur nomine populi, ipſius,& Patrum peccata, volens ex eo quòd Deus Patribus toties ſe offendentibus, promiſſa ſua nihilominus præſtitit, & malitiam eorum ſua bonitate vicit, ſpem ſibi & ſuis firmare, eum & ipſos tandem reſpecturum, vtcunque eum cum Patribus impietate ſua plus nimio irritaſſent.

7 *Patres noſtri in AEgypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores amplæ benignitatis tuæ: & rebellarunt apud Mare, in Mari caricis.* Incipit peccata Patrum, & contrà, Dei in illos beneficia memorare. Et primùm quòd in AEgypto mirabilia Dei, ipſis per Moſcheh oſtenſa, ritè intelligere non ſuſtinuerunt, vt nimirũ Dei erga ipſos bonitatẽ, tum in omnia omnipotentiam verè agnouiſſent. Nam quum auditæ per Moſcheh Dei promiſſioni, viſis ſignis, fidem habere ſe profeſſi eſſent,& adoratione, velut de oblata ope, gratias Domino egiſſent(id quod legimus Exodi 4. g.31,)nihilominus ſimulatque pluſculum grauari ab AEgyptiis cœpiſſent, expoſtularunt cum Moſcheh & Aharon, tanquam impoſtoribus, qui promiſſa liberatione, effeciſſent vt iam grauius opprimerentur. id legimus Exodi 5.d.21. Deinde quum viſis iam omnibus portentis quæ pro ipſis contra AEgyptios Dominus deſignauerat, atque illos eò cõpulerat vt à ſe egredi ipſos vrgerent, vaſáque aurea & argentea immenſi pretii vtenda dediſſent (huc monẽte eorum corda Domino) fuiſſéntque in his bonitatem in ſe Dei mirum in modum experti: attamen quum apud Mare rubrum hoſtem aduenire ſenſiſſent, omnium horum immemores, dicebant, Num ideo quia non erant in AEgypto ſepulchra, tuliſti inde nos vt moreremur in deſerto? Et rurſum, Nunquid hoc erat quod dicebamus tibi? faceſſe à nobis,& ſine ſeruiamus AEgyptiis. quod vtiq; præſtitiſſet, quàm mori hic in deſerto. Hãc populi incredulitatẽ & ingratitudinẽ canit Pſaltes quũ dicit, Et rebelles fuerũt apud Mare ים,id eſt caricoſũ. על hic idẽ eſt quod אל. Quod ſequitur, *In Mari carioſo*, vel de eadẽ rebellione intelligendũ eſt: vel ſignificat etiã in Mari, forte quum ſe qui viderent & AEgyptios, eos cõtra Dominum murmuraſſe. Quæ adduxi, leguntur Exo.14.c.11.

8 *Et ſeruauit eos propter nomen ſuum, vt notam faceret fortitudinem ſuam.*

9 *Et increpuit Mare caricis, & exiccauit: & deduxit eos per abyſſos tanquam[in]deſerto:*

10 *Et ſeruauit eos de manu odientis, & redemit eos de manu inimici.*

11 *Et operuerunt aquæ infeſtos illorum, unus ex eis non fuit reliquus.* Prædicat Dei bonitatẽ, qui tanta populi incredulitate & ingratitudine, ſe à ſua in illos beneficentia remorari paſſus non fuit: ſtatuerat enim nomen ſuum orbi cognitum facere. huius ergo potius, quàm quid miſeri illi mererentur, conſiderauit: & iſtuc eſt quod canit verſu 8, *ſeruauit eos propter nomen ſuum*: vt illud nimirum illuſtraret,& celebrem redderet virtutem ſuã mundo. Vnde dicebat Exod.14.d.18, Et ſcient AEgyptii quòd ego Iehouah, quum glorificatus fuero in Pharaone, curribus & equitibus eius.

12 *Et crediderunt verbis eius, cecinerunt laudem eius.* Quod prius memorat, nimirũ crediſſe illos verbis Domini, quũ vidiſſent ſe mirificè adeò ſeruatos,& extinctos AEgyptios, legitur Exo.14. g.31. Inſigne verò in hoc populo tam nullo negotio à fide recedenti, hominum non plenè renatorum exemplum propoſitum. ſimulatque Dei virtutem ſentiũt, totos ſe Deo credunt, nihil eſt eis religioſius: mox antẽ vt diuerſum ſentiunt, fumo citius euaneſcit omnis eorum recta de Deo opinio. carnis nanque, non Spiritus iudicio feruntur. Hymnus autem quem tum Domino cecinerunt, cuius altera verſus particula meminit, habetur Exod.15.a.1.

13 *Properarunt, obliti ſunt factorum eius, & non expectauerunt conſilium eius.* Quòd dicit, *properarunt*, videtur notaſſe murmur populi contra Moſcheh exortum in Marah, loco ita vocato propter aquarum in eo amaritudinem. Nam tertio ſtatim die ab eo quo manum pro ſe Dei in Mari rubro, tam inſignem & ſtupendam fuerant experti, contra Moſcheh & Dominum obmurmurarunt: nempe quum tres dies iter feciſſent per deſertum Schur, nec inueniſſent aquas,& eas quas in Marah inuenerant, ſenſiſſent eſſe amaras. Eo autem murmure, quid aliud quàm oblitos ſe operum Dei demonſtrarunt, qui conſilium ſuper ſe Dei non potuerunt expectare vel triduo, toties viſa eius in ſe bonitate pluſquam paterna,& potentia cui etiam Mare ceſſerat.

14 *Et concupierunt concupiſcentiam in deſerto, & tentauerunt Deum in ſolitudine.*

15 *Et dedit illis petitionem ſuam, & miſit tabem in corpus eorum.* Memorat murmur populi contra Dominum pro carnibus, & vltionẽ quam eo in ſe prouocarunt, de quibus legitur Nume.11.a.1. Illud in verſu 15, *Et immiſit in animam illorum* רזון, id eſt maciem vel tabem, notat contrarium impiis votis illorum eueniſſe. faſtidientes enim cibum cælo depluentem, carnium deliciis ſe impinguare concupierant: & verè maciem conſequuti ſunt, dum miſere adeò interirent: maciem enim pro morte dixit. De his cecinit & Pſalmo 78.c.26. Diſcendum autem ex hoc facto, carnem ſemper noxia ſibi cupere,& ſalutaria Dei dona faſtidire.

16 *Et æmulati ſunt Moſcheh in caſtris, Aharon Sanctum Iehouæ.*

17 *Aperuit ſe terra, & vorauit Dathan, & obtexit concilium Abiram:*

18 *Et exarſit ignis in concilio eorum, flamma incẽdit improbos.* Perſtringit hîc coniurationẽ Korah,

Dathan & Abiram, quos terra cum tabernaculis ſuis viuos abſorpſit. Verſu 18, meminit incendii quod vorauit ducentos & quinquaginta proceres Synagogæ qui cum Korah, Dathan, & Abiram coniurauerát. Hinc verò diſcēdum vt ſelectiſſimos ſuos ſubinde Deus exerceat, & rurſus in tempore vindicet, perdens qui ipſis negotiū faceſſūt. Nihil erat Moſe manſuetius, nihil publicis populi commodis addictius, nihil à quoquā accipiebat: tanta tamen laborabat inuidia vt identidem de vita periclitaretur. Porrò ſeditionis hic perſtrictæ hiſtoria, habetur Nume. 16. a. 1.

19 *Fecerunt uitulum in Horeb, & adorauerunt fuſile:*

20 *Et mutarunt ſuum decus ſimilitudine bouis paſcentis herbam.*

21 *Obliti ſunt Dei qui ſeruauerat eos, qui fecerat magna in AEgypto,*

22 *Mirabilia in terra Cham, portentorum ad Mare carictis.* Memorat ſcelus cōflati vituli, cuius hiſtoria legitur Exod. 32. a. 4. Deū vocat decus Iiſraelis, quem mutarunt ſimilitudine bouis veſcentis gramine. Id ab AEgyptiis didicerant, qui ab antiquo boues & vaccas pro diis coluerunt, & in regia ſua Memphi, inſignem illum Apidem. Is, bos erat albus frontem, & quaſdam paruas corporis partes, cætera verò niger: quibus iudicabant qui eſſet ad ſucceſſioné idoneus alio vita functo. Hunc in ſepto quodam alebāt, ante quod erat aula, in qua erat aliud ſeptum matris eius. In eam Apis nonnunquam emittebatur, quū oſtenderent eum peregrinis: quanquam & in ſuo ſepto per feneſtram oſtendi ſoleret, præſertim ſiquando nimium laſciuiret. Vide ſuperſtitionem imitabilem populu Dei, tot, támque ſtupendis portētis, Diuinitatem veri Dei docto. Sed voluit Deus in hoc populo nobis peruerſitatis noſtræ imaginem ob oculos ponere, doceréque quò prolabamur quum ſemel rationi noſtræ indulgere cœpimus. Primùm bonitatem Dei omnibus proſpicientis, cunctáque alentis, quæ ſe ipſam nulla in re non abundè viſendā exhibet, voluerunt præpoſterè ſapientes AEgyptiorū ſacerdotes, peculiariter repræſentare in boue, animali plurimum quidem vili, infinito tamen infra hoc vt Dei imaginem ſingulariter exhiberet. Eo quantum in ipſis fuit, illam in tam innumeris rebus aliis, innumeris modis relucentem, obſcurarunt, effecerúntque vt quem vbique colere populus debuerat, tantùm in boue Deum adorarent: quo ſimul & religione, metúque eius in aliis locis fuerunt ſoluti. Quo quid æquè inſanū & pernicioſum? At tamen hæc imitanda ſibi duxit populus ſelectus Dei, cui ſe Deus tam inauditis oſtentis, ac inæſtimabili dignatione inſinuarat. Rectè ergo cecinit hîc Pſaltes verſu 21 & 22, *Obliti ſunt Dei ſeruatoris ſui, quæ in AEgypto ingentia pro eis fecerat, mirabilia in terra Cham,* &c. His autē notauit illud eorū impiū & irridandū de vitulo præconiū, Iſte eſt Deus tuus Iiſrael, qui eduxit te è terra AEgypti. Exo. 32. a. 4.

23 *Et dixit ut diſperderet eos, niſi Moſcheh electus eius ſtetiſſet in diuulſione coram eo, ad remouendum indignationem eius à perdendo.* Notat illud dictū Domini ad Moſcheh, Sine me vt ſuccēſeat ira mea contra eos, vt conſumā eos, & faciam ex te venire gentem magnā. tum precem qua Moſcheh Deum placauit, quæ item legitur Exod. 32. c. 11: ea ſe ille conſtituit in diuulſione, id eſt ſequeſtrū inter Deum & populū, qui ſua impietate à Deo defecerat, ac ita, quod cum illo icerat, fœdus ruperat, ſeque ipſum à dignatione Domini diuulſerat. Ita autē interceſſit Moſcheh vt peteret ſe deleri è libro vitæ, niſi Deus populo ſcelus illud remitteret. In quo & Chriſti ſeruatoris imaginem exhibuit, & docuit quo quiſque pro fratribus animo debeat eſſe.

24 *Et auerſati ſunt terram expetibilem, non crediderunt uerbo eius.* Memorat quæ legimus Nume. 14. a. 2, de murmure & ſeditione populi excitata, quum exploratores renuntiaſſent terrā Chenaan optimam quidem, ſed ipſis inuincibilem. optabant enim mori potius in ſolitudine, quàm terram à Domino promiſſam, & optimam ingredi, iámque parabant reuerti in AEgyptum. Hunc terræ optatiſſimæ contemptum notauit Pſaltes, quum dicit verſu 24. Et auerſati ſunt terram optabilem, nec crediderunt verbis eius, qui nimirum teſtatus fuerat ſe illam eis traditurum.

25 *Et ſeditioſè egerunt in tabernaculis ſuis, non audierunt uocem Iehouæ.* Seditionem notat quam excitarunt, volentes Moſcheh, Aharon, Iehoſua, & Caleb, qui illis terram promiſſam commendabant, & à furore reuocabant, lapidare, verſu 25, quum ait, *Turbarunt*: hoc eſt, more clancularii ſuſurronis, homines inter ſe committentis, ſeſe inuicem in ſeditionem excitarunt. Eadem voce vſus eſt Moſcheh, Deut. 1. e. 27, vbi hoc ipſum populi murmur memorat, ותרגנו באהליכם, id eſt falſis ſuggeſtionibus vos inuicem in tabernaculis veſtris turbaſtis, & cōmouiſtis, quum diceretis, Iehouah ex odio nos è terra AEgypti adduxit, vt traderet in manus Amorrhæorum, & exterminaret nos.

26 *Et attulit manum ſuam contra illos, ut deiiceret eos in deſerto:*

27 *Et ut deiiceret ſemen eorū inter Gētes, & diſpergeret eos in regionibus:* Quod ait, *Et leuauit manum ſuam,* idem eſt quod iurauit. iurātes enim manū attollere ad cælos ſolent. Plenior eſt hæc anthropopathia, Deut. 32. f. 40, Attollā ad cælos manū meam, & dicam, Viuo ego in ſeculū. Iuramentū verò quod hîc Vates memorat, ſic Nume. 14. e. 28, deſcribitur, Viuo ego (inquiebat Iehouah) omnino vt loquuti eſtis, me audiēte, ita faciā vobis: in deſerto hoc cadēt cadauera veſtra, &c. Eiuſdē iuramēti meminit verſu vltimo Pſalmi 95. Quod præterea habet verſu 27, iuraſſe Dominū vt populū

per regiones Gentiū diſpergeret,liber Numerorū non babet:at quū Pſaltes id narret,non poteſt eſſe vanum. Vnde & hinc coniectura eſt,pleraque vetuſtatis monumēta,præter Hiſtoriā Legis, tempore exilii Babylonici,quo hic Pſalmus videtur eſſe cōpoſitus,extitiſſe. Porrò & res ipſa,quā etiam Hiſtoria Legis narrat, ita vt Pſaltes canit, habere probat.nā legimus eodē capite,14.g.40, in libro Numerorū,conatos Iiſraelitas poſt prohibitionem Domini,aſcendere in terrā promiſſam, ab Amalekitis & Chenaanitis (qui in montibus habitabant)fuiſſe cæſos,& in fugam actos vſque ad Hormah.in qua fuga indubiè multi eorum fuerunt capti. Tum legitur eodē libro,capite 21.a.1, & regem Arad Chenaanitem, prædam ex eis abegiſſe.Notanda verò in hoc exemplo carnis peruerſitas,quæ dum vocat,& opem promittit Deus, timet: quum reiicit, & opem negat, audet. Docemur item,Deum ſua nō abſque periculis dare, quo diſcamus ipſo verè fidere. neque enim poteſt apparere quid Deo fidamus dum nihil eſt aduerſi. Obſeruādum etiam in his exploratoribus quid ad malum valeant impii legati & renuntiatores.

28 *Et copulati ſunt Baal-Peor,& comederunt ſacrificia mortuorum.*

29 *Et irritarunt in factis ſuis,& perrupit in eos ultio.* Quæ narrātur duobus iſtis verſibus,& duobus ſequētibus,legūtur Num.25.a.3. Dicit ויצמדו,quo verbo & Moſcheb quū bæc deſcriberet, vſus eſt: id ſignificat coiugari. A. Ezra poſitū putat ad ſignificandū copulationem cum mulieribus Moabitarum,quæ in cauſa fuit vt Iiſraelitæ ſacrificiis Baal-Peor cōtaminarentur. Vocat verò hæc ſacrificia, *mortuorum*, quòd nihil vitæ haberēt quos illi pro diis colebāt. Vnde autem dictus ſit Baal-Peor,haud planè liquet. Baal dominū & magiſtrum ſignificat: id erat cōmune deorum nomen. Quia autē certis locis certiſque ritibus colebātur, inde ſortiebātur cognomina. Porrò Scriptura videtur illos data opera fœdioribus & cōtemptioribus nominibus appellaſſe:vt 2. Reg.cap.1. a.2,vocat Deū Acherō, Baal-zebub,id eſt magiſtrum,vel dominū muſcæ.ita exiſtimo & dictum Baal פער, id eſt egeſtionis. פער enim Chaldaicè egerere dicitur,Hebraicè autem aperire.

30 *Et ſtetit Pinehas,& indicauit,& fecit ſubſiſtere ultionem:*

31 *Et habitum eſt ei pro iuſtitia in generationem & generationem, uſque in ſeculum.* Vt Pinehæ datum ſit iuſtitiæ & pietati, quòd vltus eſſet ſcelus Zimri principis tribus Schimeon, confoſſo illo cum Cazbi Midianitide,vtque eo vltionem Dei à toto Iiſraele auerterit, qua iam perierant millia viginti quinque, Dominus ipſe teſtatus eſt. ſic enim legimus Nume.25.c.11, eum dixiſſe ad Moſcheh,Pinehas filius Eleazar filii Aharon ſacerdotis, auertit indignationem meam à filiis Iiſrael, eo quòd pro me inter illos zelatus eſt, ne ego zelo meo illos conſumerem. Et ſic pepigi cum illo fœdus pacis,eritque cum ipſi, tum poſteris eius, pactum ſacerdotii in ſempiternum, propterea quòd zelatus eſt pro Deo ſuo, & placauit eū Iiſraeli. Hinc monemur agnoſcere vt placeat Deo pro nomine eius ſuſcepta ſeueritas.

32 *Prouocarunt apud aquas iurgii, ut adfligeretur Moſcheh propter illos:*

33 *Quia exacerbauerant ſpiritum eius,& perperam loquutus eſt labiis ſuis.* Canit de murmure populi pro aquis,quod deſcribitur Nume.20.a.3. Dicit *prouocarunt*, ſubaudiendum eſt, Deum. Quod verò ait, *Moſcheh propter eos mulctatum*, & de Aharon intelligendum eſt. etenim quū in mandatis haberent vt ad petram loquerentur, perturbati iurgiis & inſanis clamoribus populi, id omiſerunt: quúmque non illicò vt petram percuſſerant,aqua emanaret (nam meminit Sacra hiſtoria, quū eam Moſcheh bis cecidiſſet, aquas primùm fluxiſſe) tum neque gloria Domini,ita vt in Raphidim,petram viſibili ſigno operiret, putauerunt Deum offenſum populi impietate, non daturum aquas, quanlibet promiſiſſet. omnino enim illa Moſcheh verba, Heus audite vos rebelles, num petra iſta educet vobis aquas? dubitationem de Domini promiſſo indicant. Multa hic Iudæi diſputant,in quonam peccarint Moſcheb & Aharon. Nos quū Scriptura memoret Deum cum illis expoſtulatum de incredulitate, ambigi non poteſt illos pollicitis eius haud ſatis fidei habuiſſe. Sic ſanè loquutū illis legimus,Propterea quòd nō crediditis mihi,vt maieſtatē meam coram filiis Iiſrael adſereretis,nō ducetis hanc Eccleſiā in terrā quam illis dabo. Huc autem,quia illos populi improbum & impiū iurgium impulit, rectè dixit Vates, Adflictus eſt Moſcheh propter illos, prohibitus ſcilicet ab ingreſſu terræ promiſſæ: idque ſatis luculēter exprimit verſu 33, *Nam exacerbarunt ſpiritum eius, & perperam loquutus eſt labiis ſuis*: quū nimirum intempeſtiuè illos obiurgaret,& ad dubitandū potius de promiſſis Dei,quàm ad credendum illos prouocaret,quum non ſtatim ſucceſſiſſet. A. Ezra verſum 33 ad Deum refert,cuius animū populus impio ſuo murmure vtique exacerbauit: qui etiam dira poſtea loquutus eſt, negando vnicè dilecto & fido ſeruo ſuo Moſcheh ingreſſum in terram Chenaan.

Exod.17.b.6.

Quid peccarint Moſcheh & Aharon vt eis negaretur ingreſſus in terrā promiſſam.

34 *Non diſperdiderunt populos de quibus illis Iehouah dixerat.*

35 *Et commixti ſunt Gentibus,& didicerunt opera eorum:*

36 *Et ſeruierunt idolis illorum,& fuerunt eis in laqueum.* Nunc memorat impietatē populi admiſſam in terra Chenaā. Primùm,nō deleuerūt Gentes quas delere Dominus præceperat: inde im-

mixti eis ſunt,impietatémque eorũ didicerũt,& imitati ſunt:vt ad mẽdacia & vana ſuperſtitionũ
figmẽta,ingenium hominum ſemper,quàm veræ religionis ſtudium,pronius eſt. Hiſtoriam ho
rum habes 2 & 3 cap.Iudicũ. Vocat idola & deos Gentium צנים,id eſt moleſtias,per cõtemptum
ſcilicet: vt oſtendat nihil niſi calamitatem ab illis referri, quũ ſtulti homines ſalutem ſibi ab eis
ſperent. inde dicit, *ceſſiſſe illos populo in laqueum.*

37 *Et mactarunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis:*

38 *Et effuderunt ſanguinem innoxium,ſanguinem filiorum ſuorũ,& filiarum ſuarum quas mactarunt idolis Che-
naan, & polluta eſt terra in ſanguine.* שדים,quorum hic verſu 37,& Deut.32.c.17,meminit,creduntur
dæmones eſſe, in agris potiſſimum ſuas præſtigias exercentes, quibus ideo homines ſacrificare
inſtituerunt. Sacrificiũ liberorũ,cuius meminit hic & ſequens verſus,præcipuè Molech fiebat,vt
ex Leui.20.a.2,& multis aliis Scripturæ locis liquet.Eum putant eundem fuiſſe Hebræis qui La-
tinis fuit Saturnus. Inſaniam hanc quidam exiſtimant ad imitationem Abrahæ à Gentibus ſu-
ſceptam:ſed neque ille ſuũ filium exuſſit,neque videntur Gentes Abrahamum tanti feciſſe vt i-
mitari ipſum ſtuduiſſent. A Satana plures aliæ quoque ſuperſtitiones non minus abſurdæ (etſi
minus crudeles)profectæ ſunt:huic & hanc acceptam referemus.Forſan huiuſmodi cõmentum
ingeſſit, Deo offerendum eſt quod quiſque habet præſtantiſſimum & chariſſimum : iam liberi
pecudibus multo ſunt & præſtantiores & chariores. Stupendum autem,tantum valere ſuperſti-
tionem,quum vera religio ea nequeat apud nos obtinere quæ nobis non minus vſui,quàm lau-
di forent:nempe vitam moderatam, & proximorum vſibus ſeruientem.

39 *Et polluti ſunt in operibus ſuis,& fornicati ſunt in factis ſuis.* Populus ab vno Deo,vt honeſta con-
iunx à ſuo marito,pendêre debebat.dũ igitur tot cum illo,& præ illo ficta numina coleret(non
aliter atque mulier quæ deſerto marito ſuo,varios ſectatur amatores)polluebatur & fornicaba-
tur. Quo ſimili Prophetæ paſſim vtuntur: forſan ideo quòd in ſuperſtitionibus omnino ſimile
quidda videatur furoris qui eſt in amore adulterino. multo enim hic,quàm legitimus,vehemẽ-
tior eſt : nihilque eſt quod non facere & pati cogitet feriò amans. ita nihil eſt adeò ſumptuoſum
quod ab homine non extorqueat ſuperſtitio,quum religio non poſſit obtinere quæ quum planè
ſunt in rem noſtram,nullo omnino conſtant vel ſumptu,vel labore. Cultores illi Saturni adeò
vincere potuerunt paternum animum, vt igne exurerent chariſſima pignora ſua, quũ cultores
Chriſti non ſuſtineat tantùm in loco,liberos ſuos acerbius caſtigare.Sacerdotes Baal potuerunt
ſe conſcindere,vt à corpore ſanguis deflueret:at quotuſquiſque eſt ſacerdotum Chriſti qui cor-
pus ſuum ſeruare ſtudeat à perniciofis tantùm voluptatibus?

40 *Et ſuccenſa eſt ira Iehouæ in populum ſuum,& hereditatem ſuam abominatus eſt.*

41 *Et dedit eos in manus Gentium,& dominati ſunt eorum qui odiebant eos.*

42 *Et obtinuerunt eos inimici eorum,& humiliarunt ſub manum ſuam.* Meritò ſeruiebãt duris & iniquis
dominis qui commodum iugum Dei ſui tam impiè abiecerant.Obſeruãdum autem iræ Diui-
1.Tim.2.a.2. næ argumentum eſſe,opprimi à tyrannis.Inde orãt Sancti, vel Paulo iubente,pro Principibus,
Luc.1.g.7. vt quietam & tranquillam vitam viuere poſſint in omni pietate & honeſtate,hoc eſt(vt Zacha-
rias vaticinatus eſt)liberi è manu inimicorum,ſeruire Deo in omni ſanctitate & iuſtitia. Vt vis
Spiritus Chriſti mundo probaretur, multa cũ perſequutione obtinere oportuit Euangeliũ,vt ſi
id homines ſolidè recipiant,citò exoraturi ſint quod & regno Chriſti propriũ eſſe cecinit Zacha
rias, & orare iubet Paulus in omni ſacro conuentu.

43 *Multis vicibus liberauit eos,& ipſi rebelles fuerunt conſilio ſuo,& confecti ſunt in iniquitate ſua.*

44 *Et aſpexit quum eſſet eis anguſtia,quum ipſe audiret clamorem eorum.*

45 *Et recordatus eſt eis fœderis ſui,& pœnituit iuxta amplitudinem benignitatis ſuæ.*

46 *Et dedit eos ad miſerationes coram omnibus qui ceperant eos.* Perniciofiſſimis tyrannis Gentium,
qui ſaluificum Dei imperium reiecerant vt modis omnibus attriti,opem Dei implorarent,rur-
ſus liberauit: ſed illi continuò ad ingeniũ redierunt.Sic multis vicibus, vt canit verſu 43,libera-
uit eos,memor fœderis cum eis icti. In quo Dominus electis ſuis oſtẽdit qualis in eos eſſe ſoleat.
peccantes caſtigabit quidem, at abiicere poterit nunquam : ſempiternum enim eſt fœdus cum
eis percuſſum.Liber Iudicum memorat eos traditos hoſtibus, & rurſum inſigniter liberatos ſex
vicibus. Primùm permiſſi fuerũt Cuſchan Riſcheathaim regi Meſopotamiæ annos octo: libe-
rati verò ſunt per Athnielem filium Knaz è tribu Iehudah. Secundò fuerunt traditi Egloni regi
Moabitarum,decem & octo annos: à quo vindicauit eos Echud filius Gera de tribu Benia-min,
hæc legis Iudicũ cap 3. Tertiò venũdari fuerũt Iabin regi Chenaanitarũ , qui tyrannidẽ in illos
diram exercuit annis viginti:qua adſeruit eos Debbarah Prophetes, & Barak filius Abinobã: de
quo & Pſal.83.b.10.hæc legis Iudicũ 4.Quartò oppreſſi fuerunt à Midianitis ſeptem annis: quo-
rum iugum ſoluit Gideõ,è tribu Menaſcheh,occiſis duobus ducibus eorũ, Zeb & Oreb,ac duo-
bus regibus Zebah & Salmunah, & exercitu conſtante millibus centenis viginti quinque. De

his habes in libro Iudicum à capite 6, vſque ad 9. Quintò addixit eos violẽtiæ Philiſtinorum & Ammonitarum, annis decem & octo: à quibus liberati fuerunt per Iephtach. de hoc, Iudicum capite 10 & 11. Sextò iterum traditi fuerunt Philiſtinis, quadraginta annis: à quibus liberauit eos Schimſom, de quo legimus à 13 capite Iudicum, vſque ad 17. Poſt hæc iterum ſub ſacerdote Eli, eiſdem hoſtibus permiſſi fuerunt: à quibus adſeruit eos primùm Schmuel, deinde Schaul, plenè demum Dauid. Cauſam tantæ beneuolentiæ Dei qua humiliatis & opem ſuam orantibus ſemper adeſſe, & opem ferre dignatus eſt, habet verſus 45, *Memor enim fuit fœderis ſui.* Receperat hanc gentem ſemel in populum ſuum, idque quòd reſipiſcentes verè erant: Deum ergo illum ſuum experiri debuerunt, hoc eſt ſeruatorem. Verſu 46, memorat beneuolentiam Dei, qua captiuos etiam reſpexit, efficiens vt eorum miſereretur qui ipſos captiuos tenebant. Quod ideo videtur memoraſſe quòd propius ſpectabat ad ſortem populi, in qua erat quum hic Pſalmus cõſcriptus eſt. Inde enim voluit Sanctos apud Gentes captiuos, ſeruientéſque, ad ſperandum in ſua captiuitate ſimilem gratiam erigere, donec tempus veniret, vt liberati, ſuis ſedibus reſtituerẽtur, in illis Deũ ſyncera religione culturi, & dignis laudibus celebraturi.

47 *Serua nos Iehouah Deus noſter, & collige nos à Gentibus, ad celebrandum nomen ſanctitatis tuæ, ad laudandum laudem tuam.*

48 *Laudetur Iehouah Deus Iiſrael à ſeculo & vſque in ſeculum: & dicat omnis populus, Amen, halelu-iah.* Hinc apparet, ob id Vatem omnia illa Dei & iudicia & beneficia quæ cecinit, memoraſſe vt ſpẽ in exilio degẽtis firmaret, ſi verè reſipiſcerẽt, & ad Dominũ conuerterentur, ſic vt id ſtudẽtes verè ſe populũ Dei præſtarẽt, ita indubiè fore vt ille ſe inuicẽ Deum exhiberet, colligẽdo eos ex diſperſione qua inter Gẽtes diſperſi exulabãt, & donando vt liberi rurſus in ſua terra nomen Dei celebrarent, & laudibus eius intendere poſſent. Verſu vltimo Pſalmũ & librum quartum præconio laudis Diuinæ, more ſuo claudit, ad idémque ſtudii omnem populum hortatur, iubens dicere Amẽ.

IN QVINTVM HYMNORVM LIBRVM
præfatio ad pium Lectorem.

AVſpice Deo ad quintum & vltimum cæleſtium Odarum peruenimus librum: In quo inſunt omnegenus Pſalmi, quibus Dei de nobis admiranda conſilia & effuſiſſima bonitas, regni Chriſti maieſtas, & ad ſaluandum credentes immenſa potentia, Spiritus ſuperni incredibiles virtutes & copiæ: noſtra contrà inanitas, ſtultitia, & peruerſitas: Legum, & inſtitutionis Diuinæ indicibilis puritas & æquitas, ingenium & vis timoris, religionis, fidei, iuſtitiæ, & quicquid noui & ex Deo nati hominis fuerit: iudiciorum denique Dei quibus ſuos expiat, reprobos exterminat: myſteria, ac omnino quæcunque arcanæ Literæ docent, non paulo & generalius & breuius & luculẽtius deſcribuntur, cõmendantur, & celebrantur. Vnde factũ eſt vt præ aliis Eccleſiaſticorũ ſint exercitiis ſelecti, quotidie in ſacris cœtibus decãtandi. Sed quis det, vt ſicut in his ſacratiſſimis carminibus clarius, familiarius, eóque Sanctis omnibus ſuauius modulatur Spiritus Dei: ita à purioribus organis in Eccleſiis recitentur, & defæcatioribus auribus ac mentibus percipiantur, ne ore tantùm Deum vſque non tam colamus, quàm colere ſimulemus, idque tam magno? Qua impia peruerſitate, indubiè cum nobis ipſis, tum aliis eam tandem vltionem accerſemus, quam huic impietati Dominus per Vatem ſuum Ieſchaiah minatus eſt, Propterea (inquit) Iſa.29.d.13
quòd quum populus iſte accedit ore tãtùm, & labiis ſuis me honorat, cor autem ſuum à me procul habet: cultúmque exhibet quem ab hominibus didicit, in quo nihil eſt vltronei ſpiritus, nihil naturale. Ideo en ego malis quibus nunc exagitantur, ea adiiciam, vt populus iſte fiat portentum, cuius calamitas pro ſtupendo miraculo habeatur. Et inſuper efficiam vt ſapientia ſapientum pereat, prudentia prudentum nuſquam exiet, quo in tantis malis nullum vnquam emergendi ex eis conſilium inueniant. Conſideremus quæ Eccleſiis Orientis euenere, vt miſerè & calamitoſè Turcis nunc ſeruiunt, vt nihil fuerit conſilii depellendi huius mali quum impenderet: multo minus eius auertendi poſtquam cœpit premere. Idem Deus eſt, ſuique nunquam diſſimilis, qui tam ſæuè hypocriſim primùm Iudæorum, tum & Chriſtianorum vltus eſt, ad noſtram tam ſecuram impietatem quouſque putabimus conniuebit? Certè dum ſtipis modò gratia, aut certè ex more tantùm & ſtatuto hominum, hæ ſacratiſſimæ Odæ, nullo hoc impellente Spiritu, nulla tenente animum voluptate concinuntur, quid aliud quàm ore tantùm Deum non honoramus, ſed irridemus, & hominum præcepto huc adacti & inſtituti, ipſum non colimus, ſed irritamus? Hæc tanta Dei factoris noſtri contumelia, etſi nondum exitio nos penitus, vt Iudæos olim, & poſtea eos quoque populos qui de Chriſti nomine gloriabantur, dederit: ea tamen huius præludia iampridem adduxit, vt quid porrò aduectura ſit, facile liceat diuinare. Videmus ſiquidem haud ita nuper in pluſquam reprobam mentem præcipitatos eos, qui reliquo humano generi ſol & lux eſſe debebant, vt nulla propè cura earum rerum quæ ad illos pertinent propriè,

tangi videantur:cótrà autem in iis ſint toti,quæ nullos omnino Chriſtianos decent.Hinc & populus huc prolapſus eſt vt ſyncerę religionis ratio à pauciſſimis etiam cognoſcatur:nullus ferè numinis metus, nullum honeſtioris vitæ ſtudium: nullus denique & ſcelerum atque flagitiorũ pudor appareat.Et in hac tũ pietatis, tum honeſtatis publicæ ruina & calamitate,quotuſquiſque eſt qui de reſtituendis moribus ſolicitus ſit, quem ob hãc tantam miſeriam Chriſtiani populi iuſtus dolor exagitet?Leges quo quæque ſanctiores,hoc neglectiores iacent: honeſtæ artes & diſciplinæ, bonarum literarum & linguarum ſtudia (paratiſſimum rectè & fœliciter viuendi inſtrumentum) vbique frigent : nihil habetur in pretio quàm quod quæſtuoſum eſt , quod voluptatibus ancillatur, eóque malæ & pernicioſæ artes,verſutiæ,doli,fraudes,nuſquam non regnant: vt iure quis& de nobis illud Prophetæ dicat,Sapientes ſunt vt faciant malum,benefacere neſciunt.

Ierem 4.c.22. His noſtris tam peruerſis& improbis moribus,tam ſæua & cruēta,nec minus diuturna bella,quibus orbis noſter tot iam annis concutitur , tam immanes & perpetuas prope peſtilentias,tot noua morborum genera,tam diram,támque latè & diu graſſantem famem, tot ſectas & ſchiſmata debemus. Hæc per Chriſtum obſecro animaduertamus omnes , maximè autem ii qui docendi formandique reliquos homines munus gerunt. adhibeant hi mentem vel his ipſis ſacratiſſimis hymnis quos recitant & canunt quotidie:ſuſtineant in his cæleſtem & ſaluificam Spiritus ſancti muſam dulciſſimè bonis mentibus modulantem, & quæcunque æternæ ſaluti ſunt, clariſſimè differentem exaudire: vtque id poſſint, pernicioſas carnis curas à ſe ablegent quàm longiſſimè. ne quibus publicæ ſalutis cura præcipuè incumbit,hácque de cauſa tanta dignitate,tantíſque copiis pollent,hi ipſi communis exitii cauſa potiſſima exiſtant. Agnoſcant ergo,& probè cogitent dum in ſacro choro modulandis his ſanctiſſimis odis adſunt, adſtare ſe coram tremendo Dei omnia intuentis,& cor vnum poſcentis conſpectu,in concilio mentium ſupernatium,in ipſa cælorum regia: vtque Diuina & verè ſalutifera oracula,omnia religioſo ſtudio penſiculēt, vt hinc ſolido pietatis ſtudio inflammentur , & alios (quorum paſtores & patres eſſe debent) accendere queant:digni qui & intentatã nobis Dei vltionem, ſi non auertant penitus,ſaltem mitigent,reſtituta ſcilicet vel aliqua veri Chriſtianiſmi cura.Dominus noſter Ieſus Chriſtus vnus veræ reſipiſcētiæ & pietatis autor & largitor,hæc illis & nobis omnibus ad veritatẽ perſuadeat.Amẽ. Vale.

HYMNORVM LIBER QVINTVS.

PSALMVS CVII, ἐυχαριστικὸς καὶ παραινετικός.

ARGVM. *Canit cuncta mala Diuinitus immitti,& tolli: eóque pericula & anguſtiam oberrantium in deſertis,uinctorum, ægrotantium,& eorum qui in mari uerſantur.tum opus Diuinæ implorationis,& pro ea impetrata gratiarum actionem:deníque ut Deus in manu omnia habeat,& immutare ſoleat memorat.*

PARAP. 1 CElebrate Iehouã:nã beneuolus eſt,nã in ſempiternum extat bonitas eius.
2 Dicant hymnum redempti ab Iehouah,quos redemit à malis coartantibus:
3 Quos à terris collegit,ab Oriente & Occidente,ab Aquilone & Meridie.
4 Quum enim à via aberrant in deſerto & ſolitudine,nec inueniunt vrbem habitatam,
5 Et præ fame ac ſiti contorquetur in eis ipſorum anima,
6 Clamãt ad Iehouã dum coartantur, & ipſe liberat illos ab ipſorum anguſtiis,
7 Ducítque in viam rectam,qua perueniunt ad vrbem habitatam:
8 Hinc celebrant Iehouã ob bonitatem eius,celebrant mirabilia eius hominib9,
9 Quum ſatiauerit animam ſitientem,& animam famelicam repleuerit bonis.
10 Qui ſedent in tenebris & vmbra mortis,afflicti in neruo & ferro,
11 Eo quòd ſermonibus Dei rebelles fuerunt , & conſilium Excelſi contumelîſe reiecerunt:
12 Quorũ cor per moleſtiam humiliatur:proſtrati ſunt, nec eſt qui ferat opem.
13 Et clamãt quũ malis coartantur,ad Iehouã:is illos ope ſua ex anguſtiis eripit:
14 Educit eos è tenebris & vmbra mortis,& vincula eorum dirumpit.
15 Tũ celebrant Iehouã ob bonitatẽ ſuam,celebrant mirabilia eius hominibus,
16 Quum oſtia chalybea confregerit,& vectes ferreos deſtruxerit.
17 Stulti propter ſcelera ſua,& iniquitates affliguntur.
18 Omnem cibum auerſatur anima eorum, proximè accedunt portas mortis.

19 Et clamāt dum coartātur, ad Iehouam: is illos ope ſua ex anguſtiis ſuis eripit.
20 Mandat verbo, & ſanat eos, eximítque interitui eis imminenti.
21 Celebrant Iehouā ob bonitatem ſuam, celebrant mirabilia eius hominibus:
22 Sacrificant ſacrificium laudis, & enarrant opera eius ouantes.
23 Qui nauibus ingrediuntur mare, & in vaſtis aquis operantur,
24 Ii vident facta Iehouæ, & mirabilia eius in profundis.
25 Quum iuſſerit, prodit ventus procelloſus, & attollit ſe fluctus maris:
26 Inde nūc aſcēdūt in cælos, nūc deſcēdūt in abyſſos, anima eorū in eis diffluit.
27 Iactantur, nutántque vti ebrius, omnis mens eorum euaneſcit.
28 Et clamāt quū coartātur, ad Iehouā: is illos ope ſua ex anguſtiis ipſorū eripit.
29 Faceſſit ventus procelloſus, vt mare ſileat, taceant fluctus eius:
30 Tum lætantur quòd illi conquieuerūt, & deducit eos ad portū ipſis optatū:
31 Tū celebrant Iehouā ob bonitatem ſuā, celebrant mirabilia eius hominibus,
32 Et extollunt eum in concione populi, laudant eum in conſeſſu ſeniorum.
33 Qui redigit flumina in torrens deſertum, & educit aquas è terra ſitienti.
34 Qui redigit terram fructiferam in ſalinas, ob noxam inhabitantium illam.
35 Efficit rurſus vt vertatur torrens deſertum in irrigua, & ſcaturiant aquæ è ſolo arenti.
36 Collocat illic famelicos, ii parant vrbem habitatam:
37 Serunt agros, plantant vineas, & faciunt fructus, frugúmque prouentum.
38 Aſpirat illis fauorem, augentur valde, pecora eorum non deficiunt.
39 Et rurſus imminuuntur, & deiiciuntur ſterilitate, morbis, & ægritudine.
40 Ipſe reddit optimates contemptos, facítque errare per vaſta loca & inuia.
41 Interim eleuat pauperem ab afflictione, efficítque illi familiam inſtar gregis.
42 Timebūt recti, & lætabūtur, cunctíque prauitati dediti obturabunt os ſuum.
43 Quis ſapit? is obſeruet iſta, & intelliget benignitatem Iehouæ.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Celebrate Iehouam, quia bonus, quia in ſeculum benignitas eius.*

2 *Dicant redempti Iehouæ, quos redemit è manu anguſtiæ.* Primùm hortatur in genere ad laudandum Deum, quicunque eius beneficio erepti ſunt malis. Quo ſimul docet, ad id nobis mala immitti vt ad opem Dei confugiamus: eámque conſequuti, eius bonitatē deprædicemus, quo illa quamplurimi fidant. id agit verſu 1 & 2. In ſecundo ad verbum *dicant*, ſubaudiendum eſt, hymnum vel laudem: ſic enim ſæpe eſt verbi huius vſus.

3 *Et à terris collegit eos, ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & Mari.*

4 *Errabant [d]ma in deſerto, in ſolitudine: vrbem habitationis non inueniebant.*

5 *Eſurientes, etiam ſitientes, anima eorum in ipſis torquebatur.* Canit Deum errantes ab Oriente, Occidente, Aquilone & Mari colligere. Hîc præter Diuini auxilii potentiam, qua quæ carni videntur prorſus impoſſibilia, facillimè conſiunt, etiam errātium affectum expreſſit: qui dum viam ad loca habitata hominibus amiſerunt, putant ſe in extremis orbis finibus cōſtitutos. Mare equidem hîc crediderim pro Meridie poſitum (vtcunque aliàs pro Occidente vſurpari ſoleat) ſed mediterraneum, quod Iudææ ad Occidētem eſt, (nam ſinus Arabicus ei eſt ad Meridiem) quod Mare hîc deſignatum exiſtimo. Hebræi putant Meridiem hîc prætermiſſam, quòd ea regio propter æſtū rarius ſoleat adiri. Id autem parum firmum videtur, quum in nulla orbis plaga Iudæi plus fuerint negotiati quàm in AEgypto & Arabia fœlice, quæ illis Meridiem ſpectant. Tum & illud coactum eſt, Mare pro tranſmarinis regionibus poni, quum illæ, ſi de Mari mediterraneo intelligas, Occidentales ſint. Poſtremò de ipſo Mari poſtea nominatim canitur. Verſus 5, memorat famis ſitiſque periculū, quod in ſummā anguſtiā errantes adigit. Sunt enim ſolitudines vaſtæ circa Iudæam, vt paſſim in Orientis regionibus, in quibus à via aberraſſe, exitio proximū eſt: nihil enim illic naſcitur vnde poſſet vita hominis ſuſtētari. Sūt quoque in pleriſque locis eæ planities, & arenoſa adeò terra vt tempeſtuoſiores venti vias continuò contegant, totos arenæ mōtes coaceruantes. Hæc teſtantur non ſolùm qui regiones iſtas deſcripſerunt, ſed etiam qui hodie eas a-

deunt. Iam quivis facilè apud ſe cogitare poteſt quanta neceſſe ſit animum anguſtia coartari, cui in iſtis locis aberraſſe contigit, & quantam is cauſam habeat à Deo auxilium orandi. Hanc ergo animi anxietudinem exprimit verſu 5, quum memorat præ fame & ſiti horum in ipſis animas conuolui, atque contorqueri. Eſt enim hic verbum עטף, de cuius ſignificatu dixi in verſum 3 Pſalmi ſexageſimi primi.

6 *Et clamauerunt ad Iehouam, quum anguſtia eis [eſſet,] ex coartationibus eorum liberauit eos.*

7 *Et deduxit eos in uiam rectam, ut irent ad ciuitatem habitationis.*

8 *Celebrent Iehouam [ob] bonitatem ſuam, & mirabilia eius filijs hominis:*

9 *Quia ſatiauit animam deſiderantem, & animam famelicam impleuit bono.* Memorat vt tales diffiſi omni creaturarum auxilio, ad Deum vociferentur, ac etiam auxilium impetrent. Hic verſus intercalaris eſt: quartò enim repetitur. Verſu 7, canit Dei beneficium eſſe, quum viam errantes, rurſus inuenerint, & ad habitata hominibus loca peruenerint. Ponit ſiquidem hîc & verſu 4, עיר מושב, id eſt vrbem habitationis, pro locis quæ ab hominibus incolũtur. Gratitudinem eorum quos ita Deus diſcrimini exemerit, canit verſu 8, qui & ipſe intercalaris eſt. Monet autem (quod paſſim faciunt Pſalmi) hanc eſſe rationem gratitudinis aduerſus Deum teſtandi, bonitatē & miracula eius, quibus nos vindicat malis, & cumulat bonis, quamplurimis prædicare, atque ita ad commune Dei ſtudium inuitare. Cauſam cur cupidè prædicare Dei laudes redempti huiuſmodi ſtudeant, habet verſus 9. Dum enim qui in deſertis aliquandiu errarunt, fame & ſiti propè exanimati, potu, cibóque, tanto iam dulcioribus, quanto deſideratioribus, reducti ad homines recreantur, dici non poteſt quantum animi eorum ad extollendum laudibus bonitatem Dei exardeſcant. שקקה deſiderantem ſignificat: ſed accipitur hîc pro ſitiente, quia famelica ſubiungitur. ſic ergo reddidi.

10 *Sedentes in tenebris & umbra mortis, uincti afflictione & ferro:*

11 *Quia abiecerunt ſermones Dei, & conſilium Altiſſimi blaſphemarunt.*

12 *Et humiliatur cor eorum in moleſtia: impegerunt, nec eſt adiutor.* Nunc canit vt vincti à Deo liberentur. Hos dicit ſedere in tenebris & vmbra mortis, quaſi enim mortui luce mũdi deſtituũtur, incluſi obſcuro carcere, afflicti præterea vinculis & cõpedibus ferreis. Nam ad illud, *afflictione*, Hebræi ſubaudiunt, neruorum, vel propter neruos quibus vinciuntur: vt per *ferrum*, ferreas intelligunt cõpedes. quod vtrunque vero ſimile admodum eſt. Huius & omnium malorum cauſam, canit verſu 11, nempe reiectionem & cõtemptum verbi Dei, quod tabulis cordis omnium inſcriptum eſt: de quo in Tractatu de Lege, Pſalmo primo ſubiuncto. Videtur autem ideo circa hanc potiſſimum calamitatem, contemptus meminiſſe ſermonum Dei, quia homines ferè propter ſcelera in vincula coniiciuntur. In illis ergo humiliati, agnoſcunt tandem ſua peccata, & ad Deum conuertũtur, quum proſtrati in eam calamitatem, nullum alium adiutorem nanciſci poſſunt.

13 *Et clamant ad Iehouam, quum eis [eſt] anguſtia, à coartationibus eorum ſeruauit eos.*

14 *Eduxit eos è tenebris & umbra mortis, & uincula eorum dirupit.*

15 *Celebrant Iehouam [ob] bonitatem ſuam, & mirabilia eius filijs hominis:*

16 *Quia fregit oſtia chalybea, & uectes ferri concidit.* Idem & de his canit Vates, nẽpe vt in anguſtia cõſtituti, vociferantur ad Dominum, à quo & liberantur, cuius tum laudes filiis hominũ celebrant. Liberationem autem eorum magis explicat verſu 16, vt & verſu 9, beneficium reductionis errãtium, *Quum*, inquit, *confregerit oſtia chalybea*, alii vertunt ferrea: ſed Hebræi dicũt נחשת, ſignificare induratum ferrum. Intelligit autem Pſaltes per hæc, difficiliorum vinculorum ſolutionem. Reliqua ſatis liquent.

17 *Stulti propter uiam flagitiorum ſuorum, & propter iniquitates ſuas affliguntur.*

18 *Omnem cibum abominabitur anima eorum, & appropinquant portis mortis.* Celebrat his verſibus auxilium Dei, quo liberat à morbis. Hos vt vincula immitti ob peccata ſtultis hominibus, optimum Dei conſilium non agnoſcentibus, canit verſus 17, de quo & in Pſalmo 32. Vrgentis mortis periculum notat, quum verſu 18, dicit eos accedere ad portas mortis, id eſt ad ingreſſum inferorum: quæ aliàs & ciuitas mortis appellatur.

19 *Et clamant ad Iehouam, quum [eſt] eis anguſtia, à coartationibus eorum ſeruauit eos.*

20 *Miſit uerbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos à perditionibus eorum.*

21 *Celebrant Iehouam [ob] bonitatem ſuam, & mirabilia eius filiis hominis.*

22 *Et ſacrificent ſacrificia laudis, & enarrent opera eius cum ouatione.* Sanitatem à ſolo Deo dari, & verbo dari, canit verſu 20. Hinc videtur accepiſſe Centurio ille, vt Domino quem Filium Dei agnouerat, tribueret, verbo poſſe ſeruo ſuo ſanitatem reſtituere. Verſu 22, meminit ſacrificii laudis. perceptis enim à Deo inſignioribus beneficiis, ſolebant gratias agentes, ſimul ſacrificium facere, vt & de Iechezkiah legimus. de quo verſu 8 Pſalmi 53.

23 *Deſcendentes in mare nauibus, facientes opus in aquis magnis.*

24 *Illi vident opera Iehouæ, & mirabilia eius in profundo.*
25 *Et dicit, & extat ſpiritus procellæ, & extollit fluctus eius.*
26 *Aſcendunt [ad] cælos, deſcendunt [in] abyſſos, anima eorum in malo colliqueſcit.*
27 *Exagitantur, & mouẽtur ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum abſorbetur.* Canit his verſibus vt Deus adſit periclitantibus in mari. Hos ait videre opera & mirabilia Dei in profundis, ingẽtia ſcilicet & portentoſa cum animalia, tum alia figmenta maris. vt enim id terra multo amplius eſt, ita multo plures animãtes, & monſtruoſiores alit. Putãt quidã, vt ſcribit Plinius libro nono, capite ſecũdo, nihil vlla in parte naturæ eſſe quod nõ etiã in mari ſit: & præterea multa in mari quæ nuſquam alibi. Vim tẽpeſtatis deſcribit verſu 26 & 27. Procelloſo enim vento mare concitatur: is nũc fluctus ad ſidera tollit, nunc furit arenis: inde hi ſummo in fluctu pendent, his vnda dehiſcens terram inter fluctus aperit. qua iactatione ita turbantur vt omnis ſenſus, rationiſque vſus eis intercipiatur. Id verò eſt quod canit verſu 27, vorari omnẽ ſapientiã eorũ. Accipit ſiquidẽ Scriptura multis in locis חכמה, quod ſapientiam vertere ſolemus, pro communi ſenſu & prudentia.
28 *Clamant ad Iehouam, quum [eſt] eis anguſtia, & ex coartationibus eorum educit eos.*
29 *[Quæ] ſurrexerat procella, [cedit] in ſedatum: & ſilent fluctus eorum.*
30 *Et lætantur, quoniam quieuerunt, & educit eos in portum [in quem eſt] animus eorum.*
31 *Celebrant Iehouam [ob] bonitatem ſuam, & mirabilia eius filijs hominis.*
32 *Et extollunt eum in eccleſia populi, & in ſede ſeniorum laudãt eum.* Tranquillitatem maris Diuinitus reddi, canit verſu 29: in quo verſu, quũ vult canere procellã ſedatã, ac inde fluctus reſediſſe, vtitur verbo קם, quod ſurgere ſignificat. Et ſuprà, verſu 25, quũ vellet dicere excitatã, vſus eſt verbo עמד, quod ſtare ſignificat. Vt ergo illud *ſtetit*, accipiendum eſt pro adfuit, prodiit: ita illud *ſurgere*, quidã pro faceſſere, cedere, accipiunt. Quidã ſic legũt, Procella quæ ſurrexerat, ad ſilentiũ, ſcilicet ceſſit. Mare commotum perſtrepit: rectè igitur tranquillitatẽ eius per ſilentium ſignificat. Deũ eſſe qui ad optatũ portum ducat, canit verſu 30. Ingens & inexplicabile periculum eſt tempeſtatum, nec tamen omnibus cognitum quantum ſit: inde dicit verſu 32, qui illud ope Domini euaſerint, Dominum prædicaturos in ſacra populi concione, & conſeſſu ſeniorum: hoc eſt loco omnium celeberrimo, quò cum vulgus, tum optimates frequentes conueniunt. Kimhi illud, *Laudabunt eum*, ad ſeniores refert, qui ſcilicet auditis mirabilibus Domini ab iis quos è diſcrimine tẽpeſtatum eripuit, ſimul cum illis laudes Dei celebrant.
33 *Ponit flumina in deſertum, & egreſſus aquarum in ſitientem:*
34 *Terram fructiferam in ſalſuginem propter noxam habitantium in ea.*
35 *[Et] ponit deſertum in ſtagnum aquarum, & terram ſitientem in egreſſus aquarum.* His verſibus canit vt Deus pro arbitrio ſuo omnia immutet. Terrã maximè irriguã, ac inde fructiferã, redigit dum libet, in ſitientem ſolitudinem: & cõtrà, arens & vaſtum deſertum, in terram inſigniter irriguam ac fertilem. Talem enim intelligit per flumina, egreſſus aquarum, hoc eſt crebras aquarum ſcaturigines, & אגם, id eſt ſtagnum, vel vt alii reddunt, paludem aquarũ. Paludes fertilitati obſunt: quare irriguum per אגם rectè intelligitur. in Iudæa ſiquidem à ſiccitate omnis ferè ſoli ſterilitas venit. Id tamen quoque experientia docet, vbi decurrunt flumina, ſcaturiunt fontes, & deſident ſtagna, illic omnia melius prouenire, & eſſe ſedes hominibus commodiores. Sic quoque intelligit per deſertum, ſitientem, & ſalinas, ſolum torridum & ſterile. Omnis ſiquidem locus in quo reperitur ſal, ſterilis eſt, teſte Plinio libro 31, cap. 7. Inde ſeminabat Abimelech ſalẽ in locum Sichem, quũ eam deſtruxiſſet, vt ſterilem redderet: vel futurum ſterilem, interfectis hominibus, & diruta vrbe ſignificaret. Iudicum 9. f. 45.
36 *Et facit illic habitare famelicos, & inſtituunt ciuitatem habitationis:*
37 *Et ſerunt agros, & plantant vineas, & faciunt fructum prouentus.*
38 *Et donat eos ſucceſſu, & auget eos valde, & iumenta eorum non imminuit.*
39 *Et imminuuntur, & deijciuntur præ ſterilitate, noxa, & ægritudine.* Hîc canit de hominum euectione & deiectione. In genere euectionem canit, verſibus 36, 37, & 38. Eos nanque Deus euehit quos fame laborantes conſtituit in locum antè deſertum & ſterilem, quem ipſe habitabilem reddit, & fructiferum: dátque vt vrbes illic ſibi ædificent, ſerant agros, plantent vineas, & faciant fructus: & frugum prouentus: augeantur denique & ipſi, & pecora eorum, idque ipſo fauente, & adſpirante incrementum atque ſucceſſum. Rurſus, Deum alios deiicere, canit verſu 39: idque à ſterilitate qua pauci redduntur à noxa, id eſt morbis & calamitatibus aliis quibus atteruntur, à יגון, id eſt mœrore & adflictione animi, quibus planè conficiuntur.
40 *Effundit contemptum ſuper Principes, & facit eos errare in vaſto [ubi] non via.*
41 *Et attollit inopem ab afflictione, & ponit ſicut gregem familias.* His verſibus canit vt & Principũ ſortem Deus immutare ſoleat. נדיבים, Principes hoc nomine vocantur, quia ſignificat homines libe-

rales & beneuolos, quales ſanè Principes eſſe debent. Hos canit poteſtate deiici, effuſo ſuper eos contemptu. Principum enim poteſtas, reuerentia & obſeruantia populi erga eos nititur. Canit autem deiectionem in extremam miſeriam exilii, vt iam ii commodè habitandi locum nullum habeant, errantes in deſertis & aſperis locis, quo ſæpe nimirum iſtiuſmodi fugere coguntur. Rurſus pauperes reſtituere ab adflictione, & ad dignitates euehere, familiámque illis donare inſtar gregis, canit verſu 41. His omnibus voluit id Vates docere, Deo eſſe omnia in manu, ipſum vnum & opes & inopiam dare, honoratos & contemptos reddere, ſteriles, & numeroſa ſobole gaudentes efficere.

42 *Recti videbunt, & lætabuntur: & omnis prauitas obturabit os ſuum.*

43 *Quis ſapiens, & cuſtodiet illa, & intelliget benignitates Iehouæ?* Quid præmiſſorũ diligẽs & religioſa cõſideratio efficiat apud pios, quàm digna & ſalubris ſit omnibus, nũc ſubiũgit. Dũ enim iſta recti, hoc eſt recto in rebus iudicio præditi, & æqua in omnibus volũtate, ſancta curioſitate expendũt, mirũ in modũ in ſtudio religionis promouẽt, ſecurè ſeſe Deo cũcta pro ſuo arbitrio moderãti cõmittentes, & in omnibus hoc vnũ operam dantes vt ipſi ſeſe approbent. Sic comparatos Deus vt filios fouet, tuetur & auget. quare eſt vt perpetuò in ipſo lætentur, & tum præcipuè quã do iudicia ſua exercet: nam his illos propugnat, gloriã ſuam aſſerit, & illorũ hoſtes deiicit. Quibus euerſis, obturatur os iniquitatis, hoc eſt iniquorum, qui dum fœliciter habent, laceſſunt ore ſuo deos & homines, vt de eis canit Pſalmus 73. Verè itaque ſapiens eſt, vt canit verſus vltimus, qui hæc obſeruarit, & conſiderarit: intelliget enim bonitates Dei, hoc eſt Deum in omnibus optimè res inſtituere, & cuncta in ſolatium ſuis dirigere. Mutat numerum in verſu vltimo, ויתבוננו & ישמר: ſed non eſt hoc Scripturæ inſolens.

PSALMVS CVIII, διχαστικός.

ARGVM. *Canit ardere ſe vt laudes Dei voce & organis moduletur: tum regni ſui, ac in eo, ceu typo, regni Chriſti amplitudinem memorat.*

PARAPH. 1 CArmen Odæ Dauidis.

2 Confirmatum eſt cor meum ô Deus: carmen modulabor, & canam etiã lingua mea.

3 Attollite vos fides & cithara, mane concentum inſtituam.

4 Celebrabo te inter populos ô Iehouah, & canam tibi in nationibus:

5 Quia ingens eſt adeò bonitas tua vt cælos ſuperet, & fides tua vt vſque ad nubes ſeſe attollat.

6 Extolle te ſuper cælos ô Deus, & ſuper omnem terram decus tuum:

7 Vt tuti agant dilecti tui, ſerua dextera tua, & annue mihi.

8 Deus oraculum è Sacrario ſuo edidit, lætabor: Schecem diuidam, & vallẽ Succoth metiar.

9 Meus eſt Gilead, meus Menaſcheh, Ephraim principatus mei robur, regnum meum Iehudah.

10 Moab ſubiecta mihi erit, ceu lebes in quo lauem pedes: AEdom erit locus in quem abiiciam calciamentum, ſuper Philiſtæa iubilabo.

11 Quis adducet me in ciuitatem munitam? quis adducet me vſque in AEdom?

12 Certè Deus qui repuliſti nos, nec egrederis inter copias noſtras.

13 Fer auxilium nobis, vt ab infeſtis liberes: nam hominum auxiliũ inane eſt.

14 Deo freti fortiter faciemus, ipſe autem conculcabit infeſtos nobis.

EXPLANATIO.

PSalmus hic compoſitus videtur ex Pſalmo 57, & 60. Nam quinque priores verſus, excepta inſcriptione, habentur ferè ad verbum in Pſalmo 57, ſub finẽ. Tantùm enim hîc ad verſum ſecundũ adiectum eſt, *Etiam gloria mea*, id eſt lingua mea: illic ea cõiungitur cum nablo & cithara. Item in verſu 4, habetur hîc Iehouah, quũ illic ſit, Dominus. Et in verſu 5, מעל, id eſt præ, vel de, ſuper, quum illic עד, id eſt vſque. Senſus tamen idẽ manet, nempe bonitatẽ Dei omnia replere, adeò vt ad cælos pertingat, ac eos etiã ſuperet. de qua loquendi forma dictum in verſu 2 Pſalmi 8. Verſus reliqui octo habẽtur Pſalmo 60, à verſu 6: in quibus nihil quoque variat, niſiquòd in verſu 9 nõ habetur ו, vt Pſal. 60, quum ait, *Meus eſt Gilaad: meus eſt*, nõ, & meus eſt *Menaſcheh*, & quod ver-

ſu 10, habetur hîc, *ſuper Philiſtæa iubilabo*, illic, ſuper me Philiſtæa iubilabit: item quod in verſu 12, hîc omiſſum eſt אתה, id eſt Tu, quod illic habetur. Cætera ad verbum conueniunt. Quæ omnia, quum in enarratione illorum Pſalmorum explicauerim, iure hic præteriero. Kimhi exiſtimat hîc cani de inſtaurando rurſus regno Dauidis, finito, in quo nunc Iudæi detinentur, exilio: quum Pſalmo 60, cecinerit de regno quod Dauidi primùm contigit. Aliàs autē monui, Iudæos modò populi Dei nomine minimè cenſeri, eóque nihil ad eos iſtiuſmodi attinere. Rectius igitur dicemus, ſi non videtur ſecundò de eadem victoria eiſdem verbis ceciniſſe, cani hîc de reſtitutione regni Dauidis, quæ facta eſt ab exilio Babylonico: ac in ea, vt typo, de euectione regni Chriſti, cui in Sanctis ſuis à reuelatione Euangelii, latiſſimè ſubiici oportet omnia, & hoſtes illius vice ſcabelli ipſius pedibus ſubſterni.

PSALMVS CIX, χρηματιστὸς ἢ δίκαιος.

Prima Pſalmi pars diræ ſunt in Doeg, alióſque adulatores Schaulis, qui Schaulē mendaciis ſuis contra Dauidem incitabant: & ſub typo horum, in Iudam proditorem Chriſti, ac omnes qui ad eundem modum filiis Dei infeſti ſunt. In altera, de miſeria ſua queritur, & opem Dei implorat. ARGVM.

1 PRæſuli Oda Dauidis. Deus de quo glorior, ne te contineas: PARAPH.
2 Nam aperuerunt contra me ora ſua improbi, & fraudulenti mecum loquuti ſunt lingua mendaci:
3 Odioſis ſermonibus obſident me, & oppugnant me immeritum.
4 Pro eo quòd illos diligo, aduerſantur mihi, & ego pro illis orabam.
5 Rependunt mihi maleficium pro beneficio, & odium pro dilectione.
6 Præfice illi hominem improbum, infeſtus aduerſarius adſtet ei ad dextram.
7 Quum de eo iudicatur, exeat damnatus, & precatio eius habeatur peccatum.
8 Sint dies eius pauci, munus eius alter accipiat.
9 Sint liberi eius pupilli, & vxor eius vidua.
10 Vagi ſint, & oberrent liberi eius, ac mendicent, & anxiè querant è vaſtatis caſulis ſuis.
11 Illaqueet fœnerator quicquid illi fuerit, & deſpoliēt alieni, eius labore parta.
12 Non ſit qui erga illum bonitatem producat, nec ſit qui pupillis eius faueat.
13 Excindatur poſteritas eius, in generatione vna deleatur nomen eius.
14 Memoretur apud Iehouā iniquitas patrū ei⁹, & peccata matris ei⁹ nō deleātur:
15 Sint coram Iehouah ſemper, aboleatur è terra memoria illorum:
16 Propterea quòd non cogitauit exhibere bonitatem, & perſequutus eſt virum adflictum & inopem, vt occideret contritum corde.
17 Amauit execrationem, illa veniat ei: benignitatem auerſatus eſt, ea ſit procul ab ipſo.
18 Inuoluatur execratione tanquam veſte, & veniat intra eum velut aquæ, & ſicut oleum in oſſa eius.
19 Sit ei ſicut veſtimētum quo amiciatur, & vt cingulum quo ſemper cingatur.
20 Hæc ſit merces ab Iehoua, iis qui mihi aduerſantur, & noxia loquuntur de anima mea.
21 Tu autem Iehouah Domine, fac mecum propter nomen tuum: nam benigna eſt bonitas tua, libera me:
22 Nam adflictus ego ſum & inops, & cor meum intra me laborat,
23 Sicut vmbra quum declinat, euaneſco: excutior vt locuſta.
24 Genua mea nutant à ieiunio, & caro mea amiſſa pinguedine emarcuit.
25 Fui illis ludibrio, qui me videbant iactabant caput.
26 Adiuua me Iehouah Deus meus, ſerua me pro bonitate tua.
27 Agnoſcant quòd hæc ſit manus tua, & quòd tu ô Iehouah iſtud feceris.
28 Execrentur illi, tu autem benefacias: inſurgant, ſed pudefiant: ſeruus autem

tuus lætetur.

29 Induantur aduerſarii mei ignominia, & amiciantur probro quaſi pallio.

30 Celebrabo ſtudioſè ore meo Iehouam, inter multos laudabo eum:

31 Nam aſtabit à dextris inopi, vt ſeruet animam eius à poteſtatem exercẽtibus.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *PRæſuli, Dauidis Pſalmus. Deus laudis meæ, ne ſileas:*
2 *Nam os improbi & os fraudulenti contra me apertum eſt, loquuntur mecum lingua mendacij:*
3 *Et verbis odij circundederunt me, & belligerantur mecum fruſtra.*
4 *Pro dilectione mea aduerſantur mihi, & ego oratio.*
5 *Et ponunt contra me malũ pro bono, & odium pro dilectione mea.* Similia huic Pſalmo habet Pſalmus 35, vbi quoque dixi ex quo animo hæ diræ profectæ ſint, eo ſanè qui nihil niſi Dei gloriam ſpectarit, & eos tantùm hoſtes habuerit qui & Dei eſſent, cui ſcilicet totus erat conſecratus. Inde hic orditur, *Deus laudis meæ*, id eſt à quo vno agnoſco me habere omnia, ſub cuius auſpiciis agere, vel ſolum mihi laudi duco, de quo ſolo glorior. Sic interpretantur hoc dictum Hebræi. Haud ſcio tamen annon forſan ideo Deum laudis ſuæ dixerit, quòd laudibus, cultúque eius nihil haberet prius. Mendacia quibus impius Doeg cum ſuis, ſe innocentem, & de omnibus optimè meritum oppugnarunt, & in extrema pericula adduxerunt, taxat verſu 2 & 3. Quàm verò immeritò id ſibi fecerint, nempe ipſos diligenti, & pro eis oranti, iuxta illud Pſalmi 35, Ego dum illi malè habebãt, veſtiebar ſacco, ieiunio adfligebam animam meam, & totus eram in precationibus, canit verſu 4. illud enim, *Ego oratio*, idem eſt atque, eram vir orationis: hoc eſt orationi incumbebam, ſubaudi pro illis. omnino enim amicum ſe illorum exhibebat, & tam bene precari, quàm benefacere eis ſedulò ſtudebat. Illi autem hanc dilectionem odio, & beneficia rependerunt maleficiis: id quod verſu 5 queritur, & Pſalmo 35 verſu 12. Hactenus meminit aduerſariorum peruerſitatem & malitiam. deinceps imprecatur eis vltionem.

6 *Præfice ſuper eum improbum, & aduerſarius adſtet à dextris eius.*
7 *Quum de eo iudicabitur, exeat improbus, & oratio eius ſit [illi] peccato.*
8 *Fiant dies eius imminuti, & munus eius accipiat alter.* Orat vt præficiat anteſignano illorum Deus improbum, & vt habeat aduerſarium ſemper ad dextram, à quo nimirum iniuriis & contumeliis conficiatur. Quæ poſſit enim excogitari ſors dirior atque calamitoſior quàm vt quis hoſtis ſui imperio tradatur, & eum ſemper adſtantem habeat, qui mala ſibi inferre & velit, & poſſit: Deinde precatur ne quiſquam iniuriis eum adſerat, ne Deus quidem: quia orat, *ut quum iudicatur, condemnetur*, hoc eſt exeat improbus, & cedat ei precatio ſua, nempe qua liberari malis precabitur, in peccatum. Niſi quis hoc intelligat de deprecatione pœnæ iam iudicio inflictæ, quæ deprecatio nouum reatum improbo adferat, & iram iudicis magis inflammet. Id quod vſuvenit iis quibus res eſt cum ſæuis & iratis tyrannis. hæc verſu 7. Tertiò imprecatur improbo, curtari eius vitam, & ſpoliari eum dignitate ſua. פקדתו munus ſignificat quod curæ alicuius commendatur: hinc alii opes, alii vxorem, alii animam intelligunt. ego verti munus. Sic enim Diuus Petrus intellexit, citans Acto. 1. d. 20, hunc locum, Et epiſcopatum eius accipiat alter. Munus nanque eſt demandatum, & commiſſum officium, quod neceſſariò obeatur. Sic nanque Martianus De verborum ſignificatione ſcripſit, Munus propriè eſt quod neceſſariò ſubimus, lege, more, imperióve eius qui iubendi habet poteſtatem. Intelligitur autem hic munus, quod coniunctam habeat dignitatem, vt ſpoliari eo, aliquid in ſe habeat vltionis.

9 *Fiant liberi eius orphani, & uxor eius uidua.*
10 *Vagando uagentur liberi eius, & petant, & quærant è uaſtatis ſuis.*
11 *Illaqueet fœnerator omnia [quæ] ſunt eius, & deprædentur alieni, eius laborem.*
12 *Ne ſit illi trahens benignitatem, & non ſit quem miſereat pupillorum eius.*
13 *Sit poſteritas eius ut excindatur, in generatione una deleatur nomen eius.* Quartò iam ſolitudinem & calamitatem imprecatur vxori, quam orat ſemper relinqui viduã: & liberis improbi, quos orat depelli ſuis ſedibus, & omni hæreditate paterna, vt mendicando aberrare cogantur, nec inueniant tamen qui ipſis miſericordiam exhibeant: eáque calamitate premantur vt ad vnum omnibus extinctis, nomen improbi in vna natione deleatur. Quod in verſu 10 poſui מחרבותיהם, id eſt è vaſtatis caſulis eius: precatur vt liberi improbi non ſolùm paſſim vagando mendicent, ſed ea præter ea premantur neceſſitate, vt & quum domi ſint, in vaſtatis iam caſulis ſuis cogantur anxiè conquirere vnde viuant: vt ita tam domi quàm foris mendicare eos oporteat. Huius tantæ egeſtatis cauſam precatur, non minus quàm ipſam egeſtatem calamitoſam: nimirum vt fœnerator illaqueet, & creſcentibus continuò vſuris, obnoxias ſibi faciat cunctas improbi facultates: & diripiant alieni laborem eius, id eſt eius labore parta. id verò peculiariter calamitoſum & miſerum

eſt. Ne autẽ quis ſic médicis & miſeris iam adeò improbi liberis miſereatur, orat verſu 12, quum ait, *Ne ſit ei extrahens bonitatem*, ſcilicet vſque ad liberos eius, quibus propter ipſum benefaceret, perducta & protelata ad illos vſque bonitate. Breui etiam abſumi liberos, vt nomen improbi vna generatione deleatur, precatur verſu 13.

14 *Memoretur iniquitas patrum eius apud Iehouam, & peccatum matris eius non deleatur.*

15 *Sint coram Iehouah ſemper, & excindatur è terra memoria eorum.* Quintò iam, quoniam omniũ malorum cauſæ peccata ſunt, orat ne illa improbo vnquam remittantur, imò vt imputẽtur & peccata parentum. quæ precatur ſemper Domino eſſe in oculis, hoc eſt iugi vltione in improbo puniri, vt ipſe & qui ad eum attinent, penitus exterminentur, ne vlla eius ſuperſit memoria.

16 *Propterea quòd non fuit memor facere benignitatem, & perſequutus eſt uirũ adflictum & inopem, & contritum corde ut occideret.*

17 *Dilexit maledictum, & adueniat ei: & noluit bonam precationem, & ſit ab eo longè.*

18 *Induatur maledictio ut tunica ſua, & ueniat ſicut aquæ intra eum, & ſicut oleum in oſſa eius.*

19 *Sit illi ſicut indumentum [quo] inuoluatur, & ad cinctorium [quo] ſemper præcingatur.* Cauſam Sanctus reddit cur ita deuoueat improbum, tantiſque malis eum dignum iudicet. Deus nihil æquè charitate & beneuolentia exigit: quare ſumma eius indignatione & extremis malis dignus eſt etiam qui in quemvis iniurius eſt, & inhumaniter ſeſe habet. Iam id pluſquam Satanicum eſt, cum etiam poſſe adfligere & iniuriis afficere qui antea adflictus & calamitoſus eſt, ídque nullo ſuo merito, nempe innocens, & de omnibus bene mereri ſtudens. Iam quum Deus rependat vnicuique iuxta ſua ſtudia, bona bonis, mala malis, ídque improbo iſti abundè notum fuerit: quum tanta peruerſitate & crudelitate in innocentem eſſet, viſus ſanè eſt maledictum, hoc eſt Diuinam execrationem amare, & velle: bonam verò precationem, item Diuinam (quæ & Dei beneficẽtia eſt, quũ illius dicere, facere ſit) odiſſe, & nolle, nihilque ea affici. Precatur ergo vt ita eueniat ei ſicut ex factis eius apparebat voluiſſe: petitq; vt execratio Diuina quæ in omnia mala præcipitat, & hominum quoque execrationẽ accerſit, ipſum totum obruat, occupet, & penetret. Id enim valet quod orat vt ea induatur tanquam veſte interiore: poſtea, vt ea amiciatur ſupernè, tanquam pallio: poſtremò, vt ea velut cinctorio vndique & perpetuò cingatur: præterea, vt Ipſum perfluat, ſicut ſolet hauſta aqua perfluere interiora hominis. Addit, *Sicut oleum uel unguentum in oſſa eius.* vnguentum enim etiam oſſa penetrat, quũ externè membra inunguntur. Erant iſti quibus hæc imprecatur, penitus deplorati, & non tam ipſius quàm Dei hoſtes: quare ſciebat illos vltionem manere infinito maiorẽ quàm explicare poſſet. ideo auget ſic omnia, & exaggerat. Ab externis quoq; malis quæ illis imprecatur tã atrocia, æſtimari voluit mala interna, & ſeculi futuri pretiũ & mercedẽ.

20 *Hoc eorum opus à Iehouah qui mihi aduerſantur, & loquuntur noxia contra animam meam.* Quàm iuſtè orarit quæ præmiſit, quanlibet atrocia, hoc verſu cõfirmat, *Hoc*, inquit, *à Iehouah opus eorum erit*, id eſt operæpretium & merces. ſic enim in Scripturis aliquoties פעלת accipitur. Quod enim illis iuſto Dei iudicio debebatur, Sanctus iure eis imprecabatur, Dei duntaxat Spiritu impulſus & actus.

21 *Et tu Iehouah Domine fac mecum propter nomen tuum, quia bona benignitas tua, libera me:*

22 *Nam afflictus & inops ego, & cor meum uulneratum eſt in me.*

23 *Sicut umbra quum declinat ipſa, dilapſus ſum, depulſus ſum ſicut locuſta.*

24 *Genua mea impegerunt præ ieiunio, & caro mea contabuit à pinguedine.*

25 *Et ego fui opprobrium illis, uiderunt me, mouerunt caput ſuum.* His verſibus implorat opem Dei, & ſuam iterum exponit miſeriam. Quod dicit verſu 23, *Et excuſſus ſum tanquam locuſta*, ad id reſpexit quòd locuſtæ ferè ſemper ſubſiliant de loco in locum, nec habent fixam ſedem. Sic Dauid vbicunque latibulum quæſiſſet, excutiebatur perſequente Schaule, & prodentibus aſſentatoribus eius: de quo fuſè dictum in Pſalmum 11. Verſu 24, memorat quàm multus fuerit in precibus ad Deum: quas quũ plurimo animi ardore funderet, pariter ieiunabat, ídque tam inſtanter vt inde vacillarent iam ac labaſcerẽt ei genua, & caro planè marceſceret. Nam quod ait, משמן, id eſt à pinguedine, ſic Hebræi intelligũt, Caro mea adeò emarcuit vt pinguedo periret. Id verò ſatis liquet, שמן alicubi pro pinguedine accipi. Haud ſcio tamen annon & hic ſenſus huius verſus eſſe poſſit, Vacillarunt à ieiunio, quòd illo nimirũ me adflixi, genua mea & caro mea emarcuit ab vnguento, id eſt ab eo quòd vt vnguentis, ita aliis quoque deliciis abſtinuerim, omni corporis cura abdicata: vt per vnguentum intellexerit curam carnis, vti adhiberi illud ſolebat, quũ delicatius viueretur: quod Pſalmo 23, abundè teſtatur. Verũ Lectoris ſit iudicium. Dominus tanquã rem in ieiuniis adhiberi minimè ſolitam, inungere caput iubebat, quũ præciperet ieiunii diſſimulationem. Vt ieiunia veteres precibus grauioribus ſemper cõiunxerint, dixi in Pſalmum triceſimumquintum. Quæ verſu 25 queritur, queſtus eſt & in verſu 8 Pſalmi 22, ac alibi.

26 *Auxiliare mihi ò Iehouah, Deus mi ſerua me in bonitate tua:*

27 *Et cognoſcant quia manus tua hæc, tu Iehouah feciſti illud.*

28 *illi deuoueant, tu verò beneficentia proſequaris: inſurgunt, & confundantur, & ſeruus tuus lætetur.*

29 *Induantur aduerſarii mei ignominia, & inuoluantur ceu pallio erubeſcentia ſua.* Precatur ita ſe iuuari vt hoſtes ſentiant manum Domini eſſe. id explicat verſu 28, quō orat vt illis execrātibus, hoc eſt aduerſa omnia & imprecātibus & intētantib⁹, Dominus det ſibi rerū omniū ſucceſſum, & efficiat vt quū illi cōtra ſe inſurrexerint, illicò vt ſibi videntur, daturi internecioni, pudefiāt, irrito adeò ipſorū conatu, & fruſtrata ſpe, vt ipſi pereāt, ipſo ope Domini ſeruato, indéque de tanta eius bonitate lætante. Id autem quū illis maximè ignominioſum futurum erat, ſubiecit, *induantur aduerſarij mei ignominia*, & amiciantur tanquam pallio erubeſcentia, hoc eſt toti ignominia induantur: qua ſimilitudine & ſuprà vſus eſt.

30 *Celebrabo valde Iehouam in ore meo, & in medio multorum laudabo eum.*

31 *Quoniam adſtat ad dexteram inopi, ut ſeruet à iudicibus animæ eius.* More ſuo, vota laudis publicè nuncupat, & laudē ſimul explicat: ea ſiquidem eſſe bonitate Deum, vt inopi, quem omnes deſerunt, ipſe ad dexteram ſemper adſtet, & defendat eum à iudicibus eius animæ, id eſt poteſtate arbitrióque vitæ & necis eius pollētibus, vti erat Schaul & proceres eius. Præſentē ſemper opem Domini, & Pſalmo 16, per adſtare ad dexteram, exprimit verſu 8.

DISPVTATIO DE EO QVOD DSVS MAIORVM SCELSRA punit in minoribus.

Orat Vates in verſu 14 & 15, vt Deo peccata maiorum improbi memorentur, ſempérque in conſpectu habeantur, ad hoc vt ipſe & poſteri eius ſemel excindantur. Id cum illo cōuenit quod Deus in Lege de ſe teſtatur, ſolere ſe iniquitatem patrum vlciſci in filiis in tertiam & quartam generationem. Huic videtur aduerſari quod paſſim Scriptura de eo prædicat, reddere eum vnicuique iuxta facta ſua. Hunc nodum ſic puto diſſoluendum. Primùm id ambigi apud pios non poteſt, Deum neminem punire ob culpam alienam, ſed repēdere vnicuique pro factis ſuis. Quum autem externis iſtis vltionibus, mundo cōſpicuis, Deus non tam ſumat ſcelerum pœnas, quàm ſumpturum ſe indicet, & magis teſtetur quæ mala præcipuè execretur, & quantopere, quàm dignam factis talionē ſceleratis reddat (nam hoc futuri ſeculi eſt) dicit Scriptura, Deum in filiis, patrum flagitia vlciſci, dum illa in patribus præterita atrociter adeò in filiis vindicat, vt non ſolùm ipſorum qui pœnas dant, impietatem, ſed etiam maiorum eorum videatur vlciſci, ac reuera vlciſcatur. etenim quum illis eadem peccantibus externè nihil mali intulerit, videtur pepercisse. Sic dicebat Seruator ſuper Hieruſalem venturum reatum omnis ſanguinis iuſti qui effuſus fuerat inde ab occiſo Habel. Ea enim erat de Hieroſolymitanis effuſi iuſti ſanguinis vltio ſumenda, qualem nec antè orbis viderat, nec erat poſtea viſurus: hinc hominum æſtimatione, videbantur non ſuæ ſolùm crudelitatis pœnas perſoluere, ſed omnis quæ à quoquā poſt conditos homines fuit admiſſa. Et reuera perſoluerunt. nam quantum ad vltionem attinet mundo manifeſtam, hi certè conſummatam tandem dederunt, ita vt etiam hæc in illis crudelitas, occiſo Seruatore mundi, & Apoſtolis eius, ad ſummum peruenerit. Ad eundem modum, quia iis Amalekitis qui primi Iiſraelem oppugnarunt, externè nihil dignū eorum improbitate acciderat, & poſteri eorum fuerunt per Schaul prorſus deleti, qui haudquaquam ſoli ita Iiſraelem infeſtarunt vt tantas meruiſſe pœnas viderentur, quū maiores eorum nullas dediſſent, dicit Dominus ipſe, tum poſteris repenſum quod fuerat peccatum à maioribus. Haud enim inſolens hoc in Scripturis eſt, vt Deus de ſe iuxta noſtram æſtimationem loquatur. Quanquam ſit & impiis ea inter ipſos communio, vt ad maiores quodammodo pertineāt quæ mala perferunt minores. Tum ſic habet Diuinæ prouidentiæ ratio, vt quoduis ſcelus ſuo in tempore digna vltione notetur quàm execrabile ſit Deo. Et hoc enim pacto Deus ſuorum fidei conſulit, quòd interdum truculentiſſimis vltionibus teſtetur ſe orbis iudicem. rurſus ſæpe ſic cōniueat (quantum ad viſibiles pœnas attinet) vt prorſus negligere res humanas putetur. hanc autem vlciſcēdo rationem obſeruat, quū ſtatuit iram ſuam in ſcelus aliquod declarare. differt ferè, dum illud per multorū ſucceſſionem probè maturuerit. Hinc ſinit ſæpe ad probandum ſuos, impios pro libidine ſua diu graſſari, & non ſolùm ipſis pro arbitrio omnia ſuccedere, verumetiam eorum poſteris: ſed ſimulatque impietas & ſcelera in poſteris ad vltionem inſigniorem, qua Deus ſe mundo rerum humanarū vindicem declaret, velut maturuerunt, vlciſcitur tandem ea in iis in quibus ad ſummum iam peruenerunt: dicítque ſe tum omnem illam impietatem quam illi à maioribus acceperunt, quæque in maioribus viſa eſt inulta relinqui, in ipſis pariter punire. Id autem ſic attemperat, vt nec illi de quibus externè pœnas ſcelerum, quæ cū ipſi, tum maiores eorum admiſerunt, ſumit, plus patiantur quàm meruerint: nec illi qui coram mundo videntur inulti hinc migraſſe, minus. Hinc quiuis videt vt conciliandi ſint hi loci Iechezkel 18.a.4, Filius non portabit iniquitatem patris: & Exodi viceſimo, & quod hîc Sanctus precatur, filios improbi dare pœnas eorum quæ peccarunt parentes. Item quæ adducti loci de Amalekitarum & Hieroſolymitano excidio memorāt.

Exod.20.a.5.

Matth.23.d.35.

1.Sam.15.a.2.

Nam Iechezkel nequaquam id negare voluit quod in Lege Deus de ſe teſtatur: ſed quum populus mala quæ patiebatur ob propria ſcelera, in maiores reiiceret, & videre volebāt ſe immeritos luere quæ peccauerant patres eorum, docet toto eo capite ſacer Vates, vnumquenque (quicquid patiamur mali) ſuo merito pati, & nemini obfuturam impietatem patrum, ſi ipſe pius ſit: ſicut nemini item patrocinaturam maiorum pietatem, ſi ipſe ſit impius. ſed nec ſuam cuiquā impietatem nocitutam ſi reſipiſcat: vt nec à malis quenquam liberaturam anteactam iuſtitiam, ſi ab ea defecerit. Breuiter affirmat, mala deberi peccatis, eóque vbi illa obtinent, ibi ſæuire Dei vltionem: cōtrà, vigere Dei beneuolentiam, vbi ſtudetur innocentiæ, quicquid vel maiores, vel quiſque ipſe antea vixerint. In his iam nihil eſt quod cum illo Legis diſcrepet. Nec enim habet illa, Deum, improborum maiorum ſcelera vlciſci in innocentibus filiis, quod ſolùm Iechezkel cōfutat. Deus ſiquidem, qui vaſa iræ & gratiæ pro ſuo perfecit arbitrio, iis qui ſe odiunt maioribus parentibus eos dat liberos, qui vt paternam imitantur impietatem, ita digni ſunt in quibus etiam ea impietas vindicetur, & id ipſorum merito. Nihil cuiquam debet Deus: nec licet vaſi figuli dicere figulo, Cur me ſic feciſti? Interim tamen, licet nemo quicquam boni habere poſſit quod illi à Deo non gratuitò detur, ſic tum res noſtræ comparatæ ſunt, ſic ſuperat iuſtitia Dei, vt quicquid tandem patiamur, ſi noſtram ipſorum audire conſcientiam ſuſtinemus, cogamur fateri omnia nos pati noſtra culpa. Rom. 9. 20.

PSALMVS CX, διχαστικὸς & προφητικός.

Canit de regno Chriſti quod in Siion cœpit, indéque ad fines orbis uſque peruenit, obtinebítque donec Chriſtum ſuperi & inferi uniuerſi adorent, hoſtéſque eius ſcabellum poſiti fuerint pedibus eius. ARGVM.

1 O Da Dauidis. Dixit Iehouah Domino meo, Sede ad dexteram meam, do- PARAPH.
nec ponam inimicos tuos ſcabellum pedibus tuis.

2 Proferet Iehouah à Siion potens imperium tuum: exerce poteſtatem in me-
dio hoſtium tuorum.

3 Populus tuus ſpontaneus adeſt in die, in quo copias Iiſraelis collectas habes
in vrbe magnificentia Sacrarii inſigni: ſicut ros in aurora, ita prouenit ab vtero
iuuentus tua.

4 Iehouah iurauit, nec pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum, iuxta ratio-
nem Malchi-ſedek.

5 Dominus ad dextram tuam, cædet tempore iræ ſuæ Reges.

6 Exercebit iudicium in Gentibus, replebit omnia cadaueribus, cædet caput
terræ amplæ.

7 De flumine in via bibet, propterea extollet caput ſuum.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 D*Auidis Pſalmus. Dixit Iehouah Domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam hoſtes tuos ſcabellum pedum tuorum.* Eadem canit hic Pſalmus quæ ſecundus. Omnia Chriſto propriè competunt. Sunt tamen qui & hîc typum qui in Dauide præceſſerit, ſubſtratum exiſtiment. legimus ſiquidem, Dauidem ſtatim atque ipſum totus Iiſrael regem in Hebron ſalutaſſet, expugnaſſet Hieroſolymam, atque ibi regni ſede inſtituta, mox Arcam fœderis eódem tranſtuliſſe. inde è Siion iam vrbe regia, expugnaſſe cunctas gentes finitimas. Quúmque ergo totus Iiſrael ad regem Ieruſalem conueniſſet, vt Arca fœderis digna pompa in Siionem ferretur, verè dies erat virtutis & copiarum Iiſraelis, ſatiſque cernebatur confirmatum illi à Domino regnum, faciléque licebat diuinare hunc regem ſic hactenus Diuina ope adiutum, ſic populo omni charum, ſicque religioſum, omnes populi ſancti hoſtes edomiturum, & è Siione regnū hoc ſanctum ad vltimos vſque fines à Domino promiſſos prolaturum. Iſtud ergo ipſe hoc Pſalmo, vnà cum populo, in gloriam Dei, ad accendendam populi pietatem, memorare & canere voluit: ſimúlque in ſe Chriſti typo, de regno huius, vt ferè ſolet, vaticinari. Hinc ergo volunt primum verſum, dum ad Dauidem Chriſti typū refertur, hunc ſenſum habere. Dicit ſacer populus, Nunc cum tanta animi alacritate totus adeſt Iiſrael, adeſt vt Arcam fœderis, ſedem Dei Siionem cū rege deducat, Dei ſimul & regis ſtudioſiſſimus. Satis ſupérque manifeſtum eſt, quid Deus regi & Domino meo promiſerit, in quantā illum euehere poteſtatem decreuerit. Certè huic Domino meo dixit, *ſede ad dexteram meam:* id eſt, regna, & dominare ſuper omnia. Quibus enim datur Regibus ad dexteram ſedere, illi proxima ab ipſis dignitate & poteſtate pollent. Inde quū Solomon vellet ſuam matrē honorare, collocauit eam ſibi ad dexteram, 3. Schm. 2. c. 19. Quum ergo nemo mortalium fuerit à Deo euectus Dauide ſublimius, canebát eum iuſſum à Deo ſedere ad dexteram ſuam. Putant enim qui hanc enarra- 2. Sam. 5. 6.

tionē adferunt, quū Dauidi, vt Chriſti typo, cõpetat dici primogenitum Dei: quo nomine vocari eum, Pſalmus octogeſimusnonus d.28, teſtatur, poſſe etiam ſuo modo dici, eum ſedere ad dexteram Dei. Quúmque obiicitur, ſi vel quantum ad typum attinet, potuiſſet hic verſus de Dauide intelligi, habuiſſent Phariſæi quod Seruatori reſpondiſſent roganti, Si Chriſtus filius Dauidis eſt, quomodo vocauit eum in Spiritu Dominum? Matth.22.d.41. dicere enim potuiſſent, Dauidem hoc in perſona populi dixiſſe. Reſpondent illi, paſſim tum perſuaſum fuiſſe populo Iudaico, & quidem ab ipſis Phariſæis ac Legis doctoribus, hæc de Chriſto præcipuè & propriè ſcripta eſſe. quare ad iſtum effugere modum non potuerunt. Si nanque illud reſpondiſſent, regeſſiſſet Dominus, Vos, & omnes rectè hunc Pſalmū intelligentes, agnoſcitis eum ad Dauidem, nonniſi vt Chriſti typum, pertinere: de Chriſto autem redemptore populi ſancti, propriè eſſe compoſitum. vnde non minus Dauid ipſe de Chriſto, quæ hic habentur, quàm populus, cecinit de Dauide. Conſtat ergo quòd & Dauid ipſe Chriſtum, Dominū ſuum vocarit: id quod vtique indicat, eum in Chriſto plura agnouiſſe, quàm fore illum ſuum filium. Horum ſententiam, ſicuti ea videatur veritatem Chriſti contra Iudæorū calumnias firmare, is poterit eam amplecti. Equidem vt ſcio Chriſtum finem eſſe Legis, atque ideo hîc quoque in primis propoſitū, ita ad ipſum omnia referam. quanquam damnare nolim quicquid ſic vel hunc, vel alium locum elucidat: vt à calumniis impiorum orthodoxa expoſitio vindicet, & gloriæ Chriſti nihil derogetur. Chriſto itaque, vt & iſti fatentur, hæc propriè ac verius competunt. de hoc cum Dauide totus populus canit, *Iehouah dixit Domino meo*, & omnium Ieſu, *ſede ad dexteram meam*: id eſt, regna ſuper omnia, primáque potentia eſto præditus, cui ſe cuncta genua flectant, quémque omnis lingua Dominum confiteatur. Hæc Chriſti ſublimitas & gloria, à reſurrectione & euectione in cælos, orbi primùm reuelata eſt: ideo ſcribitur tum à dextris Dei conſediſſe quū cælos cõſcendit, Marc. vltimo, d.19, &

Quid ſedere ad dexteram Dei. Epheſ.1.d.20: vbi etiam D. Paulus abundè exponit, quid ſit Chriſtū ad dexteram Patris ſedere: nempe ipſum hominem, eum qui pro nobis obediens mortem pertulit, conſtitutum eſſe ſupra omnem principatum ac poteſtatem, virtutem & dominiū, & omne nomen quod nominatur nō ſolùm in ſeculo hoc, verumetiā in futuro. Denique omnia ſubiecta eſſe ſub pedibus illius, atque datum eum caput Eccleſiæ, quæ eſt corpus illius, cõplementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. Hæc Paulus. Iſta ergo hominis Ieſu euectio, vt per eum in inuiſibili gloria Dei præſidentem, cuncta inſtaurentur & perficiantur, vtque Sancti vniuerſi ad Dei imaginem reformentur, quæ poteſtas nulli vnquam creaturæ communicata eſt, quia nulla, vt hoc ſemē Abrahæ, à verbo Dei aſſumpta eſt, iſtuc eſt quod hîc illi Pater dixiſſe canitur, *Sede ad dexteram meam*. Porrò vt huius hoſtes, ſcabellum ipſi ponantur, planè apparebit quando confecerit hoſtem vltimum, mortem: de quo 1.Corint.15.c.24. Hoſtes autem eius ſunt, quicunque ex Deo nati nō ſunt, & ideo vt patrē, ita ipſum perpetuò oderunt. Ii ſunt qui dicunt, Nolumus hunc regnare ſuper nos. Reliqui enim omnes, vt ante conditum mundum in hoc electi ſunt vt filii Dei ſint: ita dum eum nondum regem ſuum agnoſcunt, vocantur quidē immorigeri filii, oues errantes, peccatores: at hoſtes Chriſti non vocantur. Impiè ergo hîc noui Origeniani colligunt, vniuerſos ſaluandos: quos etenim Chriſtus ſeruat, eos menſæ ſuæ adhibebit conuiuas in regno Patris, non habebit ſcabellum pedum. Et horum typum geſſerunt Iiſraelitæ, qui flagrantiſſimo ſtudio Dauidem regem ſalutabãt: illorum autem, Ammonitæ, Moabitæ, & alii hoſtes Dauidis, qui fuerunt vel funditus deleti, vel in ſeruitutem ſempiternam redacti.

2 *Iehouah emiſit virgam virtutis tuæ ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.* Hoc verſu canit regni huius potentiam, ex Siion profectam. Hanc Chriſtus in medio hoſtium ſuorum exercet, quum ſuos tanquam oues in medio luporum ita ſeruat, ita tuetur, vt cuncti illorum hoſtes nihil niſi quod in bonum illis cedat, poſſint efficere. Vt verò mirificum hoc Domini imperium diligentius conſiderandum Pſaltes offerret, inducit Deum Chriſto ſuo loquentem, *Dominare*, exerce poteſtatem *in medio hoſtium tuorum*: pro arbitrio tuo de illis ſtatue. Id quidem quãtum ad typum attinet, magnificè & in Dauide adumbratum eſt, quū ſæuas adeò de Ammonitis deuictis pœnas ſumeret, de quibus memini in verſu 43 Pſalmi 18, & in verſu 9 Pſalmi 20. Sed id vmbella tãtùm, & quidē pertenuis fuit imperii Chriſti, quod Spiritu ſuo inter hoſtes ſuos adminiſtrat. Vinctus Paulus erat & Romæ, & à Cæſare, penes quem totius orbis erat imperium: ſed quàm non erat in eo vinctum verbum Dei? quàm verè regnabat in eo Chriſtus, quum ſumma illum libertate ad extremum vſque Spiritū prædicaret, & à cunctis ſuis hoſtibus nihil niſi quæ ſaluti ſibi eſſent, ſentiret? Ergo vt habiturum erat regnum Chriſti erga hoſtes, cecinit verſu 2. Duobus ſequentibus canit vt illud futurum erat in populo ſancto.

3 *Populus tuus ſpontanearum in die exercitus tui, in magnificentiis Sanctuarij, ab vtero, ab aurora tibi ros natiuitatis tuæ.* *Populus*, inquit, *tuus ſpontanearum*, ſubaudi, voluntatum, vltroneus & lubens adeſt tibi, *in die exercitus tui*: vel collectarum copiarum Iiſraelis. quantum enim ad typum attinet, reſpexiſſe videtur

ad feſtum illud magnificentiſſimum, quod habuit Dauid quum Arcam in Siion transferret, vt dictum eſt. *In die exercitus tui*: alii legunt, virtutis: ſignificat enim חיל & exercitum & virtutē, ſed ferè bellicam. Mihi, quia ſequitur, *in ſplendoribus*, vel, magnificētiis *Sacrarij*, arridet חיל hîc accipere pro copiis Iſraelis. Nam legimus 1. Paral. 15. a. 3, Dauidem quū vellet Arcam Siionem trāſferre, totum Iiſraelem collegiſſe: qui & maxima animi promptitudine & alacritate adfuit cum principibus ſuis, & quicquid in regno eximium erat. Splendores Sacrarii, vt Kimhi videtur, Ieruſalem ſignificāt in ea enim erat Tabernaculū fœderis, Sacrarium Domini. Propter hoc, vt Pſalmo 48. a. r, dicta eſt ciuitas Dei, mons ſanctus, locus elegans, exhilarans omnem terram: ita vocatur hîc, magnificentiæ vel ſplendores Sacrarii, id eſt ſingulari ſplendore, ob Sacrarium præſtans. hæc verò omnia in Eccleſia Chriſti complentur. Poſſunt etiā ſplendores Sacrarii, magnificus apparatus intelligi, cum quo Arcam rex & totus populus in Siionem deducebant, qui in loco iam memorato fuiſſe diſcribitur. Non autem ſpontaneum ſolùm adfore populum regis huius, Deus promiſit, ſed & multum. id ſequens particula dicere videtur, *Ab utero, ab auroræ ros natiuitatis tuæ*: id eſt, ita adeſt iuuentus tua ab vtero, vt decidit ros in aurora, nimirum fœliciter & multus. Perquam obſcura eſt hæc particula. Ego ſpectaui id quod in hoc verſu præmiſſum eſt, de frequentia ſpontanei populi apud Regē. Id ſatis liquet, Pſalmū præcipuè gloriam Regis huius, & magnificentiam quæ illi ex ſingulari Dei bonitate contigit, canere. Deinde obſcurū non eſt, hoc tertio verſu hanc regis huius magnificentiam prædicari à populi vltronea frequētia, ſicut prædicatur verſu ſecundo, à victoria contra hoſtes, plenóque in illos dominio, & quarto à religione Regis. Iam quū eandem propemodum ſententiam, mutatis verbis in vno verſu geminare Vates hic, vt & cæteri, ſoleat, propendet animus in eam enarrationem, quam attuli. Nequem autem fraudem cogitationibus aliorum, volo Hebræorum enarrationes hîc adducere. Kimhi hunc ſenſum adfert, Ab vtero, hoc eſt aurora tua, tibi cecidit ros natiuitatis tuæ: hoc eſt ſingularis Dei fauor te proſequi, & vt tam eximia ederes facinora, cœtu fœcundare cœpit. Quidam verò Rabbi Moſcheh, quē adducit A. Ezra, ad hunc modum locum hunc enarrat, Ab vtero virtus corporis, quæ eſt velut ros naturæ tuæ, tibi tanquam lux auroræ erumpit, augebitur & proficiet. Adducit idē alios qui hanc ſentētiam afferunt, Ex vtero, natiuitas tua ex humili loco venit. Nam hi שחר, quod nigrum, & inde abiectum ſignificat, pro humilitate generis accipiunt: & של verbū faciunt, quod cadere ſignificat, ſicut יושל גורל, id eſt proiicitur ſors. Ipſe A. Ezra totius verſus hunc ſenſum facit, Siquādo bellum tibi moueatur, & copiis opus habeas, populus tuus tibi aderit ſicut vltronea pluuia videbis eos in magnificentia ſancta ab vtero, ſtatim ab auroræ ortu aduenient, ſicut ros, quem in iuuentute tua quū gregem paſceres, videre ſolebas. Eclipſim nāque eſſe vult, עפר מרחם. Rabbi Schlomoh in hanc ſententiam verſum explanat, Populus tuus vltroneus erit ad auxiliandum tibi, in die quo facies fortiter, propter decorem ſanctitatis, qui in te eſt: à iuuentute tua, tibi ros erit naturæ tuæ, id eſt bona natura, quæ ſicut ros fructum ferat, vt proſperè agas. Chaldæus interpres טובא pro miſericordia vſurpans, & מזומן pro præſto adeſſe, ſic verſum hunc reddidit, Populus tuus domus Iiſrael, qui incumbunt Legi, in die concertationis prælii tui, adiuuabis eos ſplendoribus ſancti, miſericordiæ Dei præſto erunt tibi tanquam deſcendens ros, ſedebunt confidenter nati tui. Hinc Chriſtiane Lector videre licet, quātam iacturam fecimus interitu librorum Hebraicorum. nam quum ſola ſacra Biblia ſuperſint, tam pauca ſcilicet, plurimæ ſunt formulæ, plurimæ dictiones, quæ vno duntaxat in loco occurrunt, quarum ſignificatio nulla poteſt collatione perueſtigari. Hinc tanta vbique interpretū varietas, vel in hoc verſu quàm (bone Deus) diuerſa nobis reddiderunt? Græci legunt, μετὰ σοῦ ἡ ἀρχὴ ἐν ἡμέρᾳ τῆς δυνάμεώς σου, ἐν ταῖς λαμπρότησι τῶν ἁγίων σου. ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε. עמך ſiquidem ſi cum hirik punctatum ſit, tecum ſignificat: ſed hîc punctum patach habet, & populum tuū ſignificat, ſicut & Hieronymus hoc reddidit. נדבות liberos & ſpontaneos ſignificat, ſed נדיבים principes, de qua voce iam dictum eſt in Pſalmo centeſimo octauo. Græci reddiderunt ἀρχὴ, id principatū ſignificat. Latinus autem interpres, quoniam ἀρχὴ etiam principium ſignificat, Hebrææ linguæ ignarus, vertit, Tecum principium. Quod quātas diſputationes Patribus dedit? ſed omnes extra oleas. Illud ἐν ἡμέρᾳ δυνάμεως, id eſt in die virtutis, propius eſt. nam חיל virtutem, ſed bellicam ſignificat. Ita ἐν λαμπρότησι τῶν ἁγίων, id eſt in ſplendoribus Sanctorum, non adeò alienum eſt: licet vox Sanctorum, quum ſit Hebraicè, Sanctuarii, in ſingulari, multis dederit occaſionem philoſophandi quæ nō admodum faciunt ad rem: tum quòd ſplendores non pro magnificentia & decore acceperunt. Illud πρὸ ἑωσφόρου, id eſt, ante luciferum, ſtare non poteſt. nam לפני Hebræis antè: מ verò, ab & præ ſignificat. In ילדותך quoque erratum eſt: nam ילדתיך genui te ſignificat, non ילדותך. Hi verò lapſus minus mirandi, quando diuus Hieronymus hîc in dictione בהדרי, id eſt ſplēdoribus vel magnificentiis, legerit ר pro ד, & inde reddiderit In montibus. Videte Sacrarum literarum ſtudioſi quanta ſit Linguæ ſanctæ diſcē-

dæ neceſſitas. quanquam ſic nobis proſpexerit Diuina bonitas, vt quæ propriè ad ſalutem nos erudiunt in Sacris, planiſſima ſint, & poſſint à quouis illis viuere cupiente intelligi. Multa in hoc Pſalmo inſunt quæ variè intelligi poſſunt. de eo autem omnibus pulchrè conuenit, hîc regnum Chriſti celebrari, cui oporteat omnia ſubiici: hunc ſacerdotem & mediatorem noſtrum eſſe in ſempiternum. Hæc iam qui fide tenuerit, is habet vitam æternam, poteritque de reliquis citra ſalutis iacturam ambigere. Hactenus verſum tractauimus, quantum ad typum attinet. in Chriſto autem omnia cōſummata habentur. Huic in die quo veriorem Arcam fœderis Sioni, hoc eſt ſuum corpus cælis, & ſtatim ſui nominis fidem per Euangeliū mentibus Electorum intulit, ſtatim adeſſe cœperunt incredibili frequentia populi ſpontanei, qui eo ardore Chriſto ſeſe addixerunt, vt nō rerum modò, ſed & vitæ iacturam magno cum gaudio facerent. Ibi cæleſtem ſplendorem & magnificentiam per tam varias & admirandas dotes Spiritus ſancti exhibuit: & ſicut ros mane terram obtegit & fœcundat, ita vndique apparuerunt qui Spiritu eius mundum fertilem pietatis & innocentiæ reddiderunt.

4 *Iurauit Iehouah, & non pœnitebit, Tu ſacerdos in ſeculum, iuxta verbum meum Malchi-ſedec.* Hoc verſu Regem iſtum prædicat à religione, qui & ipſe vni Chriſto propriè competit: licet Dauid hactenus verius, quàm filii eius, qui כהנים, id eſt Sacerdotes fuiſſe dicuntur, ſacerdos appellatus ſit, non ſolùm propter publicum miniſterium, & regiam poteſtatem piè & religioſè adminiſtrarā, ſed propter religiones & ceremonias tāto ſtudio reparatas, auctas & ornatas. verùm hæc nihil niſi vmbra ad Chriſtum. Vt ergo omittam quæ non proximè ad rem faciunt, tempore Abraham, Hieroſolymis regnauit rex Malchi-ſedek, quæ tum Schalem dicebatur, vt legimus Geneſis decimo quarto. Is ſic regnum adminiſtrabat, vt ſimul & ſacerdotio fungeretur, hoc eſt Doctrinæ ſacræ interpretem, & pacatorem atque ſacrificum populi ageret. Ad hunc igitur modū regnaturum, non Dauidem, niſi vt vmbram, ſed Chriſtum ſuum, Dominus iurauit, qui vnus ſcilicet eſt Dei & hominum moderator, vnus aduocatus, ſacrificium & Sacerdos: & is quidem qui ſanctificatos in æternum conſummat. Hebr. 10. c. 14. Hæc tamen Epiſtola capite ſeptimo conſiderauit in hoc rege Malchi-ſedek plura quibus in eo Chriſtus adumbratus fuit. Nomē, quòd fuit dictus rex iuſtitiæ: locum regni, Schalem, quod pacē ſignificat: deinde quòd genus, ortus, & mors eius in Scriptura non memorantur: quòd denique Abrahæ bene precatus eſt, & decimas ab eo vt præſtantior acceperit: quæ omnia in Chriſto completa ſunt. nam hic eſt qui iuſtos reddit cunctos in ſe credētes: quare nemo rectius Malchi-ſedek, id eſt rex iuſtitiæ, quàm ipſe, dicitur: nemo item meliore iure rex Schalem, id eſt pacis: quippe qui æternam pacem, vt cum Deo, ita cum rebus omnibus parauerit cūctis Electis: genus eius, & ortū quoque, quū idem Deus ſit, nemo eſt qui queat noſſe: mortis vnus hominum expers eſt, quia ſolus peccati purus: quòd enim mortuus eſt, peccatis noſtris ſemel mortuus eſt: idque noſtri & vitæ reparatio iure dicitur, mors dici verè non poteſt. hic denique eſt qui Abrahæ, ac in eo toti Sanctorū vniuerſitati bene & precatus eſt, & fecit, quia iuſtitia ſimul & æterna vita illos donat. Ei ergo iure ſe & omnia, non decimas ſolas Sancti offerunt. In his ergo ordo, ratio, modúſque eſt quo Chriſtus Malchi-ſedek in ſuo ſacerdotio cōfertur, imò in illo oſtenditur adumbratus. Incōſideratè quidam volunt, regem Malchi-ſedek ſacerdotii Chriſti typum in eo prætuliſſe, quòd panem obtulerit & vinum: quū tamen Scriptura non memoret, illum Deo panem obtuliſſe & vinum, ſed protuliſſe (eſt enim הוציא) Abrahæ & militibus eius reuertentibus à cæde hoſtium, ac ideo famelicis. Chriſtus quoque ſeipſum, non panem & vinum, Patri obtulit. Rectius hunc typum explicarent iſti, ſi dicerent, Sicut Malchi-ſedek, feſſo à prælio Abrahamo, & ſuis panem & vinum protulit, quo eos recrearet, & bene precatus eſt: ita Chriſtum ſuis dare panem & vinum de cælo viuū ac viuificantem: nempe carnem & ſanguinem ſuum, quo ita vites reficientur vt æternùm gaudeant, & viuant, quibuſcunque hic cibus ac potus contigerit. Ex eodem & hoc conſiderauit autor eius Epiſtolæ, quòd tum Seruator cum iuramento Sacerdos conſtitutus eſt, natus è tribu Iehudah, non Leui, & conſtitutus Sacerdos, non ſecundum ordinem Aharon, ſed Malchi-ſedek: vnde mutato ita ſacerdotio, & Legis, quantum quidem ad ceremonias attinet, mutationem fieri oportuerit: de quo dixi in verſum octauum Pſalmi 50. Sacerdotis planè eſt rem diuinam facere. quum ergo aliud Aharonico ſacerdotium ſuccedere Deus voluit, & perfectius, vtique & rationem rem agendi diuinam voluit mutari. Spectādum ergo modò quibus Chriſtus Deum ceremoniis colere inſtituerit, nempe ſui ipſius immolatione, & vita omnibus momentis proximorum vſibus inſeruiente, idque pro libero Spiritus arbitrio, citra tot externorum rituum, vt antea, præſcripta. Hoc ſacerdotium, vt eſt priore perfectius, ita durabit, dum tradet regnum ſimul & ſacerdotium Deo & Patri. Kimhi hunc verſum in hunc modū exponit, Iurauit Iehouah, Tu es Sacerdos, id eſt Princeps & Rex in ſempiternum, על דברתי, id eſt propterea vt ſis Rex iuſtitiæ, facturus iudicium & iuſtitiam omni

Tu es ſacerdos ſecundum ordinem Malchiſedec.

populo. A. Ezra autem על דברתי, iuxta moré & ritum Malchi-ſedek interpretatur. Verùm ſimilitudinem in eo ponit, quòd ſicut Abraham prædæ parté decîdit cum Malchiſedeko, ita populus ſpolia relata ab hoſtibus obtulerit Dauidi. R. Schlomoh, in eo Dauidé Malchiſedeko ſimilé ait, quòd ſacerdos & princeps Altiſſimi vterque fuerit: Epiſtola ad Hebræos ré ipſam expoſuit. Quũ Chriſtum ignorét, nihil huius poſſunt ritè intelligere. In דברתי redundat י, ſicut & in מלכי. Iſtæ paragogæ non infrequentes ſunt in Scripturis.

5 *Dominus ad dexteram tuam cædet in die iræ ſuæ Reges.*

6 *Iudicabit in Gentibus, implebit (locum prælij) cadaueribus, cædet caput ſuper terram amplam.*

7 *E torrente in via bibet, propterea attollet caput.* Quo ad Dauidem, fuit hoc vaticinium de victoria vicinarum Gentium, quæ antè Iiſraelem adflixerant: quo ad Chriſtum, vaticinium eſt de victoria contra Satanam & mundum Huic verò eſt ad dexterá Dominus, omnia ipſi expediens, cunctóſque hoſtes eius deiiciens. Diuina ergo virtute in die iræ ſuæ, hoc eſt quum ſæuire dignũ éſt, cædit Reges, comminués quanlibet eximiam poteſtatem. Id in Dauide adumbratum eſt quum regem Ammonitarum occîdit, & populum eius crudeliter adeò concîdit & exuſſit: tum & aliarum Gentium quæ illis venerant auxilio, Principes proſtrauit. Tum ſanè iudicium exercuit in Gentibus, ac repleuit omnia cadaueribus. id quod canit verſus ſextus. Vno enim prælio legimus cæſa quadraginta millia equitum, & totidem peditum, vt memini in Pſalmo 20. Quod autem hìc ſequitur, *Et cecidit caput ſuper terram* רבה. Quidam R. Iehudah putat nominatim dictum de rege Ammonitarum, cuius metropolis fuit רבה, id eſt Rabah. id, quũ præmiſerit in genere Reges, non eſt abſimile veri. Inſignis ſiquidem adeò fuit hæc vrbs, vt Ioab expugnatæ titulum Dauidi deferret, indignum ratus, alium quàm Regem ipſum illo inſigniri. Memoratur etiam vt corona regis huius vrbis & gentis, maximi pretii, Dauidi fuerit impoſita, 2. Schmu. 12. Porrò alii terram רבה pro ampla & potente accipiunt: quod quia generalius eſt, ſequutus ſum. ſcio enim in Chriſtum præcipuè omnia dicta. Is verò Dominus noſter, & Rex in die iræ ſuæ, tépore quo par eſt vt iram ſuam declaret, multo potétius iudicia exercet. Quàm multos enim ille iam Reges, quàm formidabilia terrarum capita, eorum qui regnum eius oppugnarunt, ab eo quòd per Euangelium regnum ſuum mundo manifeſtauit, cótriuit: quantũ proſtrauit cadauerum! Initium huius factum eſt à Iudæis: inde percuſſit & caput Romanum, quod vtique caput fuit ſuper multam terram: & Turcarum caput internecioni dabit. Verſu vltimo cædem hoſtium, & victoriam auget. ſignificat enim, tantum fundendum ſanguinis, vt è flumine ex hoſtium ſanguine facto, Rex hic bibiturus ſit. Nam per bibere ſanguinem hoſtilem, plenam & ad animi ſententiam perfectam victoriam Scriptura ſolet ſignificare, vt Num. 23. d. 24, vbi Bileá de Iiſraele ſic vaticinatur, En populus ſicut leo inſurget, ſicut leo attollet ſe, nó iacebit, donec vorarit prædam, & ſanguinem cæſorum biberit. Inde ſequitur, *Propterea attollet caput*: hoc eſt alacriter & fœliciter poteſtatem exercebit, factus ſuperior. Id quod in Chriſto ſeruatore tum planè conſpicietur quum hoſtes ſuos gehennæ vniuerſos addicet. Sciens præterii varias cum Hebræorum, tum noſtrorum in Pſalmum hunc enarrationes: quæ ſimplicior viſa eſt, & Chriſti gloriæ magis accommoda, eam tradidi. Nec dubito quin qui obſeruarit hìc cani quid Deus Chriſto ſuo dixerit, hoc eſt promiſerit, ac in eo ortum, ſucceſſum, conditionem & potentiam regni eius cum in electis, tum reprobis memorari, & Chriſti ſimul ſtudium aliquod habuerit, eum agniturũ, me haud longè à ſcopo aberraſſe. Sed per me cuique ſemper liberum ſit, de his ſentire, & iudicare quod ſe dignum fuerit arbitratus.

PSALMVS CXI, ὑμνητικὸς & εὐχαριστικός.

Hymnus eſt quo virtus, ſapientia, & bonitas Dei, quæ ex operibus eius, & geſtis cum populo Iiſraele, mirifice relucent, celebrantur. ARGVM.

1 LAudate Exiſtentem. א Equidé ex toto corde celebrabo Iehouam: ב in conci- PARAPH.
lio & cœtu eorum qui ſunt recti obſeruantes.
2 ג Eximia ſunt opera Iehouæ, ד in quibus, qui ea explorarint, inueniũt quæcunque cupiunt.
3 ה Quicquid facit, celebre & magnificũ eſt, ו & iuſtitia eius permanet in ſeculũ.
4 ז Effecit vt memoria eſſet mirabilium ſuorum, ח Iehouah ille benignus, & in beneuolentiam propenſus:
5 ט Dedit colentibus ſe prædam, י memor fuit in multa ſecula fœderis ſui.
6 כ Quanta virtute ſint facta eius, declarauit populo ſuo ל quum daret eis hæreditatem Gentium.
7 מ Quæ manu ſua efficit, fides ſunt & æquitas, נ quicquid mandat fidele eſt.

8 ס Suffulta ſunt, vt in omne æuũ perſtẽt, ע facta nimirũ ex fide,& recto iudicio.
9 פ Redemptionem miſit populo ſuo, צ mandauit vt fœdus ſuum in omne ſecu-
lum ſacroſanctum ſeruaretur: ק ſanctum eſt & tremendum nomen eius.
10 ר Initium ſapientiæ eſt timor Iehouæ: ש rectè ſapiunt qui mandatis eius faci-
endis incumbunt, ת laus eorum perennat in ſeculum.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

Haleluiah. *Celebrabo Iehouam in omni corde, in conſilio rectorum & cœtu.* Pſalmus hic tertius eſt qui iuxta ordinem Aleph Beth compoſitus eſt: ſed non capita ſolùm verſuum, verùm etiam hemiſtichiorum, à nouis literis incipiunt. Sic octo verſus, bina elemẽta: vltimi duo verſus, vt vterque, tria quoque cõplectitur elemẽta. Ad eundem omnino modũ & ſequens Pſalmus cõſcriptus eſt. Inultat initio Pſaltes ad laudes Dei: inde ſui exemplũ ſubiicit, *Celebrabo*, inquit, *Iehouam in conſilio & cœtu recti ſtudioſorũ*, idque *ex toto corde*: ita ſapiẽtiã & bonitatẽ eius in cunctis operibus eius ſuſpicio. סוד alioqui ſecretius & conſiliũ & conciliũ ſignificat: verum hîc, vt עדה, pro Sanctorum cœtu publico accipitur: nõ diſſimiliter accipitur & verſu 8 Pſalmi 89. Quàm multis enim poſſũt, laudes Dei Sancti deprædicare cupiunt. Verùm ſoli recti, qui nihil quàm Dei gloriam & proximorum ſalutem ſpectant & quærunt, eas audire ſuſtinent, fructúmque inde percipiunt: coram illis igitur ſolis eas cõmemorant. Laudis porrò, quam hîc Pſaltes canere inſtituit, initium eſt verſu 2,

2 *Magna opera Iehouæ, inquiſita ad omnia beneplacita illorum.* *Magna*, inquit, hoc eſt modis omnibus eximia ſunt *opera Dei, quæ perueſtigatos faciunt ad omnia beneplacita illorum*, ſcilicet veſtigantium: hoc eſt quicunque illa diligentius fuerint contemplati, & explorarint religioſius, in illis deprehendent tantam ſapientiam, & erga homines tam effuſam bonitatẽ animaduertent, vt nihil penitus queant in eis deſiderare, ſed omnia vota ſua longè ſuperare agnoſcent. ita vt quod canit verſus ſequens, ipſi quoque deprædicent,

3 *Celebritas & magnificentia opus eius, & iuſtitia eius ſtat in ſeculum.* Hoc eſt quicquid omnino Deus facit, ea ſapientia & bonitate præcellit, vt nihil niſi mera celebritas ſit, ſplendor & decus. Inde verò conſequens eſt quod ſequitur, *iuſtitiam*, hoc eſt, omnimodam bonitatem eius, *perſtare in omne ſeculum.* Hactenus cecinit de operibus Dei quæ in toto hoc orbe viſenda Deus exhibet. deinceps canit de iis quæ fecit peculiariter Iiſraeli.

4 *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, beneuolus & miſericors Iehouah.* Ea ſanè Iiſraelitis, quum illos ex AEgypto per deſertum in promiſſam terram induceret, præſtitit, vt ſempiternam mirabilibus ſuis his, quæ tum populo huic exhibuit, memoriã faceret. Dum nãque hic mundus ſteterit, memorantur hæc filiis Dei, typique ſunt, in quibus conſilia bonitatis Diuinæ deſcripta contẽplantur, indéque fiduciæ, amoríſque in Deum incremẽta accipiũt. 1. Corint. 10. Quia verò in his præclaris adeò bonitatis ſuæ facinoribus luculentiſſimè Deus declarauit quàm beneuolus ſit, facilis & benignus, quantáque humanitate ad iuuandum ſe inuocantes, propenſus, Pſaltes quaſi exclamauit, *Beneuolus & miſericors Iehouah.*

5 *Eſcam dedit timentibus ſe, memor eſt in ſeculum fœderis ſui.* Hæc putant Hebræi eadem eſſe cum illis quæ canit verſu 37 Pſalmi 105, Et eduxit eos ditatos argento & auro, nec fuit in tribubus eius qui miſerè haberet. טרף enim, etſi ſignificet vi correptã prædam, vti carniuoræ beſtiæ alias animantes ſibi in eſcam corripiunt vnde toties verbum hoc in Pſalmis pro violento raptu ex hac vita vſurpatur: transfertur tamen & ad prædam facultatum, Nahũm 2.d.13, & Malachi 3.c.10: quinetiam ad victum non raptum. nam Prouerbiorum 31.b.15, de prudente muliere dicitur, Surgit durante adhuc nocte, & dat tereph, id eſt debitum cibum domui ſuæ. Eodem ſignificatu vſus eſt verbo hoc & Prouerbiorum 30.b.8. Vocis itaque proprietas non obſtat quo minus de opibus quas abſtulerunt Iiſraelitæ ab AEgyptiis, intelligi hic verſus poſſit. Eam certè prædam Dominus illis dedit, quia & iuſſit petere: & dedit AEgyptiis animum vt darent. In eo quoque oſtendit Dominus, ſe memorem fœderis ſui quod multis antè ſeculis cum Abraham percuſſerat, hoc eſt promiſſionis quam illi feciſſe legimus, Gen. 15. h. 14, Gentem, inquiebat, quæ illos in ſeruitutẽ rediget, iudicabo: & poſtea egredientur cum opibus magnis. Qui hoc ad Chriſti carnem referunt nobis in cibum vitæ æternæ paratam, piè & religioſè faciunt: nec illibens credidero, ideo Vatem vſum hac voce טרף, quæ ex ſua radice carneum potius quàm alium cibum ſignificat: vt ad iſtum cibum viuificum, in quo ineſt quicquid vnquã Deus ſuo populo promiſit, & experi poteſt, ſpiritu Sanctorum ſubduceret.

6 *Virtutem operum ſuorum adnuntiat populo ſuo, ut det illis hæreditatem Gentium.*

7 *Opera manuum eius veritas & iudicium, certa omnia mandata eius.* Canit traditam Iiſraeli hæreditatem gentium Chenaanitarum. In eo ſanè ſummo miraculo, virtutem factorum ſuorũ, id eſt facinora ſummæ virtutis, populo ſuo adnuntiauit, hoc eſt, exhibuit. Ea canit verſu 7, eſſe fidem &

iudicium,vel æquitatē.illis enim Deus præſtitit quæ Patribus promiſerat.Quòd iudiciū vocat, quidā ad id referunt quòd tum cōpletam Amorrhæorū iniquitatem vindicatus ſit. Subiicit his, *certa & fidelia mandata eius*: quod Kimhi in genere intelligit de omnibus quæ Deus fieri mandat. Quæ nanque fieri in orbe ſtatuit, ea mandat Angelis qui per verbum eius faciunt:vt canit verſu 20 Pſalmi 103. Abr. Ezra intelligit de Lege & præceptis quæ ſunt omnium cordibus inſcripta, quibus nihil eſt æquè verum & firmæ rectitudinis. Ego malim in genere de præceptis Dei intelligere:& puto hanc particulam ita præcedentibus ſubiectam vt illa de Lege Dei in Pſalmo 19, iis quæ ibi de cælis & Sole præmiſſa ſunt. Erit ergo ſenſus, *Facta manuū eius*, hoc eſt quæcūque Deus facit,nihil niſi fides & æquitas ſunt:ſic & quæ nos facere mandat, quæcunque præcipit, ſummæ veritatis & iuſtitiæ exiſtunt.

8 *Suffulta in ſeculum & in ſempiternum,facta in veritate & rectitudine.* Hæc de vtriſque, & operibus & præceptis Dei intelligi poſſūt. Sic ſanè præcepta Dei ſuffulta,cōfirmata ſunt,vt citius cæli & terra tranſitura ſint,quàm poſſit ab illis tranſire vel apiculus.

9 *Redemptionem miſit populo ſuo,curauit in ſempiternum fœdus ſuum,ſanctum & tremendum nomen eius.* Hic verſus idem canit quod verſus vltimus Pſalmi 105. nempe ideo redemptos à ſeruitute AEgyptiaca,& in terram Chenaan liberos introductos Iſraelitas,vt fœdus quod cum eis Deus icit, ſeruarent,obſeruantes quæ ipſis præceperat.In quo diſcendum,noſtri redemptionem,ac cuncta Dei beneficia in hoc nobis conferri,vt innocenter & ſanctè viuamus.

10 *Primitiæ ſapientiæ timor Iehouæ,intellectus bonus omnibus facientibus ea:laus eius ſtat in ſempiternum.* Deum metuere & colere, omnis pietatis & ſalutis radix eſt. quod qui agnoſcunt, ac illa faciunt, præcepta ſcilicet Dei,recto ſunt iudicio præditi,veréque ſapiētes:& laus horum ſtabit perpetuò; quia à Deo huiuſmodi laudantur, ac demum inter laudatos Patris cæleſtis numerati,vocabuntur ad conſortium regni ſuperni.Quod enim dicit,*Laus eius*, more ſuo ſingulari pro plurali vſus eſt quanquam ſi ad Deum hoc referas,phraſis non repugnat. Prouerbiorum 1.a.7, habetur, Timor Iehouæ initium eſt ſcientiæ. Idem autem ſenſus eſt. Hinc diſcēdum,nullam eſſe ſapientiā, nullam intelligentiam,vbi deeſt timor,cultúſque Dei.

PSALMVS CXII in genere exegetico, διδακτικός.

Canit perpetuam fœlicitatem eorum qui timent,colunt,& imitantur bonitate Deum. ARGVM.

1 LAudate Exiſtentē. א Fœlix qui colit Iehouā, ב & præceptis eius ſeriò afficitur. PARAPH.
2 ג Potētes erūt in terra eius poſteri, ד natio recti obſeruantiū benè habebit.
3 ה Opulentia & copiæ in domo eius, ו & iuſtitia eius perſtat in ſeculum.
4 ז Recti ſtudioſis facit oriri lucem in tenebris: ח is pronus eſt ad beneuolētiam, & propenſus ad miſericordiam,& iuſtus.
5 ט Vir bonus benignè faciet,& dabit mutuò, י moderabitur res ſuas cum iudicio.
6 כ Nam in ſempiternum non nutabit, ל ad perpetuam memoriam erit iuſtus.
7 מ Quum audierit mala ingruere,nihil metuet, נ confirmatum ſiquidem eſt cor eius,nempe ſubnixum Iehouah:
8 ס Suffultum eſt cor eius,non metuet, ע donec optata videat in infeſtis ſibi.
9 פ Diſtribuit,dátque inopibus, צ iuſtitia eius perſtat in ſeculum, ק potentia eius exaltabitur cum dignitate.
10 ר Id improbus videbit & indignabitur, ש frendet dentibus, & tabeſcet: ת fruſtrabuntur ſiquidem deſiderio ſuo improbi.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 HAlelu Iah.*Fœlicia viri qui timet Iehouam,in mandatis eius delectatur valde.* Canit hic Pſalmus quæ & 37. Primo verſu exprimit Pſaltes ingenium timoris cultúſque Dei, quum ait, *Et in præceptis eius delectatur valde.* Sic enim animatum eſſe oportet, quicunque Deum verè timuerit. Qui ſanè filius patris verè obſeruans eſt, nihil prius aut cupit, aut ſtudet, quàm præceptis eius morem gerere. Vnde igitur omnis fœlicitas prouenit,primùm poſuit:ſtudium ſcilicet Dei,&curam innocentiæ atque iuſtitiæ. Quærentibus ſiquidem primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, cætera omnia adiiciuntur.

2 *Potens erit in terra ſemen eius,generationi rectorum benefiet.* Canit fœlicitatem liberorum timentis Deū,quos ait fore in terra potētes, hoc eſt firma & ſtabili proſperitate. Eam canit & verſu 26 Pſalmi 37. Vt nanque ſanctis ſuis liberos donat Deus, ita donat ferè bonos & fœlices. Si non omnes, vt nec ſanctiſſimorū patrū poſteri omnes boni fœlicéſque fuere, ſaltē aliquos. Canit autē hic vt

Deus vulgus ſuorum habeat. quos enim ad ſingularia effert, iis ſolet nonnunquam etiam inſignia immittere aduerſa.

3 *Opulentia & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius perſtat in ſeculum.* Fœlicitatem canit diuitiarum: cui adiecit, *Et iuſtitia eius perſtat in ſeculum*: propterea quòd vulgus diuitiis ferè auertatur à recto, iuxta illud, Faciliuseſt camelum tranſire per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum. quã tum enim opes creſcunt, tantum creſcit & opum ſtudium, Deique contemptus, niſi miraculo ſeruet cor in officio Spiritus ſanctus. Matth. 19. c. 24.

4 *Oritur rectis lumen in tenebris: beneuolus & miſericors & iuſtus.* Dei ſtudioſos tutos agere canit, dũ alii calamitatibus obruuntur: ſed ſub allegoria lucis & tenebrarum. Tenebræ enim dicũtur tẽpora aduerſa, vt bella, fames, peſtilentiæ. Kimhi totum verſum de viro recti ſtudioſo interpretatur, quòd is afflictis in aduerſo tempore pro viribus ſuccurrit, bonúmque ſe, miſericordẽ, & iuſtum præſtat. Significat enim iuſtitia, virtutem conſummatam, hoc eſt bonitatem abſolutam.

5 *Bonus vir, beneuolus eſt, & dat mutuum: negotia ſua geret cum iudicio.* Celebrat mores quibus Sancti prædití ſunt. in omnibus hi Patris cæleſtis bonitatem imitantur. Illud, *Diſpenſabit verba ſua cum iudicio*: Kimhi de eo intelligit, quod cum iudicio & iuſto delectu benefacit, vt proſit omnibus, officiat nemini: quod fit quũ pro dignitate cuiq; tribuitur. Notũ eſt דבר pro re accipi. Kimhi illud [illegible], intelligit, vt initiũ 1 verſus [illegible], pro bene erit viro qui beneuolus fuerit, & mutuum dederit.

6 *Nam in ſeculum non nutabit, & memoriæ ſempiternæ erit iuſtus.*

7 *Ab auditione noxia non timebit: confirmatum eſt cor eius, ſubnixum Iehouah.*

8 *Suſtentatum eſt cor eius, non timebit, donec quod videat in oppreſſoribus ſuis.* Stabilitatem fortunæ ac nominis canit verſus 6. Septimus ſecuritatem ex fiducia in Deum, dum nuntiantur imminere mala. Octauus prædicat tutum fore Sanctum, donec gratam videat in hoſtibus ſuis vltionem. Neque enim hoſtes habet, niſi qui & Dei ſunt: quos periiſſe, vt gloriæ Dei intereſt, ita iure recreat Dei ſtudioſos.

9 *Diſperget, dat inopibus, iuſtitia eius perſtat in ſeculum, cornu eius attolletur* [ſe] *in dignitate.* Canit qualis ſit verus Dei cultor in pauperes. nam vt ſe in mediocres habeat, canit verſu 5. Hìc iterum adiecit, iuſtitiam eius manere in ſeculum. nam niſi ea perennis eſſet, perfacilè à largiendo pauperibus cupiditate retraheretur. quod videmus proh dolor vſuvenire, etiam ſummam iuſtitiam profeſſis.

10 *Improbus videt, & indignatur, nudat dentes ſuos, & diffluit: deſiderium improborum perit.* Sicut hoc bonitatis ſtudio, pius Deo in primis gratificatur, cúmque verè colit, ita ille viciſſim euehit ipſum, dignitatéque præcipua ornat, vt inde improbi ſummè turbentur, & planè tabeſcant: quorum ſcilicet neceſſe eſt vota, quandoquidẽ impia ſunt, perire. hæc canit verſu vltimo. Porrò animaduertendum, hic Vatem ceciniſſe externam Sanctorum fœlicitatem, quæ omnibus Dei ſynceriter ſtudioſis, certè ad hunc modum contingit, niſi ad ſublimiora illos Dominus vocarit: nimirum vt ſua in aduerſis tolerantia mundo oſtentent opus futuri ſeculi. Quas quum poſt Chriſtũ reuelatum magis proferri conueniat quàm antea, plures quoque ad id hoc tempore, quàm priore, Deus deligit. Vtcunque autem cadãt res, nihil poterit deſiderare boni quiſquis Deũ ex animo coluerit. bona autẽ ea tantũ, quiſquis huiuſmodi fuerit, ſibi ducet, quibus queat & Dei gloriam, & proximorum ſalutem promouere. de his plura in Pſalmum 25, 34 & 37.

PSALMVS CXIII, ἐπαινετικὸς καὶ παραινετικός.

ARGVM. *Inuitat ad laudes Dei ab eo quòd cuncta intuetur, regit, & pro arbitrio ſuo mutat, humiles ſemper euehens, & miſeros reſtituens.*

PARAP. 1 LAudate Exiſtentem. Laudate ſerui Iehouæ, laudate nomen Iehouæ.

2 Prædicetur nomen Iehouæ, hoc tempore, & in omne ſeculum.

3 Ab ortu Solis vſque ad occaſum, laudatum eſt nomen Iehouæ.

4 Sublimis eſt ſuper omnes Gentes Iehouah, ſuper cælos decus eius.

5 Quis conferatur Iehouæ Deo noſtro, illi in ſublimi præſidenti?

6 Qui demittit ſe vt videat quæ in cælis ſunt, quæque in terra omnia:

7 Qui attollit è puluere pauperem, exaltat è ſtercore inopem,

8 Vt collocet cum optimatibus, cum optimatibus populi ſui.

9 Qui reſtituit ſterilem, vt familiam habeat, & facta liberorum mater lætetur.

Laudate Exiſtentem.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *HAlelu iah. Laudate ſerui Iehouæ, laudate nomen Iehouæ.*

2 *Prædicetur nomen Iehouæ, à nunc vſque in ſeculum:*

3 *Ab ortu ſolis uſque ad occaſum eius, laudatum nomen Iehouæ.*

4 *Celſus ſuper omnes Gentes Iehouah, ſupra cælos decus eius.* A fide pronidentiæ Diuinæ tota pendet religio: idcircò tam crebrò canit Pſaltes, Deum cuncta intueri & gubernare, extolleréque eos tantum qui ſeſe humiliarint. Id in toto orbe, in omnibus gentibus, quin & in cæleſtibus corporibus atque Angelis, quotidie multis miraculis declarat. inde & omni tempore, quod canit verſu 2, & vbique in toto orbe, quod canit verſu 3, nomen eius laudatum, clarùm, & celebre eſt, ita vt ad cælos vſque pertingat, imò eos ſuperet decus & maieſtas eius, id quod canit verſu 4. Hæc vidēt, ſentiunt, & experiuntur vniuerſi: at cæcæ cupiditates multos auertunt ne (vt par erat) hæc perpendant, indéque Deum dignè colant. Seruos igitur Iehouæ, qui ſeſe iam illi addixerunt, ad prædicandum laudes eius nominatim inuitat.

5 *Quis ſicut Iehouah Deus noſter, qui ſublimat ad ſedendum,*

6 *[Et] humiliat ad uidendum, in cælis & in terra?* Verſu 5, canit extuliſſe illum ſedem ſupra omnia, hoc eſt regnū in omnia obtinere: atque vt poteſtate omnibus ſupereminet, ita nihil eſſe tā humile & depreſſum ad quod ſe nō demittat, cognitione & prouidētia ſua. Canit autē etiā demittere ſe vt videat in cælis: quo ſignificaret, cæleſtibus quoque mentibus illum infinito eſſe celſiorem.

7 *Qui erige è limo pauperem, attollit inopem è ſtercoribus,*

8 *vt collocet cum principibus, cum principibus populi ſui.*

9 *Qui reſtituit ſterilem domus [ut] ſit mater filiorum gaudens. laudate Iah.* Quòd humilia intueatur, probat his tribus verſibus, ab eo quòd pauperes ex contēptiſſimis ſordibus extollat, nec extollat ſolùm, verūetiam cū optimatibus populi ſui, hoc eſt prima dignitate & fœlicitate pollentibus, collocet. Honorat enim qui honorauerint ipſum. 1. Schm. 2. f. 30. Item quòd reſtituit ſterilem, vt familiā nanciſcatur (domus enim hîc pro familia accipitur, ſicut Exo. 1. d. 21, Et fecit illis domos, id eſt donauit liberos & familiā) & facta mater filiorum lætetur: id quod in Sarah, Hanna matre Schmuelis declarauit. Eadem de Deo cecinit Pſalmus 68, ab initio, Pſalmus 75, & Pſalmus 107, ſub finem. Crediſſe enim ab vno Deo omnia moderari, & inſtitui, initium & ſumma totius ſalutis eſt.

PSALMVS CXIIII. ἀνεπίγραφος ἢ ἀνώνυμος.

Canit eductum Iiſraelem ab AEgypto: & præcipua miracula quæ pro eo Dominus deſignauit, perſtringit. ARGVM.

1 QVũ egrederetur Iiſrael ab AEgypto, dom' Iaacob è populo līguæ alienæ, PARAPH.
2 Iehudah erat Deo populus ſanctus, Iiſrael in quo principem ageret.
3 Mare vidit, & fugit, Iordanis ceſſit retrò.
4 Montes ſubſilierunt vt arietes, colles vt agni gregis.
5 Quid tibi eſt Mare quòd fugis? Iordanis quòd cedis retrò?
6 Quid ô montes quòd ſubſilitis vt arietes? colles vt agni gregis?
7 A præſentia Domini paueſce terra, à præſentia Dei Iaacob.
8 Ille redegit rupem in ſtagnum aquarum, petram in fontes aquarum.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 IN *egrediēdo Iiſraelem ex AEgypto, domum Iaacob à populo barbaro.* AEgyptios vocat populum לעז, id eſt linguæ barbaræ & ignotæ. Sic enim fuerant Iiſraelitis ab initio, quum ad illos concederent. & fieri poteſt, quum egerint ſeparatim in terra Goſchem, vt vulgò lingua AEgyptiorum ſemper aliena manſerit.

2 *Fuit Iehudah in ſanctificationem ei, [&] Iiſrael [in] principatum ei.* Canit Iehudah tū fuiſſe in ſanctificationem, hoc eſt in populum ſanctum à Deo delectum: & Iiſraelem in dominiū, in quo ſcilicet ipſe iam dominum & principem ageret, iuxta illud, Vos eritis mihi regnum, Sacerdotes, gens ſancta, Exodi 19. a. 6. Iehudah fœminino poſuit, & intelligit per eam tribum, totū Iiſraelem, vt aliàs per Ephraim. Memorant etiam Hebræi, in ingreſſu Maris rubri, tribum Iehudah primam fuiſſe quæ auderet, freta Dei verbis, abyſſis Maris rubri ſeſe committere: quo vt Dominū peculiariter ſanctificauit, hoc eſt ſanctum, & ſuprema maieſtate ſuſpiciendum teſtata eſt, ita apparuit ſimul ipſā quoque à Deo ſanctificatam. quum enim ei dederat verbis ſuis habere fidem, dederat planè ſortem filiorum Dei: fide ſiquidem renaſcimur filii Dei & hæredes.

3 *Mare uidit, & fugit, Iordanis auertit ſe retrò.* De Mari & Iordane, per proſopopœiam loquitur vt de hominibus, *vidit*, inquit, vtique exercitum Dei, indéque quaſi paueſactum, *fugit, & Iordanis ceſſit retrò.* Nam illicò vt virga Aharon Mare rubrum cæderetur, ſectum, viam dedit Iiſraeli: ita & Iordanis, ſimulatque Sacerdotes geſtantes Arcam pedibus ſuis eum attigiſſent, diruptus eſt, párſque ſtetit vt murus, pars in mare ſalis defluxit, Iehoſua 3. c. 14.

4 *Montes ſubſilierunt ſicut arietes, colles ſicut filij gregis.* Montis Sinai concuſſionem ac tremorem,

confirmabatur ſuperſtitio.Id ſuprà quàm dici poſſit,vrebat Sanctos. Contra hos ergo,non ſine ardentiore affectu,veri Dei confeſſionem ſubiunxit,

3 *At Deus noſter in cælis,omne quod libet facit.* Hoc dicere voluit, Etiáſi nulla manufacta colimus idola,Deo tamen adeò non deſtituimur,vt ſoli verum colamus,præſentémque habeamus.*Deus noſter in cælis eſt*,& eius potentiæ, vt quicquid omnino libeat faciat, nullis rebus non præſentiſſimus: quū quæ vos ô Gentes colitis,vitæ expertia ſimulachra ſint,fruſtra ad humanā figuram ficta. In cælis dicit præſidere Deum,qui tamen nuſquam abeſt,eo quòd è cælis potentiam ſuam luculentius viſendam exhibeat. Pulchra autem Dei definitio,Facit quæ libet: quod nulli ſanè niſi Deo competere poteſt.

4 *Idola eorum argentum & aurum,opus manuum hominis.*

5 *Os illis,& non loquuntur:oculi illis,& non uident.*

6 *Aures eis,& non audiunt:naris eis,& non olfaciunt.*

7 *Manus eis,& non palpitant:pedes eis,& non ingrediuntur,non immurmurant gutture ſuo.* Inanitatem idolorum deridet potius quàm deſcribit. quicquid enim in illis momenti alicuius eſt, materia eſt, & ingenium artificum,præterea nihil. id canit verſu 4. Reliqui tres tradunt mendacium humanæ figuræ,omni adeò hominis functione inanis. Hinc verò ſtultitia,imò inſania fingentium idola, ingenioſè admodum ridetur. Quid enim ſtultius quàm conari hominē ſimulachro exprimere Deum,qui ſeipſum exprimere nequit? nam præter inanem figuram,nihil eſt quod queat homo ſuo dare figmento.

8 *Sicut illa erunt qui faciunt ea,omnis qui nititur eis.*

9 *Iiſrael,nitere Iehouah:hic auxiliator eorum,& clypeus eorum.*

10 *Domus Aharon,nitimini Iehouah:hic auxiliator eorum,& clypeus eorum.*

11 *Timentes Iehouam,nitimini Iehouah:hic auxiliator eorum,& clypeus eorum.* Poſtquā idola dignè irriſit, affirmat illis ſimiles,meros truncos,omníque homine digno ſenſu deſtitutos, qui idola faciunt, eiſque fidunt. Móxque ad fidendum & colendum Deum inuitat,primùm Iiſraelem, inde domū Aharon,vt quæ ad id delecta erat vt in cultu Dei reliquo populo præiret: demum quoſque Dei timentes, quibus omnibus canit illum præſidio futurum, & vice clypei: hoc eſt malis omnibus vindicaturum,& bonis omnegenus cumulaturum.

12 *Iehouah memor noſtri benefaciet,benefaciet domui Iiſrael,benefaciet domui Aharon:*

13 *Benefaciet timentibus Iehouam,paruis cum magnis.*

14 *Addet Iehoua ſuper uos, ſuper uos & ſuper filios ueſtros.*

15 *Vos eſtis quibus Iehouah benefacit,qui fecit cælum & terram.* Fides qua Deo nitimur, vt nos Deo,ita Deum addicit nobis,facítque vt per æuum eius beneficentia fruamur. Id canit Vates hiſce verſibus, & diſtribuit eam nominatim in eos quos ad fidendum Domino in præcedentibus verſibus hortatus eſt. Verſu 13,addit hanc promiſcuè omnibus Deum colentibus expoſitam,paruis æquè ac magnis. Hác indies augeri canit verſu 14. Verſus 15, habet exclamationem,natam ex tātæ bonitatis admiratione. Hos qui Deo credūt,eſſe eos in quos incōparabiliter De⁹ benefic⁹ eſſe ſolear. loquitur enim hîc de vero Iiſraele, veris Sacerdotibus,veríſq; Dei cultoribus,qui ſunt quotquot Chriſto verè credunt. De dictione [illegible] dictū ſæpe. Fauorē, beneficium ſignificat: ſic ergo reddidi.

16 *Cæli cælorum Iehouæ:& terram dedit filijs hominum.*

17 *Mortui non laudabunt Iah,nec omnes qui deſcendunt [in] ſilentium:*

18 *Et nos prædicabimus Iah,ex hoc tempore & uſque in ſeculum laudate Iah.* Vltimis tribus redit ad id quo cœpit,orans populo Dei reſtitutionem,vt liberatus à tyrannis Gentium,laudes ipſi Deo vero canere valeat. Ad id dicit, *Cæli,cæli Iehouæ: terram dedit filiis hominum.* Quaſi diceret, Cælos ſibi Dominus vendicauit, in quibus perpes & beata vita viuitur: hominibus dedit hanc terram, in qua viuerent,& ipſum glorificarent. Si iam ab impiis hinc rapimur,quis celebrabit nomen Domini? Impii hoſtes noſtri illud modis omnibus blaſphemant, *& mortui te non laudant Domine*: ſerua igitur nos,vt vel aliqui ſint qui laudes tuas in terra hac deprædicēt: ad quod nos paratos offerimus. Cæli cæli dicit: qua geminatione forſan voluit exprimere quanto melior ſit conditio cælitū quàm terrigenarum: aut certè voluit ſignificare inexplicabilem eſſe cæleſtium manſionum & dignitatem & fœlicitatem. Qua verò ratione cæli Deo tribuantur,dixi aliàs,& ſuprà in verſum 3.

DISPVTATIO DE ABVSV SIMVLACHRORVM.

A Verſu quarto vſque ad octauū,traducit Vates inanitatē & impietatem ſimulachrorū: quocirca haud intempeſtiuum videtur excutere,qua de cauſa illa vbique in Scripturis adeò dānentur,quum inſtituta tamen videantur vt rudem plebem admoneant Dei, & operum eius,religionémque hoc pacto promoueant. Conſideranti igitur Scripturas quæ potiſſimum idola deteſtantur,videtur hæc prima cauſa huius tantæ deteſtationis eſſe,quòd vſus ſimulachrorum quæ quidem religionis ergò habentur, animos hominum, vera ſolidáque religione, & admiratione

Diuinæ maieſtatis vbique diffuſæ, nuſquam non in oculos vltrò incurrentis, tacitè, & ſub prætextu reuerentiæ huius intendendæ ſoluat, dum illam nimirum quæ omnia implet, nuſquam deeſt, adeò nihili figmentis, & nulla ex parte tantæ immenſitati reſpondẽtibus addicit, ſenſimque hominum mentes, à conſideratione cæli & terræ, ac omnium quæ in his continẽtur, auocatas, tot præclariſſimorum operum Dei, quibus viuimus, & ſemper Deum ſentimus, inter quæ nimirum ipſius maieſtatem infinito magnificentius repræſentat, quàm vlla vnquam poſſint quanlibet excellentis & artis & materiæ idola: in ipſorum tandem idolorum cultu ac veneratione ſubſiſtere facit, omni ſimul innocentiæ ſtudio (quod ſcilicet nonniſi à ſolida Dei reuerentia & naſcitur, & fouetur) profligato. tum enim Deum imitari bonitate libet, quum perſuaſum habemus ipſum eſſe Optimum Maximum. Iſtud autem nunquam conſequemur, ſi non vbique præſentem, omnia in nobis efficientem, eum in quo viuimus, mouemur, ſumus tantùm, quem tota cæli & terræ machina, tot ſummè admirãda eius opificia, non capere, ſed vel dignè repræſentare poſſunt, agnoſcamus. Id ſanè Deus voluiſſe ſibi videtur quũ diceret, Vos vidiſtis quòd ſum vobis de cælo loquutus, non facietis vobis deos argenteos & aureos, Exo. 20. d. 23: & Deute. 4. d. 23, Vocem verborum eius audiſtis, formam penitus nullam vidiſtis. Cuius enim rei ſimilitudine repræſentaretur, qui condidit omnia, qui infinitus eſt, qui immẽſus, qui verbo cũcta finxit, ſeruat, moderatur, nulli non præſentiſſimus? tam immenſa ſiquidem eſt, ac irrepræſentabilis eius maieſtas, vt nihil etiam operum eius effingi ab homine queat. externam ſiquidem figuram ac colorem homo vtcunque refert, at ipſam rei ſubſtantiam ac vim aſſequi non poteſt. Id Scripturæ monent, quum ridiculè adeò efferunt, idola formis ſuis haudquaquam reſpondere: os habere, ſed nihil poſſe loqui: oculos, ſed nihil videre, &c. Hæc adeo & Numa ſecundus Romanorum rex, homo Ethnicus agnouit, vt quũ templa Romæ & ceremonias varias inſtitueret, ſimulachrum tamen nullum in eis ſtatuit, vt ſcriptum reliquit Dionyſius Halicarnaſſeus: & refert id Cyrillus contra Iulianum libro ſexto. Vnde in C & LX annis in templis Romæ ſimulachrum nullum extitiſſe traditur. quod & Euſebius in libro de Præparatione Euangelica, ex ſentẽtia Clementis teſtatur. Memorat AElius Lampridius, & Imperatorẽ Hadrianum, templa ſine ſimulachris fieri iuſſiſſe, quæ eo quòd ſua non haberent numina, Hadriani dicebantur. Velut in arctum enim immenſa Dei maieſtas cogitur, dum operi hominis peculiariter addicitur, fitque illicò, vt tãtùm illo in loco vbi idola collocata ſunt, Deum non ſanè metuamus, ſed metuere nobis videamur: inibiq; ceremoniis aliquibus perfuncti, tota nobis pietate, omnique Dei cultu defuncti videamur, aliis omnibus in locis pro libidine noſtra viuẽtes: quaſi nuſquam niſi vbi collocatum idolum eſt, Deus noſtra videat, aut certè innocentiam requirat. Hinc & eò prolabimur, vt non putemus Deum alibi tam facilè nos audire. id mox aliam ſuperſtitionem vulgò parit, adeſſe ſcilicet numinis aliquid ſimulachris, quam Satan, vt olim, ita noſtro quoque ſeculo præſtigiis ſuis plurimum prouexit: donec eò multi deuenerũt, vt nec fidant verè Deo, nec metuant eum, multo minus bonitatẽ eius æmulari, qui vnus eſt illi gratus cultus, ſtudeãt. Hæc præuidens Deus, & volens maieſtatem ſuam vbique coli, vbique agnoſci præſentem, nulla omnino ratione per ſimulachra coli ſe à ſuis voluit: nihil moratus quòd ipſius admoneri rudiores per illa poſſe videantur. Quem enim Dei non admonet tam admiranda machina cælorum & terræ, ipſe aliique homines, ſic ad Dei imaginem ab ipſo Deo formati, vt inimitabile opus ſit creaturis vniuerſis, hunc ſimulachra ſomnio memoriæ Dei, & cogitationis religioſioris inani opinione deludere poſſunt, veram autem Dei recordationem parere non poſſunt. Scitè igitur & verè cõtra Gentes ſcripſit D. Athanaſius, Dicãt quæſo (inquit) quo pacto per ſimulachra noſcatur Deus? an per circumpoſitam illis materiam, an per inductam materiæ formã? Si ob materiã, quæ iam formæ neceſſitas, vt non prius etiã quàm iſta fingerentur, per omnẽ prorſus materiam apparuerit Deus, quũ omnia teſtentur gloriam eius? Porrò ſi ſuperducta effigies Diuinæ cognitionis cauſa eſt, quid iam pictura cæteráque materia opus eſt, ac non magis per ipſa vera animalia quorũ formæ ſimulachra ſunt, Deus cognoſcitur? Nã clarius profectò Dei gloria innoteſceret, ſi per animata rationabilia & irrationabilia, quàm per inanimata atq; immobilia manifeſtaretur. Quum ergo intelligendi Dei gratia ſculpitis aut fingitis imagines, rem profectò minimè dignam facitis, &c. Hactenus Athanaſius. Præclara multa in hãc ſententiam & Lactantius libro Inſtitutionum ſecundo, cap. 1, 2, 3, 4, 5, 19, & alibi, imò toto libro ſcripſit. Hæc quum ita ſint, viderint Eccleſiarum proceres quàm Chriſti populũ deceat, cuius eſt, Deum qui Spiritus eſt, in Spiritu & veritate, non Hieroſolymis, aut in monte alio adorare, templa noſtra plena adeò ſimulachris cernere. Quódque pernicioſam ſuperſtitionem apertè teſtatur, alia aliis haberi auguſtiora ac diuiniora, etiam eiuſdem Diui. Sæpe viginti aut triginta ſunt D. Virgini vna in æde poſitæ ſtatuæ: vna autem ſola digna habetur cui populus cereos accendat, cui ſuffitum paret, cui ſupplicet, cui cantiones inſtituat, cui ſacrificet, ac omnia ea faciat quæ olim

idolis ſuis inſana Gẽtilitas. Idem quamplurimis Diuorum ſimulachris fieri videmus. Si iam & nos Lactantius rogaret, Si Diui veſtri, ſi ſacra Chriſti parens in cælis ſunt, cur oculos in cælum nõ tollitis, & in aperto ſacrificia celebratis? Cur ad parietes & ligna, & lapides potiſſimum, quàm illò ſpectatis, vbi eos eſſe creditis? Quid ſibi tẽpla, aræ volũt? quid denique ipſa ſimulachra? Hæc ille. D. Epiphanius Salaminæ Cypri Epiſcopus, in Epiſtola ad Iohannem Epiſcopum Hieroſolymitanum, quam D. Hieronymus ſuæ cõtra eundem præmiſit, in Latinum verſam ita ſcripſit, Quando ſimul pergebamus ad ſanctum locum qui vocatur Beth-hel, vt ibi collectam tecũ ex more Eccleſiaſtico facerẽ: & veniſſem ad villam quæ dicitur Anablatha, vidiſſẽmque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogaſſem quis locus eſſet, didiciſſẽmque eſſe Eccleſiam, & intraſſem vt orarem, inueni ibi velum pendens in foribus eiuſdem Eccleſiæ tinctum atque depictum, & habens imaginem quaſi Chriſti, vel Sancti cuiuſdam: non enim ſatis memini cuius imago fuerit. Quum ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti, contra autoritatem Scripturarum, hominis pẽdere imaginem, ſcidi illud: & magis dedi conſilium cuſtodibus Eccleſiæ eiuſdem loci, vt pauperem mortuum eo obuoluerent, & efferrent. Quid hic quæſo faceret, ſi modò apud nos videret omnes parietes, columnas, fornices, lacunaria, pauimenta, ſacras veſtes, ac quicquid omnino in templis eſt, plenum ſtatuis & imaginibus, nec Chriſti ſolum & Diuorum, quorum nobis vitam certiores hiſtoriæ teſtantur, ſed tot anilium figmentorum, & noxiorum ſuperſtitionum: atque ſic ſculpta, ficta, picta, vt nihil minus quàm vitæ honeſtatem doceant? Certè nec D. Gregorius, primus alioqui imaginum in templis defenſor, hæc probaret. Sic enim ille quũ vſum imaginum vellet maximè defendere, ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem, qui illas offenſus populi ſuperſtitionẽ exuſſerat, ſcripſit, Non fregiſſes quod non adorãdum in Eccleſiis, ſed ad docendum tantùm fuit collocatum: quin potius ita tuis dixiſſes, Si ad hãc inſtructionem ad quam imagines antiquitus factæ ſunt, habere vultis in Eccleſia, eas omnibus & fieri, & haberi permitto. Vnde ſiquis imagines facere voluerit, minimè prohibe: adorare verò imaginem omnibus modis deuita. Hactenus Gregorius. Iam quid eſt adorare, ſi hoc non eſt, quod ſtatuis pleriſque & imaginibus vulgò fieri videmus: quibus vota nuncupantur, à quibus ſanitates & alia beneficia orantur, ad quas votiuæ peregrinationes ſuſcipiuntur, ante quas ſeſe homines proſternũt, thus incendunt, cereos ponũt, munera offerunt, & id genus? Si dicant ſe eos reſpicere quorum imagines ſunt: cur ergo non omnibus illorum Diuorum ſtatuis parem honorem impendunt? Quanquam & hæc ipſa impia ſuperſtitio ſit, ſalutem aliunde quàm ab vno Deo petere: & putare Diuis qui verè ſunt, vllum cultum gratiorẽ eſſe, quàm ipſorum fidem & innocẽtiam imitari, vt Dei nos beneuolentiæ, ipſorũ exemplo, penitus committamus, & tum pro viribus proximis benefaciamus. Inficiari certè nõ poteſt, idolorum vſum à Gentibus in Eccleſiam irrepſiſſe. de quo ita ſcribit Euſebius in Eccleſiaſtica hiſtoria lib. 7. cap. 14, Et nihil mirum ſi hi qui ex Gentibus crediderant, pro beneficiis quæ à Saluatore fuerant conſequuti, huiuſmodi velut munus videbantur offerre, quũ etiam nũc videamus Apoſtolorum Petri ac Pauli, & ipſius etiam Saluatoris imagines deſignari, tabuláſq; depingi: ſed & antiquas eorum imagines à quibuſdam conſeruatas nos vidimus. Quod mihi videtur ex Gentili conſuetudine indifferenter obſeruatum, quòd ita ſoleant honorare, quos honore dignos duxerint. Inſignia enim veterum reſeruari ad poſterùm memoriam, illorum honoris, horum verò amoris eſt indicium. Hactenus Euſebius. Iam quis dubitet præſtare ritus Iudæorũ, populi Dei, præſertim tam ſanctè præceptos amplecti, quàm impiarum Gentium? Præteximus, rudem plebem his doceri pietatem: vtinam illam non potius dedoceretur. Profectò fruſtra erit doctrina imaginum & ſtatuarum, vbi Euangelium cum atteſtatione operum Dei, nuſquam non Deum nobis autorẽ ſuum & noſtrum ingerentium, nihil effecerit. vbi autem Euangelium corde receptũ fuerit, & mentem digna Dei admiratio in omnibus operibus occupauerit, mallet profectò homo in veris & viuis Dei ſimulachris Deum ſuum contemplari & venerari, quàm omnis ſenſus expertibus: dabitque magis operam vt veſtiat vel pannis pauperem fratrem verè algentẽ, quàm ſtatuam mutam ac ſenſus expertem, auro & gemmis: vt paſcat vel pane cibario eſurientẽ, quàm vt ſimulachro dapes offerat Pontificales, quas illud nequeat guſtare, & vorent poſtea ii ſæpe quos magis decebat ſuo victitare ſudore. Ita audientibus fratribus mallet vnum verbũ de Deo communicare, quàm mille modulari carmina ſurdis ſignis: ſebaceam quoque accendere candelam, quàm multos cereos oculorum figuras habentibus, ſine viſu idolis. Hæc autem non ſcribo quòd putem nulla ratione poſſe imaginibus vti Chriſtianos: ſed quòd velim ſic vſum earum eſſe attemperatum, nequid gloriæ Dei & ædificationi Eccleſiæ derogaretur. Nemo eſt ſanè cordatorum hominum qui hodie non queratur, magnam circa hæc ſuperſtitionẽ regnare, ſumptúſq; multos fieri, quos longè præſtiterat fieri in eſurientem, ſitientem, nudum, peregrinum, infirmũ, captiuum Chriſtum. Tum perpendant omnes Dei timentes cur Deus tam ſeuerè omnibus imaginibus & ſtatuis ſuo populo interdixerit, iis ſanè quibus aliquid impenderetur cultus. Quanto

ergo conſultius proceres Eccleſiæ facerent, ſi docerent oracula Dei potius, quàm ſtultitiā Gentilium ſequi. Chriſtianorum appello iudicium, quibus hæc omnia quoque arbitranda committo. Equidem nihil de his alia ratione dixiſſe volo, quàm vt moneam cauendū ne & nos illud perſtringat verſus 8, *similes illis ſunt*: nempe mutis, cæcis, ſurdis, omníque ſenſu carētibus ſimulachris, *qui faciunt illa quique illis fidunt*. Dei admoneri plebem modis omnibus volo: negantem Diuos colendos execrabor: at ſic admoneri Dei quoſque cupio vt dignè ab illis colatur: & vbique ſic venerari Diuos, vt ex fidei eorum imitatione reddamur meliores. quod vtique fiet ſi ante omnia Dei bonitatem in eis propius agnouerimus: nempe eo modo quo D. Auguſtinus libro de Ciuitate Dei, 8, cap. vltimo de hac re ſcripſit in hūc modū, Honoramus ſanè memorias Martyrū, tanquā Sanctorum hominum Dei, qui vſque ad mortem ſuorum corporum pro veritate certarunt, vt innoteſceret vera religio, falſis religionibus victis atque conuictis: quod etiam ſiqui antea ſentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audiuit aliquando fidelium, Sacerdotem ſtantem ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultúmque conſtructum, dicere in precibus, Offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane: quum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & Martyres fecit, & ſanctis ſuis Angelis honore ſociauit, vt ea celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ renouatione adhortentur.

PSALMVS CXVI, ἀγαπητὸς καὶ εὐχαριστικός.

ARGVM. *Carmen gratulatorium eſt Dauidis, de ope Domini, qua euaſit quū iam cinctus eſſet à Schaulis exercitu memorat anguſtiam in qua non fuerit: prædicat Dei bonitatē, cuius beneficio ſeruatus eſt: profitetur ſe ſtudioſe Dei laudes celebraturū.*

PARAPH. 1 Diligo Iehouam: nam audiuit me, audiuit deprecationem meam.
2 Inclinauit aures ſuas mihi, ideo dum vixero, ipſum inuocabo.
3 Conſtrinxerant me laquei mortis, anguſtiæ inferni deprehenderant me, anguſtiam & afflictionem inueneram:
4 Et nomen Iehouæ inuocabam, obſecro Iehouah eripe animam meam.
5 Propenſus eſt ad beneuolentiam Iehouah, iuſtus Deus noſter, pronus ad miſericordiam.
6 Cuſtodit ſimplices Iehouah: miſer eram, & ſeruauit me.
7 Recipe te anima mea ad tranquillitatem tuam: nam Iehouah rependit tibi.
8 Nam adſeruiſti animam meam à morte, oculos meos à lachrymis, & pedes meos à lapſu.
9 Verſabar coram Iehouah, inter viuos.
10 Credidi, ideo loquar: afflictus autem eram admodum.
11 Ego cogitabam quum præceps fugerem, Mendax eſt omnis homo.
12 Quid rependam Iehouæ pro omnibus quæ ipſe mihi beneficia contulit?
13 Tollā calicē in conuiuio gratulatorio de ope lata, & inuocabo nomē Iehouæ.
14 Vota mea nunc Iehouæ perſoluam coram omni populo eius.
15 Magni eſt in oculis Iehouæ mors ſuorum, qui bonitati ſtudent.
16 Ita Iehouah: nam ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, filius ancillæ tuæ, diſſolui ſti vincula mea.
17 Tibi faciam ſacrificium laudis, & nomen Iehouæ inuocabo:
18 Vota mea nunc perſoluam coram omni populo eius,
19 In atriis domus Iehouæ, in medio tui Ieruſalem. Laudate Exiſtentem.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Dilexi, quia audit Iehouah uocem meam, deprecationem meam.*
2 *Nam inclinauit aurem ſuam mihi, in diebus meis inuocabo.* Primi Schmuelis cap. 23 legimus, Dauidem in deſerto Maon fuiſſe ab exercitu Schaulis cinctum, vt nulla prorſus ſupereſſet amplius fugiendi ratio: tum ſubitò diſponēte Domino, veniſſe Schauli nuntium de irruptione Philiſtinorum, quo abſtractus fuit ab illius perſequutione, abiitque cum exercitu obuiam Philiſtinis, vnde loco illi nomen inditū fuit סלע המחלקות, id eſt petra diuiſionum. Quum verò ita cingi ſe, ac fuga quanlibet præcipiti nequaquam proficere cerneret, indubiè ſumma anguſtia tenebatur, maximóque

terrore exagitabatur. id quod memorat verſu 3. Quum itaque Dominus tanto miraculo, ex ipſis mortis faucibus ipſum eripuiſſet, compoſuit hoc carmen, vt & alia quædam, in quo tantam Dei erga ſe bonitatem celebraret. Eãdem canit & Pſalmus 31, in quem ab initio, & poſtea pleraque dixi, quæ & ad huius elucidationem faciunt. Dicit ergo; *Dilexi Iehouam: nam audiuit me.* Præteriti forma vtitur, ſed id ſolet Scriptura, quũ vult fixam, firmatámque actionẽ ſignificare: vnde iſtud, *vrore*, id eſt dilexi, idem eſt quod dilectionem concepi, egit apud me radices. id quo vtcunque ſignificarem, reddidi verbum hoc in præſenti. Verſus 2 canit, quũ tam facilem precibus ſuis Dominum expertus ſit, ſe illum omnibus diebus ſuis inuocaturum, hoc eſt culturũ, vt à quo omnia ſibi polliceatur & petat. Inuocare enim Dominum, & nomen Domini, aut (vt Scriptura loquitur) in nomine Domini, non ſolùm implorare opem Domini, ſed ſimul prædicare & colere eum ſignificat: de quo dixi in verſu 5 Pſalmi 14.

3 *Cinxerant me funes mortis, & anguſtiæ inferni inuenerunt me, anguſtiam & mœrorem inueni:*

4 *Et in nomine Iehouæ inuocabã, quæſo ô Iehouah eripe animam meam.* Periculũ (vt dixi) memorat, & mortis terrores qui inuenerant eum, hoc eſt penitus occupauerant, quũ iam ab exercitu Schaulis cinctus, nuſquam quà elaberetur videret. Tum anguſtiã & mœrorem ipſe quoque inuenit, id eſt certò præſentem habuit: tantùm enim non conficiebatur terrore, & anguſtia, verùm non adeò vt ei ſpes in Deum excidiſſet. Nomen ergo & virtutem Dei inuocauit, & animam ſuam, quæ iam in ſummo erat diſcrimine, eripi orauit, & exorauit.

5 *Beneuolus Iehouah & iuſtus, & Deus noſter miſericors.*

6 *Cuſtodit ſimplices Iehouah: miſer factus eram, & ſeruauit me.* His verſibus canit laudem bonitatis Diuinæ erga *vrore* id eſt ſimplices, qui omnem ſui curam prouidentiæ Dei commiſerunt, poſita cuncta carnis vafritie. Hi, *enim* illi ſunt, quibus Deus ſua arcana reuelat, Matth. 11. d. 25: quorúmque ita curam gerit, vt grauiſſimè vlturus ſit, ſiquis illos offenderit, Matth. 18. a. 6. Obſeruandum autem, tum nos cuſtodiri Diuinitus à Deo, qui ſolus poteſt, quum nos noſtri cuſtodiam ipſi reſignauerimus.

7 *Redi anima mea ad quietem tuam, quia Iehouah rependit ſuper te.*

8 *Quia eripuiſti animam meam à morte, oculos meos à lachryma, pedes meos à depulſione.*

9 *Verſabor coram Iehoua in terris viuentium.* Verſu 7, exprimit animi ſui conditionem quum iam erat periculo exemptus. Solemus ſanè, & quũ res maximè aduerſæ ſunt, & quum ſingulariter ſecundæ, nobiſcum ipſi cõmentari. Senſus eſt ergo, Iam ô anima ſummè adflictabaris, & vrgebant te mortis anguſtiæ: nunc redi ad trãquillitatem tuam, recipe te ab anxietudine & perturbatione tua: nam Deus adiuuit te iterum. *lɔa* enim quod Retribuit ſolemus reddere, etiã primùm benefacere ſignificat, vt dixi in verſum 2 Pſalmi 103. Non diſſimile eſt illi Euangelico, de diuite, qui ingẽtibus copiis repoſitis, animæ ſuæ dicebat, Habes ô anima multa bona repoſita in annos Luc. 12, c. 19.
plurimos, quieſce, ede, bibe. Vbi autem hic noſter ſecum, reſtituta quiete & ſalute, commẽtaretur, ſimul accendebatur admiratione dignationis in ſe Dei. Illi ergo haud vulgari cum affectu, confitetur quod ab ipſo acceperat beneficium, *Nam adſeruiſti*, inquit, *animam meam à morte*: nec hoc ſolùm, imò & oculos à lachrymis, pedéſque à lapſu, ne leue quidem paſſus mihi obuenire incommodum. Hinc quoque de omni Dei promiſſione confirmatus, pollicebatur mox ſibi ſe *in terris viuentium*, id eſt inter viuos, verſaturum corã Domino, hoc eſt ipſius fauore in omnibus fretum, & tutela ſibi ſemper præſentis, ſuáque omnia dirigentis ſecurum. Terras viuentiũ dixit pro terra, & præſens ſeculum intellexit, vt dixi in verſum 13 Pſalmi 27. Quid ſit agere & ambulare coram Domino, dixi in verſum vltimum Pſalmi 56.

10 *Credidi quòd loquar, ego afflictus eram valde.*

11 *Ego dixi in præcipitatione fuga mea, Omnis homo mendax.* *Credidi*, in verſu 10, ita vt dilexi in primo accipiendum, vt intelligas Vatem firmitatem fidei ſuæ iactare: quaſi dicat, Fide promiſſorũ Dei confirmatus ſum, certò perſuaſus, omnia vt pollicitus eſt, circa me perfecturum. ideo de hac Domini erga me benignitate loquar, & prædicabo cum alacritate ſumma. Permagna enim illa erga me fuit, & ſupremo me malo eripuit. valde ſiquidem adflictus eram, adeò vt quum præceps fugerem, cingente iam me exercitu Schaulis, cogitarem, *Mendax eſt omnis homo*, hoc eſt nemo non fallitur. Promiſerat tibi Schmuel, ex iuſſu Dei, vt ſibi videbatur, & ego credebam, regnum Iiſraelis: iam autem peribis miſer hic priuſquam vel vmbram regni conſequutus ſis. Porrò hoc non dicit, quòd ita apud ſe certò ſentiret, ſed vt oſtenderet, quid agitante tentatione cogitaſſet. à qua ſimulatque recepit ſe, fidem promiſſionis Diuinæ confirmatam ſibi ſenſit. Idem nanque hoc eſt cum illo Pſalmi 31, Ego, quum præceps fugerem, cogitabam, Proiectus ſum abs te: at tu ideo audiſti deprecationem meam quũ ad te vociferarer. Kimhi putat Dauidem hoc, *Omnis homo mendax*, cogitationi ſuæ dubitationem de Dei promiſſis ingerenti, reſpondiſſe, vt ſeipſum, ob eiuſmodi cogitationem, & de pollicitis Dei vacillationem, mẽdacem, vnà cum reliquis mortalibus dixe-

rit. Sed prior ſenſus videtur ſimplicior,& anxietati animi eius quam memorat, rectius conuenire: ſicut & cum loco iam adducto ex Pſalmo 31, qui eiuſdem argumẽti eſt, planè cõgruit. & hunc A. Ezra probat. Quod illud כי אדבר interpretatus ſum, Ideo loquar, præter ſentẽtiam Hebræorum, non autem præter proprietatem Linguæ ſanctæ: ſequutus ſum D. Paulum 2. Corinth. 4. c. 13.

12 *Quid rependam Iehouæ? omnes retributiones eius ſuper me.*

13 *Calicem ſalutum tollam, & in nomine Iehouæ inuocabo.*

14 *Nunc vota mea Iehouæ perſoluam, coram omni populo eius.* De gratiarum actione canit deinceps. Verſu 12 canit, agnoſcere ſe Dei in ſe beneficia (quæ vocat תגמולוהי Syriacè, pro תגמוליו, id eſt retributiones eius) maiora quàm vt queat dignas pro illis gratias agere. Ait, *omnia eius beneficia ſuper me*: quod quidam interpretãtur, Quæcunque mihi beneféciſti, in memoria habeo. Vulgò autem ſubauditur Pro: vt ſit ſenſus, Quid rependã Domino pro omnibus beneficiis eius erga me: & hic ſenſus videtur ſimplicior. Verſu 13, epulum notat gratulatorium, in quo dicit ſe *calicem ſalutum*, id eſt quem in celebri memoria opis ſibi Diuinitus latæ, lætus hauſturus ſit, accepturum, ac nomen Domini, vtique cum laude, inuocaturum. Sacra enim habebantur conuiuia quũ ſolennes Deo pro inſignioribus eius beneficiis gratias agerent. de quo ritu dixi nõnihil in verſu 27 Pſalmi 22. Tum inuocare nomen, vel in nomine Iehouæ, pro celebrare & prædicare aliquando vſurpari, dictum eſt iam ſuperius in hoc Pſalmo, & alibi. Verſu 14, redditurũ ſe vota dicit, vtique laudis: de quibus in verſu 26 Pſalmi 22.

15 *Pretioſa in oculis Iehouæ, mors bonorum eius.*

16 *Vtis ô Iehouah, quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, filius ancillæ tuæ, ſolniſti uincula mea.* Rationem horum votorum repetit, quia pretioſa ſit in oculis Domini mors ſuorum, qui bonitati ſtudent. Intelligit autem ita magni eſſe Domino mortem ſuorum, vt nõ temerè patiatur eam illis inferri. Dauidis ſiquidem mortem tanti Deus æſtimauerat, vt pro ea auertenda, hoſtes toti Iiſraeli immiſerit, quo Schaul à Dauide abſtraheretur. ſed ſic curat Deus ſibi addictos vniuerſos. vnde ſubiicit, trina geminatione ſe ſeruum Domini, filium ancillæ, & ſeruũ eſſe ab vtero. atque hãc vult videri cauſam quòd ab ipſo ſeruatus ſit. Eſt autem in hoc verſu אנה confitentis, non obſecrantis interiectio, vt & Exod. 32. g. 31, אנא חטא העם הזה, id eſt, ita verè peccauit populus iſte, &c.

17 *Tibi ſacrificabo ſacrificium laudis, & in nomine Iehouæ inuocabo.*

18 *Nunc vota mea Iehouæ perſoluam coram omni populo eius,*

19 *In atriis domus Iehouæ, in medio Hieruſalem. laudate Iah.* Repetit de ſacrificiis laudis, quæ à celebrantibus Dei laudes, & gratias ipſi agentibus offerebantur: de quibus & vota nuncuparat reddenda coram omni populo Dei, qui in atriis Domini colligi ſolebat, & Hieroſolymis, poſtquã illò eſſet Tabernaculum tranſlatum. Porrò quòd hîc Ieruſalem meminit, indicat Pſalmũ hunc compoſitum quum iam Dauid in Hieruſalem regnaret.

PSALMVS CXVII, εὐχαριστικός.

ARGVM. *Vaticinatur Euangelium communicandum Gentibus.*

PARAPH. 1 LAudate Iehouam cunctæ Gentes, prædicate eum vniuerſæ nationes:

2 Nam aucta eſt in nos bonitas eius, & fides Iehouæ perſtat in ſeculum. Laudate Exiſtentem.

EXPLANATIO.

COniungit Gentes populo Dei, & ad communes laudes eius inuitat. In quo vaticinatus eſt, ad vniuerſas Gentes ſalutem à Iudæis peruenturam: id quod impleri cœptum eſt quũ per Apoſtolos Iudæos Euangelium prædicari cœpit vniuerſæ creaturæ. Vnde & D. Paulus, ad probandum, Gentes quoque per Chriſtum fuiſſe Deo adducendas, adduxit huius Pſalmi teſtimonium, Rom. 15. c. 11. Hinc ergo eſt quòd rationẽ cur Gentes Deũ laudare debeant, hãc Pſaltes reddidit, *Quia prænaluit*, vel aucta eſt, *ſuper nos* primùm Iudæos, inde & ad Gentes, *bonitas Dei*. percepto ſiquidem Spiritu Chriſti tam potente & diuite, iure populus Dei canere potuit, auctiorem iam in ſe Dei bonitatem effuſam, ac fidem eius ſic declaratam, vt certò videret, nunquam beneficentiã Dei ſibi auferendam.

PSALMVS CXVIII, εὐχαριστικός.

ARGVM. *Hymnus eſt quo Dauid defunctus iam malis ſuis, & in regem totius Iiſraelis euectus, publicè in tabernaculo Dei gratias Deo egit, eiúſque in ſe bonitatem magno ſtudio celebrauit: ac ſimul Chriſti in ſe imaginem expoſuit.*

PARAPH. 1 CElebrate Iehouam: nam beneuolus, nam in ſeculum perſtat bonitas eius.

2 Dicat nunc Iiſrael, quoniam in ſeculum perſtat bonitas eius.

3 Dicat nunc domus Aharon, quoniam in ſeculum perſtat bonitas eius.

4 Dicant nunc quicunque colunt Iehouam, quoniam in ſeculum perſtat bo-

nitas eius.

5 Quũ anxiarer, inuocaui Exiſtentẽ, & annuit mihi, vt ſpatiũ faceret Exiſtens.

6 Iehouah à me ſtat, nihil metuam: quid faceret mihi homo?

7 Iehouah à me ſtat, cum iis qui mihi auxilio ſunt: & ego optata videbo in odientibus me.

8 Præſtat tutelæ ſe committere Iehouæ, quàm tutelæ hominum.

9 Præſtat ſe committere Iehouæ, quàm tutelæ optimatum.

10 Quum obſiderent omnes Gentes vndique me, dicebam, In nomine Iehouæ: nam conſcindam illas.

11 Cinxerant me, etiam vndique cinxerant me, dicebam, In nomine Iehouæ: nam conſcindam illos.

12 Cinxerāt vndique me, inſtar apum: extincti ſunt vt ignis ſpinarum, dicebam, In nomine Iehouæ: nam conſcindam illos.

13 Multa vi impuleras me vt caderem, verùm Iehouah auxilio mihi fuit.

14 Robur meum, & de quo canam, Exiſtens eſt: is mihi, is mihi opem tulit.

15 Vox ouantium, & latam opem iactantium in tabernaculis iuſtorum, Dextera Iehouæ fortiter fecit.

16 Dextera Iehouæ celſa eſt, dextera Iehouæ fortiter fecit.

17 Non moriar, ſed viuam, & deprædicabo facta Exiſtentis.

18 Caſtigatione ſeria caſtigauit me: at morti me non tradidit.

19 Aperite mihi portas cœtus iuſtorum, ingrediar illas, celebrabo Exiſtentem.

20 Hæc porta Iehouæ eſt, iuſti ingredientur illam.

21 Celebrabo te: nam annuiſti mihi, & tuliſti mihi opem.

22 Lapis quem ædificantes reiecerant, factus eſt in caput anguli.

23 Ab Iehoua hoc factum eſt, & idem noſtræ æſtimationi miraculum eſt.

24 Hic ille dies quem fecit Iehouah: gaudeamus in eo, & lætemur.

25 Obſecro Iehouah fer nunc opem, obſecro Iehouah nunc da ſucceſſum.

26 Bene ſit ei qui venit in nomine Iehouæ, bene precabimur vobis à domo Iehouæ.

27 Fortis eſt Iehouah, & affulgere lucem nobis faciet: alligate hoſtias funibus ad cornua altaris.

28 Deus meus es tu, & celebrabo te: Deus meus, & exaltabo te.

29 Celebrate Iehouam, quoniam beneuolus eſt, quoniam in ſempiternum perſtat bonitas eius.

ADVERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Celebrate Iehouam: quia bonus, quia in ſeculum bonitas eius.*

2 *Dicat nunc Iiſrael: quia in ſeculum bonitas eius.*

3 *Dicat nunc domus Aharon: quia in ſeculum bonitas eius.*

4 *Dicant nunc timentes Iehouam: quia in ſeculum bonitas eius.* Vel quum in Regem iam ab vniuerſo Iiſraele inaugurabatur, vel quũ ſolenni illa pompa Arcam fœderis in vrbem ſuã inuexit, hunc hymnum cecinit. In primis celebrem fuiſſe diem, ac populi maximam frequentiã, tum non longè ab electione ſua in regnum, quũ cantatus eſt, ipſa Pſalmi verba abundè teſtantur. Primùm ergo ad celebrãdum Deum inuitat in genere: inde nominatim Iiſraelem: mox Sacerdotes nomine domus Aharon: poſtremò timentes Deum, quos aut intelligit peculiariter Dei ſtudioſos ex Iiſraele, vel quoſcunque, ſiue ex Gentibus, ſiue ex Iiſraele.

5 *Ex anguſtia inuocaui Iah, reſpondit mihi in latitudine Iah.*

6 *Iehouah mihi, non timebo: quid faceret mihi homo?*

7 *Iehouah mihi inter auxiliatores meos, & ego videbo in odientibus me.* Verſus 5, trãſlatione vtitur anguſtiæ, quæ eſt ex aduerſitate, & latitudinis, quæ eſt aduerſitate depulſa: qua vſ eſt & verſus 2 Pſal-

mi 4, vbi & plura de ea dixi. Verſu 6 & 7, canit vnde ſpem ſuam in exilio, quùmque eum tanto ſtudio Schaul perſequeretur, aluerit: nempe inde quòd non dubitabat ſtare Deum à ſe & ſuis: qui quamuis pauci eſſent, iuuare tamen ipſum auſi fuerant, nempe ſexcenti tantum viri. Hæc ſecum reputans, metum ex animo expellebat, expendens quantum Deus qui eſt ſecum, & cum iis paucis qui ad ſe venerant, eſſe dignabatur, hoſtibus qui nihil niſi homines erant, præſtaret. Dicebat igitur eiecto ex animo omni timore, Nihil mihi metuam, quid faceret mihi homo? Nec dubitabat, ſe olim viſurum optatam ſumi de hoſtibus ſuis vltionem. Hac itaque ſpe minimè fruſtratus canit,

8 *Melius confidere Iehouæ, quàm niti homine.*

9 *Melius confidere Iehouæ, quàm niti optimatibus.* Iſtud, præſtare ſe tutelæ Dei, quàm hominum, ac etiam optimatum & potentiorum ſeſe committere, in hoc forſan cecinit, vt notaret eos qui adulatoribus Schaulis, ob potentiam eorum confiſi, miſerè poſtea falſi fuerunt.

10 *Omnes Gentes circundederant me: in nomine Iehouæ, quia conſcindam eos.*

11 *Circundederant me, etiam circundederant me: in nomine Iehouæ, quia conſcindam eos.*

12 *Circundederant me ſicut apes, extincti ſunt ſicut ignis ſpinarum: in nomine Iehouæ, quia conſcindam eos.*

Memorat pericula in quibus fuit, è quibus ope Domini euaſerat. Cinctum fuiſſe vndique ſe, atque obſeſſum ab omnibus Gentibus ait verſu 10, ſignificãs ab omnibus circunquaque Gentibus mortem ſibi fuiſſe intẽtatam. Gens propria fugarat, atque indeſinenter ad mortem venabatur, infeſti erant Philiſthæi, vrbẽ ei ſuccenderant, prædámque abegerant Amalekitæ: vndique quicquid erat Gentium, in ipſum conſpirauerat. ideo dicit ſe obſeſſum & cinctum ab omnibus Gentibus fuiſſe, & obſidionis vel cingendi verbum quartò repetit. Tum aſſimilat infeſtos ſibi, apibus & igni graſſanti in ſpinis, quod ingenti quidem fragore oritur, ac momẽto longiſſimè ſerpit, vicináque omnia corripit: at ſimul dicto citius extinguitur. ſic illi odio eius flagrarãt, ſummáque contentione perpetuò infeſtauerant, atque vt ſerant. vtcunque autem furerent, totíſque viribus continuò in eo eſſent vt ipſum perderent, fretus tamen nomine Domini, victoriam ſibi pollicebatur, *in nomine*, inquit, *Iehouæ*, ſubaudi, cõfido: nam hoc fretus *conſcindam illos*. Id autem de Allophylis tantùm & deploratis ex Iiſraelitis dixit. Regi ſiquidem Schauli, vt vncto Domini, nunquam nocere voluit. reliquũ populum ſic quoque amabat, vt extrema pro eis pericula ſubiret: tam abfuit vt excindere illos ſibi propoſuiſſet. Illud verò, *in nomine Iehouæ*, &c. tertiò repetiit, quo ſignificaret, quanta ipſum in periculis Dei fiducia ſuffulſerit.

13 *Impellendo impuliſti me vt caderem, & Iehouah adiuuit me.* Iſtud videtur in animo peculiariter ad Schaulem, aut certe præcipuum aliquem ex adulatoribus dixiſſe. Ab eo enim quòd nuſquam in terra Iiſrael illi locus tutus relictus erat, in tot apud Gẽtes diſcrimina venerat. niſi igitur Dominus ſuſtentaſſet, non potuiſſet impulſus ab illo, quiſquis ſit quem notarit, non cadere.

14 *Robur meum, & cantio Iah, & fuit mihi in ſalutem.*

15 *Vox ouationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum, Dextera Iehouæ fecit virtutem:*

16 *Dextera Iehouæ extulit ſe, dextera Iehouæ fecit virtutem.* Canit opem ſibi latam, & inde ingenti lætitia cum ſe, tum iuſtos quoſlibet perfuſos. Et quia in ea Deus præclarè adeò ſuam virtutem exeruerat vt ſeruaret, quũ iam omnia alia videbantur in necem eius cõiuraſſe, vocat eum robur ſuum, & carmen, id eſt de quo canẽdi carminis & ampliſſimam habeat materiam, & voluntatem promptiſſimam: nec verò ſolùm ipſe, ſed iuſtitiæ ſtudioſi vniuerſi. Hinc dicit, *in tabernaculis iuſtorum ubique ouantium voces audiri, & ſalutem*, id eſt publicam de publica ſalute gratulationem. Ipſo enim in Regem euecto, boni omnes ſciebant, toti Reipublicæ ſalutem eſſe allatam. Hæc ergo vt multo erant præſtantiſſima & auguſtiſſima, ita non potuerunt niſi dexteræ Dei ferri accepta. idcircò canit ſecundò, *hanc feciſſe virtutem, & ſeſe extuliſſe*, hoc eſt ſeſe potenter exeruiſſe.

17 *Non moriar, ſed viuam, & memorabo opera Iah.*

18 *Caſtigans caſtigauit me Iah, & morti me non tradidit.* Illud, *Non moriar, ſed viuam*: exultatio eſt iam ex omni periculo erepti. cui rectè ſubiicit id ob quod ſolũ & ipſe, & pii omnes viuere cupiunt: nimirum, vt laudes Dei quamplurimis celebret, & facta eius deprædicet, qui ipſam etiam adflictionem in ſalutẽ ei immiſerat. vnde canit quæ paſſus fuerat, paternã dũtaxat fuiſſe caſtigationem.

19 *Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingrediar per illas, celebrabo Iah.*

20 *Iſta porta Iehouæ, iuſti ingrediuntur per illam.*

21 *Celebrabo te, quia reſpondiſti mihi, & eris mihi in ſalutem.* Portas iuſtitiæ vocat templum, & inde cœtum ſacrum, in quem verè & coram Deo non veniũt niſi iuſti. Eandem vocat portam, quod idem eſt atque portas Iehouæ, ſicut aliàs domus Iehouæ. In hoc ſacro cœtu ait prædicaturum ſe Dei bonitatem, quia cupiebat prædicare illam quàm magnificentiſſimè. Iubet has ſibi portas aperiri, quia dum extorris eſſet, fuerant illi clauſæ.

22 *Lapidem reiecerant ædificantes, factus eſt in caput anguli.*

13 *A Iehouah factum eſt iſtud: id mirabile in oculis noſtris.* Gloriatur de ſua, reiecti adeò vt nuſquam in tota Iiſraelis ditione hærere poſſet, in tantam potentiam & gloriam erectione. Allegoria vtitur lapidis quem ædificantes, vt nulli ædificii loco idoneum, reiiciant, & poſtea præter omnem ſuam expectationẽ vident collocatum in capite anguli, primo & inſigniore ædificii loco. Factus enim erat Dauid rex populi Dei, & quidem auguſtiſſimus: cui paulò antè qui rerum potiebãtur (quos per ædificantes intellexit) ne in infima quidem plebe locum permiſerant. In eo autem Chriſti Seruatoris typũ geſſit, qui ipſe quoque hæc Iudæis hoſtibus ſuis obiecit, Matthæi 21.d.42: innuẽs ſe iam ab ipſis, qui in populo ædificantium partes obtinerent, penitus reiici, & Synagoga prorſus excludi, vt quem nullum omnino in Dei populo locum habere conueniat. fore autẽ paulò pòſt vt viſuri eſſent primo ſe loco ab omnibus Dei filiis adorari, vt cui Pater eſſet omnem poteſtatẽ traditurus. Ieſchaiah 28.d.16, eum angularem ſimul & fundamentalem lapidem vocat. Etenim quia eo nituntur cuncti Electi, rectè lapis fundamẽtalis dicitur. Quia verò idem totum ædificiũ continet, iure dicitur quoque angularis. Quoniam autem Dauidem è loco humillimo in tantã dignitatem exaltatum populus videret, cui omnes regni proceres fuerant ſemper aduerſati, non potuit non vehementer admirari, & agnoſcere Domini id opus eſſe. Eam ergo admirationẽ exprimit verſu 23: quæ multo maior eſt Sanctis conſiderantibus exaltationem Chriſti, qui infra cũctos mortales deiectus, contra omnium Principum mundi voluntatem, ſummóſque conatus, euectus eſt ſupra omnia, ac quotidie in ſuis euehitur: vt re ipſa quiſquis animaduertit, videat & ſentiat id fieri ab vna Domini manu.

14 *Hic dies [quem] fecit Iehouah, gaudeamus & lætemur in ea.* Canit populi primùm Iudaici de regno Dauidis, deinde cæleſtis de regno Chriſti applauſum & exultantem lætitiam. Vt nanque populus Iudaicus diem inaugurationis Dauidicæ, agnoſcebat diem ſalutis publicæ, in quo cũcti gaudere meritò & exultare debebant: ita diem Euangelii inaugurationis Chriſti, qui durat dum fides in Chriſtum durat, ſic habent verè Sancti, vt gaudio perenni de ſaluifico Chriſti regno exultẽt. Ad quod Paulus cum aliàs, tum ad Philip. 4.a.4, hortatur. Meminit verò huius diei 2. Corinth. 6, vocans eum diem ſalutis.

15 *Obſecro Iehouah ſerua nunc: obſecro Iehouah nunc da ſucceſſum.*

16 *Bene ſit [ei] qui venit in nomine Iehouæ: bene precabimur vobis de domo Iehouæ.* Verſus 25 habet acclamationem, qua nouo regi populus acclamabat, qua Chriſto & Hieroſolymis fuit à populo acclamatum, Matthæi 21.a.9, Marci 11.b.9, Iohannis 12.b.13. *Obſecro nunc fer opem*, quiſque in populo clamabat: hoc eſt, O Deus, iam benignus adſis, poſtquam hunc nobis Regem dediſti. *Obſecro nunc, dona ſucceſſum*: fac fœliciter regnet quem præter omnem expectationem in Regem extuliſti. Euangeliſtæ autẽ memorãt hæc, vt fuerũt vulgari lingua à populo dicta, *ὠσαννὰ υἱῷ Δαβίδ*: Hos pro Hoſhia, id eſt opem fer filio Dauid. Item Hoſanna in excelſis, id eſt fer opem qui præſides in excelſis. Porrò & ſequentis verſus priorem particulam populus Chriſto acclamans, adiecit, *Bene illi ſit qui venit in nomine Domini*. Ea videtur primùm vox fuiſſe Sacerdotum, qua exceperunt cum Regem, tum alios ad tabernaculum Domini venientes. vnde ſequitur, *Bene precabimur vobis de domo Domini*. De voce ברך quam benedicere vulgo vertunt, dictum eſt in verſum 14 Pſalmi 21. Quum ea hominibus tribuitur, beneprecari ſignificat, nõnunquam & benefacere: quum autem Deo tribuitur, ſemper ſignificat eius fauorem & beneficẽtiam. Venit autem in nomine Iehouæ, qui venit animo & ſtudio extollẽdi nominis Dei. Sic venientium caput Chriſtus eſt, qui nihil vnquam aliud quàm Patris gloriam quæſiuit & ſpectauit: quare rectè id de eo populus propriè canebat.

17 *Deus Iehouah, & illuminabit nobis: ligate hoſtiam funibus ad cornua altaris.*

18 *Deus meus tu, & celebrabo te: Deus mi exaltabo te.*

19 *Celebrate Iehouam quia bonus, quia in ſeculum bonitas eius:* Ad ſacrificia hortantur Sacerdotes, verſu 27, pollicẽtes Deum, qui ſolus fortis & potens eſt, iam benignè populo adfuturum: hoc eſt ipſi lucem immiſſurum, qui regnante Schaule in tenebris egerat, ſicut in pietatis ſtudio frigens, ita modis omnibus miſer & calamitoſos. Pro hoc ergo tãto beneficio par eſſe, vt ſummam quiſque gratitudinem exhiberet, & teſtaretur. Ad id ergo inuitant, quum dicunt, *Ligate &c.* id eſt hoſtiam funibus ad cornu altaris, hoc eſt offerte. Offerendæ enim hoſtiæ cornibus altaris ſolebant alligari. Noſtra ſacrificia nos ipſi ſumus, prauáque cordis deſideria continuò per Spiritum mactanda. Verſus 28 continet vocem cuiuſque Sanctorum ad laudandum, extollendúmque Deum ſeſe offerentis. Vltimus habet ad laudem Dei inuitationem, à qua Pſalmus cœpit.

PSALMVS CXIX, [illegible]

ARGVM. *Canit hic Psalmus quanti faciant Sancti Leges Dei, quantopere illis ſtudeant, ut tranſgredi & oppugnari illas ab impiis doleat: quemadmodum orent ſe illas doceri Diuinitus, atque eis aſſueſieri: denique perdi & aboleri quicunque illas tranſgrediuntur & oppugnant.*

PARAPH. 1 א FOElices qui innocenter vitam degunt, qui viuunt iuxta Legem Iehouæ.
2 Fœlices qui obſeruant oracula eius, toto corde illi ſtudent.
3 Hi enim nihil admittent iniquitatis, ſed terent vias eius.
4 Tu præcepiſti vt mandata tua ſedulò ſeruentur.
5 Vtinam ſic inſtituatur vita mea, vt obſeruem ceremonias tuas.
6 Tum non pudefiam, quum omnia tua præcepta ob oculos habuero.
7 Celebrabo te corde recto, quum didicero edicta iuſtitiæ tuæ.
8 Ceremonias tuas obſeruabo, ne vſque deſeras me.
9 ב In quo perpurget adoleſcēs inſtitutū ſuū, vt obſeruet illud ſecundū iuſſa tua?
10 Toto corde quæſiui te, ne ſinas me errare à præceptis tuis.
11 Recondi in corde meo ſermones tuos, ne in te peccem.
12 Laudatus es tu ô Iehouah, inſtrue me ceremoniis tuis.
13 Labiis meis memorabo cuncta edicta oris tui.
14 De via quā docent oracula tua gaudebo, ſicut de multo ampliſſimis copiis.
15 De mandatis tuis commentabor, & ſemitas tuas habebo ob oculos.
16 Ceremoniis tuis oblectabor, non obliuiſcar verborum tuorum.
17 ג Benefac ſeruo tuo, vt viuam, & obſeruem iuſſa tua.
18 Retege oculos meos vt peruideam mirabilia quæ ſunt in Lege tua.
19 Aduena ego ſum in terra, ne abſcondas à me præcepta tua.
20 Atteritur anima mea præ deſiderio erga edicta tua, omni tempore.
21 Increpabis flagitioſos, execrationi deuoti ſunt qui à præceptis tuis errant.
22 Submoue à me probrum & ignominiam: nam oracula tua obſeruabo.
23 Sedent etiam Principes & loquuntur contra me: at ſeruus tuus commentatur de ceremoniis tuis.
24 Etiam oracula tua, oblectamenta mea, atque conſultores mei.
25 ד Hæſit humi anima mea: viuifica me ſecundum promiſſa tua.
26 Quæ agenda mihi obuenerunt renuntiaui tibi, & reſpondebas mihi: inſtrue me ceremoniis tuis.
27 Viā mandatorū tuorū fac me intelligere, & cōmentabor de mirabilibus tuis.
28 Diffluxit anima mea præ anxiis cōgitationibus: conſolida me iuxta promiſſa tua.
29 Inſtitutum fallax auerte à me, & Lege tua me dignare.
30 Inſtitutum verum elegi, edicta tua mihi propoſui.
31 Adhæſi oraculis tuis ô Iehouah, ne ſinas me pudefieri.
32 Viam præceptorum tuorum curram, nam recreabis cor meum.
33 ה Doce me Iehouah viā ceremoniarū tuarū, & obſeruabo illā vſque in finem.
34 Da mihi intelligentiā, & obſeruabo Legē tuā, cuſtodiámq; illā ex toto corde.
35 Deduc me per tramitem præceptorum tuorum: nam in eo eſt voluptas mea.
36 Inclina cor meum in oracula tua, & non in lucrum.
37 Auerte oculos meos ne aſpiciant vana, in via tua viuifica me.
38 Confirma ſeruo tuo promiſſa tua, qui tuo ſe cultui addixit.
39 Remoue probrum quod metui: nam iudicia tua clementia ſunt.
40 En deſideraui mandata tua: pro iuſtitia tua viuifica me.
41 ו Adueniat mihi bonitas tua ô Iehouah: auxilium tuum iuxta promiſſa tua.

42 Vt ſit quod reſpondeam opprobrantibus mihi,nam verbis tuis nitor.
43 Ne ſinas vnquam eripi ore meo ſermonem verum , nam ad inſtituta tua ſuſpicio:
44 Et Legem tuam iugiter obſeruabo in omne æuum.
45 Ingrediar tanquam in loco ſpatioſo , nulla re coartatus , nam mandata tua quæſiui.
46 Loquar de oraculis tuis coram Regibus,nec pudefiam.
47 Et oblectabor in præceptis tuis quæ dilexi.
48 Attollam manus meas ad præcepta tua quæ dilexi, & de ceremoniis tuis cōmentabor.
49 ז Memor ſis promiſſi erga ſeruum tuum,in quod feciſti me ſperare.
50 Id me conſolatum eſt in afflictione mea , nam promiſſa tua viuificarũt me.
51 Flagitioſi ſubſannarunt me plurimum,at ego à Lege tua non deflexi.
52 Memor fui eorum quæ à ſeculis iudicaſti ô Iehouah,& conſolatus ſum.
53 Vrigo inuaſit me propter improbos qui Legem tuam deſerunt.
54 Ceremoniæ tuæ fuerunt mihi carmina,in domo peregrinationis meæ.
55 Memor ero nocte nominis tui ô Iehouah,& obſeruabo Legem tuam.
56 Iſtud mihi inde contigit,quòd mandata tua obſeruaui.
57 ח Sors mea ô Iehouah,ſtatui obſeruare iuſſa tua.
58 Suſpicio faciem tuam ex toto corde,faue mihi iuxta promiſſa tua.
59 Reputaui mecum vias meas,& retuli pedes meos ad oracula tua.
60 Properaui,nec moram nexui,vt obſeruarem præcepta tua.
61 Turmæ improborum diripuerunt me,Legem tuam non ſum oblitus.
62 Media nocte ſurgam ad celebrandum te,pro iuſtis iudiciis tuis.
63 Conſocio me omnibus qui te colunt,& obſeruantibus mandata tua.
64 Bonitate tua ô Iehouah plena eſt terra,ceremoniis tuis inſtitue me.
65 ט Benignè feciſti ſeruo tuo ô Iehouah,iuxta promiſſa tua.
66 Rectè ſapere & cognoſcere doce me,nam præceptis tuis fidem habeo.
67 Priuſquam affligebar,ego errabam:at nunc dicta tua obſeruo.
68 Bonus es tu & beneficus,inſtitue me ceremoniis tuis.
69 Concinnarunt flagitioſi contra me mendacia, ego autem toto corde obſeruabo mandata tua.
70 Craſſum ceu adeps eſt cor illorum,ego autem Lege tua oblectabor.
71 Bene mihi quòd afflixiſti me,vt ceremoniis tuis inſtituerer.
72 Lex oris tui mihi potior eſt milibus auri & argenti.
73 י Manus tuæ finxerunt & pararunt me,ſuppedita intelligentiam,vt diſcā præcepta tua.
74 Qui te colunt,læti videbunt me:ad promiſſa tua ſuſpicio.
75 Noui Iehouah quòd iuſta ſint iudicia tua,& ex fide me affligas.
76 Conſoletur me obſecro bonitas tua, iuxta ea quæ ſeruo tuo promiſiſti.
77 Fruar humanitate tua,& viuam:nam Lex tua eſt oblectamentum meum.
78 Pudefiant flagitioſi,nam immeritum me euertere conātur : ego interim de mandatis tuis commentabor.
79 Reuertantur ad me qui te colunt,ac norunt tua oracula.
80 Innocens erit cor meum in ceremoniis tuis,propterea non pudefiam.
81 כ Defecit anima mea expectatione opis tuæ,ad promiſſa tua ſuſpicio.

82 Euanuerũt oculi mei,ſuſpiciẽti ad pollicita tua:dixiq́;,Quãdo cõſolaberis me?

83 Fui velut vter ſuſpenſus ad fumũ: at ceremoniarum tuarũ non ſum oblitus.

84 Quantum ſupereſt ſeruo tuo tempus vt hæc ferat? quando demum exercebis iudicium contra inſectantes me?

85 Foderunt flagitioſi mihi foueam,quod Legi tuæ aduerſatur.

86 Cuncta præcepta tua fides ſunt: illi autem immeritò me perſequuti ſunt: adiuua me.

87 Propè extinxiſſent me in terra,attamen mandata tua nequaquam deſerui.

88 Pro bonitate tua reſtitue me,& cuſtodiam oracula oris tui.

89 ל In ſempiternum ô Iehouah,in cælis conſiſtit verbum tuum.

90 Per omnes ætates fides tua:inſtituiſti terram,& perſtat.

91 Iuxta decreta tua perſtant hodie,nam omnia tibi ſunt loco ſeruorum.

92 Niſi Lex tua fuiſſet mea oblectatio,periiſſem in afflictione mea.

93 In ſempiternũ non obliuiſcar mãdatorũ tuorum,per illa enim me recreaſti.

94 Tuus ego ſum,ſerua me:nam mandata tua perquiſiui.

95 Expectarunt me impii vt me perderent:ego interim,operam dabo vt intelligam oracula tua.

96 Omnis finitæ rei finẽ videre poſſum,at præcepta tua ampla ſũt ſupra modũ.

97 מ Quàm dilexi Legem tuam! quotidie de ipſa commentor.

98 Prudentiorem me feciſti inimicis meis per præcepta tua: ea nanque perpetuò mihi in animo ſunt.

99 Intelligẽtia cunctos docentes me ſuperaui, quia de oraculis tuis cõ mentor.

100 Seniores intelligentia antecello,quia mandata tua obſeruo.

101 Ab omni ſemita mala prohibeo pedem meum,vt obſeruem iuſſa tua.

102 Ab edictis tuis haud declinaui,nam tu edoce me.

103 Quàm dulcia facta ſunt fauci meæ iuſſa tua! ori meo dulciora melle.

104 A mandatis tuis intelligens reddor, ideo habui odio omnẽ ſemitã fallacem.

105 נ Iuſſa tua,lucerna ſunt pedibus meis,lumen tramiti meo.

106 Iuraui & præſtabo,vt ſeruem iuſta edicta tua.

107 Afflictus ſum nimium,Iehouah viuifica me iuxta promiſſa tua.

108 Grata ſit obſecro ô Iehouah vltronea ſacrificia oris mei,& edicta tua doce me.

109 Animã meam continuò in diſcrimẽ adduco,Legis tuæ tamẽ non obliuiſcor.

110 Poſuerunt improbi mihi laqueum,attamen à mandatis tuis non erraui.

111 Oracula tua in hæreditatem ſempiternã mihi vendicaui,nam ſunt gaudium cordi meo.

112 Inclinaui cor meum ad faciẽdum ceremonias tuas,in ſeculũ & abſque fine.

113 ס Praua conſilia odio habui,& Legem tuam dilexi.

114 Latibulum meum & ſcutum es tu,ad tuam promiſſionem ſuſpicio.

115 Faceſſite à me noxii,& obſeruabo præcepta Dei mei.

116 Suffulci me iuxta pollicita tua, & viuam:& ne patiaris me pudefieri fruſtratum expectatione mea.

117 Suſtenta me & ſeruabor,& oblectabor ceremoniis tuis iugiter.

118 Conculcabis cunctos errantes à ceremoniis tuis: nam inane mendacium eſt quod illi callidè cogitant.

119 Vt ſcoriam remouebis cũctos improbos terræ,propterea dilexi oracula tua.

120 Inhorruit metu tui caro mea,& à iudiciis tuis timui.

121 ע Studui æquitati & iuſtitiæ,ne permittas me iniuriantibus me.
122 Oblecta bonis ſeruum tuum,ne afficiant me iniuria flagitioſi.
123 Euanuerunt oculi mei ſuſpicientes ad opem tuã, & ad promiſſa iuſtitiæ tuæ.
124 Age cum ſeruo tuo pro bonitate tua,& inſtrue me ceremoniis tuis.
125 Seruus tuus ego ſum,da mihi intelligentiam,& agnoſcam oracula tua.
126 Tempus eſt ô Iehouah vt iudicium facias,diſſiparunt Legem tuam.
127 Propterea dilexi præcepta tua præ auro & gemmis.
128 Propterea omnia mandata,omnia inquam recta agnoſco, omnem ſemitam falſam odi.
129 פ Admiranda ſunt oracula tua,propterea obſeruat illa anima mea.
130 Simulatque intelligi verba tua cœperint,illuminant, ſuppeditant intelligentiam ſimplicioribus.
131 AEgrè traxi ſpiritum,eo quòd ad præcepta tua anhelarem.
132 Reſpice me,& tuo fauore dignare, ſecundũ iudicia quibus moderaris amantes nominis tui.
133 Greſſus meos dirige ſecundum iuſſa tua,& ne ſinas dominari mihi vllam iniquitatem.
134 Redime me ab iniuria hominum,& obſeruabo mandata tua.
135 Irradia vultu tuo ſeruo tuo,& inſtitue me ceremoniis tuis.
136 Riui aquæ defluxerunt ab oculis meis, eo quòd nõ obſeruarẽt Legem tuam.
137 צ Iuſtus es tu Iehouah,& æqua iudicia tua.
138 Præcepiſti oraculis tuis iuſtitiam,& fidem cumprimis.
139 Cõfecit me æmulatio mea, propterea quòd infeſti mihi verborum tuorum obliuiſcuntur.
140 Perpurgata ſunt admodum velut igni iuſſa tua,& ſeruus diligit illa.
141 Paruulus fui & abiectus,attamen mandatorum tuorum non ſum oblitus.
142 Iuſtitia tua iuſtitia ſempiterna, & Lex tua veritas.
143 Quum afflictio & anxietas me apprehendiſſent, præcepta tua recrearũt me.
144 Iuſtitia oraculorum tuorum perſtat in ſempiternum: da mihi intelligentiã, & viuam.
145 ק Inuocaui ex toto corde,annue mihi ô Iehouah,ceremonias tuas obſeruabo.
146 Inuocaui te,ſerua me,& cuſtodiam oracula tua.
147 Anteuerto diluculum,& vociferor,ad tua promiſſa ſuſpicio.
148 Anteuertunt vigilias oculi mei,vt de iuſſis tuis commenter.
149 Audi me pro bonitate tua ô Iehouah, ſecundum iudicia tua viuifica me.
150 Qui perſequũtur me, induunt ſycophãtiis,longè autẽ receſſerunt à Lege tua.
151 Propè ades tu ô Iehouah,& omnia præcepta tua veritas.
152 Pridem noui hoc de oraculis tuis, quòd fundaſti ea vt in ſeculum perſtent.
153 ר Vide afflictionem meam,& tuere me,nam Legis tuæ non obliuiſcor.
154 Defende cauſam meam,& adſere me,iuxta tua promiſſa viuifica me.
155 Salus longè abeſt ab improbis,nam tuas ceremonias non inquirunt.
156 Humanitas tua multa eſt ô Iehouah,ſecundum tua iudicia viuifica me.
157 Multi ſunt qui perſequuntur me, & infeſti mihi ſunt,ab oraculis tamen tuis non declinaui.
158 Vidi perfidos,& pertæduit,eo quòd dicta tua minimè obſeruent.
159 Vides quòd mandata tua diligam: Iehouah pro bonitate tua viuifica me.

160 Caput verborum tuorum veritas,& in ſempiternum perſtant omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.

161 [v]Principes inſectati ſunt me immeritum,& à verbis tuis expauit cor meum.

162 Lætor ego de iuſſis tuis,vt qui nactus eſt ſpolia multa.

163 Mendacia odio proſequor, & abominor:Legem tuam diligo.

164 Septies in die laudo te,propterea quòd iuſta edicta tua.

165 Fœlicitas multa erit Legem tuã diligentibus, nec quicquã illis offendiculi.

166 Speraui opem tuam ô Iehouah,& præceptis tuis operam dedi.

167 Obſeruat anima mea oracula tua,& diligit ea admodum.

168 Obſeruo mãdata tua,& oracula tua:nam cunctæ viæ meæ tibi expoſitæ ſunt.

169 [n] Pertingat ad conſpectum tuũ vociferans cantio mea ô Iehouah: fac vt verba tua ritè intelligam.

170 Perueniat in cõſpectum tuum deprecatio mea:iuxta promiſſa tua libera me.

171 Fundent labia mea laudem tuam,quum ceremoniis tuis inſtitueris me.

172 Loquetur lingua mea de iuſſis tuis,nam omnia præcepta tua,iuſtitia ſunt.

173 Auxilio mihi ſit manus tua,nam mandata tua elegi.

174 Opem tuam volo ô Iehouah:& Lex tua,oblectamenta mea ſunt.

175 Viuat anima mea & laudabit te,& iudicia tua erunt mihi auxilio.

176 Erraui ceu ouis perdita,quære ſeruum tuum :nam præceptorum tuorum non ſum oblitus.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

VIderi poſſit hic Pſalmus æquo verboſior, eo quòd eadem idẽtidem inculcet: ſed qui nouerit quàm ardeant verè Sancti Legis Diuinæ ſtudio,quàm anxiè cupiant vita illam exprimere,quàm doleat illis quòd eam non poſſunt aſſequi, quàm enecet quòd impii eam etiam irrident, & ab ea quos poſſunt, reuocant: ille profectò nihil hîc redundare, nihil præter rem repeti, ſed ſingulos verſus nouũ aliquid offerre,quódque haud vulgare ad inſtautationem pietatis momentum habeat , agnoſcet. Compoſitus eſt iuxta ordinem Aleph Beth, octonis ſemper verſibus ab vno elemento incipiẽtibus. Rationem huius plærique reddere conati ſunt: ſed nihil dum certi attulerunt, neque mihi quod afferam datum eſt,niſi id Vates fecerit cauſa vel ornatus, vel memoriæ iuuandæ, vel certè vtriuſque. ad certa igitur animum conferamus. Vocibus his, תורה, חוקים, מצות, פקודים, עדות, משפטים, אמרה דבר, ארח, דרך, crebrò adeò vtitur vt nullus ſit verſus, præter vnũ 122,qui non habeat,ſi nõ plures,vnã ſaltem ex eis. Thorah à docẽdo dicta, pro tota Lege & inſtitutione Domini accipitur. Hukim,alii ſtatuta,ego reddidi ceremonias. Nõ tamẽ recipio quod quidam tradunt,ritus Sacerdotũ & ſacrificiorũ tantùm hoc nomine ſignificari. Dicuntur Hukim præſcripta Dei quæuis:quod nõ ſolùm ex hoc Pſalmo,ſed etiam ex Deut. 6.a.2, ac aliis Scripturæ locis liquet. Et Latini per Ceremonias,ritus certos,& leges ſignificant,etiã aliarum rerum quàm cultus deorum. vnde Cicero pro Sex. Roſcio, legationis ceremoniam polluiſſe,pro violaſſe ritũ & legem legationis,dixit. Kimhi ſcribit ea præcepta Legis dici Hukim, quorũ tecta ſit ratio,vt ſunt ceremoniæ Tabernaculi. Miſuoth omnes præcepta reddũt. Pakudim volũt Iudæi eſſe præcepta iuris naturæ,quæ inſcripta ſunt omnium cordibus:ſed & ipſum ſignificat Dei mãdatã quælibet,quæ ſcilicet cõmiſſa nobis ſunt vt ea ſeruemus. AEdoth oracula verti:ſolent aliàs reddi Teſtimonia,vt & ipſe reddidi in verſu 8 Pſalmi 19. Verùm quũ ita dicantur,quòd de voluntate Domini teſtẽtur,quo id auguſtius exprimerẽ, verti hîc oracula. Kimhi putat hoc nomine peculiariter dici præcepta quibus aliqua Diuinæ beneficẽtiæ memoria præcipitur,vt præceptũ Sabbathi, feſtorum aliorum,ſignorum Legis quæ debebant habere in veſtimẽtis,& precationũ. verùm & huius vocis ſignificatũ generalius eſt. Miſpatim iudicia reddi ſolẽt:accipiũtur autẽ,vt aliàs,ita & hìc bifariã. Aliquãdo pro decretis, edictis & legibus Dei,iuxta quas proximis viuendũ eſt,vt in verſu 13,20,& ſimilibus Aliquãdo pro inſignioribus Domini factis,quibus ſuos aſſerit,& hoſtes eorũ reprimit,ac ita ſe iudicẽ omniũ declarat. Sic accipit iudicia Dei, verſu 52,62, 75,& locis aliis. Imrah & Dabar nõnunquã pro dictis & iuſſis Dei accipiũtur,vt verſu 9:aliquãdo pro promiſſis,vt verſu 25,38,& alibi. Dæræch,quod viã ſignificat,pro agẽdi ratione vitæque inſtituto ſumitur. Inde Halach,quod ambulare ſignificat,pro viuere & cõuerſari vſurpatur. Sedec, id eſt iuſtitia, vt aliàs ſæpe dixi, abſolutã bonitatẽ ſignificat. Hæc initio volui præmittere,ne

eſſent eadem identidem repetenda. Porrò fatentur & Iudæi, in hoc Pſalmo Legem, ceremonias, præcepta, mādata, & oracula, pro Lege & inſtitutione accipi, qua vita gloriæ Dei & ſalutis proximorum ſtudioſa præſcribitur. Iam ad Pſalmum.

1 *Fœlicia ſynceris uia, ambulantibus in Lege Iehouæ.* א
2 *Fœlicia obſeruantibus teſtimonia eius: in toto corde inquirunt eum.*
3 *Certe non faciunt prauitatem, in uiis eius ambulant.* Beatos pronuntiat innocentes vita, quam,
viam ſuo more vocat: additque tales eſſe qui iuxta Dei Legem viuunt. Iidem verò ſunt, quos cura & ſtudium tenet oraculorum Dei: de quo verſu 2, ac ideo nihil iniquitatis admittunt, vtpote qui in viis Dei gradiantur, eam viuendi rationem amplexi quam ille præſcribit. de quo verſu 3. Hactenus de radice cecinit totius pietatis, nempe ſtudio Legis Diuinæ, non vt illa ad literā tantùm intelligatur, ſed vt vita exprimatur.
4 *Tu mandaſti mandata tua ut cuſtodiantur ualde.*
5 *Vtinam dirigantur uiæ meæ ad cuſtodiendum ceremonias tuas.* Memorat quàm agnoſcat ſerium de-
bere eſſe hoc ſtudium ſacræ Legis. Deus enim præcepit vt ea obſeruetur valde: id eſt ſummo ſtudio, vt vnicè bona ſunt quæ præcipit. Crebrò occurrunt in hoc Pſalmo & iſtæ duæ voces, נצר שמר: vtraque verò ſignificat curam rei alicuius habere, attētéque eam obſeruare, cuſtodire. Dum itaque iunguntur Legi, vel præceptis Dei hæc verba, ſignificant attentam & ſolicitam curam illis viuendi. Talem ergo Sanctus agnoſcens Deum requirere, vt & ſui reſtitutionem in eodem ſitam ſentit, & iuxtà animaduertens, eam ſupra ſuas vires eſſe, optat dirigi vias ſuas: hoc eſt viuendi rationes ſuas ſic inſtitui vt poſſit Dei ceremonias, id eſt rectè viuendi leges cuſtodire, obſeruare, eiſque toto pectore incumbere.
6 *Tunc non pudefiam, dum intuitus fuero omnia præcepta tua.* Confitetur hîc ſuam in hoc Dei Legis
ſtudio ſalutem ſitam. Hîc *intueri & uidere* vel *conſiderare*, pro eo accipitur, pro quo obſeruare atque cuſtodire: *confundi* autem & *pudefieri*, pro fruſtratione ſpei totius vitæ. Vnde quod dicit, *Tunc non confundar*, idem eſt atque, tum ſpe vitæ meæ, & actionum mearum nunquā fruſtrabor: ſaluus enim ero, ſi ſic Legem tuā ſemper ob oculos habuero, vt ex ea cuncta vitæ meæ conſilia petam. Hinc verò vt ſalus, ita & materia, animúſque verè Deum laudandi, prouenit, inde canit,
7 *Celebrabo te in rectitudine cordis, in diſcendo iudicia iuſtitiæ tuæ.* Rectitudinem cordis, ſimplicita-
tem & ſynceritatem intelligit. Cum hac celebrant Deum quicunque iudicia, id eſt decreta iuſtitiæ Dei, ſolidæ ſcilicet & perfectæ, qualem Lex Dei præſcribit, didicerunt. Didicerunt autē, quicunque certò agnoſcunt, & ſentiunt etiam nihil aliud eſſe vitam, ſalutem, & fœlicitatem, quàm ad hæc vitam noſtram confirmaſſe.
8 *Ceremonias tuas cuſtodiam, ne deſeras me uſque ualde.* Quum in ſtudio Legis Diuinæ omnē adeò
ſitam fœlicitatem cecinisset, claudens octonarium, profitetur ſe ceremonias Dei obſeruaturum: tum precatur, ne ſe Deus nimium deſerat, quia inde caro ac mundus ſemper reuocant.
9 *In quo puram præſtabit iunior ſemitam ſuam, ut obſeruet ſecundum uerba tua?* Hic verſus variè inter- ב
pretatur. Quidam ſic vt interrogatio & reſponſio ſimul habeantur, in hunc modum, In quo purgabit viam ſuam adoleſcens? In eo quòd ſtudioſè ſe moderatur & cuſtodit ſecundum verba tua. Alii, vt totus verſus interrogatio ſit, difficultatem indicans viuendi iuxta Legem Dei. ad quem ſenſum equidem illum reddidi. זכה, quod verbi purgare ſignificat hic, vt & Ieſchaiah 1.d.16, accipitur pro emendare vitam, repreſſiſque prauis cupiditatibus ad ſynceritatem perducere, quod fit quū verbis Dei toto animo ſtudetur. Id quum ſit omni ætati difficile, adoleſcentibus, vt in quibus vis carnis adhuc potentius regnat, difficillimū eſt. Attamen à puero eſt huc enitēdum. nam iuxta illud Prouerb. 22.a.6, Quam viam adoleſcens fuerit inſtitutus, ab ea nec quum ſenuerit, recedet. Hac ergo cauſa adoleſcentis peculiariter meminit.
10 *In toto corde meo inquiro te: ne ſinas me errare à præceptis tuis.*
11 *In corde meo abſcondi ſermonem tuum, ne peccem tibi.*
12 *Laudandus ô Iehouah, doce me ceremonias tuas.* Quum primo verſu difficultatem viuendi ad Le-
gem Dei, viáſque eius terendi memoraſſet, his rationem ſubiicit qua poſſit iſta difficultas ſuperari, nempe, ſi Dei ſtudium animum verè occupet, & ipſe virtutem aſpiret: de quo confitetur & orat verſu 10. Tum ſi verba Dei penitus animo immittātur, de quo verſu 11. Inde verò continuas preces pro Spiritus incremento ad viuendum Legi Dei, neceſſe eſt ebullire, quod notat verſu 12.
13 *In labiis meis memorabo omnia edicta oris tui.*
14 *In uia teſtimoniorum tuorum lætor, ſicut ſuper omnem opulentiam.* Nūc canit vt is ſe habet erga Le-
gem Dei, quem Deus ipſe eam docuerit, dederítque cum ſui vero ſtudio illam reponere in penetrali cordis. Diſſerendo de illa, prædicandóque eius præſtantiam, nunquam ſibi ſatiſfacit: tum vt nulla re, æquè ac ratione viuendi, quam Dei oracula tradunt afficitur, canit.
15 *In mandatis tuis loquar: & conſiderabo ſemitas tuas.*

16 *In ceremoniis tuis delector, non obliuiſcar uerba tua.* Repetit quæ modò cecinit. Nam vt Legi Dei viuatur, in eo potiſſimum ſitum eſt, vt homo iugiter de ea ſecum commentetur, atque diligenter eam ſemper intueatur: de quo verſu 15. Deinde niſi hæc ſic agnoſcatur, vt in qua ſempiterna vita ſit repoſita, ac inde animus ex ea ſummam voluptatem percipiat, obtineri iuſtum eius ſtudium haud poterit. Vtrunque autem contingere oportet ei quem Deus ſuo Spiritu Legem docuerit: hoc eſt, eam cordi inſcripſerit.

ג 17 *Repende ſuper ſeruo tuo: uiuam, & cuſtodiam uerba tua.*

18 *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de Lege tua.* Aliàs dixi גמל ſignificare nõ ſolùm rependere beneficium, ſed etiam primùm impendere. Orat ergo Sanctus vt ſe Deus beneficiis ſuis præueniat, quo viuere poſſit, & intellectis præceptis ipſius viuere. Ea ſiquidẽ mirabilia Lex Dei continet, quæ aliàs homo, ne quidem ſuſpicari poteſt. Inter cætera hæc præcipua ſunt, Deũ tanta eſſe erga humanum genus charitate, vt Verbum ſuum voluerit hominem fieri, & electis ſuis dare eſſe ex huius carne & oſſibus, hoc eſt ſolidum Diuinitatis ſuæ habere conſortium. Tum omnia ab ipſo ad iuſtorum ſalutem eſſe & cõdita, & gubernari: denique per crucem, ignominiam & mortem, perueniri ad immortalitatem & ſempiternam gloriam. Vt hæc ergo Sanctus queat videre, orat verſu 18.

19 *Aduena ego in terra, ne abſcondas à me præcepta tua.*

20 *Comminuatur anima mea concupiſcendo decreta tua in omni tempore.* Nihil ſe aliud quàm cognoſcere, & vita exprimere Legẽ Dei, vt qui ſit in terra aduena, in cælis ciuis, canit verſu 19. Tanto verò ſe huius deſiderio flagrare, vt inde animus quaſi torrefactus, comminuatur (id enim ſignificat גרס) canit verſu 20.

21 *Increpabis alienos, execrabiles qui errant à præceptis tuis.*

22 *Deuolue à me opprobrium & ignominiam, quia teſtimonia tua obſeruo.* Precatur ſe liberari à vi impiorum, qui probro & ignominia ipſum afficiebãt, propter Legis ſanctæ ſtudiũ. Vt enim cecinit Deum increpaturum, & vt execratos deleturum impios qui à præceptis ipſius aberrant, precatur vt ſe probro vindicet, quo vtique ab illis execratis, atque ob id meritò petituris, afficiebatur.

23 *Etiam ſedent Principes, contra me loquuntur: ſeruus tuus loquitur in ceremoniis tuis.*

24 *Etiam teſtimonia tua oblectationes meæ, uiri concilij mei.* Queritur de Principibus qui cõtra ipſum loquebantur, contra quorum vim ſe muniebat commemoratione ceremoniarum Dei, illáſque fuiſſe ſibi oblectamenta, & conſultores teſtatur. Conſolantur ſiquidem & mirificè recreant Dei oracula, dum eius in nos bonitatem tam præclarè demonſtrant: couſulunt quoque probè, dum ſola quæ ſaluti ſunt, indicant.

ד 25 *Adhæſit limo anima mea, uiuifica me ſecundum uerba tua.* Queritur deiectum ſe, vt terræ iam adhæreat anima ſua: hoc eſt ſit proximus morti. Simile habet verſus 26 Pſalmi 44. Hinc ergo precatut ſeſe viuificari, hoc eſt reſtitui, recreari. ſic hoc verbũ per totum hunc Pſalmum identidem recurrens, accipiendum eſt. Precatur autem ſe viuificari iuxta verbum Dei, vtique quo iſtuc ſuis eſt pollicitus. ideo reddidi *promiſſa*.

26 *Vias meas memoraui, & reſpondes mihi doce me ceremonias tuas.* Memorat vt vias ſuas, hoc eſt quic-

1.Sam.23.a.1, & b.10. quid ſibi faciendum incidiſſet, renuntiarit, vtique Deo, & Deum ſibi reſpondiſſe. Id quod de eo legimus quum Keilah & adiret defendendã, & deſereret ſe prodituram, ac aliàs. petit ergo modò vt ſibi in eo quoque conſular, quo ceremoniis ipſius inſtituatur.

27 *Viam mandatorum tuorum fac me intelligere, & loquar de mirabilibus tuis.* Vt in adflictione erat, ita petit conſolationẽ per Legem Dei, quam illa probè intellecta, abũdè ſuppeditat. Orat ergo eius intellectum, quo de mirabilibus, quæ illa de Dei bonitate prædicat, cõmentans, animũ recipiat.

28 *Diſtillat anima mea præ ægritudine: conſolida me ſecundum uerba tua.* Neceſſitatẽ conſolationis hîc exprimit, dum queritur animam ſuam ſtillatim defluere, præ ægritudine & anxiis cogitationibus. ſic enim videtur maximopere perturbatis: quare orat ſe conſolari.

29 *Viam mendacij remoue à me, & Lege tua dona me.*

30 *Viam fidei elegi, edicta tua propoſui.* Vera animi cõſolidatio, ſola Dei Lege effici poteſt. hanc ergo orat ſibi donari, amoto omni inſtituto fallaci & prauo, quandoquidem verum & rectum delegerit: vt qui edicta Dei ſibi propoſuerit, oraculis eius ſeſe addixerit, viámque præceptorum eius currere inſtituerit.

31 *Adhæſi teſtimoniis tuis, ô Iehouah ne pudefacias me.*

32 *Viam præceptorum tuorum curram, quia dilatabis cor meum.* Orat ne pudefiat, vel à recta via lapſus, vel libidini impiorum nimium permiſſus: ac ſpem concipit ſibi Deum cor dilataturum, hoc eſt Spiritum viréſque ſuppeditaturũ, quo in eo curſu perſeuerare poſſit. Niſi forſan glorietur, iam ſe ex anguſto perſequutionis potentum, adductum in ſpatioſum cõſolationis Diuinæ, ac etiam libertatis, ſecundum Leges Dei viuendi. de hoc loquendi modo dictum in verſu 2 Pſalmi 4.

33 *Inſtitue me ô Iehouah: uia cæremoniarum tuarum, & obſeruabo eam [uſque ad] finem.*

34 *Fac me intelligere, & obſeruabo Legem tuam, & cuſtodiam eam in toto corde [meo.]*

35 *Deduc me in ſemita præceptorum tuorum, quia delector ea.* Dictionē עקב variè interpretantur. Quidam reddunt mercedem: quaſi dicat, Cuſtodiam viam ceremoniarum tuarum, propter amplam mercedem, & ingens operæpretium quod inde liceat referre. Mihi aliorum ſentētia magis probatur: qui, quum dictio hæc finem quoque ſignificet, Vſque ad finem legunt. orat enim ſe doceri Legem Dei, deduci, vt iuxta eam viuat, cor in eam reddi propenſum. Quibus docet, & quid deceat præcipuum eſſe Sanctorum ſtudium, & quòd ſine Dei doctrina, ductu, & actu, in via vitæ nihil prorſus proficimus.

36 *Inclina cor meum ad teſtimonia tua, & non ad quæſtum.*

37 *Abduc oculos meos ne uideant uanitatem, in uiis tuis uiuifica me.* Orat ſe à prauis cupiditatibus, ne à Lege Dei detorqueant, liberari. quod enim ait, *Et non ad quæſtum*: precatur eum ſibi dari ſanctæ vitæ amorem, vt quæſtus, & omnis vanitas, id eſt quicquid fuerit fallacium, nō bonorum, ſed vmbrarum boni, quibus tranſuerſum humanus animus agi ſolet, nihil prorſus apud ſe valeat. Id verò eſt in viis Dei viuificari: hoc eſt recreari, virtute cæleſti firmari. *videre uanum*, hìc pro probare, delectari, aut cupere accipitur.

38 *Statue ſeruo tuo ſermonem tuum, qui [ſe addixit] timori tuo.*

39 *Remoue opprobrium meum quod metuo, quia iudicia tua bona.*

40 *Ecce concupiui mandata tua, [&] in iuſtitia tua uiuifica me.* Orat ſibi firmari promiſſionem Dei: hoc eſt præſtari, qui ſe timori Dei, veróque eius cultui addixerit, quibus nimirum ea quæ orat, Deus eſt pollicitus: aut certè firmari in ſe cognitionem, & amorem Legis. Tum iterū deprecatur probrum, vtique aut calamitatis, ſed prouenientis ex neglectu verbi Dei, vnde omnis calamitas hominibus accerſitur: aut violentæ cupiditatis, à ſtudio verbi detorquentis. prima enim illi pietatis cura fuit. *Nam*, inquit, *iudicia tua bona ſunt*: hoc eſt, clemētia, & indulgentem bonitatem referentia. Soles caſtigare, vt morti tamen non addicas: vt à malis reuoces, non in mala præcipites. Quanquam poſſit & hic ſenſus eſſe, Remoue à me opprobrium tranſgreſſionis Legis tuæ. nam edicta quæcunque nobis in illa edidiſti, bona ſunt, & percommoda, vt cum illo conueniat, Iugū meum bonum, &c. Huic pulchrè conſonat quod ſequitur de amore & deſiderio ad Legem Dei, quo ideo flagrabat, quòd optima eſſent. Eandem & iuſtitiam Dei vocat, quòd in hac vera & ſolida iuſtitia docetur, vnde in hac ſe viuificari, hoc eſt confirmari, animíque alacritate donari precatur.

41 *Et adueniant mihi bonitas tua ô Iehouah, [&] ſalus tua ſecundum ſermonem tuum.* Precatur ſe bonitate Dei ſic in ſtudio Legis ſacræ confirmari, vt ſubſiſtere, ac liberè profiteri illud poſſit, nulla mundi poteſtate deterritus.

42 *Et reſpondebo opprobrantibus mihi uerbum, quia uerbo tuo confiſus ſum.*

43 *Et ne eripias ab ore meo uerbum ueritatis uſque nimium, quia ad edicta tua ſuſpicio.* Orat vt donet Dominus quod reſpondeat opprobrantibus, quos intelligit impios veritatis oppugnatores, nec vnquā verbis veritatis deſtituatur: quia nitatur promiſſis eius, & ad edicta eius ſuſpiciat, in omnibus à iuſſis eius pendens. Credentibus enim, & ſic ſibi addictis, nihil Deus poteſt negare.

44 *Et cuſtodiam Legem tuam ſemper, in ſeculum & ultrà.*

45 *Et ambulabo in latitudine, quia mandata tua inquiro.* Dum Deus ſuam mentibus noſtris veritatem immittit, & ſeruat, iam ipſo nitimur, ad verba eius in omnibus ſuſpicimus, atq; iugiter in Legem eius intentos animi oculos habemus. id iam eſt quod canit verſu 40. Inde verò conſcientiæ noſtræ mira eſt tranquillitas, & ſancta quædam voluptas cordi. iſtuc Vates vocat ambulare in latitudine. Cauſam eandem, quam præmiſit, repetit, *Quia mandata tua inquiro.* Fons ſiquidem bonorum omnium eſt Legi Dei ſtudere, eſſéque deditum atque addictum animo.

46 *Et loquar in teſtimoniis tuis coram Regibus, & non confundar.*

47 *Et oblectabor in præceptis tuis quæ diligo.*

48 *Et attollo manus meas ad præcepta tua quæ diligo & loquar in cæremoniis tuis.* Ex eodem ſtudio Legis Dei, & hæc fiducia venit: vt de Lege, doctrináque Dei noſtri coram quanlibet potentibus mundi agere multo liberrimè: ſicque conſtare nobis liceat, vt quicquid illi furiant, nihil nos indignū nobis admittamus, vel prodendo veritatem, vel parum probè cauſam veritatis defendēdo. Idem ſtudium & voluptatem de qua repetit, tum & ſedulitatem, vt admotis iuſſis Dei manibus, opere demum ea exprimamus: de qua eſt verſu 48.

49 *Memor ſis uerbi ſeruo tuo. ſuper quo feciſti me ſperare.*

50 *Hæc conſolatio mea in afflictione mea, quia ſermo tuus uiuificauit me.* Promiſſis Dei fretus, in adflictione perſtiterat: horum recordari Dominum orat, hoc eſt ſe iuxta promiſſa ſua in innocentia, veráque fœlicitate prouehere, quod eſt illa implere.

51 *Flagitioſi ſubſannarunt me uſque nimium: à Lege tua non declinaui.*

52 *Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo ô Iehouah, & conſolatus ſum.* Pietas irriſui eſt impiis: at qui Legem Dei verè didicit, auelli ab ea non poteſt: nam vitæ venam nouit eſſe. quin ex ea ſimulatque conſiderat quæ memorat Dei iudicia, iam inde ab initio orbis exercita contra omnē impiorum ſiue ſubſannationem, ſiue etiam ſæuitiam duraturam.

53 *Tabes me apprehendit ab improbis deſerentibus Legem tuam.* Canit Legis Dei ſtudio ſe ſummè flagraſſe, vt conſiderantem deſertores illius, vrigo ſe ac tabes quædā occuparit. De hac voce זלעפה, dixi in verſu 6 Pſalmi 11.

54 *Cantiones fuerunt mihi cæremoniæ tuæ, in domo peregrinationis meæ.*

55 *Memor fui in nocte nominis tui Iehouah, & cuſtodiam Legem tuam.*

56 *Hoc fuit mihi, quia mandata tua obſeruaui.* Ceremoniis Dei ſic ſe ait oblectatum vt de illis carmina cecinerit, dies noctéſque. idque etiā in domo peregrinationis ſuæ: quo videtur notare exilium, in quo nulla fuiſſet cauſſa lætitiæ. Sed conſideratio oraculorum Dei omnia ſuperabat, eáque lætitia perfundebat, vt nocte nominis Dei memor eſſet, vtique non ſine hymnis. Vltimo verſu canit hæc omnia ſibi inde contigiſſe, quòd Legi Dei ſtuderet, eámque religioſè obſeruaret.

57 *Portio mea ô Iehouah, dixi cuſtodire verba tua.*

58 *Suſpicio faciem tuam in toto corde, beneuolus ſis ſecundum ſermonem tuum.* Ardens tum Dei, tum Legis ſtudium, & præſenti octonario memorat. Vt autem ſit Deus ſors & portio ſuorum, dictum eſt in Pſalmum 16. in vno ſiquidem Deo omnia ſua bona repoſita habent. Hinc dicit verſu 58, *Suſpicio faciem tuam*, à quo cuncta mihi expecto.

59 *Reputaui vias meas, & reuocaui pedes meos ad teſtimonia tua.*

60 *Propero, & non moror cuſtodire præcepta tua.* Dei ſtudium facit vt & Legi eius ſtudeatur. Inde canit viis & inſtitutis ſuis excuſſis, operam dediſſe vt iuxta oracula Dei vitam degeret, atque id omni mora reſciſſa, acceleraſſe.

61 *Cœtus improborum vaſtarunt me, Legem tuam non ſum oblitus.*

62 *[In] medietatibus noctis ſurgam ad celebrandum te, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Adeò nihil impiorum violentia (qui interim eum modis omnibus adfligebant, cum rebus, tum vita deſpoliare conabātur) abſterreri ſe patiebatur, vt nocte quoque ſurgeret ad celebrādum Deum ob iudicia ſua, quibus ſummam ſemper iuſtitiam demonſtrat. Quanquam poſſit etiam hîc per iudicia, Lex ipſa intelligi, ſicut iuſtitiæ, ita vitæ quoq; & ſalutis æternæ adminiſtratrix, pro qua certè gratias agere Deo nemo dignè poteſt. Vita ſiquidem æterna eſt, Deum ritè cognouiſſe, id quod illa ſola docet. nam Legem hoc Pſalmo pro tota Doctrina Dei, & ea in cordibus recepta, veréque viua Vates accipit.

63 *Socius ego [ſum] omnibus qui te timent, & cuſtodientibus mandata tua.*

64 *Bonitate tua ô Iehouah plena eſt terra, cæremonias tuas doce me.* Propenſis ergo æquiſſimis Dei erga ſui timentes iudiciis, his qui Deo ſeſe addixerūt, aſſociare ſe, parémque haberi ſtudet, exclamās, bonitate Dei plenam eſſe terram. Hic vtinam Spiritus afficeret eos qui modò videri volunt, Deo noctu laudes canere.

65 *Bonum feciſti cum ſeruo tuo ô Iehouah, ſecundum verba tua.*

66 *Bonum ſenſum & ſcientiam doce me, quia præceptis tuis fidem habeo.* Canit vtilitatem caſtigationis Diuinæ: & confitetur nihil niſi bonitatem eſſe quicquid Deus cum ſuis egerit. Hinc ſibi ſcientiam, verúmque iudicium, quod iſtud ſemper queat agnoſcere, augeri precatur. De voce טעם, dixi in primū verſum Pſalmi 34. Quod ſubiicit, *Quia præceptis tuis credidi*, aut fidē habui, vel (vt propius è verbo reddā) in præceptis tuis firmatus ſum (quæ omnia idē pollēt) * radix & fons eſt omnis recti iudicii, veríque ſenſus in rebus omnibus. Nam perſuaſum eſt hæc quæ nobis Lex proponit, eſſe oracula Dei, ad Diuinitatis nos ſuæ cōſortium vocantis, * vt hîc nihil ſuperſit dubii, firmus in his animus conſiſtat.

67 *Priuſquam adfligerer ego errabam, & nunc ſermonem tuum cuſtodiam.*

68 *Bonus es tu & benefacis, doce me cæremonias tuas.* Bonitatem Dei prædicat, quòd in tanta lenitate errantem ſe tuliſſet, atque in viam ſe reuocaſſet. hanc ergo vt erga ſe porrò proſequatur, & ſuam Legem doceat, precatur. Bifariam enarratur, propter verbum ענה, quod & reſpondere, vel loqui, & humiliari, atque adfligi ſignificat. Poſteriori ſignificatu, videtur eo Pſaltes hîc vſus, quū verſu 71 ſubiiciat, Bene mihi eſt quòd adflixeris & humiliaris me. Perſæpe enim ſui diſſimiles euadunt Sancti quum omnia carni ex ſententia ſuccedunt. Qui prius ſignificatum amplectuntur, interpretantur, Non reſpōdebam antea, nec fuit quod reſpōderem, quia errans eram. Alii, antequam reſponderem, id eſt occuparer in diſcendo Legem, erraui. Vides hæc coactiora.

69 *Concinnarunt contra me flagitioſi mendacium, ego in toto corde obſeruabo mandata tua.*

70 *Pingueſcit ſicut adeps cor meū, ego Lege tua delector.* Quia hîc de ſui humiliatione & afflictione Sanctus canit, videtur quod hîc queritur de concinnatis contra ſe mendaciis, de iis mendaciis intelligendum quæ concinnarant impii ad opprimēdum illum: quibus tamē nihil motus fuit quo-

minus pertinaciter Legi Dei inhæreret: id quod & ſuprà aliquoties de ſe in gloriam Dei iactauit. Cauſam quòd impii illi Legem Dei non potuerint intelligere, quæ ſibi erat ſumma & vnica oblectatio ac voluptas, canit verſu 70. Proſperitate enim illorum cor, ceu adeps pinguefactum erat, vt ad omnia Dei planè ſtupeſcerent.

71 *Bonum mihi quia adſflixiſti[me] ut diſcam ceremonias tuas.*

72 *Bona mihi Lex oris tui, præ millibus auri & argenti.* Cauſã canit vnde ſibi voluptati eſſẽ Lex Dei cœperat, quam hoſtes eius intelligere adeò nõ potuerunt, vt eã quoque mẽdaciis & vi oppugnarẽt.

73 *Manus tuæ fecerunt me & inſtituerunt me: fac me intelligere, & diſcam præcepta tua.*

74 *Timentes te uidebunt me, & lætabuntur, quia ad uerbum tuum ſuſpicio.* Vt ſemper, hoc præcipuum orat dari ſibi, vt Legem Dei ritè intelligat, hoc eſt certò agnoſcat hanc, quam ipſa præſcribit, vitam beatam eſſe, ſolidúmque Diuinitatis conſortium. Huius exorandi ſpem inde ſibi firmat, quòd ſit figmentum Dei, & Legi eius viuens, ſolatio futurus timentibus Deum.

75 *Noui ô Iehouah quoniam iudicia tua iuſtitia[ſunt,] & [ex] fide adſflixiſti me.*

76 *Sit obſecro bonitas tua ad conſolandum me ſecundum uerbum tuum ſeruo tuo.*

77 *Adueniant mihi miſerationes tuæ, & uiuam: quia Lex tua delectationes meæ.* Iterum canit fructum cognitæ Legis Diuinæ. Ex hac enim diſcimus, Deum omnia nobiſcum agere ex iuſtitia & fide, hoc eſt ſumma æquitate & bonitate, etiam quũ exercet aduerſis. Oramus & exoramus cõſolationes eius, quas nobis promiſit: viuimus, & ex hac ipſa Lege eius, quæ Dei nobis beneuolẽtiam vbique prædicat & ob oculos ponit, cæleſti voluptate perfruimur.

78 *Pudefiant flagitioſi, quia immerito mihi nocuerunt: ego loquar in mandatis tuis.*

79 *Redeant ad me qui timent te, & nouerunt teſtimonia tua.*

80 *Sit cor meum ſyncerum in ceremoniis tuis, ut non pudefiam.* Qui piè vitam inſtituunt, à filiis Satanæ perſecutionem patiuntur שקר, id eſt immeritò: nam hi bene de omnibus mereri ſtudent. Orant ergo improbos pudefieri, fruſtratos conatu ſuo, qui euertere ſcilicet non tam ipſos, quàm in his ipſis gloriam nominis Dei inſtituunt. Id verò Sancti orant vt liberè de mãdatis Dei loquantur, vt tutò iungi ſibi cæteri qui eodem pietatis ſtudio tenentur, & oraculorũ Dei cognitione donati ſunt, poſſint: hoc eſt vt liberati è manu hoſtium, Deo ſeruiant in omni ſanctitate & iuſtitia, & vt vitam degant tranquillam & pacificam in omni pietate & honeſtate. Denique quia in ſolido Legis Diuinæ ſtudio tota ſalus ſita eſt, id orant verſu vltimo. Nam nihil aliud eſt habere in ceremoniis Dei cor ſyncerum, quàm illis toto pectore ſtudere.

81 *Defecit ad opem tuam anima mea, ad uerbum tuum ſuſpicio.* כ

82 *Defecerunt oculi mei ad uerbum tuum, dicendo, Quando conſolaberis me?* Canit quàm anxiè auxilium Dei expectarit, vt præ expectatione animus ſibi & oculi defecerint. In quo notauit pertinacem in cælos ſuſpectionem, de qua dixi in verſu 4 Pſalmi 69.

83 *Nam fui ſicut uter in ſuffumigatione, ceremonias tuas non ſum oblitus.*

84 *Quot ſunt dies ſerui tui, quando facies in perſequentibus me iudicium?* Addit ſe ita deſiderio maceratum, & torrefactũ, vt fuerit ſimilis vtri ſuſpẽſo in fumo. Huius deſiderii vox erat, Quot tandem ſuperſunt dies ſeruo tuo, quibus ſcilicet ab improbis iſtis diuexari eum oporteat?

85 *Foderunt mihi flagitioſi foueam, quod non ſecundum Legem tuam.*

86 *Omnia præcepta tua fides: immeritò perſecuti me ſunt, adiuua me.* Vim & impietatem horum accuſat Illud, *non ſecundum Legem tuam*, Kimhi ad ſtudiũ flagitioſorũ cõtra Sanctos refert. nam Lex nocere innocenti vetat, quod illi ſtudent. Alii id referunt ad improbos illos, quorum vita & actiones non fuerint ſecundum Legem Dei. Verſu 86, confert fidem præceptorum Dei, emẽtitæ cauſæ ob quam impii Sanctos perſequuntur. Semper enim præcepit pietatem & iuſtitiam, quũ nihil aliud eos in Sanctos accendat, quàm quòd hi piè & innocenter vitam ſuam inſtituunt.

87 *Propè conſumpſerunt me in terra, & ego non deſerui mandata tua.*

88 *Secundum bonitatem tuam uiuifica me, & cuſtodiam teſtimonia oris tui.* Sic ſunt verè credentes: ad extremum vſque ſpiritum Legem Dei ſeruant, nulláque vi extorqueri illam ſibi patiũtur. orant autem interim ſemper vt tandem liberatis è manu hoſtili, ſeruire Domino liceat in ſanctitate & iuſtitia.

89 *In ſeculum ô Iehouah extat uerbum tuum in cælis.* ל

90 *In generationem & generationem fides tua: inſtituiſti terram, & ſtabit.*

91 *Ad iudicia tua ſtant hodie, quia omnes ſerui tui.* Firmitatem canit oraculorum Dei. Dicit in cælis conſiſtere verbũ Dei, qui ſunt verbo Dei conditi, & teſtari perpetuam verborum Dei cõſtantiam. Sicut & terra quam fundauit vt in omne æuum perſtet, prædicat fidem eius: qui vtique fallere, aut ſibi parum conſtare nequit, ſic perennantibus his operibus eius. Confirmat hæc quum ſubiicit, ad iudicia eius hæc omnia ſtare hodie: id eſt vſque hodie, eo quòd omnia ſint Deo velut ſerui, dicto ipſi in omnibus audientia.

91 *Niſi Lex tua oblectationes meæ, tunc periſſem in afflictione mea.*

93 *In ſeculum non obliuiſcar mandatorum tuorum, quia in eis viuificaſti me.* Ex machina cæli & terræ, iuſſorũ Dei æternitatem conſiderans, eiſdem inhæſit. hinc & ipſe ſe viuificari, firmari, & contineri ſenſit, omnémque ex eis voluptatem percepit. Eóque pacto vt à flagitiis, ita à vi quoque perſecutorum ſeruatus eſt, omnino periturus niſi verbo Dei ad hunc modum ſeruatus fuiſſet.

94 *Tuus ego, ſerua me: nam mandata tua inquiro.*

95 *Me expectant improbi ut me perdant: teſtimonia tua conſiderabo.*

96 *Omnis conſummationis uidi finem, præceptum tuum amplum ualde.* Tum nos Dei eſſe probamus, quũ Legi eius ſtudemus, eodémq; ſtudio, vt modò dixit, ab improborum vi & dolis ſeruamur. Conſiderãtes enim quæ de Deo nobis Lex prædicat, ſtatim videmus quæ nos, quæque improbos qui nos inſectantur, & caſum noſtrum anxiè expectant, ſors maneat: Deóque nos penitus committimus, hincque in ſpem optimam erecti canimus. *Omnis conſummatæ rei uidi finem:* ſubaudi eſſe, eóque peribunt tandem quicunque tua Lege non ſuſtentantur: quãto magis qui hanc & ſtudioſos eius etiam inſectantur? *Præceptum tuum amplum eſt:* hoc eſt abſque fine. Deũ enim Lex prædicat, docétque ad ſortem Diuinam nos contendere: quæ vtraque ſanè immẽſa amplitudine ſunt, & fine carent, quia in electis Dei perfecta æternùm ſtabunt.

97 *Quàm dilexi Legem tuam! quotidie hæc ſermo meus.*

98 *Præceptis tuis feciſti me ſapientiorem inimicis meis, quia in ſeculum mihi eſt.*

99 *Omnibus docentibus me ſum intelligentior, quia teſtimonia tua ſermo meus.*

100 *Præ ſenibus ſum conſiderantior, quia mandata tua obſeruo.* Quàm amarit Legẽ Dei, quantúmque ex ea profecerit, præſenti octonario memorat. Hoſtibus nãque, docentibus & ſenioribus, prudentiorem & ſapientiorem ex ea factum ſe gloriatur: ſed, poſtquam totum ſe illi addixit, & commentatur in ea diu noctúque.

101 *Ab omni ſemita mala prohibeo pedes meos, ut cuſtodiam uerba tua.*

102 *Ab edictis tuis non recedo, quia tu doces me.*

103 *Quàm dulcis eſt fauci meæ ſermo tuus! præ fauo ori meo.*

104 *A mandatis tuis intelligens reddor, propterea odiui omnem ſemitam mendacii.* Alterum fructum canit Legis amatæ: quòd nempe dum illi ſtudet, probéque eam intelligit, atque ea ſeſe oblectat, ab omni ſemita mala longè recedit, odióque omnem impietatem inſectatur.

105 *Lucerna pedi meo uerba tua, & lumen ſemitæ meæ.*

106 *Iuraui & præſtabo cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.* Vt qui in tenebris ambulat, ſemper offendit: ita vbique peccat cui non prælucet Lex Dei. Canit ergo Sanctus hanc ſe velut lucernam pedibus, id eſt actionibus ſuis habuiſſe, & iuramento firmaſſe, ſe illi in omnibus victurum. Solent nanque Sancti dum hìc nunquam vitam ſuam Legi Diuinæ planè conformare poſſunt, in dies imò in horas vota vitæ ad illam inſtituendæ, innouare.

107 *Afflictus ſum uſque ualde Iehouah, uiuifica me ſecundum uerba tua.*

108 *Spontaneas oris mei uelis quæſo ô Iehouah, & iudicia tua doce me.* Plurima aduerſitate exercitus, opem Dei implorauit, promiſſionúmque eius memor ſpẽ cõcepit, & vota nuncupauit laudis, gratáque haberi orauit. Has *ſpontaneas*, ſubaudi hoſtias, vocat: & addit *oris*, vt de laudibus ſe loqui exprimat. Quæ enim non ex Lege, nec pro culpa, ſed pro gratiarum actione offerebantur, מנח, id eſt ſpontanea vocabãtur. Iã ſciebat Deum, pecudum hoſtias nihil morari: igitur, vt & alias, laudis ſacrificia oblaturum ſe recipit, dum orat vt ea Deus grata habeat.

109 *Anima mea in manu mea ſemper, & Legis tuæ non ſum oblitus.*

110 *Poſuerunt improbi laqueum mihi, & à mandatis tuis non erraui.* Animam ſuam ſemper eſſe in manibus, pro ſemper periclitati de vita, dixit. Solet nãque Scriptura dicere, Animam in manus ponere, pro adducere vitam in diſcrimen: &, Habere eam ſemper in manibus, pro continuò illam periculis eſſe expoſitam. Vnde periculum erat, ſequens verſus exprimit. non enim ſolùm vi, verumetiam inſidiis Sanctos improbi petunt.

111 *Suſcipio teſtimonia tua in ſeculum, quia gaudium cordis mei ipſa.*

112 *Inclinaui cor meum ad faciendum ceremonias tuas in ſeculum [in] finem.* Studium & amorem ſuum erga Legem iterum memorat, & quidem perpetuum: in eo enim iuſtitia omnis ſita eſt.

113 *Prauas cogitationes odiui, & Legem tuam dilexi.*

114 *Abſconſio mea, & clypeus meus tu, ad uerbum tuum ſuſpicio.*

115 *Recedite à me noxii, & obſeruabo præcepta Dei mei.* סעפים quidam pro iis qui prauis conſiliis innocuos oppugnant, accipiunt: alii pro ipſis prauis & nocentibus conſiliis. Quo pacto ſi accipias, clarior eſt cum Lege Dei antitheſis. Verſus 114 oſtendit à fiducia in Deum, certáque promiſſorum eius perſuaſione eſſe ſita. Verſus 115 docet fidem veram, vt Dei ſtudium, ita improborum abominationem pariter gignere. tum oſtendit quare ii petant liberari ab impiorum violentia: nimirum quo expeditius & liberius queant Legi Dei viuere.

116 *Suſtenta me in uerbo tuo, & uiuam: & non pudefacias me ſpe mea.*

117 *Conſolida me & ſeruabor, & delectabor in cæremonijs tuis ſemper.* Vt & conſiſtamus & proficiamus in Legis Dei ſtudio, hoc eſt vita beata, totum virtutis Dei eſt, nos huc agentis & in eo perducentis. hanc ergo ſibi ſuppeditari virtutem orat.

118 *Conculcabis omnes errantes à cæremonijs tuis, quia mendacium fraus illorum.*

119 *[Sicut] ſcoriam franges omnes improbos terræ, propterea dilexi teſtimonia tua.*

120 *Inhorreſcit à metu tui caro mea, & à iudicijs tuis timui.* *Quia mendaciũ fraus eorum*, quidã interpretãtur, quia apparebit, te vlciſcente fraudem illorũ: hoc eſt quicquid nunc præ ſe ferunt boni, quo tantùm ad imponendum aliis, atque ideo in fraudem abutuntur, nihil niſi mendacium eſſe. Alii mẽtem cogitationem reddunt. vt ſenſus ſit, Nam mendacium ſunt & nugæ quicquid cogitãt, & magna, vt ſibi videntur, aſtutia comminiſcuntur. Nihil eis ſuccedet: ſe ipſos, non nos, perdent vafris ſuis commentis. tu enim conculcabis eos, & vt ſcoriã ſeparatam ab argento reiicies, & abolebis. Quod quũ cogito, horreſcit totum corpus meum, & à iudiciis tuis, quæ præuideo te in illos facturum, metuo. Hic ſenſus videtur mihi ſimplicior.

121 *Feci iudicium & iuſtitiam, ne deſeras me iniuriatoribus meis.*

122 *Oblecta bono ſeruum tuum, ne afficiant me iniuria flagitioſi.* Sic Deus res humanas moderatur, vt qui humaniter, benignéque cum proximis egerit, cum eo & ipſe ex bonitate & indulgentia cuncta gerat. Vt ergo Sanctus teſtatus eſt, ſe iudicium & iuſtitiam facere, hoc eſt vt aliàs dixi, ex iuſtitia & æquitate cuncta gerere, iure precatur vt Deus ſe ſeruũ ſuum oblectet in bonum: ita ab iniuriis impiorũ vindicãs, atque bonis cumulans, vt cõmodè & ſuauiter agat, liber ab iniuriis noxiorũ.

123 *Oculi mei defecerunt ad opem tuam, ad ſermonem iuſtitiæ tuæ.*

124 *Fac cum ſeruo tuo ſecundum benignitatem tuam, & cæremonias tuas doce me.*

125 *Seruus tuus ego [ſum,] fac me intelligere, & cognoſcam teſtimonia tua.* Memorat iterũ quàm anxiè hãc Dei bonitatem expectet, ſuſpiciens ita cælos vt acies ſibi euaneſcat oculorum, ſimulatque aperiuntur. Ingeminat præterea ſe eſſe ſeruum Dei, vnde mirifica pium animum conſolatio erigit.

126 *Tempus ad faciendum Iehouæ: uiolarunt Legem tuam.*

127 *Propterea diligo præcepta tua præ auro & gemmis.*

128 *Propterea omnia mandata [tua,] omnia recta habeo, omnem ſemitam mendacij odi.* Conſolatur ſe ab eo quòd iam interſit gloriæ Dei impios reprimere. Id canit ibi, *Tempus eſt Iehouæ faciendi*, vtique iudicium contra ſceleratos. *Nam*, inquit, *diſſiparunt Legem tuam*: hoc eſt non ipſi modò eam trãſgrediuntur, ſed & alios trãſgredi faciunt. Id quod in Schaulem & eius adulatores iure competiit. ipſis enim regnantibus nulla erat in populo Dei cura. In reliquis duobus verſibus obſeruandum, Sanctorum eſſe, hoc enixius Legi Dei ſtudere, quo irreligioſius illam impii reiiciunt.

129 *Mirabilia teſtimonia tua, propterea cuſtodit ea anima mea.*

130 *Apertio uerborum tuorum illuminat, dat intellectum imprudentibus.*

131 *Os meum aperui, & hauſi, quia præcepta tua concupiſco.* Admiratur reconditam in Lege Dei ſapiẽtiam ſimplicibus tam eſſe expoſitam, & promit ſuum ad illam deſiderium. Quod dicit, *Apertio uerborum tuorum illuminat*: nihil aliud eſt quàm ſimulatque aperiuntur verba tua, & datur vel in veſtibulum eorum venire, admirabili ſtatim luce perfundunt: nec id tantùm magnis ingeniis præditos, ſed ſimplices, nulla ſibi vafricie placentes: Doctori autem cælesti quamſimpliciſſimè ſeſe committentes: eos nẽpe pro quibus & Seruator gratias Patri agebat, Matth. 11. Illo, *Aperui os meum*, &c. habitum præ nimio deſiderio anhelantis, atque ægrè iam ſpiritum trahentis expreſſit: quo monuit quanto conueniat Legis Dei deſiderio teneri.

132 *Reſpice ad me, & miſerere mei ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.*

133 *Greſſus meos dirige in ſermone tuo, & non dominetur mihi omnis iniquitas*

134 *Redime me ab iniuria hominis, & cuſtodiam mandata tua.*

135 *Facies tuas illumina in ſeruo tuo, & doce me cæremonias tuas.* Orat ſe haberi à Deo ea ratione qua habet nominis ſui ſtudioſos, ne vel improbitas vel improbi ipſi præualeãt. Vtrunque autem à nobis arcetur, dum adflati Dei Spiritu, lucéque fauoris eius perfuſi, Lege eius inſtituimur: id quod orat verſu 135.

136 *Riui aquarum deſcenderunt oculis meis, propterea quòd non cuſtodiunt Legem tuam.* Ingenti ſe Dei ſtudio arſiſſe teſtatur, quũ ſe largas adeò fudiſſe lachrymas confitetur propter Diuinæ Legis deſertores.

137 *Iuſtus tu ô Iehouah, & iudicia tua rectitudo.*

138 *Præcepiſti iuſtitiam teſtimonijs tuis, & fidem ualde.*

139 *Confecit me Zelus meus, quia obliti ſunt uerborum tuorum coarctatores mei.* Laudat Legem Dei à iuſtitia & fide: nihil enim præcipit niſi quod ſaluti ſit, & bonitatem in nos Dei, fidémque teſtetur. Verſus 138, poſſet etiam ſic reddi. Præcepiſti oracula, quæ non ſunt niſi iuſtitia & fides. Id tamen inde pateſit, quòd nobis nihil niſi hæc præcipiant in quibus nimirum via Dei ſita eſt: vnde ferè eodẽ

ſenſus recidit. Talem ergo quũ Dei Legem agnoſceret, pro ea zelabat, vt zelo penè conficeretur, id quod canit verſu 139.

140 *Sermo tuus igni exploratus valde, & ſeruus tuus diligit eum.* Cauſam tanti zeli de quo præmiſit, auget quũ nũc ſubiicit, Iuſſa Dei igni probata: hoc eſt, ſummè pura vt nihil prorſus niſi iuſtitiã & fidem, hoc eſt ſalutem & ſempiternam fœlicitatẽ præcipiant. Simile habet & Pſalmus 11 & 19.

141 *Paruulus ego & contemptus, mandatorum tuorum non obliuiſcor.*

142 *Iuſtitia tua iuſtitia in ſeculum, & Lex tua veritas.* Quod canit ſe fuiſſe paruulum, hoc eſt puerum & contemptum, nec tamẽ Legis Dei oblitum: ſignificat ſe Legis beneficio in eam in qua tum erat, Rex tam auguſtus, dignitatem emerſiſſe. Vnde mox exclamat, iuſtitiam Dei ſempiternam eſſe, eóque ſic tandem ſui ſtudioſos euehere.

143 *Coartatio & compreſſio inuenerunt me, præcepta tua oblectationes meæ.*

144 *Iuſta teſtimonia tua in ſeculum: fac me intelligere, & viuam.* Iterum prædicat ſolam Legem Dei verè conſolari in afflictione, ſed ritè intellectam: id quod canit & teſtatur verſu vltimo. Simile eſt cum ſuperiore, Lege Dei cõſolatum & recreatũ fuiſſe, quũ ipſum anguſtia & afflictiones inuaſiſſent. Quare iterum de ſempiternitate Legis Dei exclamat.

P 145 *Clamaui in toto corde, reſponde mihi ô Iehouah, ſeruabo cæremonias tuas.*

146 *Inclamaui te, ſerua me, & cuſtodiam teſtimonia tua.*

147 *Præueni crepuſculo & vociferatus ſum: ad verba tua ſuſpicio.*

148 *Præuenerunt oculi mei cuſtodias, ad loquendum in verbo tuo.* Ardorẽ ſtudii ſui erga Legem Dei & his verſibus canit, quũ memorat ſe illius ſtudio præueniſſe diluculum, præueniſſe vigilias noctis. In quatuor enim vigilias apud Iudæos nox diuidebatur, quod & Euangelicæ literæ teſtantur. Totas igitur noctes ſe in commentatione ſacræ Legis inſumpſiſſe memorat.

149 *Vocem meam audi ſecundum bonitatem tuam ô Iehouah, ſecundum iudicia tua viuifica me.*

150 *Appropinquarunt perſecutores mei dolo, à Lege tua procul abſunt.*

151 *Prope es tu ô Iehouah, & omnia præcepta tua veritas.*

152 *Pridem noui de teſtimoniis tuis, quia in ſeculum fundaſti ea.* Orat ſe audiri iuuarique contra impios Legis Dei deſertores, maliſque artibus & ſycophantiis addictos. Iterúmque ſe conſolatur à veritate & ſempiternitate oraculorum Dei, quæ ſcilicet ſic fundata ac firmata ſunt vt in ſeculum perſtent: id quod de eis pridem nouit: ſicut eſt primum fidei, noſſe, promiſſa Dei fallere non poſſe.

153 *Vide afflictionem meam & defende me, quia Legem tuam non ſum oblitus.*

154 *Adſere cauſſam meam, & redime me, & ad ſermonem tuum viuifica me.* Iterum orat vt ſe ab impiis Deus defendat, Legi ſuæ ſtudentem, quam illi deſerunt & oppugnant.

155 *Longè eſt ab improbis ſalus, quia cæremonias tuas non inquiſierunt.*

156 *Miſerationes tuæ amplæ ô Iehouah, ſecundum iudicia tua viuifica me.* Cauſam habent hi verſus eorũ, quæ in prioribus orauit. Sic ſanè ſunt iudicia Dei nobis in Lege eius commẽdata, vt ſalutẽ Deus ab improbis longè ſubmoueat, miſericordia autem proſequatur Legis ſuæ ſtudioſos.

157 *Multi ſunt qui me perſequuntur & coartant, à teſtimoniis tuis non declinaui.*

158 *Vidi perfidos, & pertæduit, quia ſermonem tuum non cuſtodierunt.* Fidei conſtantiam memorat, quã nulli, quanlibet multi ac potentes, deiicere potuerunt. Quod verò canit ſe ſingulari tædio & animi moleſtia contra eos affectum, docet vnam eſſe cauſam malos odiendi, quòd illi oderunt Deum, Legémque eius inſectantur.

159 *Vide quia mandata tua diligo ô Iehouah: ſecundum bonitatem tuam viuifica me.*

160 *Caput verborum tuorum veritas, & in ſeculum omne iudicium iuſtitiæ tuæ.* Amorem Legis, vt vbique, Dei in nos dilectionem & bonitatem coniunctam habere teſtatur. Illud verſus vltimi, *Caput verborum tuorum*, variè enarratur. Kimhi affert hunc ſenſum, A capite & initio rerum vſque in omnia ſecula, verba, iuſſa, & promiſſa tua, ò Deus, veritas & iuſtitia ſunt. Alii, Initium ſtatim omniũ dictorum & factorum tuorum, veritas & iuſtitia eſt, quæ perſtant in omne æuum. Id ſanè in conditione rerum, poſtea & Legis promulgatione, ac in omnibus quæ Deus vel geſſit cum ſuis, vel ipſis gerenda præcepit, abundè declarauit.

161 *Principes perſecuti ſunt me immeritò, & à verbis tuis timuit cor meum.*

162 *Gaudeo ego ſuper ſermone tuo, ſicut eduens prædam amplam.* Canit hic, quæ & ſuperiores octonarii, ſtudium Legis ſacræ, voluptatem atque ſecuritatem quam illa parit. Obſeruandum quòd canit, *Principes ſe perſequutos eſſe*, ſuum autẽ cor à Domino trepidaſſe, & interim ira de iuſſis Dei lætatũ vt qui multa ſit nactus ſpolia. Timuit ergo à verbis Dei, vt timorẽ à Principibus perſequẽtibus

Matth.10.a.28. ex animo eiiceret: iuxta illud, Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. Ego oſtendo vobis quẽ timere debeatis. Cum hoc timore ſancto coniunctum eſt gaudium verum & ſolidum: id quod canit verſu 162.

163 *Mendacium odiui & abominatus ſum: Legem tuam diligo.*

164 *Septies in die laudaui te,ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Mendacium & vanitatem Legi Dei opponẽs, docet nihil niſi mendacium eſſe atque nihilum quicquid Legi Dei aduerſatur. Quòd adiicit,ſe ſepties in die laudare Dominum ob iudicia eius,quibus ſcilicet ex ſumma æquitate cuncta admi niſtrat,idem eſt atque identidem ſe laudibus eius vacare. Trahitur hoc ad ſeptem horas canonicas:quod ferendum erat,ſi tali Spiritu illæ decantarentur,quo hæc de ſe ſcripſit Pſaltes regius.

165 *Pax ampla diligentibus Legem tuam,& non illis impactio.*

166 *Spero ſalutem tuam ô Iehouah,& præcepta tua facio.*

167 *Cuſtodit anima mea teſtimonia tua,& diligo ea valde.*

168 *Cuſtodio mandata tua & teſtimonia tua,quia omnes viæ meæ coram te.* Quod canit multam pacem, hoc eſt ſucceſſum & fœlicitatem eſſe iis qui diligunt Legem Dei,nec quicquã offendiculi: id ſæpe ſpiritu tantum hi, non etiam re experiuntur,quantum quidem ad externum hominem attinet. Spiritus tamen ſtatim agnoſcit,vt ad gloriam Dei,ita ad ſuam quoque ſalutẽ omnia inſtitui. quare illi nunquam ſua fœlicitas, eóque & gaudium deeſt. Sperat igitur,& pendet à verbis Domini perpetuò,Legique eius ſedulò ſtudet, nihil quod ipſi non probetur ſuſcipiens. Id verò eſt omnes vias,cunctas ſcilicet actiones coram Domino inſtituere,& velut in oculis eius fauentis & ſucceſſum dantis,omnia gerere.

169 *Appropinquet coram te Iehouah vociferans precatio mea:ſecundum verbum tuum fac me intelligere.*

170 *Veniat ſupplicatio mea coram te:ſecundum ſermonem tuum libera me.*

171 *Fundent labia mea laudem,quum docueris me ceremonias tuas.*

172 *Loquetur lingua mea ſermonem tuum, quia omnia præcepta tua iuſtitia.* Orat & hîc vt ritè Legem Dei intelligat,& à perſecutione impiorum liberetur,quo Deum liber lætúſque apud omnes celebret. Et docet, vt ſuprà ſæpe, vbi Lex Dei verè fuerit intellecta, nihil aliud apud nos obtinere quàm plenam lætitiam,iugémque laudem Dei.

173 *Sit manus tua ad auxiliandum mihi,quia mandata tua elegi.*

174 *Concupiſco ſalutem tuam ô Iehouah,& Lex tua oblectationes meæ.*

175 *Viuat anima mea & laudet te,& iudicia tua adiuuent me.*

176 *Erraui ſicut ouis quæ periit,inquire ſeruum tuum:quia præcepta tua non ſum oblitus.* Optare & expectare opẽ Domini, dignũ reddit vt ea non deſtituatur: ſed nemo opẽ Domini ſolã quæret & expectabit,niſi qui Legẽ Dei intellexerit & amarit: vt in qua Deũ,Deíque bonitatẽ didicerit. Hæc habet verſu 17ʒ,& 174. Sanctos tantùm vt Deum laudent,viuere velle, & iudiciis Dei in Lege propoſitis fidere atque inhærere, ídque efficere vt ea iudicia & in noſtram ſalutem exerceantur,canit verſus 175. Vltimus docet, etiam dum errant Electi, & cupiditatibus carnis à via Domini abducti ſunt, non tamẽ obliuiſci præceptorũ Dei:hoc eſt non abiicere omnẽ curã rectè viuendi. Et hinc eſt illis exagitatio conſcientiæ,qua tandẽ vt ſibi diſpliceãt,& ad Dominũ pro venia bonóq; Spiritu clament,adducuntur. Monet etiam hic verſus,Deum nos ſemper gratia ſua præuenire,& ab errore,ſola ſua dignatione reuocare. Sunt qui putent Vatem hîc quũ ait *ſe velut ouem erraſſe*, intellexiſſe ſe excluſum fuiſſe ouili populi Dei, ac velut ouẽ expoſitã lupis aliíſque beſtiis erraſſe inter hoſtes. Nam ne de errore à Lege Dei hoc dictũ intelligant,mouet eos quod ſubiectũ eſt, *Quoniam præceptorum tuorum non ſum oblitus*: ſed eſt error à via Domini,qui tamen citra obliuionẽ eſt præceptorũ: id eſt citra hoc vt animus omni eorũ ſtudio ſoluatur. Monui à principio enarrationis huius Pſalmi,vt cui videantur plus ſatis quædã repeti, perpendat quomodo ad Dei Legem affectum eſſe oporteat,qui Deum ſupra omnia diligit:eóque omnes cogitationes, curámque huccõ fert vt voluntati Dei in omnibus reſpõdeat, vt animũ eius iam nihil æquè afficiat quàm vel aliquo in vita Diuinæ Legi conſona promouiſſe. Hæc autẽ meditantẽ,totis viribus Satan mundi princeps oppugnat. hinc tot prȩcationes ſunt pro ope Dei cõtra huius ſatellites,homines impios. Nec verò prætereundũ,quod & ipſum quoque ſuprà monui,hanc Legis Diuinæ conſiderationẽ & cõmentationem, quam Pſaltes toties in hoc Pſalmo cõmendat, ac omnem ſibi ab ea ſalutem pendère prædicat,nõ eſſe ſolam literarum arcanæ Scripturæ excuſſionem, ſed Dei: operúmque ac iudiciorum eius eam conſiderationem & perpenſionem, qua diſcitur Deum eſſe & efficere omnia in omnibus,nihílque eſſe factis eius & iudiciis abſolutius. vnde animus eo Dei ſtudio, amoréque accendatur,vt dies noctéſque aliud nõ ſit ſolicitus quàm vt ad Dei imaginem reformetur, totúmque ſeſe exuat: induat autem, viuárque per omnia Deũ. Hæc nota ſunt filiis Dei: aliis eſt, vt hic Pſalmus,ita omnis Scriptura,quod ὁ λόγος τοῦ θεοῦ.

PSALMVS CXX, χαρακτηρικὸς ἢ δικανικός.

Plena affectuum querimonia Sancti,inter impios fraude & vi omnia gerentes,exulantis. ARGVM.

1 CArmen Maæloth. Quũ eſſem in anguſtia,inuocaui Iehouã,& annuit mihi. PARAPH.
2 Iehouah libera animam meã à labiis mendacibus, à lingua fraudulenta.
3 Quid quæſo confert tibi,quid adducet tibi lingua fraudulenta?

4 O ſagittas acutas potenter actas, & carbones iuniperorum!
5 Heu mihi quòd apud Meſchech detineor, quòd habitare oportet in tabernaculis Kedar.
6 Diu deſedit anima mea inter eos qui pacem odiunt.
7 Ego paci ſtudeo: ſed quũ quæ pacis ſunt loquor, illi ad bellum continuò concitantur.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Canticum Maæloth Ad Iehouam in anguſtia [quæ] mihi [fuit] clamaui, & reſpondit mihi.*
2 *Iehouah libera animam meam à labio mendacij, à lingua fraudulenta.* שיר המעלות alii canticũ graduum vertunt: & dicunt fuiſſe gradus quindecim, quibus ab æde in qua conueniebant mulieres, ad eam in qua viri, aſcendebatur, & in illis Leuitas hos Pſalmos decantaſſe: ſed nullo hoc vllius hiſtoriæ teſtimonio probãt. Et cur hos potiſſimum in illis gradibus, potius quàm alios Pſalmos cantaſſent? A. Ezra, vt ferè de omnibus Pſalmorum inſcriptionibus ſentit, putat fuiſſe initium aliquod carminis, ad cuius modos ſint hi Pſalmi modulati. Sed ne immoremur incertis. Memorat Pſaltes primùm ſe Diuinitus quum anguſtiatus ſupra modum inuocaret, eſſe exauditũ: deinde precem qua opem Dei implorauit, memorat. De lingua mendaci & fraudis cõcinnatrice, vt multis aliis Pſalmis, potiſſimum queritur: eo quòd nihil ferè res humanas æquè turbet, bonóſque ac veri ſtudioſos vehementius vrat.

3 *Quid dabit tibi, & quid addet tibi lingua fraudulenta?* Iſtud ad eum dicitur qui mendaci lingua, bonis accerſit moleſtiam. Eiuſmodi enim dum petunt alios, ſeipſos in exitium præcipitant. id monet vt perpendant, dum rogat quidnam eis conferat lingua mendax.

4 *Sagittæ validi acutæ cum carbonibus iuniperorum.* Exclamatione exprimit quàm peſtilens res ſit lingua fraudulenta, conferens eã ſagittis viri validi, qui vt arcũ fortiter multúmque tendit, ita penitius ſagittas infigit: quã peſtem id auget, etiã ſagittæ ſi ſint exacuatæ. Item carbonibus iuniperorũ, quos aiũt & vrere vehementius, & ignem retinere diutius, fauilla tectũ. Exclamatio itaque eſt hic verſus, vt affectus ardentioris, ita cum eclipſi. Quod enim dicere voluit verſu 2 & 3 tale eſt, Quid tibi ô homo (vtitur ſingulari pro plurali) qui nos mendaciis exagitas, tua tibi mendacia & venenatæ linguæ iacula adeò conferunt, vt illis innocuos tantopere infeſtes, omnis humanitatis oblitus? Non eſt tormentum tuis mendaciis conferendum. Sũt planè vt ſagittæ acutæ, eóque intima penetrantes, maximè à robuſto aliquo contortæ: ſunt vt carbones iuniperorum, omnia perurentes, & quidem diutiſſimé.

5 *Væ mihi, quia verſor [apud] Meſchech, habito cum tabernaculis Kedar.* Cõfert agere inter mẽdaces huiuſmodi & fraudulentos, exilio inter Iiſchmaelitas, hoc eſt Barbaros, feróſque Arabes illos, qui nullis amici, omnes infeſtãt. Kedar ſiquidem filius Iiſchmael fuit, vt legimus Gen. 25. b. 13: Meſchech autẽ fuit filius Iapheth, Gen. 10. a. 2. Ioſephus putat Tuſcos ab hoc originem traxiſſe. Sed quum hîc Kedero iungatur hoc nomen, ambigi non poteſt eo gentem Kedarinis loco & moribus vicinam ſignificari. Quidam hoc nomen appellatiuũ exiſtimant, atque Iiſchmaelitas ſic vocari, eo quòd ſint omnes ſagittarii. משך enim trahere ſignificat. Siue autem appellatiuum ſit, ſiue proprium, eundem quem Kedar, vel ſimilem per id populum voluit ſignificare, per quem tamen homines perfidos & violentos, Iiſchmaelitis pares moribus, intellexit.

6 *Diu habitat ſibi anima mea cum odientibus pacem.*

7 *Ego pax, & quum loquor, illi ad bellum.* Queritur ſe iam nimiũ diu inter improbos & fraudulẽtos iſtos fuiſſe detentũ, qui pacem odiunt: adeò vt quũ Sanctus paci totus ſtudet, quæque ad pacem faciunt loquitur, illi hoc ipſo ad bellum excitantur. Illud, *Ego pax*, ſimile ei eſt quod habetur Pſal. 109. a. 4, Ego oratio: & valet idem quod, Ego paci ſtudeo. Id autem apud iſtos inter quos ſe queritur exulaſſe, nihil effecit aliud quàm vt quoties loqui illis conaretur, & indubiè pacifica, illi inde concitarentur ad bella. Tales lupos experiuntur vbique oues Chriſti, quæ vocem Paſtoris ſui cupiunt ſequi ſeriò: agunt enim in medio illorum.

PSALMVS CXXI, ἀχαρισμός.

ARGVM. *Canit ab uno Deo Sanctis opem expectandam, illúmque hanc præſentiſſimam ferre.*

PARAPH. 1 CArmen Maæloth. Attollo in montibus oculos meos, vnde veniat auxiliũ meum.
2 Auxilium meum ab Iehoua, fictore cælorum & terræ.
3 Non ſinet labaſcere pedes tuos, nec dormitabit cuſtos tuus.
4 Ecce non dormitabit nec dormiet cuſtos Iiſrael.

5 Iehouah cuſtos tuus, Iehouah protectio tua, ad manum dexteram tuam.
6 Die ſol te non feriet, nec luna nocte.
7 Iehouah cuſtodiet te ab omni malo, cuſtodiet animam tuam.
8 Iehouah cuſtodiet egreſſum & ingreſſum tuū, ab hoc tēpore vſque in ſecula.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Canticum Maaloth. Super montes attollo oculos meos, unde ueniat auxilium mihi.* In inſcriptione ל poſitū eſt pro ה, quod in pleriſque Scripturæ locis videre eſt, vbi ה demōſtratiuè accipitur. Sic שׁ pro אשר, hoc loco, vt in aliis locis nō rarò accipitur. Dicere enim voluit ſe ſuper mōtibus cōſtitutū, cōieciſſe in omnē circūquaque regionē oculos, atque ſpeculatū eſſe vnde ſibi auxilia venirēt. Id tamē per allegoriā dixit, ſimilitudine mutuata ab illis qui expectantes auxilia, ex editioribus locis ſpeculātur vnde illa demū adueniāt. Voluit nanq; exprimere quàm anxiè opē expectarit.

2 *Auxilium meum à Iehouah, fictore cælorum & terræ.* Canit vnde auxilium ſibi expectet, nimirum à ſolo & cunctipotente Deo: quem laudat fictotem cælorum & terræ, quo tefricata potentiæ eius memoria, ſpem ſibi efficacius confirmet.

3 *Non dabit ad lapſum pedem tuum, non dormitabit cuſtos tuus.*

4 *Ecce non dormitabit, & non dormiet cuſtos Iiſraelis.* Quæ ſequūtur, verba ſunt Sanctorum ſeinuicē conſolantium, & ad expectādum opem Diuinam exhortantium. Pollicetur ergo quiſque alteri Dominum haud permiſſurum *ut pedes eius labantur*, hoc eſt vt in mala incidat, quæ verè mala ſint: nam ne dormitare quidē illum, nedum dormire, qui *Iiſraelem*, hoc eſt omnes pietatis ſtudioſos cuſtodit. Eſt in verſu hoc amplificatio more Scripturæ cōpoſita, qualis eſt & in primo verſu Pſalmi 1, nempe quæ nobis poſſit videri inuerſa. Qui enim non dormitabit, multo minus dormiet: quare videtur hoc fuiſſe præponendum, vt ſequens Non dormitabit, orationem intendiſſet. Sed ſic eſt mos Scripturæ. Complanabitur oratio ſi ſic reddatur, Non dormitabit, multo minus dormiet: vel Non dormitabit, nedum dormiet.

5 *Iehouah cuſtos tuus, Iehouah umbra tua ſuper manū dexteram tuā.* Exaggerat certitudinē opis & cuſtodiæ Diuinæ, dū canit Iehouam vmbram ſuis eſſe ad dexterā eorum, hoc eſt præſentē ſemper: &, vt nos quoque loquimur, ad manum paratam defenſionē & protectionem: Gallicè, *Preſt a la main.* De hac anthropopathia, qua dicitur Deus ſuis à dextris, dictum in verſum octauum Pſalmi 16:

6 *Die ſol non percutiet te, & luna nocte.*

7 *Iehouah cuſtodiet te ab omni malo, cuſtodiet animam tuam.* Depulſurum eum cūcta mala, quocunque tempore incurſent, canit verſu 6, ſub allegoria diurni æſtus & nocturni frigoris. In calidioribus enim illis regionibus vt intolerabilis eſt æſtus diei, ita frigus nocturnū noxium eſt. Allegoriam hanc explicat verſu ſequenti.

8 *Iehouah cuſtodiet egreſſum tuū, atque aduentū tuū, à nunc & uſque [ad] ſeculū.* Hîc canit ſucceſſum negotiorū: vitæ nanque actiones Scriptura egreſſū & ingreſſū vocat. Inde dicebat Schlomoh 1. Reg 3. b. 7, Ego puer paruus, nec ſcio egreſſum meū aut ingreſſum: hoc eſt nec quid incipiā, nec quid perficiam: quid mittam, quidve inſtituam: quæ fugiam, quæve ſequar. Græci verterunt ᾠδῶν.

PSALMVS CXXII, Δαυίδ.

Sub typo Ieruſalem, Eccleſiæ Chriſti fœlicitatem, & uota Sanctorum illam ſemper prouehi optantium, deſcribit. ARGVM.

1 CArmen Maæloth Dauidis. Lætatus ſum quū dicerent mihi, Adeamus domum Iehouæ. PARAPH.
2 Conſiſtent pedes noſtri in portis tuis ô Ieruſalem.
3 Ieruſalem exædificata eſt vt ciuitas, conſociata pariter ſibi:
4 Vt illò aſcendant tribus, tribus Exiſtentis, celebratum nomen Iehouæ: id oraculo Iiſraeli mandatum eſt.
5 Nam illic conſtituta ſunt tribunalia ad iudicium: tribunalia domus Dauid.
6 Precamini fœlicitatem Ieruſalem, proſperè agant quicunque te amant.
7 Pax ſit mœniis tuis, proſperè ædibus tuis.
8 Propter fratres meos & proximos meos precabor nunc tibi fœlicitatem:
9 Propter domum Iehouæ Dei noſtri optabo bona tibi.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Canticum Maaloth Dauidis. Lætatus ſum quum dicunt mihi, Eamus [ad] domum Iehouæ.*

2 *Erunt ſtantes pedes noſtri in portis tuis Ieruſalem.* In Pſal. 42 & 84, dictum eſt de ſtudio Sanctorū adeundi Sacram concionem, in tribus illis ſolennitatibus, in quibus omnibus annis virilis ſexus à

viginti annis,ad locum in quo erat Tabernaculum fœderis,conueniebant. Tale ſtudium & hîc deſcribitur, & ſub eo, tanquam typo,ardor filiorum Dei erga inſtaurationem Eccleſiæ Chriſti. Dicit ergo quiſque ſe lætatum quum audiret Iiſraelitas ſe inuicem ad adeundum domum Domini inuitantes,& gaudibundos Sanctæ vrbi ſuum aduentum polliceri:id quod eſt in verſu 2.

3 *Ieruſalem ædificata ſicut ciuitas quæ eſt conſociata ſibi ſimul.*

4 *Quia ibi aſcenderunt tribus,tribus Iah[ex]teſtimonio Iiſraelis,ad celebrandum nomen Iehouæ.*

5 *Quia ibi collocata ſunt ſolia iudicij:ſolia domus Dauidis.* Reddit his verſibus cauſam tāti deſiderii adeūdi Sacram vrbem,quū canit ædificatā ſcilicet vt par eſt ædificari vrbem, probéque conſociatam,& optata ciuium vnanimitate optimè inſtitutam. Tū iure illā, nempe ex oraculo, iuſſúque Dei,tribubus,tribubus inquam Dei adeundā eſſe, inibi nomen eius celebraturis. Denique quòd illic ſolium regni ſit & iuſti iudicii, vbi omnia ex ſumma æquitate arbitrentur, & inſtituantur.

6 *Quærite pacem Ieruſalem:agant fœliciter qui diligunt te.*

7 *Sit pax in munitione tua.proſperitas in palatiis tuis.*

8 *Propter fratres meos & proximos meos loquar nunc pacem tibi.*

9 *Propter domum Iehouæ Dei noſtri quæram bonum tibi.* Quum Ieruſalem Diuinitus inſtituta erat vt illic & ceremoniarum, & regni ſedes eſſet,ab huius pace & fœlicitate,totius populi & regni pax atque proſperitas pēdebat.Hinc hortātur ſe inuicem Sācti vt huic pacē,id eſt rerū omniū ſucceſſū quærāt:hoc eſt cum à Deo orent,vnico huius largitore,tū omnes ſuas quiſque curas, omnes cogitationes cōuertat,quo illi omnia ſecundēt. Nā quicquid ſeriò petimus,ad id parandū quoq;, ſiquid ad hoc modò poſſumus,totis viribus ferimur. Subiicit autem Vates quæ precari Ieruſalem velit: primùm vt *agant fœliciter quicunque diligunt eam*: hoc eſt vt bene ſit omnibus qui huic vrbi

Gen.12.a.3. fauēt.Id quod ſuis alioqui Dominus in eo promiſit,Benefaciam benefacientibus tibi:execrabor te execrātes. Hac ergo precatione,exterorū quoque fauorē Vrbi ſanctæ precari voluit. Deinde iubet pacem ipſi vrbi extra & intra:hoc eſt,omnimodā fœlicitatem atque rerū ſucceſſum orare. Kimhi hìc per חיל foſſam intelligit. Ab.Ezra dicit id eſſe quod murum circūdat. Cauſā huius precationis habent reliqui duo verſus,quòd fratres ſint & verè proximi ciues Ieruſalē,& eſt illic ſedes religionis, quæ ſcilicet primum eſt quod Sācti ſpectāt, quæque omnis fraternitatis veræq; amicitiæ vnica cauſa eſt. Videtur hunc Pſalmū Dauid compoſuiſſe, & cantandū dediſſe quū iā tranſlata Ieruſalem Arca fœderis,eam domicilium fecerat religionis & regni. Quanquā omnino etiam conuenerit Ieruſalem & templum reædificantibus poſt ſolutum exilium Babylonicum. Hæc verò omnia multò verius Eccleſiæ Chriſti competunt. Nihil audiunt gratius Sācti,nec vlla re æquè exhilarantur quàm dū plurimos audiunt ſe inuicem ad domum Domini aduocantes: hoc eſt,ad id vt relicto mundo,Seruatori ſeſe dedant. Horum quoque pedes verè in portis Ieruſalem conſiſtent,ſed ſupernæ. In cælis ſiquidem eſt horum municipatus,quanlibet in terris adhuc corpore peregrinentur à Domino. Hæc ipſa verè quoque vt ciuitas ex viuis lapidibus, fundamēto Chriſto inædificata eſt, & quotidie inſtauratur: ſic quoque conſociata, vt vel ſola ciuitas dici queat. De huius ædificio ſcribit perpulchrè D. Paulus Epheſ.2.d.19:& D.Pet.Epiſt. prima, cap. 2.a.5. De ſocietate huius vrbis & perfectiſſima vnitate, Rom.12.a.3,& 1.Cor.12.b.11. Eph.4.c.12. ac alibi. Ieſchaiah quoq; præclarè de hac ciuitate Dei vaticinatus eſt,cū alibi, tū cap.54. ſimiliter Vates alii. Hāc vrbē adeunt tribus Dei,omnes electi,non iam ter modò per annū,vt erat עדות,id eſt ſtatutū Iiſraeli,ſed continuò. Quia in hac verè cæleſtia tribunalia poſita ſunt, hîc ſecreta quoq; cordiū diiudicantur,1.Cor.14.e.25. Spiritus enim ille qui mundū iudicat, in hac præſens eſt, hîc ſuprema verioris Dauidis poteſtas,& prima regni eius ſedes habetur. Claues hîc ſunt regni cælorū, ac vtrinque incidēs ille gladius, qui ad diuiſionē pertingit animæ ſimul & ſpiritus, Hebr.4. c.12. Quid? hîc præſidet & regnat Chriſtus ipſe. Sic ergo quū verior Ieruſalē ſacra Chriſti concio exiſtat,rectiꝰ multo in eam cōpetunt & quæ ſequūtur,quàm vnquam cōpetierint in illam terrenam,quæ pridē exciſa eſt. Perpetuò ſanè ſeſe inuicē Sācti hortantur ad orandū pro pace,hoc eſt omnimoda fœlicitate Eccleſiæ,vt fœliciter agant qui diligūt eam,qui eius profectū cupiunt, vt pax & fœlicitas ſit intra mœnia, inque ſingulis ædibus eius: quæ eſt ſolida, obtinente apud omnes fide & dilectione. Cauſam cur quiſque Sanctorum Ieruſalem ſic beneprecari debeat,ſubiicit verſu 8 & 9. Qui enim Dei eſt, fratres & amicos agnoſcit quicunque eūdem confitentur, nouítque verè Dei domum tales eſſe. Proinde amore iſtorum continuis precibus Eccleſiæ inſtaurationem proueh i orant, quo nimirum & Dei nomen glorioſius continuò ſanctificetur, & electi vniuerſi deſtinatam ipſis plenius fœlicitatem percipiant,ad imaginem Chriſti ſemper propius accedentes.

PSALMVS CXXIII, [illegible].

ARGVM. *Sancti ludibrijs impiorum ob rerum ſucceſſum inſolenter agentium expoſiti,anxiè orant Deum vt ſe liberet,quippe cuius fidei ſeſe totos commiſerint.*

1 CArmen Maæloth. Ad te oculos meos attollo, qui præſides in cælis.
2 En ſicut oculi ſeruorum ad heros ſuos reſpiciunt, & ancilla ad herã ſuã:
ſic oculi noſtri ſuſpiciunt ad Iehouam Deum noſtrũ, donec miſereatur noſtri.
3 Miſerere noſtri ô Iehouah, miſerere noſtri: nam plus nimio ſatiati ignominia ſumus.
4 Plus nimio ſatiata eſt anima noſtra ſannis, à tumẽtibus ſucceſſu rerũ: ignominia, ab arrogantibus.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Canticum Maæloth. Ad te attollo oculos meos, qui habitas in cælis.*
2 *Ecce ſicut oculi ſeruorum ad manum dominorum ſuorum, ſicut oculi ancillæ ad manum dominæ ſuæ: ſic oculi noſtri ad Iehouam Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Hæc orarunt Iudæi preſſi exilio Babylonico. Idem orant Sancti quilibet exagitati contumeliis & dedecore, ab iis qui quòd hîc agant ex animi ſui ſententia, turgent, & innocuis, modis omnibus moleſti ſunt. Elegans verò & appoſita ſimilitudo eſt: *sicut oculi ſeruorum ad manum dominorum ſuorum,* ſubaudi intenti ſunt, vel reſpiciunt quoties iniuriis appetuntur: nam neminem habent alium qui eos vindicet, toti ſunt iuris illorum. Sic & ancilla ad manum reſpicit heræ ſuæ. Iam Sancti toti addicti Deo ſunt, nec alia quàm ipſius manu vindicari ſe poſſe norunt. Vni ergo quæ ferunt, queruntur: & ab ipſo vno depelli iniurias & dedecus, quæ ipſis irrogant mali, precantur.

3 *Miſerere noſtri ô Iehouah, miſerere noſtri, quia plurimum ſatiati ſumus contemptu.*

4 *Plurimum ſatiata ſibi eſt anima noſtra ſubſannatione opulentium, contemptu ſuperborum.* Contemptus & ignominia de qua queruntur Sancti, eſt quòd dũ opprimuntur à malis, ludibrio habetur eorum religio, & ridetur ſtudium Dei, tanquam fruſtra Deum ſuum coluiſſent, aut certè ille Deus non eſſet. Quum itaque gloriam Dei ante omnia petũt illuſtrari, nihil eſt quod eos magis excruciet quàm audire impios, ex ſucceſſu rerũ quem Deus illis donat, cõtra Deũ inſoleſcere, eiúſque cultum tanquam ſtultum & inutilẽ ſubſannare. Mira autem lenitas Dei qui hæc ferat: quam imitari nos conuenit. Diſcendum etiam vt ſæpè non ſint ſaluti magnæ opes, & res carni ſecundæ.

PSALMVS CXXIIII, εὐχαριστικός.

Gratulantur Sancti ſe præſentiſſimo diſcrimine, Diuina ope eſſe ereptos. ARGVM.

1 CArmen Maæloth Dauidis. Niſi Iehouah adfuiſſet nobis, dicat nunc Iiſrael, PARAPH.
2 Niſi Iehouah adfuiſſet nobis quum aduerſum nos homines inſurgerent,
3 Sanè vt ſuccenſa erat contra nos ira illorum, deuoraſſent nos viuos.
4 Vndis inuoluiſſent nos aquæ, pertranſiſſet ſuper animam noſtram flumen.
5 Tranſiſſet ſuper animam noſtram flumen petulantium.
6 Laudetur Iehouah, qui non permiſit nos prædam dentibus illorum.
7 Anima noſtra velut auis è laqueo aucupum erepta eſt: laqueus diruptus eſt, & nos erepti euaſimus.
8 Auxilium noſtrum eſt per numen Iehouæ, qui cælos finxit & terram.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Canticum Maæloth Dauidis. Niſi Iehouah adfuiſſet nobis, dicat nunc Iiſrael,*
2 *Niſi Iehouah adfuiſſet nobis quum inſurgeret contra nos homo,*
3 *Tunc viuos deglutiſſent nos, in inflammationibus iræ ſuæ contra nos.* Videtur & hic Pſalmus de exilio Babylonico eſſe compoſitus. Tum ſanè quando Deus populo ſuo Chaldæos immiſerat, illique flagrante ipſorum ira, vrbem exeinderent, templum concremarent, quoſque contrucidarent, videbantur ſanè ad vnum Iudæos vniuerſos viuos deuoraturi: & feciſſent, niſi reliquias ſeruare ſibi Dominus ſtatuiſſet.

4 *Tunc aquæ obruiſſent nos, flumen tranſiſſet ſuper animas noſtras.*

5 *Tunc tranſiſſent ſuper animas noſtras aquæ petulantiarum.* Alia tranſlatione vim hoſtilem deſcribit, quam populus Dei haudquaquam potuiſſet effugere niſi miraculo Deus illi adfuiſſet. Verè enim quum Chaldæi iam vrbem Ieruſalem occupauerant, eiuſmodi aquæ in Iudæam inundarunt, tam validum irruit flumen vt niſi præſentiſſima ope ſeruaſſet aliquos Deus, illi ad vnum cunctos extinxiſſent. In verſu 5 allegoriam aperit, quum addit הזידונים, ideſt petulantiarum: quo intellexit violentias mera libidine illatas. Satis nota eſt tranſlatio qua violentiora flumina & ſubitæ inundationes tranſferuntur, ad ſignificandum vim hoſtium ineuitabilem, ac inopinantes opprimentium. Pſalmo 28 ea vſus eſt: fuſius Ieſaias 8.b.7.

6 *Laude dignus [eſt] Iehouah, qui non dedit nos prædam dentibus illorum.*

7 *Anima noſtra ſicut auis erepta eſt è laqueo uenantium: laqueus fractus eſt, & nos erepti ſumus.*

8 *Auxilium noſtrum in nomine Iehouæ, qui fecit cælos & terram.* Truculentiam hoſtiũ exaggerat verſu 6, aſſimilans illos beluis prædam dentibus corripientibus, & concerpentibus. Periculum ſimul & opem Dei amplificat verſu 7, quum ſortem populi Dei ſimilem facit auiculæ ereptæ laqueo. Octauo, nomini Dei hanc liberationem adſcribit: nullæ enim tum humanæ vires ſufficiebant. Porrò hæc omnia nullis rectius cõpetunt quàm Chriſtianis, qui ſunt in hoc mũdo quod oues in mediis lupis, quod agni mactationi ſelecti: quos denique totis viribus mundus perſequitur, & exterminare conatur. Illud, *Qui fecit cælos & terram*, gloriatio eſt de immenſa potentia Dei.

PSALMVS CXXV, [illegible].

ARGVM. *Tutam fore eccleſiam, defendente eam Domino, habituramque, ipſo fauente & malos ex ea repurgante, fœliciter.*

PARAPH. 1 CArmen Maæloth. Qui nituntur Iehouah, nunquam nutabunt: ſicut mons Siion non nutabunt, ſtabunt in ſecula.

2 Montibus circuncincta eſt Ieruſalem: ſic cingit Iehouah populum ſuum, ex hoc tempore vſque in ſeculum.

3 Non permittet potentiam improborum premere terram iuſtorum: ne iuſti ad iniquitatem manus ſuas admoueant.

4 Benignè fac bonis, & rectis cordibus ſuis.

5 Qui prauitate à via declinauerint, hos ducat Iehouah cum deditis iniquitati: pax ſuper Iiſrael.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *CAnticum Maæloth. Qui nituntur Iehouah, ſicut mons Siion non nutabit, in ſeculum ſedebit.*

2 *Ieruſalem, montes circunquaque eam, & Iehouah circũquaque populum ſuum, à nunc & uſque in ſeculum.* Sæpè iam dictum, nominibus Ieruſalem & Siion, cœtum Sanctorum ſignificari: is enim vera Dei ciuitas eſt. De horũ ergo ſecuritate & fœlicitate, quæ vtraque à fide eſt in Deum, hîc canitur. Inde ait, *Qui nituntur Iehouah*, ſubaudi non nutabunt, ſicut nunquã nutabit mõs Siion, qui in ſecula perſtat. Siion nanque & Ieruſalẽ (ſed vera ac ſuperna, quæ eſt Eccleſia Sanctorũ) æternùm permanet. Quum ergo huius ciues ſint quicunque ſolida fide Deo nituntur, eos cũ ipſo permanere neceſſe eſt. Haud tamen ſcio annon ſit Pſaltes hoc verſu ſimilitudinẽ mutuatus ab ipſo externo mõte Siion: nam in ſecundo verſu videtur à terrena Ieruſalem ſimilitudinem accepiſſe, voluiſſeque dicere, Vrbẽ Ieruſalem montes cingunt & muniunt: ſic Deus cingit & munit ſuum populum, ídque in ſempiternum. Si ad hũc modum libet primum verſum intelligere, erit in eo heteroſis numeri, verbo ſingulari reſpondente nomini plurali, & reddetur hoc pacto, Qui nituntur Iehouah, ii ſicut mons Siion, nunquam nutabunt, ſedebúntque in ſecula.

3 *Quia non relinquet uirgam improbitatis ſuper ſorte iuſtorum, ut non mittant iuſti manus ſuas ad prauitatem.* Id quod ſecundò cecinit, nempe Dominũ adfore ſuo populo tutorem ſemper præſentẽ, vt Ieruſalẽ ſui adiacent montes, ex eo probat quòd non ſit permiſſurus imperare illi impios: ne inde fiat vt & iuſti ad iniquitatem deflectant. Iuſtos nanque Scriptura vocat iuſtitiæ ſtudioſos, non planè iuſtitia perfectos. Inter hos iã plerique infirmi ſunt, qui rerum potientibus impiis, & pios modis omnibus opprimentibus, euehentibus autem impios atque flagitioſos, ſæpenumero à recti ſtudio detorquentur. Id ne vſque fiat, Deus, etiam ſi ad tempus populum ſuum, ita exigentibus peccatis eorũ, tyrannis impiis permittat, tandẽ tamen liberat, & præficit ei qui pietatem colant. De quo vaticinatur Ieſchaiah 1.g.26, Reſtituã iudices tuos quemadmodũ olim fuerunt, & ſenatores tuos ſicut antiquitus. Et tum ſubiicit, Poſthæc dabitur tibi nomẽ ciuitati iuſtæ, vrbi fideli. Et Paulus, vt tales principes nanciſcamur, iubet orare pro regibus & principibus. in hoc enim orare pro illis præcepit, quo tranquillè viuere liceat, cum omni honeſtate & pietate: quod tum demũ contingit quũ ipſi Reges & Principes Deũ ex animo colunt. Talibus enim regnantibus, regnat Deus ipſe. 1.Tim.2.a.2

4 *Benefac ô Iehouah bonis, & rectis in cordibus ſuis.*

5 *Qui autẽ declinant [ad] prauitates ſuas, deducet eos Iehouah cum operarijs iniquitatis: pax ſuper Iiſrael.* Orat vt pii principes, & cum his optata rerũ tranquillitas pietati ſeruiẽs, populo Dei contingant, quũ precatur vt Deus bonis benefaciat. Principibus ſiquidem datis qui pietatem & iuſtitiã colũt, quũ ab illis multum adeò pendeat, omnia tolerabilius habent. Verſu vltimo orat vt declinantes, vti que à via recta ad prauitatem, ducantur, nimirum ad ſupplicium, cum deditis iniquitati, id eſt ex profeſſo malis, ac planè deploratis. Sicut Dominus, Matt.25.d.41, prædicit ſceleratos ſociandos in tormentis gehennæ diabolo & angelis eius. Quo nanque malorum pauciores in populo Dei fuerint, eo fœlicius habent res eius. Inde tam ſeuerè mandauerat Deus exterminãdas Gentes terræ Chenaan, ne aliqui Amorrhæorum relicti, Iiſraeli eſſent offendiculo: ita vt euenit. Eadem cau

ſa tolli & ſceleratos ex Iiſraelitis tã ſanctè præcepit. Huic verò haudquaquã obſtat illud Chriſti, Sinite creſcere zizanias vſque ad meſſem: nam plurimum adhuc zizaniarũ relinquetur, etiam ſi in palàm ſceleroſos animaduertatur ſeueriſſimé. Chriſt⁹ hac parabola docuit, ſemper fore bonis malos permixtos: nec conandũ vt vniuerſi tollantur, quòd ſic tolli & boni poſſent. At animaduertere interim in manifeſtè ſceleratos, quod Deus Lege ſua toties grauiſſimis edictis præcepit, tam non prohibuit quàm nõ venit vt Legem Patris ſolueret. Et quũ propoſitũ ſimile rectè conſideramus, nullam vetuit Dominus zizaniarum euulſionem, quàm quæ noceat tritico. Vt ergo periti agricolæ nunquam quidem conantur zizanias tollere omnes, tollunt tamen quas poſſunt ſine noxa tritici: ita pii Principes, quoſcunque ſceleratos cum ſalute reipublicæ tollere poſſunt, haudquaquam ferent: vniuerſos autem ſubmouere non tentabunt, quod nec commodo tentarent reipublicæ. Math. 13. d. 30.

PSALMVS CXXVI, [illegible]

Ex lætitia populi è Babylonico exilio liberati, ſpem firmat & reliquæ captiuitatis: fœlici & libero populi ſtatu commutandæ, ſubque hoc typo fœlicitatem canit. ARGVM.

1 CArmen Maæloth. Quum educeret Iehouah captiuos Siionis, eramus ceu ſomniantes. PARAPH.
2 Tum replebatur os noſtrum riſu, & lingua noſtra ouatione: tum dicebant inter Gentes, Iehouah fecit cum iſtis magnificé.
3 Iehouah fecit vtique magnificè nobiſcum: vnde & lætabamur.
4 Reuoca ergo & hanc noſtram captiuitatem ô Iehouah: quo ſic nos afficies, ac ſi alueos fluminis dares in regione Meridiei torrente.
5 Qui iaciunt ſemina cum lachrymis, metent ouantes.
6 Qui vadit ſeminatum, flendo attollit vas ſeminarium: quum venit autem, venit cum ouatione, tollens manipulos ſuos.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Canticum Maæloth. Quum conuerteret Iehouah captiuitatem Siion, fuimus ſicut ſomniantes.*
2 *Tunc plenum erat os noſtrum riſu, & lingua noſtra ouatione: tunc dicebant in Gentibus, Magnificauit Iehouah ad faciendum cum illis.*

3 *Magnificauit Iehouah ad faciendum nobiſcum: fuimus lætantes.* Videtur Pſalmus hic compoſitus, vt plerique alii, quum reduces ex Babylone à vicinis Gentibus continuò vexarentur, & à reparãda Ieruſalem impedirentur. Tum ſancti Vates populum ex prius acceptis Dei beneficiis in ſpem erigebant plenæ liberationis ac reſtitutionis. Exaggeraturi ergo lætitiam qua perfuſi fuerunt ſoluta captiuitate Babylonis, ait, *Eramus ceu ſomniantes*: videbamur nobis præ lætitiæ magnitudine ſomniare, non re ipſa cernere eam fœlicitatem. Sic Petrus, vinculis Herodis liberatus, præ ſtupore putabat ſe id quod gerebatur, ſomniare. Ex eadem gaudii magnitudine erat vt perpetuò riderent, & exultantes ouarent. Tanta ſiquidẽ Domini in eos apparuerat benignitas, vt illud & Gentes prædicarent. Hæc erat lætitiæ cauſa: id quod canit verſus 3. Act. 12. b. 9.

4 *Reduc ô Iehouah captiuitatem noſtram, ſicut alueos in Meridie.* Orat nunc nomine populi Vates vt Deus & præſentem captiuitatem ſoluat. Addit, *Sicut alueos in Meridie*: quo voluit ſignificare tam gratam & admirandam fore populo ex captiuitate liberationem, atque eſſe poſſit ſi habitantibus torrentes ſolitudines (quales ſunt vaſtiſſimæ in Meridionali plaga Ieruſalem, vnde Deſertũ ſæpe pro Meridie illis accipitur) contingerent flumina.

5 *Seminantes illi in lachryma, cum ouatione metent.*

6 *Eundo ibit, & flendo tollit vas ſeminis: ueniendo ueniet cum ouatione tollens manipulos ſuos.* Per allegoriam ſeminantis cum mœrore, & metentis cum gaudio, ferentis vas ſeminis, iacientis cum fletu, & referentis manipulos cum exultatione, pollicetur populo maxima cum afflictione in reparãda Ieruſalẽ ſudanti, lætã meſſem pacis & fœlicitatis optatæ. משך in verſu vltimo, Kimhi interpretatur pretioſum. Abrahã Abẽ Ezra, vas ſeminatium, quod videtur magis cõuenire. Hinc autem obſeruandum quàm ſit ingens futura lætitia eorum qui in inſtauranda Ieruſalem veriore hic verbo & exemplis pro viribus incubuerint, multa ſimul ab impiis, hoc ſacrum ædificiũ remorari conantibus, perpeſſi. Seminant & hi lachrymantes, ſed paulo pòſt meſſuri ſunt fructus vitæ beatæ & ſempiternæ, præter optatiſſimam meſſem reſtitutæ religionis, & in hoc ſeculo.

PSALMVS CXXVII, διδακτικός.

Sola Diuina benignitate donari domum & familiam, cuſtodiri ciuitatem, cibum ſumma facilitate ſuppeditari, liberos, & eos frugi, contingere canit.

PARAPH.I CArmen Maæloth Schlomoh. Niſi Iehouah ædificauerit domum, fruſtra laborant qui ædificant eam: niſi Iehouah cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat cuſtos.

2 Fruſtra vobis eſt, quòd acceleratis manè ſurgere, quòd differtis rurſus ſedere, veſcentes cibo ærumnoſo: ſic dabit dilectis ſuis bonorũ ſatietatẽ cum quiete.

3 En filii, hæreditas eſt quam Iehouah largitur: fructus vẽtris, merces eſt quam ipſe donat.

4 Sicut ſagittæ in manu potentis, ſic filii iuuentutis.

5 Fœlix vir qui his repletam habet pharetram: non pudefient quum agendum illis erit cum inimicis ſuis in porta.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *CAnticum Maæloth Schlomoh Si Iehouah non ædificet domum, fruſtra laborant qui ædificant eam: ſi Iehouah non cuſtodierit ciuitatem fruſtra uigilat cuſtos.*

2 *Fruſtra uobis [quòd] maturatis ſurgere, tardatis ſedere, editis panem moleſtiarum: ſic dabit dilecto ſuo ſomnum.* לשלמה de Salomone Hebræi interpretantur. Sed nõ video cur vereantur autorem Pſalmi Schlomoh ipſum agnoſcere: præſertim quũ hic Pſalmus cum argumento Eccleſiaſtæ eius planè conueniat. Sed quocunque organo Spiritus ſanctus hunc nobis Pſalmum dederit, hoc nobis canit: Sine beneuolentia Dei fruſtra eſſe omnem noſtrum conatum, laborem, & induſtriam. Ait ergo, *Fruſtra laborant qui ædificant domum, ſi Iehouah eam non ædificauerit*. Intelligit autem per *domum*, non ſolùm manſionis locum, ſed ſtatum ſimul & familiam, ac dignitatem patrisfamiliâs, domúmque inhabitantis. Sic intelligit Scriptura ædificaſſe Dominum domus Iiſraelitis, quando animum dabat obſtetricibus ne infantes illorum perderent, & naſci interim illis numeroſam ſobolem faceret, Exodi 1.d.19. Ad eundem modum & Nathan dicebat Dauidi, Annuntiat tibi Iehouah quòd ſit tibi facturus domum, id eſt ſtabilem & perpetuam familiam, 2.Schmu.7.b.11. Huc iam omnis mortalium conatus & labores præcipui feruntur vt ſit & vbi habitent, & vbi commodè habitent, facultatibus, dignitate, & familia ſuffultis. Monet ergo, fruſtra eſſe omnem conatum niſi ſua hæc Deus donet benignitate: & ſic ad ſuſpiciendum colendúmque in primis illum inuitat. Vbi verò priuatim commodè habitatur, proximum eſt vt Reſpublica ſalua ſit, & communi cuſtodia in ciuitatem conſpirantes, tuti agant: & id igitur à Domino petendum docet. Secundum hoc eſt, vt parẽtur, multa quotidie cura anxiíſque laboribus, neceſſaria vitæ. Pro his dici non poteſt vt ſatagant homines, ſudéntque ſæpe fruſtra: monet ergo & victum ab vno Deo dari, qui ſcilicet dedit vitam. Proinde ait fruſtra eſſe manè ſurgere ad labores & negotia, ſerò ad quietẽ reſidere, & ſic veſci cibo ærumnoſo: ſubaudi, niſi omnia ſuppeditet Deus, quo ſuppeditante, vt laborandũ tamen eſt, ita iuxta omnia eius benignitate ſecundantur & condulcorantur, vt videantur quæcunque contingunt, dormientibus obuenire. Id enim promiſit ſuis Dominus Leuitici 26.a.3, de quo in verſu vltimo Pſalmi quarti: in quo etiã Pſaltes, per ſomnũ, bonis omnibus abundantẽ quietẽ ſignificauit. Hic tropus & apud alios in vſu eſt. Gallicè dici ſolet, *Tout luy uient en dormant*. vnde illud iactatur prouerbiũ, Dormientis rete trahit. Quod autem canit, *En ſic dabit dilecto ſuo ſomnum:* hoc eſt ſecuram omnium & cunctis bonis affluentẽ quietem, videtur Solomon ſeipſum vt huius exemplũ indicaſſe. Ei nanque nec petenti quidẽ, nedũ anxiè laboranti, Deus tanta ſuppeditarat, vt nulli vnquam fuerint qui potuiſſent fœlicitate ipſi conferri. Eum

2.S.hmu 12.f.2. quoque Nathan vocauit Ledidiah, id eſt dilectum Exiſtentis. Proinde videtur dicti huius ſenſus eſſe: En ſic dabit cuiuis dilecto ſuo Deus ſomnũ, & dormienti cuncta affatim ſuppeditabit: vt videtis mihi dilecto ſuo nihil tale vel optanti, tam ſecurum ſomnũ, id eſt omnium rerum ſecuriſſimam abundantiam donaſſe. Prima igitur cura ſit, illi gratificari, illum timere & colere, & adiicientur omnia vobis ea facilitate & copia, vt videantur ea obuenire dormientibus: & labores veſtri ſomnus potius quàm labores cenſeantur.

3 *Ecce hereditas Iehouæ filii; merces fructus uentris.*

4 *Sicut ſagittæ in manu ualidi, ſic filij iuuentutum.*

5 *Fœlicia uiro qui implet pharetram ſuam ex eis: non pudefient quum loquentur inimicis in porta.* His verſibus canit præcipuè de dono liberorum, quos dicit eſſe hæreditatem Iehouæ, id eſt ab ipſo illos donari: & fructum ventris eſſe mercedem, vtique ab eiuſdem liberalitate collatam. Nam שכר in Scripturis etiam liberum donum, non ſolùm meritam mercedem ſignificat: de quo in verſu 26 Pſalmi 18. Verſu quarto canit, Deum & viuacem proſperámque valetudinem dare filiis quos ipſe donarit. Id enim vult ſignificare ſimilitudine ſagittarum in manu potentis. validæ enim illæ ſunt, longéque volant, atque probè conficiunt, ad quod emittuntur. Sic canit fore valẽtes, gna-

uos,& dexteritate præditos,quos Deus donarit dilectis ſuis liberos.Hinc perſtás in allegoria,verſu 5 canit beatum qui talibus ſagittis pharetram ſuam repleuerit. Nam haudquaquam pudefient tam pater quàm ipſi,quum *in portis*,hoc eſt curia(Senatus enim & iudicia habebátur in portis) agendum fuerit cum inimicis.Innocenter enim viuent,& prudenter cuncta adminiſtrabunt, vt inimici nihil habere poſſint, quibus cauſa illos deiicerent. Tales habere filios, præcipua ſanè portio eſt fœlicitatis: ideo tam fuſè eam prædicat. Vocat hos liberos, *filios iuuentutis*: quo duplicem Dei beneficentiam notauit: & quòd ſuis maturè liberos donat, & quòd donat quũ tempus eſt illos educandi, probéque inſtituendi.Neutrum filiis ſenectutis à parentibus præſtari poteſt: vnde perſæpe & morum,& facultatum iacturam miſerè faciunt.

PSALMVS CXXVIII, ἀναβαθμός.

Colentem Deum priuatim & publicè,bene beatéque habiturum canit. ARGVM.

PARAPH.

1 CArmen Maæloth. Fœlix quicunque colit Iehouam,qui vias eius terit.
2 Nam labore manuum tuarum frueris:bene beatéque habebis.
3 Vxor tua vt vitis fructifera erit inter parietes domus tuæ: filii tui ſicut plantulæ oliuarum circa menſam tuam.
4 En ſic beneficiis cumulabitur vir qui coluerit Iehouam.
5 Benefaciet tibi Iehouah è Siion,& oblectaberis videndo bona Ieruſalem cunctis diebus vitæ tuæ.
6 Et videbis natos natorum tuorum,fœlicitatémque Iiſrael.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 C*Anticum Maæloth. Fœlicia omnibus timentibus Iehouam, qui ambulant in uiis eius.*
2 *Laborem manuum tuarũ quia comedes:fœlicia tibi & bonum tibi.* Vt Pſalmo 34,37 & 112 canit à timore Dei,iuſtitiæque cultu quo in vijs Dei itur, id eſt iuxta viuendi leges ab ipſo datas viuitur, venire omnia bona.Enumerat autẽ vulgaria,quòd ea plus vulgo agnoſcátur,& expetantur cupidius. Primùm ergo canit timentibus Deũ copioſè adeſſe quibuſcũque hæc vita indiget. In execratione hominis alioqui eſt,Execrata erit terra propter te: cum ærumna veſcêris ex illa cũctis diebus vitæ tuæ:Spinam & ſentes germinabit tibi,Gen.3.c.17.Hæc execratio timentibus Deum omnifaria fertilitate commutatur, ita vt frui homo labore ſuo poſſit, ac habeat vnde beatè benéque viuat:ita ſolet loqui Scriptura.nos dicimus,Bene beatéque, id quod auctius eſt,poſterius ponentes.De hac loquendi ratione,dixi iam in verſu 4 Pſalmi 121.

3 *Vxor tua ſicut uitis fructifera in lateribus domus tuæ:filii tui ſicut plantulæ oliuarum circa menſam tuam* Celebrat donum liberorum. Appoſita verò eſt vxori ſimilitudo vitis, vt & oliuarum filiis. Tenue & præaridum lignum habet vitis, quod ſeipſum nequit ſuſtentare, & dulcem tamen adeò ac ſuauem profert fructum:ſic vxor imbecille organum,nec ferè potens abſque præſidio mariti viuere,parit tamen elegantiſſimos filios. Oleæ autem præſertim plantatæ,& ob id fœliciores, per ſe ſubſiſtunt,prætérque fructus nobilitatem & vtilitatem,etiam perpetuò virẽt: ſic dotibus ſuis inſignes,& mire frugi ſunt Sanctorum filii,famæ virore ſemper adblandientes.Quod ait, *circa menſam tuam*:exprimit oblectationem quam patri adferunt,dum numeroſi atque elegantes ſemper in conſpectu eius adſtant.Hactenus de fœlicitate priuata.

4 *Ecce quia ſic benefit uiro timenti Iehouam.*

5 *Benefaciet tibi Iehouah è Siion,& uidebis in bono Ieruſalem,omnibus diebus uitæ tuæ.*

6 *Et uidebis filios filiorum tuorum,pax ſuper Iiſrael.* Quia non poteſt conſtare fœlicitas priuata ſine publica,nunc & hanc timentibus Deum pollicetur: ſicut illam etiam Deus propter paucos ſæpè pios & conſeruat & auget. *Benefaciet*, inquit, *tibi Iehouah è Siion*: eo ſignificat fore populo ſuo in Siion Deum præſentem, indéque ea illi collaturum beneficia, vt cum voluptate viſuri ſint quique veri Dei cultores,Ieruſalem vrbem Sanctorum omni bonorum genere cumulatiſſimè adfluere. Neceſſe enim eſt optimè habere Rempublicam, quũ vel pauci ciues Deo ex animo ſtudent. tota enim Sodomorum ciuitas Dei vltionem euaſiſſet, ſi decẽ modò in ea boni ciues fuiſſent reperti. Vbi ergo ſunt qui pietatem colunt, ii & ſibi ipſis & ciuitati ſuæ (quæ propter eos Ieruſalem iure dicitur)omnem fœlicitatem adducunt, propulſant mala quæuis:imò Deus in ipſis, ipſorúmque gratia, vrbem huiuſmodi inhabitat. Verſus vltimus cum publica pace populi Dei, poſterorum quoque fœlicitatem promittit.Ita ſibi,ciuitati & populo,ac etiam poſteris ſuis,frugi & ſalutaris eſt,qui Deum verè timuerit.

PSALMVS CXXIX, ἀναβαθμός.

Canit hic Pſalmus,impios,etſi diu multúmque populum Dei affligant,haud tamen prævalituros:imò tandem perituros, illo libero & ſaluo. ARGVM.

PARAPH.1 CArmen Maæloth. Plurimum infeſtarunt me ab adoleſcentia mea, dicat nunc Iiſrael:

2 Plurimũ infeſtarunt me à iuuentute mea, attamẽ non præualuerũt mihi.

3 In dorſo meo ararunt aratores, longáque produxerunt iugera ſua.

4 Iehouah iuſtus incidit funes improborum.

5 Pudefient & agentur retrò, quicunque Siion oderunt.

6 Erunt ſicut gramen naſcens in tectis, quod priuſquam euellatur areſcit.

7 Quo haud replebit manũ ſuam demetens, aut ſinũ ſuũ colligens faſciculos.

8 Nec eſt ratio vt dicant prætereuntes, Adſit vobis beneficentia Iehouæ, bene precamur vobis per nomen Iehouæ.

ADVERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *CAnticum Maæloth. Plurimum coartarunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iiſrael:*

2 *Plurimum coartarunt me à iuuentute mea, etiam non præualuerunt mihi.*

3 *Aratores arauerunt ſuper dorſo meo, longa fecerunt iugera ſua.* Iubet Iiſraelem de ope Domini gloriari, quòd quũ à puero impii ipſum plurimum adflixerunt, nec tamen ei præualuerunt. Secundò repetit hoc, quo voluit Dei in populum ſuum bonitatẽ plenius prædicare. Verè enim pluſquam cogitari poſſit mirandum miraculum eſt, ſeruatum ſemper Dei populum, numero & viribus tam exiguum & imbecillem: quum nunquam impii non tẽtarint eum planè extinguere. Verſus tertius aſſimilat moleſtias & iniurias quas populus Dei à Gẽtibus, præcipuè in exilio Babylonico (de quo videtur hic Pſalmus eſſe compoſitus) pertulit, arationi, & ductis in dorſo eius ſulcis. Dicit illos longa produxiſſe iugera. Eſt enim מענה ſpatium terræ quod vno die aratur. Quum igitur afflictionem quam Dei populus à Gentibus pertulit, arationi aſſimilaſſet, volens ſignificare hanc diuturnam fuiſſe, dicit eos ſibi longa iugera produxiſſe, quò nimirũ diu in dorſo illorum ararent.

4 *Iehouah iuſtus conſcidit funes improborum.*

5 *Pudefient & agentur retrò, quicunque odio habent Siionem.* Sub allegoria præciſorum funium canit fractam virtute Domini impiorum potentiam, & liberatum ab eorum iugo & tyrannide Iiſraelem. Per *funes impiorum* intelligit vim & potentiam qua Dei populum tenebant libidini ſuæ obnoxium. Idem canit apertius verſus quintus.

6 *Erunt ſicut gramen tectorum, quod antequam extrahatur areſcit.*

7 *Quo non implet manum ſuam reſecans, & ſinum ſuum colligens faſciculos.*

8 *Et non dixerunt tranſeuntes, Beneuolentia Iehouæ ſuper vos, beneprecamur vobis in nomine Iehouæ.* Traducit improborum inanitatem, ſub allegoria graminis enaſcentis in tectis. Plana habent in Syria tecta, in quibus enaſci ſolet è rimis & fiſſuris lapidum, gramen, ſed quod diuturnum non ſit, eo quòd ſolo cõmodo careat: exareſcit igitur antequam euellatur, demetatúrve, aut reſecetur. Sic eo non implet manum ſuam metens, nec ſinum, qui colligit faſciculos: nec beneprecantur prætereuntes iis qui reſecando & colligendo eo operãtur, vti ſolet beneprecari iuſtum gramen ſeu meſſem colligentibus. Hucuſque enim non perſtat, vt operari in eo colligendo operæpretiũ quiſquã duceret. Huic itaque tam caduco & nihili gramini confert populi Dei hoſtes. Non diſſimili ſimilitudine Pſaltes vſus eſt & verſu ſecundo Pſalmi 37, & verſu ſexto Pſalmi 90. Hinc diſcendum ferendam eſſe à bonis vim malorum diu, at non perpetuò: tãdémque ipſos habituros fœliciter, miſerè verò perituros impios.

PSALMVS CXXX, χρηματιστικὸς & διδακτικός.

ARGVM. *Seria precatio aduerſis ob peccata preſſi, & ſibi à Deo, ut peccatorum condonationem, ita malorum liberationem in ſpe ſolida pollicentis.*

PARAPH.1 CArmen Maæloth. E profundis inuocaui Iehouam.

2 Domine audi vocem meam, attendant aures tuæ deprecationi meæ.

3 Si obſeruaueris iniquitates ô Exiſtens, quis ô Domine conſiſtat?

4 Sed eſt penes te clementia, ideo coleris.

5 Expecto Iehouam, expectat anima mea: ad promiſſa tua ſuſpicio.

6 Anima mea ad Dominum fertur, manè antequam prodeant cuſtodes, manè antequam prodeant cuſtodes.

7 Suſpiciat Iiſrael ad Iehouam: nam penes Iehouam eſt bonitas, & perampla a-

pud eum redemptio.

8 Et ipſe redimet Iiſraelem ex eunctis iniquitatibus eius.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Canticum Maaloth. E profundis clamaui ad te o Iehouah.*
2 *Domine audi uocem meam, ſint intentæ aures tuæ uoci deprecationum mearum.*

3 *Si iniquitates obſeruaueris ô Iah, Domine quis ſtet?* Per *profunda* è quibus Deum inuocat, intelligit aduerſa in quibus erat populus quũ exularet apud Chaldæos. Intelligi autem per ea poſſunt & quæuis Sanctorũ mala, quibus ob peccata ſua Diuinitus adducuntur. Verſus 2 vehementes habet affectus. Sinit enim Deus ſuos, quo pleniore animo à mundi ſe vanitate recipiant, ſæpe grauiter affligi. Verſu 3 canit neminem poſſe conſiſtere, ſi ſic Deus iniquitatis rationem habeat, vt dignas de illis ſumere pœnas velit.

4 *Nam apud te propitiatio, ut timearis.*

5 *Expecto Iehouam, expectat anima mea: & ad uerbum eius ſuſpicio.* Recipit ſe, eo quòd ſit apud Deum clemẽtia, propter quã & colitur. Nam niſi ea bonitate agnoſceretur vt peccata cõdonaret, nemo ex animo ipſum venerari poſſet, ſed omnes vt tyrannũ tantùm metuerent. Subiicit ergo, hinc ſe expectare Iehouam, dum miſertus ſui, mala quæ immiſit depellat. Conſolatur verò ſe promiſſis eius, quorum meminit quum ait, *ad uerbum tuum ſuſpicio*, expectans ſcilicet dum opem feras quam verbis tuis es pollicitus. Omnia ardent affectibus. duplex ſiquidem Sanctis tormẽtum eſt dum ob cõmiſſa ſua affliguntur: & quòd malis torquẽtur, & quòd Deum ſuum ſentiunt ſibi iratum.

6 *Anima mea ad Dominum, à custodibus manè, custodibus manè.*

7 *Suſpiciat Iiſrael ad Iehouam: quia apud Iehouam bonitas, & multa [eſt] apud eum redemptio.*

8 *Et ipſe redimet Iiſraelem ab omnibus iniquitatibus ſuis.* Verſu 6 exprimit quàm ſolicitè, quàm inſtanter ad Dominum ſuſpexerit, precéſque fuderit. Eclipſis enim eſt, & ſubaudiendum Suſpicit, vel preces fundit. משמרים poteſt & ante cuſtodes verti, id eſt antequam cuſtodes ſuas obeant cuſtodias. ſicut alibi dicit ſe ſolitum præuenire cuſtodias, id eſt vigilias noctis: & cum cuſtodibus, hoc eſt quum cuſtodes & vigiles ſuas ineunt vigilias, anima mea attollit ſe ad Deum ſuum. Omnia admodum ardent. Quod obſecro obſeruemus, qui hunc præ aliis Pſalmũ toties haud ita flagranti animo immurmuramus. Repetit *cuſtodes* quo ſignificare voluit ſe ſingulis diebus cum cuſtodibus, vel ante cuſtodes, manè ad preces ſeſe contuliſſe. Illud verò *manè*, non ad diei ortum referendum eſt, ſed ad anticipatum tempus. *Cuſtodes*, vigiles dicit qui tota nocte per vices vrbem cuſtodiunt. Quàm autem nequeat id eſſe fruſtra, canit verſibus ſequentibus, quibus & iubet Iiſraelem redemptionẽ ſperare, & pollicetur eam. Dicit verſu vltimo, *Redimet Iiſraelem Deus ex cunctis iniquitatibus ſuis.* Illæ enim omnium aliorum malorum cauſæ ſunt: ipſiſque repurgatis, nihil eſt quod queat nocere.

PSALMVS CXXXI, ἄκρωσις.

Canit alienum ſe fuiſſe ab arrogantia, & ſectatum humilia: ideo exaltationem ſibi expectandam à Domino. ARGVM.

1 Carmen Maæloth Dauidis. Non eſt ò Iehouah ſuperbum cor meum, non PARAPH.
ſunt elati oculi mei: nec ingeſſi me rebus maioribus & magis mirandis quàm me decerent.

2 Verè depreſſi & muſſare feci animã meam, vti eſt ablactatus matri ſuæ: verè inſtar ablactati habet anima mea.

3 Suſpiciat Iiſrael ad Iehouam, ex præſenti tempore vſque in ſecula.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Canticum Maaloth Dauidis. Iehouah, non attollit ſe cor meum, non ſunt ſublimes oculi mei: & non ambulaui in magnis & mirabilibus à me.* Affirmat alienam fuiſſe à ſe & cordis arrogãtiam, & faſtum qui prodit ſe in oculis (de quo in verſum 5 Pſalmi 101) ideo ſe nihil tentaſſe quod ſupra ſuũ captum foret. Ad verbum dicit, more Scripturæ, *ſe non ambulaſſe*, non eſſe verſatum in rebus maioribus & mirandis magis quàm vt ipſum decuiſſent. Intelligit per hæc magna & mirabilia, res inſignes & ſummis tantùm viris dignas. Fortè de maieſtate regni, & Diuino munere Prophetiæ id dixit, quorum nihil ſibi ipſi temerè arrogauit.

2 *Si non poſui [me] & compeſcui animam meã ſicut ablactatus ſuper matre ſua: ſicut ablactatus ſuper me anima mea.*
Profitetur ſeipſum habuiſſe vt puerũ: ad quod Seruator noſter hortatur, & id addito iuramento. Luc. 18.d.17
Iurãdi enim forma eſt Hebræis, vt aliàs dixi, vt per conditionẽ ponant quid facere aut nõ facere ſe recipiant, nec addant quid ſibi imprecentur ſi fidem fallãt. In libro Regum adiicitur, Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat. hæc verò ideo tacentur, quo magis illa videãtur horrenda, ſitque iuramenti religio ſanctior. Iurat ergo, animam ſuam ſibi fuiſſe vt eſt puer iam ablactatus matri 1 Reg. 3.d.17.

ſuæ,qui ſcilicet adhuc totus ab illa pendet,qui nihil per ſe poteſt, etiamſi iam nõ ſugat. Proinde dicit ſe illam poſuiſſe, id eſt depreſſiſſe, atque feciſſe ſilere : hoc eſt agere humiliter, ſubmiſſe, vt quæ nihil eximiũ aut noſſet,aut valeret,ſed haberet neceſſe ita foueri à Domino vt fouendus eſt matri infans iam primùm ablactatus. Multus fuit in hoc humiliationis ſui ſtudio,ideo ſimilitudinem ablactati repetiit. Iuramẽtum ſic compleretur, Si nõ poſui & humiliaui animam meam vt eſſet mihi ceu infantulus primùm ablactatus, hæc vel illa mihi mala Deus immittat.

3 *Suſpiciat Iiſrael ad Iehouam,à nunc & uſque in ſeculũ.* Propoſito in ſe modeſtiæ exẽplo,hortatur Iiſraelem ſperare in Dominũ,vtique ſimiliter humiliatum in oculis ſuis,nihilque eximium de ſe ſentientẽ.Neque enim verè ſuſpicere ad Deum,atque ab ipſo omnia expectare poterit qui ſibi aliquid tribuit.Proinde quũ ad ſpem in Deum,illũ prouocat,ſimul vt de ſe deſperet hortatur.

PSALMVS CXXXII, διδακτικὸς καὶ προφητικός.

ARGVM. *Canit de ſempiternitate atque fœlicitate regni Chriſti, præſentiáque Dei in Eccleſia eius, ſub typo regni Dauidis, & Arcæ in Sion repoſitæ.*

PARAPH. 1 CArmen Maæloth. Memor ſis ô Iehouah Dauidis, ſimul & vniuerſæ afflictionis eius.

2 Qui iurauit Iehouah,votum nuncupauit potenti Iaacob:

3 Si introiero tabernaculum domus meæ,ſi aſcendero ſtratum lecti mei:

4 Si permiſero oculis meis ſomnum,ſi palpebris meis dormitationem,

5 Donec inuenero locum Iehouæ,manſionem potenti Iaacob.

6 En audiuimus de illa in Ephrathah,inuenimus eam in campis ſyluæ.

7 Veniemus ad manſionem eius,proſternemur ante ſcabellum pedum eius.

8 Surge ô Iehouah,recipe te ad locum quietis tuæ,tu & Arca roboris tui.

9 Sacerdotes tui induantur iuſtitia:& qui bonitati ſtudent,ouent.

10 Propter Dauid ſeruum tuum,ne auerſeris vnctum tuum.

11 Iurauit Iehouah Dauidi ex veritate, nec id retractabit: Imponã ſolio tuo de fructu ventris tui.

12 Si obſeruauerint filii tui fœdus meum, & oracula quibus illos inſtituero, etiam illorum filii in omnia ſecula ſuper ſolium tuum ſedebunt.

13 Nam elegit Iehouah Siion,concupiuit illic habere ſedem ſuam.

14 Hic locus quietis meæ in omnia ſecula:hic ſedebo,nam hanc ſedẽ cõcupiui.

15 Annonam eius benignus augebo,inopes eius ſatiabo pane.

16 Sacerdotes eius induã ſalute:& qui in ea bonitati ſtudent,ouatione ouabũt.

17 Iſthic faciam fœliciter propagari imperium Dauidis, inſtitui lucernam vncto meo.

18 Inimicos eius induam dedecore,in illo autem florebit decus regium.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 C*Anticum Maæloth. Memor ſis Iehouah Dauidis,[&]omnis afflictionis eius.* In Pſalmũ 24 ac alios quoſdam dixi quanto Dauid ſtudio cultus Dei in Iiſraele inſtaurãdi, atque ideo Arcæ fœderis auguſtum locũ parandi,arſerit:iſtuc & hoc Pſalmo deſcribitur.Precatur initio Deum vt ſit ſui memor:hoc eſt promiſſam beneuolentiam præſtans, numinis ſui ſedem in Siion, vrbe regia figat,& regnum poſteris ipſius confirmet,donec is veniat quem cognouerat toti orbi ſalutem allaturum. Addit, *Et afflictionis ſuæ :* permulta enim aduerſa paſſus,ſciebat tandem & ſecũdis ſe rebus fruiturum. In tertia perſona hæc poſita ſunt,quia hunc Pſalmum,precationem populo compoſuit,vt & Pſalmos 20,& 21.Quidam legunt hic,Manſuetudinis:quod ענו ſignificat,ſi ducatur ab ענו,ſecus ſi ab ענה. Videtur autem hîc potius afflictionem quàm manſuetudinem ſuam voluiſſe iactare: niſi per mãſuetudinem ea putemus voluiſſe ſignificare quæ cum manſuetudine tulerit. Manſuetudo enim eſt,dum æquo animo iniuriæ perferuntur.

2 *Qui iurauit Iehouæ,vouit potenti Iaacob:*

3 *Si ingreſſus fuero in tabernaculum domus meæ,ſi aſcendero in lectum ſtrati mei:*

4 *Si dedero ſomnum oculis meis,palpebris meis dormitationem,*

5 *Donec inuenero locum Iehouæ, manſiones potenti Iaacob.* Votum cuius meminit per quatuor hoſce verſus,putant Hebræi à Dauide fuiſſe nuncupatum, quũ ipſe & ſeniores eius inuoluti ſaccis,

veniam precarentur à Deo, ſæuiente peſte in populo, propterea quòd illum iuſſiſſet numerari, 2.Schmu.vltimo,& 1.Paralip.21.c.16,meminit Sacra hiſtoria,ium Dauidem fuiſſe à gladio Angeli cædentis territum adeò vt nõ poſſet ad Gibeon,vbi erat tabernaculũ fœderis,ire. Tum fortè volẽs vincere metũ qui ipſum remorabatur,nuncupauit votũ,iurauitque ſe haudquaquã aditurum domũ ſuam,& capturum quietem donec inueniſſet locum in quo gratũ Deo ſacrificium faceret. Porrò ibidem legimus, eum per Gad Prophetam ex iuſſu Angeli monitũ vt aſcenderet ad aream Areunæ Iebuſæi,ac inibi aram extrueret in qua holocauſtis & pacificis vacaret.

6 *Ecce audiuimus eam in Ephrathah, inuenimus eam in campis ſyluæ.*

7 *Veniemus ad manſiones eius,[&] ſupplicabimus ad ſcabellum pedum eius.* Verſus hic 6 plurimum Hebræos exercuit, eo quòd videatur Vates illo voluiſſe dicere ſe audiſſe locum Arcæ fœderis eſſe debere Ephrathæ,quæ Bethlehem erat,quò illa nunquam perlata eſt,quantum quidem in Sacra hiſtoria legitur. Hinc illud, *Audiuimus eam in Ephrathah*, quidam Rabbi Moſcheh interpretatur, per Dauidẽ,qui fuit ex Ephrathah audiuimus ea. Ioſeph Kimhi, pater Rabbi Dauidis Kimhi, Natus Ephrathæ,ædificauit locum Arcæ. A.Ezra, Audiuimus ex ore Prophetarum quòd locus electus à Domino vt ibi poneretur Arca fœderis, eſſe debeat Bethlehẽ. Verùm quũ adhuc incertus eſſet, reuelante Angelo,inuenimus eam in cãpis ſyluæ. Rabbi Dauid Kimhi, Audiuimus Ephrathæ à ſenioribus reuelãdum adhuc locum in quo Deus Arcam fœderis velit reponi:quem locum quũ poſtea ab Angelo didiciſſet,eſſe areã Areunæ, ceciniſſe, *inuenimus eam in campis ſyluæ*. Hac enim periphraſi putat à Vate aream Areunæ Iebuſæi deſignatam. Affigitur autem vtrique verbo, *audiuimus & inuenimus*, relatiuum fœmininum: cum ארון, quod Arcam ſignificat, & מקום quod locum, vtrunque maſculinum ſit. Putat ergo Kimhi referri שכינת כבוד, præſentiam & inhabitationem gloriæ vel nominis Dei. Quæ ex his interpretationibus certior ſit, dicere non habeo. Id ſatis liquet, quum cecinerit hîc ſe anxium fuiſſe de loco in quo templũ Domino extrueretur, hoc verſu voluiſſe gloriari ſe iam audiuiſſe & inueniſſe de quo ſolicitus fuerat. Iam idem mutatis verbis bis dicere habet in more, ſicut & alii Prophetæ. vnde videri queat, *Ephrathah* hîc & *campos ſyluæ*, pro eodem poni. Si ergo per poſterius area Areunæ Iebuſæi ſignificata eſt, quid ſi ea Ephrathæ nomẽ habuerit? Nam quũ hæc dictio fertilem terram ſignificet, & ob id non vni duntaxat loco nomen dederit, forſan prædiũ Areunæ, hoc quoque ob fertilitatem nomen habuit. Certè Bethlehem, propter vbertatem frugum, ſicut hoc nomine, quod domum panis ſignificat: ita & Ephrathah, quod frugiferã ſignificat, vocata eſt. Si verò quis per Ephratham, ipſam Bethlehem omnino putet intelligendam, dicere licebit, Dauidem Ephrathæ de certo templi loco inueniendo accepiſſe promiſſionem, quæ illi poſtea impleta fuerit quando Angelus aream Areunæ monſtrauit. Porrò ardẽs illud Dauidis erga templi locum ſtudium inde erat, quòd præuidebat hoc loci verius & cæleſte templũ per veriorem Salomonem exædificãdum ex viuis lapidibus: Hîc enim Eccleſia Chriſti nata eſt, quæ mox per totum ſe orbem diffudit. Huius ſponſus Chriſtus, parens Pater, formator Spiritus ſanctus, miniſtri Angeli. In hac domiciliũ eſt vt Diuinitatis, ita & iuſtitiæ atque ſapiẽtiæ omniformæ. Hinc fons ſalutis vnde hauriunt Gentes vniuerſæ. Proinde veris Sanctis ad nihil æquè animus atque ad huius inſtaurationem ardet, iuxta id quod ſemper orant nomen cæleſtis Patris ſanctificari, & regnũ eius aduenire. Cæterùm de area Areunæ legimus, Dauidem, quum Deus igne è cælo demiſſo in hoſtias, placatum ſe demonſtraſſet, dixiſſe, Hæc illa domus eſt Iehouæ Dei, & hæc ara ad holocauſta Iiſraeli, 1.Paralip.21. Verè ergo dicere potuit, *inuenimus eam*, ſcilicet domum Dei, *in campis ſyluæ*. Eo loci poſtea extructum templum eſt, & in illud Arca fœderis (quam ſcabellum pedum Dei vocat, vt & verſu 5 Pſalmi 99) illata, & ante eam, Deo ab omni Iiſraele ſupplicatũ. Is facit ergo, populum facturum ſe recipere: *veniemus ad habitacula eius*, &c. Templo enim nondum extructo, nullum certum & perpetuum locum Arca habebat. Ideo facit populum precari, *Surge ô Iehouah*, nimirum migraturus è Gibeon, & recepturus te in quietem tuam, id eſt locum perpetuæ ſuæ quieti deſtinatum. Vnde templum Pſalmo 24, vocauit portas ſempiternas. Ibi quoq; dixi quàm multis in locis Arca fuerit, & quomodo tum demum fixam ſedem habere cœpit, quum Salomonico templo eſſet illata. In his autem adumbratam Eccleſiam Chriſti dixi ibidem, modò, & alibi.

8 *Surge ô Iehouah ad quietem tuam, tu & Arca roboris tui.*

9 *Sacerdotes tui induantur iuſtitia, & benigni tui ouent.*

10 *Propter Dauid ſeruum tuum, ne auertas faciem vncti tui.* Orat vt Deus fixam & certam tandem ſibi ſedem, nimirum quam illi ex cæleſti indicio parabat, maturè recipere dignetur. Quum autem Deus nuſquam verè habitet niſi vbi ritè colitur, precatur deinceps *Sacerdotes indui iuſtitia*, hoc eſt veſtimentis ſacerdotalibus, iuſtitiam verè ſignificantibus: quod tum erat quũ ipſi Sacerdotes iuſtitiæ ſeriò ſtudebant. Per *deditos bonitati*, quibus precatur ouationem, Hebræi intelligunt Leuitas, qui ſacris incumbebant cantionibus & modulationibus. Sed malim intelligere

totum Iiſraelem laudibus Dei exultantem. Quia verò hæc per filium præuidebat (quantum quidem ad externa attinet) Chriſtiani regni præludia perficienda, dictat conſequenter precem populo, pro regni Salomonis ſtabilitate, imò aduétu regni Chriſti. *Propter Dauidem ſeruum tuum, ne auertas faciem uncti tui:* hoc eſt ne reiicias precem eius. Hunc loquendi modum habet Scriptura cum aliàs, tum 1. Reg. 2. d. 20: vbi Batſhaba deprecans petitionis ſuæ repulſam, dixiſſe filio memoratur, Ne auertas faciem meam. Suſcipere enim faciem, Scriptura pro honorare dicit.

11 *Iurauit Iehouah Dauidi veritatem non recedet ab eo: De fructu uentris tui ponam ſuper ſolium tuum.*

12 *Si cuſtodierint filij tui fœdus meum, & teſtimonium meum quod docebo eos: etiam filij eorum uſque in ſeculum ſedebunt ſuper ſolium tuum.*

13 *Quia elegit Iehouah Siion, concupiuit eam pro ſedem ſibi.*

14 *Hæc requies mea in ſeculum ubi habitem, quia concupiui eam.* Iſta omnia leguntur 2. Regũ 7: & 1. Paralip 17. Memorauit ea & Salomon in ſua publica illa precatione, 3. Reg. 8. Canitur quoque Pſalmo 89. Quum autem in terrena Siion Deus beneuolentiæ ſuæ ſedem haudquaquã perpetuò habuit, ſatis apertè indicatur, Pſaltem ad ſpiritualem Siion in his reſpexiſſe, nempe Eccleſiam Sanctorum, in qua ſempiternam manſionem ſibi facit Pater & Filius.

15 *Cibum eius ſingulari beneuolentia augebo, inopes eius ſatiabo eo.* Regnum Dei quærentibus adiici cætera omnia oportet. Inducit ergo commodùm nunc Vates Deum, poſtquã numinis ſui præſentiam in Siion pollicitus eſt, polliceri & vberem prouentum rerum, quæ ad ſuſtentandã præſentem vitam requiruntur: vt pauperes, quorum præcipuè curam habet, qualéſque ſolent ferè mundo eſſe filii Dei, nulla re egeant.

16 *Et Sacerdotes eius induam ſalute, & benigni eius ouatione ouabunt.* Quod verſu nono precatus eſt, id inducit hic Deum polliceri. A religione pendet omnis fortuna populi Dei. hæc verò ſalua eſſe non poteſt niſi Sacerdotes eius, hoc eſt præfecti religionum, Doctrinæque ſacræ adminiſtri amiciantur ſalute, vt omni vita & doctrina nihil niſi ſempiternam ſalutem præ ſe ferant & exhibeant: quod eſt & iuſtitiam eſſe indutos. Qui enim iuſtitia veſtitus eſt, is & ſalute amictus rectè dicitur: quum ſalus noſtra aliud non ſit quàm iuſtitia conſummata. Similis loquendi forma eſt & Ieſchaiah 61. d. 10, Induit me veſtimentis ſalutis, id eſt ipſa ſalute, quaſi veſte, circundedit me. Vbi autem ſic iuſtitia & ſalute ornati ſunt Sacerdotes, ibi populus bonitati ſtudet, ita vt ſumma Legis eſt, proximum ſolidè diligere.

17 *Ibi faciam florere cornu Dauidis, parabo lucernam uncto meo.*

18 *Inimicos eius induam pudore, & ſuper eum florebit ornamentum eius.* Canit hîc, perpetuò in Siion regnum Dauidis floriturum: quod in eo præſtitum eſt, quòd vſque ad Chriſtum cornu Dauidis ſemper germinauit, ac lucerna ipſius perpetuò luxit: hoc eſt, ſemper ex poſteris eius fuerũt qui in populo Dei regnarent, & poſt illos Chriſtus in vera Siion regnum adminiſtrat abſque fine. Vocat verò & alibi Scriptura poſteritatẽ Dauidis in regno, lucernã, nempe 3. Reg. 11. f. 36, 15. a. 4: & 2. Paral. 21 b. 7. Superſtes ſiquidem eſt in poſteris vita & decus maiorũ. hinc dicitur horum lucerna in illis lucere. Regiam dignitatem florituram in poſteris canit, quum ait *floriturum diadema eius.* Hoc enim capitis ornamento, quod alii Cidarim, alii Citarim dicũt, intellexit decus regni. Hæc omnia in vno Chriſto completa, nemo eſt veritatis compos qui dubitet. Docemur hoc Pſalmo ſtudium inſtaurandi Eccleſiam Chriſti.

PSALMVS CXXXIII, [illegible]

ARGVM. *Commendat concordiam fratrum.*

PARAPH. 1 CArmen Maæloth Dauidis. En quàm optabile & iucundum, cohabitare fratres, & vnanimes.

2 Sicut vnguentum illud optimum quod capiti infuſum defluit in barbam, barbam Aharon, in os veſtimentorum eius:

3 Sicut ros qui deſcendit in Hermon, qui deſcendit in montes Siion: nam illic exhibet Iehouah beneficentiam, & vitam per ſecula.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *CAnticum Maæloth Dauidis Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres etiam ſimul.*

2 *Sicut unguentum bonum ſuper caput, deſcendens ſuper barbam, barbam Aharon, quod deſcendit ſuper os ueſtimentorum eius.* Iudæi de coniunctione & cõcordia Principum & Sacerdotum, vel Sacerdotum inter ſe, dictum Pſalmum hunc putant: ſed verius intelligitur de omnibus renatis Spiritu ſuperno, inter quos ſolos iuſta viget fraternitas, qua vtique nihil eſt optabilius, nec amœnius: rectéque confertur vnguento illi pretioſiſſimo quo ſoli Sacerdotes, quos Aharonis nomine intelligit, & inſtrumentum Tabernaculi inungebantur. De eo legimus Exod. 30. e. 23. Id effuſum,

odorem ſuum potiſſimum ſpargebat. Ideo deſcribit illud primùm in caput effundi, inde diſtillare in barbam, ac etiam in os veſtimentorum.

3 *Sicut ros Hermon qui deſcendit ſuper montes Sijon: quia ibi mandauit Iehouah beneficentiam: vitam uſque in ſeculum* Altera ſimilitudine rem hanc verè Diuinam commendat, roris fœcundantis montem maximè paſcuoſum Hermon, item montes, id eſt montana Siion. *Ros* in hoc verſu repetendus eſt, ſicut ſæpè vna dictio duobus locis ſeruit. Rationem cur tam eximiè laudet fratrum cohabitationem ſubiicit: Deum illic vbi ſic fratres vera inter ſe cōcordia viuunt, præcepiſſe adeſſe ſuam beneficentiam, & vitam, vtique beatam & perpetem: ea enim ſola vita iure dicitur. Nihil etenim eſt quod Deus prius à nobis atque ſynceram fraternitatē requirat, nec quo æquè oblectetur. Vnde id vltimum atque ideo præcipuum omnium, ſuis Chriſtus à Patre orabat, aditurus ſupplicium. Solent ex hoc Pſalmo commendari quæ vulgò inſtituuntur fraternitates ſub auſpiciis Diuorum, ac etiam quos vocant ordines fratrum. Sed laudantur hîc qui fraternitatē colunt in Deo, & eam non nomine tantùm, ſed viua & ôperoſa φιλαδελφίᾳ: non cōmeſſationibus, ſplendidiſque pompis, ſed omni ſtudio virtutum. Veris enim & ſāctis delectatur Deus, quia ipſe veritas eſt & ſanctitas. Ioh.17.d.21

PSALMVS CXXXIIII, προτρεπτικὸς καὶ εὐκτικός.

Inuitat ad preces laudéſque Dei fundendas & decantandas, etiam noctu. ARGVM.

1 CArmen Maæloth. En laudate Iehouam cūcti ſerui Iehouæ: qui perpetuò PARAPH.
apparetis in domo Iehouæ per noctes.
2 Attollite manus veſtras ad Sanctum, & laudate Iehouam.
3 Benefaciat tibi Iehouah è Siion, qui finxit cælos & terram.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 C*Anticum Maæloth. Ecce prædicate Iehouam omnes ſerui Iehouæ: qui ſtatis in domo Iehouæ in noctibus.* Non ex Leuitis ſolùm, quorum partes erant in domo Iehouæ excubias agere, ſed etiam ex reliquo populo plerique erant qui dies noctéſque templo adhærebant: quos dicit Scriptura ſtantes in domo Domini. Ii nocturno quoque tempore precibus & hymnis incumbebant, vt nullum ſanè ad hoc tempus magis idoneum eſt. Id ſtuduiſſe ſanctiores, & ex verſu 3 Pſalmi 92: item octonario 19 Pſalmi 119, cōiectura eſt: ad hæc ex Euangelio quod memorat Annam laudatam illam viduam, nocte quoque precibus in templo operam dediſſe. Luc.2.f.37.

2 *Attollite manus veſtras [ad] Sanctuarium, & prædicate Iehouam.* Per *Sanctuarium* Arcam fœderis intellexit, è qua ſe Dominus reſpōſurum ſuis promiſerat. Ea Chriſti typus fuit: quare de Chriſto hoc multo rectius intelligitur, ad quem attollimus manus, quum per ipſum à Patre audiri & iuuari, vnicum noſtrum mediatorem, aduocatum, & ſeruatorem petimus atque ſperamus.

3 *Benefaciat tibi Iehouah ex Sijon, factor cælorum & terræ.* Hic verſus precatio eſt Sacerdotum, aut etiam Pſaltis: qua cuilibet Deum ex animo colenti precantur fauorē & beneficentiam Dei è *Sijon*: hoc eſt cœtu Sāctorum, in quo Deus ampliſſima ſanè beneuolentia ſuam præſentiam teſtatur. Adiicit illud, *Factor cælorum & terræ*: volens eo & Deum magnificè celebrare, & in ſpem bonitatis eius dignúmque cultum quoſlibet excitare.

PSALMVS CXXXV, προτρεπτικὸς καὶ ἐπαινετικός.

Inuitat ad laudes Dei. Potentiam eius ex factis, tum iis quæ paſſim deſignat, quàm quibus peculiariter Iiſraelem euexit, deprædicat: indéque populo credenti, opem eius pollicetur, riſis idolis atque illorum cultoribus. Rurſus ad celebrandum Deum Sanctos cuiuſque ordinis hortatur. ARGVM.

1 LAudate Exiſtentem. Laudate nomen Iehouæ, laudate ſerui Iehouæ. PARAPH.
2 Qui in domo Iehouæ perpetuò apparetis, in atriis domus Dei noſtri.
3 Laudate Exiſtentem, nam beneuolus eſt Iehouah: canite nomini eius, nam decorum eſt.
4 Nam elegit ſibi Exiſtens Iaacob, Iiſraelem in peculium ſuum.
5 Nam cognoui quòd magnus ſit Iehouah: & Deus noſter maior cunctis diis.
6 Quæcunque collibuit Iehouah fecit, in cælis & in terra, in maribus & cunctis abyſſis.
7 Qui ſubuehit nubes ab extrema terra, facit fulgetra emicare cum pluuia, educit ventos è theſauris ſuis.
8 Qui percuſſit primogenita AEgypti, tam hominum quàm pecorum.
9 Emiſit ſigna & portenta in mediam AEgyptum, contra Pharaonem & cun-

ctos ſeruos eius.

10 Qui percuſſit gentes maximas,& occidit reges prævalidos.

11 Sihon regem Amorrhæum,& Og regem Baſchan, cunctáque regna Chenaã.

12 Dedítque terrã illorum in hæreditatem, in hæreditatem Iiſraeli populo ſuo.

13 Iehouah nomen tuũ extat in ſecula, Iehouah memoria tua in cunctas ætates.

14 Nam vindicabit Iehouah populum ſuum, & ſeruis ſuis ſatur pœnarum placabitur.

15 Figmenta Gentium argentum & aurum, opus manuum hominis.

16 Os illis,& non loquuntur:oculi eis,& non vident.

17 Aures illis,& non audiunt:nec quidem eſt ſpiritus in ore eorum.

18 Illis pares ſunt qui faciunt ea,quíque nituntur eis.

19 Domus Iiſrael laudate Iehouam,domus Aharon laudate Iehouam.

20 Domus Leui laudate Iehouam: qui colitis Iehouam,laudate Iehouam.

21 Laudetur Iehouah è Siion,qui præſidet Ieruſalem. Laudate Exiſtentem.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Laudate Iah,laudate nomen Iehouæ,laudate ſerui Iehouæ.*

2 *Qui ſtatis in domo Iehouæ,in atrijs domus Dei noſtri.* Peculiares Dei cultores,quos vocat ſeruos Dei, vt & Pſalmo 113, item qui in templo perpetuò adorant, quos vocant ſtantes in domo Dei, vt & Pſalmo proximè præcedenti (ii erant Sacerdotes, Leuitæ, ac alii ſanctiores homines) inuitat ad celebrandas laudes Dei.

3 *Laudate Iah,quia bonus Iehouah:pſallite nomini eius,quia iucundum.*

4 *Quia Iah elegit ſibi Iaacobum,Iiſraelem in peculium ſibi.*

5 *Quia ego noui quòd magnus Iehouah,& Dominus noſter præ omnibus diis.* Cauſas cur laudare Deum tãtopere debeant, ſubiicit. Primùm quòd Deus beneuolus ſit,& decoro amabilíque nomine. Cuncta nãque eius opera bonitatem eius deprædicant,noménque ipſi faciunt indicibili popularitate celebre atque plauſibile. Deinde quòd ſibi Iiſraelem in peculiarẽ populum ſelegit,cui præcipuè bonitatẽ ſuam cum beneficio Legis,tum aliis innumeris exhiberet:maximè autem Spiritu quo corda eorum afflans,facit amare quæ recta ſunt & ſalutaria. Poſtremò quòd eſt potẽtiæ adeò immenſæ,qua nimirum cunctos deos,id eſt quicquid potentiæ eſt rarioris,infinitò antecellit.

6 *Omne quod libet id facit Iehouah in cælis & in terra,& in maribus,& [in] omnibus abyſſis.*

7 *Attollit exhalationes à fine terræ,fulgura cum pluuia facit,educit ſpiritum è theſauris ſuis.* Hanc prædicat primùm verſu 6,ab eo quòd ſolus facit quæcũque libet in cælis,terra,mari,fluminib',& lacubus. Nã per *abyſſos*,videtur alta flumina atque lacus ſignificare. תהמות enim ſignificat loca altitudinis ingentis. Vnde in Pſalmo 71.d.20 dicuntur מתהמות הארץ id eſt abyſſi terræ. Ex iis autẽ quæ Deus miranda facit in cælis,terra,mari,fluminibus,& lacubus,memorat verſu 7,nubes,pluuiã,fulgura,& vẽtos. Nubes,quum dicit Deum *ſubuehere illas ab extremo terræ*. Id Kimhi de mari intelligit,eo quòd ex illo maximæ exhalationes ſurſum ferantur. Sed etiam à terra aſcendunt: à ſicca quidem,quæ in fumum conformatæ gignunt ventos, flatus, tonitrua, fulgura, turbines, fulmina, & id genus:ab irrigua verò,humidæ,è quibus oriũtur nebulæ, rores & gelu omne genus,nubes,pluuiæ, niues & grandines. Inde legitur Gene.2.a.6,Et aſcendebat è terra nubes. Vnde intelligit A.Ezra, per extremum terræ, quemlibet terræ locum: vt *ab extremo terræ* nihil aliud ſit quàm ab extrema & vltima terra:quæ ſic vocatur propter immenſam à cælis diſtãntiam. *Fulgetra pluuiæ* iungit propter miraculum naturæ pugnantis, quòd nimirum ignis fulgurum,ab aqua pluuiæ non extinguitur. Videntur ſæpe ampliſſima fulgetra inter largiſſimos nimbos emicare. *Ventos* canit
Iohan.3.a.8. Deum educere è reconditoriis ſuis,propterea quòd ſint inuiſibiles,& neſciamus (vt Seruator dicebat) vel vnde veniant, vel quò eant, audientes interim fremitum illorum.

8 *Qui percuſſit primogenita AEgypti,ab homine uſque ad pecus.*

9 *Emiſit ſigna & portenta in medio AEgypti,in Pharaonem & in omnes ſeruos eius.*

10 *Qui percuſſit Gentes magnas,& occidit Reges validos.*

11 *Sihon regem Amorrhæum,& Og regem Baſchan,& omnia regna Chenaan.*

12 *Et dedit terrã eorum hæreditatem,hæreditatem Iiſraeli populo ſuo.* Prædicat Dei potentiam ab iis quæ fecit peculiariter pro Iiſraele. Quæ pro illis fecit in AEgypto, vltima plaga memorat verſu 8, perſtringit ſũmatim verſu 9. Quæ verò cum excisis indigenis, quòd tradidit illis regiones Che-

naan,ſummat verſu 10,11,& 12,mentione nominatim facta cædis Regum Sihon,& Og,quam legis Nume.21:eo quòd primæ & inſignes fuerunt.

13 *Iehouah nomen tuum in ſeculum,Iehouah memoria tua in generationem & generationem.*

14 *Quia Iehouah uindicabit populum ſuum,& ſuper ſeruis ſuis conſolabitur.* Eo quod canit verſus 13,nomen Dei extare in ſecula,&c.ſignificat miracula quibus & poſtea populum ſuum à variis tyrannis liberauit:quæ canit liber Iudicum & Regum. Inde ergo colligit & deinceps eum Iiſraeli adfuturum,illúmque aſſerturum rurſus in libertatem,poſtquam ſatis pœnarum de impietate eius ſumpſerit.Fingit ſiquidem Scriptura Deum per anthropopathiam moleſtè habere,& dolore affici quum impietate hominum irritatur:atque ideo facit eum conſolari & recreari,dum illorum impietatem vlciſcitur,ſicut irato voluptatem affert ſumpta de eo cui iraſcitur pœna.Hoc tropo vſus Ieſchaiah inducit Deum, quum minati illum facit populo ſcelerato vltionem,ſic loquentem,Eia ſolabor me de infeſtis mihi,&vlciſcar de inimicis meis,Ieſch.1.f.24.Intelligit enim pœnas impiorum fore Deo ſolatio. Voluit ergo Vates hoc loco dicere futurum vt Deus aliquando ſatiatus malis populi ſui,& ſolatio pœnarum quas de eo ſumeret,iterum placatus,à tyrannis ipſum & ſæuis Gentibus quibus eum permiſerat,liberet,ſicut & antea tam magnificè & benignè pro eo aſſerendo, manum ſuam excruiſſet. Eſt hic verſus ad verbum ſumptus ex cantico Moſcheh, Deutero.32.e.26.Hinc itaque coniectura eſt,hunc Pſalmum poſt exilium Babylonicum eſſe compoſitum.

15 *Idola Gentium argentum & aurum,opera manuum hominis.*

16 *Os illis,& non loquentur.oculi illis,& non uidebunt.*

17 *Aures illis,& non audient.etiam non eſt ſpiritus in ore eorum.*

18 *ſicut illa erunt qui faciunt ea,omnis qui fidit in eis.* Irridet & idola & eorum cultores, vt & Pſalmo 116,vbi ad verbum eadem habentur,& explicata ſunt.

19 *Domus Iiſrael prædicate Iehouam:domus Aharon prædicate Iehouam.*

20 *Domus Leui prædicate Iehouam:timentes Iehouam,prædicate Iehouam.*

21 *Laude dignus[eſt]Iehouah è Sijon.qui habitat Ieruſalem.Laudate Exiſtentem.* Sicut Pſalmo 116,poſt irriſam inanitatem idolorum ad fidendum Deo, ita hîc hortatur ad prædicandum Deum:primùm Iiſraelem in genere, deinde peculiariter Sacerdotes, Leuitas, & quoſque Deum timentes. Verſu vltimo ait, *Laudetur Deus è Sijon*: inde enim, vt ſæpe dictum,præcipuè bonitatem ſuam exhibuit, & hodie è ſolo Sanctorum cœtu eam præſtat. Nuſquam enim ita præſens habitat atque in Ieruſalem Eccleſia credentium.

PSALMVS CXXXVI, εὐχαριστικὸς καὶ ἐπαινετικός.

Inuitat ad laudes Dei: atque ut ad eas accendat, quæ & in creatione orbis, & poſtea in uindicatione Iiſraelis miracula exhibuit,memorat. ARGVM.

1 CElebrate Iehouam, nam beneuolus eſt : nam extat in ſempiternum bonitas eius. PARAPH.

2 Celebrate Deum deorum:nam extat in ſempiternum bonitas eius.

3 Celebrate Dominum dominorum : nam extat in ſempiternum bonitas eius.

4 Qui patrat miracula magna ſolus:nam extat in ſempiternum bonitas eius.

5 Qui ingenio fecit cælos:nam extat in ſempiternum bonitas eius.

6 Qui expandit terram ſuper aquas:nam extat in ſempiternum bonitas eius.

7 Qui fecit lumina magna:nam extat in ſempiternum bonitas eius.

8 Solem vt præeſſet diei:nam extat in ſempiternum bonitas eius.

9 Lunam & ſtellas vt præeſſent nocti: nam extat in ſempiternum bonitas eius.

10 Qui percuſſit AEgyptios in primogenitis eorum:nam extat in ſempiternum bonitas eius.

11 Et eduxit Iiſraelem è medio illorum:nam extat in ſempiternum bonitas ei⁹.

12 Per manum potentem,& brachium extētum:nam extat in ſempiternum bonitas eius.

13 Qui ſecuit mare caricoſum in ſectiones:nã extat in ſempiternũ bonitas ei⁹.

14 Et traduxit Iiſraelem per medium eius: nã extat in ſempiternũ bonitas eius.

15 Et proſtrauit Pharaonem , & exercitum eius in mari caricoſo : nam extat in ſempiternum bonitas eius.

16 Qui duxit populũ ſuum per deſertum:nam extat in ſempiternũ bonitas eius.
17 Qui percuſſit Reges magnos:nam extat in ſempiternum bonitas eius.
18 Qui occidit Reges inſignes:nam extat in ſempiternum bonitas eius.
19 Sichon Regem Amorrhæum:nam extat in ſempiternum bonitas eius.
20 Et Og regem Baſchan:nam extat in ſempiternum bonitas eius.
21 Et dedit terram eorum in hæreditatẽ: nam extat in ſempiternũ bonitas eius.
22 In hæreditatem Iiſraeli ſeruo ſuo:nam extat in ſempiternum bonitas eius.
23 Qui quum deiiceremur memor fuit noſtri: nam extat in ſempiternum bonitas eius.
24 Et aſſeruit nos ab infeſtis nobis:nam extat in ſempiternum bonitas eius.
25 Qui dat cibum omni animanti:nam extat in ſempiternum bonitas eius.
26 Celebrate Deum cælorum:nam extat in ſempiternum bonitas eius.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Celebrate* Iehouam *quia bonus:quia in ſeculum bonitas eius.*
2 *Celebrate* Deum *deorum:quia in ſeculum bonitas eius.*
3 *Celebrate* Dominum *dominorum:quia in ſeculum bonitas eius.* Quæ hîc Pſaltes canit, cecinit & ſuprà Pſalmo 104,& 105,ac iam proximè præcedenti. Hortatur laudare Deum à bonitate, qua omnia vt & potentia ſuperat. Quod autem vocat *Deum deorum*,& *Dominum dominorum*, monet vt in iis quos ſumma poteſtate pollere videmus,aliquam potentiæ Dei cum ſumma bonitate coniunctæ imaginem concipiamus.
4 *Eum qui fecit mirabilia magna ſolus:quia in ſeculum bonitas eius.*
5 *Qui fecit cælum in intellectu:quia in ſeculum bonitas eius.*
6 *Qui expandit terram ſuper aquas:quia in ſeculum bonitas eius.*
7 *Qui fecit lumina magna:quia in ſeculum bonitas eius.*
8 *ſolem ut præſit diei:quia in ſeculum bonitas eius*
9 *Lunam & ſtellas ut præſint nocti:quia in ſeculum bonitas eius.* Omnia opera Dei ſic ſunt vt mirari ſatis nequeant:præcipua tamẽ ex his & omniũ oculis expoſita Vates Sanctorum offert cõſiderationi,vt ad ſtudium laudis Dei inflãmet. Quod verſu 5 canit Deum *cælos feciſſe cum intellectu*,idem eſt quod ſingulari ingenio ſeu arte: propterea quòd in illis mirãdum magis quàm aliis in rebus artificium eius relucet. De expanſione terræ ſuper aquam,dixi in verſu 2. Pſalmi 24,& alibi. Quòd die, ſoli:nocte,lunæ & ſtellis dominium tribuit, ad imitationem Sacræ hiſtoriæ factũ eſt,præcellentiam luminis,dominium vel moderatricem poteſtatem vocantis.
10 *Qui percuſſit* AEgyptum *in primogenitis eorum quia in ſeculum bonitas eius.*
11 *Qui eduxit* Iiſraelem *è medio eorum:quia in ſeculum bonitas eius.*
12 *In manu valida,& brachio extento:quia in ſeculum bonitas eius.*
13 *Qui diuiſit* Mare *caricis in diuiſiones:quia in ſeculum bonitas eius.*
14 *Et traduxit* Iiſraelem *per medium eius:quia in ſeculum bonitas eius.*
15 *Et proiecit* Pharaonem *& exercitum eius in* Mari *caricis:quia in ſeculum bonitas eius.* Vt ſuperiori Pſalmo memoriam portentorũ quæ Deus in AEgypto pro populo ſuo fecit excitat,memorato eo quod vltimum fuit,cæde ſcilicet primogenitorũ. Verſu 12 vocat *manum potentem*,& *extentum brachium*,inuictam illam & admirandam potentiam Dei,qua per tot portenta domita AEgypto,ac tandem Rege eius cum omni exercitu ſubuerſo,populum ſuum illorum tyrannide aſſeruit. Ad verſum 13 ſcribunt Thalmudici,Mare caricoſum in duodecim ſectiones fuiſſe ſectum,vt ſingulæ tribus ſuas vias haberent. ſed non eſt vnde id probent. Probabilius igitur eſt, dixiſſe hic Pſaltem ſectiones propter latiſſimum ſpatium quod mare ſectum dedit tranſituro Iiſraeli.
16 *Qui deduxit populum ſuum per deſertum:quia in ſeculum bonitas eius.*
17 *Qui percuſſit* Reges *magnos:quia in ſeculum bonitas eius.*
18 *Et occidit* Reges *præſtantes:quia in ſeculum bonitas eius.*
19 Sichon *Regem* Amorrhæum*:quia in ſeculum bonitas eius.*
20 *Et* Og *Regem* Baſchan*:quia in ſeculum bonitas eius.*
21 *Et dedit terram eorum in hæreditatem:quia in ſeculum bonitas eius.*
22 *Hæreditatem* Iiſrael *ſeruo ſuo:quia in ſeculum bonitas eius.* Eadem Pſalmo ſuperiori cecinit. Miraculorum quæ Deus pro populo ſuo fecit toto tempore quo per deſertum eos deduxit, admonet verſu 15. Reliquis refricat memoriam virtutis pro eis exertæ cõtra inhabitatores terræ,quam exactis indigenis Deus ipſis donauit in poſſeſſionem hæreditariam. Et paſſim ſolet Scriptura ex

memorata operum,beneficiorũ,atque etiam iudiciorum parte aliqua,animum in conſideratio-nem omniũ quæ quidem ipſa memoriæ tradidit, ſubducere. Notat verò liberationes varias ab hoſtibus quos Iiſrael perpeſſus eſt,iam agẽs in terra Chenaan, quæ memorãtur lib. Iudi.& Reg.

23 *Qui noſtri in deiectione noſtra memor fuit:quia in ſeculum bonitas eius.*

24 *Et redimet nos à coartatoribus noſtris: quia in ſeculum bonitas eius.*

25 *Qui dat eſcam omni carni:quia in ſeculum bonitas eius.*

26 *Celebrate Deum cælorum: quia in ſeculum bonitas eius.* Redit ad celebrandam Dei bonitatem in animãtes vniuerſas.Ad ſingulos verſus adiicitur, *nam in ſempiternum extat bonitas eius.* Huius nanque nunquam finituræ Dei in ſuos bonitatis, ſingula Dei beneficia admonent, fidémque hanc confirmant:maximè verò tam præclara & inſignia,vt eſt machina cælorum & terræ:tum facta Iiſraeli portenta.Quæ ſiquidem Iiſraeli Deus miracula exhibuit,in hoc exhibuit vt in illis Sancti vniuerſi,ad finem vſque præſentis ſeculi diſcerent,& admonerẽtur quàm ſit potens Deus & bonus.Id enim agnouiſſe,ita timorem & amorem eius acuit,vt nihil ſit quod ad omnem pietatem promouendam æquè ſit efficax.Natura ſiquidem ita comparati ſumus, vt eum ſummè metuamus& colamus,penes quem ſupremã eſſe poteſtatem agnoſcimus:maximè item amemus,quem ſcimus bonitate cũcta excellere.Proinde decebat hæc,ſicut in Pſalmis & aliis Sacris libris identidem inculcantur,ita nunquam non verſari ob oculos.

PSALMVS CXXXVII, θρηνητικὸς ἢ κατευχητικός.

Diuini Pſaltæ memorant Babylonios poſtulaſſe à ſe captiuis carmina,ſe autem ſuſpenſis citharis, abiurataque omni lætitia,perpetuò vaſtatione in Ieruſalem luxiſſe.Deinde,talionẽ orant, primùm AEdomitis,Babylonios per ſe abundè ſæuientes,magis incitantibus:deinde ipſis Babyloniis,qui nihil ad ſummam crudelitatem fecerant reliquum. ARGVM.

1 AD flumina Babylonis conſedimus,& fleuimus dum recordaremur Siion. PARAPH.
2 Ad ſalices illic ſuſpendimus citharas noſtras.
3 Quum ibi qui nos ceperant, carmina à nobis poſcerent, dicerẽntque, quum ſuſpendiſſemus organa lætitiæ,Canite nobis de cantilenis Siion:
4 Ecquomodo cantabimus carmen Iehouæ in terra aliena?
5 Si tui ô Ieruſalem,fuero oblitus,obliuiſcatur artis ſuæ dextera mea.
6 Hæreat lingua mea fauci meæ,ſi non tui meminero:ſi Ieruſalem non omni lætitiæ meæ præpoſuero.
7 Memor ſis ô Iehouah filiorum AEdom,dicẽtium die vaſtationis Ieruſalem, Nudate,nudate ad fundamentum vſque in ea.
8 O Vrbs Babel, meritò vaſtanda, beatus erit qui ea tibi rependerit quæ tu rependiſti nobis.
9 Beatus qui apprehenſos infantes tuos alliſerit ad ſaxa.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *AD flumina Babylonis illic ſedimus,etiam fleuimus dum memores eſſemus Siionis.*

2 *Ad ſalices in medio eius ſuſpendimus citharas noſtras.* Memorat Sacra hiſtoria cum Rege Iehoiacim abductos à Ieruſalem in regionem Babyloniorum omnes Principes & viros præſtãtiores, relicta tantùm paupere plebe,quæ & ipſa poſtea ſub Sedekiah auecta eſt,templo incenſo,& vrbe diruta.Inter hos,Sacerdotes fuerũt atque Leuitæ,ſacrique Cãtores. Eos inducit hîc Pſaltes queri, Babylonios Sacra carmina à ſe poſtulaſſe, quũ nihil ipſis quàm deflere Vrbis ſanctæ excidiũ libêret,ſuſpenſis ad ſalices organis ſuis:apud flumina enim agebant.Irrigatur ſiquidem, vt ſcribit Strabo libro 16, regio Babyloniorum multis fluminibus, quorum maxima ſunt Tigris,& Euphrates. Hinc & Iehezekel memorat, ſe & populũ ſimul exulantem deſediſſe ad flumen Chebar.Hinc autem horum luctus exemplũ eſt deſiderii profectus Eccleſiæ . deſolata nanque Siion, & exulante inter Gentes populo, omnis cura religionis interibat: id Sanctis nomen Dei ſanctificari ante omnia expetentibus, non potuit non vnicè dolere, facilè alioqui laturi exilium.

3 *Nam ibi poſtularunt nos qui nos ceperant,verba cãtici,& ſuſpenderamus lætitiam,Canite nobis de canticis Siion.*

4 *Quomodo cantabimus cãticum Iehouæ in terra alienæ?* Memorant inſultationem hoſtiũ, afflictis afflictionem addentiũ,qui carmina Sacra,vel per ludibriũ, vel vt Belſhaſar Sacra vaſa cõuiuio ſuo iubebat inferri, ex ingenti ſuperbia poſcebãt: vt qui ſe iam iis carminibus oblectari dignos putarẽt,quibus fuerat laudatus Deus. Verſus 3 nõnihil obſcuritatis habet ex verbo תוללינו, quod pro תלינו poſitum eſt:id ſuſpendere ſignificat.Quidam id accipiunt pro ילליתינו, id eſt vlulatu noſtro.Quem certiorem agnoſcere ſenſum potui,cum reddidi:aliorum,ſed Linguæ proprietatem

probè expendentium ſit iudicium. Id ſatis liquet, dicere Vatem voluiſſe, poſtulaſſe hoſtes Sacra carmina, quum ipſi nihil niſi flere poſſent ruinas Sacræ vrbis, & ſuſpendiſſent iam organa lætitiæ. Verſus 4 habet horum reſponſionem, *Se non poſſe in terra aliena canere carmina Iehouæ*: quo ſignificarunt, non licere ſanctum obiicere canibus, & margaritas ſpargere porcis. Alioqui vbi ſunt Deum timentes, ibi terra Dei eſt, decétque Sacras cantiones modulari. Sed iſti Babylonii tantùm ad ridenda Sacra, & vt victis dolorem augerent, Sacras cantilenas poſcebant.

5 *Si obliuiſcar tui Ieruſalem, obliuiſcatur dextera mea:*

6 *Adhæreat lingua mea faucı meæ ſi non fuero memor tui, ſi non adduxero Ieruſalem ſuper caput lætitiæ meæ.*

Inducit Vates ſacros Cantores abiurare omnia læta cantica, & luctui pro Ieruſalem ſeſe prorſus addicere. Quum autem in verſu 5 dicunt, *Si obliuiſcar tui ô Ieruſalem, obliuiſcatur dextera mea*, aliquid ſubaudiendum eſt. Iam quum mox ſequenti verſu imprecantur ſibi *ut lingua hæreat fauci*, ſcilicet ne quicquam canere vel loqui etiam queant, videtur ſanè hoc verſu imprecatos ſibi eſſe ne poſſent tangere citharam: rectè igitur ſubaudietur Artis ſuæ, vel Tãgere citharã, aut quid ſimile. Quod præterea in verſu 6 dicunt, *Si non propoſuero capiti lætitiæ meæ Ieruſalem*: idem eſt atque ſi dixiſſent, Omni lætitiæ prætulero luctum pro Ieruſalem: & ſi non illa ſemper ob oculos verſabitur quandocunque ſe lætitiæ occaſio ingeſſerit: vt antequam lætari incipiam, luctũ & fletum mihi excitet memoria Ieruſalẽ miſerè adeò vaſtatæ. Promiſſum illis erat reuerſuros ad ſua exactis LXX annis, & Vrbem ac templum reædificaturos: huc ergo animus Sanctoiũ ſic anhelabat, vt nulla prorſus eos, perſeuerantibus & populi exilio, & Vrbis ruinis, capere lætitia poſſet. Sentiebant iram Dei in impietatem populi meritò ſæuientem: videbant multos ſuorum inter Babylonios profaneſcere: qui nimirum præſentia, etſi impia, pietati ac futuris Dei beneficiis præferebant. Plurimi ſanè ita Babyloniis coaluerant, vt nollent poſtea, facta eis per Cyrum reuertendi poteſtate, in terram ſuam redire, qui inſignis Dei contemptus fuit, ac manifeſtum argumentum, eiuſmodi, Dei curam prorſus abieciſſe. Talem igitur animum Sancti fore à ſe alienum, iuramento affirmant.

7 *Memor ſis ô Iehouah filiorũ AEdom cum die Ieruſalẽ, qui dicunt, Nudate, nudate uſque ad fundamentum in ea.*

8 *Filia Babel illa vaſtata: fœlicia ei qui rependet tibi, retributiones quas retribuiſti nobis:*

9 *Fœlicia qui apprehenderit & illiſerit infantes tuos ad petram.* Precantur viciſſitudinem AEdomitis & Babyloniis illis, quòd quum fratres eſſent, & dolere Iiſraelis calamitatem debuiſſent: non lætati modò fuerant de horum excidio, ſed præterea incitauerant hoſtes vt radicitus Sanctam vrbem extirparent. *Diem Ieruſalem* verſu 7 diem vaſtationis eius intelligunt. Is loquẽdi modus, communis eſt & Gallis, *La iournee de Ieruſalem, La iournee de Rome*. Verſu 8 talionem precantur vrbi Babyloniorum: quam vocant more Scripturæ *filiam vaſtatam*, intelligentes meritò vaſtandam. Summam in populum Dei crudelitatem exercuerant Babylonii: viciſſim ergo & ipſis vaſtationem multo crudeliſſimã Sancti imprecantur, eámque eo ſignificant, quòd beatum pronuntiant qui iſtorum infantes illiſerit ſaxo. Eos collidendos prædictum legitur etiam Ieſchaiah 13. c. 16. Quæ autem verſu 7 de AEdomitis hîc perſtrinxit, fuſè legis apud Iieremiã cap. 49. Iehez. 25. fuſius tamen & explicatius in vaticinio Abadiah. illic ſic ſcribitur, Propter violentiam in fratrem tuum Iaacob, obteget te ignominia, atque excindêris in ſempiternum. In die quũ ſtares ex aduerſo, in die quo alieni caperent exercitum eius, & extranei venirent in portas eius, & ſortem de Ieruſalem mitterent, etiam tu eras ſicut vnus ex illis, &c.

PSALMVS CXXXVIII, [illegible]

ARGVM. *Celebrat Dei in ſe bonitatem, qui ereptum ſe cunctis periculis, in Regiam dignitatem fœliciſſimè euexerat: hinc canit & ſe gratias ei religioſè acturum, & cunctos Reges pariter laudes eius cantaturos, tum deinceps quoque adfuturam ſibi opem eius pollicetur.*

PARAPH. 1 DAuidis. Celebrabo te ex toto corde meo, coram diis te canam.

2 Supplicabo ad templum ſanctum tuum, & celebrabo nomen tuũ, propter bonitatẽ fidémque tuã: nam extuliſti ſuper omnia nomẽ tuũ, & verba tua.

3 Quo die inuocaui, tu annuiſti mihi, auxiſti me, roborata anima mea.

4 Celebrabunt te ô Iehouah, cuncti Reges terræ: nam audierũt decreta oris tui:

5 Et canent de inſtitutis Iehouæ, quòd ingens eſt decus Iehouæ.

6 Quòd celſus Iehouah reſpicit humilia, & quanuis ſublimis & remotus, cognoſci tamen facit iudicia ſua.

7 Si verſari contingat in media afflictione, viuificabis me: cõtra iram inimicorum meorum manum tuam extendes, & ſeruabit me dextera tua.

8 Iehouah perficiet pro me omnia, ô Iehouah, bonitas tua in ſempiternũ extat: non deſeras opera manuum tuarum.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 DAuidis. *Celebrabo te in omni corde meo, coram diis pſallam tibi.*
2 *Adorabo ad templum ſanctitatis tuæ, & celebrabo nomen tuum propter bonitatem tuam, & propter ueritatem tuam: quia magnum feciſti ſuper omnia nomen tuum, ſermonem tuum.* *Coram diis*, id eſt poteſtate præcellẽtibus, dicit ſe laudes Dei ex toto corde, maximo ſcilicet affectu deprædicaturum: volens ſignificare ſe in conuentu populi maximè celebri, vt in quo dii adeſſent, Deum ſe laudaturum. Sic & Pſalmo 107, per conſeſſum ſeniorũ, cœtum intellexit inſigniorem. In verſu 2 eſt pars vltima ambigui ſenſus. Quidam volunt eſſe hyperbati ſpeciem, quòd rectum huius orationis ordinem ſic habere putant, כי הגדלת שמך על כל אמרתך: id eſt, Quoniam magnificaſti nomen tuum propter omne verbum tuum: id eſt, Ex eo quòd quicquid vnquã promiſiſti tuis, tam abundè præſtas (vel in me magnificè declaraſti) redditur in primis celebre nomẽ tuum. Kimhi adducit aliquot huius *σχήματος* exempla: habes vnum & in Pſalmi ſequentis verſu 14, Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. Nimis enim, recto ordine coniungi debuerat cum Mirabilia. Alii legunt vt ego reddidi: quam lectionem ideo ſecutus ſum, quòd ſit viſa planior: attamen germaniorẽ affirmare non auſim, quòd prior haud aliena ſit à phraſi Scripturæ. *In templo* dicit ſe adoraturum, quia in illo cœtus Sanctorum cogebatur.

3 *In die [quo] inuocaui, & reſpondiſti mihi, auxiſti me in anima mea robore.* Cauſam cur tantopere celebrare nomen Dei cupiat, reddit verſu 3, nempe Deum inuocanti ſibi illico adfuiſſe, & ope ſua animam ſuam corroboraſſe.

4 *Celebrabunt te ô Iehouah cuncti Reges terræ, quia audierunt ſermones oris tui.* Canit hanc opem fuiſſe adeò ſplendidam, & magnificam, vt cuncti Reges terræ, vicinæ ſcilicet (ſic enim Scriptura, omnis terræ appellatione vti ſolet) Deum celebrarint. Ii Reges fuere, Hiram Rex Tyri, Toi Rex Hamath, ac alii nonnulli. Quum enim audiſſent quæ Deus Dauidi promiſerat præſtitiſſe tam ampliter, agnouerunt ſimul illum verè Deum eſſe, laudéſque eius deprædicarũt. אמרתך reddidi decreta, vt ita & promiſſa, & promiſſorum exhibitionem exprimerem. Vtrunque enim voluit hoc nomine Vates ſignificare.

5 *Et canent in uiis Iehouæ, quia magnum decus Iehouæ.*

6 *Quia excelſus Iehouah, & humilem uidet, & ſublimis à longe facit cognoſcere.* Memorat nũc quibus nominibus Reges ac populi Deum celebrarint. *Cantarunt*, inquit, *in uiis*, id eſt de factis & conſiliis, in quibus ſcilicet ingens decus & gloria ſummæ bonitatis & ſapiẽtiæ relucet, potiſſimũ verò in eo quòd ipſe, quãuis celſus, nẽpe inhabitans cælos, humilia tamẽ reſpicit & extollit quoq;, variiſque beneficiis declarat ſe curã eorũ gerere. Ex his certè Dauidẽ paſtorem ouiũ euexerat in Regẽ. Et quanuis ſublimis & longè ab hominibus agere videatur, nempe in cælis, *facit* tamen *cognoſcere*, nimirum iudicia ſua omnes mortales, erudiens & caſtigãs eos. Id quod verbũ ידע etiam ſignificat.

7 *Si ambulauero in medio anguſtiæ, uiuificabis me: ſuper iram inimicorum meorum mittes manum tuam, & ſeruabit me dextera tua.*

8 *Iehouah perficiet pro me, Iehouah bonitas tua in ſeculum: opera manuum tuarum ne remittas.* Ex eo quòd Dei opem tam magnificè fuerat expertus, iactat ſpem ſuam & in poſterũ: certus etiamſi per medias afflictiones graſſandum ac penetrandũ foret, inuocãti ſibi, Deum ſemper benignè reſponſurum, & ſua manu hoſtes retuſurum, ſeque ſeruaturum: ac denique pro ſe omnia cõfecturum, nec vnquam opus manuum ſuarum deſerturũ: ſe enim & omnem dignitatem ſuam, opera Dei agnoſcebat. Iure ergo ſperabat Deum ſui curam & cœptã erga ſe bonitatem nunquam remiſſurum, ſed potius intenturum. Id ſanè valet אל תרף.

PSALMVS CXXXIX, *διδακτικὸς καὶ διδασκαλικός.*

Canit ſua omnia Deo, qui ſe finxit, eſſe perſpecta & explorata, ubique ipſum adeſſe, & cuncta intueri, ideo deteſtari ſe impios, & ſtudere pietati. ARGVM.

1 PRæſuli, Oda Dauidis. Iehouah exploratum me habes, & cognitum. PARAPH.
2 Tu noſti ad quid ſedeam, ad quid ſurgam: quod cogitauero, id tu longè antè intelligis:
3 Ingredientem & cubantem circundediſti, omnéſque vias meas habes peruestigatas.
4 Nec enim parat lingua mea loqui verbum, quod non omne ô Iehouah antè noueris.
5 Poſteriora & anteriora in me finxiſti, & tuã formãdo mihi manũ admouiſti.

6 Huius cognitio implicatior mihi eſt,& ſublimior quàm vt queā illā cōſequi.
7 Quò ibo à Spiritu tuo,& quò fugiam à facie tua?
8 Si conſcēdam in cælos,illic es tu:ſi lectum ſtrauero mihi in inferno,en ades.
9 Si accipiam alas auroræ,agam in extremitate maris,
10 Etiam illic manus tua ducet me,& dextera tua tenebit me.
11 Dicam ergo,Tenebræ obtegent me:ſed nox quoque circum me lucida eſt.
12 Etiam tenebræ tibi nihil obtenebrant,& nox vt dies lucet: tenebræ & lux tibi perinde ſunt.
13 Nam tu renes meos poſſides,& me in vtero matris meæ conformaſti.
14 Celebrabo te propterea quòd viſendis rationibus mirum in modum formatus ſum:opera tua ſupra modum admiranda ſunt:id anima mea agnoſcit.
15 Te virtus mea non latuit quum fingerer in abdito:quū texerer in imis terræ.
16 Quum informis eſſem fœtus, oculis tuis videbas me: cuncta membra quæ per dies formata ſunt, velut in libro habebas deſcripta,quum adhuc ne vnum quidem extaret.
17 Quàm præclaræ mihi ſunt cogitationes tuæ,ô Deus,quàm ingētes ſunt ſummæ illarum!
18 Si volo illas numerare, ſuperant multitudine arenam: iſtis conſiderandis vſque inuigilo,& tecum ſemper hæreo.
19 O ſi perdas Deus improbos!viri ſanguinarii faceſcite à me.
20 Qui contra te ſceleſtè loquūtur,& contēptim de te verba faciunt,hoſtes tui.
21 Sanè odientes te,ô Iehouah,odio habui:& inſurgentibus contra te,indignor.
22 Conſummato odio odiui illos,tanquam mihi inimici fuiſſent.
23 Explora me ô Deus, & cognoſce cor meum:examina & cognoſce cogitationes meas.
24 Et vide ſi eſt mihi inſtitutum prauum,& deduc me in via ſempiterna.

1 P*Ræſuli,Dauidis Pſalmus. Iehouah exploraſti me,& noſcis.*
2 *Tu noſti ſedere meum & ſurgere meum:intelligis cogitationes meas à longe.*
3 *Iter meum & cubare meum cinxiſti,& omnes vias meas perueſtigaſti.*
4 *Quia non dictio in lingua mea, ecce Iehouah,noſti eam omnem.* Multa admodum ambigua habet hic Pſalmus.Quoad licuit,ſimpliciorem & germaniorem ſenſum ſequutus ſum:vbi hæſi, indicabo,& aliorum enarrationes adducam.Canit primùm Pſaltes in genere,ſua omnia Deo explorata & perueſtigata eſſe.Deinde quatuor hominis actiones ſeu vitæ partes enumerat ſub allegoria præcipuarum hominis motionum,vt ſunt,ſedere,ſurgere,ire,cubare. Claues allegoriæ adiicit in verſu 2,*Cogitationes meas noſti à longinquo.* Ergo per *ſedere,ſurgere,*&c.intellexit cogitationes & conſilia ſedendi,ſurgendi,&c.hoc eſt agendi, vel ceſſandi. Illud *à longinquo,* A. Ezra ad tempus refert, vt intelligas Vatem voluiſſe canere, pridem, antequam nobis in mentem veniant cogitata noſtra, illa haberi perſpecta Deo. Sic ſanè מרחוק & Hierem.31.a.3,accipitur מרחוק, id eſt pridē viſus eſt mihi Iehouah. Altera clauis huius allegoriæ eſt in verſu 3: *Cunctas vias meas,* id eſt actiones, perueſtigatas habes.Kimhi reddidit conſuetas hoc eſt maximè cognitas. זרית aliqui reddūt,euentilaſti, quod id verbū quoque ſignificat: ſed videtur magis præſenti loco quadrare, circūdediſti: in quo ſignificatu vſus eſt hoc verbo liber Exodi cap.25.c.24, & 30.a.3. Hactenus cecinit haberi Deo cognita cōſilia. Etiā verba noſtra,priuſquā nobis in linguā veniāt,Deo cognita eſſe canit verſu 4.
5 *A tergo & à fronte finxiſti me,& poſuiſti ſuper me volam tuam.*
6 *Admirandum eſt à me cognoſcere: ſublime non poſſum illud.* Cauſam verò cur oporteat Deo noſtra omnia manifeſta haberi,canit verſu 5. Vndique ſiquidem finxit nos. Quid igitur ipſum in ſuo figmēto lateret? Quod dicit, *Et poſuiſti manum tuam ſuper me:* idem eſt atque, Tua ipſius manu me formaſti. Id ſanè hominis in vtero fictio abundè teſtatur,adeò eſt id opus humano ingenio inexplicabile,& cunctis creaturis inimitabile.Hinc iure ſubiicit verſu ſexto, *Cognitionem,* nimirum tam admirandi opificii, *admirandam* ſibi, id eſt abſconditam, celſioremque eſſe quàm vt ad eam

poſſit pertingere. Idẽ fatebũtur qui vel obiter animũ machinæ humani corpuſculi aduerterint.

7 *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?*

8 *Si conſcendam cælos, ibi tu: ſi ſternam ſepulchrum, ecce tu.*

9 *Tollam alas auroræ, degam in extremitate maris,*

10 *Etiam illò deducet me manus tua, & apprehendet me dextera tua.* Canit præſentem eſſe vbique Spiritu
virtutéque ſua Deum. Quod dicit verſu 8, *ſi ſtrauero infernum*: alludit ad id quòd mortuis שאול,
id eſt ſepulchrum, pro lecto eſt. Dixi aliàs, ſepulchrum & inferos eodem nomine vocari. In verſu
9 alluſit ad celerrimam radiorum Solis excurſionem, qui momento ab Oriente ad Occidentem
vſque pertingunt. Per *extremitatem* nanque *maris*, intelligit Occidentem. Dum ſiquidem Sol
óccidit, videtur ſubire Oceanũ. Vnde Poetæ, quũ occaſũ Solis deſcribunt, ſẽper ferè dicũt illũ ſe
condere mari. Præſentiã hanc Dei, condita à ſe vbique ſeruãtis ducẽtiſque, aperti canit verſu 10.

11 *Et dico, At tenebræ obtegent me: & nox lucet circum me.*

12 *Etiam tenebræ non obtenebrant à te, & nox ſicut dies lucida eſt: vt tenebræ, ita lux.*

13 *Quia tu in poteſtate tua habes renes meos, operuiſti me in ventre matris meæ.* Canit Deum nihil poſſe la-
têre, aut nos cõſpectu eius ſubducere: nox enim & tenebræ perinde ei ſũt atq; dies & lux. Quúm-
que omnibus alioqui creaturis cor hominis imperueſtigabile ſit, ſolus cuncta eius penetralia in
troſpicit. Id canit verſu 13. *Poſſediſti* (inquit) *renes meos*, id eſt ab initio in tuo ære ſunt: finxiſti eos,
quare penitiſſimè cognóſcere eos vales. Accipitur enim hic קנה vt Gen. 14. c. 22, vbi Deo dicitur,
קונה שמים וארץ, id eſt fictor cæli & terræ: quanquam & dominus vel poſſeſſor reddi poſſit. Intelli-
git autem per *renes*, intimos affectus, vel quia renes primi omnium in homine gignuntur: vel
quia gignendi affectus potentiſſimus, quo alii iure ſignificẽtur, in illis quaſi ſedem ſuam habeat.
De hoc dixi in verſu 7 Pſalmi 16. Id quod ſequitur, *in vtero matris meæ obtexiſti me*: intelligit de obdu-
ctione carnis, cutis, ac figuræ humanæ.

14 *Celebrabo te, propterea quòd tremendis [modis] mirabiliter operatus ſum: mirabilia opera tua, & anima mea co-
gnoſcit valde.*

15 *Non eſt te celatum os meum, quia feciſti in abſcondito, contexuiſti me in inferioribus terræ.*

16 *Informe meum viderũt oculi tui, & ſuper libro tuo omnia ſcripta ſunt: [per] dies formata ſunt, & non vnum in eis.*
Ex conſideratione tam admirandæ Dei in nos virtutis & bonitatis, animus in laudem Dei exar-
deſcit. Canit ergo deinceps, *Celebrabo te, propterea quòd viſendis*, ſubaudi rationibus (ſæpe enim Scriptu
ra adiectiuum ſine ſubſtantiuo ponit), *mirificatus ſum*, (ſi ita loqui liceret) hoc eſt mirabiliter factus
& formatus. Inde ſubiicit, *mira admodum ſunt opera tua, id cognoſcit anima mea*. Sũt qui מאד cum verbo co
gnoſcendi iungãt: quaſi diceret Vates, animam ſuam probè agnoſcere mira eſſe facta Dei. Quo-
niam verò tam miram agnoſcit hominis in vtero materno formationem, immoratur pluſcu-
lum in ea memoranda. *Non eſt* (inquit) *celatum os meum*. Eſt autem liptote: plus enim Vates ſignificat
quàm dicit. Significare nanque vult non poſſe non omnia in nobis ſummè Deo nota eſſe, vt cu-
ius virtute ſunt omnia formata. Os dicit, ſed virtutem intelligit, quæ in oſſibus maxima eſt. Non
nulli intelligunt totum corpus. Id quidem coagmentatum eſt in abdito, & quaſi contextum *in
inferioribus terræ*, hoc eſt in vtero materno: at Dominum tamen nihil eius latêre poteſt, quia in-
quit גלמי, id eſt rudem fœtum meum viderũt oculi tui: hoc eſt quum adhuc eſſem informis maſ-
ſula, tu quantus futurus eram cernebas: cuncta enim membra mea velut in libro habebas deſcri-
pta, quæ ſuis diebus fingenda erant, tum ne vno quidem adhuc extante. Simpliciorem huius ver
ſus ſenſum, & quem credo germaniorem, reddidi. variè nanque propter vltimæ particulæ am-
biguitatem enarratur. ולא אחד בהם, id eſt *& non vnum in eis*: quidam interpretantur, & ipſi, ſcili-
cet Deo, vnum ſubaudi omnia ſunt in eis, nempe diebus, quibus membra paulatim ſuam formã
accipiunt. לא enim pro לו legunt. Alii לא pro Non, accipientes, interpretantur ad hunc modũ, Nul
lum interea membrum eſt quod Deus non antè cognouerit quàm eſſet natum: ſed nolo lecto-
rem variantibus adeò enarrationibus grauare. Qui exactiora & certiora in his ſcrutari volet, is
Hebræa diligenter excutiat oportet.

17 *Et mihi quàm pretioſæ ſunt cogitationes tuæ Deus, quàm inualuerunt capita earum.*

18 *Numerabo eas, plures ſunt quàm arena: euigilam, & adhuc ego apud te.*

19 *Vtinam perdas Deus improbum, & viri ſanguinum facеſſite à me.* Verſu 17 exclamatio eſt, nata ex
conſiderato hominis tam admirando opificio, ראשיהם reddidi, ſummæ earum: quia ראש ſummã
aliquando ſignificat, vt Exodi 30. b. 12, כי תשא את ראש בני ישראל id eſt, quum acceperis ſummam fi-
liorum Iſrael. Sequens ſiquidem verſus ſatis probat, Vatem hic canere quàm excedãt omnem
numerum cogitationes & inuenta quæ in hominis machina Deus exhibuit. At vero quum רעים
nõ ſolùm cogitationes (vt ſuprà verſu 2 etiam à Græcis agnitum eſt, verterunt enim διαλογισμούς)
ſed etiã amicos & ſodales ſignificet, reddidit hunc verſum Paraphraſis Chaldæa, Et mihi quàm
ſunt præclari amantes tui iuſti, ô Deus, & quàm validi Principes eorum. In eundẽ ſenſũ & Græci

hũc locũ reddiderunt: ſed & R. Schlomoh eum ſic enarrat. Denique pulchrè huic ſenſui reſpõdẽt quæſequũtur à ver.19, Quũ perdideris improbos, &c. vt ceciniſſe Pſaltẽ intelligam⁹, maximã fore iuſtorũ multitudinẽ qui Deo amici ſunt, quum improbi (vt merentur) fuerint perditi. Si libeat hũc ſenſum amplecti (fateor enim admodũ probabilẽ) ſic vidẽtur verſus 17, 18, & 19 reddẽdi.

Et mihi quàm chari ſunt amici tui Deus, ut præualent ſummæ illorum. Si uolo numerare illos, plures arena ſunt: euigilaui, & adhuc ſum tecum. Poſtquam perdidiſti improbos, faceſſite ergo à me, uos uiri ſanguinarij. Enarrandi verò videntur in hunc modum, Dixi me celebraturum te ô Deus, qui me mira adeò ratione formaſti: etiam qui tui proximi ſunt, Spiritu ſcilicet tibi renati, tuique verè ſtudioſi, mihi ſummè chari habentur: quos tantopere auctos, & numero præualuiſſe, impenſè non tam gaudeo quàm ſtupeo. Dum enim conor inire numerum illorum, arenæ multitudinem ſuperant. Hinc velut reuixi, velut à ſomno mortis euigilaui, & eſſe me adhuc tecum ſolidè glorior. Nunc certè quum improbos perdidiſti, ergo faceſſite à me ô viri ſanguinarii, qui me & innocuos quoſque ad mortẽ perpetuò venabamini. Videtis infinitũ iſtũ iuſtorum prouentũ: ii amici Dei ſunt, eóque fœliciſſimè vſque regnabunt, & quicquid eſt ſceleratorum exterminabunt, ita vt cernitis præcipuos colluuiei veſtræ manu Domini interiiſſe. Si hæc Dauid hîc voluit canere, indubiè reſpexit ad id tẽpus quo Deus iam impios regni peſſundarat, & ipſum vnà cum iuſtis, quorum ingens multitudo apparebat, euexerat. In eo autem typum prætulit regni Chriſti, quòd peſſundatis impiis Iudæis, & prædicantibus vbique Apoſtolis gloriam eius, mirum in modum floruit, ingenti paſſim multitudine hominum, illum Regem & Seruatorem ſuſcipiente. Tum & ipſe dicere potuit, Euigilaui ô Pater, & adhuc tecum ſum: hoc eſt à morte reſurrexi, & adhuc tecum ſum, vita beata perfruens, quanlibet hoſtes mei perdere me, ac ita à te, qui vita es & omne bonum, auellere conati ſunt. Porrò hæc omnia tum plenè conſummabuntur, quum detruſis cum diabolo cunctis impiis in gehennam, dignati fauore cæleſtis Patris, in conſortium aduocabuntur ſuperûm. Porrò quòd hũc ſenſum non ſum ſequutus in verſione, præcipua cauſa fuit, quòd non ita liqueat ordo cũ præcedentibus, atque ſi רע cogitationes interpretamur. Nam verſibus 14, 15, & 16, de admirando hominis opificio loquutus eſt: ad quæ perpulchrè quadrat ſubiecta admiratio Diuinarum cogitationum & conſiliorum quæ in eo opere declarauit, non autem ita de multitudine amicorum Dei. Tum quod רע proximum ſignificat, & ſodalem vel amicum, vt homo homini eſt. Nec ſolet Scriptura timentes & ſtudioſos Dei vocare רעים, id eſt proximos & ſodales Dei: ſed אוהבים, id eſt diligentes. At verò ſi hunc quem reddidi ſenſum ſequaris, vt ordo horum duorum verſuum ad præcedentes ſatis patet, nec ſunt obſcura reliqua, ita ambiguum manet illud, *viglaui & adhuc ſum tecum.* Quidam id interpretantur, Sic detinet me admiratio tuæ ſapientiæ & honitatis, vt etiã nocte de illis ſomniem: quúmque euigilauero, inueniã me adhuc apud te animo in tuis operibus occupato. Alii ſequuntur ſenſum quem ſum in verſione reddere conatus: nempe, Vigilaui uſq; præ ingenti ſapientiæ tuæ, quam vel in ſola hominis machina declaraſti, admiratione: & ſum perpetuò apud te, circa te ſolum occupatur vſque animus meus, nec tamen tua ſatis poſſum cõſilia mirari. Quum verò tantopere in admiranda Dei ſapientia exarſiſſet, & inde ſubiiſſet animum, quàm religioſè, quàm ſanctè deberet ille ab omnibus coli, conſequens fuit vt impiis qui illum tam ſuſpiciendũ mirandúmque, inſanè adeò contemnebant & irritabant, tanto indignaretur vehementius, quanto animum eius religio occupauerat ardentior. Accipitur verò hîc אם optatiuè, quod non obſcurè ſequens particula, Faceſſite à me, &c. indicat.

20 *Qui loquuntur contra te ad ſcelus, & iurant falſò inimici tui.*

21 *Nunquid odientes te Iehouah odio habeo, & inſurgentibus contra te indignor?*

22 *Conſummatione odij odi eos, uelut inimici eſſent mihi.* Cauſã cur & improbos perdi Diuinitus optet & à ſe faceſſere iubeat, reddit verſu 20. *Qui* (inquit) *loquuntur contra te ad ſcelus,* id eſt de te ſceleratè. Vnde ſequitur, *accipiunt ad uanitatem,* ſubaudi nomen tuum: hoc eſt vanè & cum contemptu nomen tuum vſurpant, impiè de te verba facientes, falſóque iurantes. Similis eſt loquutio in præcepto ſecundo, Non accipias, id eſt ne nomines ad vanitatem vel rem falſam, nomen Dei: hoc eſt Exod.20,6,7
ne iures falſò per nomen Dei. Hos itaque Dei odientes & contemptores profitetur ſe odiſſe, & odiſſe odio conſummato: ſummè enim diligebat Deum. Hoc autem odii, quanlibet ſit vehemens & perfectum, haud tamen arcet Sanctorum beneficentiam in impios, quandiu hîc à Domino feruntur: qua ſcilicet imitantur Patrem ſuum cæleſtem, vt ſicut ipſe ſolem & pluuiam ſuam deploratis etiam impartit, ita & ipſi quæ poſſunt illis corporis, dum egent, beneficia præſtant, fouẽtes ſcilicet quod in illis Dei eſt, nempe corpuſculum. Quod dum vita adhuc fruitur, Dei beneuolentia nondum penitus excluſum eſt: animum autem & mores illorum qui toti Satanam referunt, odiunt, vt peius nihil.

23 *Explora me Deus, & cognoſce cor meum: examina me, & cognoſce cogitationes meas:*

24 *Et uide ſi uia moleſtiæ in me, & deduc me in uia ſempiterna.* Offert ſe Dei explorationi, oſtẽdens eo ſe

ſibi nō eſſe conſciū niſi ſynceræ religionis, vitæque innocentis. Vnde interpretantur quidam illud, *Duc me in via* עולם, id eſt ſeculi, pro occide me: quaſi diceret, Si deprehenderis quicquam in me peruerſum, perde me. Et putant, Ire viam ſeculi, pro mori accipi: vt Viam ingredi omnis carnis. *Ioſ.23.d.14* Sed quia præmiſſa eſt verbo *Duc me*, coniunctio ו, malo illos ſequi qui hoc ſenſu verſum intelligunt, Vide ſi peruerſum aut prauum inſtitutum ſequar: id eſt agnoſce quòd id prorſus à me alienum eſt, & deduc me via æterna: hoc eſt, vt viuam innocenter, quæ vita & beata & æterna eſt. Docemur hìc immenſam Dei omnia præſentiſſimè intuentis atque regentis, vt & mirificè condidit, maieſtatem, religioſius vel in nobis ipſis cōſiderare, quo nihil eſt ad accendendum animum noſtrum amore ſtudióque Dei efficacius.

PSALMVS CXL, χαρακτηριστικὸς καὶ εὐκτικός.

Orat liberari à dolis & mendaciis Doeg atque complicum eius, & ipſos pro meritis exterminari, quo iuſti ac recti que ſtudioſi liberè Sacræ religioni atque laudibus Dei incumbant. ARGVM.

1 PRæſuli, Oda Dauidis. PARAPH.
2 Libera me ô Iehouah àb homine noxio, à viro violento ſerua me:
3 Qui cogitant noxia in corde, quotidie ad prælia concurrunt.
4 Exacuerunt linguas ſuas velut ſerpentes, virus viperæ ſub labiis illorū. Selah.
5 Cuſtodi me ô Iehouah è manibus improbi, à viro violēto ſerua me, qui cogitarunt expellere greſſus meos.
6 Poſuerunt mihi ſuperbi latentem laqueum, & funibus expanderunt rete: iuxta ſemitam poſuerunt mihi tendiculas. Selah.
7 Dixi, Iehouah Deus meus es tu, audi Iehouah deprecationem meam.
8 Iehouah Domine robur ſalutis meæ, die quo ſumenda erunt arma, tu caput meum munies.
9 Ne concedas Iehouah vt improbus voti compos fiat: ne des ſucceſſum malitioſæ cogitationi eius, ne exaltentur. Selah.
10 Caput inquam eorum qui vndique me obſident, moleſtia labiorum illorum obtegat ipſos.
11 Decidant in carbones, deiiciat eos in ignem, in foueas è quibus nequeant emergere.
12 Viro linguaci nihil in terra ſuccedat, virum violentum venetur noxa, donec eum det præcipitem.
13 Noui quòd ſit Iehouah vindicaturus afflictum, & aſſerturus inopes.
14 Vtique iuſti celebrabunt nomen tuum, coram te recti habitabunt.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

2 *TVere me ô Iehouah ab homine noxio, à viro violentiarum ſerua me:*
3 *Qui cogitarunt mala in corde, omni die conueniunt [ad] prælia.*

4 *Exacuerunt linguam ſuam ſicut ſerpens, virus viperæ ſub labiis eorum. Selah.* Pſalmus hic eius argumēti eſt, cuius 10, 11, 14, 52, & ſequentes vſque ad 60, ac alii quidam. Dici non poteſt quāto odio, quibúſque inſidiis Doeg ac plærique alii Schaulis adulatores, Dauidem inſectati fuerint, & in quæ pericula identidem adduxerint: inde eſt vt tot Pſalmis opem Dei ſibi contra illos latam celebrarit, ipſorúmque malitiam traduxerit. *Hominem* itaque *noxium & virum violentum*, Doeg intelligit, cui ſtatim alios Schaulis adulatores atque ſui proditores coniungit, quum cauit, corde ſibi mala cogitaſſe, & ad bella ſibi mouenda concurriſſe. Exitialia eorum mendacia confert verſu 4, linguis & veneno ſerpentum. *Selah* adiecit, quo moneret cogitandum quàm nihil intentatum iili reliquerint quo ipſum perderēt, quámque varia excogitarint, ex quibus tamen omnibus ipſum nō ſine raris miraculis Deus liberauit. עכשוב in verſu 4 reddit R. Schlomoh, Gallicè *aragne*, id eſt araneum: ſed Ab. Ezra & Kimhi dicunt maximè nocentem & crudelem eſſe beſtiam.

5 *Cuſtodi me ô Iehouah à manibus improbi, à viro violentiarum ſerua me, qui cogitauerunt depellere greſſus meos.*

6 *Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi, & funes appenderunt retis, proxime ſemitam tendiculas poſuerunt mihi Selah.* Incredibili improbitate inſidiabantur ei improbi, de quibus queritur: ideo ſecundò pertinax illorū ad perdendum ſe ſtudiū deſcribit, & precē vt ſeruetur ab illotum inſidiis & vi, repetit.

7 *Dixi Iehouæ, Deus meus es tu: percipe auribus ô Iehouah uocem deprecationis meæ.*

8 *Iehouah Domine robur opis meæ, operi caput meum in die armaturæ.* Canit vnde fiduciam concepit, & aluit in afflictione: eo nempe quòd certa fide tenebat, & conſiderabat Dominum eſſe Deum ſuũ, hoc eſt vindicẽ & ſeruatorem. *Diem armaturæ*, ſicut diem belli dixit, nempe diem intentati periculi.

9 *Ne des Iehouah deſideria improbi, ſceleſtam cogitationem eius ne perducas, [ne] exaltentur. Selah.*

10 *Caput circundantium me, moleſtia labiorum eorum operiat eos.* Incipit hic precari contra hoſtes: primùm vt cogitata eis non ſuccedant, vt Deus non educat cogitationem impii Doeg, hoc eſt non concedat eum perficere quæ mala cogitarit. In quo obſeruandum, Deum eſſe qui id efficiat nobis quod impii ſibi videntur arrogare. Ipſo enim negante ſucceſſum, imò ipſo non perficiente omnia, inane eſt quicquid mortales conantur. Quum ergo nihil non optimè Deus faciat, ſunt omnia boni conſulenda. *ſelah* hic adiectum, notat quàm doleat piis exaltari impios, qui nimirũ in ſublimi feruntur. Verſu 10 per *caput obſidentium ſe*, Doeg intelligit: & eſt iungendum cum illo quod eſt in verſu præcedẽti, *non exaltentur*: poteſt tamẽ & cum ſequentibus iungi: hoc ſenſu, Moleſtia labiorum illorum tam capitis horum qui me circundant, quàm horum ipſorum qui ſub duce & capite Doeg me ita perſequuntur, id eſt mendacia quibus me impetunt, ea obtegãt & obruant ipſos. Solennis hæc vltio eſt quam Deus de hoſtibus ſuorum ſumit, quámque Sancti ſumẽdã orant: vt ſcilicet illi mendaciis ſuis quibus Sanctis conãtur moleſtiam inferre, ſeipſos perdãt.

11 *Cadant ſuper eos carbones, deyciat eos in ignem, in foueas, non conſurgant.*

12 *Vir linguæ non dirigatur in terra, noxa uenetur uirum uiolentiæ, ad præcipitationes.* Verſu 11 alludit ad vltionem Sodomorum. Illud, *deyciat eos in ignem*, quidam de fulmine intelligunt, quidam de moleſtia quam iſti parãt aliis. De hac imprecatione dixi in verſu 6 Pſalmi 11. Verſu 12, *virum linguæ* dicit, quem nos linguacem, & vt ſolẽt eiuſmodi, multa mentientem. Huic precatur nihil ſuccedere, noxámq; cui deditus eſt, ipſum venari, vtique & capere, vt in ſempiternã perniciẽ depellatur.

13 *Noui quia faciet Iehouah uindictam afflicti, iudicium pauperum.*

14 *Vtique iuſti celebrabunt nomen tuum, ſedebunt recti cum facie tua.* Iterum memorat vnde ſibi ſpem firmarit, dum hoſtes ſuperiores eſſe videbãtur. Cogitabat, fidémque hanc roborabat ſibi, Deum non poſſe non aſſerere tandem & vlciſci afflictos & pauperes ipſi fidentes: quum nulli alii laudare & celebrare nomen eius vel poſſint, vel cupiant. His recordabatur peculiariter promiſſum vt coram Domino fœliciter agentes, laudes eius deprædicent. Eius ergo ſe quoque participem fore, ſpem ſibi hac ſancta cogitatione & prece fulciuit. Quid ſit coram Deo agere, dictum in verſu vltimo Pſalmi 56. Quæ hic de Dauide memorantur, typi fuerunt Chriſti & Chriſtianorum.

PSALMVS CXLI, [illegible].

ARGVM. *Submotus Dauid à Tabernaculo fœderis, & menſam atque ſacrificium precationibus ſarciens, orat primùm ſibi Spiritum, quo gratia impiorum quanlibet fœlicium caſtigantem & aſperam ſæpe Sanctorum amicitiam præferat: deinde dignam impiis hoſtibus ſuis ultionem, & ſuam liberationem.*

PARAPH. 1 ODa Dauidis. Iehouah te inuoco, propera ad me, & audi me quũ te inuoco.
2 Aſcendat fœliciter in conſpectum tuum, velut incenſum precatio mea: eleuatio manuum mearum habeat inſtar ſacrificii veſpertini.
3 Pone Iehouah cuſtodiam ori meo, obſerua oſtium labiis meis.
4 Noli inclinare cor meum in rem noxiam, ne tentem actiones improbas cum viris iniquitati deditis, ne fruar deliciis illorum.
5 Cædat me iuſtus, quod beneficium erit: nam caſtigabit me, vnguentum primarium non confringat caput meum. inſtat enim adhuc precatio mea contra malitiam illorum.
6 Præcipitẽtur in loco ſaxoſo principes illorum, vt audire ſuſtineant ſermones meos, quia ſuaues ſunt.
7 Vti qui terram proſcindit & ſecat, diſperſa ſunt oſſa noſtra proxime inferos:
8 Quandoquidem ad te ô Iehouah Domine oculi mei reſpiciunt, quum in te præſidium meum pono, ne profundas animam meam.
9 Cuſtodi me à laqueo quẽ tetenderunt mihi, & à tendiculis eorum qui iniquitati dediti ſunt.
10 Incidant in rete illius improbi, ſimul ego perpetuò euadam.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Psalmus Dauidis. Iehouah inuocaui te, propera mihi: auribus percipe vocem meam, dum te inuoco.*
2 *Proſperetur oratio mea, menſum coram te: eleuatio manuum mearum, oblatio veſperi.* Perpendens Dauid, exilium & omnia pericula ſe ferre propter ſtudium pietatis & innocentiæ, cui adulatores Schaul impii totis viribus aduerſabantur, & dolens illos interim omni fœlicitate florere, precatione ſe, vt ſolebat, conſolatus eſt. Maluiſſet hanc fundere in tẽplo adiunctis hoſtiis: ſed quũ id non liceret, haud dubitabat pro incenſo & ſacrificio eam Deo futurã, id quod precatur verſu 2. Dicit *veſpertinum ſacrificiũ*, fortè quòd ſub veſperã primùm hæc precatus eſt. Eo autẽ iuxtà ſignificauit ſe manè & veſperi ſtatas ſuas preces habuiſſe, vti in Tabernaculo fœderis ex Lege Sacerdotes quotidie faciebant. De incẽſo, legis Exod. 30. a. 9. De ſacrificio matutino & veſpertino, Nume. 28. a. 4, & 8.

3 *Pone Iehouah cuſtodiam ori meo, obſeruationem ſuper oſtium labiorum meorum.*

4 *Ne declines cor meũ ad verbũ noxiũ, ad agendas actiones in improbitate, cum viris operariis iniquitatis: & ne edã de deliciis illorũ.* Nequid impiè loquatur orat verſu 3: quarto, ne etiã faciat. Ait, *Ne inclines cor meũ ad rẽ noxiam*: quod eo ſenſu accipiendũ quo illud, Indurauit cor Pharaonis: &, Tradidit eos in ſẽſum reprobum. Habet vaſa iræ Deus quæ deſtinauit vt ſuam gloriã illuſtrent, dãdo pœnas impietatis ſuæ. Talis Pharao fuit, talis Sichõ rex, & alii multi: hãc fortẽ Dauid deprecatur, petitque eſſe vas gratiæ, in quo ſe Dei gloria beneficiis, non vltionibus exerat. Porrò tũ Deus inclinat cor ad res noxias, & cogitationes impias, indurat, traditque in ſenſum reprobum, quũ illud Satanæ permittit impellẽdum ad ea quibus iuſta eius vltio prouocatur. In eo verò nihil iniqui facit Deus, qui figmentis ſuis pro ſuo arbitrio vtitur: nec mala ſunt ad quæ illis vtitur, quãlibet ea ipſis vaſis iræ ſint peccata pernicioſa. Quod ſcelus grauius proditione Iudæ? at quid ſimul vtilius fuit generi humano? Sceleſtè igitur fecit, prodẽdo Seruatorẽ Iudas, & meritas luens pœnas, nomen Dei glorificat ratione & Deo & ipſo digna: adeò tamen malum non fuit ad quod Deus cor illius inclinauit, id eſt inclinandum Satanæ permiſit, nẽpe Seruatoris noſtri proditio, vt ſeruierit ad redẽptionem orbis. Sic ſe habent facta reproborum omnia: vt à Deo inſtituta ſunt, nihil eſt illis vtilius: vt ab impia mente fiunt reproborum, nihil eſt eis ſceleratius. Si conſilium Dei tã mira ratione ſuam gloriam illuſtrantis non potes aſſequi, exclama cum Paulo, O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius! & cætera. Illud, *ne veſcar deliciis illorum*: idem eſt atque, ne inescer proſperitate qua illi fruuntur.

Exo. 9. c. 12.
Rom. 1. d. 28.
Rom. 11. d. 33.

5 *Cædat me iuſtus bonitate, & caſtiget me: unguentum capitis non franget caput meum, quia adhuc & oratio mea contra noxas illorum.*

6 *Deiiciantur in loca petræ iudices eorum. & audient ſermones meos, quia ſuaues ſunt.* Præfert bonorum reprehẽſionem, ſceleſtorum fauori & beneficiis. Bifariam autẽ enarratur: & vt reddidi, & in ſenſum huiuſmodi, Malo vt me cædat iuſtus, beneficiũ enim id erit, quia ſic caſtigabit me, & in viam reducet, eritque mihi vt vnguentum primarium quod caput meum leniet & curabit: non lædet, aut יני, id eſt franget. Hanc inquam, à iuſto caſtigationẽ malo, quàm frui gratia & bonis impiorũ. nã adhuc perſtat oratio mea contra malitiam eorum, qua nihil æquè deteſtor, tam abeſt vt deliciis eorum inescatus, impiis eorum conſiliis conſentirem. שמן ראש vocat *unguentum capitale*, principale, eximium, quo ſcilicet caput inungi ſolet. ac per illud intelligit rariores & præcipuas delicias. in ſummis enim deliciis vnguenta adhibebantur, de quo dictum verſu 5 Pſalmi 23, & verſu 12 Pſalmi 92. Porrò ſi ad hunc modum interpreteris, durius cohærebit quod ſequitur, *Nam oratio mea adhuc contra malitiam eorum*. Ideo malui ſequi Ab. Ezra, & reddere in hunc ſenſum, Opto vt me cædant potius iuſti, quàm vt impii primario vnguento reddant delibutum, hoc eſt ſummis deliciis demulceant, & omne genus beneficiis afficiant. Quum enim illi cædunt, beneficium eſt, corripiunt ſiquidem me: at horum vnguentũ, caput meũ frangit ac perdit, non demulcet aut ſanat, vt illi putant. Sic illorum beneuolentiam habeo. nam perſeuerat adhuc contra illorum malitiam, vt olim exterminetur, mea precatio: adeò nolo illorum gratiam, nolo beneficia, nolo communionem: ſed precor vt deiiciantur *iudices eorum*, id eſt præcipui inter eos, & principes illorum in loca ſaxoſa, & comminuantur: ſic erit vt aliis quos modò iſti dementant, ſermones mei, de pietate, de iuſtitia, de innocentia ob quos illis ducibus eorum Doeg & ſimilibus, intolerabilis ſum, grati habeantur & ſuaues, vti reuera ſunt.

7 *Vti qui ſcindit & ſecat in terra, diſperſa ſunt oſſa noſtra ad os inferni.*

8 *Quia ad te ô Iehouah Domine oculi mei: in te confiſus ſum, ne effundas animam meam.* Cauſam reddidit cur vltionẽ hoſtibus oret: hoc ſenſu, Iure autẽ iſtuc oro: quia ſicut quis terrã ſcindit & ſecat, atque in diuerſa diſperdit, dum eam vertit & ſubigit ad percipiendum commodius ſementem: ita illi diſperſerunt & mea, & meorum oſſa proxime inferos: hoc eſt vires noſtras fregerunt, ita nos diſperſerunt, in ea diſcrimina induxerunt, vt in ore iam ſepulchri & inferorũ ſimus. Hoc modo etiam à Gallis dicitur, de proximè morituro, *Il eſt pres de ſa foſſe*. Tempus igitur eſt vt nos vindices, diſ-

perdas illos: nam ad te vnum reſpicimus, te vno confidimus. Tu igitur ne effundas animam noſtram ותער enim ita hìc accipitur, vt Geneſis 24 c. 20, ותער כדה אל השקת, id eſt, & effudit hydriam in potatorium. Obſeruandum hìc, ſolum Deum eſſe qui animam tollere poſſit, ſicut & vnus dedit. Non igitur occidunt impii nos, dum illos nobis præualere Deus ſinit: ſed ipſe Pater noſter, qui hac vita nunquam ſpoliat, niſi quum ſtatuit dare potiorem.

9 *Cuſtodi me à manibus laquei [quo] uenantur me, & tendiculorum operantium iniquitatem.*

10 *Cadant in retia ſua improbi, ſimul ego uſque tranſibo.* Repetit precem, qua & ſe orat ſeruari ab inſidiis hoſtium, & illos dignas pœnas dare: nam deplorati hi erant, & nihil aliud quàm bonis moleſti erant, eóque vocat eos פעלי און, id eſt operarios iniquitatis. toti ſiquidem iniquitati incumbebant, digni modis omnibus qui in ſempiternum exitium præcipitarentur, quod continuò intentabant Sancto. Quidam יחד, cum verbo *Incidant* iungunt: quaſi ſit precatus, impios illos pariter omnes incidere in rete quod ſibi caput illorum expanderat, donec ipſe tranſiret. Verum ſi עד pro עולם accipitur (vt ſæpe in Scriptura ſolet) ſenſus videtur dilucidior.

PSALMVS CXLII, [illegible]

ARGVM. *Memorat quid precatus ſit ad Dominum, quum Schaulem fugiſſet in ſpecum, inibíque expectaret ſe capiendum, eóque ſummè anguſtaretur.*

PARAPH. 1 ERudiens Dauidis, quum eſſet in ſpecu, oratio.

2 Ad Iehouam vociferabar, Iehouæ ſupplicabam:

3 Effundebam coram ipſo commentationem meam, anguſtiam meam coram ipſo narrabam:

4 Quum torqueretur in me ſpiritus meus: & tu noſti ſemitam meam: in itinere quo ibam poſuerunt mihi laqueum.

5 Reſpiciebam ad dexteram, & videbam ad ſiniſtram, nec erat qui me agnoſceret: adeptũ mihi erat omne refugiũ, non erat qui quæreret animã meã ſeruare.

6 Vociferatus ſum ad te ô Iehouah, dixíque, Tu præſidium meum, portio mea inter viuos.

7 Attende clamori meo, nam miſer ſum admodum: libera me à perſequentibus me, nam præualuerunt mihi.

8 Educ è carcere animam meam, vt celebret nomen tuum: cingent me iuſti, propterea quòd mihi benefeceris.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *ERuditio Dauidis, quum eſſet in ſpecu, oratio.*

2 *Voce mea ad Iehouam clamabam, uoce mea ad Iehouam deprecabar.*

3 *Effundebam coram eo ſermonem meum, anguſtiam meam coram eo exponebam:*

4 *Quũ torqueretur ſuper me ſpiritus meus, & tu noſti ſemitã meã, in tramite quo uado abſconderũt laqueum mihi.* Hiſtoria in inſcriptione notata legitur 1. Schm. 24. Quũ nullũ omnino iã Dauidi effugium ſupereſſet, ita vt in ſpecum ſe recipere cogeretur, plurima indubiè anxietate fuit afflictatus, omni momento expectans vt proditus in ſpecu, crudelitati Schaulis permitteretur. Iſtã anxietudinẽ multis ſanè exprimit. Ad id enim facit quòd vociferatũ ſe ait ad Iehouã, animi ſcilicet affectibus, non clamore vocali. Itẽ quòd memorat ſe corã Iehouah cõmentationem & animi ſui murmur effudiſſe, non potentẽ iam præ animi perturbatione ordine verba proloqui. Nã ſumma anxietas illa faciebat effundere queſtus potius, quàm loqui. De hoc tropo dixi in verſum quintũ Pſalmi 42. Denique quod ſcribit, *contortum fuiſſe in ſe ſpiritum ſuum*, metaphora eſt de qua in verſu 3 Pſalmi 61 dixi. Illud, *& tu noſti ſemitam meam*, quidam ad innocentiam referunt quam coram Domino confeſſus ſit: mihi autem videtur eo ſignificari vt animum ſuum in eo metu receperit, ſpémque firmarit: ſicut in omni precatione Sanctorum, conſolatio ſtatim animum ſubit. vnde hoc dictum ſenſum hunc habere puto, Mihi quidẽ nuſquã patet via qua elabar. putabã me ſatis tutũ in his mõtibus, rupicolis capris tantum tritis, refugium & latibulum habiturum: ſed etiam in hunc tramitem laqueum mihi poſuerunt, nihil minus expectanti. At ſcis tu adhuc ſemitam, qua euadam.

5 *Reſpiciebam ad dextram, & uidebam, & non erat mihi cognitor: perierat perfugium à me, non erat qui animam meam inquireret.* הבט & וראה infinitiui ſunt. vt enim & Græci & Latini ſolent, Hebræi plerunque pro præterito imperfecto infinitiuum vſurpant. Proinde ſenſus eſt, Quum reſpicerem ad dexteram, & viderem, ſubaudi ad ſiniſtram, & non eſſet qui me agnoſceret, meíque miſericordia adductus ſtuderet eripere, (nam qui cum eo latebant in ſpecu, id non poterant) vociſeratus ſum ad te ô Iehouah, &c. Dicit hìc periiſſe à ſe effugium, quia nuſquam effugiendi via patebat. Ad illud, *Quum*-

quireret animam meam, ſubaudiendum ſeruare, quod adieci: alioqui inquirere animam, pro venari ad mortem dicitur.

6 *Clamaui ad te ô Iehouah: dixi, Tu protectio mea, portio mea in terra viuentium.*

7 *Attende vociferationi meæ, quia miſer admodum factus ſum: libera me à perſecutoribus meis, quia præualuerunt ſupra me.*

8 *Educ è concluſo animam meam, ad celebrandum nomen tuum: me cingent iuſti, quia rependes ſuper me.* Vocat Deum portionem ſuam in terra viuentium, quia ſperabat in hoc ſeculo ſe adhuc bonitate eius fruiturum. Vt dicitur Deus ſuorũ portio, dictũ eſt in Pſalmo 16. *Terram viuentium*, præſens ſeculũ dici, oſtendi in verſu 13 Pſalmi 27. Verſu 8 per *concluſum* vel *carcerem*, ſpeluncam intellexit. Et more ſuo, ideo liberari petit, vt inde nomen Dei illuſtretur, & Sancti fide in Deum inſtaurẽtur: quos ſe cincturos dicit, vtique ſtudio gratulãdi, & Dei bonitatẽ in ipſo tã egregiè declaratã celebrãdi.

PSALMVS CXLIII, χειμαστικὸς ἢ δεητικός.

Eiuſdem argumenti eſt hic Pſalmus cuius ſuperior, nempe de eadem re compoſitus. ARGVM.

1 ODa Dauidis. Audi precationem meam, auſculta ſupplicationi meæ, annue mihi pro fide & iuſtitia tua. PARAPH.

2 Et ne agas iudicio cum ſeruo tuo: coram te enim nemo qui viuit, iuſtus habebitur.

3 Etenim perſequutus eſt hoſtis animam meam, proſtrauit in terram vitam meam: collocauit me in tenebris, vt ſolent collocari pridem mortui.

4 Contorquetur in me ſpiritus meus, obſtupeſcit intra me cor meum.

5 Tum autem memor erã temporis priſci, meditabar de omnibus factis tuis, de geſtis manus tuæ commentabar.

6 Expãdi manꝰ meas ad te, anima mea ad te anhelabat, velut terra ſitiẽs. Selah.

7 Propera, annue mihi ô Iehouah, defecit ſpiritus meus: ne abſcondas faciem tuam à me, alioqui ſimilis euadam deſcendentibus in foueam.

8 Fac manè audiam bonitatem tuam, nam te nitor: notam fac mihi viam qua gradiar, nam ad te animum meum extuli.

9 Libera me de inimicis meis ô Iehouah, apud te lateo.

10 Inſtrue me facere quæ tibi grata ſunt, nam tu Deus meus es: Spiritus tuus bonus deducat me in viam rectam.

11 Propter nomen tuum ô Iehouah viuifica me: pro iuſtitia tua educ ex anguſtia animam meam:

12 Et pro bonitate tua conficias inimicos meos, & perdas cunctos infeſtos animæ meæ: equidem ſeruus tuus ſum.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *PSalmus Dauidis. Iehouah audi orationem, aures inclina ad deprecationem meam: in fide tua reſponde mihi, in iuſtitia tua.*

2 *Et ne venias in iudicium cum ſeruo tuo, quia non erit iuſtus coram te omnis viuens.* Summa anxietudine in ſpecu, vt oportebat hominem, conſtrictus, fidem & bonitatem Dei implorat, orátque ne iure ſecum agat, ne ſecum velut iudicio experiatur. Sancti enim Deum iudicem ſæpe appellant, dum rem habent cum eiuſmodi aduerſariis, quos ſciunt non tã ſuos, quàm pietatis hoſtes eſſe: at Deũ aduerſarium nunquam non deprecantur. Dum enim is ſuo iure egerit, nemo eſt qui cauſa non cadat, capitiſque reus peragatur. Adeò multa peccamus illi vniuerſi: quare omnium eſt precari, Dimitte nobis debita noſtra: & iudicium cum eo, vel nobis ipſis iudicibus deprecari.

3 *Quia perſequutus eſt hoſtis animam meam: contudit ad terram vitam meam, collocauit me in tenebrioſis, ſicut mortuos ſeculi.*

4 *Et contortus eſt ſuper me ſpiritus meus, cor meum intra me attonitum eſt.* Memorat quanto fuerit in periculo. queritur enim, vitam ſuam in terram proſtratam: hoc eſt, penitus deiectam fuiſſe, ac ſe collocatum in tenebris, vt ſolent pridem mortui. Id videtur dixiſſe de obſcuro ſpecu, ſepulchro ſimili: auget ſiquidem omnia dolor. *Mortuos* עולם, id eſt ſeculi vocat, qui multo tempore & quaſi ſeculo fuerunt mortui. In eo autem ſimul diutinum ſuum exilium notauit, in quo quum perpe

tuò de vita periclitaretur, mortis tenebris ipſum iure aſſimilauit. Anguſtiam & cruciatum animi canit verſu 4, qui idem eſt cum quarto ſuperioris.

5 *Memor fui dierum ab olim, meditatus ſum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum loquutus ſum.* Memorat vnde ſe ex tanta animi conſternatione nonnihil recepit, atque ad precandum erexit: nempe ex memoria factorum Domini priorum, quibus ille cum in alios, tum in ipſum, bonitatem ſuam mirificè declarauerat. Nihil ſiquidem eſt quod æquè in ſpem bonã erigat, atque geſtorum Domini preſſa conſideratio. Nemo enim adeò peccatis premitur, vt nõ inueniat, ſi ſuperiora ſecula excutiat, qui grauioribus aut patibus preſſi, veniã tamen Deũ exorarint: nulla quoque poſſunt tanta circunſtare pericula quin occurrant facta Domini, reputanti qui manu Dei ex plus aut æquè difficilibus & ancipitibus erepti ſint: Nulla denique terrebit tantopere formidabilis vis hoſtium quin memorans geſta Domini, magis aut æquè formidabilem, fractam Diuinitus, illico agnoſcat. De hac factorum Dei perpenſione, plura in Pſalmum 77.

6 *Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra defectionis ad te. Selah.*

7 *Propera, reſponde mihi Iehouah, defecit ſpiritus meus, ne abſcondas faciem tuam à me: & aſſimilatus ſum cum deſcendentibus [in] foueam.*

8 *Audire fac me in manè bonitatem tuam, quia in te confiſus ſum: notam fac mihi viam qua ambulem, quia ad te attollo animam meam.*

9 *Libera me ab inimicis meis Iehouah, [quia] apud te abſcondo.* Diligens & religioſa factorum Dei reputatio nõ poteſt animũ laborantẽ non illico recreare, & fiducia Diuinæ bonitatis animare: ita cõ modùm iá ſubiicit vt manus ad Deũ extenderit: hoc eſt ſeriò & ardenter ſit precatus: cuiuſmodi precationis proprius geſtus eſt, manuũ in cælos expanſio. Magni affectus reticẽtia eſt in hoc verſu, *Anima mea ſicut terra ſitiens*, vel *torrida ad te*: hoc eſt, ſicut eiuſmodi terra ariditate fatiſcens, ingẽs imbris deſideriũ teſtatur: itá fertur ad te deſiderio opis tuæ anima mea, mox defectura niſi ei adſis e veſtigio. Hinc & Selah huic verſui ſubſcripſit, & in ſeptimo ſtatim adiecit, *Propera, anime mihi, defecit ſpiritus meus* Quæ omnia animũ, non iá cũ metu, ſed morte ipſa colluctantẽ, indicant. Vnde & id quoque ſubiecit, *ne ſimilis euadam deſcendentibus in foueam*, planè extinctus, cui proximus erat. Eiſdem affectibus flagrat & verſu 8: petit enim vt faciat ſe Deus *manè* audire bonitatem ſuam, quod vel pro maturè dixit: vel ſignificauit tẽpus matutinũ, Sacræ precationi peculiariter conſecratũ: quia ardentiores preces ſolebant matutino tẽpore haberi, & nullo ferè alio Dominus ſuis reſpõdere apertius: vt nullo quoque tempore percipiendis reſponſis Dei, animus eſt æquè idoneus. A. Ezra refert ad id, quòd omnia negotia & actiones hominũ ſoleant manè auſpicari. Sic putat Dauidem oraſſe, vt Deus lato auxilio, quaſi manè nouum inſtitutum, & aliud negotii ſecum inciperet. Kimhi putat tempus matutinum, pro ſecundo & proſpero poſitum: ſicut veſpera & nox, ſæpe pro aduerſo & infœlici accipitur. Porrò quum oret vt Deus faciat ſe audire bonitatẽ ſuam, hoc eſt promiſſa bonitatis ſuæ ritè percipere: ac notam viam qua gradiatur, hoc eſt quidnam inceptet, quò ſe recipiat, vt hoſtium manus effugiat, & ipſe ſimul Deo ſuo probetur: veriſimilius dici exiſtimo, per *manè* hic intelligi tempus oraculis peculiariter deputatum, nempe matutinũ. Quanquam non dubitem, ſimul & maturitatem auxilii ſignificatam. Illud in verſu nono, *Quoniam apud te abſcondo*, vel abſcondo, ſubaudi me, de latibulo ſpecus dixit. In eo tectus hominibus, & in conſpectu Dei eſſe optabat.

10 *Doce me facere placitum tuum quia tu Deus meus: Spiritus tuus bonus deducat me in terra recta.*

11 *Propter nomen tuum ô Iehouah, viuificas me: in iuſtitia tua educ ex anguſtia animam meam.*

12 *Et in bonitate tua conficies inimicos meos, & perdes omnes coarctatores animæ meæ, quia ego ſeruus tuus.* Vt neceſſe eſt ei omnia optimè cedere qui Deo gratificari ſtuduerit, precatur verſu 10, ad hoc ſe inſtitui, & duci Diuino Spiritu *in terram rectam*, id eſt viam rectam, inſtitutum rectum. Reliquis duobus verſibus orat ſe *viuificari*, hoc eſt reſtitui, (fuerat enim propè, nõ metu ſolùm, ſed re ipſa extinctus) & hoſtes perdi, quum ipſe ſeruus ſit Dei, ſanctificando nomini eius penitus addictus. Vnde ait, *Propter nomen tuum*: quod ego reſtitutus, pro viribus prædicabo. Meriti nihil iactat: iuſtitiæ, hoc eſt bonitati Dei tantùm nixus, opem implorat.

PSALMVS CXLIIII, Δαυιτικός.

ARGVM. *Prædicat Deum, quòd ſe omnibus periculis & infeſtatione hoſtili liberatum, in Regem exaltaſſet, ac regnum ſuum omnimoda fœlicitate feciſſet florere.*

PARAPH. 1 DAuidis. Laudetur Iehouah propugnator meus, qui inſtituit manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

a Qui bonitas eſt, qua fruor: munimentum meum, arx mea, & ereptor meus: clypeus meus, & in quo præſidium meum colloco, qui ſubiicit populũ ſub me.

3 O Iehouah,quidnã eſt homo,quòd ſic eũ agnoſcis:mortalis, vt tãti eũ facias?

4 Homo nihilo ſimilis eſt,dies eius habent inſtar vmbræ euaneſcentis.

5 Iehouah autẽ demitte cælos tuos, & deſcẽde:cõtinge montes, & fumigabũt.

6 Eiaculare fulmina,& diſperge illos:emitte ſagittas tuas,& diſturba illos.

7 Demitte è ſublimi manum tuam,& eripe me:libera me ab aquis validis,è manu filiorum alienorum.

8 Quorum os vana loquitur,& quorum dextera,dextera eſt patrans dolum.

9 Deus carmen nouum cantabo tibi,cum fidibus & decachordo canam tibi.

10 Qui fers opem Regibus,qui eripuiſti Dauid ſeruum tuum à gladio noxio,

11 Eripe me & libera me è manu filiorum alienorũ,quorum os vana loquitur,& quorum dextera,dextera eſt patrans dolum.

12 Vt filii noſtri habeant in adoleſcentia ſua inſtar plantularum fœliciter enatarum:filiæ noſtræ ſicut anguli ædium perpoliti,templi decorem referentes.

13 Penuaria noſtra plena ſint,vt varia inde genera bonorum depromant:greges noſtri millibus myriadibúſque aucti,repleant vicos noſtros.

14 Boues noſtri idonei ſint ferendis oneribus:non ſit perruptio, non emigratio, non clamor in plateis noſtris.

15 Fœlix populus qui ſic habet,fœlix populus cui Iehouah pro Deo eſt.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 D*Auidis.* *Laudandus Iehouah rupes mea,qui docet manus meas ad prælium,digitos meos ad pugnam.*

2 *Bonitas mea, & munimentum meũ,arx mea,& ereptor meus mihi,clypeus meus, in quo ſpero,qui ſubijcit populũ meũ ſub me.* Expendẽs Dauid quàm mirificè Deus ſe hoſtibus ſuis ſuperiorẽ, & Regẽ multo auguſtiſſimũ reddidiſſet,celebrat eum hoc nomine quòd manus ſuas inſtituerit ad præliũ,&c.Idẽ habetur verſu 35 Pſalmi 18.Robur ſiquidẽ & induſtriã cum bella gerendi,tum manus fœliciter cõſerendi,mirificè adeò ſibi Deum ſuppeditaſſe agnoſcebat,vt nõ niſi Diuinitus inſtitutum atque inſtructum ſe fuiſſe,dicere iure potuerit.Hinc tanta congerie laudis titulos in ſequenti verſu coaceruauit, quibus omnibus prædicat Dei ope ſe & pericula euaſiſſe,& hoſtes deuiciſſe. Fuſius eos explicaui in verſu 3 Pſalmi 18. Plæraque enim quæ hîc Pſaltes canit,& illic habentur.

3 *Iehouah,quid homo,quòd agnoſcis eum:filius mortalis,quòd reputas eum?*

4 *Homo nihilo ſimilis eſt,dies eius ſicut umbra tranſiens.* Ex hac autem Diuinæ erga ſe bonitatis perpenſione,ſubiit eius animum admiratio:cui ſimilis habetur verſu quinto Pſalmi octaui.Quum enim & homo & mortalis eſſet,indignum ſe putauit qui tantis honoribus cumularetur à Deo.

5 *Iehouah inclina cælos tuos,& deſcende:tange montes,& fumigabunt.*

6 *Fulmina fulminationem,& diſperge eos:mitte ſagittas tuas,& diſturba eos.*

7 *Mitte manus tuas è ſublimi,eripe me:& libera me ab aquis amplis,à manu filiorum alienorum.*

8 *Quia os eorum loquitur vanitatem,& dextera eorum dextera mendacii.* Memorat precem,qua opem contra hoſtes ſuos inſignem & cæleſtem, demonſtrante ſcilicet Deo iram ſuam in illos terrifica tempeſtate, orauit.De qua ratione opis Diuinæ, dixi plæraque in Pſalmo 18, à verſu 8 vſque ad verſum 17, vbi eadem habentur.*Demittit cælos Deus,* quũ facit atras nubes incumbere mõtibus.*Tangit montes,*quũ eos vel ferit fulminibus, vel ceu fumare facit caliginoſa nube, & ſic deiicit ac metu enecat hoſtes ſuos. Verſu 7 orat, vel potius oraſſe ſe memorat quod verſu 17 Pſalmi 18, gloriatur factum. *Aquas validas* vocat *filios alienos,* Spiritu ſcilicet Dei vacuos,eóque à vero Iiſraele extraneos.de quibus dixi in verſum vltimũ Pſalmi decimi. Verſu octauo dicit *dexterã eorum eſſe dexterã fraudis:*quo intelligit,vt ore ſoliti fuerunt mentiri,ita manu fraudulẽter quoque agere cõſueuiſſe.

9 *Deus canticum nouum canam tibi, in fidibus[&]decachordo pſallam tibi.*

10 *Dans ſalutem Regibus,eripiens Dauid ſeruum ſuum à gladio noxæ.*

11 *Eripe me,& libera me è manu filiorũ alienorũ,quorũ os loquitur vanitatẽ,& dextera eorũ, dextera mendacii.* Noua & admiranda ratione à Deo adiutus,promittit nouum quoque carmen,quo Dei in ſe bonitatem celebret,& canat,vt neminem eſſe qui ope eius non egeat, ne Reges quidem: ita ex prõptiſſima ipſum bonitate omnibus ſe inuocantibus opem ferre:maximam autem tuliſſe ſibi ſuo ſeruo.Hæc verſu 10. Verſu 11,repetitur quod præmiſſum eſt verſibus 7 & 8.

12 *Quòd filii noſtri ſicut plantationes creſcentes in iuuẽtute ſua: filiæ noſtræ ſicut anguli politi, ſimilitudine templi.*

13 *Penuaria noſtra plena,proferẽtes ex ſpecie ad ſpeciem:greges noſtri millibus[&]myriadibus ſeſe augẽtes in vicis noſtris.*

14 *Boues noſtri onerarij, non ruptio & non egreſſus, & non clamor in plateis noſtris.*
15 *Fœlicia populo cui ſic, fœlicia populo cuius Deus Iehouah eſt.* Canit fœlicitatem quam orauerat, & Dominus ſe regnāte quoque dederat: nempe numeroſam & optatam ſobolem, pecora multa & fœcunda, tum annonæ abundantiam: denique incolumitatem & pacem, iuxta illā Domini promiſſionem, Fœliciter prouenies fructus ventris tui, fructus terræ tuæ, fructus pecoris tui. Item, Fœliciter habebis in ciuitate, in agro, &c. Deuteron. 28. a. 3. Precatus ergo eſt vt populus filios haberet ceu elegantes arbuſculas excreſcentes: filias vt anguli domus quos ancones vocant, ornatas & decoras. Solent nanque illi præ aliis partibus ædium exornari. Addit ſimilitudinē templi vel palatii regii, vtpote rariore cultu exornati. Ornatus ſiquidē peculiariter puellarum eſt. debent tamen Chriſtianæ, malle pietate quàm auro & gēmis ornari. De hac re dixi in verſu 15 Pſalmi 48. Abundantiam prouētus canit verſu 13. In eo accipit מזוינו pro reconditoriis, & locis ædiū penitioribus, in quibus ſolent reponi frumēta, & alia ad victum neceſſaria. Inde verti, Penuaria. Hæc dicit *plena*, è quibus proferant vel miniſtri, vel patresfamiliâs varia genera de hac & illa ſpecie. Alii hoc מזן אל זן reddunt è victu in victum: ſed videtur dilucidius eſſe ſi זן pro מזן, id eſt ſpecie accipiamus: ſicut 2. Paralip. 16. d. 14, וזנים מרקחים, varia genera pigmentorum dicuntur. Quidam מפיקים neutraliter accipiunt, intelligentes Vatem oraſſe vt penuaria præ copia exuberarent de genere in genus: hoc eſt ita redundarent vt omnia permiſcerētur. Prior ſenſus naturæ verbi מפיקים magis quadrat: poſterior, orationis contextui. quem tamen ſi liberet amplecti, malim illud de genere in genus intelligere, nō de permixtione: ſed quòd voluerit precari, penuaria populi ſic exuberare vt de genere ad genus varia velut extruderent. Illo *greges noſtri* מאליפות מרבבות, (quod, ſi ita loqui liceret, ad verbum redderetur millificantes & myriadificantes) ſignificare voluit ita auctos fuiſſe in millia & myriades vt omnes vicos repleuerint. Verſu quartodecimo vocat boues onerarios, robuſtos & validos ad agriculturam, trahendáque plauſtra onerata. Illud *non* פרץ, id eſt *ruptio*, intelligit A. Ezra de perruptione vrbis per machinas hoſtiles: & per *egreſſum* emigrationem in exilium: per *clamorem*, coartationem intra vrbem, aliáſque calamitates vnde homines vociferari ſolent. Cecinit ergo hac particula, de pace & incolumitate populi. Siquis autem velit per פרץ intelligere quamlibet exitialem plagam, vel ſubitò incidentem calamitatem, ei patrocinabitur nōnihil quod 2. Schm. 6. b. 8, legimus, de extincto ſubita plaga Vza ſacerdote, Et cōturbauit Dauidem, quòd פרץ Iehouah פרץ, id eſt plaga percuſſit Vza. Kimhi interpretatur פרץ orbitatē, vel ſterilitatem, etiam in adducto loco libri Schmuel. Verùm magis veriſimile eſt plagā ita dictam, qua ſubitò Deus Vza eripuerat, & ita totā eam pompā διέκοψε, id eſt cōciderat, diripuerat, vt habet Græcus interpres. Vtcunque autem פרץ accipias, egreſſum omnes de emigratione è propriis ſedibus intelligunt. Verſu vltimo canit fœlicem populum cui hæc ſint: Dei enim dona ſunt. Addit autem, *fœlicem populum* cui Deus ſit Iehouah: qui nimirum tantis ſuos beneficiis cumulat, iuxta promiſſa ſua, Leui. 26. Deuter. 28. Pſalmo 25, 34 & 37, dixi de æterna Sanctorum fœlicitate, quæ certè ampla eſt, etiam reuelato Euangelio: etſi ſuos quoſque habeat in quibus oſtentet Deus bona ſeculi futuri.

PSALMVS CXLV, ἀγαλλιαστικὸς καὶ ἐπαινετικός.

Tam effuſam eſſe Dei in omnes bonitatē, vt illā vniuerſa deprædicent: præcipuè autē Sancti, qui illa plenius fruuntur.

ARGVM.
PARAPH. 1 HYmnus Dauidis. Extollam te mi Deus, ó Rex, & prædicabo nomen tuum per cuncta ſecula.
2 Quotidie prædicabo & laudabo nomen tuum per cuncta ſecula.
3 Magnus eſt Iehouah, & laudat' plurimū: magnitudo eius nequit peruestigari.
4 AEtas ætati opera tua collaudabit, annuntiabunt facinora tua.
5 De ſplēdore & decore celebritatis tuæ, déque mirādis factis tuis cōmētabor.
6 Virtutem miraculorum tuorum effabuntur, & magnitudinē tuā memorabo.
7 Memoriam multæ bonitatis tuæ iactabunt, de iuſtitia tua ouabunt.
8 Propenſus ad beneuolentiam, & pronus ad humanitatem Iehouah, tardus ad iram, & multus bonitate.
9 Beneuolus eſt Iehouah vniuerſis, & benignitas eius in vniuerſa opera eius.
10 Celebrabunt te cuncta opera tua, & prædicabunt te boni tui:
11 Decus regni tui dicent, & facinora tua attollent verbis:
12 Vt nota faciant hominibus facinora eius, decus ac ſplendorem eius.
13 Regnum tuū, regnum in omnia ſecula, & poteſtas tua per cunctas ætates.

14 Suſtentat Iehouah quicunque labaſcunt,& erigit cunctos depreſſos.
15 Oculi omnium ad te ſuſpiciunt,& tu das illis cibum in tempore:
16 Aperis manum tuam,& ſatias cunctas animantes pro ſua voluntate.
17 Iuſtus eſt Iehouah in cunctis inſtitutis ſuis,bonus in omnibus factis ſuis.
18 Propè adeſt Iehouah omnibus inuocãtibus ipſum,qui inuocãt ipſum ex fide.
19 Quæ grata ſunt timentibus ſe facit,clamorem eorum audit,& ſeruat eos.
20 Cuſtodit Iehouah cũctos ipſũ diligẽtes,& vniuerſos improbos exterminabit.
21 Laudem Iehouæ loquetur os meum, & prædicabit omnis animans nomen ſanctum eius in omnia ſecula.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Laus Dauidis.* *Extollam te Deus mi,ô Rex,& prædicabo nomen tuum in ſeculum & uſque.*
2 *In omni die prædicabo te,& laudabo nomen tuum in ſeculum & uſque.*
3 *Magnus Iehouah & laudatus ualde,& magnitudinis eius non eſt exploratio.* In genere laudes Dei celebrat,vt & Pſalmo 103 & 104. Quanto verò cum ipſe ſtudio laudandi eius ardeat, tum quàm in laudes eius vniuerſæ quoque creaturæ,præcipuè Sancti,propendeant, ampliſſima ſcilicet bonitate eius largiſſimè perfuſi, canit per totum ferè Pſalmum. De ſuo potiſſimum ſtudio in laudes Dei canit verſibus tribus primis. Notum erat hoc ex certa eius in Deum fide, qua illum Deum & Regem ſuum, hoc eſt omnis boni autorem agnoſcebat & adorabat. Hinc vt nunquã non Dei in ſe bonitatem ſentiebat & mirabatur, ita ferebatur continuò in laudes eius. quibus quo intendebat ſtudioſius, hoc magis experiebatur Deum laudibus omnibus infinitò maiorẽ,quippe cuius in bonitate magnitudo & amplitudo perueſtigari nequeat.
4 *Generatio generationi celebrabit opera tua,& fortitudines tuas annuntiabunt.*
5 *Splendorem decoris celebritatis tuæ,& uerba mirabilium tuorum loquar:*
6 *Et uirtutem terribilium tuorum dicent,& magnitudines tuas memorabunt:*
7 *Memoriam amplæ bonitatis tuæ effundent,& iuſtitia tua ouabunt.* Hîc & alios ſecum laudes Dei celebraturos memorat,& quidem per omnes generationes:ſicut ille ſua bonitate cumulat quàm plurimos omnibus ſeculis,potiſſimũ autẽ à glorificatione Chriſti,quò videtur reſpexiſſe.Porrò per magnitudinem,ſplendorem,decorẽ, & celebritatem Dei,virtutem vel facinora atque miracula Dei quorum meminit,intelligit effuſam eius in omnia, lateque adeò patentem bonitatem. Verſu 7,canit quàm cupidè etiam,quantóque cum affectu, omnia iure Deum prædicent. Inde vſus eſt verbo יביעו,id eſt effundent:vel eructabunt,vt reddunt alii. eſt enim ex animo redundanti verba fundere,& effluere potius quàm loqui. Ad idem vſus eſt & verbo ouandi.
8 *Beneuolus & miſericors Iehouah,procul ira,multus bonitate.*
9 *Bonus Iehouah omnibus,& miſerationes eius ſuper omnia opera eius.*
10 *Celebrabunt te ô Iehouah,omnia opera tua,& boni tui prædicabunt te:*
11 *Decus regni tui dicent,& fortitudinem tuam loquentur:*
12 *Vt notam faciant filiis hominum fortitudinem eius,& decus ſplendoris regni eius.* Quæ canit verſus 8, habentur & verſu 15 Pſalmi 86,item verſu 8 Pſalmi 103. Elogium Dei eſt quod legimus Exod. 34. a.6. Bonitatem effuſam in omnia,canit verſu 9. Inde cunctas quoque creaturas,maximè verò Sanctos, qui vt Dei verè ſunt,ita bonitatem eius ſedulò æmulãtur, Deum celebrare, & *decus regni eius atque uirtutem*, id eſt omnibus optimè proſpicientem potentiam,ſapientiam,& bonitatem Dei, memorat verſibus 10,11 & 12.
13 *Regnum tuum,regnum omnium ſeculorum,& poteſtas tua in omnem generationem & generationem.*
14 *Suſtentat Iehouah omnes cadentes,& erigit omnes incuruos.* Sempiternitatem regni eius canit verſu 13: verſu 14 quàm ſit idem ſalutare depreſſis & miſeris. Regna & poteſtates mundi, diuitibus ferè ac potentibus tantùm vtilia ſunt: hoc autem proſpicit & ſeruat deſertos, afflictos,& à mundo proculcatos. *Cadentes* vocat, qui periclitantur, & caſui, hoc eſt morti proximi ſunt: *incuruos*, iniuriis vel morbis depreſſos,fractos,& contritos.
15 *Oculi omnium ad te ſperant,& tu das eſcam illis in tempore ſuo.*
16 *Aperis manum tuam,& ſatias omnem uitam beneplacito.*
17 *Iuſtus Iehouah in omnibus uiis ſuis,& benignus in omnibus factis ſuis.* Paſci omnia Diuinitus,canit verſu 15 & 16,in quo pro *Oculi omnium in te reſpiciunt*,nimirum expectantes ſe benignitate tua paſcẽdos, dixit *ſperant in te*. Ad quẽ enim pro ope ſuſpicimus,ab eo illã vtique ſperamus. In 16 illud, *Satias omnia beneplacito*: idem eſt atque,ſecundum beneplacitũ,ex animi ſententia. Verſu 17, velut epiphonemate priores laudes ſummat,prædicans Deum benignũ ſeſe exhibere in omnibus quæ gerit,quæque facit. Et hîc videre eſt,*iuſtum* & *bonum* in Scripturis pro eodem accipi.

18 *Propè eſt Iehouah omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate.*

19 *Beneplacitum ſe timentium facit, & clamorem eorum audit & ſeruat eos.*

20 *Cuſtodit Iehouah omnes diligentes ſe, & omnes improbos deuaſtabit.*

21 *Laudem Iehouæ loquetur os meum, & prædicabit omnis caro nomen ſanctitatis eius, in ſeculum & uſque.*

Prædicat peculiariter bonitatem Dei erga Sanctos ipſum ex fide inuocātes, ſyncera religione colentes, & ex animo diligētes. His *propè eſſe ſe* declarat, dum benignus votis eorū ſemper reſpōdet, hoſtéſque eorum improbos tandem penitus abolet, quod canit verſu 20. In quo præterea huc reſpexit, quòd Sancti ſæpe periclitari videntur, & agere fœliciter improbi. Cōſolatur ergo diligentes Deum, quòd norūt, quātacunque incidāt mala, ſe ita cuſtodiri Diuinitus, vt nihil ipſis queat nocere: improborū autē fœlicitatē breui ſempiternis cruciatibus cōmutandā, illis planè exterminatis. Verſu vltimo claudit Pſalmū vt cœpit, ſempiternā ſcilicet, & apud ſe & omnes amātes fore laudē Dei. Soli nanque impii Deū vituperant, alia omnia laudes eius perpetuò deprædicāt: Sancti verbis & inculpatis moribus: reliqua, atteſtatione ampliſſimæ in ſe bonitatis eius. Ea & in reprobis quidē eximiè relucet: at dum cuncta ad voluntatem Satanæ, indéque ad innocentiæ & pietatis profligationem detorquent quantum in ipſis eſt, ſoli Deum dedecore afficiunt.

PSALMVS CXLVI, ἀχαριστίας & ἐπιμελείας.

ARGVM. *Hymnus eſt eius argumenti cuius & præcedens Pſalmus, niſi quòd hic à fidendo hominibus peculiariter dehortatur, quū Deus ſit qui ſolus iuuare & poſſit & uelit: quod tot & tam ampla eius beneficia in omnes abundè declarant.*

PARAPH. 1 LAudate Exiſtentem. Lauda anima mea Iehouam.

2 Laudabo Iehouam dum vixero, canam Deo meo dum fuero.

3 Nolite Principibus niti, aut vllis hominibus, quibus non eſt vt opem ferant.

4 Emigrat ſpiritus eorum, & reuertūtur ipſi in terrā ſuam: eo die pereunt cuncta eorum conſilia.

5 Fœlix qui auxiliū quærit à Deo Iaacob, cuius ſpes eſt in Iehouā Deū ſuum.

6 Qui finxit cælos & terram, mare & quæcunque in his continentur: qui ſeruat fidem in ſecula.

7 Qui vindicat iniuriis affectos, qui dat cibū eſurietib⁹: Iehouah ſoluit vinctos:

8 Iehouah dat viſum cæcis, Iehouah erigit depreſſos, Iehouah diligit iuſtos:

9 Iehouah cuſtodit aduenas, pupillos & viduas extollit, & inſtitutum improborum euertit.

10 Regem aget Iehouah in ſempiternum, Deus tuus Siion in omnes ætates. Laudate Exiſtentem.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *LAudate Iah. Lauda anima mea Iehouam.*

2 *Laudabo Iehouam in uita mea, pſallam Deo meo dum extitero.* Flagrantem in laudes Dei affectū prodit, dum ſuam animam, hoc eſt ſeipſum ad illas inuitat. Eiuſdem eſt & quod laudaturū ſe Deum profitetur, dum vixerit: ſempiternam enim in ſe bonitatē Dei fore, Spiritu perſuaſus, credebat: ideo decebat vt prædicandi hanc ſtudium nunquam remitteret.

3 *Nolite niti Optimatibus, in filio hominis, cui non eſt ſalus.*

4 *Egreditur ſpiritus eius, reuertitur in terram ſuam: in die illo pereunt conſilia eius.* Vt verò ad idem alios quoque permoueat, reuocat eos à fiducia in homines, ad fiduciam in Deum: quámque ille cumulatè benefacere ſoleat, commemorat. Qui nanque Deo fiſi fuerint, bonitatē eius in ſe agnoſcunt tam effuſam, vt laudibus ipſius nihil queant habere prius. Efficaciſſimè autem à ſpe in homines collocāda deterret, ſiquis ſingulis quæ canit animū aduertat. Primùm quoniam dixerat נדיבים, id eſt Principes, Optimates, quibus eſt vnde ſuo viuant arbitrio: ſtatim adiecit, *in filio hominis*: monens illos, quālibet diuites & potētes, adhuc nihil niſi homines eſſe, eóque mortales & miſeros, qui ne ſibi quidem poſſint auxilio eſſe. Nam ipſis nihil magis remorari cupientibus, emigrat eorum ſpiritus, & reuertūtur ipſi, nihil niſi terra & puluis, in terram & puluerem. ſicque fit vt vno die, immò momento, ipſis extinctis, pereant quæcunque cogitarāt, quæ inſtituerant: nihílque ſit quod metuant iam ab eis quibus parauerant mala: nihil quod gaudeant, quibus deſtinauerant bona. Verè ergo non eſt illis ſalus, quam ferant à ſe pendentibus: non auxilium, quo quiſquā iuuetur. Scitè igitur in eandem ſententiā Ieſchaiah 2.d.22. dixit, Subducite vos ab homine cuius anima in naribus motatur: quid eſt quod debeat alicuius fieri? Quum ergo inane adeò, ac prorſus nihilum eſt auxilium hominum, rectè ſuccinit,

5 *Fœlicia ei cui auxilio eſt Deus Iaacob. ſpes eius ad Iehouam Deum ſuum.*

6 *Qui fecit cælos & terram, & quæcunque in eis ſunt: qui cuſtodit ueritatem in ſeculum,*

7 *Qui facit iudicium iniuriam paſſis, dat cibum famelicis: Iehouah ſoluit uinctos:*
8 *Iehouah aperit cæcos, Iehouah erigit incuruos, Iehouah diligit iuſtos:*
9 *Iehouah cuſtodit aduenas, pupillum & uiduam attollit, & uiam improborum euertit.* Meritò fœlicem ca
nit eum cui opē fert Deus Iaacob, Deus verus, quē nimirum Sancti colunt. fert autē hāc omnibus in ſe ſperantibus. Nā primū eſt huic ſumma potentia, ſummæ opes, immenſæ copiæ, vt qui finxerit hos cælos, hanc terram, hoc mare, & quæcunque in his continētur: nec fecerit modò, ſed & ſeruet, cuſtodiens fidē in ſecula, id eſt ex fide optima cūcta adminiſtrās, gubernatione ſalutifica & perēni. Deinde ſolus is eſt qui iniuriam paſſos vindicat, quū à potentibus mundi iniuriæ ferè cumulentur, & tum maximè quando videri volunt illas vindicare, ſiue id iure, ſiue bello facere ſimulēt. Præterea vnus eſt qui paſcit, vnus qui vinculis eripit: quas duas calamitates, famis ſcilicet & vinculorū, quū memorat, nēpe maximas, per eas intelligit quaſlibet. Corporis tamē morbos videtur peculiariter memorare verſu 8, cui ſimilis eſt 14 Pſalmi præcedētis. Nā incuruos vel depreſſos intelligit, morbis fractos. De iniuriis enim dixit verſu præcedēti. Cæcitatis igitur meminiſſe videtur, vt ex ea ſignificaret quemlibet membrorum defectū, aut mutilationē: incuruitatis verò vel depreſſionis, vt ea notaret quamlibet imminutionem virium. Porrò non quibuſlibet ſic affectis ſolet Deus auxilio eſſe. id in eo expreſſit quod ſubiecit, *Iehouah diligit iuſtos*: hoc eſt, vt aliàs ſæpe dixi, iuſtitiæ ſtudioſos. Poſtremò adeſſe eum inopibus, qui malorum iniuriæ potiſſimum patent, etſi nondum ſummè calamitoſi ſint, vt ſunt aduenæ & peregrini, pupilli & viduæ, canit verſu 9. Eſt ſiquidem ſummæ bonitatis, erga eos ſeſe potiſſimum exerere qui ope eius maximè egent. Vbique autem Scriptura prædicat, Deo ſingulari curæ eſſe peregrinos, pupillos & viduas: quare & ſeueriſſimè vetat eos lædere, Exod. 22. d. 22, & alibi. Quod hîc ſubiicit, *Et uiam improborum euertet*: antitheſim habet ad illud, *Iehouah iuſtos diligit*, in verſu 8.

10 *Regnabit in ſeculum Iehouah Deus tuus Syon, in generationem & generationem. laudate Iah.* Hic verſus habet gloriationē de regno ſempiterno Dei, qui ſolus optimè cūcta inſtituit & moderatur. Huius regnū præcipuè in Siion, Sanctorum Eccleſia, cernitur. ideo eā nominatim appellat, inquiens, *Deus tuus Syon.* Hæc qui fide poſſet cognoſcere, æternū quoque ſe Regi huic addiceret, nihilque curaret prius, quàm ipſius voluntati gratificari: à qua agnoſceret iā & accepiſſe ſe, & accepturum omnia.

D.119. PSALMVS CXLVII, εὐχαριστικὸς ἢ προσφωνητικός.

Inuitat ad laudes Dei, nominatim Iiſraelem, & ciues Ieruſalem, quos rurſus ab ipſo canit colligendos. Vtque id certò ſperent, potentiam & bonitatem eius, cum in omnia, tum peculiariter in Iiſraelem, multis deprædicat. ARGVM.

1 LAudate Exiſtentem: nam canere Deum noſtrum, res eſt amœna atque iucū- PARAPH.
da: laudare eum, optabile.
2 Iehouah ædificabit Ieruſalem: congregabit extorres Iiſraelis.
3 Ille ſanat confractos corde, curat miſerè laborantes.
4 Supputat numerum ſtellarum, & indit vniuerſis nomina.
5 Magnus Dominus noſter, & ingēs virtute, intelligentiæ eius nequit iniri ratio.
6 Attollit manſuetos Iehouah, deiicit ad terram vſque improbos.
7 Cantate Iehouæ voce celebrantes, canite Deo noſtro in cithara.
8 Qui obducit cælos nubibus, & parat terræ imbrē, producitque herbā in mōtibus:
9 Qui dat iumentis cibum ſuum, pullis coruorum inuocantibus.
10 Non delectatur robore equi, non complacet ei in tibiis viri.
11 Complacet Iehouæ in iis qui ipſum timent, qui ad bonitatem eius ſuſpiciūt.
12 Effer laudibus ô Ieruſalem Iehouam, lauda Deum tuum Siion:
13 Quia vectes portarū tuarū roborabit, cumulabit beneficiis ciues tuos intrantes.
14 Ille terminos tuos donat pace, ſatiat te ſimilagine.
15 Ille amandat iuſſa ſua in terram, magna celeritate currunt mandata eius.
16 Dat niuem ceu lanam, pruinam velut cinerem ſpargit.
17 Proiicit tanquam buccellas glaciem ſuam: quis conſiſtat à frigore eius?
18 Amandat rurſus iuſſum ſuum, & liquefacit ea: reducit Spiritum ſuum, & ſtillant aquæ.
19 Qui adnuntiat iuſſa ſua Iaacob, ceremonias ſuas, & decreta ſua Iiſrael.
20 Cum nulla gente ſic egit, nec fecit eis nota ſua decreta. laudate Exiſtentem.

G.i.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *Laudate Iah, quoniam bonum canere Deum noſtrum. ſuauis, expetenda laus.* Amanti Deum nihil adfert ma
iorem voluptatem quàm deprædicate illius laudes. Inde ad has inuitans, teſtatur, canere
Deum, virtutéſque eius celebrare, eſſe rem cumprimis amœnam, & voluptiferam. id enim טוב
hic, vt & multis alijs in locis, ſignificat: tum iucundum atque ſuauem, quod exprimit vox נעים. I-
dem dicit & ſequenti particula, *optabilis laus*: ſic reddidi, ſequutus Aben Ezra, qui נאוה paſſiuum
putat ab אוה, quod concupiſcere ſignificat. Hoc nanque ſignificatũ magis quadrat cum נעים,
id eſt amœno & iucundo, quàm pulchra, quod נאוה ſignificat, ſi deducas à נוה, vt plerique faciũt.
2 *Iehouah ædificat Ieruſalem, colliget diſperſos Iiſraelis.*
3 *Qui ſanat confractos corde, & obligat plagas eorum.*
4 *Supputat numerũ ſtellarum, omnibus illis nomina vocat.* Reddit cauſã cur Sancti debeãt adeò laudibus
Dei delectari, nempe Iehouam Ieruſalem rurſum ædificaturum eſſe, & expulſos eius iterum col-
lecturum. Hinc coniectura eſt, compoſitum hunc Pſalmum, quum ſoluta fuiſſet captiuitas Ba
bylonica, & perexiguæ tamen eſſent adhuc res Iudaicæ. Spẽ verò huius inde confirmat quòd ca
nit Deũ ſolere opẽ ferre miſeris, tum omnia poſſe ac noſſe, bonitatémque in omnia incõparabi-
lem effundere. Primùm de ipſo prædicat, quod & paſſim Scriptura inculcat: eũ cõfractis corde,
hoc eſt ſummè adflictis, bonitate ſua mederi, omnémque eorũ moleſtiã leuare. Idque vocat per
metaphorã, Obligare: vulnera enim quũ curantur, ſolent obligari. Eadẽ vſus eſt & Ieſchaia 1.b.
6. Deinde canit, Deũ enumerare ſtellas, & eis indere nomina: de quo verſu 4. Id verò ad hoc vt fi
dẽ faceret, Deo perfacile eſſe, diſperſos per regiones terræ Iiſraelitas colligere, qui ſparſas per mul
to vaſtiores regiones cæli ſtellas numeret, & nomina ſingulis indat. Poſuit autẽ indere nomina
ſtellis, pro certiore cognitione. Quibus enim damus nomina, ea planè cognita habeam' oportet.
5 *Magnus Dominus noſter, & ampla virtute, intelligentiæ cuius non eſt numerus.*
6 *Attollit manſuetos Iehouah, humiliat improbos vſque ad terram.* Canit nunc immenſitatem potentiæ
atque ſapientiæ Dei verbis ſimplicibus: volens monere, Deum & poſſe cogere rurſus ſuum popu
lum, & noſſe vias quibus id conficiat, quanlibet longè latéque eſſent diſpalati. Quòd verò etiam
id velit, ex eo facit credibile verſu 6, quòd ſemper conſueuerit extollere adflictos, & adflictionem
ſuam æquo animo ferentes, id eſt manſuetos: deijcere autem ad terram, id eſt prorſus proſterne-
re improbos. Hinc ſanè fidem ſibi meritò populus firmabat, Deum ſe innocuum, & iam pietati
ſtudentem, haudquaquam diutius libidini impiarum gentium permiſſurum.
7 *Canite Iehouæ cum laude, pſallite Deo noſtro in cithara:*
8 *Qui obducit cælos nubibus parat terræ pluuiam, facit prouenire [in] montibus herbam.*
9 *Qui dat pecori cibum ſuum, filijs corui qui inuocant.* Confirmata ſpe reſtitutionis populo, ex his quæ
de Dei & potentia & bonitate memorauit: nunc tanquam indubitatò iam inſtaret vt populum
ſuum Deus liberaret & eueheret, ad laudandum eum cum voce, tum organis inuitat verſu 9.
Præterea quo amplius hanc fidem confirmet, memorat verſu 8 & 9, bonitatem Dei & in beſtias,
quibus oberrantibus in auijs montibus facit demiſſo imbre herbam prouenire: & paſcit pullos
coruorum, quos matres implumes deſerunt. Ferunt enim, ſimulatque hi excluſi ſunt, eo quòd tũ
albi, matres indignatas degeneri partui, auolare, & illos prorſus negligere. Si iam bis benignè a-
deò Deus proſpicit, vt eos vel rore, vt quidam putant, vel enatis in nido vermiculis paſcat, croci-
tationem eorum tanquam precem ad ſe fuſam reputans, quanto ampliore bonitate aderit popu-
lo ſuo, ex fide ad ipſum vociferanti? Pluris ſiquidem illi multo eſt, quàm pullj coruorum, vt di-
xit Seruator, Luc. 12. a. 7. Hanc coruorum paſturam memorat & Iiob 39. a. 3.
10 *Non delectatur virtute equi, non afficitur tibijs viri.*
11 *Afficitur Iehouah timentibus ſe, ſuſpicientibus ad bonitatem ſuam.* Excludit per occupationem cogita-
tionem carnis diffidentis de hac reſtitutione Iiſraelis, propterea quòd nullis eſſet inſtructus vi-
ribus, nullos haberet vel validos equos, vel viros robuſtis tibiis: hoc eſt corpore probè compacto
& robuſto. Canit enim, Deum non delectari vel robore equi, vel tibiis viri, vt quibus hæc ſint, o-
pem ideo præſentius ferat: ſed delectari ſe timentibus, & illis virtute ſic adeſſe vt potentiam quã
libet facillimè vincant. Quòd verò dixit, Deum non delectari robore equi & tibiis viri, in hoc ſo
lùm dixit, ne quis putet, ob hæc libentius iis Deum adeſſe quibus hæc contigerunt. alioqui pro-
bantur Deo cuncta ſua opera & dona.
12 *Lauda Ieruſalem Iehouam, lauda Deum tuum Sijon:*
13 *Quia firmat vectes portarum tuarum, benefacit filijs tuis in medio tui:*
14 *Quia ponit pacem terminos tuos, adipe frumenti ſatiat te.* Excluſa iã per ea quæ præmiſit, omni diſ-
fidentiæ cauſa, Vates iterum hortatur Ieruſalem vt Deum collaudet, quia ſit portas ipſius cõfir
maturus, & filiis eius, hoc eſt ciuibus benefacturus, curaturúſq; vt habeant quàm fœliciſſimè, nõ
intra vrbẽ ſolùm, verùm in omnibus quoque finibus: nec pace ſolũ, ſed omni quoque rerũ abun
dantia beati. id quod ſignificauit per illud, *Satiabit te adipe frumenti*, id eſt ſimilagine, quæ eſt purior

tritici farina, cribro tenuiſſimo à polline ſecreta, ita vt ex polline reſtãte, veluti ſecũdaria ſimila eliei poſſit, craſſiórq; rurſus pollẽ a ſurfuribus laxiore incerniculo ſecernatur. voluit ſiquidẽ canere, tantam eius fore frumenti abundantiã, vt tantùm ſelectiſſima farinæ medulla veſcerẽtur.

15 *Qui mittit dictum ſuum [ad] terram, verbum eius currit uſque ad celeritatem.*

16 *Qui dat niuem ſicut lanam, pruinam ſicut puluerem ſperge.*

17 *Qui proijcit glaciem ſuam ſicut buccellas: coram frigore eius quis conſiſtet?*

18 *Mittit uerbum ſuum, & liquefacit ea, reducit ſpiritum ſuum, & fluent aquæ.* Per hanc autẽ tritici abundantiã, aliarũ quoque rerum copiã ſignificauit. Ne autẽ timerent ſalutẽ hanc & fœlicitatem diu differendã, eo quòd præſentia adhuc nihil tale præ ſe ferrent, ſuccinit de celeritate operum Dei, eámque in iis quæ ſubitò fermè in aere perficit, & ingentia quidem, conſiderandam exhibet. *Emittit*, inquit, *dictum ſuum in terram*: hoc eſt, illicò è cælis in terram demittit quæ voluerit, quanlibet ſit immenſa diſtantia. *vſque ad celeritatem*, id eſt, ſumma celeritate currit verbum eius: hoc eſt quod iuſſerit, quódque voluerit effici. Id ex niue, pruina, grandine, quam glaciem vocat, ad modum buccellarum proiectam, ingenti frigore, tum horum rurſus liquefactione, flãte vento tepidiore, cognoſcendũ offert. Omnia enim hæc repẽte & exoriuntur, & rurſus mutãtur. inde ergo volebat populum Dei colligere, Deo non minus in manu eſſe ſimulatque vellet, miſeriã ſuã omnimoda fœlicitate commutaturum. Verſu 16 canit, Deum dare niuem vt lanam, propter eximiam albedinẽ. Sic & Ieſcha.1.c.18, Si fuerint peccata veſtra rubra vt purpura, cãdida reddẽtur velut lana.

19 *Qui adnuntiat uerba ſua Iaacob, ceremonias ſuas, & iudicia ſua Iiſraeli.*

20 *Non facit ſic omni genti, & iudicia non facit eis nota. laudate Iah.* Fidem populi omnium certiſſimo argumẽto cõfirmat: nempe quòd dediſſet ei Deus Legem ſuam, quam per verbum, ceremonias, & decreta, vel iudicia intelligit. Id ſanè filiorum donum fuit, & populi peculiariter ſelecti, quo cunctis gentibus infinitò præſtabãt, vti magnificè Moſcheh Deut.4.a.7, prædicat. Porrò hinc diſcendũ, eum populũ verè demũ Iiſraelẽ eſſe, qui verbum Dei habeat, & habeat fide. Hunc Deus nunquam deſerit, ſed colliget Spiritu, donec numero eius impleto, & vniuerſis viuis lapidibus in Chriſtum cooptatis, ædificium ſupernæ Ieruſalem ſteterit conſummatum. Proinde qui dolent, vt meritò debemus omnes, Sanctos adhuc variis circumagi erroribus circa res perituras, & ædificium Ieruſalem nondum ſtare ſartum tectum: habent hic vnde plurimum conſolentur, & iuxtà ad precandum pro eius inſtauratione incitentur, ſi ritè modò omnia expenderint.

PSALMVS CXLVIII, ἀνεπίγραφος.

Inuitat ad laudes Dei cunctas creaturas, tam ſupernates quàm infernates: in eo Sanctos monens ut in omnibus rebus, Dei nunquam ſatis admirandam uirtutem, ſapientiam, & bonitatem conſiderent & deprædicent. ARGVM.

1 LAudate Exiſtentem. Laudate Iehouam mentes æthereæ, laudate eum qui verſamini in ſupernis. PARAPH.

2 Laudate eum vniuerſi Angeli eius, laudate eum omnis exercitus eius.

3 Laudate eum Sol & Luna, laudate eum vniuerſæ luce præditæ ſtellæ.

4 Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ ſunt ſupra cælos.

5 Laudate nomen Iehouæ, nam ipſe verbo omnia condidit:

6 Fecítque vt perſtent in omnia ſecula, legem dedit quæ non abrogatur.

7 Laudate Iehouam, qui verſamini in terra, dracones, & cunctæ abyſſi.

8 Ignis, grando, nix, & exhalatio ſicca, flatus procellæ perficiens iuſſum eius:

9 Montes & vniuerſa loca editiora, arbores fructiferæ, & cunctæ cedri,

10 Feræ, & cuncta pecora, reptilia & volucres pennatæ,

11 Reges terræ, & cuncti populi, Principes, & vniuerſi magiſtratus terræ,

12 Adoleſcentes & virgines, ſeniores & iuniores,

13 Laudate nomen Iehouæ: nam celſum eſt nomen eius ſolum, celebre eſt ſupra terram & cælos.

14 Euehet potentiam populi ſui: laus decet cunctos qui ipſi nomen dederũt, bonitati ſtudentes, Iiſraelem, populum qui ipſi accedit. Laudate Exiſtentem.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 L*Audate Iah. Laudate Iehouam è cælis, laudate eum in excelſis.* Cũcta Dei opera incredibilem eius ſapiẽtiam, potentiam, & bonitatem in ſe mirificè oſtentant, vt laudes eius celebrare etiam illa dicantur quæ ratione carent & voce. Sic quòd hic Pſaltes omnia à Deo condita appellat, laudibúſque efferre Deum hortatũr, magis adeò indicatio eſt quid faciant, quàm iuſſio vel inuitatio vt

locum illi ſupra aerem,nó abſque ratione aſſignāt:id quod & Ariſtoteles De mundo ad Alexandrum,teſtatur,vocans eam λεπτομερῆ ϗ φλογώδη οὐσίαν,id eſt tenuiſſimarum partium,& flammeam ſubſtantiam.Idem aſtruit & D. Auguſtinus lib.2.de Geneſi ad literam,cap.2.Hæc verò vtcūque habeant, cælos cælorum vocari hîc naturam quæ infra orbem Lunæ eſt,& ad nos vſque pertingit,eam ſiue aeream ſolam, ſiue cum ea & igneam intelligas, manifeſtum eſt. Iam ſupra aerem proximum nobis nubes contineri, hoc eſt aquas rariores quàm vt diſtillent (imber enim fit expreſſione nubis magnopere addenſatæ)etiā videmus.Hic aer רקיע, id eſt expanſum illud eſt,quod Gen.1.a.6,legimus, Deum condidiſſe die ſecundo, cælos vocatum: & poſuiſſe interſtitium inter aquas ſupernas & infernas,id eſt raras illas & ſubtiliores,eóque in ſublimi pendentes, & craſſas grauéſque,quæ infrà vel ſtagnāt vel fluunt. Nec obſtat quòd die quarto legimus cōdita lumina in expanſo illo.Scriptura nanque multa ſecundum noſtram phātaſiam loquitur. Iam nobis videntur illæ cæli lampades in aere pendere. Hanc huius loci Geneſeos enarrationem, nemo à me commentam putet.præter Hebræos,& veteres Chriſtiani eam tradiderunt:vocátque illam diuus Auguſtinus de Geneſi ad literā libro ſecundo,cap.4,diligentiam & cōſiderationem laude digniſſimam. Ad hæc vel puero liquet, Spiritum ſanctum dediſſe operam,vulgo cognita, & omnium oculis expoſita Dei opera,ab initio Geneſeos commendare, vt ex certiſſimæ potentiæ,& bonitatis eius indiciis, ad timorem cultúmque eius,ſtupidum alioqui hominum genus prouocaret.Omnibus profectò doctrinā ſuam conſcripſit, & reddit fructiferā, præcipuè ſimplicioribus.Proinde mihi dubium non eſt,ita eum de cælis,de aquis ſupra & infra cælos,de expanſo,quod præter rationē vocabuli Hebræi, firmamentū vocamus, ac aliis eiuſmodi rebus, in ſuas literas retuliſſe, vt poſſet id intelligi à quouis:moneréque,non rerum harum, vt quæ ab omnibus viderentur & tangerētur,ſed Deum harum autorem eſſe & gubernatorem. Ideò ſanè de Angelis prodidit tam pauca : licet eorum auxilia ſiquis animaduertat, quàm ſæpe præter omnem naturæ viſibilis rationem,eóque nonniſi per Angelos iuuemur, nemo ignorare poſſit. Naturam tamen eorū,quia altior eſt quàm vt à nobis poſſit cognoſci,cæleſtium nomine ſignificaſſe,ſatis habet.

5 *Laudate nomen Iehouæ,quia ipſe mandauit,& condita ſunt:*

6 *Et ſtatuit ea in ſeculum & in ſeculum: legem dedit,& [ea] non tranſibit.* Quum deſcendendum ad terrena Vati eſſet,antea admonuit verbo hæc tanta eſſe à Deo cōdita,& certum ſuū locum curſúmque mirifico ac perpetuo tenore vſque obtinere.in quo viſendam & ſtupendam ſanè ſeſe Dei & potentia & ſapientia exhibet , lege quam illis Deus initio dedit , haud vnquam tranſeunte , hoc eſt vel ceſſante,vel intereunte.

7 *Laudate Iehouam è terra,dracones,& omnes abyſſi.* Deducit nunc ad conſiderationē rerum terrenarum. Vt enim illud verſu primo,De cælis,pro,qui eſtis è cælis,hoc eſt naturæ cæleſtis:ita hoc, *De terra*,accipiendum eſt,pro,qui eſtis de terra,id eſt terreni. Sic vno verbo,mentem ſanctam immittit in vaſtum hunc terrarum orbem,& quæcunque mira cōtinet:vt inibi Dei opera, non innumera ſolùm,ſed etiam inexplicabili ratione conſtantia cōtempletur.Per dracones quos ſubiicit,quaſlibet immaniores belluas,in quibus ſingulari miraculo Dei potentia declaratur,intellexit. Per abyſſos , non ſolùm maria , ſed ſimul quoſlibet lacus ac flumina ſignificauit : ſicut & Pſalmo 135 verſu 6.

8 *Ignis,& grando,nix & exhalatio ſicca,flatus procellæ faciens verbum eius.* Memorat quæ in aere proximo terræ,immutationes cōflictationéſque fiūt. Per ignem, fulgetra intellexit & fulmina.קיטור exhalationem,ſed ſiccam,manantem è terra,& in fumum conformatam,ex qua venti flatuúmque differentiæ,tonitrua,fulgetra,turbines,fulmina,atque id genus exoriuntur. De procella,flatu repentè proſiliente, & cuncta proterente, dixi in verſu 6 Pſalmi 11. Hîc dicitur facere verbum Dei,quia mira per eum Deus efficit,& grauiores vltiones cōficit:ſicut eiuſmodi flatu currus Pharaonis,Exod.14.e.21:itē Chenaanitarū,Iudic.4,perturbauit & euertit, aliáque pro ſuis cōtra hoſtes deſignauit. Hæc inter terrena Pſaltes memorat,quia in terra vis eorum præcipuè ſentitur.

9 *Montes & omnes colles,arbor frugifera,& omnes cedri:*

10 *Fera,& omne pecus,reptile & volucre alatum.* Monet conſiderandam Dei virtutem in montibus, ac quibuſlibet locis editioribus,tum arboribus tam fructiferis quàm ſylueſtribus,quas per cedros intellexit. In his enim omnibus non pauca Diuinæ bonitatis miracula conſpiciuntur, ſiquis dignè animaduertat. Verſu 10,animantes memorat manſuetas & feras,reptantes & volātes:in quibus bone Deus,quantum eſt miraculorum complexus?

11 *Reges terræ & omnes populi,principes & omnes iudices terræ:*

12 *Iuuenes,& etiam virgines,ſenes cum iunioribus,*

13 *Laudate nomen Iehouæ:quia celſum nomen eius ſolum,celebritas eius ſuper terram & cælos.* Contemplāda offert Dei miracula in hominibus, verſu 11,in his nominatim qui poteſtate aliqua fungūtur, vt ſunt Reges,& populi ſuis legibus vtētes,quibus vel regnū eſt,vel Reſpublica: hi enim לאמים vocātur. Principes & iudices,magiſtratus ſūt reddētes ius. Etenim quū hi ferè ſtulti & mali ſint,iuxta

prouerbium,aut Regem aut fatuum:& perpauci hominum ſint qui vel bonorum & ſapientium imperium ferant: ſtupẽdum ſanè miraculum eſt,tot millia parêre paucis,ac ſæpe vni, eíque nihil vel iuſtitiæ aut prudentiæ habenti.Hîc ergo illud re ipſa conſpicitur, conſtitutione Domini omnem poteſtatem conſtare:& Dei ſtatuto aduerſari,qui illi,qualis qualis ſit,ſeſe oppoſuerit.Dii nanque ſunt,id eſt Deum referẽtes,Deíque præfecti, vtcunque ſicut homines moriantur. Verſu 12,ætatũ differentias memorat, quæ ſingulæ ſua peculiaria Dei dona & miracula habent. Vnde enim iuuentuti tanta gratia & virium robur, ſenibus tam veneranda grauitas & prudẽtia,niſi à Deo,ſuam in ſingulis bonitatem oſtentante:Hinc meritò ſuccinit, nomẽ & maieſtatem Dei noſtri ſolam venerandam & ſuſpiciendam,eiúſque celebritatem & laudem tantam eſſe,vt cælos & terram non repleat ſolùm,ſed infinito ſuperet.

14 *Et attollet cornu populi ſui,[laus competit]omnibus bonis eius, filiis Iiſrael, populo appropinquanti ipſi. laudate Iah.* Admonet hîc peculiariter beneficiorum quibus Deus cumulat electos,verum ſcilicet Iiſraelem,homines vt fide ipſi conſecratos,ita imitatione eius, bonitati in omnibus & erga quoſlibet ſtudentes,& ſic omni ſtudio & vitæ ſanctimonia Deo accedentes. Et his laudem Dei peculiariter accommodat: quia ſoli bonitatem Dei dignè agnoſcunt, vtpote præ omnibus aliis eam experti,quos ille ad conſortium Diuinitatis adſciuit.

PSALMVS CXLIX, ὑμνητικὸς & εὐχαριστικός.

ARGVM. *Inuitat peculiariter Iiſraelem ad laudandum Deum: prædicitque futurum ei ut ſummo Deum ſtudio celebret,poſtquam ille ipſum non reſtituerit modò,ſed etiam Gentium uictorem atque caſtigatorem effecerit.*

PARAPHR. 1 LAudate Exiſtentem. Cantate Iehouæ carmine nouo,laus eius ſit in cõcione ſtudentium bonitati.
2 Lætabitur Iiſrael de factore ſuo,ciues Siion de rege ſuo.
3 Laudabunt nomen eius cum tibia,canite ei cum tympano & cithara:
4 Nam complacet Iehouæ in populo ſuo,manſuetos ornabit ope ſua.
5 Exultabunt boni,ouabunt decore inſignes in cubilibus ſuis.
6 Exaltatio Dei eſt in gutture corũ,& in manibus eorũ gladius vtrinq; incidẽs:
7 Vt ſumant vltionem de Gentibus,vt caſtigent populos:
8 Vt vinciant catenis Reges eorum,& qui inter eos dignitate pollent, compedibus ferreis:
9 Exerceántque iudicium in eos, de quo ſcriptum eſt: decus hoc erit cunctis qui ipſi ſe dediderunt,bonitati ſtudentes.laudate Exiſtentem.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *LAudate Iah. Canite Iehouæ canticum nouum,laus eius in Eccleſia bonorum.*
2 *Lætetur Iiſrael in factore ſuo.filij Siion exultent in rege ſuo.*

3 *Laudate nomen eius in tibia,in tympano,& cithara pſallite ei.* Vaticinatur hoc Pſalmo de reſtitutione atque euectione Iiſraelis,quæ illi contigit à ſoluta captiuitate Babylonica:& ſub hac velut typo,de vera & ſpirituali,quæ facta eſt per Ieſum Chriſtum. Proinde ſimulatque ad laudandum Deum nouo carmine,ob nouum & eximium Dei beneficiũ inuitauit, ſtatim ſubiicit,breui multam fore in cœtu bonorum laudem Dei,miréque lætã,lætante iam ſolidè Iiſraele de fictore ſuo, & Siiõ de Rege ſuo.Id enim illum eſſe ſeſe,cum rariſſimis, tum & maximè inſignibus beneficiis declaraturum.Lætitiam ingẽtem & effuſam futuram eo ſignificat quòd prædicit, modulaturos cum tibia,& tympano,& cithara,quæ nonniſi in præcipuis populi gratulationibus adhiberi ſolebant.Cæterùm de vſu organorũ,dixi fuſius in verſu 2 Pſalmi 33.Nonnulli chorum vertunt,vt & ſignificare alicubi, præſertim Exod.32.d.19, videtur:at etiã fiſtulã,vel tibiã ſignificare,ex Exod. 15.c.20,Iudic.11.f.34, & 21.d.22,ac aliis locis,haud obſcurũ eſt. Quum igitur hic aliis inſtrumentis muſicis adnumeretur,malui tibiam quàm chorum illud reddere.

4 *Quia afficitur Iehouah populo ſuo,ornat manſuetos in ſalute.*

5 *Exultabunt boni in decore,ouabunt ſuper cubilibus ſuis.* Vt verò inſignis eſſet futura Dei in Iiſraelem beneuolentia,vtque illum erat præclarè ornaturus,canit verſu 4:indéque quàm ingens erat futura illius lætitia,it vt in a lectis ſuis ouarent,gaudio geſtientes,iterum memorat verſu 5.

6 *Exaltationes Dei in gutture eorum,& gladij bicipites in manu eorum,*

7 *Ad faciendam ultionem in Gentibus,caſtigationes in populis,*

8 *Ad uinciendum Reges eorum catenis,& optimates eorum in compedibus ferri.*

9 *Ad faciendum in eis iudicium ſcriptum: ſplendor hic omnibus bonis eius laudate Iah.*Canit victoriam Sanctorum de Gentibus, *Exaltationes*, inquit, *Dei erunt in gutture illorum*: quo ſignificauit lætas eorum acclamationes proficiſcentium ad bellum.Pleni nanque fiducia de auxilio Dei,lætis id erant voci-

bus teſtaturi. Gladios ait futuros in manibus illorum, vtrinque incidentes: quo voluit notare virtutem illorum inuictã, cunctáque proſternẽtem, qua ingẽti adeò ſucceſſu hoſtes innumeros ceciderunt, & proſtrauerunt, miſſis ſub iugum totis *gentibus & populis*, id eſt regnis, vel pari Regibus poteſtate pollentibus, (id enim ſignificat לאמים, vt dixi in verſu 11 Pſalmi præcedentis) vinctis quoque illorũ Regibus & Principibus. Hoc iudiciũ facturos eos, in Deut. 32. f. 40, prædictũ fuit. ideo vocat *iudicium ſcriptum*, id eſt de quo ſcriptum eſt. Sic enim illic legimus dixiſſe Dominum, Attollam ad cælos manum meã, & dicam, Viuo ego vſque in ſecula. Quũ acuero gladiũ meum vt vibratum fulgeret, & cœperit manus mea facere iudicium: reddam vltionem infeſtis mihi, & odientibus me rependam, &c. His autem promittit illic Deus, vindicaturum ſe populum ſuum, iam perſolutis ab eo impietatis ſuæ pœnis, in gratiam receptum: & gentibus quæ illum obtriuerant, quas ideo vocat infeſtas, ſibi talionem redditurum. Id verò magnificè præſtitit, regnantibus apud Iudæos Machabæis: præcipuè vero Alexandro, cuius imperium agnoſcebant, teſte Ioſepho libro Antiquitatũ 13. cap. 21, Syri, Idumæi, Phœnices, omnis ora maritima, Turris Stratonis, Apollonia, Ioppe, Iamnia, Azorũ, Gaza, Raphia, Rhinocolura. In mediterraneis, Samaria, Carmelus mõs, Thaburius, Scythopolis, Gadara, Gaulanitis, Seleucia, Gabala, Moabitis. Tã latè enim tum imperarunt, quàm vnquam antea, etiam regnantibus Dauide & Schlomone. Ad id verò Imperii, non ſine ingentibus gentium ſtragibus peruenerunt. Sic perfecerunt in illas gentes iudicium quod ſcriptum erat, hoc eſt, fuerat in Scripturis promiſſum. Quanlibet autem præclara & ſtupenda hæc fuerint, tantùm vmbra tamen fuere eorum quæ Spiritu ſuo perfecit poſtea Chriſtus, ab eo quòd Euãgelium ſuum orbi donauit, ſuóſque ſpiritualibus armis (de quibus Paulus 2. Corinth. 10. a. 4, gloriatur) inſtruere cœpit. Sic ſanè his Reges & populi deuincuntur, vt omnia cogitata eorum, ſaluti & gloriæ Sanctorum ſeruire oporteat: partim ipſis vltrò cedẽtibus veritati, partim ab ea proſtratis & extinctis. Dũ enim Sancti Verbo veritatis, hoſtes omnĩ impietatis ſuæ excuſatione nudant, eóque adigunt vt ex profeſſo Spiritum Dei oppugnent, efficiunt vt breui externe quoque deleantur. Quĩ enim nõ breui exterminarentur qui bellum indicunt Deo: Ita vſuuenit multis Romanorũ Principibus, & inter eos inſigni illi hoſti Dei Iuliano. Nihil eſt ſanè Verbo Dei (quod verè gladius eſt vtrinque incĩdẽs, vt Epiſtola ad Heb. 4. c. 12, teſtatur) ad vaſtandos malos efficacius. Virtus enim Chriſti eſt, cui Pater dedit poteſtatem omnium. Porrò obſeruandum quod in fine adiicit, *Splendor hic*, vel decus hoc, *eſt cunctis bonis eius*. Alii id de ſplendore & decore lætitiæ ob victoriam eiuſcemodi ſemel habitam, intelligunt: ſed quum facto iudicio ſubiiciatur, non feſto, vel gratulationi, rectius ipſam victoriam intelligemus, quæ vtique omnibus piis & bonitatis ſtudioſis ſemper Diuinitus egregiè donatur, tam quæ paratur armis corporis, quàm quæ ſpiritualibus. Quàm inſignes enim Cõſtantinus, ac alii pii Principes de impiis Gẽtibus victorias ſæpè retulerunt! Hoc decus nec noſtris hodie Principibus, quibus nimirum Gladii poteſtas demandata eſt, deeſſet, ſi ſtuderent eſſe *boni Dei*: id eſt, Deo ſeſe totos addicerent, & bonitati erga quoſlibet, vti deorum nomen gerunt, ſtuderent. De victoria Verbi quid opus multis memorare, quum illud nequeat ſui diſſimile eſſe! Et hodie appareret indubiè illud eſſe gladius deuincens omnia, ſi eſſent qui vti eo gladio poſſent. poſſunt autem, qui illi ſolidè fidem habent, valedicto mundo, & abdicatis carnis huius concupiſcentiis.

PSALMVS CL, ὑμνητικὸς καὶ ἀγαλλιαστικός.

Inuitat ad laudandum Deum, pro immenſa amplitudine eius, idque ſummo ſtudio: atque ideo non voce ſolùm, ſed adhibitis ſimul omne genus inſtrumentis muſicis. ARGVM.

1 LAudate Exiſtentẽ. Laudate præſidentem in Sacrario ſuo, laudate eum regnantem in æthere, ſede potentiæ ſuæ. PARAPH.

2 Laudate eum pro virtute eius, laudate eum pro ampla magnitudine eius.

3 Laudate eum cum clãgore buccinarum, laudate eum cum fidibus & cithara.

4 Laudate eum cum tympano & tibia, laudate eum organo & fiſtula.

5 Laudate eum cymbalis ſonoris, laudate eum cymbalis clangentibus.

6 Quicquid eſt præditum ſpiritu, laudet Exiſtentem. Laudate Exiſtentem.

AD VERBVM EX HEB. VERSIO ET EXPLANATIO.

1 *LAudate Iah. Laudate Deum in Sacrario ſuo, laudate eum in expanſo roboris eius.*

2 *Laudate eum ſecundum fortitudines eius, laudate eum ſecundum magnitudinem eius.* Qui Pſalmos in quinque hæc volumina redegit, indubiè data opera eos ſub finem collocauit qui laudes Dei toti, & multis celebrant. Laus ſiquidem Dei, ſupremum & ſempiternum Sanctorum opus eſt: quæ tum abſoluta erit, quũ eius in nobis perfecta bonitas, penitus nobis ad imaginẽ Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti reſtitutis, fuerit. Natura ſiquidẽ ita cõparati ſumus, vt eũ laudibus efferamus, cuius in nos beneficia experimur. Hic ingentibus quidẽ nos Deus cumulat: at dum adhuc cum pecca-

tis, atque ideo tot quoque ærumnis & morte ipſa colluctamur, ita his occupamur, vt Dei in nobis bonitatẽ ſatis admirari haud poſſimus. Proinde depulſis his, & cõſummata in nobis iuſtitia, atque inde vita perpeti & beata, vt nihil niſi ſtupendam Dei in nobis bonitatem cernemus, ita nihil libebit quoque, quàm illã memorare, laudibúſque attollere. Huc videtur Pſaltes reſpexiſſe, eo quòd quũ aliàs ad laudandum Deum præſidentem in Siion, in Arca fœderis ſæpe inuitarit, hîc iubeat celebrare præſidentem in Sacrario cæleſti. Apertè enim animos Sanctorum hoc dicto ab vmbris Legis, in Solem veritatis ſupernæ ſubuehit. In verſum primum Pſalmi 148, dixi de catachreſi, qua ſpiritualis illa, & vt ſenſibus noſtris incomprehenſibilis, ita rationi quoque noſtræ innominabilis Diuinitatis Regia, cælũ vocatur: eadẽ appellatur hîc expãſum, id eſt רקיע, quod vulgò firmamentum reddunt. Additur, *roboris eius*, eo quòd nuſquam tam eximiè viſendam illam exhibeat. Huic quoque ſuperno Dei palatio nomen קדש, quod eximium, auguſtum, Diuinũ ſignificat, vnicè competit. Ad idem dictum videtur, & quod canit verſu 2, quo iubet laudare Deum ſecundum virtutem eius heroicam, & multitudinem amplitudinis eius. Etſi nunquã hanc noſtris poſſimus laudibus aſſequi, tamen penitus renati, donatíque ea ſorte vt Deum coràm videamus ſicuti eſt, infinito propius ad illam, quàm modò, pertingemus.

3 *Laudate eum in clangore buccinæ, laudate eum in fidibus & cithara.*

4 *Laudate eum in tympano & tibia, laudate eum in organis & fiſtula.*

5 *Laudate eum in cymbalis auditus: laudate eum in cymbalis clangoris.*

6 *Omnis halitus laudet Iah. Laudate Iah.* Memorat organa muſica plura quàm vllo alio Pſalmo: quo ipſo quoque ſignificat, ſe ad pleniorem nos hîc laudem Dei prouocare. Sic nempe eſt ingenium hominis, vt quicquid vlla ratione ad lætitiam facit, magno ſtudio adhibeat, dum quẽpiam eximiè honorare, & quàm magnificentiſſimum illi virtutum dare teſtimonium conatur. Inde dum ſuam populi erga Principes ſuos pietatem ac ſtudium volunt ſignificare, teſtaríque quàm illos ſuſpiciant, quámque colant, feſtis vocibus ac hymnis adiungunt quicquid vſpiam eſt dulce ſonans, feſtiuæque modulationi accõmodum. Beatam igitur futuræ vitæ feſtiuitatem, ingentémque laudibus Dei lætitiam, qua licuit ratione volens ſignificare, iubet tot inſtrumentis lætè modulantibus, Diuinæ bonitatis laudes celebrare. De inſtrumentis verò quæ memorãtur, exceptis duobus, dixi in verſu 2 Pſalmi 33, & in verſu 3 & 4 Pſalmi 81. In verſu 4, præterea habet מנים, quod alioqui genera ſignificat: quare id organũ multis conſtans inſtrumentis, vt vulgò habẽtur, putant. עוגב fiſtulã interpretantur. De תוף dictum eſt in verſu 3 Pſalmi præcedentis. Quod eſt in vltimo verſu, *omnis ſpiritus*, vel *quicquid ſpirat*: magno affectu ſubiectũ eſt. quaſi diceret, Quid varia enumero inſtrumẽta? quicquid omnino ſpirat, ſonare laudẽ Dei debet, cuius in nos eſt tam ineffabilis & effuſiſſima bonitas, à quo tam indicibilia bona percipimus. Subiecit, *Laudate Exiſtentem*: quo & præcedentes quatuor Pſalmos clauſit. hoc enim perpetuum eſt verè Deum agnoſcẽtium & votum, & ſtudium: vti ad id cum nos, tum vniuerſa ſunt condita.

PERORATIO.

Id nobis qui ſolus laudatus, ac ab omnibus in ſempiternũ laudandus eſt, Deus, fictor & inſtaurator noſter, donet agnoſcere: perceptáque ſolidè ſua bonitate, laudibus ſuis nos, quanti ſumus, addicere. Quod dici non poteſt quantum nos à vanitate huius ſeculi auocabit, omníque virtutũ genere exornabit, ſapientia denique verè cæleſti ditabit. Huc igitur quũ nos (ſi ſit modò mens Diuinarum rerum capax) plurimũ promoueat, cum alios arcanæ Scripturæ libros, tum præcipuè Diuiniſſimos hos Pſalmos religioſo ſtudio euoluere & excutere, det Chriſtus humani generis reparator, hos omnibus qui ipſi nomen dederunt, faſtiditis ſeculi huius, non tam vanis quàm noxiis oblectamentis, id ſapere quod ſunt: nẽpe delicias cæleſtes, ſolida ac ſempiterna voluptate perfundentes. His, ne peregrinæ Linguæ idiotiſmi, & tractandi conciſa breuitas, has viuificas dapes inſuaues redderent, & ſtridore ſuo cæleſtem modulationẽ nonnihil perturbarent, quoad per Dominũ datum, complanare quæ dicta ſunt noſtris auribus inſolentius, & explicare quæ noſtræ ruditati tradita ſuccinctius, anniſi ſumus. Quid præſtiterimus, aliorum eſto iudiciũ: ſed iudicantium candidè, & cum timore Dei. Equidẽ aliud nihil ſpectaui, quàm vt ipſa Diuini Pſaltis verba germanè, & cum fructu pietatis intelligerentur: nihil cuiquam mea ſententia præiudico, indicis tantùm vice functus ſum. Si quẽ ergo his meis lucubrationibus (quas certè nõ abſque ſudore partas, quicunque eas introrſum inſpexerit, videbit) iuuari contigerit, gratias agat Seruatori, cuius donum eſt quicquid boni per quencunque adminiſtratur. Vbi verò hominẽ prodidiſſe, & hallucinatum me pius lector putabit, cogitet in magnis & conatũ laudi ducendũ: nec quenquã eſſe qui in his ob Linguæ ſacræ inſolẽtiam, & tam multa pluſquã Laconica breuitate dicta, præſtiturũ ſe ſarta tecta omnia auſit polliceri. Quibus hæc noſtra in totum diſplicebunt, ii habent alia quibus ſe oblectent: tantùm ſua ſaturitate, famem aliorum ne metiantur. In cõmune verò oremus Magiſtrũ noſtrũ cæleſtem vt is ita doceat vniuerſos, quo tandẽ nulla omnino hominum opera opus ſit, ab vnctione cognoſcẽtibus omnia: cui ſit gloria & decus in ſecula. Amen.

D. Martini Buceri in librum Iudicum Enarrationes.

IN CAPVT I.

VTSVM eſt nō inutile ſi explicarem libros hiſtoricos Sacrorum Bibliorum:ii enim cum doctrina,Sacra exempla habent,& vim excitandi nos,noſtróſque animos.Ergo exordium faciemus à libro Iudicum. In Sacris autem hiſtoriis ſemper eſt facienda anagoge ad Chriſtum,vt agnoſcamus in his exemplis quæ commemorātur,eſſe exemplum & typum nobis propoſitum:& eum Chriſtum qui illa omnia fecit, eſſe quoque noſtrū, & eadem nobis expectanda ab ipſo. In hoc autem libro deſcribuntur peculiariter opera Dei quæ per Iudices Diuinitus cōſtitutos & præfectos populo, Deus exercuit. Habetis lib.3 Politicorum Ariſtotelis quinque genera monarchiæ: inter quæ vnum eſt Heroum, quando propter virtutem eminentem, volens populus præficit quendam: quale hîc deſcribitur Iudicum genus. Iudices ergo dicebantur,& erant,qui ſumma poteſtate vtebātur,& rerum potiebantur,ad id Diuinitus effecti & excitati cum conſenſu populi.Et hæc eſt,vt dicit Ariſtoteles, optima ſpecies monarchiæ:neque enim per genus ſuccedebant ſibiipſi.Diſputant quidam de autore huius libri:ſed quia eſt incertus,quieſcimus de hac re. Vnum hoc notemus, in hoc populo eſſe nobis propoſitum exemplum,vt idem à Deo expectemus per mediatorem Chriſtum:bona quidem,ſi bona fecerimus:mala,ſi mala.

1 *Interrogauerunt filij Iſrael,&c.* In præſēti videtis quòd popul⁹ deſtitutus Iudice Iehoſuah, quæſiuit alium Principē:verùm nō ſua voluntate,ſed eū à Deo petiiſſe.itaque accepto Principe ope Dei,& iuſſū Dei voluiſſe perſequi:atq; ita ſucceſſiſſe opus.Habet enim Deut.7.a.2,quòd præcipit Dominus vt omnes Gentes indigenas delerent ſucceſſu tēporis,& ne haberent fœdus cum illis Gentibus.Ergo adhuc populus eſt obediens. Generaliſſima ergo propoſitio complectens omnes,eſt,Populus Dei in perſequēdis & delendis hoſtibus,certo Principe,perrexit Deo obedire. Secundum quod hîc docetur,nihil arduum tentandum ſine pio Principe. Tertiū,pium Principem Diuinitus petendum.Ergo laudatur hic populus nobis in exēplum. Diſcimus igitur hîc obedientiam Deo præſtandā. Sed quia non facile erat, nec vtile, ſemel extinguere Gentes, ne terra vaſta redderetur, vetuit omnem ſocietatem cum Gentibus,ne moribus eorum vitiarētur. Exod.23.f.30 id quod deinde ipſis contigit,quū inciperent fœdus cum eis percutere,& matrimonium contrahere.Eorū ergo exemplo & malo ſapiamus, vitemúſque conſuetudinem impiorum: ſed modo quodam.nam debemus omnibus offerre Euangelium,& omnes inuitare ad obedientiā Dei.Sed interiorem conſuetudinem in cōtractibus, quæ fieri ſine cōſenſu non poteſt, aut difficile poteſt, debemus omnino cum impiis intermittere,& quicquid eſt familiaritatis. Diſcamus ergo primùm hîc Diuinam ſeueritatem potius ſequendam,quàm humanam miſericordiam: ne ſimus miſericordes,vbi Deus iubet eſſe ſeueros. Deinde omnem interiorem conſuetudinem, & ſtudiorum communicationē non colentium Deum vitandam eſſe omnibus Chriſtianis:quia paulum fermenti totam maſſam fermentat,1.Corin.5.b.6. Tertiò diſcamus noſtrā clementiam non noſtro iudicio,ſed verbo Dei metiendam,neque reſpiciendā perſonam.Nam eſt crudelitas parcere malis:& crudelis eſt in oues,qui parcit lupis. Quartò,hîc diſcimus,quando eſt aliquid arduum gerendum, maximè in bellis, committendam eſſe vni ſummam rerum, etiam vbi eſt politia, vt erat Romæ. Nam in eiuſmodi rebus, ſæpe oportet multa celeriter vnius edicto fieri. Ergo propoſitio eſt,In omni re ardua,& in omni politia bene adminiſtranda,opus eſt vno ſummo moderatore. Verùm quia nemo dat, & facit bonum & idoneū Principem,à Deo petendum eſſe talem Principem hoc exēplo diſcimus,&c. Deinde hîc diſcimus Deo placere vnitatem & communem ſocietatē:vt ſimul diſcamus nos ſubiicere alterius imperio, & alterius cōſilium noſtro præferre: & vbi eſt publico conſenſu aliquis penes quem eſt imperiū,ei nos toto corde ſubiiciamus. Eſt enim bonum habere ductorem & conſultorem, moderatorem & monſtratorem. *Interrogauerunt,&c.* Diuinitus petunt Principem. erat enim Sacrum ſymbolum, quòd Sacerdos conuertens ſe ad Deum,& Sacra prece excipiebat oraculū Diuinitus.His ergo Sacris ſymbolis Dei populo cōfirmabat ſuas promiſſiones, quibus pollicebatur ſe certò in rebus dubiis velle reſpondere interrogantibus. Commendatur autem hîc nobis inſigne Dei beneficiū, quòd Deus ſua præſentia populo ſuo reſpondebat in dubiis rebus:idque per Chriſtum, qui eſt noſter, & nos

ſumus perfectior Dei populus,quia Chriſtum habemus,& cognoſcimus plenius .Ergo etiã nos oraculum hoc habemus:ſed quia conditio noſtra eſt perfectior,non habemus opus tot ſymbolis quot illi. Chriſtus dicit, ſi Domino quicqua petierint in ſuo nomine,à Deo impetraturos. Ergo nos quũ in nomine Chriſti côueniemus,& petemus à Deo aliquid,ſepoſitis omnibus cæteris negotiis,impetrabimus. Hîc ergo iubemur,in eligẽdo Magiſtratu oraculũ cõſulere. Et quanuis nõ habeamus Ephod,Vrim & Thumim,tamen habemus Sacrum côuentum:eò conueniamus:per Chriſtum fideli prece oremus,& rogemus oraculũ, & impetrabimus. Is ergo temperabit ita animos eligẽtium & ſuffragia,vt is eligatur qui eſt digniſſimus. Poteſt tamen etiã fieri rectè vt ſuffragia adhibeãtur: vt in electione Matthiæ fecerũt Apoſtoli, Act.1.d.26. Deinde in electione hoc eſt ſtudendum,vt digniſſimus in quoque munere præferatur. Hæc eſt lex Dei & naturæ, vt in electione nõ modò indigni excludantur, ſed etiam digniores dignis,digniſſimi dignioribus præferantur. *Et interrogauerunt,&c.* Tria habebant ſymbola quibus oraculũ Diuinum exquirebant, Propitiatorium,rationale Sacerdotii,in quo erat Vrim & Thũmim,tertiũ Ephod. Iſtorum nos nullum habemus,ſed promiſſionem habemus, Si qui in nomine meo conuenerint,&c. Matth.18.c.20. Et ſymbolum,eſt ipſa congregatio.

Matth.18.c.19

2 *Iehuda aſcendet,&c.* Hîc oportet à ſpecie,adminiſtratione ſcilicet belli,aſcẽdere ad genus: & dicere, In omni bona functione nemo poteſt quicquam rectè & ordine conficere,niſi Diuinitus ad id deputatus. Ergo minimè in adminiſtratione Eccleſiæ : quia ea eſt difficillima functio. Eſt igitur ibi diligenter oraculum Dei conſulendum in tali electione. *Tradidi terram.* Hîc nota ſolius Domini eſſe,terras tradere in poteſtatem alicuius. *In manu*,id eſt in poteſtate.

3 *Et dixit Iehuda ad Simeonem.* Hîc vides quæſitam opem & ſocietatẽ: tamen Dominus iuſſit Iudam aſcendere,non Simeonem:& in manu Iudæ tradidit Terram,nõ Simeonis. tamen Iuda aſciſcit in ſocietatem Simeonem. Vnde diſcimus quòd quanuis nitẽdum ſit ſola ope Diuina, tamen nullum ordinarium mediũ aſpernandum.& quanuis ſolo Dei Spiritu debeamus agi, tamen debemus etiam ratione vti: ſed eam temperare ad Spiritũ Dei, & tentare media legitima & ordinaria Diuinitus cõſtituta, quum adſunt:alioqui eſſet tẽtare Deum. Imò quũ alicui functio aliqua iniungitur,illi iam ſimul iniungũtur omnia ea media quæ ad eam rem ritè & rectè adminiſtrandam pertinẽt. quòd ſi hæc negligat, tẽtat Deũ: id quod eſt intempeſtiuè velle Diuina ope vti,& velle Deum ſecũdum inſolitã rationem,& noſtram ſtultam rationem experiri. Ita ſi Iuda potuiſſet commodè vti ope Simeonis,vt potuit:& non feciſſet,tentaſſet Deum. Simeonis autem ſors, erat minima tribus, & ſub Iuda comprehenſa. Itaque victoriæ illius vtilitas etiam ad Simeonem pertinebat. Vtilitate ergo impellitur Simeon. *Aſcende,&c.* Hîc vide quomodo ſocietatem nõ imperat:ſed amicè orat,& opem orat,& rurſus pollicetur. Hîc ergo habemus exemplum quomodo fieri debeat recta ſocietas & fœdus bellicum. Fœdus ergo eſt pactũ quod ſuſcipitur propter rem bene conficiendã,ad quã quis Diuinitus inſtitutus ſit,cum iis initum quos ea res maximè deceat,ad quos vtilitas eius rei pertinet, & qui ſunt Diuinitus ad eam rem conſtituti. Damnantur quædã fœdera, vt Iudæorum cũ Aſſyriis:quia cõtra Dei præceptũ erant. Deus enim iuſſerat eos opem Dei expectare, & non ſe confœderare impiis gentibus: idcirco quia illi contra præceptum Diuinũ impias gentes in fœdus aſſumebãt, impium fœdus illud iudicatur. Quatuor igitur cõditiones ſunt quibus ille impellebatur ad aſſociandum ſibi Simeonẽ. Primò, quia erat Diuinitus ordinatus. Secundò,quia erat frater & conſors religionis. Tertiò,quia erat idoneus ad eum finem aſſequendum. Quartò,quia etiam vtilitas perueniebat ad eum. Hîc ergo primùm nota,in omni re conficienda,omnia media recta & legitima adhibenda, quæ ad eã rem pertinẽt rectè conficiendam. Deinde ſocios in omni actione aſciſcendos eos, qui ſunt conſortes religionis. Tertiò eos etiam ad quos vtilitas eius rei pertineat, & per quos ad firmũ propoſitum poſſumus peruenire.

4 *Et tradidit,&c.* Hîc vides approbatam ſocietatem.

5 *Et inuenerunt,&c.* Hactenus eſt generalis hiſtoria:ſequitur ſpecialis. Hîc nota principalem hanc propoſitionẽ,Deũ tandem cuique reddere pro factis. Hic Adonibezec ſeptuaginta Regibus præciderat pollices digitorũ & pedum:tandem ipſe agnouit hoc ſibi repenſum quod ipſe fecerat aliis. Omnibus igitur expectanda eſt talio:& hoc nos omnes deterreat ab iniuria,& inuitet ad benefaciendum.

7 *Abſciſſis,&c.* Hîc nota quòd captiuũ detinuerunt,nõ occiderũt,vt erat meritus. Cauſam huius expreſſam non habemus:veriſimilem tamen poſſumus cõiicere. Tres ſunt vtilitates pœnarum. Prima, ſanctificatio nominis Diuini, & confirmatio ſui iudicii. Altera, vt impii deſinant malefacere: idque fit dupliciter:vel vt vltrò deſinãt malefacere, vel vt impellantur ad deſinendum. Tertia eſt,vt alii horum exemplo exterreantur. Ad hoc tamen aliquando eſt vtile maleficos relinquere in vita, inſigni ſcilicet ignominia affectos, vt hi cæteris ſint ſpectaculo & ter-

rori,ambulãtes inter eos. Sic veriſimile eſt ob hanc cauſam relictum eſſe etiam hunc Regem in vita,ſed præciſis pollicibus.

8 *Pugnauerant,&c.* Hîc partim deſcribit per partes quid antè fuerit factum, & ſic oſtendit quanta fuerit obedientia populi Dei in delẽdis impiis Gentibus. De deuicta Ieruſalem,habemus Iehoſuæ capite 12.c.10, & 15.g.63, ſed quomodo fuerit deuicta non deſcribit. In capite 15,tamen dicit quòd etſi deuiciſſet Ieruſalẽ,tamen non potuit deiicere planè Iebuſæos habitãtes in Ieruſalem. *Ceperunt eam.* ſcilicet ſub Iehoſua. *Ore gladij*, id eſt acie gladii. *In ignem*, id eſt ignẽ in vrbẽ miſerunt, hypallage: id eſt incenderunt vrbem. Hic commemoratur quod pridem erat factum.

9 *Contra Chenaan* Chenaanæi dicti ſunt à Chenaan filio Cham. *Ad Meridiem.* Illa regio, propter ingentem æſtum,erat valde ſterilis & deſerta.

10 *In Hebron.* Hæc ciuitas antè Arba vocabatur,à gigãte ſic vocato,vt quidam dicit. *Seſai,* trium gigantum nomina ſunt,qui ibi rerum potiebantur. Etiam hoc ſub Iehoſua eſt factum.

11 *Qui percuſſerit.* Id eſt ceperit. In iſtis verſibus præcipuum eſt,quòd commemorat quid ante & poſt Iehudam fecerit populus in obediendo Domino. Sed hîc per partes explicat hanc obedientiam, & nihil nouum hic habet: ſed hæc commemoratio Spiritus ſancti in explicanda hac obedientia,habet commendationem eius. Propoſitio eſt ergo, Populus Iehuda in omni obedientia & ſtudio,contempta omni difficultate in expugnandis tot, támque munitis locis, perrexit,ſimpliciter confiſus ope Dei in delendis impiis, & cõdemnatis hoſtibus. fuit igitur maxima obedientia. Illa difficultas amplificatur, primùm deſcriptione tot,támque munitiſſimorum locorum,quos deleuerunt: deinde, multitudinis maximæ hoſtium. Peculiaris hiſtoria eſt, de deletione Debir. nam indubiè difficilis erat expugnatu illa vrbs, quum tantum præmium rerum propoſuerit & captori, & expugnatori eius. Præmium autem erat,nuptiæ filiæ Achſa: ergo neceſſe eſt præſtantiſſimam eam fuiſſe quæ tanti facti præmium eſſet conſtituta. Habemus autem commendationẽ illius inſignis viri Caleb, Nume.14.a.7, vbi ipſe explorator ſolus animauit populum ad proficiſcendũ contra hoſtes, cæteris omnibus diſſuadentibus. Solet autẽ Deus plerunque bonis viris degeneres liberos dare, vt oſtendat nõ eſſe, neque pendêre à carne virtutẽ. Sed hîc bono patri bonam filiam dedit: quod hinc colligitur quòd tanti facti præmium ponatur, nam niſi inſignis fuiſſet,non fuiſſet digna tanti viri nuptiis. Deinde hîc vides quòd recta ratione humana vſus præmium proponit,& vtili inuitat. Prima quidem inuitatio habet eſſe à iuſſu Dei: vt cogitemus, Deus iuſſit, ergo Dei nomine ſis dux in expugnanda hac vrbe. Sed quia ita ſumus conditi natura, vt vtilitatem in efficiendo ſpectemus, rerum ratione bona vſus, propoſuit filiam præmium. Sic Deus etiam ſecundum inſignem ſuam bonitatem in legibus & præceptis ſuis adiungit præmia. Sed in hac re erat coniuncta cum vtilitate honeſtas. nam diſcrimen ſubire propter honeſtam & heroicam puellam tibi ſociandam, honeſtum iudicat omnis ratio. maior igitur inuitatio. Hîc ergo diſcimus, vt accepto Diuino iuſſu, rationis recto iudicio vtamur, & adhibeamus omnia media ad rem eam conficiendam facientia.

13 *Filius Chenez fratris,&c.* Nam Lege Dei non modò interdictæ non ſunt nuptiæ conſobrinorum,ſed etiam laudatæ. Bonum enim eſt eam ducere quam habeas bene perſpectam & exploratã. Theodoſius tamen aliter inſtituit, vt habet Auguſtinus in libro de Ciuitate Dei. Iuſtinianus tamen in ſuo Codice,conſobrinorũ nuptias rurſus admiſit. Ibi autem quærenda eſt conſenſio animorum, primùm in religione: deinde in humanis rebus. Et quia ingenia vix poſſunt inquiri, ideo veteres libenter manebant in cognatis. ἀδιάφορον eſt, honeſtiúsne ſit conſobrinos coniugio admittere, nécne. Honeſtum eſſe probatur teſtimonio ſanctorum patrum. Ratio, Honeſtum eſt, notam & bene educatam ducere. Contrà, in nuptiis ſpectanda eſt honeſtas coniunctionis,& reuerentia ſanguinis. Nam fratrum filii ſunt ferè fratres, & non procul habitant abinuicem: vt antea potuerit aliquid inhoneſti accidere: & hoc ait Auguſtinus ſeruatum, etiam quum Imperatorum leges admitterent. Nunc videndum eſt non quam Legem qui ſtulerit, ſed quatenus quæuis lex apud bonos valeat. Quoniam ergo vtrunque ἀδιάφορον eſt, cõſobrinam ducere vel non, videndum quid maximè ædificet proximos noſtros.

14 *Quum ingrederetur ad eam,&c.* Id eſt duceret. Seneca, Magno emitur quod precibus emitur. Beatius eſt dare, quàm accipere. Ideo ingenui hominis eſt, nihil gratuitum petere, aut accipere. Itaque argumentum bonum eſt, eſſe homines leues qui nil niſi petere nouerunt. Ita Achſa dotem à patre petiit hoc ordine, vt prius maritum impelleret, poſtea ipſa peteret, nimirum quòd maritus nollet. Huius autem cauſa nõ eſt expreſſa, niſi quòd generoſi abſtinẽt à mendicitate. Iure autem puella dicitur ſecum dotem ferre. Decet ergo puellam, quum egeat adiutorio viri & aliis rebus, petere. Quòd autem de aſino cecidit, reuerentiæ ſignum oſtendit. Locus communis erat, parentes in honore habendos: coram Deo autem & Regibus procidendum. Nam in Scriptura habetur adoratos Reges. Habemus quoque, non ſatis eſſe animo vereri patrem, ſed

etiam geſtus adhibendos. Parentũ eſt alere & inſtituere. Qui igitur hoc in te facit, eſt parens tuus.
Signa autem reuerentiæ apud omnes gentes ſunt, vt patre loquente ſileant pueri, & quod iuſſerit
exequantur: néve appareant coram patre, niſi expreſſo modeſtiæ geſtu.

15 *Et dixit ei.* Subaudi filia. Vide ſignum pudoris: nõ loquuta eſt initio: in reuerentia enim
eſt pudor. quare rogat quid velit. *Da mihi benedictionem.* Verbum gratuitum eſt Hebræis. Ita
rogat, quum tamen iure potuiſſet petere. Nam iuxta leges ciuiles, parens debet filiæ dotem dare.
Terram Meridionalem. Dederat ei dotem: ſed loca ad Meridiem in Iudæa ſunt torrida. Propoſitio,
Pater iuſtus obtemperauit filiæ precibus, & plus dedit quàm petiiſſet. Ita bonorũ patrum eſt, plus
dare quàm petatur: id tamen eius erit officium de quo Dominus dicit, Eſtote perfecti, ſicut & Pa
ter veſter cæleſtis perfectus eſt. Matth.5.g.48.

16 *Filij autem Cheni, &c.* Interiicitur ſingularis hiſtoria, quæ tamen certa non eſt propter
mutationem nominis ſoceri Moſis, qui, Exod.18.b.12, vocatur Iethro, & Hobab Nume. 10.d.29,
& Iudic.4.b.11, hîc filii Cheni. Vnde illa nominum varietas exiſtat, etiamſi non ſciamus, tamen
hoc habemus, ſoceri Moſis filios aſcendiſſe cum Iuda, (ſicut etiam cum Moſe proficiſcebatur
Reguel ille) qui prætulerunt cognationi ſuæ habitationem Dei. Erant autem Midianitæ & Gen-
tes, Nume.10.d.29. Deinde alio loco legis quòd Moſes inuitauerit eos, & retinuerit: ideo vt in con
ſortium ſalutis traheret: quod eſt factum pium. Hinc diſcis omnium piorum eſſe vt cognatos ad
ſocietatem pietatis pertrahant & conſeruent. Deinde officium pietatis in ipſis habes, quòd affi-
nes cognatis prætulerint, & poſtea eorum res promouerint. *In deſertum.* Chenitæ enim erant.
Iudæi inquiunt Rechabitas ex horum ſtirpe fuiſſe, Ieremiæ 35. neſcio qua de cauſa. Ita diſcamus
nobis libenter coniungere cognatos & quoſuis, vt ibi habitent vbi eſt religio & adminiſtratio ſa
lutis: & quòd qui verè eſt aliis coniunctus, debet omnia habere communia in iis quoque repel-
lendis quæ non ad eum pertineant.

17 *Et iuit Iehuda.* Alia peculiaris hiſtoria de officio Iehudæ. Hîc diſcendũ quòd etiam ma-
ior debet inferiori inſeruire. Nam Simeonis ſors erat tenuis, & cum quo iure Gentium Iuda po
tuiſſet frangere fœdus: tamen voluit illi adeſſe, etiam in ſua ſorte repurganda: quod obedientiam
demonſtrat. Nam in hoc capite duo aguntur, de obedientia ſcilicet eorum qui profligarunt im-
pios, & de inobedientia eorũ qui illam Gentem reliquerũt. Porrò quia Iſrael à Deo deſciuit, per
quem vicerant multas Gentes, ideo ad Dauidẽ vſque non fruitus eſt plenè victoria. Ita hîc latiſ-
ſimè impleuit obedientiam, quòd vltimi fines erant Philiſthæorum, & vrbes validiſſimæ. Ideo
autem erant delendi, vt Iſraelitæ ibi habitarent: deinde vt nõ eſſent impedimento. Poſtea igna-
uia poſterorum notanda, qui paſſi ſunt recuperare iterum ſua loca Philiſthæos.

19 *Et fuit Dominus.* Cauſam tantæ victoriæ oſtendit. Sed quomodo non expugnarunt om-
nia loca, quũ Dominus eſſet cum ipſis? Deut.7 d.22, legitur Dominũ noluiſſe ſtatim omnes Gẽ-
tes delere, ſed exercitiũ relinquere populo, ne langueſceret. Sed quare nõ potuit expellere habita-
tores vallis, vt poſtea dicitur? quia hîc nõ erat Dominus cũ illis, & impeditus fuit Iuda ferreis cur
ribus: quanquam non fuit cauſa maxima cur nõ vinceret, ſed quia nollet Dominus. Dominus
dixit disertè, Volo vt omnes deleatis: ſed nõ ſtatim poterãt. hoc autẽ voluit perpetuũ eſſe Deus,
ne fœdus cũ eis iceret. At omnes delẽdi erãt. Verùm quũ neſcirent quãdo omnes poſſent delere,
Act.16.b.6. omnes tentarũt. Ita Paulus initio in Aſia prædicabat. poſtea quũ tentaret in Bythinia, vetuit eũ
Spiritus ſanctus. Ergo iuit ad Europã. Ita nõ vult Dominus nos omnia ſcire, tamen orandus eſt
vt perficiat quod generaliter propoſuit Quare ergo currus reſtiterunt potentiæ Iudæ? Quia quũ
vicissent, nõ potuiſſent implere terrã: ſed beſtiæ illic creuiſſent, & iiſdẽ exercitia belli defuiſſent.

20 *Dederúntque ipſi Caleb.* Tempore ſcilicet Iehoſuæ. nõ eſt certa expoſitio, niſi quòd Num.
14.d.24, Dominus promiſit. Cæterùm Palmarũ vrbem, Iudæi Iericho interpretantur: ſed quia
Caleb accepit promiſſa, nota quòd tãdem datur tibi, ſiquid promiſſum eſt. Deinde nota fortitu
dinem & præſtantiam Caleb, qui tam fortiter gigantes expulit.

21 *Iebuſæum verò qui habitat.* Hîc agit de inobedientia Beniamim. Habes autẽ de Iebuſæo &
cæteris, Gene.10.c.15. *Habitant.* Hîc propoſitio eſt, Filii Beniamin valde fuerũt inobediẽtes, quia
impios nõ deuicerũt, & cõſortiũ eorum nõ fugerunt, vt oportebat: ſed permiſerũt eos inter ſe ha
bitare, ideo dederũt pœnas graues. Hinc ergo diſcamus fugere omne conſortium impiorũ, quia
eſt periculoſum. Inobediẽtia erat maior, quia erat iã valde debilitata per Iehudã potẽtia hoſtiũ.

22 *In Beth-el.* Domum Dei ſignificat: antè vocata Luz, de qua habes Geneſ.28.d.19. Et hîc
rurſus de obedientia ſubiicit. Eſt ergo propoſitio, Deus exequentibus ſua iuſſa diligenter, adeſt
fideliter. Nomen autẽ hoc Beth el, à Iaacob inditũ fuit, ideóq; à filiis Beniamin tantũ vſurpata.

24 *Et viderunt obſeruatores.* Hic rurſus recurrit ſuperior locus, vt accepto iuſſu de aliqua re,
omnibus mediis ad eandem rem conficiendam vtamur, & ſumma induſtria & ratione inquira
mus quicquid eò inſeruiat: ſic hîc habebant iuſſum generalem de excindẽdis omnibus Genti-

bus,ideóque etiam Bet-hel. Totum ergo hoc opus. Dei erat opus: neque ille opus habebat induſtria humana:ſed tamẽ nihilominus hæc eſt Dei bonitas,vt velit totam rationem, & omnẽ induſtriam noſtrã cooperari ſuo operi:interim tamen totum Dei opus eſt,nihilque nobis aſcribẽdum. Quòd ſi illi oblato medio non vſi fuiſſent, tentaſſent Deum. Ergo diligenti ratione in omnibus rebus vti debemus, & reliqua Deo committere. Veruntamen videntur illi non rectè feciſſe, qui ſcelus, proditionem ſcilicet patriæ, promiſſis redemerint, quum Romani laudentur qui oblatos proditores non receperint, ſed hoſtibus reſtituerint. Nunquam ergo licet redimere ſcelus:ſed illi non redemerunt ſceleratam proditionem,ſed officium ſcelerati hominis. Illa enim vrbs erat Diuinitus anathemati ſubiecta, & huic populo commiſſum vt eam delerent. Igitur eò debebãt iuuare omnes creaturæ,vt opus hoc perficeretur. Ergo ille rectè fecit qui hãc vrbem prodiderit populo Dei:& illi rectè, qui nõ ſcelus,ſed officium redemerunt. Verùm quia ille propter promiſſa & priuatam vtilitatem, patriam prodidit, grauiſſimè peccauit. Verùm iuuare vt hoc fiat quod Deus præcepit,in ſe peccatum non eſt: illi tamen erat. Ergo licet interdum redimere malefacta,non tamen vt malefactum,ſed vt officium.

27 *Non exterminauit.* Hiſtoriã de his nõ habemus: indubiè tamẽ vrbes fertiles & faciles expugnatu capit: vnde patet ignauia, & ſũma inobedientia tribus Manaſſe. *Beth-ſcean.* Multas ciuitates Iudæi vocant à בית quod domũ ſignificat, ſicut nos ab Huſen multa, vt Northuſen. *Præſumpſit habitare.* Emphaſis eſt,quia non ſibi ſubiecerunt hoſtem, ſed permiſerunt eum inter ſe dominari:ideo mala fuit,& contra præceptum Dei ipſa in hoſtes miſericordia,ipſiſque adeò damnoſa,vt poſtea ſunt experti. Habetis hìc deſcriptam inobedientiam. primùm Manaſſe:deinde Ephraim,Zabulon,Aſer,&c. Inobedientia prior fuit ignauiæ & impietatis:quia ſcilicet non depulerunt hoſtes ſecundum præcepum Dei. Impietatis fuit,quòd non ſatis crediderunt promiſſis Domini, & neglexerunt propter laborem & moleſtiam belli quæ erat ſuſcipienda. Ignauiæ fuit,quòd propriam vtilitatem neglexerunt: quo enim plures hoſtes depuliſſent,hoc commodius habitaſſent: & Deus prædixerat ingens periculum manere eos qui permiſerũt inter ſe habitare inimicos. Pœna deinde breuibus notatur eodem verſu:quia ſua peruerſa clementia fecerunt præualere ſibi inimicos. Propoſitio ergo eſt, Grauiter peccaſſe hac magna inobedientia in delendis impiis Gentibus. Magnam fuiſſe inde conſtat,quia multas & potentes regiones, ſibique commodas non ceperunt: idque contra iuſſum Domini. Sed hanc rem fuiſſe ipſis damnoſam, inde colligitur, quia præualuerunt ipſis ii quibus pepercerant. Ergo primum hìc diſcimus,non eſſe differendum in exequendis præceptis Dei, ſed ſine mora exequenda: deinde,damnoſam eſſe inobedientiam in præceptis Dei: præterquam enim quòd iram Dei in nos concitat, etiam nobis multa damna aduocat. Sic AEmorrhæi quibus pepercerat Dei populus contra præcepta Dei, multis modis ſunt perſequuti ipſos, & deuicerunt etiam. Ergo meritas pœnas dedit iſta inobedientia. Sic ergo hìc diſcimus,omnem inobedientiam tandem dare pœnas meritas: & ſic Deus vlciſcitur hanc inobedientiam, vt agnoſcamus ſolùm, Deum eſſe verũ & optimum conſiliarium. Deinde rurſus hìc diſcimus,omnem ſocietatem cum impiis, vt periculoſam,eſſe vitandam piis. nam in impiis Satan agit & operatur:ergo ſunt damnoſi.

28 *Tributarium.* In hac re rectè fecerunt. nam ideo tributum eis impoſuerunt, vt eos ſupprimerent. Ergo hinc diſcimus,omnes eos quos non poſſumus planè exterminare, tributis eſſe ſupprimendos ne poſſint contra pios inſurgere. Nam impiis ad nocendum nihil niſi poteſtas deeſt,voluntas adeſt ſemper.

36 *Ab aſcenſu ſcorpionum.* Hæc loca nobis non ſatis ſunt cognita:ſed de his habemus Nume. 24,& Iehoſue 25.

IN CAPVT SECVNDVM.

IN hoc capite ſecundo præcipua eſt propoſitio generaliſſima, Populus Dei à vera religione ſæpe relapſus,tamẽ à Deo ſæpe eſt reſtitutus. Relapſi ſunt ad ingeniũ,quoties mortui ſunt boni Principes & Iudices. Vnde diſcimus ſũmũ eſſe Dei beneficiũ,quoties dat bonos Principes: & pœnã magnã,quoties bonos tollit. Initio capitis ponitur expoſtulatio Dei cum populo ſuo.

1 *Aſcendit.* Hic propoſitio eſt,Populum Dei rectè pœnituit de admiſſo malo. Hic ergo diſcamus veræ pœnitentiæ & prædicationẽ & proprietates. Eſt autem ſalutaris pœnitentia dolor de admiſſo peccato,propter offenſam Dei,cum propoſito emendandi. *Angelus Domini.* Quidam dicunt fuiſſe Pinehas ſacerdotem: ſed perinde eſt. Hìc diſcimus Deum oportere præuenire nos dum ſumus in peccatis: nec ſurgemus, niſi à Deo excitati. Ergo ingẽs Dei beneficium quòd miſſo Angelo vocauit eos ad pœnitentiam: id quod per Chriſtum nobis præſtat. Oportet igitur à Deo mitti quicunque ſunt veri prædicatores pœnitentiæ. *De Galgal.* Sic dicitur ex euentu, à præciſione præputii. De hac re hiſtoriam deſcriptam habes Ioſue 5.b.8. *De Galgalis*, id eſt ex loco conſecrato, de Eccleſia Dei oportet eos prodire. *Locum flentium.* Id eſt ad pœnitentes: ab euentu doloris populi ob peccata,loco nomen impoſitum,ad perpetuam rei memoriam. *Eduxi,*

Synecdoche:nam per hoc beneficium omnia beneficia præſtita intelligit. *In terram.* Hìc intellige præcipuè religionis reſtitutionem, indéque omnium honorum. *Terram quam iuraui.* In terram ſanctam: quam non ſimpliciter, ſed iuramento addixi patribus veſtris. Quo enim pluribus promiſſis Deus ſapiens hoc beneficium auxit, hoc ſignificauit eſſe præſtantius. *Iuraui.* Hìc omnes promiſſiones patribus ipſorum, ipſiſque factas intelligit. *Non diſſoluam.* Vt ſeruiat adhuc infidelibus. *Pactum meum.* Hoc habes Geneſis 17.b.8, Ego ero Deus tuus, & tu eris mihi in populum. Hoc fœdus nobiſcum etiam per Baptiſmum percuſſit: alioquin ratio fœderis eadem eſt, remittere ſcilicet peccata, dare Spiritum ſanctum, & vitam æternam, & hîc commodam habitationem. *Non diſſoluam.* Hìc diuturnitatem ſubiicit quam in omnibus bonis maximè expetimus. Summè beneficos maximè amamus: Deus eſt ſummè beneficus: ergo, &c. Iam verus amor natura ſua hoc habet vt caueat omnem offenſam eius quem amat, & à quo amari ſe credit. Ergo meritò hic amor Dei facit vt doleamus de offenſa Dei, non propter noſtrum damnum, ſed quia Deum offenderimus.

2 *Non percutietis.* Alterũ beneficium, quòd permiſit eis vt ſoli habitarent ſine omni perturbatione. Ad hoc voluit eorum opera vti: hoc non fecerũt, & id exprobrat eis. Ergo hîc habes deſcriptionem pœnitẽtiæ populi Dei, quam imitari debemus. Deſcribitur pœnitentia ipſa qualis fuerit, quid fecerit, & vnde orta ſit. Pœnitentia duo habet, prædicationem beneficiorum Dei, & ingratitudinem offenſæ. *Altaria eorum, &c.* Nam Deum pro Deo habere, & vera religione colere, hoc affert ſecum vt omnẽ falſum Dei cultũ exterminemus. Religio eſt illa ſpecies pietatis & virtutis animi, qua ſũma ſolicitudine diſpicimus quid Deo placeat, vt id exequamur: & quid Deus maximè deteſtetur, vt hoc maximè fugiamus: id eſt ſũma cura nos Deo approbare ſtudeamus, & offenſam caueamos. Et hoc ſtudium vitat omne id quod vllo modo queat à vera perſuaſione animum, & à vero cultu nos abducere. Hinc natura verè pius omnem idololatriam fugit & abominatur, & eius conſuetudinem deteſtatur, & à ſe remouet. *Altaria.* Synecdoche eſt: nam complectitur omnem impium cultum, & omnia idololatriæ inſtrumenta. *Sed non audiſtis.* Hìc propoſitio eſt, Peſſimè egiſtis, & contra omnem rationem, qui vocem meam contempſiſtis. Omnis enim actio propoſitã habet vtilitatem, & natura abhorremus à noxio. Hìc autẽ nihil vtilitatis fuit quod vos inuitaret: neque incommodi quicquam quod vos deterreret. Ergo vera prædicatio pœnitentiæ eſt commemoratio qua homines beneficiorum Dei, & officiorum ſuorum admonentur: ita vt legitimo dolore percellantur de admiſſo malo propter offenſam Dei, cum propoſito emendandi.

3 *Non eiciam.* Hìc damnum magis explicat: & hîc diſcimus à Deo peccata peccatis aliquãdo puniri, & ſummam pœnam eſſe tradi in ſenſum reprobum: & proximum, relinqui offendiculum quo peccemus. *Dy illorum.* Intelligit omnem falſam religionem & idololatriam. *In laqueum.* Id eſt in ee ipietis colere eos. Sic faciũt qui hodie propter tributa magna Iudæos fouent, aut ſtatuas & miſſas volunt retineri. Sed Deus qui eſt prudẽtiſſimus, dixit hæc nobis fore in laqueũ. Ergo amoueamus iſta ſummo ſtudio, tanquam periculoſa & pernicioſa offendicula, & incitamẽta ad malum. Quo præcepto tu & diſce, ex officio eſſe omnis pii magiſtratus vt remoueat & ſectatores impii cultus, & inſtrumenta eius. Dixi exemplum de caſta muliere: & magiſtratus debet operam dare vt Deum ſummo animo colat.

4 *Et factum eſt quum loqueretur.* Hìc deſcribitur efficacia concionis Angelicæ de pœnitentia. Et vera pœnitentia, ex effectu deſcribitur, quum oſtenditur, ſublata voce eos fleuiſſe: quod eſt effectus eius affectus qui ex maximo animi dolore proficiſcitur, atque hîc oſtenditur non ſimulatò dolore fleuiſſe eos. Dolor ille eſt de malo quod iam agnoſcebant. Dolor autem eſt ægritudo de præſenti malo. Quomodo autem erat præſens? quia in animo ſentiebant. Tres enim ſpecies mali notantur hìc, ingratitudo, neglectus mandatorum, damnum, quòd habituri ſunt Gentes in ſuam perniciem. Quum hæc ſentiunt, tollitur iucunditas. Verus fuit dolor, quia lachrymas fuderunt, & vocem ſuſtulerunt, quod nonniſi ſummè dolentium eſt.

5 *Et ſacrificauerunt.* Sacrificium eſt actio Diuinitus inſtituta, qua Chriſti gratia & communicatio repræſentatur & exhibetur. Hic primùm eſt placatio Dei, quæ per Chriſtum nobis cõfertur. Proximũ eſt, ſtudiũ placendi ei per omnẽ vitam. Tertium, ſtudiũ emẽdationis vitæ. itaque hîc ſacrificium eſt pro peccatis, & in gratia Chriſti eſt placatio peccatorum noſtrorum. Itaque rurſus eſt effectus doloris, placere Deo. Nam quòd dolorem excitarit, effectus probat. & quòd ſalutaris fuerit dolor, inde conſtat quòd obtulerunt. Ergo ambiuerunt Dei gratiam: cuius conſequens fuit, quòd proponerent poſthac ſe non amplius velle peccare. Præterea in ſacrificiis fuit confeſſio peccatorum & abſolutio. Vt autem poſſent abſtinere à peccato, in Chriſto quæſiuerũt: nam qui dolet, offenſi remiſſionem quærit, quam ſolus ei Chriſtus concedit. Illius gratia nemini patet, niſi confitenti, totum ſe ei conſecranti, & proponenti bonum vitæ ſtudiũ.

Hinc diſcis, quotieſcunque Deum offenderimus, opus eſſe vera pœnitentia: eam autem oportet excitari Diuinitus. ſed omnes qui verè dolent quanuis firmi & conſtãtes ſint, etiam flent, vt Petrus. Et eſt autem ſtultitia Stoicorum dictum, Non flẽdum: oportet enim affectus non eximere, ſed corrigere. Cõfeſſio autem peccatorum quam Dominus in Scriptura requirit, eſt de qualitate, non de ſubſtãtia actuum: ita vt non diſtinctè peccata omnia enumeres, modò cogites quale ſit peccatũ. Hìc autẽ in Eccleſia abſolutio à peccatis petenda eſt, & reditio in gratiã Dei. Vnde D. Cyprianus teſtatur quòd aliquem oportuerit Eccleſiæ, nõ Deo ſatiſfacere, quòd illa debeat certos reddere homines pœnitẽtes de remiſſione peccatorũ. Eccleſia ergo nõ debet temere abſoluere: ſed oportuit teſtimonia pœnitentiæ certa habere, vt conſtanter orarent, gratiam peterent, ſacrificarent, redirent cum omnibus quos offendiſſent, in gratiam. His operibus quũ ſe aliquãdiu exercuiſſent, quæ erãt argumẽta pœnitẽtiæ, tum admittebantur ad Eccleſiam: & duo requirebantur, impoſitio ſcilicet manuum miniſtri Eccleſiæ, & communio menſæ. Propria igitur pœnitentis hominis ſunt, vt remoueatur offenſa, quod fit per Chriſtum: & ea ratione ſi peccatum in Eccleſia confiteatur, & abſolutionem virtute Chriſti petat: quod ſacrificium non fiebat niſi in Eccleſia, in Gilgal, donec in Silob Arca deferretur. Conſtituendum autem quòd in ſacrificiis pro peccatis, erit confeſſio. Quacunque autẽ hora aliquis peccator fleuerit, iam ei gratia eſt præſtita, ſed ita ſi credat: fidem cõſequitur vt verbo Dei obediat: & proinde in Eccleſiam Dei veniat, & tandem fructũ pœnitentiæ ſentiet. *ſacrificia fecerunt.* Pœnitentiam neceſſariò cõſequitur placatio. Hìc per ſacrificia placatio eſt facta: ſed ſacrificiorũ eſt hoc proprium, vt quæratur remiſſio peccatorũ, & reconciliatio Dei. Ergo confeſſio eſt neceſſaria: ſed confeſſio qualitatis, non quantitatis. Confeſſionem ſequitur abſolutio.

6 *Et quum dimiſiſſet.* Hic multa repetuntur de iis quæ deſcripta ſunt in libro Iehoſue. Hìc autem peculiariter hæc eſt propoſitio, Tandem eſt data quies, & fruitio terræ promiſſæ populo Dei. poſt multos labores, errores, & bella: ſed tamẽ eſt magnũ beneficium, & ideo nõ tot labores ſuſtinuerunt vt fruerentur terra promiſſa cum Dei benedictione & pace, veráque religione, quæ eſt vita æterna. Hinc diſcimus primò, vt omnes labores & moleſtias patienter ſuperemus: & tandem daturum nobis Dominum pacem cum religione: deinde frui religione vera, & pace: Deíque benedictionem tantum eſſe beneficium, vt nulli labores & moleſtiæ his ſint pares: nec fugiendi vt his poſſis frui. Hinc veteres quum vellent excitare ad ſtrenuè pugnãdum milites, dixerunt, Eſt nobis pugnandum pro aris & focis.

7 *Et ſeruierunt.* Hic deſcribitur populũ Dei ſub piis Principibus piè vixiſſe publicè: mortuis autẽ illis malè, & à Domino defeciſſe. Hìc ergo duo habes: primùm, expetendum eſt habere pios moderatores. Ratio, Sub piis Principibus populus piè viuit, publicè ſaltem. Nam quæ hîc in populo Iſrael deſcribitur feciſſe Dominus, hæc vniuerſalia ſunt, & bona eſt conſequutio, In Iſrael hoc fecit, ergo in omnibus populis hoc faciet. Immediata tamen probatio hæc eſt, Non poteſt opus Dei eſſe inefficax. Bona autem piorum Principum gubernatio, eſt Dei opus: à Deo enim eſt omnis poteſtas, & Spiritus Dei agit in fidelibus. Ergo non eſt inefficax bona gubernatio. Si autem non eſt inefficax, ergo efficit aliquid modo ſuo. Sed boni Principis finis eſt, vt populum auocet à malo, & inuitet ad bonum, ac neminem apertè impium toleret, inuitétque ad religionem veram: ergo non poteſt non ſub piis Principibus publicè vigere vera religio, & bene viui. Ergo diligenter orãdum pro piis Principibus. Alterum, quòd hìc docemur, multũ momenti habere ad retinendam Dei cognitionem, opera Dei vidiſſe. Hìc ergo hæc eſt immediata, non cõſiderans opera Dei non poteſt non malus eſſe: nec rectè conſiderans opera Dei poteſt malus eſſe: & conſiderare opera Dei, eſt cauſa timoris Dei: & non conſiderare, eſt cauſa peccati.

8 *Et mortuus eſt.* Hìc propoſitio eſt, Iehoſua eſt optatò mortuus. Hinc docemur vt nos in Domino ſperemus, & nõ dubitemus fore vt & nos optatò moriamur. Optabilis autẽ mors eſt quæ ſuo & idoneo tempore venit, & commodo morientis. Hoc fit plerunque tum quũ ad eam ætatem peruenit homo vt inutilis in terra exiſtat, nec poſſit gloriam Dei promouere. Sic mortuꝰ eſt Iehoſua: ergo optato vita neque breuis, neque longa per ſe eſt optabilis. Mors optabilis eſt quum non eſt in terra quod proſis. Vita optabilis eſt quum commodo proximi & Dei potes viuere, vt pulchrè habes ad Philip. 1. c. 20. Cõmoda breuis vitæ habes deſcripta apud Salomonẽ, Sapien. cap. 4. Deſcribitur ergo hîc mors Iehoſue tanquam fortunata: quia tum contigit quum eſſet defunctus munere ſuo, nec eſſet amplius in terris quo nomen Dei ſanctificaret, & Eccleſiã ædificaret. Per ſe optabilis eſt vita longa, vt diu poſſis gloriam Dei promouere, & ædificare proximum, vt ex præcepto habes: contrà, per accidens eſt cita mors bona, quũ ita ſint deploratæ res, vt in tua vita non ſit locus ſanctificandi nominis Dei, & ædificandi proximum.

9 *ſepelierunt.* Hic deſcribitur optabilis ſepultura: quia eſt ſepultus in loco inſigni & notabili, & ſancto. Eſt enim optabile mori apud amicos & ſuos, vt amici claudant oculos: &

apud eos ſepeliri,quod indicium glorioſæ reſurrectionis eſt. Omnibus bonis hoc innatum natura, vt non poſſint omnem curam bonorum mortuorum ſuorum deponere: ſed proſequātur eos officio debito: ideo honorificè eos ſepeliunt,vt indicent hîc recondi theſaurum, & templū Domini,quāuis iam ſit vermium cibus:tamen fuit cauſa vt glorioſè reſurgat. Ergo voluit habere aliquid communionis cum defunctis,ad oſtendendam futuram ſempiternam inter eos cō munionem à reſurrectione. *Thimnath.* Ideò deſcribitur tam diligenter locus, & eius præſtātia, vt ſignificetur præſtans in eo virtus, quæ digna ſit longo tempore ab hominibus celebrari. Eſt ergo exoptabilis honorifica ſepultura,& charitatis eſt hanc exhibere defunctis. Alioquin per ſe nihil detrahit de vita beata contempta ſepultura, & facilis eſt iactura ſepulchri: ſed iſta omnia externa beneficia aliquatenus ſunt bona. Ideo Sancti veteres ſolenni ritu proſequebantur defunctos mortuos. Hoc quum videret Satan ſopbiſta, introduxit nimis ſuperſtitioſam mortuorum ſepulturam,& pro defunctis præpoſteram curam,& interceſſionem. In ſepultura duo vitia præcipuè admittuntur apud Papiſtas: primū, ambitio:alterum,fiducia in operibus. Contrà verò, duplex eſt cura defunctorum apud Sanctos, & corporis & animæ. Vnde etiam apud Gē tes vtriuſque cura fuit, & hinc patet innatam eſſe nobis natura hāc curam, propter impreſſam animo expectationem reſurrectionis, indéque perpetuæ communionis. Sed iſta omnia habent certum ordinem. Satan verò vt ſemper, ita hic quoque à medio ad extrema ducit. Alii omnem curam corporis abiiciunt,tanquam cadaueris beſtiarum. Alii nimia ſuperſtitione in his vtuntur. Medium eſt vt honorificè ſepeliantur cum prædicatione reſurrectionis. Eſt autem illa cura pro mortuis ex innato ſenſu perpetuæ communionis,& reſurrectionis ſpe. Hoc inde claret quia illi ſepelierunt Ieboſuam in loco celebri,ad ſignificandam reſurrectionem: & in terra propria, vt oſtenderent ſibi nihil eſſe commercii cum impiis. In hac executione tria vitia à Papiſtis admiſſa ſunt. Vnum,quòd ſtatuerunt neceſſarium,quod à Chriſto & Apoſtolis non eſt, neque ver bo,neque exemplis traditum:& ſibi magiſterium in Eccleſia ſumpſerūt, ſtatuentes purgatoriū peccatorum poſt hanc vitam. Alterum,quòd ſtatuerunt certam rationem à ſe factā & excogitatam liberandi à purgatorio. Tertium & maximum,quòd in ſtulto & impio opere fecerunt fidere:& hoc quod ſolius Chriſti eſt, ſtultitiæ ſuæ aſcripſerunt, detrahentes gloriæ Chriſti.

10 *Collecti.* Id eſt recōditi ad reſurrectionem:ergo in hoc verbo notatur reſurrectio. Sed qui colliguntur ad patres ſuos,id eſt qui moriūtur,duplices ſunt:alii in fide,alii in incredulitate. Et duplices patres:alii beati,qui in fide deceſſerūt,alii dānati qui in incredulitate. Ergo eſt etiam duplex reſurrectio:alii infideles ad patres ſuos,ſcilicet damnatos,in gehennam colliguntur:alii fidentes ad patres ſuos fideles in ſinum Abrahæ in vitam beatam. *Et ſurrexit.* Hic propoſitio eſt duplex, Populus Dei defecit à Deo,& ſectatus eſt deos alienos, idque peſſimè ei ceſſit: pœnas enim graues dederunt ob hanc rem. itaque & peccatum,& peccati pœna hîc deſcribitur. *Et ſurrexit.* Hîc præmittit cauſam defectionis: & hæc eſt cauſa omnis mali, deſtitutio ſcilicet prædicationis veræ religionis. Inde ſequitur Dei ignoratio,& ſumma calamitas. Nā quomodo credent Roma.10.c.15. ſine prædicatore? inquit Paulus. Hic ergo propoſitio erudiens eſt, Grauiſſimum malum eſt deſtitui veris & piis prædicatoribus Dei. ſi enim deſint prædicatores, neceſſe eſt omnem Dei cognitionem tolli. Tametſi etiam per Angelum poſſit docere, vt olim docuit: tamen iſte eſt nunc ordo Dei,quòd non miraculis,ſed certa ratione,& mediis nos velit docere. Ergo iſta ſunt neceſſaria,neceſſitate conditionali. Niſi ergo ſeruetur naturalis ordo, nō poteſt nō ſequi magna calamitas,ſi boni & præſtantes virtute viri tollātur. Quū enim tales tolluntur, neceſſe eſt hoc malū ſequi, ignorationem ſcilicet Dei: quoniam deſtituuntur neceſſariis & vtilibus viris homines:& hoc eſt ingens malum,& deprecandum: indéque eſt peſtilentia mala & deprecanda. *Qui non nouerant.* Emphaticon eſt. intelligit enim cognitionem Dei efficacem & præſtantē. *Qui non nouerāt.* Nō enim viderant,nec audiuerant,ideóque ignorabant magna Dei opera patribus ipſorū præſtita,qui ab AEgyptiis liberati,& in terram promiſſam ſunt introducti. *Non nouerant.* Noſſe Deū eſt illum Deum eſſe agnoſcere,& largitorem omnium bonorum, & depulſorem omnium malorū,& tibi talem eſſe velle. Duplex Dei notitia: altera efficax,quæ inuitat nos ad pietatem: altera inefficax,quæ non inuitat nos: eſt tamen eadem efficax ad conuincendum nos peccati. *Iehouah.* Id eſt Exiſtentem: qui omnibus dedit vt ſint. Sed per hoc nomen intelligitur non ille modò Deus qui omnia cōdidit, ſed ille etiam qui decem præcepta & tota Biblia dedit. Hoc illi nomen ſibi tum indidit. *Malum in oculis.* Quod diſplicuit Deo.

11 *Baalim.* Significat magiſtros, patronos. Non enim voluerunt videri deſeruiſſe Deum, ſed quæſierunt ſibi patronos. Et hoc eſt neceſſarium ſequi, ſublata prædicatione. Primùm, vt in hac vita habeant patronos qui temperent caſus fortunæ, quos ratio non poteſt temperare:& mala amoliantur. Deinde, quia expectant iudicium poſt reſurrectionem, quærunt ſibi patronos in vitam futuram. Idem vitium apud Papiſtas irrepſit: vnde quum Deus eſſet iuſtus, illi iniuſti fu-

giebant Deum. Et quia non poſſunt carere Deo, quæſiuerunt ſibi Barbaram, Petrum, Paulum, qui ſibi Deum reconcilient: quia filius immorigerus, patris conſpectum horret: ideo quærit ſibi patronos alios, qui quæ neceſſaria illi ſũt, à patre impetrẽt. Inde venit Satã, & dicit, Ieiuna Petro. *Baalim* erant falſa numina quorũ patrocinio ad Deũ verum populus falſò fidebat: ideóque eos colebat & honorabat. Quærebãt autem tale patrocinium à Baalim, vt meritam pœnam ab ipſis auerterent: & Dei gratiam & beneuolentiam ſibi impœnitentibus, & permanẽtibus in peccato, impetrarent. tale patrocinium quia nulli veri Sancti & patroni recipiunt, Satan ſpiritus mendacii obtrudit falſos & commentitios patronos: obtrudit & falſa media conciliandi ea numina. Et quum hos receperint homines, iam ſecuriores redduntur in peccatis, & remouetur omnis metus Diuini iudicii: id quod eſt peſſimum. Nam ibi nunquam accedit pœnitentia vera, ſed falſa fiducia contra verbum Dei confirmatur & fouetur.

12 *Deſeruerunt.* Deus enim deſeritur ſimulatque non colis eum ea ratione quam ipſe mandauit tibi. Præcepit autem vt quanlibet peccatis oneratus, ad ſe venias: & eſt zelotes, neque fert vt partiaris fiduciam tuam, & omnipotentiam eius in ſe & alios patronos. Iuſſit vt ſe inuoces per vnicum mediatorem Chriſtum vera pœnitentia. Qui hoc non facit, nec tribuit Deo honorem Diuinitatis, is negat præcepta Dei, & deſerit Deum verum. *Deum patrum ſuorum.* Hic ratio oſtenditur grauiſſimi peccati. Ille enim grauius peccat qui Deum magis notũm reiicit. Hoc illi fecerunt. Deinde grauiter peccãt qui eam religionem reiiciunt ad quam plura habent inuitamenta, quàm alii. Præterea reiecerunt auitam religionem quam à patribus acceperant: quũ natura innatum omnibus ſit tueri religionem paternam, & retinere. Denique eum Deũ deſeruerũt, qui plurimis beneficiis eos ſibi deuinxerat. Iam grauius eſt amicum & herum reiicere à quo plurima acceperis beneficia, quàm ignotum. Ergo fuit grauiſſimum hoc populi peccatum, maximè quia religiones alienorum, & ſibi inimicorum coluerunt.

13 *Dereliquerunt Dominum.* Summatim dixerat, Seruierunt Baal: deinde rurſus per partes explicauerat. Nunc rurſum ſummatim commemorat. Quod maximè abducit à bono, & ad mala inducit, eſt malum. Falſa religio talis: ergo, &c. Probo, quia tollit metum iudicii Dei: vnde per omnes Prophetas Deus contra hoc intonat.

14 *Et accenſa eſt.* Nunc oſtẽditur quòd magno ſuo malo diis alienis ſeruierint. quaſi dicat, vltionẽ ſumpſit. Nihil deterius poteſt contingere, niſi vt Deus iraſcẽs pœnã de nobis ſumat. Hoc fecit Iſrael: ergo peſſimè ſibi conſuluerunt. Vt autem atrocitatẽ peccati magis exprimat, deſcribit pœnam. Nam eſt grauiſſimum in aliena poteſtate eſſe, nedum diripientium. Eſt autem emphaſis in verbo *vendere*. Nam qui aliquid vendit, nihil curæ habet amplius de eo. Ita in propitia manu Dei (nam alioquin omnia in manu Dei ſunt, etiam hoſtes) non amplius fuerunt: non quòd reiecerit prorſus eos (erant enim inter eos ſanabiles) ſed quantum ad externam administrationem. *Et non potuerunt.* Hinc vides quòd contra hoſtes ſtare, ſit opus præſentiæ Dei. *Pſal. 101. 8.*

15 *Et in omni.* Ad quod ſe conferebant. nam Dominus dicit, Ingreſſum & egreſſum tuum cuſtodiam. Ita pro omni molitione operis, egreſſus dicitur: & ingreſſus, pro quiete ab omni opere. alioquin quidam dicunt, In omni via qua exibant. Papiſtæ calumniantur nos, quando dicimus fidem apprehenſionem eſſe Diuinæ bonitatis: quaſi verò non etiam includamus comminationis fidem. Nam & comminationes, & conſolationes exprimuntur in Bibliis. Sed quum nos dicimus fidem in Chriſtum nos ſaluare, non excludimus fidem hiſtoriarum, aut comminationum: ſed fidem exprimimus ſaluificam. Nam etſi hiſtoriis & aliis credas, nec promiſſionibus fidem habeas, non potes credere. Spiritus ſanctus qui tribuit fidei vim ſaluandi in ſe, iam donat authoritatem credendi in Deum. Præcepta autem qui ignorat, non poteſt Legi Dei credere: qui autem præceptis credunt, reliquis credunt omnibus. Vnde Scholaſtici nõ malè fidẽ definiuerunt, quòd ſit certus aſſenſus, modò verba perpendiſſent. Verùm is aſſenſus tam certus non eſt quin aliquid & dubitationis & negligentiæ poſt ſe relinquat. Si autem certus adeò eſt vt auocet ſe à peccatis aliquis, & Deo credat, is aſſenſus, eſt fides ſaluifica. Sed quia ita repetit hoc loco captiuitatem, excitemur vt perpendamus quid promiſerit, & quid minatus ſit Deus populo ſuo: nam omnia ad nos pertinent.

17 *Et non audiuerunt Iudices.* Quum Dominus miſertus ſui populi, excitaret Iudices, ii reuocabant populum ad pœnitentiam & religionem. Publicè quidem purgata fuit religio: tamen priuatim multi iniquè viuebant. valde & Iudicibus aliquandiu fuit laborandum: ſed & hos non audiuerunt, quia furore quodam (vt ſtultè amãtes ſuas amicas) ſectati ſunt deos alienos. Et huic amori inſano aſſimilat libenter idololatriam Deus. nam qui ea captus eſt, omnia poſthabet: nec opes, nec honorẽ curat. Quia autẽ honeſtũ eſt appetere matrimoniũ, ideo ſtudiũ Legis huic honeſto amori aſſimilat. Et vt in honeſto amore vxor marito obedit, ita in religione ſpõdemus obediẽtiã Domino. Paul⁹ ad Epheſ. quũ repeteret dictũ Adami, Hæc caro de carne mea eſt: hoc

magnum eſt(ait)myſterium: quáquam illud de Chriſto intelligam, quòd Deus in Chriſto cô-
iugatos nos ſit complexus, & pia anima Chriſtum complectitur: ita vt omnem fiduciam in eo
collocet, vt vxor pia in maritum. Ita in furioſo carnali amore ruũt in perniciem qui ſic amãt.
Quare aptius ſimile Spiritus ſanctus non potuiſſet inuenire. Tanta vis eſt inſani amoris, & fal-
ſæ religionis, vt qui olim per multas noctes orare potuerunt, iam non poſſint vnũ diem ſancti-
ficare in gloriam Dei: qui non poteſt viginti paſſus Chriſti cauſa ire, is propter falſa numina
poteſt Compoſtellam vſque ire. Studia autem veræ religionis in ſanctis hominibus, vt fuit Pau
lus, & alii, etiam omnia poſſunt. Duplex autem hìc eſt amplificatio: vna à tempore, quòd breui
deflexerint: altera à paterna fide à qua defecerãt. Nota autem hoc loco naturam deprauatam, ex
qua ſemper fugimus Deum, & ſimilibus nos libenter applicamus, quia ille nos vocat ad pœni-
tentiam, & ad bonum: nos autem ad malum declinamus: ideóque eum fugimus, & falſos deos ſe
quimur, & mendacia veritati præferimus, quia natura vani & mendaces ſumus. Credimus er-
go patronos tales eſſe, & qui velint nos iuuare: ideo non eſt temerè dictum, oportere nos renoua-
ri: propterea tanta eſt hoc loco aggrauatio peccati.

18 *Quúmque ſuſcitaſſet eis Dominus.* Huius totius loci eſt hæc propoſitio, Grauiſſima impietate
& pertinacia peccauit populus contra Dominum: id probat duobus mediis. Primùm, quia cô-
tempſerunt grauiſſimam authoritatem Iudicum à Domino datorum. Deinde quia pœnas gra-
uiſſimas, quas dederant Domino, contẽpſerunt, & redierunt ad ingenium. *Quum ſuſcitaſſet.* Hìc
prædicat vltroneam Dei miſericordiam: & eſt hìc propoſitio, Deus populo ſuo grauiſſima etiã
impietate perdito, ſuccurrit tamen. nam quòd populus Dei eſt, id habet ex Diuina vltroneáq;
miſericordia, vt docet Paulus ad Romanos cap. 9. d. 15. Hoc autem ex vltronea Dei gratia ipſis
contigiſſe, inde conſtat, quia ipſis non petentibus, imò nihil tale ſomniantibus dedit & excitauit
Iudices quorum ope ſeruarẽtur. Ergo propoſitio hìc eſt, Deus populo ſuo ad perditionem pro-
lapſo vltronea miſericordia ſuccurrit. Populus autem Dei, eſt populus promiſſionis, & à Deo
electus, in quo eſt Dei ſedes: & his ſolet ſubinde ſuccurrere lapſis Dominus. Additur autem hic
modus auxilii & liberationis, quia opera Iudicis liberauit eos de manu hoſtium: ſed is Iudex
ſemper prius reſtituebat religionem & politicam adminiſtrationem in populo. *Pœnituit.* Cœ-
pit compati, quia nullo populi merito, vel præterito vel fururo, quòd à Deo proſpiceretur. *E-
rat Dominus cum Iudice.* Hìc rurſus habes, primùm maximum beneficium Domini eſſe, habere bo-
nos Principes. Deinde, ſub bonis Principibus non poſſe publicè locum obtinere impietatem &
idololatriam. Tertiò, eos Principes proſperè populum regere, qui Deum habent præſentem.
Peius egerunt. Id eſt ſuperarunt patrum ſuorũ impietatem, qui per bonos Principes erant correcti.

19 *Colere, & adorare.* Id eſt palàm colere. hæc ingeminatio, eſt exaggeratio pertinaciæ & im-
pietatis populi. *Nec remiſerunt.* Semper & bono & malo tempore ſunt multi mali: ſed ſub piis
Principibus pii & boni, rerum potiuntur, & ſeruiunt mali: malis autem temporibus, mali rerũ
potiuntur, & dominantur. *Dura.* Nã eorum vita eſt dura, qui ſemper habent aduerſarium Deũ:
& nunquam habent quietam conſcientiam.

21 *Non extollam.* Hìc habetis cauſam cur reliquit reliquas Gentes, ſcilicet vt per illos Domi-
nus tentaret populum adeò ingratum, & in impietate pertinacem: & vt hi eſſent offendiculo,
& laqueo populo. Ergo hic eſt propoſitio, Deus populo ſuo à ſe deficienti hoſtes immittit, & ſub
illorum poteſtate relinquit in pœnam defectionis, & in laqueũ. Ergo quòd nos habemus prin-
cipes impios, vicinos impios, & inter nos admixtos impios, noſtro vitio & peccato fit. Nã Do-
minus promiſit ſe nobis ſuum fœdus ſeruantibus daturum vt ſoli & quieti viuamus.

23 *Reliquit.* Reliquit eis hoſtes: primùm ne beſtiæ ſuccreſcerẽt, & vt haberent exercitium
quo ipſi debebant vti ad pietatem: ſed ipſi ad impietatem vtebantur. Ergo ad tentandum ipſos
reliquit has Gentes. Iam tentare, eſt de ingenio alicuius capere experimentum, vt magis explo-
retur eius ingenium. Iam Deus non habebat opus experimẽto de ingenio eorum. ſcit enim quid
ſit in homine: ſed ipſi non ſciebant. Ergo vt ipſi peccatores magis agnoſcerent ſuum peccatum,
tentantur Itaque fuerunt illis offendiculo, qui debebant eſſe exercitio. Deus per Iehoſuam non
voluit expugnare omnes, ne beſtiæ ſuccreſcerent, & vt haberent exercitium. Iehoſua non ex-
pugnauit omnes, quia Dominus non dederat in manibus eius, & nondum erat tempus: delendi
enim erant ſucceſſu temporis per populum, ſi in pietate perſeueraſſet. Sed quia illi à Domino
defecerunt, non euerterunt aras eorum, ſed cœperunt eos amare, commercia cum eis miſce-
bant, religionem illorum imitabantur. Igitur Dominus noluit amplius expugnare relictas ab
Iehoſua Gentes.

IN CAPVT TERTIVM.

1 HAE *autem ſunt gentes.* In ſecundo capite in genere expoſuit argumentum totius libri, his tribus propoſitionibus, Populus Dei ſubinde grauiſſimè à Deo defecit & peccauit: altera, Grauiſſimas pœnas dedit huius peccati: ergo diſcam hìc defectionem à Deo maximo malo cedere. tertia, De⁹ inexhauſta ſua miſericordia nō poteſt planè deſerere & abiicere populum ſuū; ſed præuenit cum vltronea gratia,& ſuccurrit. Iam in hoc tertio capite ad ſpecies deſcendit. *Vt tentaret.* Tres cauſas habetis cur hoſtes non deleuerit omnes. Vna, ne beſtiæ in terra ſuccreſcerent: altera, vt haberent exercitium belli: tertia, quod hìc habetis, vt tētaret eos an ſeruarēt præcepta ſua: ſed quod hoc ſit beneficiū, inde conſtat, Bonū eſt Sanctis pendêre à Domino, & timere, orare Dominum, & videre neceſſitatē opis Diuinæ. Ergò bonum eſt relinqui materiam ad hanc rem, qua eò impellantur. *Hæ autem.* Hìc eſt propoſitio, Populus fecit ſibi eſſe exitio Gentes eas quas Deus pio & bono exercitio reliquerat. Duo ergo hìc affirmantur: vnum de Domino, quòd bono populi reliquerit: alterum de populo, quòd hoc bonum conuertit ſibi in exitium. Præcedens ita probatur, Bonum eſt populum exerceri tentationibus, vt ad Deum confugiat, & agnoſcat ſuam infirmitatem. Ergo bonum eſt populum habere hoſtes à quibus ſollicitetur, prouocetur ad bellum, & exerceatur: quod vt ſciretur, hìc altera cauſa exprimitur cur relictæ ſint Gētes. Eſt autem hìc anthropopathia. Deus enim qui cor intuetur, non habet opus exploratione. ſed hæc tentatio magis eo ſeruiebat vt populus ipſe agnoſceret ſuam infirmitatem. Hìc igitur quod hominis eſt, Deo tribuitur, & induitur Deus humano affectu.

5 *Habitauerunt in medio Chananæorum.* Hoc iam erat peccatum. nam quum non poſſent eos ſtatim & commodè expugnare, lenta cum eis bella debebant gerere, aut ſaltem fugere eorum commercia: & quia ferre eos cogerentur, aut haberent ſeruos, aut hoſtes. Ergo populus Dei peccauit habitando inter Gentes vetitas. Erat enim hoc contra manifeſtum Dei præceptum. Primus ergo gradus impietatis fuit, conuictum illorum vetitum ferre. Alter, quia matrimonia vtrinque contraxerunt. Tertius & vltimus in quo eſt totum exitium, quia religionem eorum ſunt imitati. Illi non modò ciuilia iura & fœdera cum illis ſuſtinuerunt, ſed etiam intima & ſuprema cōmercia contraxerunt, ſcilicet connubia.

6 *Filias ſuas dederunt.* Hic vides iure Diuino patrum eſſe ius locandi filios & filias in matrimonium, idque in hunc finem, ne filius ſua temeritate quid peccet in contrahendo: quòd ſi pater tyrannus, aut durus, aut impius, aut ſtultus ſit, ibi eſt abuſus patriæ poteſtatis, & amittitur ius & priuilegium paternum: ſed non propterea filius debet pro ſuo arbitrio agere: ſed tamen debent adhiberi interceſſores, viri boni & prudentes, quorum conſilio res peragatur. Si igitur pater quærat id quod ſalutare eſt filio vel filiæ, ſacroſancta debet illi manere ſua poteſtas. Salutare autem tum eſt, quum ex duobus fieri poteſt vna caro, & ſancta cohabitatio: ſin minus hoc quærat, adimenda ei hæc poteſtas, & permittenda amicis vel tutoribus, atque ſenatoribus: tantùm nequid imprudenter & ſine conſilio paterno & amicorum agat filius. Hic ergo eſt propoſitio, Populus ſummam impietatem admiſit contrahendo matrimonia cum Gentibus. Ratio, nam impium eſt habere commercium cum malis: & quo maior eſt communio, hoc maius eſt peccatum, quia maius periculum eſt ſeductionis: ſed tale eſt matrimonium. Eſt enim matrimonium cōiunctio maris & fœminæ, habens cōmercium, & communionem omnium iurium & rerū, & humanarum & Diuinarum. *Dederunt filias.* Hæc eſt ſumma impietas contra præceptū Dei, ſe in periculum ſeductionis præcipitare. Vix enim fieri poteſt quin in tāta ſocietate, ſtudiorum communicatio ſequatur. Contrà Paulus conſilium dat vt credulus vir incredulam vxorem non abiiciat, & contrà: ſed videat ſi poſſit eam lucrifacere. quod videtur his patrocinari: ſed ad id reſpondendum eſt, Omne id conſiliū, non præceptū. Deinde apud Gentes non conceſſum fuiſſe libellum repudii: tum iis conſulendum eſſe qui ſpem habeant lucrifaciendi: ſin minus, nō aſtringitur. Poſtremò, Paul⁹ iis loquitur qui ante quàm cōuerſi eſſent ad religionē, contraxerāt matrimonium. Verùm ſemper impium eſt ducere quam ſcias infidelem: ſed poſt ductam non licet abiicere ſi in hæreſim incidat, niſi ſit periculum ſeductionis. Ergo tres ſunt caſus in matrimonio. Primus, Semper eſt impium ducere eam quam ſcias eſſe incredulam: nam impium eſt, periculum ſeductionis admittere: ſed nullum eſt maius periculum quàm in matrimonio infidelium. nam vix fieri poteſt in hoc ſummo amore qui eſt in coniugio, vt non communicatio ſtudiorum admiſceatur. Alter caſus eſt quum vterque infidelis in matrimonium venit, & ſtante matrimonio alter cōuertitur ad Dominum. Is non debet abiicere vxorem, vel vxor maritum, ſi ſit ſpes lucrifaciendi: ſin minus, debet abiicere, quia ibi eſt periculum ſeductionis. Tertius caſus eſt quum vterque fidelis in matrimonium venit: ſed ſtante matrimonio alter à religione vera deficit: ibi ſeruanda eſt eadem ratio quæ in ſecundo caſu, & non repudianda, ſi ſit

ſpes conuerſionis:ſin minus, repudianda: Cæterùm dictum Domini, Vxorem non repudiandam niſi ſtupri cauſa,nō repugnat huic ſententiæ. Nam vxor non eſt repudianda niſi ſtupro admiſſo,quæ & velit & poſſit eſſe adiutoriū viro,& præſtare officia vxoris:ſed quæ infidelis eſt,& in qua ſpes nō eſt lucrifaciendi,ſed periculum ſeductionis: item quæ alioquin mala eſt,illa iam deſinit eſſe vxor:ergo de ea dictū Domini non intelligitur. Verùm quæ iſta vitia non habet,ſed vult & poteſt vxoris officia præſtare, & ſi quidem vitia non capitalia habeat, illa permanet vxor,& de ea Dominus loquitur. illa non eſt repudianda niſi violata thori fide. Et hæc eſt omniū veterum Patrum & Sanctorum ſententia.

7 *Oblitique ſunt*. Ideſt,abiecerunt curam colendi Dominū. Nemo enim poteſt planè obliuiſci Dei. Sed eſt duplex Dei memoria: vna efficax ad conuertendū nos à peccatis: altera ad hoc inef ficax,ſed efficax ad condemnandum. Tres igitur vel quatuor gradus fuerunt propter quæ in hoc malum inciderunt. Primus, ignauia: quia non deleuerunt hoſtes. Alter,quia permiſerunt eos in medio ſui habitare,& cultum idolorū exercere. Tertius,quia matrimonia,id eſt ſumma fœdera cum eis contraxerunt. Quartus & vltimus,quia participarunt idololatriæ ipſorum.

8 *Iratus autem*. Hîc ſequitur probatio alterius partis,quia pœnas dederunt huius peccati. Hîc ergo propoſitio eſt,Populus hac impietate præcipitauit ſe in exitium. Probatio,Deus vendidit eum in ſeruitutem regi impio. Vendere autem, hoc eſt omnem curam & poteſtatem politiæ & religionis ſubducere. Seruire autem,hoc eſt ſubiici imperio & volntati alterius pro eius arbitrio & libidine,non certis legibus aut mutuis cōditionibus: ſed vt is pro ſua voluntate,& vitæ & necis illorum,& omnium rerum habeat poteſtatem:atque vt is pro ſuo arbitrio ſiue pacto,etiam inuitis imperat, non pro ſalute ſubiectorum. Iam ſic ſubiici voluntatem animi,impio,& habenti impiam voluntatem,maximum malum. Sic venditi ſunt Iudæi:ergo in maximū malum deducti. Minor hic probatur per commemorationem eorum quæ ſequuntur. *Octo annis*. Longa ſeruitus liberali & ingenuo populo.

6 *Et quum clamaſſent*. Hîc propoſitio eſt,Populus Dei pœnitens,miſericordia Dei gratuita liberatus eſt,& reſtitutus libertati piæ & ſanctæ. Duo ergo hîc prædicantur,pœnitentia populi,& Dei miſericordia. *clamaſſent*. Hoc clamare,ſignificat ingemiſcere,& publicā pœnitētiam,& inuocationē Dei. Per hoc ergo clamare, intelligitur omnis actio veræ pœnitentiæ. Propoſitio ergo hic eſt,Populus de admiſſo peccato, verè & rectè pœnituir. Pœnitētia autem ſancta eſt dolor de admiſſo peccato propter offenſam Dei,cum propoſito emēdādi. Verā pœnitētiā habes Ioelis 2. c.12, Cōuertimini ad me,&c. Ergo in vera pœnitētia requiritur,primùm confeſſio peccati,non quot,ſed quid feciſſent: cōfeſſio facti,nō qualitatis. Deinde imploratio veniæ. Tertiò vt aliquod bonis operibus teſtemur propoſitum vitæ melioris: vnde in veteri Eccleſia certū tēpus præſcribebatur pœnitentibus, vt per aliquot ſeptimanas hæc tria agerent. *Filij Iſrael*. Hîc de politia eſt ſermo:quia non vnus & alter inuocauit, ſed publica & vera fuit inuocatio. *Suſcitauit*. Hîc rurſus vides à ſolo Deo bonos Principes donari,& omnem poteſtatem à Deo eſſe. *Saluatorem*. Non poteſt populus Dei reſtitui ab externa tyrannide,niſi reſtituta politia: & ille non modò à ſeruitute externa liberauit,ſed etiam ab omni ſuperſtitione,reſtituta politia& religione. *Othniel*. Præſtantem ergo dedit Principem.

10 *Spiritus Domini*. Ergo non ſua virtute, ſed Diuino afflatu & Spiritu ſeruauit & liberauit populū: & eſt pulchra alluſio in hoc vocabulo *ſpiritus*. quicquid enim homo facit & cogitat, id tātùm eſt ſpiraculum Dei,quo aſpirat hominem. Eſt autem duplex aſpiratio Dei. Vna quæ etiā non renatis contingit. vnde hic ad militiam,hic ad alia quædam idoneus exiſtit. Altera eſt quæ tantùm renatorum animis contingit: qua homo intelligere incipit res Diuinas & ſupernaturales. Paulus 1.Corinth.12.a.4. multa ſpirituum genera facit, quæ tantùm Eccleſiæ, ſed non omnibus membris Eccleſiæ contingunt.& interdum etiam non bonis: & eſt ſpiraculum quoddam Diuinum ad exequendas res ſupernaturales & Diuinas,vt miracula,&c. Et omnia iſta in ſalutem Eccleſiæ:inter quæ etiam gubernatio iſta erat. Ideòque Spiritu Dei ſcribitur afflatus Saul, vt ſubitò poſſet regnum cum maieſtate adminiſtrare. Eſt autem etiam malus ſpiritus diaboli, æmul' & imitator Spiritus Dei,quo homines ſubitò ſolertes & idoneos reddit ad exequēdas res magnas. *Iudicauit*. Hîc intellige omnem politicā adminiſtrationem,non tantùm iuriſdictionē. *Silue*. Hoc verbum in Scripturis dupliciter ſumitur. Vel enim ſignificat nihil habere quod obmurmures,nec audere obmurmurare: vel ſignificat quietē agere, ita vt nihil ſit quod poſſis obmurmurare, & turbas excitare: ſic hîc ſignificat ita fœliciter agere vt nihil earum habeas querelarum. *Quadraginta*. Vide quanto ſuperet Dei miſericordia eius iram·octo tantū annis ſeruierant. *Et mortuus eſt*. Veriſimile eſt eum ad iuſtam ætatem pertigiſſe: ergo rurſus hîc commendatur bonum longæ vitæ.& hîc rurſus perpendendum quando ſit expetenda vita breuis vel lōga.

11 *Et addiderunt filij.* Hìc rurſus vide, mortem bonorum Principum populo Dei eſſe damnoſam: ſed hoc malū haud dubiè meriti ſunt ingratitudine quam admiſerunt ſub iſto bono Principe. Hìc rurſus intellige publicā à religione defectionem: quāuis ſub bonis Principibus etiam peccetur, ſæpè tamē non in publicū peccatur: ibi Reſpub. pœnas ſumit de eo qui peccauit, & nō facit ſe ream priuati peccati. Quòd ſi peccata nō punit Reſpu. facit ex priuato peccato, publicū, & ream ſe facit peccati publici: ideóque etiam rea fit iræ Dei, & pœnæ atque vltionis Dei. Itaq; ſi populus non aſſumptione falſæ religionis peccauit, tamen in eo peccauit quòd veram religionem non rectè coluit. Ergo graue fuiſſe peccatum, inde probatur: primùm Deus de grauibus tantùm peccatis hoc dicit, *eſſe malum in oculis Domini*. id probari poteſt innumeris Scripturæ teſtimoniis. Deinde vis eſt in verbo *Addiderunt*. Qui ſæpe admonitus de bono & recto, & ſæpe à Deo reſtitutus, tamen rurſus peccat, & deficit à Deo, is peccat grauiſſimé. Sic fecerunt filii Iſrael, &c. Quòd publicé peccarint, & defecerint, expreſſum eſt in verbo *Iſrael*. *Moab.* Hic nota in hac voce exaggerationem: nam à vicinis & fratribus opprimi, à quibus & officium expectare par fuit, iiſque ferociſſimis, extremum eſt malum: verùm tales erant Moabitæ de quibus hic habes. *Roborauit.* Suprà tantùm dixit, Et vendidit eos: hic media venditionis adiiciuntur, ad aggerationem.

13 *Vrbem palmarum.* Id eſt Hierico. Rurſus propoſitio eſt, Populus à Deo deficiens præcipitauit ſe in exitium. Non explicatur hic quid peccauerint, ſed ſolùm defectus exprimitur. Duplex autem eſt à Deo defectus. Primus, neglectus veræ religionis, qui hodie apud nos eſt: alter, aſſumptio falſæ religionis, grauior.

14 *Et ſeruierunt.* Hìc expreſſa eſt pœna: & propoſitio eſt, Hanc impietatem & defectionem populi Deus vltus eſt grauiſſima pœna. non eſt enim maius malum quàm impii Principis arbitrio regi, & ad libidinem eius addici & tradi, ſicut ſerui heris addicūtur. Subditum eſſe pio Principi, eſt adhuc tolerabile: ſed vt liberiores ſubiiciātur. Verùm tradi in ſeruitutem principis impii, adeóque omni iure priuari, & ad libidinē impii & potentis tyranni, id eſt ipſi Satanæ addici, hoc eſt maximum & ſupremū malum: eáque fuit conditio Iiſraelitarum: ergo miſerrima. Quòd autem à Domino in hoc malum ſunt traditi, inde conſtat, quia Dominus roborauit manum Moabitarum contra eos. *Decem & octo.* Aucta calamitas & pœna: & meritò, quia in eundem lapidem impegerant.

15 *Et clamauerunt.* Hìc rurſus eſt propoſitio, De' vltronea miſericordia ſuccurrit populo ſuo pœnitenti de peccatis. Publica pœnitentia exprimitur in verbo *Iiſrael*. Eſt autem hic ſynecdoche: nam exprimitur vna tātùm actio pœnitentiæ, ſcilicet imploratio veniæ cum dolore. ſed illa vt non eſt ſine cæteris partibus, ita cæteras in ſe complectitur & exprimit. Etenim vbi eſt imploratio veniæ, ibi neceſſe eſt eſſe confeſſionē delicti: & vbi eſt imploratio veniæ, ibi oportet eſſe ſpem impetrandi, & neceſſariò ibi propitiatio per legitima & ſolēnia media per Chriſtū. Quæritur itaque & verbis & ſacramētis ea res, & percipitur. Quòd autem iſta omnia neceſſariò cohæreant veræ pœnitentiæ, teſtes ſunt omnes Prophetæ. Clariſſimè tamen id Ioelis 2 deſcribitur: vbi primùm grauiſſima admonitio iræ Dei ob peccata, deinde ſolennis & frequens conuentus conuocādus præſcribitur. Ad hæc miniſteriū ſacerdotis intercedentis pro peccatis deſcribitur: poſtea lamentatio & fletus populi dolentis de admiſſo peccato: ideóque publica confeſſio peccati in Eccleſia: præterea imploratio veniæ, in eáque fides & ſpes impetrandi cōprehēſa. Ad extremū ſacrificia Diuinitus ad id deputata, media & ceremonias recōciliationis quæſita per Chriſtum. *Saluatorem.* Ergo reſtituit eos: & eſt propoſitio, Deus mirabili, & in ſpeciem vitioſa ratione liberauit populum ſuum. *Munus.* Siue tributum fuerit, ſiue honorarium munus.

16 *Duo ora.* Id eſt erat biceps gladius. *Longitudine cubitali.* Apparatus doli.

18 *Dimiſit populum.* Induſtria hìc notatur: & erat bonæ fidei, ſuis timidioribus conſulere, qui non erant pares in periculo ſuſtinendo.

19 *Verbum ſecretum.* Iterum dolus & veritas. Vitioſum autem fuiſſe in ſpeciem, inde probatur, quia ſubditum & ſeruū, interficere dominum ſuum, id ab omnibus cōmuni ſenſu impiū iudicatur. Deinde, dolo & fraude eum circumuenire & occidere, etiam id habetur ab omnibus malū: Præterea mirabili ratione contigiſſe, inde probatur, quia mancus ad hanc rem periculoſiſſimè fuit electus. poſtremò, quia admiſſus fuit in ſecretum colloquium, & in loco cōmodiſſimo cædi & effugio. Ergo primùm mirabile fuit, ſeruū & ſubditū, hoc omnium periculoſiſſimū facinus fuiſſe auſum. Secundò hoc mirabilius fuit iſtum captiuū potuiſſe à Rege impetrare ſecretum colloquium: quū natura tyrāni ſoleant ſibi ab omnibus timere, & omnes ſuſpectos habere. Tertiò vſ' eſt cōmodo loco ad cædē, & vnde tā cōmodè poſſet effugere ſecretò, & celari cædes donec ille ad ſuos rediret, & inſtrueret eos ad occidendum decem millia hoſtium: quod in ſpeciem vitioſum fuit. Primùm vitioſum eſt admittere dolū in re qualibet, ita innatus eſt nobis amor veritatis: deinde à ſeruo hoc euenire domino, cui tanquam domino fideliter debet ſeruire: ſed re-

uera in his omnibus nibil eſt vitii:id quod ex bis verbis clarum eſt, quia Dominus excitauit eum ſeruatorē:ergo opus Diuinū erat hoc,& ille rectè hoc à Domino iniunctū eſt exequut'. Deinde nibil erat iuris Regi in bunc populū,niſi quòd Dominus tradiderat eos in manū eius:ergo poterat eoſdē hoc medio inde rurſus liberare. Ergo quia ille malus erat, & hoc bonum opus Domini,licebat bac in re fallere impium Regē, & celare dolum, vt bonum Domini opus perficeret. ideóque fuit ſanctus & iuſtus dolus, & idcircò Dominus dedit ei ſucceſſum. Habes ergo hîc laudatū dolū. Veritas enim ipſa immittit ſpiritū mēdacii in eos qui ſunt indigni veritate. Deus enim plenum ius habet in nos, vt cōtra nos & diabolo,& mendacio,& omnibus reliquis vtatur, quū meremur & mēdaciū. Dolus,& cætera quæ per ſe ſunt mala, ſecundū quid ſunt bona: id eſt aliquando non ſunt mala, dum ſcilicet bonum quod Deus iuſſit bis mediis cōmodè perficitur. Ergo quum eſſet vocatio illius liberare populum à tyrānide, rectè omni induſtria adhibita, hoc conabatur,& Spiritus bonus qui erat in eo, author erat buius mendacii. Ergo mendacia ſunt in loco bona,& doli, ſed tum quum non potes alia ratione perficere opus Domini, aut non cōmodius perficere:& tum quū tibi cum malis, aut infirmis iudicio, eſt negotium. Hîc paſſim legimus aperta Sanctorum mendacia, vt Abraham vxorem ſuam ſororem mentiebatur eſſe: ſic Dauid, ſic Rachab,&c. Verùm iſta omnia eſſe bona, ſumma ratio eſt, Deus qui eſt ſummum bonū non poteſt probare,& ſibi adſcribere,& dare ſucceſſum rei cuipiam, niſi quod bonum ſit & laudabile. Sed orandus eſt diligenter Dominus vt Spiritu ſuo nos regat & dirigat, doceátque quatenus, vbi,& quo tempore iſta per ſe mala, bona ſint. *Secretum.* Hoc etſi in ſe verum ſit, tamen mentitus eſt Regi: & ſic Sancti ex more, ſtudio veritatis, quum etiam mentiendum eſt eis apud malos, & infirmos iudicio, tamen ita attemperant orationem, vt ſaltem ſibi non mentiantur.

20 *Verbum Domini.* Alterum mendacium & veritas. *Surrexit.* Ecce Rex barbarus veneratur Deum Iſrael.

24 *Cooperit pedes.* Id eſt exonerat ventrem: ita Deus decipiendo & Regem,& ſeruos eius, fecit proſperari boc factum Ehud. Verùm iſtud & buius ſimilia exēpla debemus cautè tractare apud homines qui alioquin ad mendacium natura propenſi ſunt. Oremus Dominū vt nunquā dolis & mendaciis ſit nobis vtendum. Si autem nulla ſit alia via, orandus eſt Dominus vt nos ipſe ducat & benedicat. D. Auguſtinus fuit in ea ſententia, Mendacium ſemper vitioſum eſſe: & quòd Dominus his mendaciis benedixit, id eſſe ex illa inexhauſta eius bonitate, qua manifeſta crimina & ſcelera fortunat,& remittit: ſed nos in alia ſententia ſumus. Mendacium in tres partes diuidunt, in mendacium leuitatis, malitioſum,& officioſum.

30 *Et humiliatus eſt.* Hìc deſcribitur plena liberatio & reſtitutio populi: & eſt propoſitio, Ehud diſſoluit totam tyrannidē Eglon: probatur, quia omne præſidium eius deleuit in totum. Præterea non ſatis eſt ſemel præſidia ſuſtuliſſe, niſi caueas ne noua ſubmittantur: ergo primo deleuit omnia præſidia. Deinde ſubiecit Iſraeli Moabitas: ergo pleniſſimè liberauit. ita diſſoluit hanc tyrannidē: debuit ergo totis animis populus gaudere hac ſua libertate. & quia diuturnum fuit hoc imperium in tyrannos, & id fœliciſſimum,& quietum, ac trāquillum, quod notatur in verbo *Siluit*: id eſt omnia tam ſecunda fuerunt vt nemo tumultuaretur, omniáque omnibus ex ſententia euenirent. Hoc eſt per Chriſtū populo illi præſtitum, qui in Chriſto vixit: idem eſt noſter, ergo idem nobis præſtabit confidentibus in Domino. Deinde hîc nota quòd ille omnia tā prudenter adminiſtrauit, ſciens non modò occidendum tyrannum, ſed etiam omnem eius vim tollendam, & delendam. Iſta omnia Diuinæ prouidentiæ fuerunt, qui Spiritu ſuo ita ſolertem fecit ſubitò Ebud. Deinde nota bîc, primò pietatem quæ Domino totum hoc opus tribuit,& dicit, *Dominus tradidit in manus veſtras hoſtes veſtros.* Ideóque excitat eos ad ſequendum ſe. Deinde fortitudinē, quia præceſſit eos in itinere: poſtremò diligentiam, conſtantiam,& prudentiam, qui ita inſtituit terram vt omnia quietiſſimè agerentur.

31 *Samgar.* Hic non fuit magni nominis, aut virtutis vir: ideo paucis bæc res deſcribitur. Eſt autem bîc propoſitio, Miraculo Dominus populo ſuo adfuit: probatio, quia ſexcentos boſtes, nō iuſtis armis, id eſt boum ſtimulo fecit interfici, ſicque repelli hoſtes qui populo inſultabant.

IN CAPVT QVARTVM.

IN hoc capite rurſum mirabile beneficium Dei deſcriptum eſt, quod exbibuit populo venundato ob impietatem. Scriptura tota in boc eſt vt fidamus Domino,& illum non modò remiſſurum nobis peccata, ſed etiam beneuolentiam, quo bene viuamus, oſtenſurum. Et inſolita ratione liberandi frequenter vtitur, vt in boc loco.

1 *Et addiderunt.* Nam defectio illa irritat Dominum plurimum. Qua autem defectione lapſi ſint, non certò conſtat, neque neceſſum eſt etiam. quanquā etiam addatur, Mortuus eſt Ebud: nā ſine piis Principibus nunquā bene viuitur. Sed quòd ſub Sāgar etiam non bene vixit populus, ſiue ipſe etiā impietati cōſenſerit, ſiue per tēpus breue regnauerit, ideo ſtatim adiicitur de Ebud.

Graue autem ſcelus fuiſſe in hoc,quia non ceſſarunt malefacere caſtigati prius: cauſa impietatis fuit deſtitutio boni Principis.

2 *Et uendidit*. Exaggeratio pœnæ,quòd principi impio ſubiiceretur,& iis populis qui extermino extremo,aut eradicatione erãt cõdẽnati,& iã his ſeruire cogeretur. Haſor ciuitas,de qua Iehoſue 11.a.1,quòd deſtructa fuerit,& loc' eius Iabin dictus,quod ſignificat intelligentẽ: & forſan ita Principes ſuos vocarũt, qui debẽt videre vt populus benè beatéque viuat. Sed quoniam ibi memoratur hanc ſuccẽſam fuiſſe,& hic iterum habitatam:notatur Iſraelis ignauia,qua paſſi ſunt eos creſcere. Alioquin Nephthali tribui addicta fuit,vt Iehoſue 19.c.36. *Siſeræ* memoria fit, quòd Dominus per eum auxilium fecit:& veriſimile eſt eum fuiſſe diuitem. Nam Deus humilibus gaudet. Ita Pharaonem præpotentiſſimum fecerat.

3 *Et clamauerunt*. Propoſitio,Iſrael publicè pœnitẽtiam egit:publicè,quia *filij Iſrael*. vides ergo tertiã ſubiecti conditionem,quia non liberauit donec pœnitẽtiam egiſſent:nã vexatio dat intellectum. *Clamauerunt*,quia erant oppreſſi,& iſte erat præpotens: ſed quia ad Dominum clamauerunt,non pro externa remiſſione orauerunt. peccata enim niſi remoueas,Deus non remouebit pœnam. Ideo externa afflictio adducit quidem ad cognitionem peccati: at illa per ſe non ingenerabit pœnitentiam,ſed hoc efficit miſericordia Dei. Sed aiunt,Deus ſolus mouet ad pœnitentiam:ergo non admouẽda pœna. Hoc falſum eſt:nam quia ſolus hoc facit,ideo pœnam ad verbum ſuum adhibet,vt per hoc,peccatum alicui oſtendat:& virgis adeſt,quia promiſit,Si ceciderìs filium virgis,liberabis eum. Et Paulus 1.Corinth.11.g.31,Si iudicaremus noſipſos,non iudicaremur à Deo. animus enim noſter debilis eſt: ſecundum quod quiſque cogitat,in eo peſſimè iudicat:vt qui ebrietate victus eſt, peſſimè iudicat. Propoſitio ergo eſt, Populus grauiſſimè fuit attritus per viginti annos cum violentia magna. Hæc ſynecdoche complectitur veram pœnitentiam,nec ipſam modò pœnitentiam,ſed omnes etiam actiones pœnitentiæ. *Filij Iſrael*. Ergo publica fuit iſta pœnitentia. *Afflixitque*. Sed non modò ideo clamauerunt ad Dominum vt externis malis liberarentur, ſed illa vexatio dabat intellectum,vt inde diſcerent,& agnoſcerent quàm malum eſſet offendere Dominum: ideóque non minus ob ſuum peccatum, cauſam ſcilicet pœnæ, quàm ob ipſam pœnam clamauerunt: alioqui enim non inuocaſſent Dominum. Sciebant enim Deum nonniſi pœnitentes exaudire. Ergo in hoc verbo *tzhouah*,oſtenditur,eos verè pœnituiſſe de peccatis ſuis.

Eſa.18.c.19

Prou.23.b.13

4 *Et Debora*. Liberationis primum inſtrumentũ:& hîc rurſus vides Dominum liberaturũ, dediſſe piam Principem. Miraculũ,quòd priuati hominis vxor,& nõ celebris,nec virgo. Sic ornat mulieres aliquando Deus,vt videamus eas non prorſus eſſe abiectas: hinc & procreanit vt Reſp. augeatur:& Apoſtolis nuntiauerunt reſurrectionẽ Domini. Et Iudith non pugnauit quidem,ſed iamiam factura hoc erat. Et diſce perinde eſſe Deo,quomodo vtatur inſtrumento graui, ſeu humili. Fidamus ergo eius miſericordiæ, & quauis ratione nos poſſe liberari credamus. & Deus quos diligit per Chriſtum ereptos infœlicitati,eos lætificat, non illorum gratia. *Prophetiſſa* … *Prouide Debora*. Hic propoſitio eſt, Deus populum ſua impietate perditum, & pœnitentem de admiſſo peccato,miraculo reſtituit. Quòd reſtituerit, Hiſtoria docet: quòd miraculo,inde probatur, quia excitauit mulierẽ,per quam liberauit populum. Miraculũ enim eſt opus Domini præter conſuetum ordinem factum. Natura autem,eſt opus Domini,iuxta conſuetum ordinem factũ. Iam erat ordo conſuetus Domino, aliquo inſigni viro reſtituere populũ, hîc per mulierculam perficit. Deinde quia Prophetes illa erat. Nã Propheta eſt extraordinarius,& tamen præcipuus adminiſter rei Diuinæ,qui videlicet afflat' ſancto Spiritu de rebus Diuinis rectè edocetur. Præterea iudicauit populum tam numeroſum:poſtremò,vt poſtea videbimus,erat etiã dux belli. Iſta omnia erãt contra naturam mulierum:verùm iſto & ſimilibus exemplis, Dominus voluit benedicere huic ſexui:ſed nos nihilominus,conſuetum naturæ ordinem ſequamur quum poſſumus. *Vxor*. Hìc eſt commendatio coniugii contra Papiſtas, qui prohibent ſacerdotes à coniugio,vt ab eo quod impediat,& minus idoneos faciat ad miniſterium obeundum.

5 *Palma*. Forſan hic locus ideo ſic dict',quia erat cõſitus palmis. *Ephraim*. In illa inſigni tribu, vbi tantus erat ingeniorum cultus, mulierem regere, hoc miraculoſum eſt. *Aſcendebant*. Id eſt in omnibus controuerſiis,ab ea iudicium expectabant,& quod ipſa dixiſſet, ſequebantur. hoc erat quiddam inſolitũ & mirabile,ſed nõ ineptũ. Nã Deus poteſt ſuum Spiritũ dare cui vult. Natura enim & per ſe,viri eſt præeſſe,& mulieris ſubiici:ſed iuxtà De' ordinẽ hũc poteſt mutare quũ ipſi viſum eſt. Ergo hic & in omnibus operibus Dei duo cõſideranda nobis ſunt. Primum,non deſperandũ ſi deſint conſueta media:alterũ,ſi adſint conſueta media,non ideo confidendum:ſed ſequenda quum adſunt conſueta media, & orandus Dominus vt fortunet. *Quæ mittens*. Hic propoſitio eſt,Debora oraculo Diuino cõſtituit ducem ad liberandum populum. & hic redit Do-

minus ad cõſuetum naturæ ordiné,niſi peccatis noſtris id exigẽtibus. Et hîc notatur ignauia huius populi: inter tot millia non inueniri vnum virum qui primo loco, vel religioné, vel politiã, vel bellum adminiſtraret, magna erat ignominia. Nam illa mulier oraculo elegit, ideóque proculdubio optimum. Et tamen ille optimus nihil valet, nec vult ſequi vocationem, niſi præeũte muliere. Ergo grauiter percuſſerat hic populum.

6 *Nunquid non.* Hic propoſitio eſt, Deus beneuolens populo ſuo, excitauit illi Principem per quem liberetur. Et hîc diſcamus, neminem fore idoneum ad rem aliquam obeundam, niſi vocatus ſit Diuinitus.

7 *Ego verò traham ad te in vallem.* Duo hîc pollicetur, quòd ſcilicet velit hoſtem trahere in commodum victoriæ locum: alterum, quòd velit eum iugulandum ſibi tradere: ſic omni vocationi Dei adeſt promiſſio. Nemo in vocatione Diuina, fruſtra laborat: ſed non oportet noſtra ratione metiri modum ſucceſſus. Eſt ergo hîc propoſitio, Debora conſtituit idoneum & fœlicem ducẽ populo Dei. Quòd mulier cõſtituit, quòd ex infima tribu, id miraculo eſt. Verũ Cõſtituere hîc nõ ſignificat modò præficere muneri alicui exequẽdo, ſed etiã promiſſis cõfirmare de ſucceſſu: id quod in quouis munere per impoſitionem manuum ſolet fieri, & ſignificari.

8 *Si ieris mecum, ibo.* Ecce hominẽ ignauũ, qui oraculũ Diuinũ habet de exequẽdo hoc munere, & promiſſionẽ victoriæ de hoſtibus: tamen is nondũ habet fidem: tamẽ hac ignauia non offenſus Deus, fecit proſperari negotium. Vituperatur propter ignauiam, & tamen dux recipitur, & ſucceſſus victoriæ datur: ſed duce & ſummã adminiſtrante Prophetiſſa Debora, & ea conficiente & interficiente hoſtem: vnde maior gloriæ pars illi deceſſit.

10 *Zebulum.* In hoc decimo verſu eſt propoſitio, Populus duci Diuinitus conſtituto, obediuit: ideóque ſucceſſit res. Poterant cauſari multa, cur non cæteras tribus excitauerit. Vnde diſcimus primùm, proſperari & fœliciter cedere quicquid iuſſu Diuino ſuſcipitur. Deinde, quia illi abſque omni cauſatione pro fratribus liberandis pugnauerint, monemur vt hoc exemplo omnes nos quoduis periculum pro fratribus ſuſtineamus, & prima quaque occaſione & vocatione vti ad benefaciendum fratribus, etiam cum vitæ periculo.

11 *Nuntiauerunt.* Hîc impletur quod verſu ſeptimo pollicetur: & elicitur hoſtis ad locum opportunum ad deuincendum. Et quanquam Heber hic videatur amicitiæ cauſa, huc inuitaſſe hoſtem populi Dei: tamen quia ipſius vxor tam cupidè interfecit eum, argumẽto eſt, eum cum populo Dei ſenſiſſe, etſi non ſit certum, ſed probabile. Ergo vel Diuinitus, ſiue per Deboram monitus hoc fecerit, negotium Dei fuit, qui & excitauit hũc vt ſimularet ſe amicum: & illi indidit vt crederet huic ſimulationi, & ſic pateretur ſe deduci in locum cædi opportunũ. Habetis autẽ rurſus hîc liberationem in ſpeciem vitioſam. Hîc enim ſimulans amicitiam & vicinitatem, tradidit & prodidit Siſeram populo Dei, ſed debebat hoc facere Heber, & præſtare hoc beneficium populo Dei.

13 *Surge.* Ecce ducem belli mulierẽ, hæc indicit tempus prælio. Deſcribit ergo hîc victoriã partam prælio: ſed propoſitio hîc eſt, Deus miraculo miſericordiæ, liberauit populũ. Nam ab initio vſque ad finem, omnia ſunt miraculoſa: maximè quod hic tam potens, tam benè inſtructus, & tam copioſus exercitus, à paruo, imparato, & imbelli, exercitus totus occiditur.

17 *Egreſſaque Iael.* Ecce vterque inſeruit populo Dei, maritus nuntians hoſtem aduenire, & illa occidendo eum. Et quamuis ille Heber pacem habebat cum Siſera, tamen ex hoc facto vxoris quæ quod fecit, indubiè ex ſententia & conſenſu mariti fecit, facilè patet hũc Heber oppreſſum fuiſſe, & inuitum fœdus habuiſſe cum Siſera. *Secede ad me.* Ecce apertus dolus, & mendacium mulieris. Ergo Deus rurſus populum ratione in ſpeciem vitioſa liberauit. Et hîc vides rurſus miraculo factum, quia per mulierem, quæ alioquin à ſanguine abhorret. Deinde dolum & factum fuiſſe nõ vitioſum, ſed officioſum. Laudatur enim illa ob hoc factum: & ille dignus erat ſic perire, & populus dignus liberari. Sed nulla erat alia ratio liberandi. Quòd autẽ Kenei fœdus percuſſerãt cum Iabin impio tyranno: inde docemur incidere aliquãdo tempora in quibus licet populo Dei fœdus percutere cum impiis, tum ſcilicet quum non datur populo Dei libera Reip. adminiſtratio, aut non ſatis potens, & ad defendendum ſeſe non ſufficiens. Sicut enim iumenta, ita & impios homines vult Deus ſuis fidelibus in ſalutem operari. Nec tamẽ in religione debet cum impiis conſentire, etiamſi externum fœdus habeat: ideóque non peccauit Heber quòd cõtra fœdus videtur prodidiſſe Siſeram. In omni enim fœdere Deus excipitur. Et quia hic iã Dei hoſtis erat, & populum Dei oppugnabat, erat huius officii iuuare populum Dei cõtra Siſeram: nec erat hoc contra fœdus iſtud, & ſeruiebat hoc in gloriam Dei, & commodum populo Dei: & nulla fœdera ligant contra Deum: hîc autem negotium Dei agebatur, ergo, &c. *Culcitra.* Rabbi Dauid Kimhi dicit eſſe villoſum veſtimentum, quod Hiſpani *Cotum* vocant.

13 *Et inualuit manus*. Hìc iam probatum eſt quòd reſtitutus eſt populus Dei, miraculo miſeri-
cordiæ Dei, & plenè reſtitutus: neque enim ſolùm populus eſt liberatus tyrannide, ſed ſubiecit
ſibi, & planè exterminauit hoſtes, & omnẽ eorum tyrãnidem. Hoc præſtitum eſt per Chriſtum:
idem eſt noſter. ergo pœnitentiã agamus, & confidamus in Domino, & idẽ impetrabimus, &c.
Hìc præterea nota quod peculiare eſt à ſuperiori Ehud: vno prælio expugnauit hoſtes, vt terra
ſileret: hìc quia peccauerant ignauia, non ſtatim exterminati ſunt hoſtes: ſed relictũ exercitiũ bel
li perpetuum populo.

IN CAPVT V.

PRopoſitio breuis, Carminibus eſt Deus laudandus, maximopere propter conceſſam victo-
riam. Commune argumentum, Quia fecit nobiſcum magnificè.

1 *Et cecinerunt*. Hæc eſt præfatio carminis. Carmina autem non fiebant niſi poſt pactam pa-
cem. Etſi in periculis orationes habuerunt: tamen non ita in numeros redactas. Quia verò o-
mnia debent laudare Deum, adhibuerunt veteres muſicam, qua omnes, & omnium animos ad
laudem incitarent. Sed in veterum muſica, primum locum habuerunt ſacra verba, & ſe-
cundum locum concentus verbis applicati, ad maiores affectus mouendos. Non vt noſtra
iſta muſica, vbi tantùm concentus ratio habetur, nulla verborum, acſi bruta eſſemus: & tantũ
ad demulcendos animos, non ad erudiendos eſt accommodata. Præponitur autem mulier viro,
vt antè in ſancto facinore, & indubiè quia erat Prophetiſſa. Compoſuit etiam hoc carmen, ſed
pro ſe & pro Barac. Cauſa autem cur cecinerit ſubiicitur verſu 2. *Propter vindictam*. Duplex erat
beneficium: ſcilicet quòd populus paruiſſet imperio Barac, & non rebellis pro fratribus pu-
gnarit, & quòd potitus eſſet victoria, ſicque liberatus.

2 *Laudate Dominum*. Statim eſt inuitatio. Laudare verò Dominum, eſt eius beneficia cõmemo
rare: quod parit maiorẽ amorẽ, & ſtudiũ amplificandi regnum eius. Ec eſt propoſitio totius rei.

3 *Audite reges*. Initium poeticum. Propoſitio, Omnes debẽt laudare Dominum, quanto ma-
gis Reges & Principes? Nemo autem poteſt laudare Deum niſi Sãcti. hii enim ſoli Domini be
neficia intelligũt. vnde Paulus, Ve ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Nam nulla beneficia 1. Corin. 2. cap
ſunt beneficia, niſi proſint tibi ad vitã æternã, & ſentias in primo ſenſu cõmunicationẽ Chriſti,
quòd ille in nobis viuat, & nos in ipſo. Sed iſtud beneficiũ debuit ad omnes gẽtes propagari. at-
que Chriſtus qui in hoc populo regnabat, & ipſe populus erat ſeminariũ omnis populi: ideo re-
ſtituit ei hoc beneficii, id eſt pietatẽ & ſanctitatẽ. ſed nobiſcũ ſimiliter faciet: quare hoc canticũ
toti mũdo cantat. Ec in Pſalmis ſæpe inuitãtur cæli & terra. Sed quia non tã verbis quàm exẽ-
plis prædicamus: ideo ait, Ego noui Dei virtutes inenarrabiles, vt Petrus ait, vos neſcitis: ideo
me audite. nam ego ſenſi beneficiũ. Schemata autem illa ſunt idonea affectibus animi: ita fit in
gaudio, O beatũ, ô fœlicẽ me, &c. Canere autem Domino, eſt de Domino canere, & quaſi corã i-
pſo, & in ipſius laudem & gloriam. In Scriptura raró fit vt Principes, Reges appellẽtur. Nec Iſ-
rael multos reges habuit, vt per מלכים Reges intelligere oporteat. Sed quia ad omnes beneficia ſpe
ctãt, ideo debent etiam Deum laudare. Eſt autẽ *Iehouah* Deus Iſrael, qui Iſraelẽ recipit in primo-
genitum, atque in fidẽ, & cordis circuncisionẽ requiſiuit. Eſt verò hìc ſynecdoche. Inuitat totum
mundum, & tamen totus mundus non poteſt adeſſe. hoc verum eſt: ſed ſic affectus eſt animus
qui Dei beneficia ſenſit. Deo omnia ſunt præſentia: olim tamen omnes creaturæ eũ laudabunt.
Et hæc eſt extaſis quædam pii animi in laude Dei.

4 *O Iehoua*. Anaſtrophe ad Deum: quod eſt animi ardentis in eum quem laudat. Ita ſiquis
de mortuo loquitur, conuertẽs ſe ab auditoribus ad eum quem nõ habet præſentem: vt, O Petre
ſi eſſes præſens, videres quomodo Papa abuteretur tuis clauibus. *Domine in egreſſu*. Licet duos
tantùm montes exprimat, tamen in memoriam omnia reuocat quæ illis obtigerunt in illo
itinere: vt quòd Dominus multa miracula ſit operatus dando leges, & item puniendo, &c. Pro-
poſitum fuit laudare Deum: commune argumentum, Quia ego laudo quod probo. In mentẽ
reuocat antiqua beneficia. Deus autem qui vult mentes noſtras renouare, & vetera abolere, tam
horrendo modo in Sinai apparuit. Hoc beneficium ideo tam crebrò commemoratur, quia ibi
fœdus eſt gratiæ: & veluti primogenitum ſuſcepit, deditque religionis cultum. Et ex illa vltro-
nea bonitate, non potuit ferre Dominus vt perpetuò regi impio ſeruirent, etiamſi ſæpe à ſe de-
ficerent. atque nos etiam initiati baptiſmo: quare idem erga nos faciet, modò nos, quum ſen-
timus fauorem, redeamus, vt filius prodigus: quia tum Deum habemus, quũ certò bona omnia
ab ipſo petimus. Alterum argumentum, quia liberauit nos ex miſeria quam ibi nobis pro-
uocaueramus. *De Seir*. In Pſalmis Sancti aliquando volentes laudare Deum, initium faciunt
à commemoratione fœderis Dei. Seir coniunctus mons monti Sinai. Canit autem beneuolen
tiam Dei & promiſſionem. quaſi dicat, O Deus, meritò laudandus es, qui quum de Sinai in tem-
peſtate magna venires, recepiſti nos in populum tuum. Canit autem generale beneficium pri-

mò:deinde peculiare quod ex vniuerſali fluxit:& quorundam etiam vitia notat.

6 *Diebus Iael.* Si illam intelligit de qua priori capite,erit eadem nomine.Quum autem dicit
Scriptura, *In diebus Iael & Samgar*,Principes nominat: ſiue ſit quòd ita eum ornet, neſcitur. Sed
de priore libenter intelligo.Primùm quia nomẽ congruit.Vocat autem dies eoſdem Iael & Sam
gar:quo vult indicare Principes populi.Nam ſuperior dux capite 4, non ita bene rem admini-
ſtrauit, & mulier longè maiora facta fecerat.Deinde eò etiam facit vt admoneantur Principes,
quo ſic agant vt inter tempora connumerentur. Quare & Sanctos Dei docet, vt notent benefi-
ciis inſignibus tempora,vt figant ipſorum beneficiorummemoriam.hîc alterum tempus fœli
cis Iael,alterum infœlicis fuerat Samgar. *Deſierunt ſemitæ.* Hîc Iudæi aiunt tramites & itinera re
gia publicáque eſſe abolita,vt nemo in eis iter facere poſſet.Ita metalepſin volunt eſſe.& tamen
omnia ſunt oppreſſa à tyrannis.Mihi tamen ad mores referenda videntur,quòd ſemitæ, pro ra
tione viuendi ſumantur.Itaque deſierant homines rectè viuere:& qui tamen viam inſtituebant
aliquam,male faciebant hoc:vt Carthuſianorũ via eſt curua,quia non directa ad obedientiam
Dei,& proximi vtilitatẽ. Via autem regia Domini, eſt vt perpetuò glorificetur & ſanctificetur
nomẽ eius ad vſum hominum.In hac via multæ particulares ſunt,hoc eſt variæ vocationes,vt
prædicatores regii,&c.ſed illæ ſunt omnes deſcriptæ in Dei verbo. *Et ambulantes.*Id eſt qui recta
ratione viam inſtituebant,tamen non recta erat. Ita hodie fit. plerique in inuio viuunt, vt non
ſubeſſe velint legibus: alii habent legum rationem, vt monachi; mercatores, ſed curuam. In
vtraque interpretatione eſt miſeria:in poſtrema, calamitoſior, quando vel leges non vigẽt: vel
vigent, ſed non rectè, vt vno modo beſtiarum more, & altero, paulo melius viuant.

7 *Deſierunt* Queritur etiam quòd *vici non fuerint inhabitati.* ſed de religione etiã intelligo. *Donec
ego ſurrexi.* Id eſt à Domino vocata,ſuſcepi gubernacula regni.Nam Prophetes,dux & iudex fuit
rei ſacræ, & politicæ,& bellicæ curatrix. *Mater.* In quinto & ſexto verſũ commemorat in qui-
bus malis populus fuerit ante liberationem Deboræ. Viæ enim,id eſt rationes & inſtituta viuẽ
di,partim deletæ,partim deprauatæ erant.*Matrem* ſe vocat,quia ſummã rerum & ciuilium,&bel
licarum,& diuinarum adminiſtrabat.vnde notandum eſt,omnem magiſtratum debere eſſe pa-
trẽ patriæ:& quicquid priuati patres negligunt,aut peccant,Principis eſt id corrigere, & reſar-
cire.Pater maximè amat liberos,& non præeſt ſua cauſa,ſed liberorum bono. Vnde in paterna
poteſtate,eſt exemplum boni magiſtratus.Qui quærit quæ ſua ſunt,is non eſt dignus aliis præ-
eſſe. ſed natura,quæ eſt deprauata, omnes noſtra quærimus. ergo neceſſe eſt de Diuina virtute
nobis communicari ſi velimus rectè præeſſe. Iam huius amoris nullum melius exemplum eſt
relictum, quàm in paterno erga liberos amore. Nam etſi ſummus amor ſit in coniugibus, ta-
mẽ multũ ille excellit. Nã pater, ſine omni ſpe,aut cura gratitudinis, benefacit liberis:ſic is de-
mũ verus eſt magiſtratus, qui nequaquã ſua, ſed ſolius populi cauſa & vtilitate regit, & præeſt.

8 *Si extitit.* Habet hoc vim negatiuam.Ergo omni præſidio eos, & armis fuiſſe deſtitutos o-
ſtendit.Hîc oſtendit eos traditos fuiſſe in ſeruitutem impio tyranno: ídque propter collapſam
religionem,& Dei cultum,quẽ verſu 7 deſcripſit.vbi diſcimus,vitiata religione, vitiari & po-
litiam:& præcipitare homines ſeipſos in omne malum,& extremum exitium.

9 *Cor meum ad legiſlatores.* Id eſt valdè afficior,& moueor magno ſtudio, vt inuitem illos ad
laudandum Dominum. Nam ii maximè debent laudare Dominum, qui beneficia eius plus
ſentiunt & agnoſcunt. Sed prudentes, & optimates, virtute excellentes, Dei beneficia maximè
percipiũt.Ergo duobus argumentis inuitatio continetur.Primum exemplum,ſtudioſe laudan
tes: deinde,indicatio ingentis beneficii.Appellat *rectores populi*:ſed ii triplices ſunt. Primum ge-
nus,Iuriſperitorum,qui leges ferunt & condunt:& hi ſunt præſtantiſſimi. Alterum, qui conſi-
lio Remp. regunt, & gubernant. Tertium,Iudicum, quorum munus eſt, in peccata contra le-
ges,animaduertere ſecundum leges.In verſu ergo nono & decimo, excitat Principes populi ad
laudandum Deum.Nam eorum eſt præcipuè populi ſalutem quærere,& ea gaudere:ergo& ma
iori congratulatione iis opus eſt,in rebus fœliciter geſtis. *Qui inſidetis mulis.*Nam Iudices circũ-
ibant omnia loca,& ſingula vt ibi iudicarent: nõ vt nos hodie, vbi oportet extrahi ſedibus ſuis
populum,& magnis impenſis, procul à domo ſua, iure contendere: quæ res multorum, & ma-
gnorum damnorum eſt cauſa. Quare longè ſæpe præſtaret apud nos iniuriam pati, quàm tot
impenſis iure contendere,& appellare:quæ res tantum ſeruit in quæſtum procuratorum,&Iu-
dicum:ſed id magno populi damno.Quare præſtaret,ſingulis locis præfici idoneos quàm ma-
ximè fieri poſſet Iudices,à quibus nõ liceret appellare:& ſummos Iudices ſingula loca inuiſere,
ibique corrigere & componere,quæ illi inferiores Iudices non poſſent exequi.Hic erat mos po-
puli huius Dei.

11 *Propter ſtrepitum ſagittariorum.* Id eſt propter victoriam de hoſtibus per tela, & arma partam.
*Inter haurientes.*Id eſt in eo loco vbi hauriri ſolent aquæ.*Iuſtitias.*Iuſtitia in Scripturis quũ Deo tri-

huitur,ſignificat miſericordiam & honitatem Dei:cui cõtraria eſt ira,non miſericordia,vt qui-
dam putant. Ergo dicit laudandum Deum,propter victoriam & ingẽtia beneficia populo Dei,
ex Diuina miſericordia,præſtita & collata. *Deſcenderunt ad portas*.Supple ad occupandum eas:vel,
quod malim, dominantur portis,id eſt ciuitatibus potentibus & munitis iam hoſtium. Propo-
ſitio ergo hìc eſt,Magnificè benefecit Deus. Ratio,quia præclaram victoriam dedit. nam fecit
vt populus imbecillis,& in vicis,id eſt locis non munitis habitans,ſuperaret hoſtem potentem,
ſuperbum,& habentem multas munitas ciuitates.

11 *Attolle te*. Excitat ſeipſam ad canticum,& inducit quaſi Spiritum ſanctum ſe excitãtem.
Ergo ſuo exemplo oſtendit,cupidè & ſtudioſè beneficia Dei celebranda. *Surge Barac* Hic eſt mi-
meſis:& oſtendit quomodo inuitatus fuerit Barac à Domino ad proficiſcendum contra hoſtes.
Et eſt hîc ratio ſubiuncta cur ſcilicet ſit laudandus Deus:quia excitauit animum Barac ad ſuſci
pienda arma contra hoſtes:& ſic parta eſt victoria.

13 *Dominus ipſe mihi dominabitur*. Sic certè ſolet,& debent pii magiſtratus regere populum,vt ni-
hil per ſe agãt:ſed vt dominium ipſorũ,dominium Domini ſit. hoc eſt,vt nihil niſi quod Deus
præceperit,à populo exigant,aut ipſi agant quod contra Deum ſit. Sic hi Principes populi Dei
ita ſunt dominati hoſtibus,vt Deus ipſe dominaretur:id eſt fecerunt tolli falſam religionem, &
idololatriam:& prædicari,atque inſtaurari veram religionem,& Dei cultum inter hoſtes.

14 *Amalec*. Hic exiſtimant quidam,in memoriam reuocari primam victoriam datam popu
lo ſub Iehoſua,de Amalekitis. Nec eſt inſolens Scripturæ,quum vnius beneficii Dei meminit,in
memoriam reuocare ſuperiora,& vetera. *Beniamin*.Hoc referunt ad futurũ,ad victoriã per Sau-
lem de Amalekitis partam. Sed ego malim cum iis ſentire, qui dicunt forſan quum Amaleki-
tæ Beniamitis ſe coniunxerant,partam.

15 *In diſperſionibus Ruben*. Ille enim habebat alioquin hoc maledictum à patre,quòd non debe Gene.49.a.4
ret creſcere,ſed diffluere ſicut aquæ. *Solennes* .Id eſt eximii. Ergo grauiter peccauerunt : nam ab
eo cui multum collatum eſt,& multum requiritur.Hic ergo diſcimus, peccare eos qui non pro
viribus & facultate fratribus officia ſua conferunt,& ad communem ſalutem quidquid habẽt,
conferunt:& hoc plus peccant,quo plura dona acceperint Diuinitus.

17 *Gilead,Dan,Aſer*. Etiam hæ tribus tres reprehendũtur, quòd officium ſuum, in ſuis fratri-
bus liberãdis prætermiſerint,neglectáq; publica ſalute domi mãſerint.Sic autẽ dicta fuit tribus
Gad quòd in loco Gilead dicto habitauit.qui locus erat valdè fertilis, & pinguis, habẽs paſcua:
ergo exaggeratio eſt à loco.qui enim plus à Deo accepit,& cui populus plus cõtulit, is debet me
ritò ad cõmunem ſalutẽ plus conferre. *Gilead*. Hos appellat & reprehẽdit quòd non adfuerint,
nec operam ſuam contulerint ad liberandum populum à tyrannide impiorum.*In dirutis locis*.Hîc
notatur ignauia,quòd non inſtaurari ciuitatem curauerũt:id non poterant ſub tyrannide:ergo
opera erat danda vt à tyrannide liberarentur.

19 *Naphtali*.Hæ tribus laudantur,quòd vocante Deo,ſine refragatione,ſe diſcrimini obiece-
rũt.Ergo propoſitio eſt,Naphtali & Zebulon fortiter fecerunt,& laudabiliter:accepto oraculo
Diuino,pro fratribus ſe ſummo diſcrimini, & opprobrio obiecerunt,id eſt vt videri poſſit non
fortitudo,ſed temeraria audacia:& rideri poterant,quia præſentiſſimum erat periculũ,& mors.
Argentum,&c. Id eſt nullo pretio,nulla pecunia patiebantur redimere ſe populum:ſed tantùm ſan
guinem volebãt. Hoc ſigno Scriptura paſſim crudelitatem deſignat.Ergo inſignis,& raræ forti-
tudinis opus erat,quòd non contra debiles,aut pares ſibi hoſtes, ſed contra potentiſſimos reges,
eóſque crudeliſſimos & inuictos, arma ſũpſerunt. *Pugnauerunt*. Hîc in eo celebrat Deũ,quòd ipſe
adfuerit populo ſuo, & declarauerit miraculoſè adeſſe:quia cõmouit virtutes cælorũ,vt terrorẽ
hoſtibus incuteret. Sic ſæpe Deus ſolitus fuit aliquo tonitru,terræmotu,imbribus,&c.hoſtes po
puli Dei terrefacere,& in fugam conuertere.

22 *Concuſſæ ſunt*. Hic deſcribit impetum prælii. Populus Dei non habebat equos:ſed hoſtes po
tentiſſimum equitatum habebant:tamen ita ſunt in fugam verſi,vt terra concuteretur.

23 *In auxilium Domino*. Nõ quòd Dominus egeat auxilio:ſed quod facitis minimo ex meis,mi Mat.25.d.40
hi facitis. Et Dominus volens liberare populum , vtebatur & vti volebat inſtrumento ad eam
rem,populo.Et rectè fecerunt qui operam ſuam in eam rem contulerunt:& malè,qui id non fe-
cerunt . Ergo hîc animaduerte quàm abominabile in oculis Dei ſit , derelinquere in neceſſita-
tibus,& non ſuccurrere proximo ope indigenti: vt Deus per Spiritum ſanctum iubeat maledi-
ctioni addicere eos , qui operam ſuam ad liberandos fratres non contulerunt . Iam proximi hi
ſunt qui indigent noſtra ope , & quibus nos poſſumus opem noſtram rectè conferre . Itaque o-
mnes nos fratres in Chriſto,& proximi ſumus.Quòd ſi non moueat nos calamitas proximi ad
miſericordiam,& ad ferendam opem,iam ſubiacemus maledictioni Domini,eíque efficaci:rur
ſus ſi feremus opẽ indigẽti fratri,Dominus id vult accipere,tanquã ſibi collatũ,& remunerare,

18 *Reſpexit, & clamauit.* Hic præter hiſtoriam, additur de matre Siſera, quòd valde conturbata ſit morte filii. Eſt ergo in ſequẽtibus verſibus hæc propoſitio, Ita deuinci oportuit hoſtes populi Dei, vt ſingularis dolor perueniret ad eos ad quos pertinebant, vt mater Siſera. Probatur, quia præter ſpem & expectationem occiſus eſt filius. Hoc probatr, quia deſcribitur mater ſolicita de mora filii, ſuſpicans aliquid mali: & rurſus conſolantes eam virgines dicentes, diuidere eum ſpolia, & deligi ei formoſam puellam, loco præmii: & ſic ſibi falſas cauſas moræ fingebant, & hic ſibi fœlicius eſſe exitum pollicebantur. His ergo omnibus, hoc probat Spiritus ſanctus, maximo dolore affectam matrem Siſera, quia amantiſſima filii: inexpectatum filii obitũ reſciuit: nam omnino diuerſum ei accidit quàm expectauerat. Itaque maximo populi Dei commodo, & ſuorum cognatorum & amicorum incommodo periit Siſera: ita peribunt omnes hoſtes Dei, & liberabitur pius Dei populus.

31 *Ita pereant.* Hoc epiphonema complectitur omnem doctrinam quæ ex hoc loco accipi poteſt. Votum autem hoc videtur contrarium charitati fraternæ, quæ ſemper debet expetere ſalutem proximi: & verum eſt. Dum non manifeſtè patet deſtinatum in exitium aliquem hoſtem populi Dei, debemus pro eo orare vt conuertatur ad Dominum: verùm debemus votum noſtrum attemperare ad iuſtitiam Dei. Sed quum eò impietatis progreſſus eſt hoſtis populi Dei, vt iam videatur peccare in mortem, debemus orare vt ſanctificetur nomen Dei, & vt extermineturqui non ſanctificat, ſed blaſphemat, & perſequitur eos qui ſanctificant. Ergo debemus expetere omnem ſalutem: ſed & gloriam Dei, quatenus illud ad ſanctificandũ nomen Dei, & ad eius regnum ampliandum. Verùm qui eò impietatis progreſſi ſunt, vt non poſſint, aut velint deſinere perſequi Deum, & blaſphemare: eorum exitium debemus orare. *Hoſtes tui.* Hoc nota bene: non enim debemus quenquam odiſſe, niſi hoſtes Dei. Ergo non debemus noſtri cauſa quenquam habere inimicum, ſed ſolius Dei cauſa. Sed hi ſunt duplices. Quidam enim ita repugnãt Deo vt poſſit expectari eorum emendatio: & pro his orandum eſt. Quidam ita repugnant vt nulla ſit ſpes emendationis: & horum exitium orandum. *Siluit.* Id eſt fœliciſſimè egit. *Quadraginta.* Rurſus hic vide Dei miſericordiã ſuperare eius iram. Ira viginti annis durauit: iam duplo ſuperat eius miſericordia, & populi fœlicitas. Hoc beneficium populo per Chriſtum præſtitum eſt: idem eſt noſter. Iam ſi contingat propter peccata noſtra, tradi in poteſtatem impiorum principum, quæ eſt extrema pœna & calamitas, & nobis certè impendet: non deſpondeamus animum. veram pœnitentiam agamus, inuocemus Chriſtum, nec dubitemus, nos eodem modo reſtituendos, etiamſi nullum appareat medium rationi.

IN CAPVT VI.

1 ET *fecerunt filij Iſrael.* Sequitur alia hiſtoria eiuſdẽ cum hac argumenti: & eſt propoſitio, Deus populum ſua impietate prolapſum, ideóque iuſto Dei iudicio impiis tyrãnis venundatũ, vltronea miſericordia reſtituit pœnitentem. *Filij Iſrael* dicit: ergo publica fuit defectio à Deo, vel negligendo verum cultum Dei, vel recipiendo falſum. *Midian.* Gens erat Arabiæ deſertæ, genus trahens ab Abraham: ſed impia, & ſemper hoſtis populi Dei.

4 *Et ouis & bos.* Hoc eſt ambiguum. poteſt enim vel ita accipi, Suſtulerunt omnia alimenta, neque pecora reliquerunt: vel ita, ſuſtulerunt omnia alimenta tam hominum quàm pecorum. Eſt ergo hic propoſitio, Maxima calamitate affecit Midian populum Dei. Ratio, quia omnia alimenta, & liberè viuendi libertatem & poteſtatem ſuſtulerunt. Ergo grauiſſima fuerunt tyrãnide oppreſſi. Primùm quia Diuina virtute: nam *inualuit manus Midian contra eos*, propterea quòd Dominus tradidiſſet eos in poteſtatem eius. Deinde quia nõ audebant prodire, ſed cogebantur in ſpeluncis & locis deſertis habitare. Tertiò, quia experti ſunt maledictum hoc Legis, Seminabitis, & non metetis: ſed alii metent ſementa veſtra.

6 *Clamauerunt filij Iſrael.* Ergo fuit iſta publica pœnitentia. tametſi quod publicè fit, non ſtatim ita ſe habet vt à ſingulis fiat, ſed à pleriſque.

7 *Et factum eſt.* Hic exprobratur populo publica à Deo defectio, non modò à vera religione, ſed etiam ad falſam religionem. Ergo non modò abiecerant verum Dei cultum, ſed etiam ad idololatriam prolapſi erant. Hic autem liberatio populi deſcribitur, & cauſa pœnitentiæ. Deus præuenit eos: & ſua prædicatione excitat pœnitentiam populi.

8 *Et miſit Dominus uirum Prophetam.* Nemo enim poteſt quicquam boni, niſi à Deo miſſus. Prædicator ergo pœnitentiæ, eſt homo à Deo miſſus, qui commemoratione beneficiorũ Dei, & offẽſionis noſtræ excitet nos ad pœnitentiã. *Propheta,* eſt homo Diuinitus afflatus, qui arcana Dei oracula ſupernaturalia hominibus prædicat, ad ſalutem hominum, & gloriam Dei. *Eduxi eos.* In genere proponit ibi. Ergo erat liberatio ab AEgyptiaca ſeruitute, & corporali, & ſpirituali: falſo enim cultui AEgyptiorum ſeruiebãt, quia Deo vero non voluerant ſeruire.

9 *Dedíque uobis.* In hoc intelligit omnia propter quæ terram donauerat ipſis, ſcilicet religio-

nem & cultum Dei. Commemoratio ergo beneficiorum duo habet. oſtendit enim quòd ipſorum Deus eſſe velit:& deinde quòd præcepta ipſis dederit.

10 *Nolite timere.* Id eſt colere. Nemo enim colit rectè, niſi qui timet,& reueretur eum. Eſt autẽ timor ille, obſeruantia alicuius, cum formidine offendendi,& cum ſolicitudine ſeſe ei approbandi. Et hic filialis eſt, non ſeruilis timor. Aliter enim filius patrẽ, aliter latronẽ timet. Timor enim latronis, eſt deteſtatio latronis, cum formidine noxæ quam ab illo expectes. *Deos Amorrhæorum.* Hoc fuſius babes explicatũ Deut. 7. *Non audiuiſtis uocem meam.* Hìc vno verbo tota ingratitudo notatur.& bìc eſt fons omnis bonæ actionis, Dei præceptis auſcultare:& cõtrà, omnis impietatis radix, non auſcultare voci Dei. Et hìc, publica prædicatiu pœnitẽtiæ deſcribitur ad omnes.

11 *Et uenit Angelus.* Hìc probat vltronea Dei bonitate & miſericordia liberatum & reſtitutũ populũ. Primùm quia vocauit Gideon liberatorem: miraculo, quia per vocem Angeli,& Diuino miraculo. Et vocauit imbecillum viribus,& animo. Et miraculoſa fuit vocatio,& liberatio. *In torculari.* Hic vides calamitatẽ populi huius, quòd non audebat loco ſolito triturare, ſed cogebatur frumentum abſcõdere à Midianitis. Alioquin quòd Gideon ipſe triturat, ſignum eſt fuiſſe virũ bonum: qui quum nõ cogeretur, facit operam, vel forſan quia non audebat famulis fidere.

12 *Dominus tecum.* Hìc habes deſcriptam veram rationem vocandi aliquem ad opus aliquod. Primùm, vt is qui vocat, in Domini nomine vocet. Itaque in omni vocatione ad opus certum, debet præmitti promiſſio Diuinæ opis ad eam rem perficiendam. Rectè ergo præmittitur ante omnia, *Dominus tecum.* Deinde non debet vocari aliquis ad quodcunque officium niſi videatur ad id aliquid muneris Diuinitus accepiſſe. ideo bic adiicitur, *ô uir fortiſſime & heroica uirtute prædite.* Ille ergo, vt apparet, fuit corpore valido,& animo præſtanti,& virtute bellica non vulgari, ſed eximia, & imperatoria præditus. ergo rectè ad hoc opus vocatur. Legitima ergo vocatio eſt, iuſſu Dei aliquẽ ad aliquod munus idoneũ & inſtructũ accerſere, cũ promiſſione Diuinæ opis ad id munus perficiendum: ergo tria requiruntur, iuſſum Dei, ſolertia vocati,& promiſſio opis Dei.

13 *Et dixit ad eum.* Non nouit initio Angelum Domini. Apparebat ei vir aliquis boneſtus, & venerabilis. *Domine mi.* Hæc pudibunda,& reuerens appellatio etiam argumento eſt eum fuiſſe virum ciuilem, & bonum. Ita certè omnes quum debeamus imaginem Dei in omnibus venerari: debemus nos omnes inuicẽ honore & ſalutatione præuenire:& quiſque debet exiſtimare alterũ in ſua conditione, eſſe ſe meliorem & præſtantiorem.& debet eſſe in nobis ſumma humilitas, vt nos omnibus ſubiiciamus: omnes reuerenter & amanter ſalutemus,& humiliemus nos ipſos, & deprimamus innatum omnibus nobis vitium arrogantiæ. vt à Deo exaltemur, huc debemus omnes ſummo ſtudio eniti,& contendere. *Si eſt Dominus nobiſcum.* Hoc etiam arguit fuiſſe virum idoneum imperio. Nam eſt ſtudioſus cõmunis ſalutis: & non ſolùm dicit, Deus mecum, ſed nobiſcum. *Quare inuenerunt.* Rurſus hìc vides religioſum fuiſſe. erat iuuenis, & educatus in ciuitate impia, vbi ſilebat verbum Domini,& tamen bìc Diuina profert & loquitur.

14 *Et reſpiciens ad eum Dominus.* Angelo tribuitur nomen Dei. Nam vbi Deus repræſentatur eximiè, ibi communicatur nomen Dei. ſic Arca vocatur Dominus ipſe: ſic hìc Angelus vocatur Angelus Dei,& Deus ipſe. *Vade in uirtute iſta.* Id eſt vtere hac tua virtute. non tamen debebat caniti, ſed vti. *Miſi te.* Confirmat eum de voluntate Dei,& promittit ſucceſſum.

15 *Millenarius.* Nam Deus populum voluit diſtribui: primùm in tribus, deinde in millenarios ſingulàs tribus: item in centurias,& in decades. *Et ego paruus.* Ecce prudentiam,& ſimul humilitatem. Nam ſua extenuat,& boc eſt humilitatis: & conſiderat finem, media ſcilicet ad eam rem idonea, deeſſe. hoc eſt prudentis. Eſt ergo propoſitio hìc, Gideon babebat naturam & ingenium aptum, idoneúmque imperio, & dignus erat imperio. Ratio, quia & religione,& prudentia,& amore patriæ,& modeſtia erat præditus.

16 *Tanquam uirum unum.* Iſta rurſus faciunt ad confirmationem de ope Diuina. *Obſecro te.* Propoſitio eſt, Gideõ petiit,& accepit mirabile ſignum vocationis ſuæ,& opis Diuinæ. Signa petere, aliquando laudatur in Scripturis, aliquando damnatur. Itaque dupliciter fideles petunt ſigna: vno modo damnabiliter, quando ita petuntur vt nibil fidei habeatur verbis Domini:& cõtemptis verbis ſignum Domini contemnitur. & ibi certum eſt ſi ſigna dentur, non baberi fidẽ eis. ſic Iudæi petebant à Chriſto ſignum. Altero modo ſignum petitur laudabiliter, quum habetur quidem fides verbo Domini,& tamen infirma quũ ſit, petitur ſigno corroborari: & fit cũ reuerentia verbi Domini. Ibi eſt tamen miſericors & expoſitus infirmitati noſtræ, vt non ſuccenſeat. Sic hìc Gideon petit ſignum, ſed infrà quum ſecundum ſignum petit Gideon, deprecatur culpam, quia plus ſatis experimenti petebat de Deo capere.& hìc demiſit ſe Deus ad eius infirmitatem. Itaque quum extat manifeſtum Dei oraculum, licet nobis ſine contemptu verbi Dei, ad corroborandam fidem ſigna petere. Sed contrà, malè ſignum petitur, quum intempeſtiuum experimentum, præter rationẽ à Deo præſcriptam, de Deo capitur. Ergo quum ſentimus

infirmam in nobis fidem,quæramus à Domino, & rogemus à Deo corroborari fidem noſtrã. *Ingreſſus eſt.* Tamen Moſes præceperat nequis in alio loco quàm apud Tabernaculum ſacrificaret. Hic ergo vides,omnia illa externa præcepta, non eſſe ita neceſſaria quin pius exigẽte neceſ-
Matth 12.4.8 ſitate,aut alioquin certis rationibus,poſſit in his diſpenſare:nam dominus ſabbati eſt homo. Et hæc tamen diſpenſatio plerunque Principibus eius rei committitur:verùm priuatus homo,nõ niſi exigente neceſſitate,debet in his diſpenſare. ſed hic non erat tãta neceſſitas:erat enim Tabernaculum apud quod licebat ei ſacrificare. Verùm hic iam locus etiam erat ſacratus præſentia Dei,& quia dicebat eum iam omni religionis genere colere: ſed nullibi eum habebat præſentẽ, quàm hic. Ergo hic meritò & rectè ſacrificia fecit,& non apud Tabernaculum. Cæterùm alioquin vbi nulla exigit vel ratio,vel neceſſitas, nunquam debemus iſtas ſolenniores religionis actiones, niſi in publico conuentu perficere. Deinde non diſpenſauit Gideon, ſed Deus per Angelum:rogat enim Gideon vbi ſibi liceat. Cur autem permiſſum ſit ei, hæc cauſa eſt, vt ipſe haberet ſignum confirmans & hæc erat iam religioſiſſima,ſolennis,& magnifica cauſa:vnde rectè ſacrificium adhibitum eſt. Sacrificium autem omne,vel Veteris vel Noui teſtamenti,eſt Sacramentum quo ſacrificium Chriſti repræſentatur & exhibetur.

19 *Fecit hædum.* Id eſt mactauit. Ex hoc & ſimilibus locis,Papiſtæ volunt probare & cõfirmare ſuum ſacrificium in Miſſa, ex his verbis Chriſti, Hoc facite in mei cõmemorationem: id eſt vt aiunt, ſacrificate:quia interdum in Scriptura facere pro ſacrificare ſumitur. Ad hoc reſpondẽdum eſt. Primùm, verum eſt quòd in Scripturis aliquando facere pro ſacrificare ponitur:ſed hic in verbis Domini, nihil de ſacrificio mandatur:& Paulus ea verba exponẽs, dicit, Nunquid panis quem frangimus, eſt communicatio,&c. Nõ dicit quẽ mactamus: Patres tamen ſacrificium vocarunt,quia eſt repræſentatio & exhibitio Chriſti.

20 *Ius carnium* Hic effuſũ fuit vt alius ſanguis:eſt tamen in eo ſuccus. *Panis infermentatus.* Quo ſignificatur quòd fermentum malitiæ debet abeſſe. Chriſtus enim dulcis in nobis. Holocauſtũ totum abſumitur,quo innouatio noſtræ naturæ in cæleſtem denotatur. quòd verò editur,ſignificat opus eſſe vt Deus in nobis viuat. Sacrificium eſt actio ſacra qua ex iuſſu Dei exhibetur & repræſentatur nobis ſacrificium Chriſti, & communicatio. Hoc in veterum ſacrificiis & ſymbolis mactationis,& fruitionis,quia ibi non erat facta mactatio Chriſti. Sed in noſtra Euchariſtia, tantùm fruitio ſymbolis exhibetur,& verbis tantùm mactatio cõmemoratur, quia iam eſt mactatio Chriſti facta.

21 *Aſcenditque ignis.* Et hoc eſt ſignum grati ſacrificii. Ignis enim præſtantiſſimum elementũ, cui ſe Deus ſæpe aſſimilat. Nã cæleſte elementũ, & ipſum omnia conſumens & immutans, non immutatur, nec cõſumitur. Ergo ſignificatur per ignem in ſacrificiis,res oblatas,ex terrenis in cæleſtes mutari. Nam omnis hoſtia ſymbolum eſt hominis offerentis mactandi, id eſt mactari meriti,& Chriſti pro eo mactandi. Ergo ſic per Chriſtum nos ex terrenis in cæleſtes mutamur per Spiritum Dei, per quem ex conditione terrena & mortali in cæleſtem,& immortalem trãſmutamur. ideo etiam Spiritus Sanctus in figura linguæ igneæ deſcendit: ſignificans ſe mutare terrenos animos in cæleſtes & ſpirituales. Sed quia ex eo ſacrificio aliquid edendum relinquebatur:ſignificatur eos qui ita ſunt immutati ex terrenis in ſpirituales per Spiritum ſanctum, debere ſe totos in vſum proximorum exponere,& accommodare.

22 *Et timuit Gideon* Putabat enim ſibi eſſe moriendũ. In his ergo duobus verſibus cõmemorat hoc, Gideonem formidantem mortẽ, quẽ Dominus conſolatus eſt:timebat autẽ mortẽ, quia omnis coniunctio huius mortalis cum immortali, talem metum incutit. Horremus autem natura omnes, mortem:ſed omnis vicinitas & coniunctio terrenorum cum cæleſtibus, infert immutationẽ. eſt enim ignis cõſumens,& immutans omnia:ſed immutatio illa non fit ſine morte vulgariter:ergo omnibus, etiã ſanctiſſimis, horrori eſt, vt mors, ita etiam omnis coniũctio cum cæleſtibus. hinc etiam Maria ad lætum Angeli nuntium conſternata eſt. *Facie ad faciem.* Id eſt reuelatum manifeſto aliquo ſymbolo.

24 *Et ædificauit.* Vt ſcilicet reſtaret memoria huius ingentis beneficii. Et vides hic rurſus officium pietatis, quòd Gideon memoriam ſacram fixit, vt ad poſteros etiam perueniret hoc beneficium. Nam natura omnes eum à quo beneficia accepimus, cupimus aliis prædicare. Et non fecit contra Legẽ Gideõ: nec enim extruxit aram in qua vellet ſemper immolari, ſed quæ eſſet teſtimonium ſemel præſtiti beneficii,& facti ſacrificii. Eſt ergo propoſitio hoc loco, Omnes Sãcti ſemel accepto beneficio Dei, debẽt illud quàm poſſunt plurimis verbis, & præſentibus & futuris prædicare & patefacere.

25 *Factum autem eſt nocte.* Altera confirmatio Gideonis in vocatione ſua:& eſt propoſitio, Gideon iuſſu Diuino falſum cultum, & Baal deſtruxit, & verum Dei cultum reſtituit: & hic diſcimus bonorum Principum eſſe, antequam reliqua munera aggrediantur, reſtituere veram reli-

gionem, deſtructa falſa. *Nocte* dixit, quòd in Scripturis Deus apparet, vel Angeli, & viſiones Diuinæ, Sanctis dormientibus, & noctu. Nam nunquam magis capaces ſumus ad audiendum Diuina iuſſa, quàm quum maximè ſumus ſoluti à curis terrenarum rerum: id quod in ſomno fit maximè.. *Iuuencum*. Hic ſermone ipſo indicatur, duos eum accepiſſe tauros. id cur ſit factum, ignoratur: niſi forte, vt omnes Hebræi exiſtimant, hic bos ſeptem annorum, in ſacrificiũ Baal erat alitus: quod forſan ſolennibus & ſtatis temporibus celebrare ſolebant. ideo quia hoc boue maximè Deus fuerit offenſus, eius præcipuè fieri mentionem. Sed quicquid ſit, certè ſciri non poteſt, nec ad nos maximè pertinet, quis hic ritus fuerit: ſi hoc ſaltem ſeruemus, Principem maximè confirmari in munere ſuo, ſi illud à reconciliatione Dei incipiat. Deinde omnem bonum Principem, ſummum munus & officium à religionis inſtauratione debere inchoare: ſi hoc ſeruemus, ſatis eſt. *Patris tui*. Ecce ſacerdos erat, impius, & idololatra parens eius: ergo nõ eſt carnis, non humanæ ſucceſſionis ſacerdotes Dei eſſe. *Baal*. Patronum ſignificat: de quo multa ſuprà diximus. *Lucum*. Nam lucos iuxta altaria ſolebant alere: & fuit inſtitutio religioſa, ſed ſucceſſit abuſus ſuperſtitioſus. Inſtitutio religioſa fuit: nam conuenit in locis ſacris, & religioni dicatis, omnia adhibere quæ admonerent, & excitarent in nobis ſingularem memoriam potentiæ & bonitatis Dei, & eius reuerentiæ. Iam huius Diuinæ virtutis, & bonitatis ſingularis admonitio, eſt in locis arboribus conſitis, vbi ſacras religiones exercuerunt, & ea loca dicarũt religioni. & hinc populus quoque ſolitus fuit ad montes, hortos & flumina orare: ſed inceſſit ſuperſtitio horrenda, quia his locis aliquod numen & vim aſcripſerunt.

26 *Et ædifica*. Duo ei commendantur: ſcilicet deſtructio falſæ, & inſtauratio veræ religionis. Et hinc diſce, primam confirmationem de ſucceſſu totius operis Principis fieri, vbi cõmendatur inſtauratio veræ religionis, & ſuccedit. Deinde ante omnia principalia munera pio Principi eſſe, extinguendam impiã, & inſtaurandã veram religionem. Hoc fecit Moſes, Dauid, &c. Et valde peccant hodie Principes noſtri, ideóque tam malè res cadit, quòd non reſtituta religione, contra Turcam pugnant.

27 *Accepit Gideon decem viros*. Hîc nota ſingularem obedientiam Gideonis. & vides hîc non fuiſſe infimi generis hominem. *Noctu*. Hîc vides trepidationem in eo, ſed tamen non defecit propterea: ideóque à Deo non aſpernatur. neque enim Deus vult nos eſſe temerarios, ſed trepidos, vt fuit Gideon, & ſucceſſit res. Nam quum poſcerent Gideonem ad mortem, reſpondit pater eius hoc argumento, Si eſt Deus Baal, bene poterit ſeipſum vlciſci, nec opus habet veſtro auxilio: ergo quum vultis vos vlciſci hanc eius contumeliã, facitis vos Deo maiores. Et hoc argumento etiã multi Martyres vſi ſunt, & Tertullianus quoque in Apologetico vtitur. Quo etiam argumẽto quidam hodie vtuntur ad deterrendos homines ab vltione eorum qui blaſphemant Deũ, dicentes, Deum bene vltionem de eis ſumpturũ, hoc argumento, Qui defendit alterum, eo declarat ſe velle illo eſſe maiorem: ſed id eſt impium quicquã facere quo oſtendas te eſſe maiorẽ Deo. Ergo non ſunt puniendi blaſphemi. Reſpondemus, argumẽtum non valere. nam Maior eſt falſa: ſæpe enim miniſter vindicat & defendit Principem & dominũ ſuum, & tamen eſt maior eo dominus eius. Hîc primùm diſcimus, munus pii Principis quale illud ſit. Deinde, quàm difficilè falſa religio ſemel recepta, rurſus erui poſſit. Tertiò oportere bonum Principem, qui vult obtinere religionem, multa pericula ſubire, & ſe multis odioſum reddere. Quartò, inter tot pericula non defuturum illi auxilium Diuinum in ea re.

31 *Vocatus est itaque*. Hîc ſequitur alia confirmatio Gideonis, in munere ſuo, ídque per ſymbolum, & alterum ſignum: & ponitur etiam cauſa huius confirmationis, ſcilicet timiditas & metus ducis qui iam obuiam hoſtibus venturus erat. & deſcribitur 33 verſu vis hoſtium. & profectò magna vis hoſtium & potens appropinquauerat, & loco commodo obiecta. Ergo erat iuſta metus cauſa. Magnam vim fuiſſe inde probatur, quia multæ ſimul & conſociatæ gentes, & vicinæ iam fuerunt.

34 *Et ſpiritus Domini induit*. Spiritus ſanctus eſt ſingularis vis Diuina quæ compellit hominẽ ad peragendam rem aliquam ſalutarem, & commodam hominibus. Eſt autem emphaſis in verbo *induit*, quo plenè & perfectè ſignificatur largitus. Metaphora à veſtibus ſumpta: quo oſtenditur ita plenè datum ei excellere vt nihil ferè præter id appareat. & eſt metaphora frequens Scripturæ qua aliàs dicitur effundi. *Spiritus* etiam vocabulum, metaphora eſt à vento, cuius efficaciam & effectum quidem videmus, ſed vnde veniat, & quid ille ſit, nõ ſcimus. ideo Germani *geiſt* à *geſt*, vt ego opinor, dixere, quod ſignificat vehementem & arcanam vim, & vehementiam. Eſt autem duplex ſpiritus, Malus qui eſt vehemens quædam vis ex diabolo in hominibus excitata, quæ impellit eos ad ſcelera. Eſt item bonus qui à Deo excitatur, & compellit homines ad bona opera. ſic Gideonem hîc Domini Spiritus inuaſit, & inſtruxit eum ad peragendum hoc opus.

35 *Ad vniuerſum Menaſſe*. Multi ſunt vocati, pauci electi: & rectè omnes vocauit. tametſi enim *Mat.22.b.14*

non erat opus tot populis,tamen indecorum erat eos huic bello non intereſſe.

37 *Ecce ego ponam*. Hic notatur formidoloſitas:nam tametſi prius ſatis eſſet ſigno confirmatus, tamen rurſus petit,& tẽtat Deum ex infirmitate hac. Tripliciter enim ſignũ petitur. Aliquando vitioſe cum impia quadã inſultatione Dei,vt Phariſæi à Chriſto,& in deſerto à Moſe. Aliquãdo laudabiliter,vt Moſes per baculum,ita & ſuprà Gideon:quum infirmam fidem noſtram oramus & cupimus confirmari. Tertiò,petitur ſignum ex infirmitate & imbecillitate carnis, non tamen impia. ſic Thomas petiit,& ſic hìc denuo Gideon petiit ſignum, & fatetur ſe facere rem dignam ira Dei: ſed trepidat, cupit cõfirmari amplius. Eſt igitur aliud tentare vitioſum,aliud virtutis,aliud infirmitatis. Hìc ergo commendatur nobis infinita miſericordia Dei qui confirmat benignè,& patienter infirmos in fide,vt erigat eos. Deus autem eſt ſemper ſui ſimilis:idem omnibus populis idem in Chriſto præſtat.

IN CAPVT VII.

IN initio huius capitis deſcribitur delectus admirandus quem Deus fieri præcepit Gideoni. vnde oſtẽditur nobis Dei miſericordia,& vltronea benignitas,quæ vult & poteſt paruo exercitu & potentia liberare ab hoſtibus & potenti impiorũ manu pios. Primùm ergo eſt factus delectus: hoc partim induſtriæ eſt, partim Diuinæ deſignationis,vbi deeſt oraculũ ſingulare. Eſt certè hoc humanæ induſtriæ,& ducis prudentiæ, non quoſvis contra hoſtes admittere, ſed eos tãtùm qui aliquid doni & induſtriæ Diuinitus ad id acceperint. Ergo videndum eſt quid quiſque habeat,vbi oraculum deeſt,vt diximus ſuprá. Hìc autem vt Deus omnia perficeret,etiam rationẽ deligendi ſingularem præſcripſit: & hìc delecti ſunt ii qui plurimum induſtriæ ad id contulerãt,vt videas,Deum etiam velle induſtria noſtra vti in omnibus rebus. Deinde etiam ita liberauit,vt maximè appareret Dei miſericordia, & nihil gloriaretur caro humana: vbi diſcim' ſi omnino res ad extremum diſcrimen ſit adducta, nec ſint idonei quibus vti poſſimus, nec tamen deſperemus propterea: ſed cogitemus Deum etiam infirmiſſimis inſtrumentis vti poſſe ad liberandos & iuuandos nos. Primùm ergo eſt in hac hiſtoria delectus. Sed hoc eſt omnium ducum commune. Deſcribitur ergo hìc duplex delectus:primus,legitimus & vulgaris,qui præcipitur Deute.20.a.5.alter inſolitus & ſingularis,in quo(vt iam dixi)diſcimus in omni vocatione videre oportere quid Diuinitus doni ad id acceperit is quem electuri ſumus.

3 *Qui timidus*. Nam ad hoc vt pro aliorum ſalute ſe quis morti obiiciat,& eam cõtemnat fortiter,heroica virtus,& fortitudo eſt ſingularis:ergo debent procul abeſſe omnes formidoloſi:nã illi primùm per ſe non ſunt idonei ad res præclarè gerendas: deinde etiam alios faciunt meticuloſos. Vocatio Dei eſt qua deliguntur maximè idonei,& repelluntur inidonei. & hoc debemus obſeruare in omni vocatione. Nos ſæpe gaudemus multos eſſe,qui ore profiteantur Euangelium,& volunt videri adhærere nobis,putantes ita melius nos poſſe obtinere Euãgelium. Sed ibi conſiderandum eſt,omnes nos eſſe milites,& vitam Chriſtianam,militiam eſſe:ergo nõ debemus videre an multi ſint,ſed an idonei & boni qui curent id negotium. præſtat enim paucos idoneos habere, quàm multos non idoneos: & in omnibus rebus debemus non reſpicere quot ſint qui rem curent, ſed an Deus eos velit,& digni ſint eo munere. Idem in deligendis Verbi miniſtris eſt ſpectandum. Adiicitur autem hìc cauſa cur facta ſit tam exacta reiectio,ne ſcilicet populus poſſet gloriari de ſua induſtria, ſed Deo aſcribatur omnis gloria. *viginti duo millia*. Ecce, non tertia pars manet:& vides hìc,ad rem magnam multos vocatos,electos paucos.

5 *Qui lambuerit*. Hoc etſi ſingulare fuerit ſignum quo voluit Deus oſtendere qui eſſent eligẽdi:tamen etiam hoc ipſum videtur ignaui hominis,procumbere ad bibendum,& ſolertis haurire manu: nam etſi hi parcius & laborioſius bibebant quàm alii,tamen eo ipſo oſtendebant, ſe nõ eſſe ita deditos voluptatibus & cupiditatibus. Nam in bello maximè requiritur animus qui poſſit ſibi,& cupiditatibus ſuis temperare,& eas moderari.

7 *Per trecentos viros*. Iam ſequitur prælium commiſſum,& victoria mirabilis,& miraculoſa. Et præmittitur confirmatio trecentorum: poterat enim offendi paucitate horum Gideon, qua deberet tam potentem hoſtem,cuius vix erat numerus,aggredi. Ergo commemoratur cõfirmatio eius. vnde diſcimus quòd ſi nobis ſit iuſta cauſa trepidationis, Deum non deſerturum nos, ſed idoneo & commodo tempore nobis adfuturum, & nos confirmaturum,atque liberaturum ab omnibus malis:quare non deſperemus.

8 *Sumpſerunt commeatum ſuum*. Ecce dux,quamuis paucis relictis ſibi,tamen facit ſuum officiũ, & vtitur prudentia & induſtria: prouidens de viatico militibus, & de euentu planè non eſt ſolicitus: ſed eum Deo ſuo committit, & animat paucos illos milites reliquos. Quos noluit Dominus,dimiſit in tentoria. Deinde quia tubis erat paranda victoria, iubet eos ea arma recipere quæ eò ſeruiebant,non lanceas,&c. Deſcribitur ergo hìc obedientia Gideonis, quia omnia officia ſibi Diuinitus iniuncta diligenter exequitur.

9 *Quoniam tradidit illa.* Subinde cõfirmat eum:nam erat res magna,ſuperãs omnem captum hominum. Hic ergo deſcribitur benignitas Dei immenſa ſubinde confirmãtis ſuos,nec deſerẽtis eos in diſcrimine:ergo nec nobis deerit ſi fidamus ei,ne ſaltem nos ei deſimus.

12 *Sicut arena quæ eſt in litore maris.* Hoc etſi vtrunque ſimile ſit hyperbolicum, tamen vtroque frequẽter Scriptura vtitur:ſæpe enim vtitur hyperbole Spiritus ſanctus.& rectè tum hyperbole ponitur, quum melius vltra, quàm citra rationem. ſic hìc volens Dominus exprimere maximam potentiam hoſtiũ,vtitur hyperbole, vt oſtendat immenſam ſuã potentiam,cui nihil quãtumvis magnum,violentum & potens poſſit reſiſtere.

13 *Somnium.* Deſcribitur ergo in hoc loco noua confirmatio ducis Gideonis:& eſt propoſitio, Deus metuentẽ Gideonẽ iuſta de cauſa cõfirmauit ratione mirabili, per ſomnii reuelationẽ. Ergo neminẽ ſibi confidentẽ deſerit Dominus, ſed ſubinde cõfirmat. Sõnium igitur audit Gideõ valde alienũ,& obſcurũ:ſed Deus addit interpretẽ,& teſtimonium Gideoni per ipſos hoſtes. Ergo nõ modò apertis verbis, & cõſuetis mediis,ſed etiã per ſomnia & ipſos hoſtes, cõfirmauit eũ Dominus. Ergo hìc primũ vides,& diſcis, Deum omnia in omnibus agere, & omniũ corda,cogitationes, & actiones in ſua manu habere: qui hîc excitat hoſtẽ, vt præſente Gideone enarret ſõnium: & antea eadẽ de cauſa immiſerat ſomniũ,& ſtatim immittit ſpiritũ diuinationis vt interpretetur ſomniũ. Deinde hìc vides ſõnia aliquãdo Diuinitus immitti,& quoſdã ſingulariter eo dono præſtare vt habeant ſõnia vera. Sed quis te docebit an tuũ ſomniũ ſit Diuinit' immiſſum, & an tuũ ſomniũ rectè interpreteris,an ſecus,planè eſt lubricũ. Sed qui talia ſõnia habẽt,qualecũque id ſit ſomnium quod habẽt, hi debẽt primùm illud ſomnium expẽdere, & cũ Scriptura. Quòd ſi deprehenderis ex generali præcepto Dei eam rẽ tibi faciendã, ora Dominũ,& aggredere:ſin deprehẽderis nõ eſſe faciendã,omitte. Quòd ſi dubitas an ſomniũ tuũ ſit Diuinitus immiſſum,ora diligẽter Dominum,vt te ea de re edoceat, & tecũ perpende,cõfer cum Scriptura, & videnum bonum ſit & faciendum,an non:& tãto diligentius circunſpice, & caue nequid mali ſit: & ſi malũ eſt, ora Deum,vt id malum quod portenditur tibi bene merito,à te auferat,aut in bonum tuum & tuorum conuertat,& ne contemnas ſomnium,ſed ora Dominum vt te edoceat.

15 *Adorauit.* Meritò id quidẽ:nam erat mirabiliter Diuino beneficio confirmatus. Ergo quoties de aliqua re edocemur aliquid boni,gratias Deo agamus & precemur.

16 *Et diuidens trecentos.* Hæc ratio prælii,etſi nuſquã ſit expreſſum in hoc loco ſingulare præceptũ Dei,tamẽ quia nõ erat cõſueta & vulgaris,ſeu naturalis,veriſimile eſt Gideonẽ de hac re certo oraculo monitũ,vel ſaltẽ occulta inſpiratione edoctũ fuiſſe. *Tubas.* Vt ſcilicet Diuin' hic terror meli' incuteretur. Per tubas ergo Dei omnipotẽtia ſignificatur,quæ õnia quãuis valida perdit. Deinde per *lampades* ſignificatur omnibus tenebris inferri lumẽ veritatis: quod vt ad ſalutẽ ſeruit fidelibus,ita impiis in perditionẽ:& hæc omnia ita prædicãtur, vt ſolius Dei opus hoc totũ eſſe dicatur,qui ſolus omnia in omnibus agit,& perficit,& omne malũ pellit,& ad hãc rẽ miniſtris & inſtrumẽtis vtitur hominibus,& omnibus creaturis. Ergo in *tuba*,bonitas & omnipotẽtia Dei,& vis verbi Dei exprimitur. In *lampade* autẽ lumẽ veritatis, quod illuminat omnẽ hominẽ venientẽ in hũc mũdũ:ſed ab impiis extinguitur,& cõdemnat eos:pios autẽ ducit ad veritatẽ. *Venit itaque Gideõ.* Hic deſcribitur victoria per trecẽtos hos paria. *Deus poſuit.* Ecce quomodo opera Dei deſcribũtur:malũ erat quòd illi ſe inuicẽ interficerẽt,& Satã eſt autor õnis mali & furoris,ſed Deus immiſit eum in eos. Nã quia illi vniti conuenerant ad malũ, Deus immiſit hunc furorẽ meritis,vt diſſiparet cõſilia ipſorũ. Ergo ipſis tubis & lãpadib' ſignificatur vis & efficacia verbi Diuini. ipſi enim manus nõ admouerunt,& tamẽ hoc tumultu plurimi hoſtiũ propria manu ceciderunt:& erat mirabilis iſta victoria. ſed talis eſt ſemper Dei victoria, vt ſolũ Dei opus eſſe videatur,& omnis victoria comparatur ex illo terrore. Hunc autẽ terrorẽ Deus aliquãdo hoſtibus immittit ante conflictũ ſine omni opera militũ, vt hoc in loco:aliquando ſinit aliquandiu ancipiti Marte pugnare,& tandem in conflictu ipſo immittit Panicum terrorẽ hoſtibus,idque vt experimentum capiat fidei,& induſtriæ militum. *Miſit quoque Gideon.* Illi enim trecenti nõ ſufficiebãt ad retinẽdos hoſtes:ergo rectè in auxilium vocat reliquos,& ſic magna pars hoſtium propria manu cecidit:reliqua pars quæ effugit ab Ephraimitis ſunt intercepti & occiſi atque ipſi etiam duces:& ſic liberati ſunt à tyrannide Midianitarum Diuina & vltronea miſericordia. Quòd autẽ Ephraimitæ paruerũt Gideoni in intercipiendis hoſtibus,qui tamẽ deinde tumultum excitarunt: diſcimus hìc quando Deus inſtituit aliquid, tamen neceſſariò omnia ſine mora parere vocationi ad eã rẽ. Deinde quia ſua ſe manu interfecerunt,diſcimus omnes hoſtes Dei ſuis ſe cõſiliis impedire:& impedire ſe, ne contra populum Dei aliquid valeant:id quod hîc craſſo exẽplo demonſtratur. Hoc autẽ ſemper ſolet facere Deus,& liberare pios ab impiorũ violẽtia,nõ tã piorũ,quàm ipſorũ impiorũ adiutorio:quorum cõſilia ita turbat vt nihil cõtra pios valeãt.& hoc ſẽper à Deo expectem':ideo in vno atq; altero exẽplo tam craſſe Scriptura edocet,

terùm virtus Gideonis in eo apparuit, quòd noluit recipere. Reiecit autem duo Gideon: dicit
enim, Neque ego dominabor, neque filius meus. Ergo reiecit dominium ſibi oblatum in ſe, & de-
inde ſucceſſionem generis, & reddit rationem, *Sed Dominus dominabitur veſtri*. Ergo apparet oblatū ei
dominiū quod derogaret dominio Dei. Sūt ergo quædā dominia contra Deū, quādo ſi vel inſti-
tutio, vel gubernatio Pricipis nō directè valet ad gloriā Dei, & nō ad verbū Dei dirigitur & exa
minatur: vt ſi contra præceptū Dei ſingulare. generi defertur ſucceſſio principatus, vt hîc factū
eſt: itē vbi abſoluta poteſtas Principi traditur, quæ nulli poteſtati & correctioni ſit ſubiecta: ibi
derogatur gloriæ & dominio Dei, & abſoluta poteſtas, quæ ſolius Dei eſt, & à populo Deo de-
bet eſſe delata, homini peccatis obnoxio addicitur. Ergo vitiū eſt dare abſolutā poteſtatē Prin-
cipi qui non cogatur reddere rationē adminiſtrati regni. Nam quum natura homo ſit ad malū
propenſus, facile & ferè fit vt quum plurima liceant, libeant etiam quæ mala ſunt. Quòd autem Oſeæ 13.c.11.
Deus antiquo populo tales reges aliquando præfecit, id pœnæ fuit. Idcirco dicit Dominus, In
furore meo dedi eis regē, & in furore meo auferā ab eis. Itaque id erat iræ Dei, & peccati populi,
qui ſic meruerat & volebat. Sed hodie multæ regiones habent tales Principes abſoluta poteſta-
te, idcóque tam malè res eorum habent: vnde apparet id eſſe iræ Dei Quòd autem Deus in ſacer
dotio ſucceſſionem generis eſſe voluit, ibi ſpectauit ſucceſſionem inſtitutionis: & quia erant e-
tiam illi ſubiecti Regibus, peccata eorum corrigi per Reges poterāt. Quòd igitur reiecit Gideon
hanc ſibi oblatam poteſtatem, cauſa eſt, quia recepta illa, reiicitur poteſtas Dei. nam dum regnū
defertur ei qui nondum eſt natus, aut adhuc infans, vt neſcias qualis futurus ſit, præoccupatur
iudicium Dei. Si autem contingat illam ſucceſſionem ita Diuinitus benedici, vt virtuti patris,
virtus filii reſpondeat, non malè admittetur ibi ſucceſſio. Ex hoc tamen exemplo non rectè col
ligi poterit, rectè facturos eos qui hodie tali tyrannide opprimuntur, ſi vi eam à ſe repellant. Ibi Rom.13.a.1.
enim audiendus eſt Deus per Paulum dicens, Omnis anima ſubiecta ſit poteſtatibus, &c. Opti-
ma ergo ſpecies Reipu. eſt, quando vnus quidem præeſt, vel pauci, ſed ii Diuinitus rogati, & cō-
ſtituto ordine legitimo Diuinitus præſcripto: & ei abſoluta poteſtas non tradatur.

27 *Ephod*. Haud dubiè bono & pio animo, volens huius tāti beneficii exiſtere aliquod memo
riale, fecit ephod. *Fornicatique ſunt omnis Iſrael poſt eum*. Metaphora ab illicito & inſano amore, qui
ferè ardentior ſolet eſſe quàm verus & legitimus amor. Sic in falſo cultu Dei ſolet eſſe ardētius
ſtudium, & vehementius quàm in vera religione. Et vides hîc peruerſam noſtram naturam, o-
mnia quamuis bona peruertere. Gideon igitur rem bonam ſpectauit, ſcilicet conſeruationem
memoriæ Diuini beneficii: ſed tamen offendiculo fuit toti populo, quia non conſulto inſtitue-
rat Deo. Sic ſolet peruerſa natura ſemper abuti rebus bonis: & ei quod aliquid repræſentat, a-
ſcribere id quod repræſentatur. Sic ſimulachris, quæ debent eſſe admonitiones opis Diuinæ, a-
ſcribimus illam ipſam opem. Hoc ſi in Diuinis, & inſtitutis Diuinitus ceremoniis fit, quanto
magis in his quæ inconſulto Deo ſunt inſtitutæ? Natura enim ita comparati ſumus vt ſym-
bolis à Deo etiam inſtitutis abutamur, & ab eis petamus opem, quā à ſolo Deo debemus petere.
Peccauit ergo imprudentia Gideon, qui præter neceſſitatem, & inconſulto Deo ceremonias ſa-
cras inſtituit. Caueamus igitur quicquam inſtituere præter oraculū Dei, ex quo poſſit aliquid
mali oriri. Deinde, quia ex hac auri copia ortum eſt hoc malum: vides hîc damnatam auaritiā.
Poſtremò, vides hîc auri magnam, & non neceſſariam copiam, ferè cauſam eſſe malorum. Er-
go peccauit Gideon, quia petiit tantam auri copiam, non neceſſariam: vnde fuit ei in laqueum,
& toti populo.

28 *Humiliata eſt Midian*. Hîc commendatur Dei bonitas, qui plenam & ſolidam victoriam po-
pulo ſuo dedit. *Et filius*. Sub bonis Principibus benè & piè viuitur.

30 *ſeptuaginta filios*. Hæc eſt paraſceue ad ſequens caput, & in hoc apparet exemplum in Gide-
one vituperabile: nam dixerat in Lege ſua Deus Regibus, & Principibus populi, ne multas vxo
res haberent. Et pugnat cum prima & ſancta inſtitutione matrimonii: & non poteſt non proue-
nire ex cupiditate mala & intemperata. Ideo commemoratur hoc vitium Gideonis, vt diſcam'
hinc quòd nemo debet velle hoc & ſimilia imitari, ſed deplorare magis, & videre quàm nihil ſit
ex omni parte perfectum.

31 *Abimelech*. Significat patris mei Rex, vel pater meus Rex. quia graue malū ex Abimelech
ad populū peruenit. Innuitur etiam cauſa fuiſſe mala huius partus, ſcilicet multitudo vxorum
quam interdixit Deus Regibus, Deut. 17.d.17, quia cor hominis auertat. Exemplum clarum ha
bes in Salomone, & hîc in Gideone. Omnes enim voluptates, eius naturæ ſunt, vt ſi te eis dedas,
auocent te ab omnib' bonis laboribus. ita natura ſumus ad omnē intēperationem & inordina-
tionem procliues, & difficulter ad rectum adducimur. Ergo qui vult aliquid recti facere, is de-
bet omni ſtudio in id incumbere: & quia propriis viribus nihil valemus, toto corde oportere
à Deo ſublimes pēdēre, & opē eius implorare. Hoc facere non poteſt qui voluptatibus eſt addi-

I.ii.

ctus maximè polygamiæ. Deus in initio fecit virũ & fœminã vnã. hæc eſt vera, primæua & ſan-
cta ratio. Deus tamẽ poſtea propter multiplicandã ſobolẽ, & duritiẽ cordis eorũ, indulſit popu-
lo ſuo polygamiã, ad vitãda deteriora. Chriſt⁹ tamẽ corrigẽs legẽ de diuortio, reuocat ad primæ
Mat.19.a.8. uã inſtitutionẽ, dicẽs, Initio non erat ſic. Paulus eò reſpiciẽs, vult Epiſcopũ eſſe vnius vxoris vi
1.Tim.3.a.2. rũ: & quod Epiſcopũ decet, id rectè Eccleſia ad omnes Chriſtianos tranſtulit. Eſt ergo interdicta
à Deo polygamia regibus, indéque omnibus hominibus: cauſa eſt hæc, quia auertit cor. nã cor
voluptatibus deditũ, nõ poteſt Diuinis rebus incũbere, & ineptũ fit ad munia ſancta. Quod au-
tem hìc de *concubina* habetis: id ſcitote eſſe legitimã. non habebant ſcorta, id eſt quæ ſe pluribus vi-
ris cõmunicarent, ſed concubinas: quæ in eo ab vxoribus differebãt, quòd vxores plus libertatis
& iuris in familiã habebant, & matresfamiliâs erant, imperabãt familiæ: concubinæ autem ni-
hil à famulis differebãt, niſi quòd cõiungerentur viris, nec tamẽ repudiabant eas pro libito. Di-
cebantur concubinæ, quia viris iungebantur, & vnà cubabant. Cæterùm alioquin familiæ nõ
imperabant, nec aliquibus pactionibus & conditionibus iungebantur.

31 *Mortuus*. Hìc duo commemorantur bona ipſi Gideoni præſtita: ſcilicet vita diuturna, eá-
que commoda & quieta: deinde ſepultura apud ſuos. quæ quatenus bona & mala ſunt, & exo-
ptanda vel fugienda, diximus ſuprá.

33 *Poſt mortem*. Ecce rurſus nota, poſt mortẽ boni Principis, recidunt ad mala, licet ſub bonis
Principibus piè viuatur. *Et fornicati ſunt*. Hìc propoſitio eſt, Populus magna iniuria, & impietate
peccauit in Deum, & in Principem ſuum. *Fornicati*. Ecce vehementiã idololatriæ. *Ponentes ibi
Baal fœderis*. Id eſt publico cultu eum coluerunt.

34 *Cum domo*. Id eſt non fuerunt grati poſteris eius. Ergo gratitudo & beneficium nõ debet fi
niri vita eius qui bene merit⁹ eſt: ſed vera gratitudo etiã poſteris, & omnibus pertinẽtib⁹ ad eũ, be
nefacit: & ita hæc dilectio proximè pendet à dilectione Dei. ſublata enĩ hac, illa tollitur, & cõtrá.

IN CAPVT IX.

PRopoſitio generalis huius capitis eſt, Deus offenſus peccatis populi ſui, impoſuit tyrãnum,
principem impium, noxium, & domeſticum: idque in pœnam peccati.

1 *Abiens autem*. Hìc impoſitio tyrãni cõmemoratur: & hæc eſt propoſitio, Abimelech cõfiſus
cognatione materna, primùm inuaſit fratres, & occiſis iis, imperiũ nactus eſt, & deinde toti Iſra
eli ſe præpoſuit. *Cum omni cognatione*. Ecce fructũ polygamiæ: & alienigenæ quid faciant vxores.

2 *Quid nobis melius eſt*. Ecce quomodo pulchrè argumẽto eis imponit: Satã enim eſt Sophiſtarũ
pater. Hìc ponit hanc maximã, Multitudo principũ eſt mala, & eſt melius vnũ imperare quàm
multos: ſed hæc eſt falſa. nã facilius ſeducuntur Monarchæ, quàm multi: & ſi Sacram hiſtoriam
intuearis, tres tantùm abſolutè bonos Principes, Dauidem, Ezechiam, & Ioſaphat inuenies. Re-
liqui omnes vitioſè adminiſtrarunt. Sic videre eſt, Romanum imperium pauciſſimos, &c. Eſt
autẽ argumentum ὡραῖον, ſed falſum. Multitudo Principũ eſt mala, ſit ergo vnus princeps. Hoc
quidẽ eſt verũ, Præſtat vni tyrãno obtẽperare, quàm multis: quia eſt facili⁹ vnum malũ ſatiare,
quàm multos: ſed hoc nõ eſt verũ, Multitudo Principum eſt mala: nã Principes ſunt qui omnia
in ſalutẽ populi, non in propriam vtilitatem dirigunt. Hi ſi multi ſunt, melius imperant quàm
ſi vnus. Per ſe autẽ, neque vnũ, neque multos imperare eſt bonũ, vel malũ, ſed Deũ imperare, &
quos ipſe præficit, bonũ eſt: & malũ eos imperare qui nõ Diuino Spiritu afflati imperãt. Duo i-
gitur vult perſuadere. vnum, vt non multos Principes recipiãt: alterũ, vt vnũ, id eſt ſe recipiãt.
Quòd autẽ ita eis perſuaſit, totum fuit iræ Diuinæ, quæ permiſit Satanæ vt tam acutè in hoc ſo
phiſtam ageret: & hos ita ſtupidos fecit, vt non animaduerterent ſe decipi.

3 *Quia dixerunt, Frater noſter eſt*. Nolebãt enim ſine ratione videri facere: ſed falſa vtũtur ratio-
ne, & peccant qui munus Diuinũ ſecundum carnalẽ cognationẽ & affectum humanũ cõferũt.
Sic in Eccleſia peccant qui præbendas Eccleſiaſticas tanquã beneficia cõferunt miniſtris, quũ
pro cuiuſque dignitate, tanquam ſtipendia debeant cõferri. Quũ dicunt, *Frater noſter eſt*: ambitio-
ne titillantur: gaudebant enim habere indigenam Principem. *Argenteor*. Ecce ſacrilegium quo
patratum eſt parricidium. Quod Deo erat dãdum, dant impio principi. Et hìc vides verum eſſe
Oſeæ 13.c.11. dictum Domini, In ira mea dabo eis Regem, & in ira auferam eum.

4 *Baal-Berith*. Berith autẽ, id eſt fœderis, cognomẽtũ erat Baal. ſic alibi Baal-zebub, muſcarũ. vn
de videmus ſuprà nos lapſos eſſe interpretando in his verbis, Et fornicati ſunt poſt Baal-berith.

6 *Regnare fecerũt*. Hactenus regẽ non habuerunt, ſed contenti erãt iudiciaria poteſtate. Iam im-
pia audacia hominem indignum & ſceleratum præficiunt ſibi contra iuſſum Dei in Regem:
eum armant ex ſacrilegio ad parricidium committendum. Impii ergo fuerunt, & impius rex.
impiè igitur regnum adminiſtratur. quare inde colligitur ira Dei in hunc populum: nam om-
nes Reges à Deo imponuntur. Si boni ſumus, Deus dabit bonos Principes: ſin mali, malos.

7 *Quod quum nunciaſſent*. Iã ſequitur deſtitutio Regis, & eadẽ in ira Domini. Deus dedit in ira,

& abſtulit in ira cũdem. Deinde hîc vides vltum eſſe Deum, ſanguinem innoxium de manu Abimelech. Ergo Deus cum pernicie populi, abſtulit regem quem dederat in ira: & in ea ipſa pernicie, Deus vltus eſt ſanguinem ſeptuaginta fratrum. Ordine ergo habes tres has propoſitiones. Prima, Deus preces populi ſui, etiam maledictionem orantis, exaudiuit. Altera, Deus cum pernicie abſtulit regem. Tertia, Deus vltus eſt ſanguinem innoxium.

8 *Eundo ierunt ligna.* Apologus eſt. omnis enim ſimilitudo mirè valet ad mouendum, & imprimendas res animo noſtro, & perſuadendum. vnde Paulus in omnibus ferè grauioribus affectibus eiuſmodi ſimilitudines adhibet. In hoc autem apologo eſt admonitio & execratio: & eſt propoſitio, Deus preces ſuorũ, etiã maledicẽdo execrantes, exaudit & ratas habet. Facit autẽ hîc ligna quærẽtes ſibi regẽ: & vitẽ, oleam & ficũ detrectantes, &c. Oſtẽdit in eo contẽptum regni, & eorũ qui regnũ deferebãt. Per *oleam* igitur, *vitem & ficum*, Gideõ & eius filii intelliguntur, qui regnũ detrectauit, & filios ſuos voluit detrectare. Per *fructum* autem, *dulcedinem & muſtum*, regnum ſub Deo, & ſubiectum poteſtati intelligitur. Nã quemadmodum præſtantes habẽt virtutes fruct⁹ vitis, oleæ, & ficus: ſic Gideõ & eius filii noluerũt deſerere dona præſtantia ſua, & ſuſcipere regnum contra Deum in impios. Nam illi impiè regnum illi deferebãt. Regnum delatum ab impiis impiè, nemo poteſt niſi impius recipere. Ergo ab eo qui recipit, nihil niſi malum poteſt expectari. Quemadmodum igitur arbores frugiferæ noluerũt deſerere ſuas priuatas virtutes, & imperare aliis: ſic Gideon priuatam virtutem, id eſt pietatem, & Spiritum principalem noluit relinquere, & impiis impiè imperare. Et quemadmodum *Rhamnus*, qui nihil boni fructus habet, & ſterilis eſt, recepit imperium, & cauſatus eſt dolum, & ei malo malum eſt precatus: ſic impius Abimelech recepit imperium, quod pius pater noluit recipere. Igitur oſtendit hîc vtriuſque vitio factum eſſe vt impius Princeps eligeretur. Vult igitur hoc dicere Iothã, Si rectè feciſtis, qui occiſis fratribus, hũc vobis regem elegiſtis, ſit pax vobis vtrinque: ſin minus, perdatis vos mutuò. & ſic eſt factũ, habuitque Deus ratã hanc imprecationẽ: & ſic vtrinque iuſtè eſt punitã impietas. Hîc ergo primùm diſcamus quàm malum ſit ſuſcipere regem non imponente Deo: nam ibi vel impiè ab impiis confertur impiis, vel piis contra rationẽ Diuinã. Deinde mali & impii principes non poſſunt non & ſibi & populo eſſe exitio. Deinde, Deus preces piorũ nõ poteſt nõ habere ratas. Porrò Deus non relinquit ſanguinem innoxium inultum, &c. Debetis autem hîc animaduertere quod ſuprà præteriit, Ex polygamia nunquam aliquid boni eſſe exortum. Dauid vxores multas habuit: ſed inter omnes nullum habuit perpetuò laudatum filium. Sic Salomon, ſic hîc Gideon, cuius omnes filii ad vnũ ſunt occiſi: ſic nunquam fœliciter cedit quod præter Dei iuſſum inſtituitur, vtcunque bono animo inſtituatur.

13 *Spiritum malum.* Ergo Deus fuit autor huius malæ & impiæ rebellionis: & eſt cauſa & autor omniũ rerũ. verùm iſta rebellio non tã peccatum, quàm peccati pœna, & talio fuit. Deus peccatis peccata non rarò punit, & tradit in ſenſum reprobum. Vocat autẽ Scriptura omnem animi motũ, ſpiritũ: is ſi bonus ſit, vt conſilium pietatis, &c. dicitur bonus ſpiritus: ſin malus, ſpiritus malus, qui eſt noxius & pernicioſus eum capientibus. Iſte igitur animi motus & rebellio non tã peccatũ, quàm peccati vtriuſq; pœna fuit, & cauſa vltionis. Primum ergo in hac rebellione fuit contẽptus Principis. Secundũ, quòd arma ſumpſerũt ſine iuſſu Principis. Tertiũ, quòd in innocẽtes iniurii fuerũt, & facti ſunt prædones. Quartũ, quia falſo Dei cultu ſe cõfirmarint. Quintũ, quia hæc ſuperſtitio peperit confirmationẽ in hac rebellione. Contẽptus Principis erat malus: nã quũ ſemel recepiſſẽt eũ, cõueniebat ei obtẽperare, quãtũcunque malus eſſet. Deinde hîc vides quomodo falſa religio valeat ad cõfirmandã impietatẽ, ſeditionẽ, ſcelera, &c. quẽadmodũ verus cultus, ad inſtaurandã & confirmandã pietatem valet & ſeruit. Vides deinde hîc quomodo ſẽper impietas pietatem ſoleat imitari. Deinde hîc vides Baal commune nomen fuiſſe omnium falſorum deorum & idolorum quæ conſtituebant tanquam ſummos patronos poſt Deum.

17 *Hemor.* Hiſtoriam hanc habes Gen. 34, vbi habes Hemor habuiſſe filium, nomine Sechem.

29 *Sit ſub manu mea.* Id eſt ſequatur me. Habetis ergo hîc executionem maledicti Iotham. Præmittitur autem tribus annis imperaſſe Abimelech, vt videas quàm breui tempore imperauerit iſte tyrãnus. Primùm ergo præparatio ad hanc rem, & concitatio animorum ponitur. Deinde rebellio, eáque valde ſcelerata, & digna puniri & reprimi. Tertiò, pœna rebellionis.

30 *Audiens autem Zebul.* Et hic vides inter ipſos ciues fuiſſe diſſenſionem inteſtinam: & ſic diſperdit Deus conſilia impiorum. Hæc autem diſſenſio certiſſimũ exitii erat principiũ. Eſt ergo propoſitio, Grauiſſimè vltus eſt innoxiũ ſanguinẽ Deus, & pleniſſimè eſt exequut⁹ maledictũ Iothã. Ratio, quia grauiſſimis malis afflixit populũ. Probatur: primu, à verſu 30 vſq; ad 34, inteſtinæ diſſenſiones, fuerunt certa ad interitũ præparatio. Deinde, proditio Zebul: itẽ quòd Abimelech obſequut⁹ eſt cõſilio, & inſidias poſuit, & quòd Gaal nõ declinauit inſidias quas ſibi poſitas vidit. Ergo alterum eſt obſtinatio in propoſita impietate & Gaal & populi, quòd audere volebãt,

antitheſim Angelus facit. *Ecce tu es ſterilis*. Propter quæ Deus rerum naturam,& conſuetum ordinem mutat,eo oportet eſſe magna. *Tu*,inquit,*concipies*,non naturæ,ſed Dei beneficio.nam quia omnia ſunt condita à Deo,ipſæ res nihil in ſe habent:vt quòd lapis ſurſũ fertur,Dei opus eſt,non lapidis.quæ Diuino miraculo matres fiunt, illæ magnos edũt part⁹,vti mater Iſaac & Iohannis.

4 *Et ſiceram non bibes*. שכר,nomen à verbo quod ioebriari ſignificat,potus dolcis eſt,& videtur ſignificare potus alios à vino, qui inebriare poſſunt : & præcipuè illum qui ex pomis conficitur.

5 *Cõcipies,& paries filiũ,& nouacula nõ aſcẽdet*. Id eſt ſeparatus erit ab aliis.Ratio eſt,& deſcribitur cõditio vitæ qua viuere debeat Simſõ: deinde etiã officiũ:debebat enim incipere liberare.Num. 6,habes de lege & ceremoniis Nazaræorũ. Nam נזר dicitur qoi ſtudioſe abſtinebat ab immũditia in Lege prohibita:itẽ à vino inebriante:neque tõdebatur. Alii itaq; Nazaræi ad tẽpus tãtùm ſeiuncti erãt. Ille autẽ ab vtero matris debebat ita abſtinere. Hoc quidẽ à natura religionis eſt,vt aliquãdo certis tẽporibus,certis de cauſis homines ſubducãt ſe à mũdo, ſubducentes eas etiã res quibus viuãt. In ieiuniis tamẽ ita erat vt homines cõficiẽdo ſe,abſtinerẽt à peccatis. Quòd enim in puluere ſedebant,& pollatis veſtibus vtebãtur,omnia ſignificabãt damnationẽ mortis : quia etiam nõ edebãt,nec bibebant.realis ergo erat peccatorũ confeſſio: tamẽ & ea abſtinentia vt animus ſe totũ Deo traderet,fiebat. In abſtinentia autem Nazaræorum apparet finẽ fuiſſe,vt homines aliquo certo tẽpore ſeſe Deo traderent maiori cõtentione. huiuſmodi erat ieiunium Domini,Moſis,Eliæ:quod non erat humiliatio corporis,ſed ſubductio à mũdo, & præſentatio colloquii magni ad Deum. Hinc Nume.6.a.4, vbi illa lex deſcribitur:primùm ponitur verbum ſeparationis, Vir aut mulier quæ ſe abduxerit ad votum, & ad ſubducendom ad Dominum. Dominus nõ moratur noſtrã ſubductionẽ, ſed ſtudium Diuina plenı⁹ intelligẽdi,& animũ maiori ardore cõiungendi cum ipſo. Talis abſtinẽtiæ votum Paulus ſuſcepit,& omnes Sãcti ſoliti ſũt abſtinere à rebus vitæ huius. Hanc cauſam etiã Paulus adfert laudati cœlibatus:nequaquam autem vt in illa actione contemplationis perſiſtas. Sumus enim in actiua vita:hinc illud,Diliges proximum tuum,&c.quod non ſolùm fit facto , ſed etiam verbo : ideo actiuã & contemplatiuã vitã ſibi pars elegit . Argumẽtum ergo hoc huiuſmodi eſt,quòd voluit Simſonẽ ex eorũ hominũ genere eſſe qui ſe addicunt penitus Deo , & ſe à mundanis rebus abducunt : probatur enim à conditione Nazaræorũ & ceremoniis. In lege & ceremoniis Nazaræorum inſunt hæc, vt eſſent ſeparati à reliquis hominibus, & Deo ſe addicerent. Deinde vt abſtinerẽt ab omni eo quod à vite prouenit, idque propter periculũ ebrietatis,& obſtruſionem animi: ſimili modo ab omnibus iis abſtinendũ erat quæ potuiſſent mentẽ aliquo modo obturbare. Deinde vt non raderetur caput,niſi ad tẽpus,ſcilicet vt eſſet Domino cõſecratus. Præterea contaminatio mortui,diſertè exprimitur. Sunt verò omnia ſynecdochica:nam in primo Deus ſpectauit, nõ vt aliquis ſe à proximo ſubducat,quũ ſumus cõditi ad auxilium proximi,ſed eleuationem mẽtis ad Deum,vt poſtea aliis melius inſeruire poſſit. Hoc enim facere nemo poteſt,niſi Diuina virtute inſtructus. In ſecundo,ſobrietatem animi, vt non obturbaretur, ſicut potu,ita cibo, & omni alio negotio. In tertio,quo vetatur cõtaminatio quoqoe,idem . In quarto, quia omnis mors eſt graois quædam admonitio peccati,& inde horror venit:vult Dominus vt nobis ſeruiat in pœnitẽtiã. Quũ negotiom eſt nobis cum viuis,debemus puri eſſe. Si cum mortuis,debem⁹ negotia vitæ prætermittere,& cõfiteri nos quoque mortẽ meruiſſe. Quantum ergo ad vitam, & ad munus attinet, voluit Deus Simſonẽ eſſe Nazaræũ,vt vitam cõſeruaret,& præclara gereret. Nam hi peculiariter inſtituuntur à Domino , vt Moſes quadraginta dies in monte, & Elias . Et imitatione populi Dei idem ſcribitur de Gentibus,vt Numa,Solone,&c. Sed intelligendum eſt banc inſtitutionem fuiſſe temporariã,vt hi viri probè inſtructi redirent ad munia ſua. Itaque Nazaræũ eſſe,eſt ſe Deo dedere , abiectis negotiis mundanis , & inſtrui à Deo ad gerendum aliquid præclarè pro ſalutẽ populi Dei:ẽſtque tẽporaria inſtitutio. Sed in Simſone erat perpetua: quod fuit ſingulare. Quũ ergo hinc volunt argumenta ſumere , qui monachatum perpetuum defendunt : ſciendum eſt quòd illa Deus non laudauit ſimpliciter , quaſi eſſent meritoria : ſed vt mens Diuinitus inſtructa alacrior eſſet, & melius doceret alios. Sed hoc vt aliquis facere poſſit, oportet vt cõuerſetur hominibus. Inde licet Iohannes non ederet,tamen Chriſtus qui erat præſtantior illo,edebat. Inde etiam iuſſit ſuos diſcipulos , vt ad quoſcunque homines venirent ,ederent quæ eſſent apud ipſos:ita voloit ſuos eſſe populares, in quibus poſſent eſſe aliis vtiles . Peccatum ergo primom in monachatu , quòd ſtatuont eſſe meritoria opera,quæ ſunt tantùm præparationes aliquæ ad opera bona . Chryſoſtomus, Gregorius,erant monachi: ſed ad tempus: neque clerici ſunt monachi, & nullos clericos agnoſcebat Eccleſia , niſi eos qui curabant populum . Opera ergo iſti per ſe , non finem ſpectarunt . Deinde , quòd opera perpetua: nam qui perpetuò diſceret muſicam apud aliquem, & eſſet in Principis ſtipendio,neque aliquando Priucipi caneret,cum profectò Princeps nunquam laudaret. Tertium peccatum, quòd non ſunt hodie monachi qui

abſtineant à vino, aut eo quod eſt vino proximum, vt indiuulſè agerent cum Deo. Nam proximus finis omnis abſtinentiæ eſt ſpiritum reddere idoneum ad Diuinas res: & huius finis, vt per doctrinã & vitam aliis proſis. Ergo & in hoc proximo & vltimo fine peccauerũt. Carthuſiani quia carnem non comedunt, eo magis ſe infarciunt, ſi non carnibus, tamen piſcibus. Præterea in monachatibus nihil eſt conſtitutum de coniugio, & tamen veteres tempore ſacro, tam abſtinebant à muliere, quàm à vino. vnde Paulus, Hoc fiat vtriuſq; cõſenſu, &c. Ergo hoc peccatũ in peruerſa abſtinẽtia: nõ enim ſunt contẽti vt maritos abducãt, ſed etiam nolũt eos vnquã ducere vxores. Sed pro nobis notemus, Si eſt Spiritus Domini nobiſcum, quare etiam nõ aliquando homines ſe à mũdo ſubducũt ad Deum? Certè hic multũ requiritur fidei: itaque minus etiã poſſumus aliis manum præbere. Quaſi verò monachatus Papiſticus per ſe ſit malus: eſt certè abominatio Deo. nã niſi muris & ſeris cuſtodiantur, prorumpũt in omnia vitia monachi. Nam in totum nullus eorum ordo, hoc tẽpore eſt rectus. Et vt Carthuſianos ſumamus, qui videntur ſibi adhuc integerrimi eſſe: illi ſanctiſſimi habent præceptum ab agello aliquo, vt proprio labore victum parent, nec aliunde cenſus aut fœnoris aliquid admittãt: ſed nihil minus ſeruãt. In ſumma, omnes in vnum ordines in Papatu ſunt peruerſi, & receſſerunt à primitiua inſtitutione.

6 *Vir Dei.* Id eſt Diuinus vir. Neſciebat enim eſſe Angelum. & eſt ſchema Hebræorum, qui quicquid in ſuo genere excellit, & eſt præſtantiſſimum, vocant Diuinum. ſic montes altos, vocant montes Dei. Sic hic, Vidi virum Dei, id eſt præſtantem hominem. Vides autem ſtudium religionis in hac muliere, quæ admirabũda accepit verbum Dei. Deinde reuerentiam erga virũ, quia nuntium Diuinum acceptum non occulit à viro, ſed communicat ei reuerenter. Ita natura deferimus res magni momenti ad amiciſſimos. Ergo quia illa ſtatim ad maritum, non ad alienum detulit hoc Diuinum, ſignum eſt eam habuiſſe maritum chariſſimum, vt decet vxorẽ: & hoc vtrunque eſt pietatis, ſcilicet nuntium Diuinum reuerenter & admirabundè accipere, & maritum reuerenter amare.

7 *Et iam non bibes.* Hic etiam ipſi mulieri eſt impoſitum quod deuouebant Nazaræi: indubiè vt magis excitaret eam Deus ad cõſiderandũ beneficium Dei ſibi præſtitũ. Erat ſterilis, & eam Deus fecit matrem filii herois, & toti populo ſalutaris, & qui præclarus typus Chriſti eſſet futurus: hoc vt erat ſummum beneficium, ita meritò requirebat iugem, & perpetuam memoriam, & gratiarum actionem. Deus, vinum & omnia reliqua per ſe non odit, neque prohibet: ſed inebriationem, crapulam, & quicquid mẽtem turbat, odit. Quia autem ſumus propenſi ad vitia, & abuſum, & oportet in iſta ſolenni cũ Deo actione, ſobriũ eſſe, & mentẽ totã cum Deo agere: ideo in totũ prohibuit vinũ & ſiceram. Lex autem vinum, & cibum delicatum, atque voluptates Nazaræis prohibebat, ſed ad tempus, nõ perpetuò: ideo perpetuam abſtinentiam à cibis & potu, vel ſolitudinem vouere eſt impium: quia eſt magis vouere impedimentum, quàm adiumentum: & quum iſta vota, & abſtinentiæ, præparationes tantùm quædam ſint ad peragenda ſacra, non oportet ſemper præparari, ſed etiam aliquando aggredi rem.

8 *Veniat iam denuo.* Piè ſignum petiit, quia quum crederet verbo Domini, volebat tantùm edoceri qua ratione tractandus eſſet puer.

9 *Exaudiuit.* Scilicet fide orantem. hoc vt eſt teſtimonium beneuolentiæ Dei erga populum, ita eſt indicium fidei & pietatis Manoa. Apparuit autem rurſus mulieri, non marito, vt oſtenderet ſe non habere ſexuũ diſcrimẽ: & ſic Deus ſolet inuertere ordinem, & ex poſtremis facere prima, & ex primis poſtrema: ne ſcilicet cuiquam rei, quàm ipſius bonitati aſcribatur.

10 *Et feſtinauit.* Ecce iterum ſuam admirationẽ & reuerẽtiam, atq; amorẽ vxoris erga maritũ.

12 *Qualis erit diſpoſitio.* Ecce iterum vides animum cupidum explere iuſſum Diuinum: & rurſus vides facilitatem Dei erga hunc virum, & ſingularem beneuolentiam Dei, qui denuo repetit ea quæ antea ſatis expoſuerat vxori.

15 *Parabimus aram te.* Id eſt ſacrificabimus: nã natura religionis fert, vt vbi admonemur præſentis beneuolentiæ Dei, ibi excitemur, & ſingularem, & ſolẽnem memoriam Dei celebremus, & gratias Deo agamus. Hinc veteres, quoties Angelum aut aliud quid Diuinum vidiſſent, ſtatim ibi ſacrificium faciebant, vt memoriam ſolennem Dei & Chriſti celebrarent.

16 *Non comedam.* Nam in illis ſacrificiis pacificorum & laudum, partem comburebãt, & partem edebant. Hoc eſt diſcrimen inter vetera ſacrificia, & noſtram Eucharistiam, quòd ibi magis mactatio quàm fruitio Chriſti repræſentabatur: in Euchariſtia, magis fruitio quàm mactatio.

17 *Quod eſt nomen.* Putabat enim eſſe virum aliquem inſignem, & neſciebat Angelum eſſe: ei volebat benefacere. Rurſus hic deſcribitur nobis pietas eius, quòd eſſet gratus non Deo modò, ſed etiam adminiſtro huius beneficii. vnde diſcimus non Deo ipſi modò honorẽ exhibendum, & gratias habendas, ſed omnibus etiam nuntiis & miniſtris Euangelii & gratiæ Diuinæ.

20 *Quum flamma aſcenderet.* Miraculo denũtiat, & magno beneficio. *Ceciderunt in faciem.* Partim

timore,partim pietate,vt adorarēt. Solent autem omnes etiam Sācti cōſternari ad viſionē Angelorū,quia cæleſtes ſunt illi,& ignis. terrena autem non poſſunt ſuſtinere cæleſtia, niſi mutata,& perfecta:mutatio autē ſine morte fieri non poteſt,&c. Porrò mortem omnes horrēt. In verſu 23,propoſitio eſt, Singulari fide prædita fuit hæc mulier. Nam Dei beneficiū ita eſt complexa,vt Dei beneuolentiam ſibi certò adfore perſuaderet. Diuinæ acceptationis duo habet argumēta:vnū,quòd ſuſcepiſſet Deus ſacrificiū. Ita acceptus Abel in ſuo ſacrificio,ſimiliter & Salomon, vt Deus in conſtructo templo vota audiret, igni de cælo delapſo. Hinc diſcendum quòd eſt confidendum,dum Deus beneuolentiam ſuam exhibet: exhibet autem ſubinde,quòd vitam tuam conſeruat tibi,& mala auertit.

24 *Et peperit.* שמש ſignificat ſolem: ab hoc videtur Simſon nomen traxiſſe.ſed incertis non inhærendum. nam per hæc fides infirmatur. ברך benedicere ſignificat,ſed & beneficentiam. Ita Iacob munera ſua,benedictionem vocabat quæ Eſau offerebat,id eſt beneficium. Quum ergo dicimur benedici,ſignificat nobis benefieri:quū autem nobis benedictio tribuitur,ſignificat quòd nos laudemus,& celebremus. vnde Marcus in inſtitutione Cœnæ, Quum benedixiſſet, fregit, &c. Deus ornauit Simſonē multis pulcherrimis dotibus:& eſt eadem benedictio quæ Chriſto & Iohanni tribuitur, Creuit puer ſapientia,&c. *Marc 41.c.22*

25 *Et cœpit Spiritus mouere eum.* Singulari motu,prout occaſio ferebat. Nam verbum Hebræū paſſus ferè ſignificat, vt intelligas Spiritum Dei non perpetuo motu eum inuaſiſſe. Hîc docemur primò, certam eſſe Domini promiſſionem, vt tale argumentum facias, Sicut indubitatò euenit Simſoni quod Deus prædixit: ſic tibi eueniet quod prædixit. Deinde veriſimile eſt nomen Solis impoſitum eſſe puero vt præſtantiam ſignificaret. ſin verò id non eſt,dubium tamē non eſt quin nō ſit fruſtra. Locus ergo eſt, Quibus de cauſis nomina imponi debeant:aut qualia ea ſint quæ aut memoriam acceptorum,aut certitudinem futurorum promiſſorū refricēt Confirmatur promiſſum de puero, quòd eſſet Iiſraelem liberaturus. ergo oportuit vt lucem tenebris adferret. Deinde quòd Deus benedixit Simſoni, cui dicta promiſſio facta erat: vt proinde habuerit opus inſtrui præclaris virtutibus. Quod propter duo commemoratur. vnum, vt confirmaret promiſſionem Manoa: alterum, quòd Deus maturè eos præparet ad munera quæ illis iniungit:quemadmodum Paulus ad pedes Gamalielis inſtitutus fuit,etſi negaret Chriſtum. hoc ita prædictum eſt vt plerunque contingat,non ſemper. Deinde, quòd Spiritus Domini afflauerit Simſonem:loquutus eſt nō de afflatu quo Deo crederet,aut benefaceret. nam hoc eſt donatus quū ei Deus benediceret. Ego(inquit Chriſtus)vos baptizo Spiritu ſancto. quæ ſunt actiones inſolitæ & immenſæ explicandi Scripturas de Chriſto,& miracula faciendi:quod fiebat tēpore Pentecoſtes. Antea enim Apoſtoli etiam acceperant Spiritum ſanctum, ſed vt crederent: hic afflatus talis erat,vt miraculoſa quædam facerent:ſicut Saul,alius fuit vir factus poſtquam Spiritus Domini eum inuaſit. Sic Simſon,vt clarum eſt,quum ligaſſēt eum Philiſthæi,eſt verè typus in quo deſignat actionem Dei. Deus enim ſuo loco & tempore quemlibet ſuo Spiritu impellit ad id quod officii eius eſt,& vt Eccleſiæ conducit. itaque interpellationē Spiritus expecta à Domino ſuo tempore, nec te deſtituet. Hic afflatus ideo deſcribitur vt videas de promiſſo Dei non dubitandum:nam diſcipulis dicebat Chriſtus, Nolite diffidere,in illa hora dabo vobis quid loquamini. Hæc demonſtratio vera eſt, tibi euenturum quod Simſoni euenit:eius principium eſt quòd Deus non mutatur.

IN CAPVT XIIII.

IN hoc capite facta Simſonis commemorantur,quibus cœpit populum Dei liberare. Propoſitio generalis in hoc capite eſt, Deus inſolenti,& in ſpeciem vitioſa ratione,initium fecit liberandi populū per Simſonem. Inſolenti, quia occaſione vxoris ductæ occidit triginta viros: deinde,quia vxor eius euulgauerat ænigma. denique, quòd aliquos combuſſit. Oportuit Simſonem alienam ducere vxorem: deinde leonem occurrere. Præterea fauum in eius ore reperiri, vt fieret ænigma. Primum inſolens & vitioſum eſt,ſecundum & tertium itidem. Tria hæc,occaſiones belli fuerunt. Alienigenam duxiſſe memoratur verſibus ad vndecimum vſque: quorum propoſitio eſt, Simſon arcano Dei conſilio duxit alienigenam:quum Dei conſilio factum eſſet, vitium tollitur. Locus autem hîc eſt, De non ducendis alienigenis:item vxorem non ducendam inſciis parentibus:atque hic aliquid iuris matri etiam traditur,quod in iure non fit.

1 *Deſcendens.* Hìc eſt propoſitio, Simſon vxorem alienigenam arcano Dei conſilio, ſpecie vitioſa,duxit, quæ eſſet cauſa & occaſio liberationis. vitioſitas tota eſt in eo quòd alienigenam duxit:verſu tamen quarto declaratur arcanum Dei conſilium. *vidit mulierem.* Hoc ſpecie erat vitioſum:quia vetitum ſeptimo Deut. inhibitum re non erat, quia Diuino conſilio factum ad reprimendam tyrannidem Philiſthæorum.

2 *Indicauit patri.* Hic exemplum habes laudabile:nam parentibus obtemperat,nec niſi cōſen-

ſu patentis vxorem ducit. Deſcribitur ergo hic officium filialis obedientiæ & reuerentiæ quæ
debetur parentibus. In omnibus rebus grauibus, & difficilibus, conſilium peti debet à pruden-
tiotibus ergo filii debent conſilium teferre parentibus,& ab iis petere: hæc eſt reuetentia filialis
erga parentes. Eſt præterea obediẽtiæ filialis, manere in patria poteſtate, donec parẽtes ipſos ma-
Gen.2.d.24 numittant. Eſt enim in matrimonio manumiſſio quædam, quia deſeret homo patrẽ & matrẽ,&
adhærebit coniugi, &c. Eſt ergo inobedientia, quando ſine arbitrio parentum, filii ſe elocant.
Non eſt tamen hæc perpetua lex, ſicut omnes leges quæ hominis cauſa ſunt conſtitutæ. Poteſt e-
nim incidere caſus & neceſſitas, vt præſtet diſpenſare, quàm ſummum ius ſeruare. Poteſt etiam
fieri vt duriores parẽtes, aut non velint iuſto tempore elocare, & dimittere liberos, & protrahere
matrimonii tempus vltrà quàm ferri debeat, aut obtrudant coniugem impium, aut ineptum.
tunc non tenet hæc lex: quia tum parentes abutuntur ſua poteſtate, quæ Dei eſt, & tunc confu-
giendum filiis eſt ad ſpirituales, vel patres patriæ, vel cognatos: vt tamen non ſuo arbitrio veniſ
ſe in matrimonium videantur. Res enim magni momenti, non ſine conſilio prudentum ſunt
peragendæ. *Matri ſuæ.* Hic nota etiã matris intereſſe, ſtatuere de matrimonio filiorũ. quòd ſi de-
ſit maritus, adhibẽdi ſũt matri in cõſiliũ, patris cognati vel amici. Et hoc habet lex Imperatoris.
3 *Cum filiabus fratrum tuorum.* Hic vides reprehendere parentes conatum filii, quia incircun-
ciſam ducturus erat, à qua illi erat periculũ ſeductionis, & non ſpes emendationis: facilius enim
mala perſuadentur, quàm bona. Eſt autem hæc rurſus lex de hominibus, quæ etiam ferre poteſt
ἐξανόρθωμα, id eſt correctionem. Erat autem hic Diuina diſpenſatio, cui meritò debent huma-
na omnia cedere. *Et in omni populo meo.* Quaſi dicat, Adeò non debes infidelem ducere, vt dum
vna ſupereſt in populo fideli, ſumma cura debeas abſtinere ab alienis, & infidelibus. Præponit
autem filios fratrum, populo. Verùm videmus & paſſim in Sacris literis, connubia cognaturũ,
& conſobrinorum licuiſſe, & fuiſſe laudata in Veteri teſtamento. Et lege Imperiali etiam conceſ
ſæ fuerunt nuptiæ conſobrinorum. In Eccleſia Noui teſtamenti, cognatorum coniunctio veta
tur. Educatio magis conſentiens, & morum ſimilitudo in Veteri ſpectata eſt. Ad hoc, opus eſt
morum ſimilitudine, & pari pietatis ſtudio. In Nouo, hoc reſpexerunt, quia reuerentia quæ-
dam ſanguini debetur à qua coniunctio matrimonii videtur eſſe aliena. vnde dicit Scriptura,
Leuit.18.b.16 Pudẽda vxoris fratris ne detegas, vt eam ducas quæ illi nupta fuit: ita de vxore patrui. Præterea
cauendum eſt pudicitiæ, & conſeruanda caſtitas legitimo matrimonio. vt igitur caſti inter
ſe viuerent, prohibitum fuit matrimonium eis, ne conſuetudine hac licita, ante matrimonia
coniungerentur. vnde prohibitum etiam erat adoptatas ducere: aut nubere matrem adopta-
ti, propter reuerentiam. Sed hæc cauſa non eſt valde magna. poteſt incidere vtilitas huius ma-
trimonii tanta, cui hæc deberet poſthaberi. ideo mihi placeret propter vicinorum offenſionem
vitandam, interdici matrimonium conſobrinorum: vt tamen penes vnamquanque Eccleſiã
maneret poteſtas diſpenſandi, ſi incidat cauſa magna. *In oculis meis.* Id eſt placet mihi: & hæc eſt
nõnulla ratio. Quæritur enim vt ſint duo in carnem vnam: quòd ſi ſtulta ſit ratio filii, debet ea
coerceri, & cedere conſilio patris, & reprimi noxium conſilium filii. Debet autem placere, pri-
mùm propter pietatem & religionis ſimilitudinem. Neque enim poteſt eſſe fidelis marito, quæ
infidelis eſt creatori. Deinde poſt hãc, debet placere propter occultam morum ſimilitudinem,
& animorum conſenſionem: ideo hæc eſt vna ex præcipuis rationibus. Neque debet obtrudi à
parente, filio quæ non placet: neque etiam prohiberi quæ placet. Debet autem filius diligenter
perpendere cur placeat vel non placeat: ne (vt ſolet plerunque fieri) carnali quodam & vitioſo af
fectu placeat, vel diſpliceat. Talis affectus ſi ſit in filio, debet eum corrigere pater.
4 *Quod à Domino erat.* Hoc verſu 4, id exprimitur, quòd arcano Dei oraculo hoc fecerit Sim
ſon: & eſt propoſitio, Volũtas ducendi alienigenam, ſpeciem habebat vitioſam, reipſa non erat:
non enim eſt vitioſum in ſe, quod Dei conſilio iuſto fit, modò ab homine iuſtè fiat. quærebat e-
nim Deus occaſionem vltionis. id quod hac occaſione prima commodè contigit. Et vides hîc
quàm remotas ſæpe occaſiones Deus quærat, & iudicia ſua ſumat. Parentes hic vrgebant rem
præceptam expreſſè in Lege Domini: contrà, filius apertè prohibitam. quis igitur non iniuſtũ
Simſonem iudicaret qui contra Dei præceptum hoc vrgeret, & contra pios parentes, ſi in ſuo
inſtituto, quod expreſſo Dei verbo nitebatur, perſtitiſſent, neque ceſſiſſent? Sed contrarium om-
nino erat: rectè aſſeruit parentes ſuo iure, & filius perſtitit. Ergo aliquando in rebus humanis cõ
tingunt iudicia Dei, repugnantia Legi eius: quibus tamen non reſiſtendum eſt, ſed diligẽter eſt
attendendum, quando ſint eiuſmodi iudicia. alioqui dum non eſt ſingulare Dei opus, & con-
ſilium, ſemper nos debemus commune præceptum, & ordinẽ legitimum ſequi. Obſerua ergo
hîc, quòd ſæpe legitimæ Dei viæ, boni viri arcano Dei conſilio aduerſantur: quibus tamen non
eſt reſiſtendum, ſed iudicio Diuino concedendum. Deinde vides hîc longiſſimè petitam vltio-
nis occaſionem à Deo: vbi nota, diligenter expendendum, & circunſpiciendum in rebus Diuinis

nequam vtcunque remotam occaſionem prætermittamus promouendi conſilium Dei.

5 *Ecce catulus leonis*. Hic deſcribitur initiatio Simſonis in munus ſuum virtute Diuina & miraculoſa. Reprimit virtutem inimicam apparentem in leone. omnis virtus enim in animali infeſta homini, eſt à Satana. Lege enim Dei ſubiecta debent eſſe homini, & ſerua omnia animalia. Sic etiam Dauid initiatus fuit.

4 *Nec indicauit*. Debebat enim hac arcana & Diuina initiatione initiari, non comprehendenda humana ratione. erat ergo pietatis, quòd hanc arcanam initiationem non reuelar ne parentibus quidem. Diuina enim non ſemper, niſi ſuo tempore reuelanda ſunt.

7 *Rectáque uiſa eſt*. Hic pius amat non ſemper amandam, & quam poſtea erat oſurus. In quo deſcribitur nobis omniũ piorum cõditio, qui de omnibus facilè bonam ſpem concipiunt, & amant quoſvis. Quòd autem ſpõſalia prius celebrauit quàm nuptias, inde eſt, quia natura omnes graues res requirunt iuſtum deliberationis tempus. vnde grauiter hodie peccatur, quòd non contenditur renunciatio donec nuptiæ conficiantur. Ergo hic habes exemplũ, non ſtatim poſt ſponſalia nuptias eſſe celebrandas, vt ſit tempus mutandi conſilii, ſi quidem expediat. Vnde videtur Chriſtianis renuntiationem ſponſalium eſſe licitam: vt in magni momenti rebus ſemper certum tempus datur mutandi conſilii. Obiicitur, Quod ſemel placuit, ſemper debet placere: verum eſt, ſi ſit ſemper bonum.

10 *Examen apum*. Alterum miraculũ & occaſio liberationis à tyrannide. AEnigma enim inde oriens, fuit occaſio & initium liberandi à tyrannide. Hinc autem vides multum temporis interceſſiſſe inter ſponſalia & nuptias. Nam interea apes mellificauerant, & fauos atque alueos extruxerant in leone occiſo: ad quod opus erat aliquo tempore. veteres enim iuſtum tẽpus deliberandi permittebant.

8 *Facere ſolent*. Ex officio igitur eſt facere tale conuiuium. Naturale enim eſt, vt quotieſcunque aliqua res grata & vtilis obuenit, gratulationis ergô conuocare amicos, & conuiuia cum illis celebrare gratulatoria: ſed debet id moderari pius animus. Hic ergo nota pietatis eſſe tale cõuiuium in nuptiis celebrare. nã pietatis eſt, vbi ſingularia Dei beneficia nobis contigerunt, gratulari, & cum gratiarum actione frui liberalius Dei donis. Quòd autem tale beneficium in nuptiis contigerit, inde conſtat, quia mulieris caput vir, corpus & adiutoriũ inuenit. hoc adeò Deus non vetuit, vt ipſe nuptialibus cõuiuiis interfuerit. hinc alibi, Epulamini corã Domino. Sic hic erat pia gratulatio, propter ingens beneficium quod contigerat. Commendatur ergo hic humanitas Simſonis, ſed magis Diuina occaſio. Deut.12.b.12

11 *Triginta ſocios*. Eſt enim naturale cõgaudere gaudentibus: & pius non poteſt ſolus verè gaudere, nonniſi congaudẽtibus aliis. *Proponam nunc*. Hic eſt propoſitio, Simſon propoſito ænigmate aperuit occaſionem ſumendæ vltionis. Quòd autem iuuenes illi receperunt conditionẽ tam duram, fuit vltionis Diuinæ, quæ ita dementauit eos vt iam fato cogerẽtur recipere. & deinde vbi non poſſunt ſoluere, conuertunt ſe ad id cõſilium quod ipſis erat futurum maximè noxium.

12 *Proponam uobis*. Deſcribitur hic Simſon luſiſſe cum ſodalibus, luſiſſe ænigmate magno: quæ licet plerunque in vitio ſint, hic tamen vt officia commemorantur, etiam quantum attinet ad Simſonem: & non ſolùm vt erant Diuinæ præparationes ad vltionem de Philiſthæis ſumendam. Nam vt typus Chriſti & vir virtute heroica præditus, Simſon nobis deſcribitur. Poteſt igitur aliquando ludere, eſſe in officio humanitatis, præſertim ſi in ludo ſit exercitatio ingenii, vt hic erat ex propoſito ænigmate. Pignus depoſitum valebat ad acuendam induſtriam, & ſtudioſam inquiſitionem. in vitio ergo ludus eſt, quando non eſt conſultæ, & ædificatricis humanitatis opus. Hoc eſt diſcrimen inter Sanctos, & non ſanctos ludentes, quòd Sancti ſemper ludũ ſuum ad vtilitatem eorum quibuſcum ludunt, referunt: impii autem tantùm ſuum commodũ quærunt, & incommodum eius quocum ludũt. Ludus ergo liberalis, eſt actio quædam humanitatis qua oblectatio quæritur: ſed ea vtilis iis quibuſcum agitur. Ita enim infecti ſumus natura ſtultitia, vt niſi ingenium humanum interdum recreetur ludicris rebus, fatigetur. Inde videas ſæpe ſanctiſſimos viros ſeriis rebus immiſcere ludicra. Ludus ergo eſt liberalis actio quædam, habens contẽtionem vel virium, vel ingenii, vel fortunæ, in qua eſt oblectatio vtilis ei cum quo agitur, & ei qui agit. Hinc facilè apparet quid ſit in vitio, & quid in laude, & virtute. Quòd autẽ Simſon magno luſit, id fuit Diuini myſterii, vt eſſet occaſio liberationis, quum alioquin ſemper vitium ſit, magno ludere.

15 *Perſuade uiro tuo*. Hic deſcribitur poſtulatio hominũ ſæua, & dura, atque vitioſa, vt vxor Simſonis viro eblandiretur interpretationem ænigmatis. Vitium in eo erat, quia illi minantur incẽdium: deinde quia illi ex ludo faciebant iurgium, & contentionem: id quod vitium eſt. In omni luſu ergo vitium hoc eſt deteſtandum, vt ſi non benè cadat fortuna luſus, velis eo commoueri: quòd ſi omnino hoc tibi vitii inhæret, & animus tam puſillanimus atque muliebris, vt fortuna

parum fœlici mouearis, debes abſtinere à luſu.

16 *Eat patri non indicaui.* Hic propoſitio eſt, Simſon vxorem celauit hoc ænigma. Et additur ratio à maiori, quia celauerit parentes. Ergo interdum boni viri eſt, celare etiam charos. Quare hic diſce nihil cuiquam dicendũ, niſi quod dictum ad vniuerſam Eccleſiæ & illius priuatam vtilitatem ſeruiat. Rectè igitur reſpondit Simſon: vnde rurſus diſce, quædã celanda vxorem, & non parentes: & rurſus quædam parentes, & nõ vxorem. vnde diſcimus locum generalem, Nemini quicquam ſecretum dicendum, quod illi ſcire, non gloriæ Dei, & vtilitatis Eccleſiæ interſit. Quãobrem vitiũ eſt inquirere arcana quæ ad te non pertinẽt. Cõmendatio ergo eſt ſilentii & taciturnitatis, & vituperatio garrulitatis. *Patri & matri non indicaui.* Hoc nõ videtur eſſe bonũ argumentum. nam ſcriptum eſt, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori. Ergo maior debet eſſe conſuetudo domeſtica & coniunctior amor erga coniugem quàm parentem. Hoc verum quidem eſt: ſed tamen hoc eſt bonum argumentũ: nam maior debet eſſe reuerentia erga parentes, quàm coniugem: & prudentioribus magis debemus aperire arcana.

17 *Et fleuit* Hic vides mirabilem efficaciam precum. Et habes hic primùm, fugiẽdam eſſe omnem coniunctionem, & amorem malorum: quia ad perſuadendum mulier mala eſt efficaciſſima. Eſt autem hic deſcriptum peccatũ Simſonis, ſed fatale: & deſcribitur hic præpoſteræ fœlicitatis Simſonis euentus, quia vxori reuelauerat ſecreta reticenda. Ergo malũ eſt prodere ſecreta: & præpoſtera eſt facilitas qua patimur nobis extorqueri ſecreta. Cæterùm à natura omnibus innatum futilitatis vitium. Eſt autem futilitas vitium enuntiandi ſecreta iis quibus ea reuelata non proſunt. Debemus ergo ſemper conari vt id vitium extirpemus. *Totos ſeptem.* Id eſt totum reliquum tempus huius ſeptimanæ. Nam tertio demũ die venerũt ad eam. ergo quatuor tantùm dies fleuit: & eſt ſynecdoche Scripturæ frequens. *Indicauit ei.* Nam natura eſt nobis innatũ, vt omni petenti demus, ſi poſſumus: quia filii Dei ſumus. Nota autẽ hic, totos ſeptẽ dies cõuiuium duraſſe. Conuiuium enim non damnatur, ſed abuſus & intemperantia: & quando vides 1.Cor.5.d.11 conuiuium non eſſe ſacrum, & piorum epulum, debes vitare, quia ſiquis frater eſt ebrius, &c. cum eo cibum nõ ſumas. ſed contrà, eſt vitioſum nolle in nuptiis conuiuium inſtituere, quum bonos habere potes, & exemplum exhibere bonum: quia Sancti laudantur præbuiſſe conuiuia. *Niſi araſſetis.* Prouerbium erat de eo qui non ſua, ſed aliena induſtria aliquid perficit & cõparat.

19 *Percutiens triginta.* Hic vides effectum fraudis vxoris Simſonis, & violentiæ propinquorũ, quæ effecit vt triginta viri occiderẽtur: & hoc fuit initium vltionis, & lõginqua præparatio ad liberationem. Prima ergo propoſitio huius verſus eſt, Deus excitauit Simſonem vt inciperet ſumere vltionem de Philiſthæis: altera, Mala eſt fraus & violentia. nam fraude & violentia excitata eſt hæc tanta flamma. Tertia, Vbi Spiritus Dei inuadit homines, iis iam nihil poteſt reſiſtere. In hoc ergo loco, hæc debemus animaduertere. Primò, Deus quum ſuum tempus aduenit, vltionem ſumit de hoſtibus populi ſui per eos quos ad id Spiritu ſuo excitat, & inuictos facit. Alterum, fraude & violentia vltio Dei prouocatur. Tertium, agenti Spiritu Dei, nihil impoſſibile. *Et dedit mutatorias veſtes.* Hic altera eſt doctrina. Illi fraude egerant, tamen ſeruat fidẽ. poterat cauſari, Certamen erat de ingenio, an vos veſtra induſtria, & acumine poſſetis id inuenire. ſed vos dolo & violentia extorſiſtis: non ergo ſtetiſtis pacto. Sed hoc non cauſatur: verùm vt vir heroicus, voluit nullã ſuſpicionẽ ſubire fidei nõ ſeruatæ. Hic ergo duo nota. Vnum, virorũ ſanctorum eſt prolixiſſimè fidem pollicitam ſeruare, etiam quũ poſſint aliquid cauſari probabile, ſi modò cum Deo poſſit ſeruari. Sancti enim malunt prolixius promiſſa præſtare, quàm par ſit, quàm maligni. Quanuis non deberet Simſon, tamen pacto ſtetit. Ergo nulla vel ſuſpicio ſubeunda pactorum violatorum. Deinde, hic nota fraudem autori malam eſſe. ſunt redditæ veſtes: ſed nimis magno comparatæ. *Et ſuccenſæ nares.* Id eſt ira commotus eſt: nam ſanguis iratorum ad cor concurrit. Vnde irati denſum quiddam & calidum ſpirant. Ergo ex effectu ira deſcribitur. Fuit autem fraudi indignatio, & id meritò: vnde relicta vxore & ſocero ad domum parentis abiit. ſed hoc totum fuit fatale. Hic ergo nobis notandum, Spiritum Dei ſicut homine vtitur, ita omnibus quæ in homine ſunt, & quæ homini accidunt, vti: nihil ergo fit fortuitó. Spiritus Domini alibi præcipit ne patiamur ſolem occidere ſuper irã noſtrã: hoc non videtur feciſſe Simſon. Ira eſt appetentia vindictæ propter contemptum, & iniuriam nata. Debemus ergo talem iram priuatam deponere. Debemus tamen nihilominus iraſci vitiis. Ita Chriſtus indignatus eſt, & hic Simſon. Voluit autem hic iraſci Simſonem Deus, vt relinqueret vxorem, & illa alteri traderetur, & ſic pœnas darent. An autem rectè iratus fuerit Simſon, non eſt certum. Poteſt enim etiam priuati contemptus cauſa hoc feciſſe. Eſt ergo quædam ira vitioſa, & quædã officioſa. Vitioſa eſt, quando priuati contemptus cauſa: officioſa, quando Diuini contemptus cauſa, aut vitiorum cauſa iraſcimur.

20 *Vxor verò Simſon facta eſt.* Hoc vt vitium commemoratur. licet tamen vxorem relictam, al-

teri tradere: ſi ſit iniuſtè relicta, & ſine cauſa, & ſi habeatur iam pro derelicta. *Socii ſui.* Hîc deſcribitur iniuria, & eo maior, quia à ſocio & amico. Vides autem hîc damnari intempeſtiuam ſeparationem eorum qui coniũgi debent: nõ debebant aliqua disiungi: & ſi disiuncti fuerint, debebant occaſione eos coniungere. Hîc ergo nota, tametſi confirmante diuortium altero, & iam diſcedente, fidémque pacti connubialis violante, alter coniugũ non tenetur ſeruitute diſcedẽtis: nihil tamen prætermitti debet quod facere poſſit ad reconciliationem, debétque huic iuſtum tẽpus concedi.

IN CAPVT XV.

1 F*Actum eſt autem poſt dies.* Quòd ad ſemel relictam voluit redire, id rurſum fatale fuit: poterat tamen etiam eſſe officii. Et hîc vides manſuetudinem Simſonis remittentis iram. Ipſe offenſus prior, redit, & redit cum dono, & deprecatione, quum meritò illa debuerat eum rogare, & reconciliare: tamen ille prior facit.

2 *Dicendo dixi.* Propoſitio eſt, Non debes iraſci, quia putás me bene facere, hæc feci, putabámque eam ex officio à te relictam, & repudiatam: & vt videas me non malo animo feciſſe, dedi tuo amico & ſocio, vt tamen aliquo modo tibi cohæreat. *Dabo* igitur *tibi ſororem eius formoſiorem ea.* Hîc autem rurſus occurrit locus de affinium coniugio, & cognatorum. Deus in Lege ſua hunc gradum non prohibuit: prohibuit quidem vxore priore viuente eius ſororem ducere: ſed ea mortua conceſſit hunc gradum. Piæ manſuetudinis eſt non ſolùm acceptam iniuriam remittere, ſed omni etiam ſtudio reconciliare ſibi eos qui iniuriam fecerunt: ſicut Simſon mulierem quã iure reliquerat, placare ſibi vxorem voluit, quæ iniuriam ſibi maximam fecerat. Manſuetudo, eſt animi placabilitas, qua accepta iniuria remittitur, & reconciliatur amicitia. In hoc verſu notatur præpoſtera feſtinatio in elocanda deſerta filia. Deinde tamen humanitas, quòd ſocio, & non alieno dederit. Tertiò, notatur mos eius temporis, quòd licuit piè vxoris quæ odio habetur, ſororem ducere: ſed obfirmato alteri locãda eſt, quia fidelis mulier infideli & diſcedenti marito obnoxia non eſt, vt dicit Paulus 1. Corinth. 7. b. 15. Sed nihil prætermitti debet, quouſque ſpes aliqua ſit vt recõcilietur diſcedenti: quod quũ hic Thimneus non feciſſet, peccauit. Deinde nota, amicorum vxores relictas. amicis tradi humanum eſſe, & cum Lege Dei cõſentaneum. iuſta igitur hæc fuit cauſa placationis quam Thimneus hic offerebat: ſic erat tum etiam ſororem offerre. Nunc verò ſunt ſeruandi gradus affinitatis & conſanguinitatis, quos magiſtratus quilibet deſcribit, iuxta illud Petri, Omni humanæ conſtitutioni parendum eſſe. 1.Pet.2.c.13

3. 4 *Capie treantur.* Hic altera deſcribitur vltio: & eſt propoſitio, Simſon reiecta excuſatione Thimnei, iniuriã ſibi illatã queritur. *Inſhor ſum.* Id eſt habeo iuſtam cauſam eos in vniuerſum affligendi. Hîc quoque vltionis deſcribitur inſtrumentum mirabile. Deſcribitur in quintò ipſa vltio. Videtur autem ratio Simſonis non bona, qui propter paucorum peccatum, totum populum punire ſe iuſtè dicit, quum Deus præceperit nequis propter aliena peccata puniatur. Sed non eſt malum. oportet enim in his omnibus meminiſſe, Simſonem fuiſſe mirabile Dei & iudicii eius inſtrumentum. Deinde erat hoc peccatum publicum, quòd illi impii tyranni dominabantur populo Dei. Et Deus ſolet ſæpe præcipuas cauſas operum, aut vltionis ſuæ tegere, & cauſas non omnes adducere. Iudicia igitur Dei ſæpe non habẽt patentes cauſas: & ſæpe quæ adferuntur cauſæ, ſunt minima pars cauſarum. Oportet ergo in his omnibus primum fundamẽtum ponere, Deum iuſtum, neminem iniuſtè punire: & licet verum ſit illud Ezechielis, Neminẽ iuſtum filium dare pœnas iniuſti patris peccatorum: tamen ſemper hoc verum manet, Deum in tertiam, & quartam generationem, patrum peccata vlciſci: ſed in filiis iniuſtis. Sic impii patris impius filius pœnas dat. id eſt, quia peccatorum & impietatis paternæ, filius ſe facit participem: ideò oſtendunt ſe dignos qui patrum pœnæ & vltionis fiant participes. Sic hîc omnes illi, & totus populus, participes ſe peccatorum Principum faciebant, quia iniquè populum Dei ſeruitute premebãt. Sed hanc cauſam Deus regit. *Innocentior.* Simſon de iure teſtatur ſuo malefaciendi Philiſthæis in vniuerſum, quum tamen tantùm læſus eſſet ab vxore, patre eius, & ſodali ſuo qui vxorẽ duxerat. de iure igitur intelligi debet ſtatus eſſe iudicii Diuini, Diuina non præſcripta hominibus ratione, exercendi. Meriti erant vniuerſi Philiſthæi à ſeruatore populi Dei affligi propter tyrannidem quam in populum Dei exercebant: ad iudicium igitur hoc Dei iuſtè exercendum in vniuerſos, ſatis erat occaſionem dari à paucis. tegere enim Dominus iudiciũ ſuum, quòd ad cauſam attinet, voluit: & cognoſcendum relinquere ex admirandis, & omnes vires humanas ſuperantibus facinoribus Simſonis, quibus puniti ſunt. Cæterùm ſatiſfactio ſoceri admittenda, & iniuria remittenda fuerat. Præterea etiam animaduertendum hîc eſt myſteriũ communionis quæ eſt inter homines, ſicut & peccatorum, & benefactorum, ita etiam pœnarũ & præmiorum. Vnum miraculum in his vulpibus erat, tot capere. Deinde illas viuas capere. Ad hæc eas quaſi cicures tenere in manu, vt poſſis binas colligare, & adiungere caudis earum faces, ſicque incendere omnia. ſic facit ſtultam rationem, humanámque ſapientiam, mirabili, &

Ezec.18.e.10

in ſpeciem ridicula ratione: vt diſcamus Deo perinde eſſe quibuſcunque mediis vtatur, & ideo non in mediis quibuſcunque ſpem collocemus, ſed in ſola Dei bonitate. Sic hîc mirabili medio vltus eſt hoſtes populi Dei. Sancti patres in his omnibus allegorias mirabiles quærũt, ſed incertas & dubias: at nos ea prætereamus, & in his omnibus anagogem ad Chriſtũ faciamus, cogitemúſque eundẽ qui tum per Simſonẽ populũ Dei liberauit, eſſe noſtrũ quoque mediatorẽ. ideo non dubitemus ſi nos deficiant omnes ſolitæ viæ liberandi, tamẽ Deum facilè inuẽturum media quibus liberet nos: & ſi alia non habeat, vel vulpibus vſurum. Ergo Deus in heroico viro, hãc admirandam, & rationi humanæ inſolentem rationem adhibuit populi ſui liberandi. hinc ergo diſcas hoc in primis curare quo te & res tuas Chriſto ſeruatori tuo per omnia permittas, de via & ratione auxilii ferendi, non plus ſolicitus quàm Dominus ipſe in manus dederit: cui perinde ſunt omnes viæ, omnes rationes, omnia inſtrumenta. In verſu quinto rurſus deſcribitur vltio ſatis crudelis, & expreſſe contra Legem. multi innocentes & boni ſecundum humanã rationem, hîc coguntur pœnas de alieno peccato dare. ſed hi omnes nihil immeriti paſſi ſunt: omnes enim grauiora meriti erant. Crudelis ergo, vt apparet, vltio deſcribitur, qua cibus etiam infantibus, & innocuis hominibus ereptus eſt: ſed quia ſolo originali peccato erant omnes meriti grauiora, nulli facta eſt iniuria: ſicut nec nobis fit, quando paria, vel atrociora ab hoſtibus patimur. quod ex hoc & ſimilibus locis cogitandum eſt.

6 *Et combuſſerunt*. Hic deſcribitur priuata vltio qua in domum vxoris ſæuitum eſt: & hîc vide quàm crudeliter vlciſcitur Deus ſummè miſericors hoſtes populi Dei. Nam qui populum Dei lædit, is eo Deum ipſum lædit. Habes igitur hic exemplum iudiciorum Dei, quæ ſunt abyſſus multa. Hic ergo etiam vides mercedem fraudis: vxor hæc metuens & fugiens incendiũ, præcipitat ſe in incendium. Ergo noxium eſt quærere vtilitates, vt à virtute recedas. debebat illa ſe ad Deum conuertere in minis iſtis, & cogere maritum, legitimum patronum, vt ſe defendat ab hoſtibus: hoc non fecit. Hæc vltio crudelis & illegitima erat, tamen propter communionem cõmunis impietatis, tum etiam quòd mulier iſta, prodito marito, incendium effugere voluit, digna fuit vt eo ipſo in incendium ſe præcipitem daret: vti eſt omnis euentus prudentiæ carnis, quæ externa commoda quæ apparent tantùm, nec exiſtere poſſunt, præfert iuſſis Dei.

8 *Crura cum femoribus*. Ionathas Chaldæus per crura, pedites: per femora, equites intelligit. quaſi dicat, Omnia occidit. Sed Rabbi D. Kimhi interpretatur, quòd præcipites eos dederit, vt pedes cũ reliquo corpore iungerentur, vt Germani dicimus. Sed nihil certi eſt, neque opus eſt. Hic diſcamus ſaltem arcana Dei cõſilia, quibus vlciſcitur populũ ſuum de hoſtibus eius. Quòd autem denuo vlciſci ſe de illis Simſon voluit, id ſi fecit vt ſuæ libidini ſatisfaceret, peccauit: ſed quia id expreſſum non eſt, non debemus viro heroico, & qui vt typus Chriſti præſcribitur, hoc vitii aſcribere. Certum eſt quòd Deus plerunque inſolenti ratione, etiam meritas pœnas de meritus ſumit, & per eos qui plerunque aliud ſpectant. ſic nos hodie per Turcam punit.

9 *Et aſcenderunt*. Hic habes quòd Philiſthiim voluerunt vlciſci acceptam iniuriam. illud deſcribitur tanquam eis exitioſum & malè cadens. Igitur ipſi non agnoſcentes malum Diuinitus immiſſum, & illud iniuſſu Dei volentes propellere, & rependere, duplicauerunt. Diſce ergo hîc quòd nunquam Deus malum propellere ſuo iniuſſu ſinit: nam illorum malum duplicat. Debuerunt illi quidem ſuos defendere ab iniuria à Simſone illata, ſed non inauſpicatò: quia à Deo omne malum immittitur. ille ſolus cædit: nos ideo debemus dicere, Deus tu nobis immittis hoc bene meritum malum. & diligenter circunſpiciendum num Deus velit nos propellere hoc malum, aut ei nos ſubiicere. quod ſi videbitur bonum & Deo placitum propellere, debemus aggredi in nomine Domini, Deo nos committere, & non priuato affectu agere, & ſic dicere, Domine in tuo nomine aggrediar ſi tu voles, ne eo duplica malum: fiat tua bona volũtas, & tibi me dedo. Tertiam vltionem adiicit Simſon, & rurſum inſolẽtem, & in ſpeciem, illegitimam: in quo rurſus locus extat ille communis, Deum de hominibus pœnam ſumere, rationibus quibus impii oſtenduntur, pii humiliantur, vt cauſas veras omnis vltionis Diuinæ à ſe reiiciant & amoliri ſtudeant. Nam rariſſimè Deus homines punit, vt non admiſcere videatur aliquid quod humanæ rationi iniquum videatur: ſed ita meretur noſtra iniquitas puniri, & conducit nobis ad id vt iudiciis Dei verè emendemur. Igitur propoſitio eſt hîc, Singulari Diuino miraculo vltionẽ de hoſtibus ſumpſit Simſon. probatur, quia vincula ligatus rupit quaſi fila: & quia mandibula aſini tot viros occidit. tertiò, quia effluxit aqua ex mandibula.

11 *Sicut fecerunt*. Habes igitur hîc duas propoſitiones. Docemur nãque quòd ſæpe dominia vertantur mirabili & non apparenti hominibus ratione, vt ſæpe habere poteſtatem videantur ii à quibus ablata ſit. Deus ſoluit imperia per bonos, & per malos: plerunque tamen à viris ſingulariter ad hoc excitatis, & heroica virtute præditis. Ergo videndum eſt an tales ſint qui ſoluunt. Duo igitur hîc diſcamus. Primùm eſt, Quandiu obtinet poteſtas, nec ſcimus eſſe ſublatam,

pareamus,quanlibet iniquæ. Deinde qui vult ſoluere poteſtatem, debet ſecum an Diuinitus ſit excitatus, & à Deo ad eam rem inſtructus,cogitare. Tertiò,vt videamus, Deum ſemper adeſſe nobis,etiam quum nobis minimè apparet. Altera ratio quare ligandus eſſet Simſon,hæc erat, Nemo debet publicam poteſtatē lædere,& malum accerſire vniuerſæ Reip. cupiditate priuatæ vindictæ:Simſon id fecit,ergo ligandus. Sed Minor negabitur. nam ipſe nō lædebat publicam poteſtatem: ſed ſoluebat ex Diuino iuſſu tyrānidem, & vindicabat ab ea populum. Simſon reſpōdet,& defendit ſe lege talionis:ſed ea paſſim in Scripturis,maximè Prou.24.d.29,prohibetur. Nemo enim debet inuadere iudiciū Dei,ſed pro malo bonum reddere. videtur igitur malè ſe defendere Simſon. Sed animaduertendum, Simſonem non priuata autoritate, aut affectu priuatæ vltionis hoc feciſſe:ſed exercuiſſe iudicium Dei,& publicam poteſtatem, & iudicium adminiſtraſſe, & vindicaſſe publicam libertatem. ergo rectè dixit. ſi igitur priuatam cauſam egiſſet, peccaſſet his verbis,

12 *Iurate mihi*. Hìc habes iuramenti religionem quo ſecuræ redduntur in periculo conſcientiæ. Hoc rectè petiit Simſon.ergo rectè aliquando & petitur,& præſtatur iuſiurandum. Iuſiurādum eſt confirmatio rei alicuius, inuocato nomine Diuino: nam mendax eſt omnis homo ſibi relictus. Itaque inuocatur nomen Dei quo confirmantur proximi. Eſt enim piorum, religione iuriſiurandi confirmare trepidantem proximi conſcientiam, & ſecuram reddere.

14 *Vociferarentur*. Hìc duo deſcribūtur. Primò, præmatura hoſtium lætitia. Deinde,ſubita ruptio vinculorum. Propoſitio ergo vna eſt, Virtus,& auxilium Dei adeſt ſubitò, quum ventum eſt ad extrema. Altera, Hoſtes populi Dei ſubitò vincuntur, & opprimuntur,quum iam viciſſe ſe putant. Sic Deus docet nos in extremis etiam periculis ſibi fidere: & ſic ſubinde hoſtium populi ſui ſuperbiam reprimit.

16 *Mandibula*. Quidam ſtulti,qui res Diuinas humana ratione metiuntur, illudunt hæc, & dicunt mandibulam fuiſſe bellicum inſtrumentum, aut * arcum: ſed falſa eſt illorum opinio. Fuit enim Spiritus Domini ſuper eum, cui perinde eſt quibuſcunque inſtrumentis rem perficiat:& plerunque inſolita ratione. vnde docemur vt omnia ponamus in manus Dei,& eius beneuolentia:ſed dum non ſingularem ad hanc rem habemus vocationem,debemus ſequi communem rationem,& mediis cōſuetis vti, non tamen diffidere,& ſoliciti eſſe de euentu. Hìc propoſitio eſt, Simſon admiranda ratione cecîdit hoſtes ſuos. probatur id ex inſtrumento & multitudine occiſorum. Deſcribit autem ſubinde Scriptura nobis illa admirabilia Dei opera, aut nullis ordinariis mediis facta, aut talibus quòd nihil prorſus ad opus ipſū induſtria cōtuliſſe videatur:vt nos doceat credere, Deum vbique præſto eſſe.& doceat nos rectum vſum inſtrumentorū, & omnem ſpem in nullis inſtrumentis ponere:ſed in ſola Dei bonitate, cui perinde eſt aut nullis,aut quibuſvis inſtrumentis vti. Quòd autem immundo inſtrumento vtitur, quum omnis immunditia contaminet Iudæos, maximè Simſonem Nazaræum, dicimus in neceſſitate quibuſvis mediis, etiam alioquin illicitis, vti licere. *Cum mandibula aſini*. Hìc propoſitio eſt, Simſon beneficium Diuinum ſibi collatum,magnifica gratiarum actione celebrauit: in quo ſingulare ſtudium religionis in eo notatur.

17 *Ramath Lehi*. Nam רמה collem ſignificat: alii, proiectionem mandibulæ vocant. Hìc autē propoſitio eſt, Simſon nomen loco à re impoſuit: vt memoriam latæ opis Diuinæ figeret. vnde diſcimus operum Dei ſtudioſè figendam eſſe memoriam.

18 *Sitienſque*. Hìc propoſitio eſt, Simſon grauiter ſitiens, inuocat Dominum pro potu,ad reſtinguendam ſitim. *Et nunc pereo*. Hìc propoſitio eſt, Cœpta gloriæ tuæ illuſtratio, & ſanctificatio, non eſt tibi Deus relinquenda, ſed proſequenda. Incepiſti per me gloriam tuam illuſtrare: igitur proſequere,nec ſine me perire ſiti. Nam illud detrahet gloriæ tuæ,quia veniam in manus incircunciſorum. Rectè igitur orabat: ideóque impetrauit. Eſt enim terra illa valde ſicca,& ſiticuloſa multis locis. Hinc autem diſce, quicquid gloriæ Dei per te illuſtrandæ ſeruiat aliquo modo,id confidenter ora à Domino,& impetrabis. Verùm Simſon non deprecatur ſimpliciter mortem, ſed mortem ignominioſam, & detrahentem Dei gloriæ. Ideo hìc animaduerte quare nobis ſit expetenda,vel deprecanda vita,aut mors,ea ſcilicet quæ ſeruiat gloriæ Dei ampliādæ.

19 *Molarem dentem*. Significat autem Hebræa vox מכתש, quicquid eſt dentatum, vt ſunt ferræ: qualia etiam ſunt ſaxa prærupta. *Reuixit*. Id eſt recreatus eſt. Habes ergo beneficium excitati fōtis vbi non erat, ídque cōſtans,& diuturnum. Deſcribitur ergo hæc propoſitio, Simſon enectus ferè ſiti, recreatus eſt miraculoſo Dei beneficio: vbi duo ſunt, Tentatio ſitis, & Dei beneficium. Diſcimus ergo hìc in ipſis mediis beneficiis, populum Dei tamen adhuc exerceri tentationibus, ſed nō deſeri. Deinde habes hìc, auxilia Dei non eſſe inutilia,ſed plena & perfecta. Simſon autē rurſus impoſuit loco nomen à re: vnde videmus, omnibus locis & rebus atque occaſionibus vti debere ad promouendam Dei gloriam.

Igitur hinc diſcamus diligenter vitandum non amorem modò illicitum, ſed quicquid quouis modo huc adducere poſſit, vt illecebræ, luxus, praua colloquia. Præterea in Simſone, quia præcipuus typus Chriſti eſt, & pleraque laudabilia in eo deſcribuntur: diſcimus primùm quàm abominabile Deo, & noxium hominibus hoc malum. Deinde, quàm inſidioſum, & quàm vix id effugiant etiam ſancti & præſtantes viri. Tertiò, punire quidem Deum peccata, ſed tamen non abiicere peccatores: ſed recipere in gratiam, ſi pœnitentia conuertantur ad Deum. *In domo vinctorum.* Hîc diſce quàm plus ſapiant Gentiles quàm nos Chriſtiani. Deus condidit hominem vt ſemper aliquid vtilitatis adferat Reipu. ideo illi vinctum Simſonem, non otioſum detinent, ſed ad opus faciendum adigunt: & rectè. Et nos Chriſtiani cõiicimus homines in ſqualloſos carceres, vbi nec ſibi nec aliis proſunt: in quo etiam Turcis ſumus crudeliores. Si enim omnino volumus vinctos homines detinere, vtamur tamen his ad res, & negotia neceſſaria.

22 *Cœpit renaſci.* Hîc propoſitio eſt, Cum ſymbolis redire virtutem quæ cum ſymbolis fuerat ablata. Eſt igitur hîc locus de ſymbolorum virtute. Ergo hîc diſce omnia ſymbola Diuinitus inſtituta, & rectè vſurpata, ad omnia ea cõferre ad quæ ſunt Diuinitus inſtituta. Hinc illud axioma, Sacra ſymbola conferunt gratiam: quod à noſtris & impugnatum, & defenſum eſt: ſed diuerſo intellectu. Symbola enim, vt ea Papiſtæ vſurpant, non conferunt gratiam non intelligentibus, non credentibus, non pœnitentibus, non vera fide ſumentibus. Vnde Deus etiam in Veteri teſtamento, ſacrificia à ſe inſtituta dicebat abominationes eſſe coram ſe, quia illi non ritè vſurpabant: ſed in opus ipſum, tanquã rem magnam, fiduciam ponebant: & ſine pœnitentia, & fide peragebant. Sed ſacramẽta illa, ita vt Dominus inſtituit, id eſt vera fide & pœnitentia peragẽtibus gratiã conferunt, & ſunt efficacia. Ideo rei quidem fiunt qui Sacramentis non ritè vtũtur: ſed magis rei fiunt qui in totum omnia ſymbola abiiciunt, & contemnunt. Vera ſententia eſt, ſi rectè intelligatur, Sacramenta cõferre gratiã ex opere operato: id eſt ex eo vt Deus inſtituit, & non ex operantis, id eſt ex ſumentis merito: ſed vt hodie intelligitur à Papiſtis, falſa eſt. Nam eorum Sacramenta non ſunt opera operata, id eſt Diuinitus inſtituta: quia ibi impurus eſt ſacrificus, & infidelis: & impœnitens populus eſt. quare non eſt efficax illorum Sacramentum. Sed Deus ſuam virtutem & gratiam Sacramentis confert: verùm pœnitentibus, & credentibus. Diſcamus ergo hîc quomodo Deus ſuam gratiam Sacramentis non ritè peractis non confert: hîc rurſus ritè peractis Sacramentis eſſe alligatam Dei gratiam: non quòd ille non poſſit, ſed quòd non velit aliter eam conferre Deus.

23 *Ad lætandum.* Etiam hoc religionis erat, accepto Dei beneficio lætari, & gratias Deo agere: ſed vitiatum rurſus abuſu, quia ad libidinem conuertunt. Pauperis & miſeri Simſonis eos non miſeret: debebant enim eo die etiam Simſonem lautius tractare, & aliquid de pœna remittere. ſed id non faciunt: quin potius ipſum derident, & crudeliter tractant.

25 *Vt ludat.* Hîc nota vitium crudelitatis in eis: & diſce hîc ſemper falſæ religioni comitem eſſe crudelitatem: & veræ religioni, manſuetudinem.

26 *Et ait Simſon ad puerum.* In his duobus verſibus & paraſceue ad vltionem. *Dimitte me.* Hîc vſque ad finem capitis propoſitio eſt, Deus magno miraculo, iterum fecit vltorem Simſonem hoſtium populi Dei. Miraculo, quia quum nihil minus expectarent, ſed deriderent eum, & fruerentur ſuaui victoria, ſubitò oppreſſit eos Simſon. & hoc erat virtutis Dei, non humanæ, quam ipſe impetrauit per orationẽ. Sed quòd ſubitò eos perdit: in eo diſce conſuetudinẽ iudiciorũ Diuinorũ, quibus ferè ſolet ſubitò vlciſci, & perdere impios Deus. In verſu ergo 23, 24, & 25, propoſitio eſt peculiaris, Philiſthæi vt ſubitò à Simſone perderentur, meriti ſunt. Ratio, quia victoriã contra Simſon, quã Deo vero debebãt, tribuebãt idolo, & cõficto numini: id quanuis ignorãtes faciebãt, tamẽ ſuo vitio ignorabant, qui tot annis cũ Iſraele populo Dei cõuerſati fuerãt. Deinde habebant legem naturæ, in quam peccabant: quæ dictabat vt victos Iſraelitas ita tractarent quemadmodum ſe vellent tractari in eadem conditione exiſtentes. Denique, quia tantũ cognitionis de Deo habebãt, quòd agnoſcerẽt eũ omnia gratis largiri: inde facilè poterãt, ſi voluiſſẽt, intelligere vitia ſuæ religionis. & quia agnoſcunt placationẽ Dei, facilè poterant inde colligere, Deũ nullis mediis & rebus placari hominibus, niſi pœnitẽtibus. Erat igitur non ſupina modò, ſed affectata etiam iſta ignorantia. Vides autẽ hîc multas reliquias (ſicut in omni idololatria) veræ religionis. Nã quòd accepto beneficio, & potiti victoria conueniunt ad laudandũ Deũ, quẽ eius autorem agnoſcunt, quòd totũ populum cõgregant, & ſacrificia faciũt, quæ tum erat ratio conciliandi numinis, id erat veræ religionis. ſed vitiatũ abuſu, quòd numen nouum finxerunt, quòd ſine pœnitentia Deum putant placari. *Vt moriatur.* Hoc erat mendacium. igitur diſcis hîc rurſus, Sanctos aliquando rectè mendaciis decipere hoſtes populi Dei, & vnum eſt ex illis remediis malitiæ humanæ, quæ relicta ſunt in hoc mundo: & eſt quidem ex genere malorum, ſed in loco, remedium malis mundi: ſi omnia rectè gererentur, non eſſet locus mendaciis. Eſt

Dei:ea autem occulebatur prætenta cauſa priuatæ iniuriæ. Octauò, quòd liberationem populi Dei à poteſtate hoſtili cœpit,non tamē perfecit. Ita enim Chriſtus Dominus opus redemptionis noſtræ poſt ſupplicium ſuum magis quàm antea promouit,& abſoluturus eſt plenè poſt reſurrectionē mortuorū. Quòd hoſtes grauius in morte quàm in vita afflixit: quod etiam morte Chriſti effectum videmus. Quòd redemptionem populi Dei ſic cœpit, vt ſequentes eum illam longius proueherent: ſicut Deus per Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, reſtitutionem humani generis longius quidem & perfectius prouexit,quàm per ſeipſum,dum hìc viueret.

IN CAPVT XVII.

Fuit uir. Propoſitio ergo eſt, Populus deſtitutus idonea gubernatione,falſa religione peccauit. Occaſiones autē huius peccati diligenter expende: quarū prima eſt pecunia nimia coacervata.vbi rurſus diſce,pecuniā accumulatā ſolere occaſionem eſſe peccati, & offendiculo cumulantibus pecunia enim non debet accumulari vt ſeruetur, ſed vt ea aliis proſis. Eiuſdem rei exēplū ſuprà habes in Gideone. Deinde quòd mater indulgenter fert audaciam hanc filii,in eo habes exemplum præpoſteræ indulgentiæ. Præterea in filio habes contemptum matris, qui eam non in maiori honore habuerit,quàm vt ei pecuniam fraude auferret, & ſic eam valde perturbat: & ſic ſemper malum vnum ex altero fluit.

3 *De manu filij*. Id eſt de ſubſtantia filii mei,quæ pertinet ad filium meum. Hìc habes exemplū religionis,quòd hanc pecuniam Deo deuouit, & eam præpoſteram, & vitioſam, quòd falſum cultum coleret. Hic ergo primùm diſce,quantum ſit malum, & exitium, deſtitui Leuitis & gubernatoribus legitimis. Deinde,veræ gubernationis præcipuum opus eſſe,curare vt populus rectè in religione inſtituatur. Tertiò,huius idololatriæ occaſiones ſunt conſiderandæ: nimirū pecuniæ ſtudium. Quartò,indulgentia matris in filium. Quintò,cōtemptus parentū in filios. Sextò, quia nouum ſacerdotium inſtituunt præter Dei ordinationem. vnde omne malorum genus ſequitur: & omnium horum principium & cauſa erat, deſtitutio legitimi imperii quod religionem in primis inſtitueret & curaret,& cui ſubſint Leuitæ. Hic rurſus eſt propoſitio, Populus deſtitutus legitimo imperio,deſtituitur etiam ſacerdotio,& peccat nouo ſacerdotio inſtituto:vbi rurſus ſingulares occaſiones deſcribuntur, quæ arguunt populum impietatis. Verſu ergo ſeptimo propoſitio eſt, Leuites peregrinatur, incertus quò ſe cōferat. Leuitis etſi nihil proprium decreuerit Deus,tamen decimas eis dari præcepit. Hæ ſi datæ fuiſſent,non coactus fuiſſet hic Leuites ita errare. videtis ergo hìc contemptū & neglectū Sacerdotis, qui ex contēptu verbi & Euāgelii,hoc eſt ipſius Dei,ſequitur. Deinde in Micha propoſitio eſt, Micha cupidè quærit Sacerdotem, & magni eum facit: id quod eſt veræ religionis. ſed in eo eſt notatum ſtudium præpoſteræ religionis, quia proprium Sacerdotem habere voluit. Eſt enim vitioſum velle habere proprium ſacerdotium:nam ſacerdotum eſt omnium cōmune,& omnes Sacerdotes ſunt Chriſti miniſtri: ideo illos ſibi appropriare, eſt Chriſtum diuidere, & aliis ipſum eripere. Præpoſtera Michæ religio in tribus continebatur,in falſis ſymbolis,proprio templo, & priuato ſacerdotio. Vides ergo hìc primùm mercedē priuati ſacerdotis. Idem Papiſtis contigit, qui paſſim priuata ſacerdotia impiè inſtituerunt. Hoc tamen bonū in Micha fuit,quòd dicit, *Eris mihi in patrem & ſacerdotem*. Vnde videtur quòd in honore eum habuerit.

13 *Nunc cognoui quia*. Etiam hoc erat religionis,quòd ſalutem ſuam credit pendere à religione & ſacerdotio: ſed peccat in eo quòd non in legitimo ſacerdotio fiduciam ſuam ponit. Vides igitur hìc vulgatiſſimum per totum orbem errorem qui à peccato originis ducit principium, quòd propitium ſibi Deum,atque rerum ſucceſſum pollicetur, quia priuatum ſacerdotium domi ſuæ haberet:& id præſtantius,vt Leuitæ. in quo tamen peccabat grauiter contra Deum, qui quod omnium commune eſſe debet,ſibi vendicat. vnde videmus quàm ſit pronum humanum ingenium ad ea quæ aduerſantur Legi Dei. Et vides hìc omnium malorum principium eſſe,deſtitui legitimo imperio, id eſt tali, quod primùm religionis curam gerat:vnde ſequitur neglectus veræ religionis.

IN CAPVT XVIII.

1 *Non erat Rex*. Id eſt gubernator,& adminiſtrator Reip. aliquis. *Quærebat ſibi poſſeſſionē*. Id eſt plus terræ quàm habebat. Primus locus huius capitis eſt, Impietas ſemper augetur,& propagatur. Nā impietas in domo Micha cœpta totā tribum inficit, ea totā vrbē. Eſt ergo locus de propagatione peccatorū. Interim tamē ille generalis ſuperioris capitis locus, Ex defectu imperii legitimi ſequitur religionis interitus. In his ergo primis verſibus eſt propoſitio, Leuitæ officium cognitum eſt, tanquam vtile, & efficax: quia reſpondit de voluntate Domini. In verſu autem primo eſt propoſitio, Danitæ quærūt ampliorem terram,& poſſeſſionem:nō enim ſatis

habebant terræ ad habitandum. Et rectè id quidem: erat enim eis promiſſa illa terra. Ergo hic nota, Neceſſaria vitæ huius iuxta promiſſionem Dei paranda ſunt, omni adhibita induſtria, & labore. In eo autem quòd armis id fecerunt, concurrit locus iuſti belli: vbi diſcimus neceſſaria vitæ à Deo promiſſa, interdum etiam armis quærenda eſſe, ſi promiſſio Dei, & Spiritus ſancti inſtinctus id permittat, & aliter fieri non poſſit. Induſtriæ erat quòd non inuadebant gẽtem illam, niſi prius benè explorata eius conditione, & facilitate. Propoſitio eſt, Piam diligentiam & induſtriam adhibuerunt ampliandi poſſeſſionem ſuam: diligentiæ enim erat quòd exploratores miſerunt, & eos non quoſvis, ſed fortes, & eis mandarunt diligentem explorationem. *Pernoctarunt ibi.* Hic vides exemplũ hoſpitalitatis in Micha: vbi diſce, quòd perpetua comes præſtantium opum, & veræ religionis, hoſpitalitas eſt. Sacerdotium eſt ſacra functio reconciliandi homines Deo, & perducendi homines ad cognitionem & communionem Dei: id ſolus Chriſtus poteſt: igitur ſolus eſt ipſe verus Sacerdos. reliqui omnes Sacerdotes, miniſtri tantùm ſunt Chriſti. Sacerdotium autem quum ad multas cerimonias cõuertitur, fit non recõciliationis, ſed condemnationis miniſterium.

5 *Conſule nunc.* Piè faciunt qui hanc rem auſpicatò volunt aggredi: ſed medium eſt vitioſũ. Docet enim natura omnes homines, nullam rem quæ alicuius momenti ſit, adoriri, & inſtitui debere niſi auſpicatò, hoc eſt inuocata Diuina ope, & ſucceſſu, & explorata Diuina voluntate in ea re. Hoc igitur piè fecerunt Danitæ: ſed vitioſum erat quòd de euentu quærunt, quum tantùm hoc quærendum ſit, vtrum placeat Domino, & num ipſe hoc velit fieri.

6 *Ite in pace.* Nam Sacerdotis officium eſt, primùm docere: deinde Sacramenta adminiſtrare. Tertiò, intercedere precibus pro populo ad Dominũ. *Dirigit iter.* Id eſt præſens vobis eſt, & fauet veſtro inſtituto, & proſperabit illud. eſt autẽ anthropopathia. De ſorte Dã habes Iehoſua 19.

7 *Nec quicquam negotii.* Id eſt nemo eos moleſtabat, & cum nemine etiam ſocietatem, aut fœdus ſingularę habebant. *Et viderunt.* Propoſitio eſt, Populus Lais maximè patebat inuaſioni, & oppreſſioni populi Iſrael. Nam deſcribitur populus ſecurus, & ſolitarius: & hæc duo eis exitio fuerũt. Nota igitur hic, Primùm dãnoſa, & periculoſa eſt ſecuritas. Omnes enim peccamus, & meremur iram Dei. Igitur danda opera eſt primùm vt Deo reconciliemur: & deinde contra aduerſa vigilare & laborare noſtra induſtria, ne intremus in tentationem. Pollicetur quidem Deus populo ſuo quòd deberent ſecurè habitare: ſed ea ſecuritas reſpicit ad Domini auxilium. Eſt igitur vitioſa ſecuritas hominum per ſe, laudata illa quæ eſt de Diuina ope. Deinde nota hic damnatam ſolitudinem. ergo damnoſum eſt populo defenſores procul abeſſe: veluti bonum eſt vt præſentem paſtorem, & defenſorem grex ouium habeat. Tertiò, ſolitudo hic eſt damnata, & probata ſocietas: hinc & Ariſtoteles dicit, aut deum aut beſtiam eſſe eum qui hominum ſocietatem fugit.

6 *Venite.* Hic vides prudentem imitationem ad inuadendam terram: dum vis inuitare aliquem ad occupandam rem aliquam, duo neceſſaria ſunt. Vnum, vt oſtendas bonam eſſe, & ei bono futuram: alterum, vt oſtendas poſſe eam facilè conſequi. & vtrunque hic habes notatum. *Quare quieſcitis?* Nam qui indiget, & eſt quòd facilè & iure poſſit comparare id quo indiget, ibi eſt vitioſum otium. *Lais.* Diuus Hieronymus, & alii, putant hoc oppidum fuiſſe quod Ioſue decimonono vocatur Leſchen. & deinde à Danitis Dan vocatũ: poſtea & ab Herode reparatum, & Cæſareã vocatum. alii vocãt Paneadem, & ſi id verum eſt, fuit ex tribu Naphtali. *Si ire volueritis.* Nam cui offertur neceſſariũ bonum, is debet apprehendere: ſed Deus promiſerat eis hanc terram, & oraculo Micha teſtatũ fuerat, Deum eſſe cum eis. Hic ergo nota, Hi homines malis expoſiti ſunt, quibus Dominus ademit curam & prouidentiam res ſuas tuendi: & iis malis quiſque traditus eſt, contra quæ & quibus reſiſtendi deſtituitur mediis & prouidentia.

11 *Profectique.* Hic præterea nota quòd Deus ſubinde populo ſuo, etiam ad impietatẽ prolapſo, multa beneficia præſtat.

11 *Aſcendentes.* Hic propoſitio eſt. Primò, illos exploratoribus fidẽ habuiſſe. Deinde memoria huius expeditionis, nomine ipſi loco indito, fixa & confirmata eſt. Quantum igitur ad primum attinet, habes hic locum de credulitate laudata, & illaudata. Homo citò credens, eſt leuis corde, quando non iuſta de cauſa credit: & contrà, eſt duro corde, quando non credit vbi credendum eſt, vbi is qui refert, vir ſit bonus, & prudens, & probabiles cauſas adferat: ideóque fide dignus. Quia autem difficile eſt & fallax, fide dignos à non fide dignis diſcernere, orãdus eſt Deus vt ipſe nos ducat, nec ſinat aberrare. Quantum autem ad alterum, nota hic omnibus ſingulorũ Dei beneficiorum memoriam inſigniendã eſſe, quocunque poſſimus modo: id ſi negligetur, vitioſum eſt: & contrà, ſi ſuperſtitio his accedat aut ambitio, rurſus in vitium alterum in-

currit,ſed medium teneri debet.

13 *Accincti armis.* Hic tertius locus eſt de adhibenda induſtria humana negotiis Diuinis, quē ſuprà tractauimus.

14 *Dixerunt ad fratres ſuos.* Hìc vides fratres dictos qui eiuſdē tribus ſunt.ſic omnes Chriſtiani fratres ſunt:&non ſunt ridēdi Anabaptiſtæ qui ſe mutuò fratres nominant,ſed nos deplorādi quibus hoc nomen turpe videtur. *Noſtis quòd.* Hic eſt conſilium impium rapiendi impium, & ſuperſtitioſum,& illegitimum ſacerdotium. Ergo hìc primum peccatum erat in cupiditate rapiendi aliena bona. Deinde impietatis, quia ſacerdotium illegitimum, cuius efficaciam ſenſerant,ad ſe volunt trahere.Ergo cauſa huius peccati eſt efficacia, & vtilitas quam ſenſerant.Nota ergo hìc,quando Deus permittit, imò immittit efficaciam mendaciis, & erroribus,vt ſeducantur ii qui reſpuunt veritatem. Itaque ad tentandum, & probandum immittit Deus efficaciam erroribus,vt tradat in ſenſum reprobū eos qui nolunt auſcultare veritati:& promiſit Dominus fore vt falſa miracula fiant:& Magi in AEgypto grandia fecerunt.Ergo non in eo eſt dignitas perpendenda,quòd efficacia ſint:ſed in eo,vt videamus num Deo probetur,& ſecundum verbum,& voluntatem Dei ſit,vel fiat: & ſic cauenda eſt erroris efficacia,qua etiam boni interdum decipi ſolent.

16 *Porrò ſexcenti.* A verſu igitur decimoquinto vſque ad viceſimumprimum, deſcribitur raptus Sacerdotis,& idoli.vbi primùm vides quàm facilè perſuadeamur ad malū.Deinde vt ſuccedit,& conſentit in ſacrilegiū ipſe Sacerdos. Poſtea cautionē in ſcelere. Vides igitur inprimo pernicioſam rem, malum conſiliū:ſumus enim natura proni ad mendaciū & malū.Igitur diligenter examinandum quid quiſque ſuadeat, num voluntati Dei conſentaneum ſit. Deinde, in cautione illa vides quòd homines & filii huius mundi ſunt prudentiores in ſuis rebus peragendis,& magis induſtrii quàm filii lucis. Tertiò, in exemplo Leuitæ diſce,Quicunque ſinit apud ſe valere in bonis operibus, & ſubeundis muneribus, vitæ huius honores,& opes huius mundi, eum patere Satanæ ſubducturo eum in montē excelſum. Spectare igitur oportet in deligendis functionibus, quid Domino probetur,nō quid nobis vtile videatur:ſed quomodo multos Deo lucrifaciamus,& multū fructus faciamus. Nā tametſi dignus eſt operarius mercede ſua, tamen væ nobis ſi propter mercedem hoc munus adminiſtramus: id enim nunquam quicquam rectè adminiſtrabimus,ſed omnia peruerſé.Itaque hic fit fur, fit ſacrilegus, dominū prodit, quia ſpectabat honores,& proprias commoditates: quum Dei gloriam tantùm ſpectare deberet, & ei ſe committere. Vltimum eſt in his verſibus,Impietas propagata. id factum eſt ex impietate Sacerdotis: ergo reſiſtendum diligenter principio. Natura enim hoc malum, vt omnia mala, ſerpit vlterius. Sic illud niſi in domo hac incœpiſſet,nunquā ad totam propagatum eſſet familiam.

22 *Et quum elongati.* In his verſibus vides quoque impietatē Micha: fruſtratur dominum,& omnium rerum facit iacturam. Itaque dun hìc nota maxima mala ſuperſtitionis. Primùm,quū homines ſe putant maximè Deum placare,vehementiſſimè offendunt.Deinde quum quæruntur externa commoda & diuitiæ, maxima incommoda accipiuntur. Impietas igitur & coram Deo,& coram hominibus,maxima damna adfert,quum commoda maxima polliceatur.

25 *Ne fortè irruant.* Vide quò progrediatur crudelitatis impietas..

28 *Nec erat.* Hic locus eſt, Tandem quanuis diu dilata fuerit, ſumptam vltionem de impiis Laitis. Deinde deſcribitur ſolitudo vitioſa,& ſecuritas præpoſtera,&pernicioſa. Eſt ergo in hoc loco propoſitio, Tādem deletæ ſunt reliquiæ Chenanæitarum:vbi diſce,quāuis ſerò,tamen tādem perfici iudicium Dei,& impleri. Quòd autem vrbē Lais incēderunt,& nouam ædificarūt, id ſecundum Legem Dei fecerunt, quanlibet alioquin impii. Nam funditus deleri oportebat eam gentem, vt eſſet exemplum ſingulare iræ Dei, vt videamus quid tandem expectandum ſit omnibus impiis.

29 *Vocauerunt.* Hìc apparet fuiſſe in illis ſtudium retinendæ memoriæ ſanctæ ſocietatis: vnde diſce,omnem ſanctam ſocietatem ſtudioſē colendam. probatur hìc exemplo laudato. Deinde ſeruiendum Deo ex toto corde:ergo quæcūque inſtituit Deus in vſum hominum, ea ſtudioſē obſeruanda. Illi enim,quum hæc ciuitas procul à ſua tribu eſſet ſita, verendum erat ne in obliuionem eius venirent. igitur nomen ei à tribu ipſa ad retinendam memoriam indiderunt.

30 *Erexerunt proinde.* Hic prima propoſitio eſt, Publica facta eſt ſuperſtitio, quæ antea in domo Michæ continebatur. ergo hìc propagatio impietatis notatur. Vbi nota, Impietas niſi ſtatim opprimatur,illico ſe latè diffundit: quæ natura eſt omnium malorum. ſumma itaque ſeueritate inter initia opprimenda eſt. vnde lex habetur Deutero.17.12.c. de perdendis iis ſeue-

in Lege Dei,vt quæ ſemel vxor alicuius fuerit, ab eodem recipi nó debeat, etiamſi legitimè iuncta alii viro fuiſſet,à priore ſcilicet repudiata. Hæc autem vera ſunt de adultera, cuius adolteriũ pluribus innotuit. Nihil enim legibus publicis Deus ſubiecit, ſiue politicis, ſiue Eccleſiaſticis, niſi quod teſtimonio duorum aut trium comprobari poſſit. Quare ſiquis maritus vxorem ſolus in adulterio comprehenderit,& res ea latere poſſit,ac ſpes ſit,ſi retineatur adultera, id cõmodo fore toti domui,eam retinere poteſt .Propterea Eccleſia penes virũ arbitrium poſuit .Erit ſecus ſi palàm adulterium factũ ſit:non enim priuati tantùm hominis non eſt,ſed nec magiſtratus quidem,pœnam à Deo indictam remittere: niſi is caſus exiſtat,vt certũ ſit Remp. Dei plus damni accepturam ex conſtituta animaduerſione,quàm commodi.

4 *Et retinuit eum.* In his verſibus à quarto vſque ad decimum, habes propoſitionem hanc, Leuites moratus eſt in quintum vſque diem apud ſocerum per comeſſationes : id malè ceſſit. ergo vides hìc ignauiam& comeſſationẽ damnari. Hìc igitur diſce,damnoſam rem,& vitioſam comeſſationibus indulgere. Secundò,damnoſum & malum rectè inſtituta non gnauiter proſequi. Tertiò,commercium prauorum &malorum hominum eſſe pernicioſum. Igitur diligenter cauenda & vitanda hæc mala.

10 *Sed noluit uir ille.* Hìc adhuc eſt malum ceſſationis : quia veſpere modò iter ingreditur, quod mane debebat ingredi. *Veníteque è regione Iebus.* Hìc propoſitio eſt,Puer domino conſuluit,& pernicioſè.hìc igitur primùm diſce,malos mala conſulere.deinde mali domini,malus ſeruus eſſe ſolet.

11 *Non declinabimus.* Hìc propoſitio eſt,Leuites piè & rectè vitauit conſortium incredulorũ. Ergo vitandum eſt incredulorum conſortium. Malũ igitur eſt inter Chriſtianos nullum delectum haberi apud quos verſentur. Nam debet quiſque conuerſari cum iis apud quos plus poteſt religioni,& pietati,cum apud ſe,tum apud alios promouendæ proficere. Ergo officioſum eſt habere delectum hoſpitiorum,ſecundum regnum Dei.quare hodie valde peccant miniſtri Eccleſiarum qui in publicas cauponas diuertunt : inde autem id fit, quòd refrixit charitas, & ius hoſpitii. *In Gibea.* Hìc vides erratũ in deligendo,& vltionem diuinã de peccato: vbi diſce quòd Deus officii negligentes conſilio & delectu ſalutari in rebus omnibus deſtituit: vt Leuites quũ haberet propoſita duo oppida,diuertit ad deterius.ita meritus fuit ſeduci & priuari Spiritu Dei qui eum dirigeret.eſt ergo hìc deſcripta vltio peccati Leuitis,&c.

15 *Diuertentes.* Hìc propoſitio eſt, Inhoſpitales fuerunt Gibeonitæ. & vt videamus quàm fuerint inhoſpitales,additur collatio alienigenæ cum vniuerſis ciuibus. & hìc diſce immanitati ſemper eſſe comitem inhoſpitalitatem,vt in Gibeonitis.

16 *Et ecce uir quidam ſenex.* Hìc eſt propoſitio,Gibeonitæ fueront immaniter inhoſpitales: qoia hominem peregrinum,noctu venientem relinquunt ſine tecto,& habentem vxorem ſecum:cuius tamen ratio habenda erat. Deinde nemini grauis futurus erat, quia habebat omnia neceſſaria ſecum. Tertiò,adeò inhoſpitales erant,vt nemo prorſus ex ciuibus hunc hoſpitio exciperet: vides tamen vnum bonum virum fuiſſe in vrbe.vnde diſce, Deus quanlibet deploratis hominibus ſemper relinquit per quos impietatis arguãtur,vti hic ſenex Gibeonitis relictus fuit:præterea propoſitio eſt, Hic ſenex eximiè hoſpitalis fuit:quia quãuis ſenex,& ipſe peregrinus, & ob id haud dubiè non opulẽtus , cogit Leuitem vt tectum ſuum ſubeat, & rebus fruatur ſuis:quum ipſe haberet vnde viueret.id quod 20 verſu exprimitur:& deinde quia & ipſi,& iumentis abundè miniſtrauit,& officioſè quidem,lauans ſcilicet pedes eius,& lautè omnia proferens.

22 *Filij Belijaal.* Id eſt qui nulli rei vtiles ſunt: vt nos Germani dicimus,ein nieman,nuihman. *Dixerúntque.* Hic eſt propoſitio, Infandum & atrox flagitium , atque immane ſcelus Gibeonitæ deſignauerunt . immanitas verò flagitii , & ſceleris atrocitas his argumentis oſtenditur . Primùm quòd vniuerſi hoc patraront . Deinde , quòd in hoſpitem , & eum iam ſe à labore viæ recreantem. Tertiò, quòd admuniti à ſene, nec tamen ab inſtituto ſcelere deſtiterunt. Quartò, quòd libidinem præter naturam naturali prætulerunt . Quintò , quòd miſeram concubinam enecarunt . Altera propoſitio hìc in verſu 22 , Homines non accommodantes ſe ad honeſtum vitæ genus, in quo bonam hominibus frugem adferant, Satan ad libidinem ſuam captiuos tenet, vt agat in quoduis ſcelus & flagitium : vt Gibeonitis, qui erant filii belijaal, hoc eſt nullius bonæ frugis homines,& nequam , vſu venit. Eſt præterea propoſitio in eodem verſu , Iudiciorum Dei proprium eſt vt ſubitò nos opprimant. Iis igitur quos Dominus punire decreuit, ſolet ſubitaneam vltionem immittere : quod monere nos debet vt vigilemus ſemper , & oremus ne præter expectationem iudicium Dei nos opprimat . In verſu autem 23, propoſitio eſt, Hoſpitis cuiuſque eſt eos quos hoſpitio exceperit, ab omni iniuria, quoad fieri poteſt,

tueri. Vnde vulgò dici ſolet, eos qui homines publicè excipiunt, debere eſſe deos iis quos excipiunt. Quòd autem filiam, & concubinam legitimam is obtulit, & ita ſtupro & adulterio maius ſcelus redemit: an id ſecundum officium fecerit néc ne, non ſatis certè liquet. Nam idem etiam de Abraham, Iſhac & aliis factum legimus, quanquam id ſit tolerabilius: quia bona gratia illud adulterium factum eſt, id eſt conſentiente vtroque. fuit tamen haud dubiè maxima illa tentatio. Tamen etſi videatur veriſimile, eos officioſè feciſſe qui ad redimendum caput domus, id eſt patremfamiliâs, diuortio & abiectione vxorum & totius familiæ redemerunt, non ſatis conſtat, nec certò conſtitui poteſt. Hîc autem quòd offert puellam libidini impiæ, id videtur vitioſè feciſſe: tamen quia omnino defendendus Leuites, & id aliter non potuit fieri quàm traditione vnius puellæ, videtur id magis pœna quàm peccatum fuiſſe. Poſſunt autem iſta in vtranque partem diſputari: & quia illi varii caſus & circunſtantiæ incidere poſſunt, nihil de ea re certè eſt definiendum. neſcitur enim qualis ſit futurus caſus: caueamus talia pericula. Officium hîc ſenex fecit, etiam cum periculo monendo, & à ſcelere auertendo quos videbat planè furere. Nullis itaque quanlibet amentibus, & furentibus ſubtrahenda eſt admonitio de peccato: quãuis ea ſine periculo adhiberi non poſſit. ita eſt exemplum huius ſenis. Proſtituendo filiam virginẽ & concubinam Leuitæ, ſenex redimere conabatur ſtuprũ viri hoſpitis: quod & in officio, & cõtra officium fieri potuit. Cum officio, vt minorũ iactura, maiorem in regno Dei ſeruaret. Cõtra officium, quia potuit hoc fieri metu infideli. Sicut enim aliquãdo pro ſalute præſtantiorũ, in diſcrimen adducendi ſunt homines minus præſtantes, quod Sanctiſſimi etiam Principes, & reges fecerunt, ita eſt aliquando magnorum Principum, & præſtantiũ hominũ ſe periculo obiicere, & capita ſua deuouere pro viris præſtãtibus. Sed vt iſti caſus præſciri nequeunt, ita nec definiri debet ratio officii in his caſibus. Cauẽdi ſunt, & piis orationibus deprecãdi: vbi autẽ inciderint, nitendũ eſt miſericordia Dei, & is inuocãdus qui ſicut promiſit, ſuos ex quauis neceſſitate, clemẽter educet, & in illo ipſo momento quid facto opus ſit, ipſe ſuo Spiritu docebit. *Stultitiam hanc.* Id eſt ſtuprũ: ſic vbique ſtultitiam Scriptura ſtuprũ & adulteriũ nominat: quia nunquã ferè, niſi ab hominibus nequã, & Deo vacuis, & Dei ſenſu, admittũtur, & maximè vecordibus. Loquimur autem de iis qui in his peccatis hærent, nõ de his qui labuntur aliquando in hæc vitia, & ſtatim pœnitentiam agunt.

19 *Cecidit ante oſtium.* Hîc vides tandẽ adulteriũ à Deo punitũ in hac muliere; quod maritus vecors noluit punire. Eſt ergo propoſitio, Mulier adultera, vt libidine peccauit ſua: ita aliena libidine pœnas perſoluit, & immaniores, & magis pudendas, quàm ſecundum legem. Ergo vides Deum tarditatem ſupplicii commeriti, compenſare grauitate, & ea ipſa in pœnas conuerti, in quibus contra Deum quæſita voluptas eſt.

27 *Et mane conſurgens.* Hîc præparatio deſcribitur ad vltionem tanti flagitii. Propoſitio ergo eſt verſu 27, Dat Leuites, morte cõcubinæ, tam fœda & immani, pœnas lenocinii ſui, quòd ſibi adulteram reconciliauit. In reliquis eſt propoſitio, Leuites excitauit Iſraelem ad vltionem immanis flagitii in ſe ac ſuam concubinam admiſſi, & id iure ac meritò: quanquam ipſe non indignus iſta immanitate fuerit. Nec enim propter ſua peccata quiſquam impunitati alienorũ peccatorum fauere debet: nec eſt feſtuca in alieno oculo, nedum trabs relinquenda. ſed quia ipſe trabem in oculo tuo fers, eſt prius tua tibi trabs atque feſtuca oculis tuis eximenda, & in alieno nequaquam relinquenda. Nemo enim quãlibet peccator, debet ob id negligere iuſtitiæ Dei miniſterium. Leges autẽ publicas, ſicut intereſt omniũ cõſeruare, ita quiſque viuens cõſeruare eas pro ſua portione debet: ſed vt id ſanctè faciat, debet primùm omniũ ſe legibus ipſum cõformare. quod ſi negligat, & eas in ſe & in aliis poſthabeat, ſuum peccatum non imminuit, ſed geminat. de qua re teſtimonium habes ad Romanos capite primo, ſub finem.

IN CAPVT XX.

1 EGreſſi itaque ſunt. In hoc capite viceſimo propoſitio eſt, Iſrael iure perſequutus eſt pœna flagitium admiſſum, quanquam ipſe prior iuſtè pœnas ſuorũ peccatorum dederit. Igitur duas habet partes hæc propoſitio. *In Miſpa.* In Eccleſia Dei, & coram Deo: quod etiã eſt argumentum zeli illorum. ſicut omnia grauia negotia coram Deo deliberanda piis ſunt in nomine Domini, & ſuſcipienda.

2 *Anguli.* Alii vertũt turmas, & ſic malim: nam quum acies inſtruitur, ſunt etiam anguli. In primis ergo duobus verſibus deſcribitur præparatio ad vltionẽ ſceleris huius. Propoſitio ergo hîc eſt, Populus præclaro zelo Dei flagrauit, conueniens, & conſpirãs in vltionẽ flagitii admiſſi à populo Dei. Probatur his argumentis., primùm, quòd omnes conuenerunt: deinde quòd vnanimiter, ſicut vir vnus conuenerunt. poſtremò quòd in loco ſacro, & coram Deo. Quòd nu

merus exprimitur,in eo primùm exprimitur ſtudium populi. Deinde etiam præparatio eſt ad ſequẽs,in quo mirabile Dei iudicium apparet,quòd ipſi tot numero, à multo paucioribus ſunt læſi. Omnis Reipublicæ intereſt perſequi vltione legitima,ſcelera & flagitia quæ in ipſa cõmittũtur:quod ſi negligat,vniuerſa ſe impunitorum ſcelerum& flagitiorum obligat. Omnis enim Reſpu.in hoc Diuinitus conſtituitur, vt ab omnibus qui in ea continentur, bene beatéque viuatur:id igitur curare,vt ſingulorum eſt,ita maximè vniuerſorum. Quum itaque pœnis perſequi ſcelera & flagitia,ad bene beatéque viuendum neceſſarium ſit,Reſpu.negligens hoc officiũ, omnino ſe obnoxiam reddit iis malis quibus conſentit,ea non puniendo.

4 *Et reſpondit uir Leuites.* In his verſibus apparet grauitas actionis. Illi ex Leuite voluerunt diligenter cognoſcere. Hìc ergo propoſitio eſt,Populus diligẽter cognouit de flagitio. Ergo nõ eſt ſumenda pœna de peccato,niſi diligenter & accuratè cognito.

8 *Et ſurrexerunt.* Hìc propoſitio rurſus eſt,Præclaro zelo exarſerunt ad ſumendam vltionem de hoc flagitio. Zeli præſtantia in his argumentis notatur, Quòd omnes, quòd conſentienter, quòd cum voto ad priuata nõ redeundi,niſi iudicio Dei perfecto,quòd prudenter cõmeatu procurato, & cæteris muniis diſtributis,quòd modum pœnæ ex modo ſceleris ſtatuerũt.

9 *In ſorte.* Id eſt inter nos ſtatuemus quo ordine, & qua ſorte velimus aſcendere contra Gibeonitas.

12 *Miſerunt autem tribus.* Quòd tribus Beniamin non ſumpſerat pœnas de tanto ſcelere, in eo ſe participes fecerãt ſceleris quod erant defenſuri. Hìc ergo eſt propoſitio, Filii Iiſrael ex officio prius cũ Beniamitis expoſtularunt, & autores ſceleris ad pœnã popoſcerunt. Nemo enim alieni peccati pœnas, ipſe eius peccati immunis dare debet:& prius quoq; verbis quàm pœnis ad officiũ reuocãdi homines ſunt,qui non iã grauiter,& patenter in ſcelere deprehẽduntur. In eo verò quòd totus populus has pœnas tam ſtudioſe ſumpſit, obſeruandum eſt, omnis ſocietatis eſſe animaduertere in peccata quæ ab iis admittuntur qui in ſocietate ſunt. In verſu 13, quũ depoſcunt ad pœnas autores ſceleris,addentes, *Et expurgabimus à ſcelere Iiſrael*, propoſitio hæc eſt, Dũ legitimæ pœnæ ſumuntur de ſceleratis hominibus,purgatur Reſp. ſceleribus illorum:ergo niſi pœnæ illæ ſumantur,Reſp. priuatorum ſceleribus ſe obligat in iudicio Dei, & merito publico, eorum peccatorum pœnas luit. Primùm pernicioſa propagatione ſcelerum, & exitiali incremento impudentiæ & audaciæ ſcelera admittendi. Deinde, labefactatione maieſtatis, & ſalutaris imperii. Tertiò, ſuppliciis illis manifeſtis, peſtilentia, fame, bello. *Et noluerunt.* Ecce inductio in tentationem. Propoſitio ergo eſt, Iudicio iuſto obſtinati Bẽiamitæ,tradere ſceleratos ad pœnam renuerunt: nam Gibeonitæ in tam importunam impudentiam degenerare nullo modo potuiſſent,ſi cura recti & honeſti in hac tribu publicè conſtitiſſet. vt ergò omnes pœnas darent,ad pœnam tradere tam immaniter ſceleratos renuerunt. Pergunt itaque eas pœnas vltrò accerſere,defendendo ſceleratos.

14 *Quin magis congregati ſunt.* Propoſitio hìc eſt, Vehementer obſtinati fuerunt in exitium ſuũ, & caſtigationem Iiſraelis Beniamitæ. Nam perpauci,toti Iiſraeli ſe oppoſuerunt in cauſa peſſima, pro hominibus ſcilicet ſceleratiſſimis.

16 *Septingenti.* Hìc propoſitio eſt, Quanlibet ſcelerati Beniamitæ, tamen magna dexteritate, & promptitudine in rebus externis valebant. Cuius rei argumentum eſt, quòd tot viri dextra manu debiles, ſe tamen exercuerant ad aliud pugnandi genus, vt in eo tantopere excellerent. ita filii huius ſeculi plerunque præſtant filiis lucis cura & dexteritate externarũ rerum : ſed quæ ipſis ſit tandem exitio: vt Beniamitis ſceleratam, & pernicioſam audaciam auxit, quòd ad pugnam eſſent pluſculum exercitati.

18 *Beth-el.* Ciuitas in tribu Ephraim. verùm quia infrà de Arca Domini ſubiicitur:videtur de Silo intelligendum, in qua erat Arca. Vel certè Arca non tantùm in Silo,ſed in Beth-el fuit. Vides autem hìc religionem,quòd non voluerunt aciem inſtruere,niſi accepto reſponſo Diuino. Expeditionem illam fuiſſe ſuſceptam ſecũdum Legem Dei inde conſtat,quia generale præceptum habebant,vt tollerent malum de Iiſrael, & eos delerẽt qui à religione defecerant, Deut. 19. Tamen debebant ſententiam Dei rogare,an nunc,an hoc modo deberẽt perſequi ſcelus hoc: id neglexerunt,& ideo cæſi ſunt. In verſu igitur 18,propoſitio eſt, Religioſè officium ſuum aggreſſi ſunt filii Iiſrael, quærentes à Deo quis præeſſe rebus deberet. vnde rurſus illud docemur nullos rebus publicis vel Eccleſiaſticis rectè præfuturos,niſi quos Sãctis precibus impetrauerimus à Deo deſignari & inſtitui. Quòd Iiſrael etiam non rogauit Dominum, inde fuit quòd expreſſum haberet de huiuſmodi vltione præceptum. Ad vniuerſum enim populum pertinebat præceptum Domini de huiuſmodi flagitioſis hominibus interficiendis: quia eo tempore com-

D. Martini Buceri in Prophetam Sophoniam, explanatio.

GENERE, PIETATE, ET ERVDITIONE CLARO, NOBILIQVE DOMIno Schenck, Georgio ab Erpach, Domino in Furſtenau, iuniori, M. Bucerus, fœlicitatem precatur.

MAiorem quàm dignè quiſquam poſſit exiſtimare, lucem in Diuinis Scripturis cæleſtis Patris benignitas, hoc noſtro ſeculo affulgere fecit, Georgi generoſiſſime iuxtà & pientiſſime. Quum igitur Dei bonitatē, quam ritè agnouiſſe vita eſt æterna, pluſquam luculenter illæ ob oculos ponāt, primum, omnium qui Deum eſſe credunt, præcipuè autem eorum qui docendis aliis præfecti ſunt, ſtudium eſſe decebat, longè familiariſſimè habere illas cognitas, perpenſas, & excuſſas. Promi ſiquidem hi & nutritii ſunt filiorum Dei: vnde tāto plus curæ illis eſſe debeat vt penu ſuum probè inſtructum habeant, atque iis quibus corporum duntaxat cura demandata eſt, quanto præſtat corpore ſpiritus, & pluris eſt homo renatus, veteri, antecellitque vitam iſtam terrenam atque caducā cæleſtis & æterna. Iam quibus ad hanc beatam iuxtà & perpetem vitam Sancti aluntur & vegetantur, non aliunde quàm ex Diuinis Bibliis parari poſſunt, propterea quòd nulli alii libri extēt qui abſque humani ingenii commentis, Dei bonitatem atque voluntatem, eóque & germanam pietatem doceant. Adeo enim Sanctis adhuc naturæ fæces adhærent, vt haud poſſit non inquinamenti aliquid trahere, quicquid per eorum ingenia velut tranſuaſatur. Quo enim vnus ſibi docendi nos, tam externè, quàm internè magiſterium Spiritus ſanctus retineret, quum multis plurima & eximia docere dederit, ſolis tamen Canonicis ſuis ſcriptis hoc prærogatiuæ ſeruauit, vt abſque vllius aſperſione erroris, citra omnem hallucinationem, de Diuinis operibus, ex quibus Dei & potentiam & bonitatem, ad certa cum pietatis, tum fœlicitatis incrementa, cognoſcere licet, diſſerant, eáque graphicè adeò depingant vt tenebræ ſint, non lux, quicquid de iis hominum ingenia tradiderunt. Si ergo credimus æternam vitam eſſe, Deum rectè cognouiſſe, quòd eius nimirum cognitio amorem, amor imitationem, atque noſtri ad imaginem ipſius tranſmutationem pariat: deinde conſtat, haudquaquam aliunde quàm ex Diuinis illam Bibliis rectius peti, pleniúſque poſſe percipi: pudere profectò debet, quicunque inter filios Dei nomen dedimus, maximè autem eos qui oculorum vice, & duces ad iſtam Dei ſcientiam perueniendi, aliis cōſtituti ſunt, tam multa adhuc in omnibus ſacris Veteris inſtrumēti libris, præcipuè autem Prophetarum (qui tamen vel ſoli à Chriſto & Apoſtolis Scripturæ nomine cenſentur, & eius è qua vitam æternam liceat eruere, quæque ad omnē doctrinam ſic conducat, vt hominem Dei penitus abſoluat) ſua nondū eſſe luce donata, nondum è caligine variarum interpretationum eruta, remotóque phraſeos, & troporum Hebrææ linguæ velamento contemplanda, clarè credentibus omnibus expoſita. Dici profectò non poteſt quantā gratiam, quantam item energiam habeat, Dei doctrinam, & Diuinorum operum hiſtorias, ex ipſis Sacris libris inoffenſè legere. Eſt enim & ſacris interpretibus ſua eloquentia, eſt rara quædam dicendi virtus, ſed cæleſtis, & ad rapiendum in Deum animos, potentiſſima: tātum linguæ peregrinitas, & interpretum incuria, tum veterum intempeſtiuæ allegoriæ, multis iam ſeculis miſerè obſtiterunt quominus ad hunc inæſtimabilem cæleſtis philoſophiæ theſaurum Sancti penetrarent. Piè igitur & ſaluberrimè Lutherus, OEcolampadius, Melāchthon, Capito, Zuinglius, quibus & Linguæ ſacræ, & Diuina explanandi oracula, facultas egregia contigit, Sacris libris cum vertendis purius, tum enarrandis luculentius, atque quàm veteres certius, operā ſuam impēdere cœperunt. Vtinam autem tam hi ipſi quàm alii quibus idem doni cælitus datum eſt, poſitis diſſidiis, & miſſis quæſtionibus non perinde Eccleſiam ædificātibus, atque ardēti contentione tractātur, huc ſe totos conferrent, quo quicquid in Scripturis nondū in lucem erutum eſt, eruerēt, & qua donati in his dexteritate ſunt, ita illuſtrarent, quo ſemel Diuina electis ritè familiaria facta, humana commenta loco mouerent, ipſóſque ad cæleſtia raptos, cælo digniore vita imbuerent, nequid præter ea in iis quidem quæ ad religionem & Deum attinent, conſulere opus haberent. Certè ſuis Deus, non ſelectis mundi Sophis, & iis νηπίοις intellectúque perpuſillis, loquut' eſt. Quare ſi vel ſolæ verſionum ſublatæ eſſent remoræ, & inſuetioris phraſeos ſalebræ paulùlum complanatæ, tum paucis præmonſtratum quæ potiſſimum ſancti Vates tractent: nullis veritatem piè quærentibus non peruia omnia forent. Id autem quū multo omnium opinione maiorē frugem, pietatíſque inſtaurationem afferret, nihil non tentat Satan quo hinc eos auocet quibus poſſe in his aliquid datū, aliiſque occupet diſputationibus, non ſolùm cum Scripturarum tractatione haudquaquam conferendis, ſed etiam ſæpe plurimum nocentibus. Qua-

lis inter reliquas & illa plus nimio celebris, de verbis cœnæ Dominicæ indubiè extitit. Nó quòd indignũ arbitrer & hæc Seruatoris noſtri verba diligenter excutere, ac germano illa ſenſu fratribus commendare: ſed quòd iure pluſquam dicere poſſim, deteſter iſtam indigniſſimam non modò Chriſtiani gregis ducibus, ſed quibuſlibet etiam è vulgo Chriſtianis, imò etiam nihil niſi hominibus, proſcindendi, dilacerandi, conſcerpendíque fratres, eundémque Chriſtũ, ſumma fide prædicantes (dicam quod res eſt) inſaniam & furorem. Diſſenſerunt inter ſe & veteres, circa Scripturarũ interpretationem, neque in locis ac dogmatis leuis momenti: at in quibus Chriſtũ referens Spiritus hodie prædicatur; nihil admiſerunt vel affine iſti pluſquã Scythicæ debacchationi, quam quidam hodie ſibi permittunt, & gloriæ Dei zelum interpretantur, ſicut vulgare carni eſt, ſuis moribus blandiri, virtutúmque nomina falsò indere. Alteram fateor partem errare neceſſe eſt, eóque verba Chriſti à genuino ipſorum ſenſu detorquere: dum autem vtraque Chriſtum vnicum noſtrum ſeruatorem confitetur & prædicat, dum ſuis in Cœna adeſſe agnoſcit, & celebrat: dum etiam Cœnæ panem corpus ipſius non illibenter vocat, eſſéque fatetur, quod quæſo tantum eſt fidei, quod pietatis periculum, vt de modo quo panis Chriſti corpus fit diſſentientes, tanto par ſit furore blaſphemare? Præſertim quum illi ipſi qui pro corporali Domini in Cœna præſentia digladiantur, de eo minime conſtare ſibi, editis libris fateantur. Imò ſcribit Iohannes Pomeranus in libello quem ſuam de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti confeſſionem inſcripſit, credere ſe neminem poſſe modum hunc ſcire: neque aliquem debere eſſe ſolicitum vt ſciat: quando ex verbo Chriſti hoc non intelligatur, &c. hæc verba Pomerani. Iam qua de re tam atrociter pugnatum eſt, quàm quod Chriſti maieſtas Scripturæque autoritas, intolerabile piis multis reddidit, dicere, recitatis ſupra panem & vinum Domini verbis, ipſum corporaliter eſſe in pane? Dicere, corporaliter panem Chriſti corpus eſſe, vtique eſt modum explicare, qui tamen, Pomerano teſte, neque ſciri poteſt, nec inquiri debet. Sed vt non contentioſis etiam hic modus ſatis cognoſci poteſt: ita ſi poſſemus concordiam ferre, iam etiam de eo cõueniret. Scripſerunt enim illi, ex pane & Chriſti corpore vnum fieri, non natura, non perſona, non denique operatione, ſed ſacramentaliter: id quod & nos fatemur. Adhuc ſcribunt nos iſti (nã & me inter antagoniſtas ſuos numerant, licet partium cõcordiam, & nihil minus quàm pugnam, ſcriptis de hac re meis quæſierim) Chriſtum facere mendacem, manifeſtum verbum eius oppugnare, huc ire vt totum Euangelium auferamus, Chriſti negationem inuehamus, & id genus conuitia, quibus atrocius nihil ne fingi quidem poſſit. Expẽdãt autem Chriſtiani quo hæc iſti cãdore de nobis ſcribãt. Verba Chriſti, & hæc & reliqua omnia ſic vera confitemur, vt propterea in ſummo diſcrimine agam' ſinguli, plurimi etiam ſanguine illis teſtimonium perhibuerint: tum faciant de arbore iudicium, & fructus vitæ reliqui. Chryſoſtomus ille omnium Orientalium ſcriptorum Alpha, omnia quæ contra liberum arbitrium Scripturæ loca adducuntur, pro libero arbitrio facere coegit, ac ita multa Dei verba à ſuo ſenſu detorſiſſe videtur. Quid iam dicemus, tam ſanctum & incomparabilem antiſtitem, qui pro Chriſti nomine occubuit, mendacium Deo impegiſſe? Vt ipſe Scripturam intellexit, intelligendámque aliis cenſuit, ita eſt eam interpretatus, moriturus potius milies, quàm ſciens verbum Domini non ſuo ſenſu enarrare. Sic ipſi hac in cauſa noſtri aduerſarii, illud, Caro non prodeſt quicquã, vno in loco de carne Chriſti, imò ipſo Chriſto, alibi de carnali intelligẽtia interpretãtur. Hìc alterã interpretationẽ neceſſe eſt eſſe falſã. criminabimur ergo eos quòd Chriſtũ arguãt mendacii? quòd falſum impingãt? Quid eſſet à charitate alienius? Ita facerem' ſi hìc & nos, verbiſq; Cœnæ nõ ſuum intellectũ affingerem': quod ne ipſũ quidẽ verè nobis tribui, dies Domini teſtabitur. quis vel aliquo cãdore præditus, ob id dicat nos mendacem facere Chriſtũ, maniſeſtúmque eius verbum oppugnare? Qua iam fronte ſcribant in eo nos eſſe vt Eccleſias Euangelio ſpoliemus, quod ſumma tamen fide, & paulo maiore quàm ipſi carnis periculo prædicamus, ipſi viderint. Porrò quòd Chriſti Eccleſiis conantur perſuadere, Chriſti nos negatores eſſe, & confeſſionem Diuinitatis velle ſublatam, ſi non conſideraremus à Domino eſſe hanc immiſſam illis tentationem, & mutuis criminationibus nihil aliud effici quàm Eccleſias offendi, gratificari Satanæ, nõ deeſſent & ſtomachus, & verba, quibus oſtenderemus quàm iſta nos meritò vrant. Mortuus eſt pro nobis Seruator, Dominus & Deus noſter Ieſus Chriſtus, in morte eius ſumma nobis gloriatio, mors quoque pro ipſius nomine deſtinauimus: quomodo leue eſſet iſtorum palàm traduci & calumniari? Scimus (gratia Patri cæleſti, à quo audiuimus ac didicimus) & confitemur coram Angelis eius & mũdo, verbũ quod initio erat, & Deus erat, carnẽ factũ: hoc eſt verũ hominẽ, verúmq; & noſtris ſimile, ſolo peccato excepto, vt & illi confitentur, corpus aſſumpſiſſe, in eóque poſtquam morte ſua noſtra peccata expiauit in cælum (vt Scriptura teſtatur) hoc eſt in inuiſibilem Patris gloriam aſcendiſſe, & ad dexteram eius ſedere, hoc eſt proxima ab ipſo poteſtate ad inſtaurationẽ Eccleſiæ ſuæ pollentem regnare. Exaltatio ſiquidem ita iuxta humanitatem ei tribuenda eſt,

vt tribuitur & humiliatio. Vtcunque autem cælos corpore petierit, in eo, ſicut abiit, tum reditu
rus quando iudicabit orbem: ſcimus tamen nihilominus ſuis ipſum adeſſe ad conſummationẽ
vſque ſeculi: idque non tantùm vt Deum, ſed vt hominem, mediatorémque noſtrum erga Deũ,
ac Spiritus cæleſtis adminiſtratorẽ. Cæterùm ipſe affirmauit, & nobis conducibilius eſſe quòd
abiret. abiiſſe ergo eum (id quod Apoſtoli viderũt) credimus: nobis oculos clauſiſſe, ne eum præ-
ſentem videremus, quando id ſe non dixit facturum, non credimus. Satis nobis eſt quòd ipſe ſui
præſentiam per Spiritum paracletum pollicitus eſt. Sic eum non ſolùm in medio ſuorum, ſed
& in ſingulorum cordibus præſentem, vitam & ſalutem noſtram ſentimus, & prædicamus. De-
nique & carnem eius verum vitæ cibum, ſanguinem eius indubitatum ſalutis potum in Eucha
riſtia (quanquam non ſolùm in Euchariſtia) ſumi ad æternam vitam, quia experimur, non eſt
quod ambigamus. At corporaliter non addimus, quia ipſe non addidit, nec vlla Scriptura ad-
dendũ poteſt conuinci. Quid iam in his quæſo gloriæ Chriſti derogamus? in quo Euangelium
tollimus? Chriſti Diuinitatem per quem & condita omnia, & inſtauranda ſunt, in quo negam⁹?
Proinde nemo veritatis amicus, atrocibus iſtorum cõuitiis, & calumniis inauditis nobis, fidem
habeat. Tẽtatione graui (nolo quicquam dicere moleſtius) occupati ſunt, & ſui exemplo docẽt,
quanto in timore nos verſari deceat, quámque nihil ſit omnis homo. Boni viri (ita eos corã Deo
habeo, etſi erga nos nihil minus de ſe teſtentur) monent ſe mutuò ne vllam nobiſcum pacem
ineant: per nullam enim charitatem eſt verbum Chriſti prodendum. quod quàm incõſyderatè
faciant, dum ipſi non poſſunt, qui integris adhuc ſunt iudiciis, ex eo perpendant. Scripſimus an
teſignanis illorum, & obnixè orauimus vt de verborum Cœnæ ſenſu ſcriberent quæcunque ve
ra crederent: refutarent quæ falſa, tantiſperdum Scriptura nos, & fidei analogia prohiberet ne e-
orum interpretationi accederemus: fratres tamen nos haberent, & cætera Chriſti in nobis, quæ
& ipſi prædicant, non immaniter adeò inſectarentur. Quam modò his verbi Chriſti proditionẽ,
quid obſecro, quod indignum ſit Chriſtianis, præſtare poſtulauimus? Qui non idem olim iudi-
cabant de die quolibet, quorúmque gratia oportuit Paulum Hieroſolymis expiare, quòd ex iuſ
ſu Chriſti cum Gentibus quo eas lucraretur, communicaſſet, & ceremonias Moſcheh interim
poſthabuiſſet: an non grauiter iſti circa totum Chriſti Euãgelium errabant? At inſignis hic A-
poſtolus, & illos nihilominus ſuſcipiendos docuit, & in horum gratiam purificationem ſu-
ſcepit. Sic & aliàs ſæpe Iudæis fieri Iudæum, & infirmis infirmum, nihil illũ piguit, neque pro-
diturum ſe eo Euangelium exiſtimauit. Verùm ad hoc nobis reſpõdent, nos non eſſe infirmos,
quia repugnemus, non animaduertentes quàm hic nihil dicant. Nam repugnabant veritati, &
quidẽ fortiter Hieroſolymitani illi fratres. Ecquæ tãta fidei infirmitas, quàm falſò putare, ſeſum
ſe Domini ſequi, neque poſſe acquieſcere ſaniora monentibus? Certè ſi Romani illi infirmi nõ
repugnaſſent, minimo negotio fortes fieri potuiſſent, nec fuiſſet opus de ſuſcipiẽdis infirmis, &
nõ ad diiudicationes diſceptationũ Paulũ præcipere. Nos nõ dubitamus ipſos in hac re à vero
aberrare: ſed quia ſimul perſuaſum habemus imprudentibus id accidere, vt infirmos eos am-
plectimur, abiecturi, ſi ſcientes crederemus vim facere verbis Dei. Sic viciſſim quum nullam
vel veriſimilem ſuſpicionem habeãt, nos ſcientes veritati aduerſari, tametſi id de nobis auſi ſint
ſcribere, debebant & illi, ſi ita vt ſe iactant, de ſua ſententia certi eſſent, noſtram fidei infirmitatẽ,
id eſt verbi Dei hac in re ignorantiam boni conſulere: ſuſceptiſque nobis dare operam vt olim
meliora perſuaderent: non ita autem deuouere, & omnia noſtra Satanæ tribuere. Equidem ſcri-
pſi aliquando, controuerſiam eſſe tantùm circa vnum Scripturæ locum, eúmque tradẽtem ex-
ternam duntaxat ceremoniam, eóque indignam eſſe, ob quam diriter adeò fratres in fratres ſæ
uirent, & pernicioſè Eccleſiæ ſcinderentur. Hoc conſilium, poſt alios Pomeranus in ſua confeſ-
ſione interpretatur inſidias Satanæ ſummè cauendas, vt quo perſuadere voluerim, contemnen
dum eſſe verbum Chriſti, negari, & pro eo verbum humanum ſtatui. Ego verò iam oſtẽdi, quòd
liberam fecimus eis omnium eorum approbationem quæ noſſent vera, confutationem eorum
quæ ſcirent falſa: ſolúmque petiiſſe, ne quæ agnoſcerent vera & ſancta in nobis, cum iis quæ vi-
deri vellent erronea, ſimul condemnarent, & vt (non obſtante quòd in præſenti non poſſemus i-
dem ſapere) nos vt fratres, & vel infirmos, dum aliter non poſſent, amplecterentur. Vnde hic col
ligere potuerunt, nos petere vt leue ducant, verbum Chriſti abnegari, & pro eo hominum fig-
menta reponi? Miror autem illos nullum inter errores, vt olim Stoici inter peccata, admittere
diſcrimen. Quis non videat periculoſius infinito errari circa ea Scripturæ loca, quibus Chri-
ſtus nobis vnicus prædicatur Deus & redemptor, quàm circa verba Cœnæ? Vtque ſine Eucha-
riſtiæ & intellectu & vſu, filius Dei eſſe poſſum, ſine fide in Chriſtum ſeruatorem vnicum non
poſſum? Fateor autem, ſi non Euchariſtiam modò, ſed minimum Iod quis ſciens, vel contemnat
vel inuertat, eum Chriſtum quoque abiicere & blaſphemare. At quãtum eſt diſcrimen inter er
rantẽ, & ſcienter blaſphemantem? Sed quid opus eſt verbis, in quibus tentatio hæc animi ocu-

los non præſtrinxit, nullo negotio vident, quòd nihil periculi fuiſſet, neque ſublatum è medio Euangelium, ſi etiam nos vt fratres toleraſſent, atque cõmendaſſent quæ & ipſi docent. Neque prudenter ſanè colligit Pomeranus, dum ideo cauendum à nobis ſcribit, tanquam ablaturis noſtro dogmate Euangelium, quia Papa illud vna ſpecie communionis abſtulerit, reſtitutis in locum ſanguinis Chriſti laicis prohibiti, Miſſarũ abominationibus. Abſtulit verò Papa (quã quam nolim eius patronus eſſe) totum Euangelium, vna ſpecie communionis, in locum repoſitis tot Miſſarum abominationibus. Quid quæſo Papa nõ fecerat iam quum Thomas Aquinas ſcripſit? nam & tum Miſſæ pro ſacrificiis habebantur. At eo tempore laicis nondum calice Domini fuerat interdictum. O vtinam iſti Satanæ cogitationes melius noſſent, animaduerterent vtique, nihil illum prius habere, quàm vt Euangelium malè audiat, eius profeſſores ſe mutuò proſcindant, & quum nihil carni non indulgeant, merum tamẽ gloriæ Diuinæ zelum putent, nihil penſi habentes, quàm multa etiam tantum hominibus indigna admittant, quámque grauiſſima paſſim puſillis ſcandala obiiciant. An autem hoſti illi concordiæ & omnis boni, in his non plurimum gratificentur, ipſi viderint. me enim monitorem non ferunt. Certus autẽ ſum longè eum potius habere atrox hoc diſſidium, & feraciſſimum omnegenus ſcandalorum, quàm ſi (quod petieram) ſcripſiſſent veritatem Spiritus in verbis Cœnæ: refutaſſent dogmata diuerſa, nobiſque idem ius, & Eccleſiæ iudicium permiſiſſent, omiſſis interim ſannis illis nimium ſcurrilibus, & pluſquam Archilochicis conuitiis: adde & pleraque confeſſa mendacia. Quid enim tãtũ periculi à noſtra doctrina? Verba Cœnæ vera credimus: ſed ſolis quum ſint dicta diſcipulis, & pro his tantũ ſit corpus Domini datum, & ſanguis fuſus, nihil hic filiis Belial cõcedimus, quoniam nec ipſi cum Domino vlla eſt conuentio. Ad hæc nihil prorſus, quod ex illis certò colligi poteſt, reiicimus: tãtùm, quod & ipſos facere credimus, obſeruatis diligẽter omnibus quæ Chriſtus inſtituit, potiſſimum ad fidem in ipſum, & gratiarum actionem pro morte eius homines dirigimus, externa ſine iſtis ſola, non inutilia modò, ſed & noxia affirmantes. Cætera quæcunque docemus, hæc ſunt, Crede Chriſto vt ſeruatori tuo, abnega temetipſum, fer impoſitam ab illo crucem, dede te proximi obſequiis, & æquanimiter expecta donec te hinc in cælos ad ſe recipiat Pater. Dum hi ergo de (quorum hoſtili noſtri inſectatione, nihil tale ab eis meriti, querimur) aliud in præſenti nequeunt, alii quos Erinnys iſta nondum adeò occupauit, ſaniori omnia iudicio expendant. Videbunt indubiè iſta quam aduerſarii hac in re noſtri inſtituerũt ratione, nihil aliud quàm Eccleſiam ſcindi, infirmos offendi, Euãgelium reddi abominabile, & Chriſti nomẽ blaſphemari, eóque nihil minus Chriſtianos, quàm ad iſtum agere modum, decere. Conſideret quis Eccleſiam ab initio ſui, quando vnquam bene adeò habuit, vt non ſicut peccatis Sancti, ita & erroribus fuerint obnoxii omnes? Semper autẽ qui Spiritu Chriſti rectè inſtituti fuerũt, non minus errantes quàm peccantes tulerunt, qui modò in Chriſto ſalutis anchoram figerent, & Eccleſiam non ſcinderent. Vnus Deus ſiquidem docere ſua poteſt: nos plãtare quidem & rigare, ſed quod vtrunque nihil ſit, ſi ipſe non adiiciat incremẽtum. Par igitur erit, ſiquẽ errare deprehẽderimus, vt primùm illum docendũ Deo precibus offeramus: deinde ita moneamus, vt Dei nos miniſtros queat agnoſcere. quod præſtabimus, ſi ſumma id lenitate & humanitate fecerimus, nequaquam animum deſpondentes, ſi non illico ſuccedat, quòd Deus ſuum tempus in omnibus obſeruet, neque deſerere poſſit qui ipſum timent. Hũc nos prouocare debet, quòd & nos labi poſſumus: qui in ſæpe, tum etiam quum de fratris errore nobis videmur quàm certiſſimi, ipſi fœdè hallucinamur, illo veritatem ſectante. Hæc volui pientiſſime Archiœnochoe de flagranti nimium hoc circa ſanctam Euchariſtiam, ſummæ ſymbolum cõcordiæ, diſſidio, hic memorare, vt & T. D. & alii hæc lecturi viderent, quàm nos ab eo abhorreamus, & quàm nullam quoque ei cauſam dederimus: quáque ratione vel caueri, vel ortum ſedari poterat, ac etiamnum nonnihil remitti, ſi non omnium turbatori Satanæ pluſculum Dominus indulſiſſet: vtique quo cùm fidem noſtram probaret, tum moneret ne vel nobis vel aliis hominibus (quando adeò omnis homo per ſe nihil niſi vanitas eſt) vel tantillum fideremus. Non præterit autem nos, vt & alia quæ de concordia maiore ſtudio colenda ſcripſi, ita hæc quoque aduerſarios eò rapturos, vt inde colligant nos cauſæ noſtræ diffidere, premi nos ſentientes: ſed dies Domini id reuelabit, neque obſcurum nunc eſt, quando morte, & duris cruciatibus, noſtram fidẽ tot iam fratres confirmarũt. Palàm etiam id faceremus, ſi coram cordatis Chriſtianis daretur de his rebus inter nos colloqui: id quod per præſtantiſſimos aliquot & principales viros omni ſtudio ambiuimus: ſed neſcio qua cauſæ ſuæ fiducia, id primi illorũ qui ita nobis inſultant, pertinaciter renuerint, quum noſtræ tamen partes ſint omni poſcenti, fidei & ſpei noſtræ rationem reddere. Vnum adhuc, nõ mea, ſed Euãgelii Chriſti, quod indubitatum prædico, cauſa adducere, ipſa cogit neceſſitas. Biennio hinc verti in linguam popularem noſtram Pomerani in Pſalmos Enarrationes, ſimúlque adiunxi quæ profore Lectoribus ſperabam. nam datis ad me literis ille non ſolùm permiſerat

ſed iuſſerat etiam vt operi adderem,demerem,mutarem,vt non minus meum quàm ſuum eſſet Pſalterium. Id ita præſtiti,vt nemo qui in his iudicare poteſt,non agnoſcat,perutilem operi acceſſionem per me factam. Hac occaſione,quum & ipſe in Pſalmo 111, de Euchariſtia aliqua tractaſſet,ego quoque nõnulla de ea diſſerui. Inter cætera verò,cõtra vulgarem,& ipſi quoque damnatam panis Dominici adorationem,neque verbulum admiſcuí quod vel cũ veritate, vel cum ſententia eius puguet. Ipſe autem neſcio quo ſpiritu actus,diram contra me Apologiam, accuſans perfidiæ,ædidit: reſpondi illi,vt me & illũ,& Eccleſiam Chriſti decere arbitratus ſum. Summa fuit,me capitis velle dare pœnam, ſiquid etiam contra ſuam ſententiam ſcripſiſſe me eo loco poſſet conuincere,quanquam id licuiſſet: quia ita tractare eum librum iuſſerat, vt non minꝰ eſſet meus quàm ipſius. Iam in ſua confeſſione volens probare me illius ſentẽtiæ contraria ſcripſiſſe,adducit mea,quali fide ego nullius Turci,aut Scythæ, nedum illius,aut vllius Chriſtiani ſcripta adducere vellem. Refutans equidẽ vulgarem adorationem, inter cætera ſic ſcripſi,Chriſtus quidẽ,porrecto diſcipulis pane,dixit, Hoc eſt corpus meum; ſed iuſſit ipſum edere,& direxit ad corpus ſuum,quod pro ipſis tradebatur in mortem,quo iſtuc crederent,& ipſum internè perciperent,ac ſpiritualiter manducarent. his continuò ſubiunxi, *Dann ſuſt,das lyplich nit nutz ia vilmer ſchad iſt*,hoc eſt, Alioqui,id quod corporale eſt,non vtile, ſed potius damnoſum eſt. Hæc mea verba adducens Pomeranus,particulam *ſuſt*,id eſt alioqui,omiſit: nam non faciebat ad calumniam. Ego enim nihil dixeram, quàm ſine ſpirituali manducatione, corporalem non vtilem modò, ſed & noxiam: id quod & ipſe ſcribit. Quid verò audirem ſi non tam bona fide ſcripta illius adduxiſſem? Simili fide poſtea ſcribit me dicere,Chriſtũ iuſſiſſe panem edere,qui non ſit ſuum corpus: quod ſi non ſolùm in communi illo noſtro Pſalterio,ſed in vllo ſcripto meo inuenerit,iam me volo ipſe morti addixiſſe. Vbi autem hìc pudor? vbi vel Ethnica fides? Quãta quæſo eſt hæc tentatio viri,mea quidem opinione minimè mali? Poſt hæc iterum ſuam cantilenam canit,pani accedere verbum, quod Euangeliſtæ memorant dictum diſcipulis: ſed nolo hìc tractare cauſam Euchariſtiæ,abũdè iam aliis libris tractatã: quanquã reſpondebitur proprio libro, vel per me, vel alium,& confeſſioni Pomeranicæ: tantùm qui Chriſti ſunt,& nobis alteram aurem ſeruent. Monueram etiam hominem in Apologia mea, quando multis in locis Pſalmorum germanum ſenſum non fuiſſet aſſequutus, vt non abiuraret eius caſtigationem. Nam ſcripſerat ſe nunquam illud facturum melius,ſed ſic permiſſurum vt ſit memoriale illius inſignis doni Dei, quo dederit ei, ad finem vſque Pſalmorum,abſque alio duce, perrumpere. Hanc mihi nunc admonitionem inuertit,quaſi calumniatus ſim quòd dixerit,inſigne opus Pſalmorum: tum quòd quædam retractarit,quorum neutrum in mea Apologia legit: vt demirari ſatis nequeam,hominis incogitãtiam dicam,an quid aliud. Sed vel merita crimina regerere,quid ædificet? Dominus oſtendat illi ſuum errorem, tollat ſupercilium & confidentiam, donétque mentem ſanctæ concordiæ paulo ſtudioſiorem. Sed tandem de noſtro labore,quem D. T. volui inſcribere, quãquam & hæc haudquaquam ingrata fore exiſtimo, quũ ſpes ſit illis monitos pleroſque, Chriſtianam vnitatem ſtudioſius culturos,& erga eos qui ab eis diſſentiunt,futuros mitiores. Pridem propoſui hac hyeme,ſi Domini fauor adſpirauerit, Pſalmos quoad licebit,pura & genuina enarratione explanare: cui minimè vulgari operi paratiorem me redditurus, conſilium nuper cœpi, explanatione Prophetæ alicuius breuioris velut præludere, atque tentare, quàm ſuccederet Propheticorum ſcriptorum, in quibus propter linguæ hiſtoriarúmque inſolentiam,pauci non ſudabunt,enucleatio. Deſumpſi ergo mihi Tzephaniah(Græcos ſequuti, Sophoniam aliàs vocamus) breuem quidem illum,ſed ſenſibus fœcundum adeò,vt omnium ſanè quæ Prophetæ reliqui, quanlibet magnis libris ad nos tranſmiſerunt, elegantem nobis epitomen compoſuiſſe rectè dicatur. Hunc ergo Prophetam ad Hebræam veritatem ſic verti, vt & à noſtris hominibus intelligi vel aliquatenus poſſet,nec tamen à verbis illius, quoad licuit, recederem. Non in omnibus quidem verba adnumeraui: id enim ſuperuacaneam obſcuritatem peperiſſet. Extãt in ſua lingua Biblia: & ſunt hodie(gratiæ Domino)tam multi paſſimqui ea conſulere poſſunt,vt nihil timendum ſit neqnid liberioribus verſionibus,Scripturæ veritati decedat. Adiunxi commentarium,in quo pro virili ſingula Prophetæ verba,genuino ſenſu enarrare ſtudui: tum & in locos cõmunes nõnunquam digreſſus ſum: ſed eos duntaxat qui præſenti Eccleſiæ viſi ſunt ad ædificationem nonnihil commodaturi. Hoc quicquid eſt laboris,tibi, clariſſime Georgi, dicare volui,non tam propter ſingularem tuam erga me nihil huius meritum beneuolẽtiam, quam Louanii primùm,deinde & in ruis ad me literis declaraſti,quàm quòd cum parentis tui domini Eberhardi,viri ſingulari fortitudine,prudentia, & religione ſuſpiciendi, tum & tua in Chriſtum ſeruatorem noſtrum, pietas mereatur Eccleſiis Sanctorum ſingulariter commendari, palámque agnoſci,vobis religionis ſynceritate, & Scripturarum ſanctarum autoritate, nihil haberi antiquius, nihil æquè vos velle promotum: denique te iis dotibus præditum, ſumma manſue-

rudine & lenitate,ſingulari & ardenti religione,mira animi conſtantia:tum præter inſignem in iuuenili ætate prudentiam,rerúmque vſum,plurimas peregrinationes,Martíſque aleam,etiam minimè vulgari eruditione,vt nemo dubitare poſſit, te ſibi Dominum ad peculiarem nominis ſui illuſtrationem deſtinaſſe . Quum ergo pro omnibus in eminentia conſtitutis Sancti ſedulò orent , pro huiuſmodi ſanè quos peculiariter Dominum gloriæ ſuæ ſpargendæ conſecraſſe vident,preces fundunt,& ardentiores & frequentiores, ſicut & Paulus eorum præcipuè in precationibus ſuis memor erat,in quibus Dei iã bonitas ſingulariter clareſcebat.Boni igitur & æqui D.T.qualecunque hoc meum officiolum cõſulat, & Crucifixi,cui Pater omnia dedit in manus, gloriam fortiter adſerat. Is te, pientiſſimos parentes tuos, omnémque domum & ditioné ſemper ſeruet,beatóſque reddat. Argen.I I I.Septemb. Anno Chriſti,M.D. X X V I I I.

ARGVMENTVM IN TZEPHANIAH PROPHETAM.

QVum decretum omnino apud Deum eſſet vt Ieruſchalaim ,vnà cum templo per Chaldæos excinderet,omnémque Iehudah regionem deuaſtaret,&populum reliquum in Babyloniæ regionem exulatum tranſferret,ſolita ſua bonitate Prophetas pleroſque etiam tum quũ hæc imminerent populo ſuo dedit,& inter eos Iirmeiah, & hunc noſtrũ,præcipuos, per quos vrbis & regni vaſtationem illis prædicebat, & ad reſipiſcẽtiam hortabatur:tum quo facilius merita mala ferrẽt, prænũtiando & hoſtium eorũ exterminium, ipſóſque ad ſedes proprias reuocãdos: denique nomẽ ſuũ,tum apud illos,tũ per illos in vniuerſo orbe magnificè illuſtrandũ:vnde tam ipſis quàm omnibus illud agnoſcentibus,multo cumulatiſſima eſſet fœlicitas obuentura,mirificè illos iuxtà conſolabatur.Nã etſi ſub Ioſchiah Rege,ſub quo hic noſter prophetauit,conuerſus vtcunque ad Dominum populus Iudaicus eſſet,non tamẽ fuerat ille à furore ſuo magno, quem contra populũ ob incomparabilem eorum impietatem conceperat,vt hiſtoria Regum memorat.reuerſus ſiquidẽ nec populus ex corde reſipuerat:id quod ſatis manifeſtũ fecit,quũ ad ſolitas abominationes ſuas,ſimulatq; Ioſchiah eſſet interẽptus, relapſus eſt. Porrò iſta quæ Prophetæ ſinguli tractãt, populi ſcilicet ob ſua ſcelera obiurgationem, tum prædictionem eorum quæ ob illa Dominus erat eis miſſurus : inde vaticinia, & de eorum rurſus liberatione,& de hoſtium eorum excidio irreparabili,denique & de regni Dei beatiſſima per vniuerſum orbem illuſtratione: hæc inquam Propheta noſter, non tam fuſè quidem vt alii,ſed mira & luculenta breuitate in compẽdium redegit.Primo capite,accenſam Dei contra populũ iram,quæ ablatura vaſtaturáq; erat omnia,prædicit:tũ ob quæ ſcelera potiſſimum,ita illa exarſura eſſet, nec filiis Regis,nec Principibus aut cuiquam parſura. In ſecundo,ad reſipiſcentiam reuocat,ſimúlque de aliarum cum vicinarum,tum etiam populo inimicarum Gẽtium,nempe Philiſthæorũ,Moabitarum,& Aſſyriorum exterminio vaticinatur: quo inſtãtis Diuinæ vltionis maximam vim explicando, & ſuos ad reſipiſcentiam acrius impulit, & ſimul cõſolatus eſt. Nam hoſtibus ipſorum,more Prophetis ſolenni, perpetuam & nunquam finiendam vaſtitatẽ prædixit. In tertio iterum ſcelerum ſuorum Ieruſchalaim admonet,oſtẽditque vt omnes in ea ordines fuerint perditi,Principes,Iudices,Prophetæ & Sacerdotes, eóq; indubiè & populus impudentiſſimus ſingulis in ſcelera ruentibus,nihil vel veritis Dominum,qui præter innumera illa beneficia,peculiarem gratiæ ſuæ ſedem apud eos delegerat,neque excidio Ephraim,aliorúmque regnorum & Gentium,abſterritis.Quia autem propter electos potiſſimum erat ad vaticinãdum Diuinitus delegatus,mox conuertit ſe ad prædicandam indicibilem Dei ſuper eos dignationem,quæ à Iudaicæ Gentis diſperſione ſenſim ſeſe erat exertura:ab exaltato verò Chriſto effulſura clarius,& in regeneratione plenè demum conſummanda. De horum ergo conuerſione & pietate,tũ & incogitabili fœlicitate ad finẽ vſque libri præclara,memorãdáq; vaticinia texit.

Tzephaniah Propheta.

CAPVT I.

1 SErmo Domini qui factus eſt ad Tzephaniah filium
Cuſchi, filii Gedaliah, qui filius erat AEmariah, filii
Chizkiah: in diebus Ioſchiahu, filii Amon Regis Ie-
hudah.
2 Auferendo aufero de terra omnia, ait Dominus.
3 Aufero hominem & pecus, aufero volucres cæli, &
piſces maris, & impingent ſcelerati: excindam homi
nem de terra, ait Dominus.
4 Extendi manū meam ſuper Iehudah, & ſuper ha-
bitatores Ieruſchalaim: excindam de loco iſto *reliquias Baal, nomen *Kema-
rim, vnà cum ſacrificulis:
5 Et ſupplicantes in tectis militiæ cæli: eóſque qui cum ſupplicāt, iurántque
Domino, *iurant ſimul & per Regem ſuum:
6 Et qui retrocedunt à Domino: quique non inquirunt Dominum, neque in-
ueſtigant eum.
7 Sile à cōſpectu Dominatoris Domini: quia propè eſt dies Domini, quia pa
rauit Dominus ſacrificium, expiauit quos ad id ſibi conuocauit.
8 Eritque in die mactationis Domini, vltionem *ſumam de Principibus, de fi-
lis Regis, déque *peregrino cultu vtentibus.
9 Vltionem ſumam in die illo de omni tranſiliente limen: *qui domum do-
minorum ſuorum, vi & fraude replent.
10 Eritque in illo die, ait Dominus, clamor à *Porta piſcium, planctus à Secūda,
fragor magnus à Locis editioribus.
11 Plangite habitatores vici mercatorii: conſopitus enim eſt populus mercato
rum, exciſi ſunt vniuerſi pecunia onuſti.
12 In tēpore illo luſtrabo Ieruſchalaī lucernis, & vltionē ſumā de viris qui in fæ
cib' ſuis *cōgelati ſūt, ac dicūt in cordib' ſuis, Domin' nec bene, nec male faciet.
13 Copiæ illorum diripientur, & domus eorum vaſtabuntur: domos extruent,
neque inhabitabunt: ſerent vineas, & non bibent vinum ex illis.
14 Propè inquā eſt dies Domini magnus, propinquus & properans admodum:
vox diei Domini, *fortes amarum vociferantur.
15 Dies ille, dies iræ æſtuantis, dies afflictionis, atque anguſtiæ, dies deſolatio-
nis, & vaſtitatis, dies tenebrarum & caliginis, dies denſæ nubis & nebulæ.
16 Dies buccinæ & clāgoris ſuper vrbes munitas, & ſuper propugnacula celſa.
17 Afflictionē mittā hominibus, ibunt tāquam cæci, quia peccarunt Domino,
& effuſus ſanguis eorum, inſtar pulueris erit: & caro eorū vt ſtercus habebitur:
18 Nec argento, nec auro ſuo poteruntſeſe liberare in die iræ Domini æſtuan-
tis: igni zeli eius vorabitur omnis terra, quoniam faciet vt conſumantur: certè
terrore complebuntur vniuerſi inhabitatores terræ.

*Id eſt reliquos cultores Baal.
*Peculiare genus ſacerdotū Baal. Heb. monachos vocant: nigro vtebantur cultu. Cuius ſingulari camar, & caphar Galli ſuos hypocritas appellant:
*qui ſibi in Deū ac ita ſupremum Regē delegerūt.

*Mutatio perſonæ loquētis, Scripturæ frequens.
*Exoticis luxuriantes auiscos videtur ſignificaſſe.
*Videtur notaſſe famulicium Regis, ad iniqua ministeria promptū & alacre.
*Certæ regiones vrbis ſunt.

*In malis ſuis ſordidis obſtinati.

*Hoc eſt, vel fortes hoſtes terrificam vocem dabunt: vel tanta erit afflictio, vt & fortes præ anguſtia clamaturi ſint, eſt enim ambiguum.

ENARRATIONES.

1 SErmo Domini qui factus eſt ad Tzephaniah filiū Cuſchi, filij Gedaliah, qui filius erat AEmariah, filii Chizkiah: in diebus Ioſchiahu filij Amon Regis Iehudah. Hic prophetiæ huius titulus eſt, quo & nobis ea plurimū cō mēdatur. Si enim filii Dei ſum', nihil debet nobis verbo Dei haberi antiquius. Qualiſcūq; ſi qui

dem hic ſermo ſit, qualeſcunque & ad quos per Vatem primùm habitus eſt, vt nõ ſine ſingulari Dei dignatione ad nos vſque peruenerit: ita nobis quoque non contẽnendã frugẽ afferet, pia curioſitate perpẽſus & obſeruat⁹. Omnia etenim Sacra propter noſtrã doctrinã ſcripta ſũt, Rom. 15.d.12. Et quicquid veteri populo accidit, typ⁹ eſt in quo opera & iudicia Dei, tã erga pios quàm impios delineata, cõſiderari debẽt, 1.Cor.10.c.12. Nõ poterit igitur fieri quin optãdo cum fructu etiam hæc quæ exigendis iam in exilium Babylonicum, ob ſuam impietatem Iudæis, Propheta hic Domini Diuinitus inſtructus prædicauit, excuſſerimus, & ſigillatim omnia expẽderim⁹. Huc debet nos inuitare & illud, quòd res noſtræ rebus gentis Iudaicæ, quum iſta à Vate hoc audirẽt, haud diſſimiles ſunt. Et nos enim populus Dei habiti pridem ſumus, nihil minus autem quàm vocẽ eius audiuimus, in quæuis potius quàm in ipſum ſperauimus. Innocentia atque beneficentia in proximos, colere eum debueramus: his autem poſthabitis, ornando ligna & lapides, corpus ſine cauſa affligendo, abſque mente multum verborum & cantionũ fundendo, præpoſterã menſæ Domini pompã, vel ſuſpiciendo, vel exercẽdo, ac aliis Phariſaicis magis quàm Chriſtianis operibus incumbendo, demereri ipſum laborauimus. Moniti in fide erga Deũ per Chriſtum, atque dilectione in proximos, omnem pietatem, ac quæcunque à nobis Deus requirit, ſita, non modò non reſipuimus, ſed pars monẽtes ad necem vſque perſequitur: pars omnia cõtemnit, & ridet: pars amplexi reſipiſcentiam, carni tamen magis quàm Deo viuimus. Habem⁹ præterea noſtros quoque Iechezkuas & Ioſchiias, ſed ne ſic quidem toto corde ad Dominum conuertimur. Quid iam expectemus aliud quàm quod experta eſt olim impietas Iiſraelis? & quidem tanto atrociora, quanto nobis amplior lux affulſit. Sciens ſeruus voluntatem domini, plagis vapulabit multis: pluribus ergo qui plura nouerint. Proinde his tãquam propriè ad nos attinentibus, totis animis auſcultemus: ſi fortè extentam ſuper nos, vt dignas de impietate noſtra pœnas ſumat, reſipiſcentibus ſeriò nobis, manum ſuam Deus retrahat, aut certè donet noſtro commodo ferendam. De ratione qua ſermo Domini ad Prophetas factus eſt, item de diuerſitate appellationis, quòd nunc Viſio, nunc Verbum, nunc Onus dicitur, multa alii diſputarũt. Satis equidem habeo Prophetas inſtinctos & afflato (vt Petrus inquit) Spiritu ſancto, ſua & loquutos eſſe, & ſcripſiſſe, ex arcana ſcilicet, ſed certa Dei reuelatione: vnde rectè Viſionem, illa vocarunt: nec minus rectè, Verbũ Dei ad ſe factum, quando nihil non ab ipſo Dei Spiritu acceperint. Onus item commodè dixerunt, quum moleſtam oneroſámque Dei iram prædixerunt.

Res noſtræ ſimiles Iudaicis.

Verbũ Dei quid.

Quòd Prophetæ pater, auus, proauus, & abauus nominatim memorantur, eius vtique nobilitatem, neque profanã illam, vt crediderim, quòd huius in Scripturis nulla ratio habeatur, ſed ſanctam indicat. Hebræi putãt ſiquando Prophetarum maiores nominẽtur, & eos Prophetas fuiſſe. Id licet affirmare non auſim, facilè tamen perſuadeor pietate fuiſſe inſignes, quicunque ita celebrantur. Nam in hoc adſcripta eorum nomina puto, vt Vatis grauior eſſet autoritas, qui velut hæreditariam iam pietatem obtineret. Et hoc quidẽ nomine nemini Prophetarum hic noſter ſecundus eſt. Quanquam autem inconſultò miniſtri perſona, dum conſtat verbum Dei annuntiari, conſideratur, nonnihil tamen commendationis verbo; quo citius vt Dei verbum recipiatur, conciliat, ſi miniſter ſit pietatis nomine ſuſpiciendus. Atque hæc potiſſimum Paulo cauſa fuit cur tam anxiè requireret Epiſcopum modis omnibus inculpatum, & qui non ſua ſolùm, ſed & ſuorum culpa vacaret: denique exteris quoque probaretur. Sub Ioſchiah Rege, Propheta hic vaticinatus eſt, ſub quo & Iirmeiah. Charus erat propter electos populus Iudæorum Deo, & conueniebat reprobis omnem excuſationis prætextum adimi: ideo nunquam illum Vatibus ſuis, qui ad reſipiſcentiam vocarent, carere voluit, ne tum quidem quum iam exigente id eorum obdurata impietate definitum eſſet vt in manus traderentur Chaldæorum: iuxta illud 2. Chronicorum vlt.d.15, Miſerat Dominus Deus patrum illorum ad illos, per nuntios ſuos, maturando & mittendo ſedulus fuerat, eo quòd miſereret eum populi, atque habitaculi. Illi autem nuntios Dei ſubſannarunt, ſermones eorum contempſerunt, Prophetis ſuis illuſerunt, &c. Eadem & Iirmeiah 25.a.4, legimus. Eadem ſanè cauſa, etiam Regem hunc tam abſolutè pium, qui totis viribus pietatẽ conaretur reſtituere populo, priuſquam excinderetur, dederat: quod & Hieronymus annotauit, vt nihil prorſus omitteret, quo à perditione illos ſeruaret. Eo pacto quãlibet maior pars populi omnia contẽpſerit, atque præcipitẽ ſe ſua inexpugnabili impietate in exitium vltrò dederit, multi tamen ita ad imminens excidium fuere parati, vt & mitius omnia ferrẽt, & non parum ex ea caſtigatione in timore Dei promouerent. Et cui dubium quin Iirmeiah & huius Prophetæ vaticinia, plurimum momenti ad præclaram illam Regis reſipiſcentiam contulerint? Porrò & Regis patrem nominat: ſed id vulgare in Scripturis eſt: aliquì tanquam nota Diuinæ dignationis accipi poſſet, qua factum fuit vt impii patris filius eſſet multo pientiſſimus. De nominibus Prophetæ & maiorũ eius quã habeãt interpretationẽ, ſiquis fortè requirat, Tzephaniah ſpeculatorẽ Dei, Chuſi Aethiopẽ, Gedoliah magnũ Dei, AEmariah ſermonẽ Dei, Chizkiah fortem Dei ſignificat. Soliti ſanè Hebræi, vt & Græci

fuere,nomina ſuis indere,quibus vel aliquis euentus ſignificaretur,aut ineſſet aliqua ad virtutẽ admonitio. Et fieri poteſt,quando omnia certa Diuinæ prouidentiæ diſpoſitione eueniunt, vt Deus puero huic Tzephaniah nomen dari voluerit, quo ſuo in eo operi velut præluderet, oſtẽderétque ad quid enim ſibi deſtinaſſet,nimirũ vt ſuus ſpeculator eſſet. id quod & in Iohanne Baptiſta,& Domino factum legimus. Laudauero hinc eorũ ſtudium qui ea ſuis liberis nomina indunt,quibus vel gratiæ Dei,vel pietatis colẽdæ admoneantur:qualia ſunt nomina quæ vel huius aliquid ſignificant,vel fuerunt eorum in quibus iſta,Scriptura celebrat,vt ſunt nomina ſanctorum Patrum & Prophetarum. Immortalitatẽ autem quærere in nominibus,vt faciunt qui vel ſuis,vel ſuorum maiorum nominibus natos ſuos vocãt,Ethnicum eſt. Sicut & admirationem illis præ ſe ferre,ac imitationem quaſi optare vanitatis veterum Gentilium:quod faciunt qui ſuos filios,Iulios,Pompeios:& filias,Cornelias,Lucretias,& idgenus nominibus vocant. *Quæ imponendi nomina ratio Christianos deceat.*

2 *Auferendo auferam de terra omnia,ait Dominus.*

3 *Auferam hominem & pecus;auferam uolucres cæli, & piſces maris:& impingent ſcelerati: excindã hominẽ de terra, ait Dominus.* Quo grauiore autoritate terreat Vates,Dominũ ipſum loquentẽ & minitantẽ inducit, moréque Prophetarũ(qui inſtar Poetarum figuris plurimum gaudẽt)hyperbole vtitur: tũ quo rem magis amplificet, addit & diſtributionem. Secundo verſu inducit Dominum teſtantem ſe auferendo omnia ablaturum, ídque non ſine emphaſi, in eo quod *auferẽdo auferam* ait, præſenti ſcilicet verbo cum intentione adiecti infiniti vſus. In tertio per diſtributionem enumerare facit homines,pecudes,volucres,piſces, adderéque *& excindam hominem de terra*,quod tãquam ratio eius quòd ſe dixit ablaturum pecudes, volucres,& piſces, adforéque impiis ruinam,accipi poteſt,nempe ad hunc ſenſum,En auferendo aufero omnia,& pecudes,& volucres,& piſces. Impingent tandem ruéntque,vt meriti ſunt,ſcelerati:nam *excindam hominem de terra*: vt nihil eius reliqui ſit, funditus genus extirpabo humanum, eóque & pecudum,volucrum, piſciúmque ſequetur ſolitudo,vt quæ in vſum homini condita ſunt,atque ideo ibi frequentiora,vbi hominũ maior eſt frequẽtia. *Piſces maris*,quoſlibet intelligit,quòd piſcium in mari,& in lacubus, quos maria Hebræi vocant,maior ſoleat eſſe copia.

4 *Extendi manum meã ſuper Iehudah,& ſuper habitatores Ieruſchalaim: excindam de loco iſto reliquias Baal, nomẽ Kemarim,vnà cum ſacrificulis.* Primùm induxit Dominũ minitantẽ ablaturum ſe de terra omnia: móxq; diſtributione in homines,pecudes,volucres,& piſces,id magis perſpicuũ fecit. Nunc quo luculentius iram Dei ob oculos ponat,homines quoque nominatim exprimit,ordinéſque varios eorum qui ſua impietate Gentis excidium meruerant, cõmemorat. *Extendi* (facit Dominũ loquentẽ) *manum meam*: hoc eſt exerui potentiam meam. *contra Iehudah*: quo nomine omnis ille populus ſignificatur quẽ de Iiſraelitis Aſſyrii reliquũ fecerant,in quo & tribus Bẽiamin,aliarúmque tribuum accolæ aliquot erant. *Habitatores* addit *Ieruſchalaim*, quòd apud illos regnum eſſet,& tẽplum. Pòſt *reliquias Baal* ponit. per Ioſchiah enim Regẽ,cultus Baal ſubmotus fuerat,& ablati Kemarim qui incẽſum adolebãt in excelſis. Verùm vt fieri ſolet,non adeò multi ex animo ſub eo Rege reſipuerant,regnãte adhuc in cordibus eorũ Baal: vnde & Kemarim adhuc illis in pretio habebantur. Impii ſiquidem vt in corde negant Deum, ſic & à quouis potius quàm ab ipſo auxilium ſibi quærunt. Ita hodie totus ferè orbis ab idolorum,& idololatrarum præſidio pendet: eóſque Diuos præcipuè colit de quibus prædicari audit, corporis incommoda eos auertere,largirique cõmoda. Interim quãuis ore quotidie Deum Patrem inuocent,& bonitatem eius immenſam tum in admirando mundi opificio relucẽtem videant, tum magnificè ab omnibus piis,omniq; Scriptura celebrari audiãt,adeò tamen pauci ſunt quibus ſatis ſit ipſum inuocaſſe, vt paſſim omnes & Magiſtratus, & populi igni puniendum errorem ſeriò pronuntient, ſiquis ſolum Deum adorare,ſoláque eius gratia niti velit. Huius mali horrẽda exẽpla multis in locis, *Exempla inſignis* tam Germaniæ quàm Galliæ hac tempeſtate eduntur. Neque admodum diu eſt quòd in duab' *idololatriæ.* celeberrimis vrbibus, putrium ſtatuncularum violatio grauius accepta fuerit, quàm vlla vnquã Dei,quãlibet cõfeſſa blaſphemia,aut ſcel' aliud quantúlibet immane. In altera enim nouis cruciatib' abſumpt' eſt qui ſimulachrum deiecerat. In altera(à qua tamẽ antehac totus ferè orbis ſapientiã petebat) quũ neglecta atque obſoleta quædã ſtatũcula inuẽta eſſet capite truncata, ſophis qui illic adorãtur agentibus, publica & mitẽ inſignis ſuſcepta ſupplicatio eſt, qua vrbs tãto ſcelere expiaretur,ac venia à decollata ſtatua impetraretur,quum non decollari modò, ſed planè ad gehennam, abſque numero quotidie depelli viuas Dei ſtatuas, æquis oculis illi videant:neque hoc ſolùm,ſed & ad hæc ſuaſores incẽtoréſque ſint omnium pernicioſiſſimi. Neque certè illam ſupplicationem ex religione,aut D. Virginis(quam præ ſe tulerunt)reuerentia inſtituerunt, ſed ita voluerunt miſeram plebem ludificari, ac ne ad irradiantem nonnihil Euangelii lucem oculos aduertat, abſterrere. Sic iam idololatria implicito orbi, ſiquis etiam Ioſchiah contingeret qui fœdus Domini eũ omni populo renouaret,verum Dei cultum reſtitueret,tol-

lerétque quicquid idololatriæ in manifeſto eſſet: quàm multos putas nihilominus fore, quorũ
cordibus idola, aliæque abominationes nequaquam eximerentur? Ad hunc modum res & ſub
Ioſchiah ſe habuit: id quod ſatis manifeſtum factum eſt, quum illicò ad vomitum redirent ſi-
mulatque ille periiſſet. Hinc itaque eſt quòd Dominus minatur exciſurũ ſe reliquias Baal(bo-
nam enim partem ſuſtulerat Ioſchiah)& nomẽ Kemarim: ſubmouerat enim hos idem Rex, ne-
quis palàm incenſum adoleret. Dominus autem minatur etiam nomen ſe horum deleturum
de loco quem ſibi ſanctificauerat, vnà cum ſacrificulis: id quod factum eſt quũ Ieruſalẽ excin-
deretur. Porrò Baal, Martem Hebræi fuiſſe exiſtimant: cuius rei inter alias, hanc coniecturam
habent, quòd ſacerdotes eius foderent lanceolis ſemetipſos, & redderent ſanguinolentos, vt le-
gimus 1.Reg.18.f.28. Huius peculiares cultores, Kemarim fuere: ſic dicti, quòd nigris vterentur
veſtibus: vnde Vates noſter eos à ſacrificulis ſeparauit.

5 *Et ſupplicantes in tectis militiæ cæli: eóſque qui quum ſupplicant, iurántque Domino, iurant ſimul & per Regem
ſuum.* Stellas cæli צבא השמים, id eſt exercitum vel ornatum cæli vocat. Has ſuſpicere, & ab eis retũ
euentus expectare, vetus adeò ſuperſtitio eſt, vt illã Deus nominatim vetuerit in Lege, 5.Moſch.
17.a.3. Cæterùm in tectis quæ plana habebãt, ſupplicaſſe aſtris Iudæos, teſtatur & Iirmeiah cap.
19.c.13. Quo enim illa recta aſpicerent, in tecta aſcendebant. Decimo cap.a.2, idem Vates cau-
ſam huius ſuperſtitionis notat, quum ait, A ſignis cæli ne terreamini. Quòd enim aſtrorum nu
tu, vitam iſtam gubernari exiſtimarent: ſupplicationibus, incenſis, atque libaminibus placare
illa ſibi volebant. Sic & apud nos, poſtquam perſuaſum eſſe cœpit, pleriſque Diuis ius eſſe mor
hos immittere atque depellere, & à Deo quidvis quanlibet indignis nobis ſuis meritis impetra-
re: adorari quoque & coli cœperunt, extructáque illis ſunt, & ornata ſupra modum templa: con
ſtituti, plurimúmque ditati ſacerdotes, ac plus quàm Deo, ipſis honoris exhibetur. Inde eſt quòd
tam ſanctè paſſim in Scripturis Deus præcepit, ſe ſolum metuendum, à ſe ſolo & bona & mala
omnia expectãda. Id nanque qui crediderit, Dominum ſolum adorabit, colétque: nulli vnquã
Aſtra & hodie coluntur. ſuperſtitioni ceſſurus. Hodie etſi palàm aſtra cæli nemo adoret (quanquã non dubitem multos
eſſe, præſertim ex eorum genere quos Aſtrologos ac fatidicos vocãt, qui illa numinum vice ha
beant) plus nimio tamen paſſim ſuſpiciuntur, & metuuntur. Quod vel inde liquet, quòd annuæ
illæ Aſtrologorum prædictiones tanti fiunt. *Et ſupplicantes, iurantéſque Domino.* Quum hîc Vates
eos enumeret qui impietate ſua Gentis excidiũ meruerũt, facilè liquet, hos quoque ſupplicãtes
iurãtéſque Domino, hypocritas malóſq; fuiſſe. id Ra. Schlomoh notari in eo putat quod ſubii
citur, *iurãtes per Regẽ ſuũ*: quẽ intelligit quẽquam factitium illorũ deum. Nullũ certè ſeculum fuit
in quo nõ & hoc genꝰ impiorũ extiterit, qui veri Dei ſeſe cultores externis quibuſdã obſeruati-
unculis oſtẽtarent, & ſimul tamẽ ad præſidium reſpicerẽt falſorum deorũ. Ita noſtra tẽpeſtate
quicunque religioſiores ſanioréſq; haberi volunt, Deum in primis ſe colere ſimulant. Inde au-
tẽ & à Diuis atque hominum inuentis & operibus, nẽpe Miſſis, aliíſque ceremoniis, ſalutẽ quũ
expectent, præter Deum & homines, cum mortuos tum viuos colunt. Hi ſunt qui ſupplicant, iu
rántque Domino, hoc eſt præ ſe ferunt fidem, cultúmque Dei, quem animo nequaquã præſtant,
dum non ſolo Deo cõfidunt & nituntur. Iurant etenim & per Regẽ ſuum, hoc eſt fiduciam ſuã
& in alium collocant, ſiue Regis nomine deum quempiam, ſiue externum adminiſtratorem re-
gni intelligas. quia enim iurando, Deũ in teſtẽ cordis, ac fraudis vindicẽ inuocamus: iurare in-
ter ea numeratur per quæ teſtamur nos Deum omnium maximũ agnoſcere, ac in primis metu-
ere. Qui igitur & per alia iurãt, illa quoque Diuino honore dignantur, vt quibus iudiciũ ſuper
ſe deferãt, ac velut cordium cognitionẽ tribuant. Hinc populo ſuo Dominus præcepit in nomi
ne ſuo iurare, 5. Moſch.6.c.13, & 10.d.20. Próque defectione à ſe habuit, quũ iurarẽt per deos alie
nos, Iirme.5.b.8. Et quãdo ſolidè pios fore prædixit, regno Chriſti magnificẽtius illuſtrato, tũ
& in nomine ſuo prædixit iuraturos, Ieſcha. 65. d.17. Iirme.4.a 2. Pſalmus verò 63.d.12, ita
Iuramenti pius vſus. canit, Gloriabitur omnis qui iurat per Deũ. Hinc colligẽdum, iurare per nomẽ Dei, opꝰ eſſe pi-
etatis, & quidẽ puræ atque præcellentis, nimirum Chriſtianæ, eóque Chriſtum nequaquã, quũ
dixit, Ego autẽ dico vobis, Nolite omnino iurare: omne iuramentũ voluiſſe reiicere. quod nũc
Anabaptiſtarũ quidam perperam dogmatizant, eóq; multorũ conſcientias miſerè illaqueant.
Quo nanque quiſque Chriſtianior, hoc magis ſtudet omnia in nomen & gloriam Dei agere. Iã
ea cur non & teſtaretur per nomen Dei? Cur ad ea illod non inuocaret? Certè quotquot Sãcti in
Diuinis literis tã Noui quàm Veteris inſtrumẽti memorãtur, cum laude id fecerũt. Quàm ſæ-
pe Dominus ipſe Patrẽ, & Paulus Deum in teſtem inuocat? Nõ ergo quoduis iuramentum, ſed
Explicatur locus DE IVRAMENTO, Matth.5. quod fit temerè & pro re nihili, Chriſtus vetuit. Etenim à corruptoribus Legis Diuinæ deute-
rotis populus perſuaſus erat, Legi Dei de non peierando ſatiſfactum, ſi ſolenne iuſiurandum,
quod cum inuocatione nominis Dei præſtabatur, non violaſſent. Cæterùm ſi per cælum, terrã,
Ieruſchalaim, aut caput proprium, ſiue temerè, ſiue falſò etiam iuraſſent, perparũ referre. Pro-

inde monuit & hæc præſtātiora multo eſſe, quàm vt abſque cauſa per ea iurare licere poſſit: ſtu-
dendum potius vt ſermo noſter, ille nimirũ quotidianus, quem de reb' vitæ huius inter nos cõ-
mutamus, ſimplici affirmatione aut negatione finiatur: à malo, id eſt diabolo omnis mali in-
uentore ac ſuggeſtore eſſe quicquid præterea adiiceretur. Eſt enim Chriſtianorũ, omnia quàm
ſimpliciſſimè & grauiſſimè agere. Dum autem de rebus agitur ſalutis, nihil penitus obmitten-
dum eſt pio, vt eius fidem proximo faciat de quo ille cum pietatis periculo dubitauerit, nedum
inuocandus ad hæc Deus. Quinetiam ſi de profanis rebus iniuratis nobis habere fidem nolit
proximus: referat autem vt extra dubium ponatur, idque præſtati queat inuocatione nominis
Dei, vt omnibus ſeculis apud eos qui vel aliquatenus quod iuſtum & æquum eſt coluerunt, iu-
reiurãdo, dũ alia deeſſent indicia, omnis cõtrouerſia finiri conſueuit. Hebr. 6. d. 16. Certè ex offi
cio dilectionis erit, & hactenus proximo inſeruire, vt inuocatione nominis Dei animum illius
trãquillum reddas. Nihil enim prius curandum, quàm vt nobis cum proximo bene per omnia
cõueniat: quod Dominus cum aliàs, tum eo abundè monuit, quòd munus ante arã relinquere,
dum gratia cum fratre ſarciatur, præcepit. Profectò ſi nõ eſſet germanæ dilectionis officium, e-
tiam de re profana, iureiurando fratri fidem facere, nequaquam Deus in Lege ſua, quæ in om-
nibus dilectionem præcipit, id cauiſſet. Nunc autẽ ſi amiſſi depoſiti fur non poſſet deprehendi,
iuramento eius apud quem ea res depoſita erat, domino eius rei ſatiſfiebat. Si dicas, At iudex il-
lud deferebat: reſpondeo, Vt ne Iudice quidem deferente licitum fieri poteſt quod per ſe eſt illi-
citum: ita non poteſt fieri eo non deferente illicitum quod per ſe eſt licitum. Quòd enim iniuſ-
ſu Iudicis non licet occidere homicidam, nõ ideo eſt quòd id iuſſio eius iuſtum faciat, quũ per ſe
iniuſtum eſſet: ſed nequis iniuria occidatur, tum quia nominatim Magiſtratib' Deus pœnas de
ſceleratis ſumere demãdauit. At de iuramento quando verum aut falſum ſit, quũ Iudex cogno-
ſcere nequeat, & ſolius iurantis fides requiratur: alia eſt ratio, nec poteſt modò, verùm debet etiã
fieri, quoties eo proximo ad bonum gratificari licebit. Honoratur ſiquidem eo Deus. Quin ſi-
cut præſtat cum proximo priuatim quàm corã Iudice rem componere: ita vbi non aliter quàm
iuramento ea componi poteſt, præſtat id vltrò & priuatim fratri dare, quàm coactim à Iudice
& publicitus. Delictum quidem fratris eſt quòd iniurato fratri credere detrectat: ſed delictum
etiam erat, & quidem graue Iudæorum qui Paulo nolebant credere, bene & amicè eum erga i-
pſos eſſe affectum. Is autem eo vehementius illis iurans, Rom. 9 d. 29, falſam de ſe opinionem a-
nimis eorum eximere conabatur. Sic gratum Domino erit iuramento, etiam aliis in rebus de
fide noſtra non abſque culpa dubitantibus fratribus ſuccurrere. Quantum enim in nobis eſt, da-
re operam debemus, vt quibuſlibet in rebus, etiam quanlibet minutis conueniat, & pax nobis
cum omnibus conſtet: vltrò autem & ſine cauſa fratris identidem iurare, & contemptum quen
dam in ſe habet nominis Diuini, & grauitatem fidémque labefactat inter homines. Ab eo Chri
ſtus ſuos voluit abhorrere, eóque ea iuramẽta nominatum cõfutauit, quæ Phariſæi tanquã mi-
noris momẽti, etiam temerè adhibenda permiſerãt. Nam per Deum iurare non recẽſuit, quod
ne Phariſæi quidem id temerè fieri conceſſerant. Loco autem atque grauiter eiuſmodi iuramẽ
tum adhiberi ad ſuſtollendam dubitationem ac contentionem, quia iuſſio Patris fuit, Chriſtus
Filius nequaquã voluit prohibere. Nihil enim prorſus Chriſtus prohibere potuit eorum quæ
in vniuerſum Deus antè præceperat. Si enim omnis Lex & Prophetæ in hoc vno verbo, Dili-
ges proximũ ſicut teipſum, cõplentur: & Chriſtus vnũ hoc, quod & ſuũ & nouũ præceptũ voca
uit, dedit: nihil certè mãdatorũ Legis potuit vetare. Aut enim oporteret illud quicquid mãdati
eſſet, dilectioni proximi aduerſari, quod cõtra illud Chriſti eſſet, Facite hominib' quæ vultis vo
bis fieri: hoc Lex eſt & Prophetæ. aut oporteret Chriſtũ prohibuiſſe quæ dilectionis eſſent, quod
vtique cõtra illud eſſet, In hoc cognoſcẽt omnes quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habue-
ritis inter vos mutuam. Nemo verò cauillum moueat de iis quæ non in vniuerſum, ſed priua-
tis, & tantùm certo tempore Deus præcepit: quale fuit cædes inhabitatorum terræ Chenaan, A-
malekitarum, & ſimilia. De iis Deus non leges, ſed temporanea dedit edicta, eóque ſuo tantùm
tẽpore iuſta fuere. Quæ autem legibus in vniuerſum obſeruandis ſanciuit, nullo tẽpore iniuſta
per ſe eſſe poterunt. Nihil igitur talium vnquam Chriſtus prohibuit. Libera quidem aliqua fe-
cit, quæ neceſſariò veteribus erãt obſeruanda: quia iam aucto, & ad fines vſque orbis dilatato po
pulo Dei, ea deſierũt dilectionis eſſe officia, ac publico profectui accõmoda, vti ceremoniæ ſunt
Legis. Secus de iis eſt quæ propter commodè ſeruandam vitam ciuilem data ſunt: vti eſt iura-
mentũ. Adhuc ſunt qui de fide fratrum dubitãt, ſunt quoque de quorum fide dubitandũ eſt: cui
malo quũ mederi poterit eo quod Deo peculiaris honor eſt, nempe inuocatione nominis ipſius,
cur id nõ adhibebimus? Quid in eo iniqui, aut cum dilectione proximi pugnãs quam ſolã Chri
ſtus requirit? In dubitante nonnunquam delictum eſt, ſed nequaquam in eo qui dubitationem
pro dilectionis firmitate laborat tollere. Nonnunquã ne in dubitante quidẽ delictũ eſt, præſer-

tim ſi non ſua, ſed vel fratris alterius, vel Reip. cauſa dubitat. imò & ab iis de quorum fide nullum eſt dubiũ, iuramẽtum poſtulari poteſt, vt lex multis vtilis, ob paucos quib⁹ ea opus non eſt, non eneruetur. Qui in his hærent, non omnem Dei doctrinam, fideique analogiam conſulunt, ſed literis vno & altero in loco (neglecta ſermonis phraſi) vſúque præpoſterè inhærent. Sed vbi Spiritus, ibi libertas: neq; ideo ſolùm quicquã vel fit, vel vitatur, quia ita in Diuinis literis legitur, ſed quia gratũ vel ingratum Deo, cõmodum vel incõmodum proximo certò agnoſcitur, idq; teſtimonio ita cordi perſuadẽtis Sancti ſpiritus. Neque enim nunc ſub Chriſto ſpiritu timoris agi nos decet in ſeruitutẽ, ſed duci Spiritu filiorũ ad liberã dilectionem, cui ſemper conſtet nõ tantùm de præcepto, ſed & præcepti ratione. Nõ verò hoc dico quòd agnoſcã bonũ ſpiritũ, qui à literis Scripturæ ita recedit, vt diuerſa ſtatuat: ſed volo qui vno & altero loco captiuari ſe nõ ſinat, verũ ad omnẽ potius Scripturã, præcipuè autẽ ad ſcopũ eius finémq;, qui eſt dilectio ex corde puro, animũ diligẽter aduertat. Quúmque in cõfeſſo ſit nihil aliud à nobis requiri quàm quod in gloriã Dei proximis cõmodet, poſſit ſemper rationẽ eorũ quæ vel faciẽda, vel vitãda cẽſet, reddere aliam quàm hanc, Ita ſcriptum eſt, Nõ ſumus ſerui, ſed filii & amici, quos ex certa ſciẽtia commoditatis proximorum, ac inde & Dei glorificationis cũcta agere addecet. Id qui ſtudent, ac ſynceriter Dei gloriam quærũt, nihil Scripturis aduerſum deſignabunt, etiamſi aliquando videantur rudioribus, à verbis Scripturæ recedere. Vetuit Chriſtus Patrem vocare in terris: hîc literæ ſeruus patrem vocari ſe à liberis ſuis non ſuſtinebit, & ita Scripturã damnabit, quæ ipſum eo nomine multis in locis dignatur. At libertas Spiritus conſyderabit, Chriſtum de appellatione nequaquam ſollicitũ fuiſſe, magis docuiſſe vt verum Patrem noſtrum, atque hæreditatem in cælis quæreremꝰ. Satis igitur habebit vt vnũ Deum Patris loco ſuſpiciat & veneretur, ac interim Patris nomen & ipſe non ingratus à ſuis liberis audiet, & ſuos eo parẽtes libenter honorabit. Atque huius in promptu rationem habet, quòd hoc gratitudinis officiíque ſit filii: illud, pii, Deúmque verè agnoſcentis. At quam rationem reddat is qui peccatum faciat, parentem carnis patrem vocare? Nullã ſanè præter hanc, Dominus ita dixit. Ea autem reſpõſio ſerui literæ eſt, non filii Dei, & amici Chriſti, qui intelligit & quid dixerit, & cur ita dixerit. Iſta qui ſpiritualiores ſunt, quæſo probè expẽdãt. Omnes enim hinc errores & ſchiſmata co oriuntur, quòd literã quidã magis quàm ſenſum, cum ſcilicet non quem litera præ ſe ferre videtur, ſed quem voluit ille qui vel dixit vel ſcripſit, conſiderant: licet & hac parte diligenter Satanas obſeruandus ſit, ne pro Spiritus ſancti libertate, quæ optimè ſemper cum Scripturæ litera, ſed germanè intellecta cõuenit, licentia ſpiritus erronei qui diuerſa Scripturis inuehit, adrepat. Quúmq; perdifficile ſit, imò impoſſibile homini hoc libertatis ſpiritualis mediũ inter literæ ſeruitutem, & praui ſpiritus licẽtiam tenere, cum timore & tremore verſandum eſt in Diuinis literis, ac ante omnia orandus Spiritus Chriſti, qui ſolus omnia ritè docet. Sed redeundum eſt tandem ad enarrationem Prophetæ: vt contra quoſdam contentioſos literæ ſeruos, de iuramento tumultuantes, rudiores fratres munirem, ad hæc digredi libuit. Vtique enim ex eo quòd impietatis Deus arguit, iurare per alienos deos, certò colligitur gratum ei obſequium eſſe iurare per nomen ipſius. Obſeruandum tamen hîc eſt quòd *iurantes Domino*, & poſtea *iurantes per Regem ſuum*, Vates ſcripſit. Aliud ſiquidem eſt iurare Domino, aliud per Dominum, id quod Hebræi [illegible] dicunt. Prius enim ſignificat Deo ſe dedere, ac vota nuncupare: quod adorantes ſolent. Vnde Pſalmo 132.a.2, pro eodem accipitur Iurare Domino, & vouere. Qui iurauit Domino, vouit Deo Iacob. Poſterius verò eſt, Deum in teſtem ac vindicem inuocare. Quum igitur & per Regem ſuum iurabant, hoc eſt deum alienum, quem quum in deum ſibi elegerant, Regẽ ſuũ cõſtituerant (ſicut ſe Dominus ſubinde Regem Iiſraelis in Prophetis vocat) iam nõ vnum Dominũ Deum ſuum, & ſupremum numẽ agnoſcebãt. Sunt qui hîc Molech deum intelligũt, qui vtique Molech, id eſt regnãs vocatus eſt, quòd pro Rege & ſummo ſuo Principe illum cultores eius haberẽt. Huic liberos ſuos ſacrificabant per ignem: quare Saturnum fuiſſe veriſimile eſt. Idolũ eius Hebræi ſcribunt vituli formã, & ſeptem habuiſſe receptacula: in quorum primo adolebatur ſimila, in ſecundo turtures, in tertio oues, quarto arietes, quinto vituli, ſexto boues, ſeptimo pueri. Ab horum, dum cremarentur, rictu, Sardonii riſus prouerbium natum putant nonnulli: de quo, ſi libet, lege Eraſmum in explicatione huius prouerbii. Solitum quoque fuit, dum adurebantur pueri, tympano ſonare, ne eorum audirentur eiulatus. Inde תפת Thopheth, quod à תף, id eſt tympano dicitur, loco prope Ieruſalẽ, cui aliàs nomẽ erat Vallis filii Chinnõ: de quo 2.Reg.23.c.10, & Iirmeiah 7.f.32, & 19.a.2, nomen indiderant. Porrò prior lectio, per Regem ſuum, magis germana eſt, neque in Scripturis infrequens, vt quem quique Deum habeãt, dicatur Rex eorum. Si autem quis ideo notatos à Vate Iudæos, quòd iurarẽt per Regem ſuum, putet, quòd reges ſuos pluris æquo fecerint, & eo quòd illis præ Deo fiderent (quod malum toti Iiſraeli Dominꝰ opprobrabat, quũ primum Regẽ ſibi peterẽt, teſtatus illos ſe nõ Schmuelẽ re-

iecisſe)& eo quòd ad impietatem eos ſequerētur: huius ſententiæ nequaquam refragabor. Sunt ſanè & hodie plurimi qui palàm dicunt, tum ſe Euangelio acceſſuros, quum illud Monarchæ & primores principes receperint. Neque vllam aliam cauſam prætexūt quòd non reiiciūt modò illud, ſed & dirè perſequuntur, quàm quòd dānatum ſit atque proſcriptum ab iis qui rerū ſumma potiuntur. Non verentur etiam iſti dicere, & perſanctè polliceri, ſe in fide morituros Regum ſuorum & Principum. An hoc nō iurare eſt per Reges & Principes tales quos Deo ipſo maioris habent? Cæterùm mos quoque vetus fuit per genium principis iurare: vnde in eos qui ſic iurantes peierasſent, decreta pœna legitur in Pandectis iuris Ciuilis, tractatu De iureiurando: quæ tamen mitigatur, ſi per calorem iuraretur per Imperatorem Alexandrum, in Cod. tractatu De rebus creditis, &c. vbi tamen iuramentum memorat, per maieſtatem principis.

6 *Et qui retrocedunt à Domino: quíque non inquirunt Dominum, neque inueſtigant eum.* Hi ſunt qui omnem Dei timorem palàm reiecerunt, & quos haberi quoque ἀθέους nihil pudet. Iſtuc enim retrocedere à Domino, quod hìc notatur, eſt planè ac ex profeſſo à Deo deficere, omnémque ſemel Dei reuerentiam abiicere, adeò vt illam ne aſſimulent quidem: vnde ſubiicitur, *Qui nec inquirunt, nec ueſtigant Dominum.* Iſti ſunt quos nulla prorſus tenet cura Dei, nulla omnino inceſſit religio. Quorum vt nullum ſeculum non feraciſſimum fuit, hoc noſtro tamē prouentus talium eſt multò ampliſſimus. Id verò inde eſt, dum traditiones humanæ pro verbo Dei: & ſimulachrum religionis, pro religione vbique traderetur: facilè fuit impietatem tegere. Nihil enim magni certis diebus abſtinere à carnibus, certis vacare ab operibus, tum horulam adeſſe ſacro, ſemel in anno commiſſa (ſed quæ libēret) narrare ſacerdoti, de multis iniquè partis pauxillum templis, & eorum miniſtris decidere. Modò autem quum exorta luce verbi Dei exigitur vt totos nos abnegemus, totos proximorum commodis addicamus, omnia quæ immiſerit Pater cæleſtis, boni cōſulamus: non eſt tam facilis ſimulatio, nec poteſt hæc non fugere & horrere caro. Produnt ergo hodie ſe plurimi qui antehac pulchrè latebant: quúmque nulla illis licet cum Euāgelio ſimulatione paciſci, apertè illud deteſtantur & perſequuntur: Paulum, ac omnem Scripturam manifeſtis blaſphemiis inceſſunt. Neque enim ferre poſſunt vt pro impiis habeantur, dum citra pietatis opinionem à vulgo nequeunt haberi in pretio. Alioqui vt iuuat eos eſſe impios, ita minimè grauaret, tales quoque haberi. Sed amant ſe ſolos, omni interno ſolatio carent, poſt hanc vitam nihil ſperant: quærunt igitur & hìc pro libidine viuere, hoc eſt impientiſſimè & ſceleratiſſimè, & nihilominus à vulgo adorari vnde ſolùm videlicet deliciis eorum atque libidini, cum fomentū, tum tutela ſuppetit. Huius verò farinæ quū in omnibus ordinibus ſint ſanè plurimi, nullus tamen plures habet quàm Eccleſiaſticus, ſacrificulorum videlicet, qui ex prætextu Euangelii viuunt. Certè Germaniam nunquam crediderim audiſſe tam execrandas contra Deum & verbū eius blaſphemias. Sunt hodie multi in primis Magiſtratibus, apud quos intolerabile ſit Chriſti vel meminiſſe. Paulum verò ſiquis nominet, de capite tanquam Lutheranus periclitatur. Interim non eſt flagitium quod non præ Chriſtianiſmo ferant. Noui principem, cuius præfecti viam ad oppidum in quo annuntiabatur Chriſtus, obſeruantes, ſiqui proſtibula meretricia ſe petere dicerent, eos ingredi oppidum, collaudantes eorum propoſitum, ſinebant: ſiqui verò ſuſpecti tantùm eſſent, quòd cauſa conciones audiendi Chriſtianas eò ſe conferrent, domum illos non ſine contumeliis & verberibus redire cogebant, aut certè adducebant mancipandos vinculis. Verbum ſiquidem Dei Chriſtus, vt in reſurrectionem multis, ita & multis in ruinam poſitus eſt. Euangelium odor vitæ electis, odor mortis eſt reprobis, eo quòd velut fax Dei, oſtendit quæ in receſſu cordis latent. Hoc denique iudicium Domini ſemper apparuit, vt quoties oblatam ſui cognitionem homines reiicerent, daret eos in ſenſum reprobum, quo palàm facerent quinam eſſent. Sic vſu venire & hodie videmus, nec alia cauſa eſt quòd tam apertè modò Deū adeò multi & magni negant, Diuináque omnia rident, & ſumma flagitia, maximáque ſcelera honori ſibi ducunt. Cæterùm hìc obſeruandum, hoc proprium diſcrimen eſſe inter electos & reprobos, natos ex Deo & diabolo: quòd illi, qualeſcunque ſint, ſemper inquirunt tamen, timéntque Dominum, ſemper de eius voluntate curam aliquam & ſolicitudinem habent: hi autem iſta rident etiam: nam in cordibus ſuis dicunt nullum eſſe Deum.

Vnde ſit quòd hodie apertiores quàm antehac blaſphemiæ contra Deum audiuntur.

Apud Chriſtianos piaculum eſt meminiſſe Chriſti.

Diſcrimē inter electos & reprobos.

7 *Sile à conſpectu Dominatoris Domini: quia propè eſt dies Domini, quia parauit Dominus ſacrificium, expiauit quos ad id ſibi conuocauit* Quo Vates magis terreat, eóq; timētes Deū ad reſipiſcentiā citius permoueat, Dei verò contēptorib⁹ omnē excuſationis prætextū auferat, vim Diuinæ iræ populo Dei imminētis plurimū exaggerat. Primùm, horrendam adeò inſtare dicit, vt omnis terra in ſilētio actura ſit, vti ſolēt qui metu exanimātur. Quod quo prædicet efficacius, iubet terrā ſilere, & quidem totam. Et quaſi indicās iamiam aduentare, eſſéque in foribus Dominum vltorem, *à facie* vel conſpectu *eius*, addit. Habet verò & iſtuc momentum exaggerandi, quòd *Dominatoris Domini*, non ſimpliciter Domini dixit: vtique eo potentiam eius magis formidabilem oſtendens. mi Deum

omnium conditorem & gubernatorem, à quo nimirum habent res vt ſint, ſignificat: adiectum iam אדני intendit potẽtiæ ſignificationem. Deinde prædicit apertè, iam proximum eſſe diem vltionis, iam paratum ſacrificium vel boſtiam, atque expiatos & inſtructos iam quos ad id Dominus conuocarit. Modis ſanè omnibus inſtructum atque expeditum ad vaſtandam terram, ſumendámque de impiis vltionem, Dominum deſcribit. Metalepſi iſta, qua per ſilentium metus, atque metũ incutiens potentia ſignificatur, vſus eſt & Habacuc 2.d.20, & quidem eiſdem verbis, Dominus, inquit, in templo ſancto ſuo, ſile à facie eius omnis terra: id eſt, tanquam potentia ſua præſentem expaueſce. Eadem ſententia & Zacha.2.d.13 habetur, Sile à facie Domini omnis caro. Item Iirme.8.c.14, & 48.a.2: & Amos 8.a.3, Silere ad eundem modum accipitur. Illud, *Parauit Dominus ſacrificium, expiauit, &c.* per anthropopathiã de Domino dicitur: vt ſenſibus humanis accõmodatior oratio, magis terreat. Ad idem facit parati ad vltionẽ Domini iſta velut hypotypoſis quædã, Parat⁹ eſt ad ſacrificiũ, expiauit eos quos ad id cõuocauit. Neq; otioſa eſt & illa metaphora, quòd ſacrificiũ vocat populi cædẽ: & quib⁹ ad eam vſurus erat Dominus, inuitatos ad ſacrificium, iámque purgatos & ſanctificatos ad illud, hoc eſt inſtructos & expeditos ad perdendũ populum. Hac metaphora vſa eſt Scriptura cum aliàs, tum Ieſcha.34.a.6, Gladius Domini plenus ſanguine, inunctus adipe & ſanguine pinguium ouium, & hircorum, adipe renum arietum, quoniam ſacrificium Domini in Boſrah (ea vrbs in regione AEdomitarum fuit) & mactatio magna in regione AEdõ. Iirme.46.b.10, ad eundum ferè modum legitur. Item de excidio AEgypti, Hoſch.9.a.5, quum Vates ait, Quid facietis in die cœtus, in die feſti Domini? quo ſimiliter cædem populi intelligit. Cæterùm הכין etiã præparauit, & expediuit propriè ſignificat: vnde קדשה ſcortũ dicitur, quaſi paratum cuiuis & expoſitum, Gene.38.d.21.

Sacrificium magnum, hominum cædes.

8 *Eritque in die mactationis Domini, ultionem ſumam de Principibus, de filiis Regis, déque peregrino cultu utentibus.* Tertiò iam irã Domini exaggerat, ex eo quòd nemini, ne Principibus quidẽ & nobilib⁹ parſura ſit. Inducit enim Dominũ dicentẽ (quod & ipſam orationẽ vehemẽtiorem reddit) Vltionẽ ſumam (id enim ſignificat ופקדתי, id eſt, & viſitabo) de Principibus & filiis Regis. Hãc ſumpſit de his quũ vtroſq; à Rege Babel occidi fecit, & filios Regis in oculis patris, vt legimus 2.Reg.vlt.7: & Iirme.39.b.6. Adiicit Vates, *Et de omnibus peregrino cultu utentibus*: quo reliquos aulicos intellexiſſe creditur. Qui enim in domibus regũ ſunt, vt mollibus, ita & exoticis veſtiuntur. Sic enim venditare ſe ſtulto vulgo, quàm virtutibus malunt. Hoc malo iam paſſim laboratur: nuſquam autẽ magis quàm in Gallia: ita vt ipſi pridem hoc vitii de ſe notarint pictura quadam eleganti in arce Bleſenſi, vbi ſarcinator Hiſpano, Anglo, Italo, Germano, ſuas cuique veſtes ſuo more paratas profert, vtpote quorum veſtitus figuram, tanquam certam & perpetuam, antea nouerit. Gallo autem pannum & forcipem porrigit, vt ipſe ſibi veſtem, quali velit forma paret, quãdoquidem in dies veſtium formas ita ſolet mutare, vt ſciri non poſſit quanã figura veſtem velit. Sed proh dolor, Germani in hac re Gallos ita imitari cœperunt, vt fermè neſcias vtri molliores ſint. Verùm vt hæc vanitas quoſlibet dedeceat, præſertim viros (pueris enim & mulieribus pueris nõ adeò multum cordatioribus, hic nonnihil indultum ſemper eſt) in Chriſtianis certè nulla eſt ratione ferenda. Ciues cælorũ ſunt, qui omnem in Deo voluptatem habere debent, ac eum ornatum quærere, vt cæleſtem vitam ſermone & opere vbique teſtentur, ac mundi huius rebus ex neceſſitate tantũ, non etiã ex voluptate vtantur. Quúmque illis vitã Dei meditãtibus, caro nunquã non negotium faceſſit, eorũ fuerit illius deſideriis nunquã indulgere. Deniq; quũ tam propriis quàm aliorũ peccatis, fieri quotidie videant vt curſus gloriæ Dei remoretur, ſicut in Domino ſemper gaudent, ita ob ſua & aliorum hominum tam multa grauiáque & perpetua errata non poſſunt non ſimul in luctu eſſe, non eo quidem qui gaudium quod de Dei ſuper ſe bonitate habent, excludat: ſed qui iſta mundi oblectamenta omnia amata reddat. Eapropter Chriſtiani ſimiam, aut certè valde infirmum ac inconſiderantem Chriſtianum eſſe oportet, qui veſtium moratur ornatum. Ad quid enim eum morabitur? vt illo ſeipſum oblectet? At in Domino noſtro Ieſu Chriſto omnem ſuam habet voluptatem, omne gaudium. Vt oſtentet opes, eóq; ſeſe ſplendore vẽditet? At in nulla alia re quàm in cruce Domini didicit gloriari. Vt placeat hominibus? At iis nonniſi ad bonum, ad pietatis ædificationem placere cupit, quam iſta veſtium vanitas remoratur. Vt oblectet Deum cui ſe vnicè approbare ſtudet? At huic minimè placebit, niſi indutus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, hoc eſt nouum hominem, qui ſit ſecundum ipſius volũtatem conditus, eóque exutus veterem, cuius vanum hoc deſyderium eſt ornatus externi. Scribit Hieronymus ad Gaudentium de Pacatulæ infantulæ educatione, φιλόκοσμον genus fœmininum eſt, multáſque etiam inſignis pudicitiæ, quanuis nulli virorum, tamen ſibi ſcim⁹ libenter ornari. Et ideo peculiariter Paulus & Petrus illas monuerunt, vt fide & bonis operibus malint ornari, quàm auro, gẽmis, & pretioſo veſtitu, nullam cauſam eſſe rati vt huius viroſquoque monerẽt, quos ipſa ſexus grauitas, ab hoc puerili & muliebri affectu vindicare debeat: pror-

In vanitatẽ veſtium.

ſus autem etiam iſtius vanitatis ingerere abominationem, quòd profeſſi ſint crucē Chriſti, id eſt continuam veteris Adæ mortificationem. Hæc ideo moneo vt fratres qui eſſe volunt, & Chriſtum profitentur, cæleſtem, non terrenum præ ſe ferre ornatum quærant, & ne viros quidem, (taceo Chriſtianos) decentem veſtium ornatum toto corde auerſentur. Nolo tamē ſuperſtitionē eorum hinc confirmare, qui creaturarum Dei, quæ omnes bonæ ſunt, vſum damnant, & omnem decorem reiiciunt. Aliud eſt ad vanitatem ornari, aliud donis Dei cum decoro vti. Aurū, gemmæ, ſericum, ac quicquid in ornatum corporis conferri ſolet, bonæ Dei creaturæ ſunt, eóque vti illis, ii qui veritatem nouerunt, cum gratiarum actione poſſunt: vti, inquam, non vanè abuti: vtentur autem, & non vanē abutentur, qui ex ipſis nec voluptatem nec oſtentationē quærent: verū vt res alias, quibus condita ſunt vſibus, ſimplici animo adhibebunt, atque in eo ſemper ſpectabunt vti proximis proſint. Sic Magiſtratibus, quos oportet & malis qui externa tantum morātur, verendos eſſe, ſemper amplior decor ex auro & pretioſis veſtibus permiſſus fuit: quāquam & modum ſeruandum Deus & iſtis 5. Moſch. 17. d. 17, præceperit. Vnde Dominus ipſe Solomoni, quum dilexiſſet eum, non petitas diuitias ac gloriam tanto adiecit cumulo, vt ante ſe ſimilem non habuerit, 1. Reg. 3. b. 12. Neque enim fruſtra iſta cōdita ſunt, boniſque vſum eorum nemo negare poteſt. Quum ergo qui iſtiuſmodi ſunt, in omnibus ſpectent vt proximis proſint, non erunt facilè, qui decentius auro, gēmis, atque pretioſis veſtibus ornabuntur, quàm quos par ſit, à vulgo in admiratione haberi, nimirum Principes & Magiſtratus. Horum ſanè ſplendor ſæpe admirandus, & ſine reprehenſione tamen in Scripturis memoratur. Quanquam longè magis ſapientia & æquitate iſti, ſibi autoritatem, quàm cultu corporis quærere debeant: tantùm rudi plebeculæ & malis fortaſſe conducet externus iſte ſplendor. Porrò & aliorum fuerit ita vanitatem fugere, ne ſordibus velint notabiles eſſe. Nemo certè eſt tam pauper ferè & pannoſus, qui non habeat in veſtitu ſuo aliquid quod decoris ſit, non neceſſitatis. Neque in veſtitu hoc ſolùm, ſed in rebus omnibus videtur. Imitantur ſiquidem hîc homines Deum, in cuius creaturis omnibus, præter vtilitatem, & ornatus aliquis conſpicitur. Quis enim vituperet Iaacob qui filio ſuo Ioſeph polymitam veſtem fecit? Iam mulier fortis in Prouerbiis laudatur, quòd ſtragulatam ſibi fecerit veſtem, & purpuram indumentum ſuum. Quæ ergo vſus publicus, ſed proborum hominum, recepit, munditties, magis quàm vanus ornatus cenſetur, etſi ornatum iſta quoque adferant. Quicquid aut nouitatem reſipit, & luxum apertè teſtatur, quanlibet publico hominum vſu commēdetur, abhorrebit ab eo animus Chriſtianus. Quin & à frugi hominū vſu in iſtis ſemper detrahere aliquid malet, propterea quòd caro, citius quàm caueri poſſit, ſoleat vſu iſtarū rerum inſoleſcere. In his verò, vt & rebus externis aliis omnibus, modum vnus Chriſti Spiritus docebit: qui vt abſtinentia ſua nullum donorum Dei volet infamare, ita luxui & vanitati viam vbique conabitur obſtruere. Denique efficiet vt quiſque ſibiipſi, quàm aliis, his in rebus ſeuerior iudex ſit, neque vnquam temerè damnet quod pio animo fieri queat. Piè itaque patres in concilio Gangrenſi, anathema eſſe eum decreuerunt, qui profeſſioni continentiæ conuenire arbitratus vt pallio vteretur, tanquam ex eo iuſtitiam habiturus, reprehendat, vel iudicet alios qui birris & alia veſte communi vterentur. In Cano. Siquis virorum, 30 Diſtinct. Certè cultu ſāctitatis profeſſionem præ ſe ferre, idololatras aut Kemarim, Sacerdotes Cybeles, inſanos philoſophos, vt Cynicos atque Stoicos, deniq; & hæreticos, vt Manichæos & Montanos ſtuduiſſe legimus, verè ſanctos non legimus. Videant igitur cucullati quos imitētur. Sed reuertamur ad inſtitutum. Aut nobiliores regis aulicos, exoticè ac pretioſè veſtitos, hîc Vates intellexit, aut certè peregrinæ gentis homines, quos rex in deliciis habuerit, ac (vt fieri ſolet) impietatem ab eis mutuauerit. Vult enim ſæuam adeo fore iram Dei Vates prædicere, vt ne proximis quidem Regi parſura ſit. Rex ipſe non nominatur, fortè quia exoculari tantùm, non etiam occidi ab hoſte debuerit: nobiles autem eius & filii trucidari. Cæterùm ira Dei contra luxui & mollitiei deditos, & Ieſcha. 3. d. 16, Amos 6. a. 1, ac paſſim in Prophetis grauiſſimè ſanè prædicatur. Hîc autem locus non eſt adducendi ſingula.

Nullum creaturarum vſum damnandum.

9 *Vltionem ſumam in die illo de omni tranſiliente limen: qui domum dominorum ſuorum vi & fraude replent.*

Tranſilientes limen, promiſcuos aulicos intelligo, qui (vt apud malos fieri ſolet) vi & fraude domos principum ſuorum replent, quo ampliorem & ipſi de opima præda partem ſibi decidant. Quod malum peſſimum & hodie apud Principes regnat, vt ii præfecti, qui induſtria, ſubditos ne delinquant auocant, & quæ peccant, mitius puniunt (hoc eſt, ſeriò ſtudent vt ſcelerum ſit minus, non autem vt plus multarum) neque grati ſint, neque diu ferantur: chari autem habeantur qui occaſiones etiam obiiciunt delinquendi, dum fouent ludos, compotationes, choreas, & alia inſolētiæ hominū ſeculi, quo plus referāt in multis dominis ſuis, hoc eſt, domos illorum, vi & fraude repletas reddant. Non diſſimilis oratio Amos 3. b. 10, legitur, האוצרים חמס ושד בארמנותיהם, id eſt, recondentes violentia & depopulatione in palatia ſua. Sunt ex Hebræis qui *tranſilientes limen,*

cultores Dagō intelligant. Nam illi limen eius non contingebant, propterea quòd caput & duæ manus illius reciſæ à trunco, ſuper limen inuētæ fuere, quū Arca Domini in tēplo eius eſſet collocata. 1. Schm. 5. a. 4. Verùm dum hoc nullam habet affinitatē cum eo quod adiungitur, *Qui domum domini eorum ſuorum ui & fraude replent*: quod phraſis tamē Scripturæ obſeruare ſolet: prior ſententia magis arridet, putóque Vatem eo quòd ſcripſit *tranſilientem limen*, miniſtrorum alacritatem & ſedulitatem ſignificaſſe. Sunt qui impudentiam & ferociam eorum qua in domos ciuium irrūpebant, dominis ſuis prædam inde erepturi, eo putant ſignificatam: & huic certè conſonat quod adiunctum eſt. Cæterùm vbicunque hoc verbi quod hic habetur, דלג in Scripturis legitur, ſaltare ſignificat, 2. Schmu. 22. c. 30, & Pſal. 18. c. 30, In Deo meo tranſiliam murum. In Cant. 2. 8, Vox dilecti mei, ecce ipſe venit, ſaliens in montibus. Ieſch. 35. h. 6, Tunc ſaliet claudus ſicut aries.

10 *Eritque in illo die, ait Dominus, clamor à Porta piſcium, planctus à Secunda fragor magnus à Locis editioribus.* Peculiarem vrbis partem, & vt videtur, in qua habitarunt qui inſigniter diuites & delicati fuerint, Propheta denotat. Neque enim firma coniectura eſt, mercatores, de quibus ſequens verſiculus vaticinatur, hos fuiſſe. Neque extat aliqua hiſtoria quæ hanc vrbis partem, qualis fuerit, deſcribat. Hieronymus meminit Portam piſcium vocatam, quæ Dioſpolin & Ioppen ducebat, viciniorem mari. Nehemiæ tertio, a. 3, legimus hāc portam reædificaſſe filios Heſenaab. *Secundæ*, quam ſecundam ſiue portam, ſiue vrbis regionem, ſiue (vt Hebræi quidam) ſcholam in qua *deuteroſeis* tradebantur, ſecundæ leges, intelligas, mentio fit 2. Regum 22. c. 14, vbi memoratur in ea habitaſſe Chuldah Prophetes. *Loca editiora* montem Sion intelligit, in quo vtique primores & nobiliores vrbis habitauerunt. Vel igitur hæc loca nominatim Propheta memorat, quòd in iis, vt dixi, opulentiores & delicatiores habitauerint: vel certè quòd ita ſita fuerint, vt eorum mentione totam vrbem ſit complexus. In his prædixit vocem exaudiendam clamoris, planctum, & fragorem ac tumultum magnum. id quod indubiè euenit quum rupto muro, principes Chaldæorum cum exercitu ſuo in vrbem irrumperent, & rex cum ſuis fuga, ſed ſerò nimis, conſulere ſibi conaretur. 2. Reg. 25. a. 4, & Irme. 39. a. 4.

11 *Plangite habitatores uici mercatorij: conſopitus enim eſt populus mercatorum, exciſi ſunt uniuerſi pecunia onuſti.* Vicum mercatorium Iudæi מכתש interpretantur: cæterùm concauum aliquid dicitur, & profūdum. Vnde Prouer 27. d. 22, mortariū ita vocatur: & Iudic. 15. e. 19, locus dentis maxillaris. Solis enim iſtis duobus locis, & hoc noſtri Vatis, in totis Bibliis hoc nomen habetur. Fortè locus vbi mercatores habitabant, in circulum concluſus, & demiſſior, vaſis concaui ſpeciem præbebat: vti fora in pleriſque vrbibus habentur. Hieronymus ſcribit vallem Siloe fuiſſe. Certè quæ ſequuntur, ſatis indicant, hunc locū, quacunque denique ratione dictus ſit מכתש, ſedē fuiſſe mercatorū. *Nam extinctus eſt*, inquit, *omnis populus mercatorum, exciſi qui argento ſunt onuſti*, ac veluti obruti: id enim verbū Hebræū נטילי ſignificat. Græca editio habet *ἐπηρμένοι ἀργυρίῳ*, id eſt, argēto elati. Vt ergo verſu 8, exterminium Propheta prædixit principibus, filiis regis, atque aliis ſericatis, eóque nobilioribus: & verſu 9, reliquo famulitio aulæ, qui vi & fraude principi opes conuertebant: & verſu decimo certis, vt videtur, ciuibus vrbis Ieruſalem, ac indubiè primoribus & opulentioribus: ita hoc 11 verſu, mercatoribus idem imminere minatur. Hieronymus ſimpliciter vertit, populum Chenaan: & putat Iudæorum populum ita à Propheta ob impietatem ſuam vocatū: adducítque ad id confirmandum, illud ex iudicio Danielis, Semen Chenaā es, & non Iuda. tum illud Iecheſkelis 16. a. 3, Pater tuus Amorrhæus, mater tua Chetæa. Vtrinque autē apertior eſt ratio conuiciādi, vt videat quivis per obiurgationem ac impietatis opprobrationem hæc dicta: (quāquam & illud Danielis, in Hebræo non habeatur) hic verò populus Chenaā tanquam certa pars populi Ieruſalem memoratur, cui & id competat quod ſequitur, *onuſti argento*. nulli enim mercatoribus pecunioſiores eſſe ſolent. Populum ergo Chenaan, hic pro populo mercatorum accipiam, quando multis ex locis manifeſtum ſit, Chenaā, mercatorem vel inſtitorem in Scripturis ſignificare, vt Ieſcha. 23. b. 8, Quis conſuluit hoc ſuper Tyrum coronatum, cuius negotiatores principes [&] כנעניה, id eſt mercatores eius glorioſi in terra? Et Hoſchea 12. b. 7, כנען, id eſt mercator, in manu eius lances fraudulentæ, amat defraudare. Hunc tamen locum pro ſua ſententia Hieronymus adduxit: ſed noſtram potius confirmat Prouerb. 31. d. 24, Et cingulum vendidit Chenaanæo, id eſt inſtitori.

Dan. 13. f. 56.

Chenaan, mercator.

12 *In tempore illo luſtrabo Ieruſchalaim lucernis, & ultionem ſumam de uiris qui in fæcibus ſuis congelati ſunt, ac dicunt in cordibus ſuis, Dominus nec bene, nec male faciet.* Enumerauit aliquot populi Ieruſalē claſſes, quarū cædes & vaſtatio miſerabilior atque magis horrenda haberi ſolet, quo ita Diuinæ ſuper populum iræ crudelitatem perſpicacius ob oculos poneret: nunc ne ſoli illi viderentur pœnas Domino daturi, & vel aliquibus effugium futurum, ſubiungit, *Luſtrabo Ieruſalem lucernis*, ne ſcilicet aliquis latitās, iram meam effugiat. *Vltionem ſumam* addit *de uiris congelatis in fæcibus ſuis*, hoc eſt obſtinatis in peruicacitate ſua, qui dicunt in cordibus ſuis, hoc eſt ita apud ſe definiunt, *Non faciet nec be-*

nè nec malè Dominus. Iſti ſunt qui prouidentiam Dei in rebus bumanis negant, quales ſanè ſunt omnes reprobi. Qui nanque verè eſſe Deum, & eſſe retributorem bonorum & malorum perſuaſum babent, congelari in fæcibus, hoc eſt in malis ſuis perſeuerare nequeũt. Verùm bæc Diuinæ prouidentiæ pernegatio in illis potiſſimum ſe prodit qui perfricta fronte, & excuſſo omni numinis metu, in ſcelera ruunt. Vtcunque autem impii, Deum eſſe credere haud poſſint, imò quàm certò queunt, in animis ſuis ſtatuant, ac eum ore, tum editis libris adfirment, aut nullos omnino eſſe deos (quod feciſſe Diagoram Melium, & Theodorum Cyrenaicum, Cicero teſtatur) aut certè bumanorum negotiorum nullam habere procurationem (quod ſcripſit Epicurus, & ridendo diuerſum ſentiẽtes, affirmauit Plinius, quódque palàm iactant bodie quamplurimi, qui tamen de religione deliciantur & libidinantur) potens nibilominus adeò res eſt veritas, & tãtum etiam reprobis lucis affulget, vt numinum metum nulli vnquam penitus excutere potuerint, quanlibet id conati ſint. Fallere ſuum ipſius animum iſtiuſmodi laborant quidem, eóque efficiunt vt nonnihil ſecuritatis ſibi peperiſſe videantur: minimo autem negotio, ſi vel tonet cælum, vel tremat terra, aut alia ratione Diuina ſevirtus clarius exerat, recurrit inuitis religio, & excarnificat malè diſſimulatus metus Dei. Sic itaque comparati impii ſunt, vt nec Deũ planè agnoſcere, nec negare poſſint. Si enim verè agnoſcerent, non poſſent non item amare, tũ & colere. Vnde Cotta apud Ciceronem lib. 1. De natura deorum, Ego, inquit, ipſe Pontifex, qui ceremonias, religionéſque publicas ſanctiſſimè tuẽdas arbitror, is hoc quod primũ eſt, eſſe deos, perſuaderi mibi non opinione ſolùm, ſed etiam ad veritatem planè velim. Et paulo pòſt, Quid, inquit, de ſacrilegis, de impiis, periuriſque dicemus? Si Lucius vnquam, Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius, vt ait Lucilius, putaſſet deos eſſe, tam periurus aut impurus fuiſſet? Satis ex bis liquet, etiam Ciceronem agnouiſſe, ſicui perſuaſum ſit deos eſſe, eum non poſſe malũ eſſe. Non ergo credunt deos eſſe impii. Contrà, ſi certò crederent non eſſe, vtique omni eorum metu vacarent: id nullis vnquam contigit. Neque igitur perſuaſum habent nullos eſſe deos, neque perſuaſum non eſſe. Fluctuant inter vtrunque, & magis optant ſe nullos credere deos, quàm credunt. Olim autem quum ſe palàm illis Deus oſtẽdet, quem agnoſcere ſatis, ac inde amare bìc nequiuerunt, ab irato ipſius vultu exagitati, æternùm diſcruciabuntur. Porrò iſti impudentes, qui, quo licentius in ſcelera ruant, omnem Dei ex animo cognitionem eiicere fruſtra laborant, ac dicunt Deum ſua ſcelera neque videre, neque animaduerſurum, paſſim in Scripturis notantur, vt Pſalmo 10.a.3, Ieſcha.47.b.10, Iechezk.8.c.12, & 9.b.9, Iiob.22.b.13.

13 *Copiæ illorum diripientur, & domus eorum vaſtabuntur: domos extruent, neque inhabitabunt: ſerent vineas, & non bibent vinum ex illis.*

14 *Prope inquã eſt dies Domini magnus, propinquus & properãs admodũ: vox diei Domini, fortes amarũ vociferãtur.*

15 *Dies ille, dies iræ æſtuantis, dies adflictionis, atque anguſtiæ, dies deſolationis & vaſtitatis, dies tenebrarum & caliginis, dies denſæ nubis & nebulæ:*

16 *Dies buccinæ & clangoris ſuper urbes munitas, & ſuper propugnacula celſa.* Cuiuſmodi ſit Deus de impiis vltionem ſumpturus, & quàm inſtet, his verſibus Propheta prædicit. Opulenti illi erant, & diripietur eorum opulentia: boſtéſque ſuos videbunt iis quæ ſibi parauerant, abuti, quo nihil poſſet accidere illis moleſtius. Id verò & in Lege eis prædictum erat 3. Moſch. 26.b.14, & 5. Moſch. 28.b.15. Tum & alii Prophetæ ſubinde idem fuere minati, Amos 5.b.11, ait, Domos lapideas ædificabitis vobis, & non inhabitabitis: vineas deſyderabiles ſeretis, & non bibetis vinũ earum. Grauitatem itaque inſtantis direptionis boc verſu 13 deſcriptam, ſequenti inſtare, iámque adeſſe teſtatur: quæ ſanè vltionis indicata inſtantia, magnam quoque vim habet territandi. Diẽ Domini vocat, quo ſe Dominus ac ſuam potentiam erat incredulis alioqui Iudæis magnificentius declaraturus. Id quũ omniũ magnificentiſſimè facturus ſit in fine ſæculorum, quũ extremum aget iudicium, id temporis peculiariter dies Domini vocari ſolet: plerunque verò & dies Chriſti, quòd tum demum Cbriſti potentia & maieſtas planè reuelanda ſit. Magnum verò vocat Propheta hunc quem prædicit diem Domini, quia multo maximam vim iræ ſuæ in populum erat eo temporis Deus exerturus. Cuius inſtantia quo magis exterreat, ſecundò dicit, *Propinquus eſt*. Tum addit, *Et properans*. Ac velut iam irrumperet hoſtilis exercitus, *vox*, inquit, *diei Domini*: quaſi ſignificans iam exaudiri boſtium voces, iam reſonare claſſicum, & *fortem*, id eſt fortes atque præualidos hoſtes, *amarum*, nimirum maximè borrendum vociferari. Hinc quo latius diei huius horrorem explicet, verſu 15, bunc diem, *diem iræ* vocat, & quidem *æſtuantis, diem afflictionis & anguſtiæ*, quæ inexplicabili modo populum erat apprehẽſura. Nam Iirmeiah, cap. 30.a.7, de hac afflictione prædicens, ait, Væ, quia magnus dies hic, vt non ſit ei ſimilis, & tempus afflictionis Iaacob, veruntamen ex eo ſaluabitur. Vnde dies ille quem Seruator noſter Matth. cap. 24.b.21, Iudæis prædixit, ac ipſi ſub Tito Veſpaſiano experti ſunt, hoc quem hìc Vates prædixit, tanto grauior, magiſque horrendus fuit, vt non ſolùm ſimilem non habuerit, ſed nec habiturus qui-

dem ſit, vti Dominus ipſe teſtatus eſt. Diem hunc præterea Vates vocat *diem deſolationis & vaſtitatis*. Etenim משואה ad שואה, licet eiuſdem originis ſit vtrunque, nonnihil videtur adiicere. *Diem* ait poſt hæc, *tenebrarum & caliginis*, diem denſæ nubis & nebulæ. Ea enim maximè terrifica facies orbis eſt, dum in die ſublata lux eſt, & tetris omnia tenebris oppleta: quúmque ita euenit, maxima tum ira Dei ſæuire agnoſcitur. Atqui quum omnia fame, peſte, gladio, & igni pereunt & vaſtantur, vitæ lux aufertur, & mortis tenebris omnia inuoluuntur: annon videtur ipſa orbis machina corruere iis qui talia patiuntur? annon mortis vmbra, & inferorum caligine & tenebris omnia plena putantur? Iſta verò Vates, hac hypotypoſi diei ſummè expaueſcendi horrendique, voluit ſignificare. Hac ipſa, & Ioel calamitatem locuſtarum omnia vaſtantium, deſcribit, vocans illarum aduentum, diem tenebrarum & caliginis, &c. Et paulo infrà, de eiſdem loquens locuſtis, Coram illis, inquit, tremet terra, commouebuntur cæli, Sol & Luna nigreſcẽt, & ſtellæ retrahent ſplendorem ſuum. Fame ſiquidem omnia conſumente & vaſtante, ſic hominibus videbatur. Amos 5.c.18. ad eundem modum de vaſtatione Iiſraelis loquitur, dicens, Dies iſte Domini tenebræ, & non lux. Et rationem hanc ſubdit, Qui effugerit à conſpectu leonis, is obuiam veniet vrſo: quúmque domum venerit, & inniti cœperit manu ſua ſuper parietem, mordebit eum ſerpens. Et tum ſubiungit, Nunquid tenebræ dies Domini, & non lux? caligo, & non eſt ei ſplendor? Mirificè enim, vt diximus, Prophetæ tropis gaudent, plus ferè quàm vel Græcorum vel Latinorum Poetæ, præſertim quum hi ſeria ſcribunt. Id qui non animaduerterit, ex facillimis Prophetarum locis reddet ſibi difficillimos, ac ſibiipſi tenebras identidẽ offundet. Poſtremò, vt magis explicet Vates noſter, hoſtilem ſe vim & depopulationem prædicere, tandẽ ait, *Dies buccinæ & clangoris*: quo hoſtilem aduentum atque irruptionem intelligit. Addit, *Super urbes munitas & propugnacula celſa*. Illa enim ferè nonniſi vi, eóque multo cum ſanguine, & inhabitatorum cæde, denique omnium direptione & vaſtatione expugnari ſolent. Sed & in eo vis iræ Diuinæ explicatur, quòd ea nihil non vaſtatura prædicetur, quanlibet id munitum exiſtat.

17 *Adflictionem mittam hominibus, ibunt tanquam cæci, quia peccarunt Domino: & effuſus ſanguis eorũ inſtar pulueris erit, & caro eorum ut ſtercus habebitur.*

18 *Nec argento nec auro ſuo poterunt ſeſe liberare in die iræ Domini æſtuantis, igni zeli eius vorabitur omnis terra: quoniam faciet ut conſumantur, certe terrore complebuntur uniuerſi inhabitatores terræ.* Propius accedit explicatione iræ Diuinæ, ad impiorum exterminium: Adflictionem, inquit Dominus, mittam hominibus, ſed eam, vt neſciant quò ſe vertant, vt ingrediantur velut cæci. Iſta ſanè ſicut & ſuperiora omnia cum ſequentibus, Dominus populo, ſi præceptis ſuis non obtemperaſſet, diu antea minatus fuerat in Leuitico & Deuteronomio. Vnde & inobedientia populi continuò hic ſubiicitur, *Quia peccarunt*, inquit Vates, *Domino*. Apoſtrophæ ſiquidem ſubitæ, hoc eſt repentinæ perſonarum mutationes, creberrimæ apud Prophetas, ac etiam in Lege leguntur. Sic 1. Moſch.19. c.24. legimus, Dominus depluit ſuper Sedom & AEmorah ſulphur à Domino de cælis: vbi nos dixiſſemus A ſe. Item Hoſchea 1.c.7. ipſe Dominus loquitur, & ait, Saluabo eos per Dominum Deum ipſorum. Sanguis eorum effuſus perindeac puluis habebitur, terram vndique conteget, & calcabitur vt ſtercus, vt ſordes quævis abiectiſſimæ caro eorum reputabitur. Græca editio עפר legiſſe videtur, quia habet, Sanguis eorum effundetur εἰς χοῦν, id eſt in puluerem. Iã ne ſpem concipiant ditiores, opibus ſuis ſe malis iſtis eximendi, ſubiicit, *Nec argento, nec auro ſuo poterunt ſeſe liberare in die iræ Domini*. Ipſo enim iraſcente & volente vltionem de contemptoribus ſuis ſumere, nulla ſanè poterit eripere creatura, nulla rerũ induſtria. Simile Babyloniis prædicitur Ieſch.13. b.12. Hæc verò omnia quo magis Propheta confirmet, addit, *Et igni zeli eius vorabitur omnis terra*, nimirum Iudæorum. Faciet enim abſumi, & conſternatione deficere cunctos terræ habitatores, vniuerſos regionis incolas. Quibus eiectis vaſta ſcilicet ſolitudo ſequitur, & horrida ac terrifica omnia redduntur. Sic nanque intelligendum videtur quod Propheta (ſi ad verbum id vertas) ſcripſit, Quoniam conſumptionem, certè conſternationem faciet omnes habitatores terræ iſtius. Tum ſanè facti ſunt conſumptio Iudæi, dum ipſi & omnia eorũ fuere abſumpta, tum verè facti ſunt conſternatio, quando omnia fuerunt apud eos perturbata & cõſternata. Nec offendat quòd conſternatio poſt conſumptionem ponitur, quũ natura præcedat: nam id non ita factum eſt quaſi & re conſternatio cõſumptionem ſequi debuerit, ſed prædicta cõſumptione: quaſi ex hac colligens Vates, præceſſuram vehementem omniũ conſternationem, ait, verè conſternationem faciet. quippe qui tanta ſit terræ mala immiſſurus, vt penitus ea omnibus conſumptis, in vaſtam ſolitudinem redigẽda ſit, planéque omnes viſuri, igni zeli Diuini eam deuoratã. Hactenus quæ manebant Iudæos mala, quámque horrendum exterminium, & quibus præcipuè hæc meruerant ſceleribus, Propheta prædixit. Nos, ſi rationem omnium rectè inimus, non eſt obſcurum videre, noſtra (vt initio dixi) rebus Iudæorum, vti tempore prophetiæ huius habebant, perſimilia eſſe. Nullum enim ſcelerum quæ Vates in illis notauit, non ad ſummum apud

nos quoque venit. Quid enim adiici poſſit confeſſæ idololatriæ paſſim regnanti? Vbi etiam non plena ſunt omnia iis qui cultum Dei ſimulant, & iuxtà à quibuſvis rebus fiducia pendent, imò alienos Deos in corde adorant: veri autem Dei cultum, externis tantùm ceremoniis ac ſermone præ ſe falsò ferunt? Neque ii non palàm vbique audiuntur qui ex profeſſo Deum & Diuina omnia rident, atque blaſphemant. Sed & ad faſtum, luxum, vim, & fraudem, cum Principum, tum eorum qui Principibus miniſtrant, quid quæſo poſſit accedere? Iam Chriſtianorum titulum omnes nobis vſurpamus, Deus ſuo verbo nos dignatus eſt. Quanlibet enim manifeſtiorem eius explicationem, multis in locis tyranni publico arceant, nullus tamen hodie Occidentis angulus eſt vbi non multa quibuſlibet ad reſipiſcentiam non occaſio ſolùm, ſed & adhortatio obueniat. Oues ſanè ſuas Paſtor fidus Chriſtus negligere non poteſt: vtque peccatum negauit habituros fuiſſe Iudæos ſi ipſum non audiſſent, ita non permittet & hodie quenquam ignorantiam prætexere. In hoc autem, ſingulari benignitate ſeſe Germanis nobis exhibuit: quã dum vſque contemnere pergimus, & non contenti contempſiſſe, multi diriſſimè etiam eos qui illius gloriam quærunt, perſequuntur: quid quæſo aliud à iuſto Deo expectemus quàm quod accidit populo Iudaico? Nempe vt vniuerſi, quiſque tamen pro modo ſuæ impietatis, pœnas grauiſſimas perſoluamus. Et ſi videre poſſemus quæ maximè patent, quid aliud horrenda iſta bella, quæ vbique ſæuiunt, quàm imminentis nobis Diuinæ iræ quædam portio haberi debeãt? Inaudita vis famis, maximè horrenda lues, tum bellum multò atrociſſimum tanto tempore Italiam nobiliſſimam Occidentis regionem exagitat & vaſtat, vt non adeò multum ad ſummum eius exterminium & deſolationem ſuperſit. Gallia etſi intra ſuos fines iſta tanta mala nondum ſentiat, grauiſſimè tamen inteſtinis diſſidiis colliditur, & propter Italica bella, viris & pecunia miſerum in modũ exhauritur. Neque deſunt præludia tum famis tum peſtilentiæ haud vulgaria. Taceo quòd Regis ſui vidit captiuitatem, filios eius etiamnum deſiderat. Neque multò fœlicius & Anglia atque Hiſpania habent. Hungaria occiſo Rege, & plurima ſui parte, tantum non in irreparabilem ſolitudinem redacta, eam experta in ſe eſt Dei iram, vt nõ poſſit maiorem, niſi deleto ſimul Hungariæ nomine. Quid autem noſtra Germania, quam verbi ſui face Deus benigniſſimè illuſtrauit, vnde ſuſcepta reſipiſcentia, omnium fœliciſſimè habere debebat? Nihil eſt ea ſectius. nihil ſtudiis diuerſis æquè æſtuans: neque id in prophanis tantùm rebus (quanquã & id ſatis ad extremam eius deuaſtationem eſſe poterat) verùm & in religione, dogmatiſque fidei (quo nihil poteſt fingi perniciosius) non ſolùm gens cum gente, aut ciuitas cum ciuitate, ſed quiſque cum fratre ſuo fidei habet certamen. Nuſquam non audias, Papiſta, Lutheranus, Catabaptiſta, & id genus peſtilentiſſima ſectarum nomina. Quódque vnicè dolendũ, qui totis in hoc viribus incumbere debebant, vt ſchiſmata tollerẽtur, ii maximè illa ſuſcitant, & ſuſcitata fouẽt: quódque ſummæ cauſa eſſe debebat concordiæ, Euangelium pacis, quod vnum corpus reddit ſuos veros diſcipulos, eo abutũtur ad diſcordiam exitialem. Porrò qui ſyncerè Chriſtiani ſunt, quantum in ipſis eſt, cum omnibus hominibus pacem habent, eóſque à quibus illam impetrare nequeunt, nihilominus diligunt: vnde ab eis nihil ſanè mali expectandum eſt. Nam etſi imprudentiores quidam, carni nimium indulgentes, diſſidiorũ incendio, olei nonnihil adiiciunt, quia tamen Chriſti ſunt pacẽ vbique reſtituentis, tandem reſipiſcent reuocati ab illo ad ſaniora. Verùm fucorũ interim multo maior turba eſt, qui religioſi videri tantùm, non etiam eſſe ſtudẽt. ii poſtquam factionum ſuarum prætextum aliquem à religione obtinuerunt, dici non poteſt quæ quotidie inueniant, & machinẽtur, quorum nullus alius poterit finis eſſe, quàm Germaniæ conſummata deuaſtatio, & irreparabile exterminium. Eis nanque, quũ mali ſint, tantùm occaſio & vires deſunt: iam vtrunque opinio religionis cumulatiſſimè ſuppeditat. Huius inauditum ante hoc & pluſquam horrendum ſpecimen, tertio hinc anno vidimus, oborta agricolarum tũ monſtruoſa & exitiali ſeditione, tum incomparabili quorundam Magiſtratuum in eos ſæuitia, quæ in præſens vſque nequit inuenire vel modum vel finem. Quid iam tot Principum, & quidẽ potentiſſimorum motus, quos hoc anno, ob neſcio quam coniurationem, quam contra ſe prætextu religionis initam ab aliis crediderant, exortos (quanquam Dei bonitate leniſſimè iterum & compoſitos videmus) portendant, quorúmque admoneant, coniectatu perfacile eſt. Vtinam verò iſta animaduertamus, & poſitis priuatis ſtudiis quiſq; curet Dei gloriam purè ac vnicè promouere: quod fieret, ſi verbum Dei in omnibus ſynceriter conſuleremus, & ſedulò ſectaremur. Quúmque id nihil à nobis requirat, quàm bona omnia à Deo per Chriſtum expectare, & omni officiorum genere pro viribus proximos quoſque demereri, hoc omnes eniteremur, quoſque eodẽ propendere videremus, vt fratres amaremus, & prouehere eos ſtuderemus: non, ſi quid à nobis diſſentirẽt, illicò abiiceremus & deuoueremus. Doctos oportet eſſe à Deo vniuerſos, tantùm plantare & rigare noſtrum eſſe poteſt, incrementum ſolus donat Chriſtus. Qui timent Deum, iſta perpendant, conſiderent quid Iſraelitis diu verbi Dei contẽptus attulerit, quid nobis quo-

que ferre cœperit, quídve deinceps ſit expectandum, ſi fortè carnis torpor depelli, & religionis
veræ feruor aliquis excitari queat. Audiamus itaque Prophetam huc nos ſequẽtibus inuitantẽ.

CAPVT SECVNDVM.

*Studioſè vos ipſos colligite, à malis recipite. *Id eſt, decreta vobis vltio.*

1 C'Onquirentes conquirite, gens inamabilis:
2 Antequam obtineat 'lex illa, & adueniat dies quo velut paleæ diſpellami
ni priuſquam veniat ſuper vos furor iræ Domini, antequam veniat ſuper vos
'dies iræ Domini.

Apoſtrophe.

3 'Inquirite Dominum quicunque humiles in terra, quíque ſequuntur iudi-
cium eius: inquirite iuſtitiam, inquirite humilitatem, ſi fortè abſcondi detur in
die iræ Domini.

Hæ ſunt primores vrbes Philiſthæorum.

4 'Azzah enim derelicta erit, & Aſchkelon vaſtata, Aſthdod in meridie abigẽt in
exilium, Ekron extirpabitur.

Philiſtinorum regio ad mare pertingebat. Philiſtæi erant militiæ dediti. Enallage numeri.

5 Væ habitantibus confinium 'maris, genti Crethim: 'verbum Domini contra
vos 'mercatores regionis Philiſtiim: namperdam 'te, vt ſis abſque habitatore.
6 Erit confinium maris, defoſſa habitatio paſtorum, & caulæ ouium.
7 Cedet hæc reſiduo domus Iehudah, in locis illorum paſcentur: ad veſperam
accubabunt in ædibus Aſchkelon, reſpiciet ſiquidem illos Dominus Deus illo-
rum, finiétque captiuitatem illorum.
8 Audiui opprobrationem Moab, & conuitia filiorum Ammon, quibus oppro

Quod ſcilicet vaſtati eſſent.

braucrunt populo meo, & inſultarunt 'finibus illorum.
9 Propterea ſicut viuo, inquit Dominus Tzebaoth, Deus Iiſrael, ita futurum
eſt vt regio Moab ſit inſtar Sedom, & filii Ammon ſicut AEmorah, ſqualidum
ſenticetum, & ſalinæ, & æterna vaſtitas: reſiduum populi mei deprædabuntur
illos, & reliquiæ gentis meæ erunt hæredes illorum.
10 Iſta obuenient illis loco amplitudinis ſuæ, quia opprobrarunt, atque inſulta-
runt populo Domini Tzebaoth.
11 Tremendus Dominus contra illos, diſperdet ſiquidem omnes deos orbis, &
ſupplicabunt ei, quiſque de loco ſuo, omnes quoque inſulæ Gentium.
12 Etiam vos AEthiopes, ex vulneratis gladio meo eritis vnà cum illis.
13 Inclinabit manum ſuam & ad Aquilonem, perdétque Aſchur, & vaſtatã red-
det Nineueh, horrida erit tanquam ſolitudo.
14 Cubabunt in medio illius greges, & omnes cuiuſvis gentis beſtiæ, etiam ono-
crotalus, & noctua in ſuperiore limine eius habitabunt: in feneſtra volucris ca
net, ſolitudo erit in poſtibus, quia nudata erunt tigna.
15 Hæc ciuitas illa exultabunda, quæ ſedebat confidenter, quæ in corde ſuo dice
bat, Ego, & præter me nulla: quomodo redacta eſt in vaſtitatẽ, facta accubatio
beſtiarum? quicunque tranſierit per eam, ſibilabit, 'manúmque iactabit.

Præ ſtupore ſcilicet, quòd tam potens ac tam ſtructa vrbs tam miſerè vaſtata ſit.

ENARRATIONES.

QVum non ad vnum omnes à Domino Iudæi defeciſſent, reliquos Dei filios Propheta ad reſipiſcentiam hortatur. *Conquirentes*, inquit, *conquirite*, hoc eſt, omnia perquirite, excutite & conſiderate, nimirum quàm benignus in vos Deus, quàm ingrati vos: quàm iuſtus Deus, & contemptus ſui intolerans, quàm deprauati vos & perditi: quid vos deceat populo Dei cooptatos, quid tot Prophetæ ſibi velint tam grauiter extrema mala prædicentes, & iuxtà tamẽ ad reſipiſcentiam continuò hortantes. Verbo quo hîc vſus Propheta eſt, anxiè perquirere, & ſtudioſe colligere ſignificat: vti paleas filii Iiſrael inquirebant & colligebant, vrgentibus magiſtris operum Pharaonis, Exod.5.c.11. vti & ille conquirebat & colligebat ligna Sabbatho, Num.15.d.32. Item ſicut & vidua illa ad quam miſſus fuit Eliiah, 1.Reg.17.b.10. In his enim locis verbi huius [illegible] vſus eſt. Vt verò quid audeam, volo fratrum iudicio & hanc loci huius interpretationem ſiſtere, Paleas colligentes, paleas colligite, gens inamabilis. [illegible] ſanè paleam

ſignificat,vt exiſtimem קשש verbum hinc deductum, ſimile Germanico noſtro *ſtupflen*, quod ſtipulas colligere ſignificat,quas dicimus *ſtupfelen* acſi quis Latinè ſtipulare, pro ſtipulas colligere diceret, verbo formato à nomine ſtipularum. Sequenti verſu indicat inſtare,vt velut paleæ & quiſquiliæ tenuiores tranſeant. Neque infrequenter populum קש,id eſt paleam, Scriptura vocat, vt Ieſcha.5.e.24.& 40.b.6,& alibi. Videát ergo fratres, annó & húc ſenſum hic verſus habere poſſit, Paleis ſimiles eſtis: paleas igitur colligentes, paleas colligite:quaſi (ſi liceret) diceres, Paleantes paleate, populus inamabilis. Priuſquam edatur lex, hoc eſt, eueniat vobis quod lex & ius eſt palearum, vt vento ſcilicet diſiiciantur, ne ita & vos,non iam iuſtæ paleæ, ſed leuius quid, nempe quiſquiliæ tranſeatis, hoc eſt diſpereatis. Secundus ſanè verſus, phraſi perobſcura eſt, quem ſiquis ad verbum reddat, nihil dicet Latinis. Reddidi igitur eum, vt intelligi fortè poſſit verbis appenſis, nó adnumeratis. חק Statutũ & legem Hebræis ſignificat: ſed ſæpenumero pro rei cuiuſque proprietate & natura accipi ſolet. Sic lunæ certas viciſſitudines Iirme. 31.f.35, חקות dicuntur. Et 33.d.20, cælorum & terræ certum ordinem atque rationem eodem nomine vocat. Itaque partum legis quam hic Propheta inſtare indicat, ſtatutam ac decretam vltionem de populo Iudaico ſumendam intelligo: quum velut quiſquiliæ diſpellendi erant. Antequam ergo hæc lex, hoc decretum edatur, & vltio iam de populo iſta exitialis ſumatur, Propheta hortatur vt reſipiſcant, & ſeſe velut diſperſas, ventiſque expoſitas paleas colligant, hoc eſt, ab impietatis diſperſione, qua quiſque iuxta ſua ſtudia, ab horreo Domini diſpulſus aberrat, ſummo ſtudio recipiant, totóque pectore Diuino verbo addicant: quo iam nó paleæ inutiles, ventóq; cuiuis obnoxiæ, ſed fructiferæ arbores ſint in irriguis plantatæ, vti de piis canit Pſalmus 1.a.3. Gentem inamabilem vocat, vtique ideo quòd agro fertili, vineæ cultæ & frugiferæ, arboribus in tẽpore ſuo fructum reddentibus ſimiles eſſe debebant: ob impietatem autem & Dei neglectum, inſtar palearum habere cœperant. Græca editio habet τὸ ἔθνος ἀπαίδευτον, populum indocilem: ſingulariter dilectus aliâs, & peculii populus prædicatur. His itaque titulis oppoſuit Vates iſtam appellationem, inamabilis: quo potentius ſcilicet pudorem eis incuteret, & ad reſipiſcentiam prouocaret. Eadem cauſa adhibuit & repetitionem in verſu ſecundo, bis dicens, Antequam veniat ſuper vos, &c. Furorem iræ, ardentis & æſtuãtis iræ vltionem: & tempus huius, dié iræ intelligit.

3 *Inquirite Dominum quicunque humiles in terra, quique ſequuntur iudicium eius: inquirite humilitatem, ſi fortè abſcondi detur in die iræ Domini.* Hoc verſu Propheta indicat & qui ſint reſipiſcentiæ capaces, & quæ vera reſipiſcentia haheatur, tum vt illa ſeruet & tueatur, etiam vaſtante iam omnia ira Dei. Mãſuetos ſiquidem terræ, & qui iudicium faciunt, appellat. hi verò ſunt qui abnegarũt ſemetipſos, eóque ſimul modeſtè atque humaniter ſeſe habent. Hæc omnia in hoc nomine ענו continẽtur. Nam à verbo ענה quũ ſignificat adfligere, venit: eóq; ſignificat afflictionis tolerantes, atque ideo mãſuetos, ſuique neglígẽtes, modeſtos, humanos, quæ omnia ſcilicet ſeſe comitãtur. Iſti propriè Chriſti populus ſunt, & mites illi quibus terræ hæreditas promiſſa eſt, & ſolis Euangeliũ ex vaticinio Ieſchaiah 61.c.9, cũ fructu adnuntiatur: quos & Dominus cũ æquitate moderatur, atque defendit, Ieſcha.11.a.4, & Pſal.9.a.5, & 22.d.28. Neque enim agnoſcit ille diſcipulos, niſi qui abnegauerint ſeſe, & corde humiles, penitúſque mãſueti fuerint, & ad tolerãda omnia parati. Hi demũ iudiciũ, hoc eſt quod iuſtũ & æquũ eſt faciũt, poſtquã ſui ſcilicet amore vacant. Etenim iudicium facere, hoc quidem loco, vt multis aliis, eſt omnia rectè & ordine facere, vt nihil iuſtitiæ & æquitatis, nihil modeſtiæ & bonitatis deſideretur. Porrò quòd ait, *omnes manſueti terræ*: notat ſimul eorum quos alloquitur humilitatem, & inceſſit nonnihil aliorum arrogantiam: quaſi dicat, Mala omnino inaudita populo huic venient, & inuoluent præcipuè eos qui nunc omni in luxu & faſtu videntur regnare. Ob id autem animos ne deiicite vos, quotquot in terra contempti & humiles, ſed ſimul manſueti eſtis: veſtri vt ſolet, rationem habebit Dominus, vos ſeruabit, & benignè alet: tãtũm inquirite Dominum, hoc eſt ex animo & ſolicitè quærite, vt ipſum ritè agnoſcatis & ametis. Prima ille veſtra cura ſit, totus ab eo pendeat animus veſter. Id enim eſt ipſum inquirere, eius ſcilicet timore & reuerentia teneri, voluntatiſque eius eſſe ſolicitum. Addit, *inquirite iuſtitiam, inquirite manſuetudinem*, quod idem eſt acſi dixiſſet, Sectamini iuſtitiam, & manſuetudinem, ſtudete iuſti & manſueti eſſe, ſi fortè abſcondamini in die iræ Domini, hoc eſt protegamini, ne & vos illa perdat: de qua abſconſione & Ieſcha.26.c.20, Vade popule meus, ingredere cubicula tua, & claude oſtia tua poſt te, latita pauliſper, donec tranſeat ira: quoniam ecce Dominus egreditur de loco ſuo, vt vindictam ſumat de iniquitate habitatorum terræ. Talem à Domino abſconſionem, Baruc amanuenſi ſuo Iirmeiah promiſit cap.45.b.5, vbi Dominum facit illi loquentem, Ne quæras tibi grandia, ecce ego adducam mala ſuper omnem carnem, dicit Dominus: & dabo tibi vitam tuam vice prædæ, ad quæcunque loca perueneris. Obſeruandum verò hic iterum eſt diſcrimẽ electorum & reproborum, in eo præcipuè ſitum, quòd illi inquirũt Dominũ, animo ſunt de gratia eius ſolicito, quantunlibet hoc tenue ſit. Pro fidei enim & Spi-

ritus cuiuſque modo,& hoc Dei ſtudium eſt.Hi autem negligunt Dominum,& iuſſa eius planè rident,etiamſi id diſſimulent.Obſeruandum quoque quid Vates nominatim requirat, dum re-ſipiſcentiam requirit. Primum,timorem & ſtudium Dei : proximum,iuſtitiam, qua ex iure & æquitate cum omnibus viuitur: tertiũ, humilitatem ſiue modeſtiam, ſine qua ſanè nemo cum proximo iuſtè & humaniter viuet . Ea quoque deſideriis carnis fortiter obuiat , modúmque in omnibus ſeruare docet,tum & crucis tolerantes reddit. Sic totam pietatis rationem breuiſſimè hìc comprehenſam vides: inquiſitione Domini,timorem & ſtudium Dei: iuſtitia, dilectionem & humanitatem erga proximum: manſuetudine , carnis mortificationem & patientiam in aduerſis complexus eſt.

4 *Azah enim derelicta erit,Aſchkelon vaſtata,Aſchdod in meridie abigent in exilium,Ekron extirpabitur.* Cum ſuperioribus iſta ſic cõnectuntur,Hortatus ſum vos pauperes, abiectos & afflictos, ſed manſuetos terræ , dum alii opibus & deliciis penitus obruti erunt , & verbum Domini audire prorſus non ſuſtinent, vt quanlibet iratum Dominum pio ſtudio inquiratis: vt iuſtitiæ, quæ vera proximorum dilectio eſt,ſtudeatis:vt denique modeſtiam, qua propria caro ritè moderatur,& cruci ſubiicitur,ſectemini:ſi fortè liceat abſcondi & protegi in die iræ Domini,quæ ſæua nimis inſtat,& tanta ſanè, vt non ſolũ veſtram regionem deſertam & vaſtatam reddltura ſit, ſed & quæcunque vobis vicinæ ſunt:nam Azah quoque deſerta erit.Hanc aliâs Gazam vocant,ſicut ferè omnibus Hebræis nominibus ab ע incipientibus,noſtri G præponunt. Fuit verò olim admodũ illuſtris , etiam poſtquam & à Chaldæis & ab Alexandro Macedone fuiſſet expugnata : ſed poſtea ab Alexandro Principe Iudæorum,Hyrcani filio , miſerum in modum exciſa & deuaſtata, poſtquam annua obſidione antè excruciata fuerat, cœpit eſſe obſcurior. De hac verò exciſione ſcribit Ioſephus Anti.Iuda.lib.13.cap.19.Fuit ſanè non hoſtium ſolũ,ſed & ipſorũ ciuium crudelitate & inuicta pertinacia, maximè memorabilis. *Aſchkelon vaſtata erit.* Et hæc ex primoribus Philiſtinorum vrbibus vna fuit,deditque Antiochum Philoſophum paulo ante tempora Strabonis,fortè ſub Auguſto,vt idem Strabo meminit lib.16.*Aſchdod* (quam Azotum alii vocant) *in meridie*,inquit,*agent in exilium*:quo potentiæ hoſtilis magnitudinem Propheta ſignificauit. Quòd enim non noctu illa,ſed in medio die, ciuibus videntibus,nec potentibus hoſtes repellere,capta depopulatáque fuit, certè hoſtium nõ ferendam vim declarauit. Iirmeiah 6.a.4, & 15.b.8,eodẽ loquendi modo vſus eſt. Et Obadiah b.5.negat nocturnos depopulatores, qui diurnis tolerabiliores eſſe ſolent, AEdomitis contigiſſe. *Ekron eruetur*. Hic pulchra adnominatione Propheta vſus eſt, עקרון תעקר . עקר enim radicem & fundamentum ſignificat: vnde fortè hæc vrbs, propter robur nomen accepit: prædicit ergo iam Propheta ſtirpem iſtam extirpandam,& fundamentum hoc eruendum. Similis adnominatio & in initio verſus huius habetur, עזה עזובה,id eſt Gazah deſerta erit. Hæ potiores Philiſtinorum vrbes fuere, quibus nunquam cum Iiſraelitis benè cõuenit,licet eorum regio ad ſortem attinuerit Iehudah, vt Iehoſua 15.g.45,& Iudicum 1,legimus. A Dauide verò penitus demum fuere ſubacti. Rurſus ab Vziahu plurimum oppreſſi, 2.Chro.26. b.6,qui & murũ Gath & Aſchdod deſtruxit,& in agro illorum oppida noua extruxit.Cæſi fuere & ab Chizkiah,2.Reg.18.b.8, quod eis Ieſchaiah prædixerat, 14.d.28. Demum à Machabæis diutino bello afflicti,ac tamen non prorſus deleti,tandem illorum imperium agnoſcere coacti ſunt. Porrò hæc Philiſtinorum regio depopulata fuit cum aliis vicinis Iiſraelitis & à rege Aſſyriorũ : de qua vaſtatione vaticinatus fuit Ieſchaiah à capite 14, vſque ad 24. Poſtea iterũ à rege Chaldæorũ:& de hac prophetarũt hic noſter,& Iirmeiah à cap.46, vſque ad cap.50. & Ieſche. à cap.23, vſque ad cap.33. Nam Amos quũ prophetarit tempore Vziiah, veriſimilius eſt de terræ vaſtatione à rege Aſſyriorũ facta,de qua Ieſchaiah:quàm de poſteriore quã intulit rex Chaldæorũ , de qua Iirmeiah 25 & 47 vaticinatum eſſe: illic autem & iſtarum vrbium nominatim meminit.Iechezkel 25.c.13, etiam cauſam exprimit vaſtationis earũ, quòd cupidè ſe vlti fuerãt de populo Iudaico,quum à Chaldæis diriperentur,& ex animo illos deteſtati,nihil ad perdendũ eos fecerant reliqui,exercentes inimicitias veteres,quæ iam à multis ſeculis viguerant,vt ex adductis modò locis liquet.Idem & Amos,ſed vno verbo,indicauit ideo vaſtatos fuiſſe quòd erga exules populi Dei crudeles fuerint,& AEdomitis illos tradiderint magis affligẽdos. Amos.1.b.6.

5 *Vae habitantibus confinium maris , genti Chretim: verbum Domini contra vos mercatores regionis Philiſthim: nam perdam te,ut ſis abſque habitatore.* Ad Mare mediterraneum regio Philiſtinorũ pertingit: inde חבל הים, id eſt,funiculus maris dicitur. Ego,vt clarius eſſet, confinium maris verti Quo verò Propheta mala Philiſthæis imminentia exaggeret,more ſuo, enumeratis vrbibus gentis huius, & prædicto in genere omnium excidio, diſtributione vtitur,& partibus populi, nominatim de inſtante vaſtatione vaticinatur. Omnem ergo Philiſtinorum populum primum ſummat,dicens,*vae habitantibus confinium maris*. חבל quidem funiculum quo terra ſolet metiri & diuidi , ſignificat, ſed per Synecdochẽ accipitur pro terræ certa portione:ſicut hìc pro portione maritima.niſi quis ma-

De ciuitatibus & vaſtatione Philiſtinorum.

lit Occidentalē vertere. Quū enī mare Mediterraneū Iudææ Occidentalē terminū faciat, ſæpè mare pro Occidētis plaga in Scripturis accipitur. Fortè autem admenſam portionē, hanc cōſinē mari regionē, Vates appellauit, quòd ea ſorte admenſa fuerit tribui Iehudah, vt dictū eſt. Ergo dum confinium maris Propheta dixit, in genere omnem Philiſtinorū regionem hîc periphraſi ſignificauit: partes autem diſtributionis fecit, gentem Crethim & gentem Chenaan, hoc eſt, militarem & mercatoriam. Nam & militia præcipuè valuerunt, quòd paſſim Sacri libri teſtātur: & mercaturæ, propter maris vicinitatem, admodum intenti fuere. Certè Dauid ſemper è Philiſtæa ſuos milites habuit, nominatim verò Gathæos, & duas legiones, quarum altera Crethi, altera Plethi dicebatur. Chaldæus interpres alteram dicit vſam fundis, alterā vero arcubus. *Crethi & Plethi.* Hanc itaque Chreti dictam arbitror quaſi Crethim, id eſt כורתים, ſagittis perdentes & excindētes; illam verò Plethi, quaſi פולחים, id eſt fundis irruentes, & hoſtes proſternentes. Nam à פלה eorum nomen deductum exiſtimo: atque ita eos vocatos, quòd in hoſtes irruerent, ictibúſque lapidum in terram deiicerent. Horum Crethim & Iechezkel meminit, Propterea (inquit) ſic ait Dominus, En inclino manum meam ſuper Philiſtim, & excindam Crethim, perdámque reliquias regionis maritimæ. *Iechez. 25. d. 16.* Vſus autem Propheta eſt paronomaſia hîc in והכרתי את כרתים, quaſi dicas, excindam exciſores, ſicut noſter inquit, AEkron eruetur: de quo iam memini in verſu ſuperiore. Altera itaque pars populi Philiſtæi, erat Chenaan, id eſt, mercatorius. Quanquam alii ſimpliciter Chenaā dictos Philiſtæos velint, quòd terram Chenaan inhabitarunt. *Chenaan mercatorem ſignificat.* Id autem ego neſcio quàm certum ſit. Lego quidem 1. Moſceh 10, terminos Chenaanitarum fuiſſe à Tzidone, qua venitur Geraram vſque Gazam, &c. At ipſam Gazam cum reliquis Philiſtinorum vrbibus intra fines fuiſſe illorum, nulla vel coniectura eſt. quandoquidem eodem capite Philiſtæos non ex Chenaan, ſed Mitzraim filio Cham progenitos legimus. quare veriſimile eſt eos etiam intra fines filiorū Mitzraim, & non Chenaan habitaſſe. Quod enim ex 13 cap. Iehoſua adducūt, *Ioſue 13. a. 3.* A Schichor qui AEgyptū præterfluit, & vſque ad terminos AEkron verſus Aquilonem Chenaanitis cenſetur: quinque principatus Philiſtinorum, Gazæ, Aſthdod &c. ſententiæ noſtræ non obſtat. enumerat enim illic Dominus quæ nondum occupata erant à filiis Iiſrael, & tamē ad hæreditatem eorum pertinebant: horum pars vna erat regio quæ à Schichor flumine AEgypti, vſque ad AEkron, verſus Aquilonem, pertingebat, atque Chenaanitis accenſebatur. Alia verò pars, erant principatus quinque Philiſtinorum, deinde & reliquæ numerātur. Sic & Iudicum 3, hæ gentes recenſentur: quinque principatus Philiſtinorum, deinde omnes Chenaanitæ, poſtea Sidonii, & deinceps reliquæ: vt apertè videas Chenaanitas, alios quàm Philiſtæos dictos. Loca autem ex quibus perſpicuum ſit Chenaan mercatorem in Scriptura vocari, ſuperius ad verſū 11 capitis primi adduxi. *Perdam te, ut ſis abſque habitatore.* Ab inhabitatoribus ſermonē ad ipſā terrā deflexit, quod, vt & aliæ perſonarū ſubitæ mutationes Hebræis frequentiſſimæ, in vſu eſt.

6 *Erit confinium maris, defoſſa habitatio paſtorum, & caulæ ouium.*

7 *Cedet hæc reſiduo domus Iehudah, in locis illorū paſcentur: ad veſperā accubabūt in ædib' Aſchkelō, reſpiciet ſiquidē illos Dominus Deus illorū ſiuebitq; captiuitatē illorū.* Per ſynecdochē vel metalepſim, omnibus Prophetis (dū deſolationē regionū prædicunt) familiarem, vaſtationem terræ ſextus verſus indicat. Nā oues paſci, vbi antè agebāt homines, hominū vtiq; abactionē, ſediúmq; eorū vaſtationē arguit. Quòd Defoſſā habitationē paſtorū verti, vulgata editio ſimpliciter habet, Requiem paſtorum: ſed כרת defoſſionem ſignificat. Veriſimile nanque eſt, in calidis illis regionibus paſtores ſubterraneas ſibi manſiones parare, quum in Hungaria id ſoliti ſint. Septimus, pœnæ quam dare ſolent filii Dei, & quam nati ex diabolo, diſcrimen prædicat. *Diſcrimen pœnæ electorum & reproborum.* Illos enim Dominus caſtigat virga & plaga humana, non quam Scriptura, Dei vocare ſolet, immanem & intolerabilem intelligens, ſicut omnia quæ Dei vocat: vt arbores Dei, montes Dei, viros Dei, & quæcunque ſignificare vult magna & ingentia eſſe: miſericordiam autem ſuam nequaquam aufert ab illis, vti Dauidis poſteritati, hoc eſt, Chriſtianis, & omnibus verè Dei filiis, 2. Schm. 7. h. 12, & Pſal. 89. g. 29, promiſſum legitur. Reprobi autem ita à Domino puniuntur vt penitus perdantur: & ſicut non in extremo iudicio, ita nunquā poſtea quoque reſurgant: id quod teſtatur Pſalmus primus verſu 5, cum Scripturis aliis innumeris. Neque enim extinguitur ignis eorū, neque moritur vermis eorū, Ieſcha. vlt. verſu 24. Peccāt ſiquidem, qui huiuſmodi ſunt, tandem in Spiritū ſanctum omnes: id quū nunquam (affirmante Chriſto) remitti poſſit, nunquam vtique plaga eorum finietur, quicquid quidam Anabaptiſtarum præpoſterè ſapientes, & dogma Origenicum reſuſcitare conantes, contrà garriant. De his in cap. 3. plura. Reproborum itaque imaginem Vates propoſuit in Philiſtæis, quibus vaſtatis, nihil boni pollicetur. Electorum autem typum, qui à Domino corripiuntur, vt cum mundo non condemnentur in perpetuū, 1. Corinth. 11. g. 32, conſiderandū exhibet in Iudæis, quos non ſolùm non delendos penitus, ſed & fruituros adhuc hoſtium ſedibus & bonis prædicit. Præterea Philiſtinorum exterminium eadem opera Vates grauius ipſis

& magis terrificum fecit, dum prædixit Iudæos, propter quorũ odium huic Dei iræ ſeſe obnoxios fecerãt, relictis ipſorũ adhuc vſuros. Licet enim Iudæi multa ſint ab his & aliis vicinis gẽtibus etiam è Babylone reuerſi, aliquandiu perpeſſi: tandem tamen regnantibus Machabæis, omnes ſuo imperio ſubiecerunt, & bonis eorũ fruiti ſunt, vt teſtatur Ioſephus lib. Anti. Iud. 12. cap. 11. & lib. 13. cap. 5, & 6, & 21. Quanquam iuſta rerũ poſſeſſio & hæreditas, ac in bonis hoſtium ſucceſſio, quæ hîc Sanctis promittitur, Spiritu magis, omnibus ad gloriam Dei vtente, quàm externo rerum vſu conſtat. Quo qui præditi ſunt, ii nihil habentes, omnia tamen poſſident. Sic relictis Philiſtinorum, Sancti in Iiſrael potiti ſunt, atque in eis dominati, etiam quũ rerum omniũ inopes, ſeruire maximè inter illos videbantur. Quicquid enim ſibi tales, vel de hoſtibus, vel hoſtium bonis exoptant, cumulatiſſimè eis obuenit: propterea quòd tantum quæ ad gloriam Dei faciunt, quærunt. Facit igitur timentiũ ſe voluntatem in omnibus Deus, pater illorum indulgẽtiſſimus, fruique donat quibuſcũque eis libuerit. Sic dominantur omnibus, poſſidẽt omnia, fruuntur omnibus, etiam quũ omnium pauperrimi atque calamitoſiſſimi mũdo habẽtur. Pius itaque animus, cui Spiritus Dei teſtimoniũ perhibet quòd filius Dei ſit, indéque non dubitat ſe de Electorum numero germaniſque filiis Abrahæ & Iiſraelitis eſſe, hoc dictũ Vatis probè perpendat, *Et viſitabit illos Deus eorum*: hoc eſt, reſpiciet ſua bonitate, & finem faciet captiuitatis eorũ. Deus, inquit, eorum: Deus ſiquidem eorum perſeuerat, etiam dum ob peccata ſua omnia malorum genera patiuntur, dum principis mundi, ob peccata ſua captiui ſunt: ac ita experiuntur quàm amarum ſit, Domino cupiditates ſuas, & Satanæ voluntatem prætuliſſe. Nam quũ ſatis caſtigati fuerint, & didicerint vana & mala eſſe omnia præter Deum, per Filium ſuum verè liberos eos reddit, inuiſens eos, vt paſtor ſolet diſperſas & errabundas ouiculas. Quanlibet igitur ſæuiat nonnunquam deus ſeculi huius, & exigente Electorum ſocordia atque ſtupiditate regnum & ſacerdotium amiſſum ſit, hoc eſt, & externam rerum adminiſtrationem obtineant impii tyranni, & Antichriſtiani in Eccleſiis Chriſti teneant cathedram, exuſtum ſit templum, hoc eſt, nullus prorſus extet veræ Eccleſiæ cœtus atque communio, ſed omnes vel errore vel infirmitate in Babylone ſeruiant captiui: quicunque tamen timent Deum, quicunque orant aduentum regni Chriſti, ac ideo certò Spiritus primitias acceperunt, ſpem nequaquam ponãt: Dominus, eorum Deus eſt: Chriſtus, eorum paſtor, ſacerdos & redemptor: hic tandem deiecto mundi principe ſpolia eius diripiet, & condita ac recondita in gloriam Dei vaſa gratiæ, purgabit, Patríque ſanctificabit. Tantum interim vt ſpem iſti non ponunt, ita ſibi in malis ne placeãt, néve quæ contra Dei verba, eóque impia deſignãt, cupiant defendere: vt hodie, proh dolor, multi agentes ſub tyrannis Chriſti hoſtibus, conantur. Ii enim & grauiſſimè hinc Deum offendunt, & tantum ſuam captiuitatem prolongant. Notandum hîc etiam eſt, quas operas reſiduo Iehudah, decimato populo, iámque cruce ad officiũ ſuum vtcunque reducto, Vates tribuat, ſanè nõ mercaturam, non militiam, nõ vanarũ artiũ ſtudium, ſed paſturam ouium. qui quæſtus, eſt omnium innocentiſſimus, vtpote ſola Dei benignitate nitens, & cum nullius iniuria coniunctus, ſed & ipſis exercentibus non admodum moleſtus. Huic Habel iuſtus, Abraham fidelis, Iaacob ſimplex, Moſcheh vir omnium qui in terra erant mitiſſimus, Dauid vir ad voluntatem Domini formatus, & alii ſanctiores omnes dediti fuere. Quanto magis igitur erat noſtrum, quibus haud paulo plus Diuinæ cognitionis, quàm omnibus retrò ſeculis affulſit, ab omnibus artibus & quæſtibus abhorrere, quibus vel tantillũ proximus grauari poſſet, & iis ſtudere potiſſimum, quibus quamplurimum ad alios commodi rediret, nobis ſatis habentes, ſi inde alimenta ſuppeterent & veſtes? Certè non poteſt non terrere animum Chriſtianum, tanta in luce Euangelii, certatim omnes ea artificia, eos quæſtus ſectari, quæ laboris minimum requirunt, & lucri plurimum afferunt, nulla penitus ratione proximorum hîc habita, nulla innocentiæ, quæ non grauiſſimè in eiuſmodi opificiis & negotiationibus periclitatur. Nihil enim, vt inquit Cicero, de iis qui mercantur à mercatoribus quod ſtatim vendant, proficiunt, quicunque ferè artes ſectãtur quæſtuoſiores, niſi plurimùm mentiantur. Quid autem vanitate non turpius modò, ſed & Chriſtiano indignius? Vnicè autem dolendum quòd & bonæ literæ, ſaluberrimáque bonarũ artium ſtudia quibuſvis fœdiſſimis quæſtibus poſthabentur. Omnia ingenia liberaliora, quibúſque Diuina benignitate contigit vt optimis literarum ſtudiis incumbere poſſent, illicò mercaturæ (quæ tanta tamen hodie iniquitate oppreſſa eſt, vt à nullo alio quæſtu vir bonus æquè debeat abhorrere) mancipantur. Antea dum ſacerdotiorum ſpes eſſet, aliqua tamen literarũ ratio habita eſt: ea ſpes quũ alibi ſublata ſit, alibi nutet, nemo eſt qui liberos ſuos erudiri ſolidè, alicuius faciat: tum qui ſacerdotia adhuc aucupantur, perditis ferè adeò ingeniis ſunt, vt & ipſi literas, tametſi miniſtras veritatis, & impoſturarum hoſtes, peſſimè odiant & deteſtentur. Iam inficiari nemo poteſt de animis ſtudia iudiciũ facere. Proinde dum omnes in terra, nemo in cælo theſaurizare ſibi ſtudet, dum proprio omnia, nihil publico cõmodo metimur, Chriſtũ à paucis adhuc ve-

rè cognitum eſſe, quantumlibet Euãgelium paſſim plurimi iactent, plus nimio manifeſtum facimus. Qui verè Chriſtum agnoſcit, nihil habet prius quàm ipſum in cæleſtibus quærere, daréque operam, vt ita ſuam & ſuorum vitam inſtituat, quo pacto illi fore gratam poterit ſperare: hoc eſt vt proximorum commodis ſit addicta quammaximé. Huc iam nos prouocet inter reliqua, & quod hîc legimus, reliquiis Domini id artis, id negotii, id quæſtus tribui, quod omniũ ſit innocentiſſimum, & proximis in primis vtile, cuiúſque lucra ſola Dei benedictione laboréque proprio comparâtur. Philiſthæis autem reprobis mercaturam, ſicut & in populo ſuo Vates ſuperius eam cum reprehenſione, & tanquam iræ Diuinæ cauſam memorauit, verſu 11, cap. 1.

8 *Audiui opprobrationẽ Moab, & cõuitia filiorũ Ammõ, quib' opprobrauerũt populo meo, & inſultarũt finibus illorũ.*

9 *Propterea ſicut uiuo, inquit Dominus Tzebaoth Deus Iiſrael, ita futurum eſt, ut regio Moab ſit inſtar Sedom, & filij Ammon ſicut AEmorah, ſqualidum, ſentietum, & ſalinæ, & æterna uaſtitas: reſiduum populi mei deprædabuntur illos, & reliquiæ gentis meæ erunt heredes illorum.*

10 *Iſta obuenient illis, loco amplitudinis ſuæ: quia opprobrarunt, atque inſultarunt populo Domini Tzebaoth.* Nunc & Moabitis atque Ammonitis gẽtibus vicinis Iudæis, & ex Loth originẽ ducentibus excidium prædicit. Nã & iſti ideò præcipuè vaſtati ſũt, quòd in populũ Domini iniquo animo vſque fuerant, & inſultãtes ei & opprobriis atque conuitiis cũ exagitantes, plurimum ei moleſtiæ intulerant. Vnde & horum exterminii prædictio momentum aliquod habuit ad prouocandum Iudæos ad reſipiſcentiam: quum audirent ſe Deo, licet grauiter adeò ipſum offendiſſent, tantopere tamen charos adhuc eſſe, vt eorum hoſtes crudeliter exciſurus, ac ita ipſis quanlibet immorigeris & fœdifragis, promiſſam illam benedictionem fœderis ſui eſſet præſtiturus, inimicus inimicis ipſorum, atque maledicens maledicentibus ipſis. Nimia & intolerabilis Moabitarũm arrogantia, & contra populum Dei, atqueadeò Deũ ipſum, inſultatio, & Ieſcha. 16. b. 11, Iirme. 48. d. 28, & Iechez. 25. b. 8, notata eſt. *Audiui* (facit loquentem Dominum) *opprobrationem Moab*: quo vtique eum & vlturum illam ſignificauit Iuſtus enim omnium iudex eſt, ideo inulta mala permittere non poteſt: tum & vindex populi ſui: quare impunè non ſinet eum iniuria affici. Ad eundem modum inducit Dominum & Iirmeiah dicentem, Noui, inquit Dominus, æſtuantem iram eius, & non ſic, non ſic inquam, viribus ſuis valuit. Probè verò notandum piis, quòd populum ſuum vocat, quantumlibet ſibi rebellem, & ideo traditum in manus Chaldæorum: de quo & paulo ſuperius iam dixi. Porrò non ſimpliciter vaſtandos Moabitas & Ammonitas Propheta prædixit, ſed affirmat Dominum (quem & propter maiorem vehementiam *Dominum exercituum*, omnium ſanè ordinum creaturarum, & *Deum Iiſrael* vocauit) id iuraſſe, *Viuo ego*, &c. hoc eſt, tam certò Moabitæ Sedomis, & Ammonitæ AEmoræ ſimiles erunt, quàm certò ego viuo, & vitæ ſum autor omnibus. Sicut ergo autor Epiſtolæ ad Hebræos 7, præcellentiam ſacerdotii Chriſti præ ſacerdotio Aharonis ex eo colligit quòd Chriſtus iureiurando ſit conſtitutus Sacerdos, non autem Aharon: ita rectè hîc multo maximè horrendam ac irreparabilem vaſtitatem prædictam Moabitis & Ammonitis intelligimus, quando cum iureiurando illam Dominus minatus eſt. Porrò hyperbole eſt, quòd ſicut Sedom Moab, & ſicut AEmorah poſiturum ſe ait Ammon: tum quòd illorum regionem ſe ait conuerſurum in vepretum, ſalinas, & æternam ſolitudinem: nam licet grauiſſimè deuaſtatæ hæ regiones fuerint, diúque deſertæ manſerint, non adeò tamen abolitæ & in tetrum lacum verſæ ſunt, vt euenit Sedom & AEmorah: neque in merum certè vepretum, aut ſalinas conuerſas legimus. nam iterũ omnino hæc regio, poſt hic prædictam vaſtationẽ habitata eſt. hyperbole igitur eſt, qua ſummam quidem terræ huius vaſtationem Propheta prædixit, quæque habitatoribus, quibus ea ſuperuenit, viſa ſit euerſioni Sedomorum non abſimilis, nullúmque habitura finem, quanquam re ipſa longè fuerit euerſione Sedomorum mitior. Hyperbolis ſanè in vtranque partem Scriptura abundat. Vtique hyperbole eſt, quũ Dominus toties terram Chenaan fluentem lacte ac melle dixit, dúmque regio Sedomorũ ſicut hortus Domini prædicatur, 1. Moſeh. 13. b. 10: ita æneũ cælũ, & terra ferrea, annon ſunt audentes hyperbolæ? Sic quum Ieſcha. 7, relictis in terra promittit butyrum & mel omnes comeſturos, & terram vndique plenam fore ſpinis & tribulis, certè vtrunque hyperbole eſt. Etenim Lingua ſancta, more veterum ſapientium, parabolis, allegoriis, metaphoris, aliíſque tropis, quo Dei iuſſa & monita penitius in animis rudium figat, licentioſiſſimè vtitur. Sed & quotidiani ſermonis, quo ferè Scriptura vti ſolet, ratio apud omnes gentes huiuſmodi eſt, vt cum alios tropos, tum præcipuè hyperbolen frequentiſſimè admittat. Talis ſanè illa Chriſti erat, quum de excidio loqueretur Ieruſalem: Non relinquent, inquit, lapidem ſuper lapidem: quæ & Germanis in vſu eſt. Certè qui vel proprii ſermonis rationem diligenter animaduertit, troporum licentiam in Scripturis minimè mirabitur. Spiritalis tamen, his ipſis hyperbolis, ſemper ſimul ad ſpiritalia cogitanda mouebitur. Filii Moab & Ammon, perpetui populi Dei, licet cognati illorum eſſent, atqueadeò ipſius Dei hoſtes, imaginem pio animo offerunt

De Moabitis & eorũ vaſtatione.

Frequentes in Scripturis hyperbolæ.

reproborum qui in externis quidem aliquid cum Sanctis affinitatis & commercii habent, animo tamen ſemper ſunt in eos hoſtili. Horum itaque dum legit incomparabilem & æternam deuaſtationem prædici, æternam hypocritarum falſorúmque fratrum cogitabit reiectionem, & fine carens exterminium: indéque excitabitur ad glorificandum Deum qui ſe in vitam elegit, & à perditis illis ſuo Spiritu ſeparauit. Quod verò *ſqualidam, ſentioſam, & ſalinas* fore terram Moab & Ammon Vates prædixit, periphraſis eſt extremæ vaſtationis: qualibus paſſim Prophetarum libri pleni ſunt. Singulariter autem hypotypoſibus elegantem, & hyperbolis admodum audentem legis Ieſcha. 34, de regione Idumæorum. ממשק deſertam & ſqualidam terram intelligunt Hebræi, quorum ſententiam confirmat illud Ieſcha. 33. a. 4, Ablatio prædæ veſtræ, vt depaſtio bruci, ſicut משק, id eſt vaſtatio locuſtarum, erit eius euacuatio. In his ſiquidem locis ſolùm, verbum hoc in Bibliis haberi, in Hebræis Concordantiis notatum eſt. חרול vrticas vel ſentes interpretantur. Porrò quòd Salinas verti, ad verbum reddi poſſet Effoſſio ſalis. Omnis

Vbi ſalis copia, ibi ſterilitas. ſiquidem locus (vt ſcribit Plinius libro 31. capite 7) in quo reperitur ſal, ſterilis eſt, nihilque gignit. Vnde quũ Abimelech Sichem deſtruxiſſet, ſeminauit illic ſalem, quo perpetuò ſterilem & deſertum locum, vel reddere, vel ſaltẽ fore talem ſignificare voluit. Iudic. 9. g. 45. Huic malo vicinæ aliquot Moabitidis regiones, & fortè etiã ipſorũ aliquæ partes obnoxiæ exiſtunt. Vnde id tanquam notum illis malum Dominus minatus eſt. Scribit autem Plinius, loco iã citato, Carrhis Arabiæ oppido, (quod facilè crediderо קריתים id eſt Kiriathaim fuiſſe, cuius Iirmeiah 4. c. 8, inter oppida Moab meminit: nã Moabitis Arabiæ petreæ pars eſt) muros domóſque maſſis ſalis extrui, aqua ferruminatis. Memorat ibidem & inter AEgyptum & Arabiam, ſqualẽtibus locis, ſalem inueniri, detractis harenis. Hinc certè exiſtimo vallem illam in qua AEdom (cuius regio confinis Moab eſt, & ipſa portio Arabiæ petreæ) cæſus fuit à Dauide, & pòſt iterũ à Ioaſch Rege Iehudah (vt 2. Schm. 8, & 2. Regum 4. legimus) Vallem ſalis dictam, quòd in ea ſal effoderetur. Porrò non ſolùm in Arabia, verùm & in India atque Africa, vt memorat idem Plinius, tum & Sarmatia montes natiui ſalis ſunt, è quibus lapidicinarum more ſal cæditur. De Sarmaticis

Ioachimus Vadianus. ſalinis admiranda ſanè ſuper Pompo. Melæ librum tertium cõſcripſit Ioachimus Vadianus, vir eruditione & pietate, tum ciuili prudentia, ac ſingulari animi conſtantia planè admirandus, rarúmque ornamentũ patriæ ſuæ, oppidi S. Galli, vbi primi ordinis Senatorẽ agit: plurimúmq; ad id contulit, vt ciues ſui, reiecta omni ſuperſtitione & idololatria, quàm ſimpliciſſimè ſe ad Chriſtũ cõuerterint, Miſſa penitus miſſa, ſubmotis idolis, & omni eo quod aut gloriam Chriſti, aut proximorum cõmoda quouis modo remoratur. Hæc verò & auſi ſunt, & in eis perſeuerant, non ſine intẽtatione extremi periculi, idque tam à ſociis quàm ab exteris. Sed cui ſe crediderũt, immotos in verbo ſuo ſeruat Chriſtus. Hæc ſolet fœlicitas eſſe eorum quibus Diuina benignitas, & fidos Verbi miniſtros, & pios dederit Magiſtratus. Cæterùm hãc à ſale ſterilitatẽ immitti terris propter peccata inhabitantiũ, teſtatur & Pſalmus ſupra centeſimum ſeptimus, g. 34, Qui vertit terram, inquit, fructiferam in ſalſuginoſam, ob malitiam inhabitatorum eius. Et Iirme. 17. b. 6, minatur Dominus talem ſedem iis qui confidunt in homine, & robur ſuũ faciunt carnẽ. *Reſiduũ populi mei deprædabuntur eos.* Hoc hemiſtichio Propheta indicat filiis Dei, vt omnia, ita & hoſtes ipſorũ, ac quæcunque hoſtes poſſidẽt, in vſum cedere, bonóque eſſe, ſed perfruitione fidei, nõ ſemper & carnis. Quanquã enim ſub Machabæis Iudæi ſint has gẽtes re ipſa deprædati, boniſq; eorum tanquam ſuis vſi, breue tamẽ atque incertum adeò fuit, vt multo infra & hanc, & alias ſi-

Quomodo Iiſraelitæ deprædati ſunt Moabitas. miles Dei promiſſiones id fuerit. Qui ergo verè in populo pii fuerunt, ii verè demum quod hîc Dominus promiſit, experti ſunt, etiã quũ Moabitarũ vel captiui, vel ſerui erãt. Neque enim tã ſuauiter & liberè quiſquam bonis hoſtis ſui, quibus illũ ſpoliauit, antea ſpoliatus ab illo, vti poterit, quàm & ipſis hoſtibus ſuis, & quæcunque illi poſſidẽt, vtuntur Sãcti. De qua ratione vtendi omnibus, iam paulo ſuperius dixi. Quòd ergo hîc prædicitur Moabitas & Ammonitas à Iudæis adhuc deprædandos eſſe, nihil aliud eſt quàm quod ſequitur, *Reliquiæ gentis meæ erunt hæredes eorum*: vt per Deprædari idem quod per Hæreditare intelligas. Quãuis, vt dictum eſt, Iudæorum reliquiæ è Babylone reuerſæ, re ipſa etiam Moabitas, Ammonitas, aliáſque vicinas gentes deprædatæ ſint, regnantibus Machabæis: multo tamẽ verius hæredes illorum factæ ſunt, ratione qua Dominus dixit, Mites terram hæreditario poſſeſſuros, & centuplum hîc quoque accepturos qui aliquid pro eo reliquerint. Perbreue enim fuit quo gentibus iſtis externè dominati ſunt Iiſraelitæ: neque admodum ſuauis relictorum illorum perfruitio fuit. At qui ex populo Dei in illorum regione habitauerunt, Spiritu Dei præditi, illis ad nutum paruerunt omnia, & perpetuò: ſolã enim in omnib' Dei gloriã quæſierũt, vnde vt Pſalmus 34. b. 11, habet, nullo prorſus bono potuerunt deſtitui. Nec profectò alia eſt rerum vel poſſeſſio, vel perfruitio, quæ populo Dei queat bono eſſe. Quúmque melius ille nunquam habuerit, quàm regnante per Euangeliũ Chriſto, tũ verò Sanctis nulla alia rebus perfruendi ratio hîc & contingat, & expetatur, cur alia

ratione crederemus & hîc populo Dei promiſſam hoſtiũ ſuorũ ſiue prædam ſiue hæreditatem? Vbi autẽ redierit Dominus,& vltimũ hoſtem mortẽ confecerit,quũ in regnũ vocabit qui ſe diſcipulos ipſius,dilectionis officiis probarunt,benedictos Patris,tum cum ipſo Domino in menſa ipſius edẽt & bibent,hoc eſt cœleſtibus bonis perfruentur, nõ ſpoliis Moabitarum,& reliquiis Ammonitarum. Qui ſanè expertus fuerit quid ſit centuplum illud Chriſti in hoc ſeculo, nihil dicet me eorum quæ vel hîc vel alibi Iudæis leguntur promiſſa, extenuaſſe. Sed de his plura infrà in caput tertium. Illud יתר גוי Reliquias gentis meæ verti, vt reſpondeat præcedenti שארית עמי. Quidam putãt legendum גוים id eſt Gentium, vel certè Gentis, ſine affixo, quòd alterum י deſit: ſed vtraque ratione minor eſſet ſermonis elegantia,neque ſenſus adeò quadraret. Decimus verſus & exaggerat adhuc mala harum gentium, & ſimul cauſam cur ea ſint illis superuentura, explicat: *Iſtud*, inquit, *[continget] illis pro amplitudine eorum*. Antea dominati ſunt, & ob rerum ſucceſſum, & animis celſiſſimis, & moribus faſtuoſiſſimis, tum vita ſplendida & lauta fuere: pro his ita excindentur & perdentur, vt nihil ſit futurum illis calamitoſius, regionéque illorum magis vaſtum & horridum. Quidam גאונם hîc pro faſtu & arrogantia accipiunt: ſic & hae particula,cauſa excidii eorum notata eſſet. Sed prior interpretatio Hebræam phraſim magis reſipit: vt ſignificari primùm intelligas, Moabitas loco amplitudinis ſuæ & magnificentiæ, accepturos extremam oppreſſionem & deſolationem: tum verò cauſam huius viciſſitudinis ſubiici, nempe quòd hoſtiliter adeò opprobrarunt & inſultarũt populo Dei alioqui ſupra modum afflicto. Sic priore particula pœnæ atrocitatem, quũ ſummæ celſitudini extremam teſtatur ſucceſſurã deuaſtationem: poſteriore verò cauſam huius prædixit. Hinc ergo diſcendum quàm offendat Deum, etiam in eos eſſe immites, de quibus ipſe iratus pœnas ſumit. Quanquam enim omnia Dei iudicia iuſta cum agnoſcere, tum laudare debeamus, ſuum vult tamen dilectione officium agere in Sanctis,vt compatiãtur adflictis,& fleant cum flentibus,quantumlibet iuſtè illi adfligãtur,dignéque fleant. Sic enim habet ratio veri amoris in homine: eam & Chriſtus declarauit lachrymans ſuper iuſtiſſimè perituram Ieruſalem: eandem ſæpe teſtatus de ſe & Paulus eſt, ac omnes Sancti. Proinde grata hæc Deo in nobis cum ſua voluntate pugnantia fuerit,dum & iudicia eius in proximis noſtris conſiderando, iuſtitiam eius laudamus, & ſimul cogitando afflictionem proximorũ,eadem deploramus:& quidem vtrunque,vt verè,ita nõ ſine affectibus ſanè quam ardentiſſimis, quales nimirum & in Chriſto ipſo,& Apoſtolis flagraſſe videmus. Denique & hoc in ſolatium adflictorum perpendendũ,quotquot Dei timorem reliquum habẽt,Domino eos adeò eſſe adhuc charos, vt grauiter vlturus ſit & quæcunque meritis ipſis hoſtes eorum mala intulerint. Quanlibet enim caſtiget populum ſuum, incomparabiliter tamen ſimul illum vtcunque etiam peccatis madentem diligit, eóque diligi eum requirit ab omnibus: neque non iraſci iis poterit qui illum non dilexerint, aut non vlciſci qui vlla iniuria eum affecerint. Vide perpetuò eum,etiam quum ſæuit,populum ſuum,gentem ſuam,filios ſuos,amatam vxorem,& id genus nominibus vocat. Id ritè perpenſum, dici non poteſt quantum ſpem Sanctorum confirmet, quantúmque Dei in ipſis amorem accendat. Eodem facit & quod adiecit hîc צבאות: quo vt magis potentiam Domini expreſſit,ita oſtendit peccaſſe grauius, qui peculiarem huius tanti omnium Principis, cui omnes rerum ordines, tam cœleſtium quàm terrenorum ſeruiunt, populum indignè tractarunt,neque fieri poſſe vt impunè id eis abeat. *Punit Deus etiã eos per quos de merito populo ſuo pœnas ſumit.*

11 *Tremẽdus Dominus cõtra illos: diſperdet ſiquidẽ omnes deos orbis, & ſupplicabũt ei, quiſque de loco ſuo, omnes quoque inſulæ Gentiũ.* Impii cõtra Dei populũ ſeſe exaltaturi erãt,eúmq; cõtumeliis affecturi. Cõtrà ergo Propheta minatur & Dominũ fore formidabilẽ atque tremẽdum aduerſũ illos. Hîc verò iã non Moabitas & Ammonitas ſolùm, ſed & alias inimicas Iudæis gẽtes intelligit. *Quia diſperdet*, inquit, *omnes Deos terræ*; dũ enim vniuerſas circunquaque gẽtes Dominus excidit,eóque declarauit nihil minus eſſe,quos illæ numinũ vice colebãt,quàm deos,vt qui in tẽpore tribulationis adeſſe ſuis cultoribus nequierint, vtique & deos ipſos diſperdidit,atque euaneſcere fecit. Sic quid aliud quàm deorũ omniũ reiectio atq; abolitio quædã erat ſermo ille Rabſchakeh, quũ inſultãs vniuerſis diis,ac Domino ipſi,ad obſeſſos Ieroſolymitas vociferaretur: Nũ liberauit quiſquam deorũ regionem ſuam de manu Regis Aſchur? Vbi dii Hamath & Arpad? vbi dii Sepharuaim Hena,& Iuah? Sed,Schõron ſcilicet liberauerunt dii ſui de manu mea? Quis eſt ex omnibus diis regionũ,qui eripuerit de manu mea terram ſuam? Et ſcilicet Dominus liberabit de manu mea Ieruſalem? Quid aliud hic ſceleſtus dicens, Vbi Dii Hamath, &c. quàm euanuiſſe,ac diſperditos eſſe deos Gẽtium quas Rex ſuus ſubegerat,teſtatus eſt? Neque enim Deus dici poteſt qui nequeat iuuare. Vnde Ieſcha.41.f.23.hinc ridentur Dii Gentium quòd nec benè nec malè facere poſſint. Ad eundem modum deſtructionem deorum, ac falſæ religionis Ieſchaiah 2.d.17,prædixit: Deiicietur,inquit,ſublimitas hominum,& deiicietur celſitudo virorũ, eritque ſolus Dominus po- ª 2.Reg.18.g.33

tenſin die illo: & vniuerſa idola perdentur, &c. Non diſſimile & de AEgypto idē Propheta vaticinatus eſt cap. 19. a. 1, Ecce Dominus vehitur ſuper nubem leuē, & venit ad AEgyptū, & nutarunt idola AEgypti à conſpectu eius, & cor AEgypti in medio eius colliqueſcet. Nam de celerrima & inopinata hoſtium irruptione in AEgyptū, quus Dominus adduxit, Propheta vaticinatur. Et hanc ob cauſam dicit Dominum vectum leui nube, AEgyptiis ſuperueniſſe. *Et ſupplicabunt ei quiſque de loco ſuo.* Hæc traiectio eſt Prophetica, qua Vates ſermonē longè vltra tēpus excidii Moabitarū, quod per Nebuchad-netzar factū eſt, protēdit. Sed ſic ſolent omnes Prophetæ: præcones ſunt, vt iræ, ita multò amplius benignitatis Dei, quæ quū per Chriſtū poſt glorificationē eius, tam cumulatè electis per vniuerſum orbem contigit, quàm poteſt quidem ea contingere in hoc ſeculo, ſinguli identidē Spiritu ad prædicendā regni huius fœlicitatē rapiuntur. Sic Ieſchaiah Prophetarū Homerus, ſtatim initio ſuæ Prophetiæ, poſtquā in peccata populi ſui inuectus eſt. & ad reſipiſcentiā illos hortatus, tū impœnitētibus irā Dei prædixit, ſtatim excurrit ad magnificum Diuinæ bonitatis ſuper populum Dei præconiū, & ea futura illis vaticinatur, quæ ſanè nōniſi in regno Chriſti cōpleta ſcimus. Quādo enim antè ad montē Domini & verā Iaacob domū, id eſt Sanctorum Eccleſiā, omnes gētes cōfluxere, & acceſſerūt vniuerſi populi? Neque pax illa quam ſanè eo loci Vates prædicit, in orbe vnquā viſa eſt, niſi poſtquam Lex gratiæ, verbúmq; Euāgelii de Ieruſalē & Tziion prodiit. Ita 7 capite idem Propheta quū prædiceret liberationē à Regibus Syriæ & Samariæ, continuò procurrit ad vaticinandū de Chriſto, licet non abſque typo, vt ferè ſolet. Ad eundem modū capite 15, quū de ſalute oraculū narrat, quæ per Cyrum præſtanda erat populo, illicò dilabitur ad extollendam ſalutem quam nobis parauit Chriſtus. Antequam enim regnum Chriſti orbi illuxit, nemo factum memorat quòd omne ſe genu Domino flexerit, & ipſi iurauerit omnis lingua. Sed quid in re manifeſta multis opus teſtimoniis, præſertim quū id omnes Prophetarū libri & vbique ſanè teſtentur? Ioel tantū locuſtarum calamitatem, ſequutámque inde famē prædixit, ſimulatque tamē Diuinā rurſus benignitatem, (vt Prophetæ ſolēt) populo promittit, in tempora Chriſti manifeſtè excurrit, & de ampliſſima illa Spiritus ſancti effuſione (quæ glorificato Chriſto Eccleſiæ Dei Hieroſolymis cōtigit) vaticinatur. Vt enim huius multo ampliſſimæ benignitatis typus aliquis præceſſit, in quo ea vtcunque delineata fuit: verè ſolidéque tamen, vt in hoc Vate promiſſa eſt, nemo veritatis rationē aliquā habēs, præſtitā dicet, niſi quū Apoſtolis in igneis linguis, ac poſtea multis ſine viſibilibus ſignis Spiritus ſanctus aduenit. Quo nanque tēpore ante glorificatum Chriſtum ita omnis caro, hoc eſt omne hominū genus Spiritu Dei donatum, vt in Propheta promiſſum legitur, prophetauit, viſáque ſancta habuit? Ergo exaltato Chriſto, hæc tanta promiſſa verè demū impleta ſunt. Typus autem horum in quo adumbrata ea qualitercunque fuerunt, amplus ille extitit Prophetarum prouētus, quem poſt illa tēpora Scriptura fuiſſe prædicat. Etenim poſt tempora Acheab Regis Iiſrael (ſub quo locuſtarum calamitas, de qua Ioel vaticinatus eſt, accidiſſe creditur) nempe ſub Vziah, Iotham, Achaz, Iechizkiah, ac ſequentibus, vſque ad regni Iehudah captiuitatē, Regibus Iehudah, plures quàm vnquam antea Prophetæ in vtroque ſexu, apud populū Dei floruerunt. Quanto ſiquidem Regum & populi impietas ad meritam vltionē magis accelerabat, tanto plures mittebat illis Dominus prophetas, qui non abſque portentis & ſignis mirificis, ad reſipiſcentiam eos reuocarent. Hinc Iirmeiah præter ſuæ prophetiæ (qua XXIII annis mira ſedulitate eos ad renuntiandum impietati, & ſtudendum pietati incitauerat) & multarum quas ab aliis quoque Vatibus audierant, contemptum illis opprobrauit, cap. 25. a. 4. Et miſit, inquit, Dominus ad vos nuntios, ſeruos ſuos Prophetas: matu[r]ando & mittendo ſedulus fuit, ſed non audiſtis, neque ad audiendum inclinaſtis aurem veſtram. Id & vltimum caput 2. Chronicorum libri teſtatur. Sed ad noſtra. Qui legendis Prophetis ſedulus fuerit, & mirè idoneā, ne dicam neceſſariam ad id miniſtram Linguæ ſanctæ cognitionem adhibere curauerit, miſſam verò fecerit allegoriarum, quas vocant, licentiam (qua cum veteres, tum recentes quidā, nō abſque veritatis iactura luſerunt) is ſanè citra negotium, verum deprehendet, omnium Prophetarū perpetuum morem eſſe, vt præſentem impietatem ſic inſectentur, & iram Dei contra eam (qua reprobi quidem penitus pereant, electi autem purgentur) tū horū ab hoſtibus ſuis ac omnibus quibus premuntur malis, liberationē ita prædicant, vt in Sanctis (quos velut aurū ignis zeli Dei purgat) imaginē omnium qui ſequuti ſunt Sanctorum, præcipuè autem Chriſtianorum: in hoſtibus verò illorum, typū impiorum qui omnibus ſeculis, maximè autem regni Chriſtiani, pios perſequuntur: in liberatione denique ab his illorum, ſalutis adumbrationem, quæ omni quidē tempore, vnicè autem poſt exaltatum Chriſtum, per hunc ipſum, filiis Dei contigit, ac etiánum cōtingit, & adhuc ſperatur, appoſitiſſimè, neque obſcurè videas delineatam: tū propriè ſemper ad Chriſti regnum prædicendum, vltra ea quæ pro ſui temporis hominibus diſſerebant, fœliciſſimè excurriſſe. His obſeruandis, ſi rectè animum aduerteris, perfacilè videbis, nihil à Prophe

De excurſu Prophetarum in regnum Chriſti.

Ioel 15 vaticiniū explicatur.

Quomodo ad germanam Prophetarum intelligentiam perueniatur.

tis ſcriptum, quod non veriſſimè in Chriſtum & Eccleſiam eius quadret. Sed nobis ad noſtrum
Vatem reuertendum eſt. Diſperditis & abolitis omnibus orbis diis, fore prædixit vt Domi-
no ſupplicarent, vnuſquiſque de loco ſuo, ex vniuerſis inſulis Gentium. Hæc nonniſi in Chri-
ſti regnô completa ſunt. Fecit ergo hîc Propheta ad prædicendam regni Chriſti fœlicitatẽ, Pro
pheticum quendam excurſum. Id autem, pro more Prophetarum, non abſque typo. is fuit de-
ſtructio Moabitarum, aliarúmque vicinarum gentium, quæ & ſuperſtitionibus deditæ, & po-
pulo Dei inimicæ fuerant: tum populi Dei ab his & aliis hoſtibus ſuis liberatio: atque præclarũ
ampliſſimúmque ſuper eos imperiũ, ſub quo, quicúque ſiue de Iudæis, ſiue de ſubiectis ipſis Gẽti
bus electi fuerunt, idolis ac omni ſuperſtitioni renuntiauerũt, Deúmque verũ agnouerunt. Ho-
rũ autẽ, quia neque nimiũ multi fuerunt, neque hi ipſi vel diu, vel magnificè, vitæ ſanctimonia
religionẽ veram cõmendarunt, eóque nec diu pace ſucceſsúque rerum externo floruerunt, hæc
omnia, tam populi cum pietas, tum fœlicitas, quàm hoſtium eorum ſiue oppreſſio ſiue religio-
nis imitatio, eorum quæ hîc promiſſa populo legimus, tantùm adumbratio quædam & typus,
non autem illa ipſa promiſſa quæ hîc Prophetæ ſpiritus ſpectauit, fuere. Præclara quidem po-
puli dignitas, & ampliſſima Dei erga eum dignatio extitit: quòd datum ei fuit, poſt tantã deſola-
tionẽ, captiuitatẽ, & ſeruitutem, tam latè iterum imperare, quàm vnquã antea, & planè Solomo
nicæ fœlicitatis rurſus ſpecimẽ aliquod videre Sed quid hæc ad fœlicitatẽ regni Chriſti, in quo
habetur vita æterna, & pauperes beati ſunt, nihilque habentes, omnia veriſſimè poſſidẽt, in quo
ſinguli domini ſunt cæli & terræ? Hæc autem quũ multò maxima ſint, præclarum etiam typũ
& admodum inſignem delineationem habuerunt, regnante apud Iudæos Hyrcano, inſigni iu-
ſtitia & Prophetia claro principe: tum & filio eius Iamneo, quẽ & Alexandrũ vocarunt. Nã bo-
nam Syriæ partẽ, vnà cum Chutæis (qui & Samaritæ dicebãtur) Hyrcanus iuſſa facere coegit. I-
dumæos eò quoque perpulit, vt accepta circũciſione, Iudaicis legibus per omnia vterẽtur. Neq;
Hieroſolymitani ſolùm Iudæi tum, ſed & prouinciales, atque Alexandriã inhabitantes, AEgy-
ptum, & Cyprũ, agebãt admodum fœliciter. Alexander verò quũ patri in principatu ſucceſſiſ-
ſet, Ptolemaida, Gazam, turrim Stratonis, Cæſaream poſtea vocatam, & Doram (quæ ſolæ ex
maritimis vrbibus reſtabant, regno Iudæorum adiecit, habuítque ſub imperio ſuo Syros, Idu-
mæos, Moabitas, Phœnices, regionẽ maritimam (quæ Philiſtæorum ſedes fuit) Samariã, & om-
nem Galilæam. In ſumma, quæcunque Dei populo olim promiſſæ fuerãt regiones, & in quibus
ſolus Dauid & Schlomoh regnarunt, ſub hoc Principe Iudæorum imperiũ agnouerunt. Id au-
tem non ſine cruentis bellis, quæ cum ab exteris, tum à Phariſæis excitabantur: de quibus Ioſe-
phus à 19, vſque ad 21 caput lib. 13. de Antiqui. Iudai. ne typus pro re ipſa, & vmbra pro corpo-
re haberetur. Inſtabat Chriſti aduentus, quo verè omnia complenda erant: tanto igitur tem-
poraria iſta populi potentia & fœlicitas, & breuior & impurior extitit. Hac ſanè cauſa, vt typi
non pro re ipſa, ſed pro typis haberentur, & antè quoque breuiſſimo tempore, nimirum ſub
Dauide tantũ & Schlomoh, promiſſis finibus Iiſraelitæ potiti fuerant. Ergo qualiſcunque illa,
quæ ſub Machabæis, populo Dei, cum in ſua, tũ in alienis regionibus (iam tum enim per AEgy-
ptũ & Aſiam plurimi habitabãt) fœlicitas atque potentia contigit, id fuit (quãtum ad typi qui-
dẽ & adũbrationis rationẽ attinet; quod tã hîc, quã alibi in Prophetis, Iudæis è Babylone redu-
cibus, promiſſum legimus. Vera autẽ omnium, vt dixi, adimpletio, in regno Chriſti facta eſt, &
fit quotidie: ſed hîc Spiritu & fide, in futuro demum ſeculo, re ipſa & perfruitione cõſummata.
Per inſulas Gentium, non inſulanos ſolùm, ſed & peninſulanos, atque cõtinentis inhabitatores,
ſed maritimos, Prophetæ intelligũt. Vnde Cilices, Cyprios, Rhodios, Græcos, & Italos, ac quoſ *Quid per inſulas Gentium.*
que maris Mediterranei accolas, hîc per Gentium inſulas ſignificatos rectè accipiemus. Hæc
ſic habere coniecturã ſuppeditat illud Ieſcha. 41. b. 5, Viderũt inſulæ, & timuerunt, extrema ter-
ræ obſtupuerũt. Itẽ 49. a. 1, Attendite populi longinqui. Et 60. b. 9, Quoniã inſulæ expectabunt
me, & naues Tharſẽſes adducẽt ſicut initio, filios tuos de lõgè. Ex his & ſimilibus locis, in quib'
inſulani, cũ lõgè à Iudæa habitantibus, atque maritimis cõiunguntur, facilè eſt animaduertẽti
Scripturã ſynonymis cõtinuè vti, cõiicere, per inſulanos, quoſq; lõginquos, verſus Occidẽtem,
& vel in mari, vel ad Mare mediterraneũ, ſedes ſuas habẽtes, intelligendos. Etenim quas gẽtes no
minatim Prophetæ recẽſent, dũ in ea, ſiue vltionẽ Dei, ſiue benignitatem prædicũt, ferè omnes
ſunt quarũ aliquã Populus notitiam habebat. Nam harũ vtraque fortuna prædicta, plus vel ter-
roris incutiebat, vel ſpei adferebat. Reliquas verò incognitas Populo gentes, generali hoc Gen-
tium nomine, & terminorum orbis ferè ſignificant, vt Pſalmus 2. c. 8, Gentium hæreditatem, &
poſſeſſionẽ finiũ terræ, Chriſto ceſſuram cecinit. Porrò de conuerſione inſularũ ad Dominũ,
præſertim quæ facta ſub regno Chriſti eſt, Ieſchaiah adductis locis, & 11. c. 10, atque 66. d. 12, item
Pſal. 62. b. 10, & 11, & 97. b. 7, luculentiſſimè vaticinati ſunt. Ex his ergo iã liquet, quũ Propheta
noſter vniuerſos ex omnibus Gentium inſulis adoraturos Dominũ prædixit, ampliſſimam ſa-

Quæ regiones expugnatæ ſint per Nebuchad-netzar.

Chaldæorũ Nebuchad-netzar, quẽ ob id ſeruum ſuum Iirme. 25.b.9, vocat, declarare vellet, vaſtandam huic dedit omnem Syriam, Phœnicem, Iudæam & AEgyptum, AEgyptóque vicinos AEthiopas, & alias gentes quãplurimas. Id quod & eodem capite Iirmeiah, ſub parabola calicis furoris, omnibus iſtis Gentibus hauriendi prædixit. Nominatim autem recenſet Ieruſchalaim, ciuitates Iehudah, Regem eius & Principes, Phareoh Regem AEgypti cum miniſtris ſuis, Principibus, & populo, omnes inhabitantes deſerta Damaſci, omnes Reges Traconitidis, omnes Reges Philiſtiim, Aſchkelon, Azah, Ekron & reliquias Aſtbdod, AEdõ, Moab, & filios Ammon, omnes Reges Tyri, & omnes Reges Tzidonis, & omnes Reges inſularum quæ trans mare ſunt (quos Cilices, Cyprios, & Rhodios intelligo) Dedan, Thema, & Butz, & omnes fines anguli, quas vel ciuitates, vel regiones fuiſſe crediderim Iiſebmaelitarum, vergẽtes verſus ſinum Arabicum: vnde dixit *fines anguli*, hoc eſt termini terræ. Sinus ſiquidem Arabicus, angulũ quendam efficit. Dedan certè filius Iakeſchan, quem Abraham ex Keturah ſuſceperat, extitit. Thema verò Iiſmaelis, qui ſedes ſuas in Arabia, qua ad Mare rubrum pertingit, habuerunt. Troglodyten & Nabathæam illis nominatim Ioſeph⁹ lib. Anti. Iud. cap. 21, & 23, attribuit. Omnes Reges Arabiæ, & omnes Reges mixtarum gentium, in deſerto habitantium, qui fortè Schenitæ fuerunt. Latiſſima ſanè eſt deſerta Arabia, gẽtibúſque variis refertiſſima: inter quas Strabo lib. 16, & 17, meminit & Sebritarum, ita dictorum quòd aduenæ eſſent. Exules enim fuerant AEgyptiorũ, qui à Pſammitbicho Rege AEgypti quum defeciſſent, in Arabiã cõceſſerant. Hos fortè Propheta ſignificari voluit, quum iterum ערב, quod permixtionem ſignificat, poſuit. Vtcunque autẽ de his ſit, certum eſt plurimas in deſerta Arabia, & Barbaras gentes, quas iure dicas permixtionem quandam, & confuſionem inter Meſopotamiam, Chaldæam, & fœlicem Arabiam, atque Traconitidẽ, vel Damaſci regionẽ ſparſas eſſe. Scriptura Kedarim, Madianitas, & Amalekitas memorat. Strabo Nabathæos, Chaldæos, AEgræos, ac alios multos nominat: omnes Reges Zimbri, & omnes Reges Elam, quæ creduntur regiones Perſidis, & omnes Reges Medorũ, omnes Reges Aquilonares, propinquos & longinquos vniuerſos, omnium nationum regna quæ in terra ſunt. Quantũ enim quarta, quinta, & ſexta tabulæ Ptolemæi continent, à Rege Babyloniorum vel expugnatum, vel oppugnatum fuit, exceptis iis tantùm regionibus quas antea ſubiectas tenebat. Poſt hos verò & ipſum Babylonis Regẽ, è calice furoris Domini bibiturum teſtatur. Porrò inter has gẽtes, nominatim AEthiopes non ſunt memorati: quia autẽ AEgyptũ & Arabiam, quibus AEthiopes cõtermini ſunt, expreſſit, non eſt obſcurum quomodo & illos Chaldaicæ ſæuitiæ flãma potuerit aliquaten⁹ corripere. Nam haudquaquã leui bello AEgyptum Nebuchad-netzar aggreſſus eſt. Scribit ſiquidem Ioſeph⁹ quinto eum anno poſt Hieroſolymorũ captiuitatem, hoc eſt, XXIII regni ſui, Syriam reliquam, Moabitas & Ammonitas deuiciſſe, indéque exercitum duxiſſe in AEgyptum, & eam ſubuertiſſe, occiſóque Rege, alium ei Regem præfeciſſe, atque inde Iudæos qui illuc perempto Godoliah confugerant, Babylonẽ captiuos duxiſſe. Hinc perfacilè & ad AEthiopes, aliqua tanti belli calamitas, vel ob vicinitatẽ, vel fortè etiam ſocietatem peruenire potuit. Certè bellum illatũ AEgyptiis à Rege Aſſyriorũ, ſimul AEthiopes antea afflixerat: vnde iũctis cũ AEgyptiis, Ieſchaiah 20.d.19, parẽ calamitatẽ prædixerat. Ideo autem forſan non ſunt nominatim in catalogo gentium, qui è calice furoris Domini bibere debuerunt, ab Iirmeiah poſiti, quòd non erant vt gẽtes quas nominauit, penitus euertẽdi. Sanè ne noſter quidem, à quo tamẽ nominãtur, tale eis exeidium quale vel Philiſtæis vel Moabitis prædicit, tantùm affirmat, & eos fore inter vulneratos gladii Domini, quod ex vicinitate, vel etiam ſocietate facilè potuit cõtingere, citra tamen regionis illorum deuaſtationẽ.

13 *Inclinabit manum ſuam & ad Aquilonem, perdétque Aſchur, & vaſtatum reddet Nineueh: horrida erit tanquam ſolitudo.* De exeidio Aſſyriorũ & metropoli eorũ Nineueh, peculiariter vaticinat⁹ eſt Naehũ Propheta, quẽ & ipſum, ſi tẽpus fuerit, enarratũ huic ſubiiciã. Per Babylonios verò ſoluta eſt poteſtas Aſſyriorum, vt memorat Ioſephus, cap. 4, lib. Anti. Iudai. 10. Quare veriſimile eſt per eoſdẽ, Nineueh vt vrbem antiquiſſimam (de qua Gene 10.c.11) atque ingentem, vt quæ itinere trium dierum ſpatium contineret, Ionah 3.a.3, quæque multis ſeculis Gentium imperatrix fuerit, eſſe euerſam. Id verò factum non dubitarim initio creſcentis regni Babyloniorũ. Quanquã enim vt ex Gene 10.a.10, apertè colligitur, primum omnium regnorũ Babel fuerit, & à Nimrod ſcilicet (qui primus in terra vim exercuit) inſtitutum, & illinc egreſſus Aſchur, extruxerit primùm Nineueh, velut caput regni alterius: regnantibus tamen Phul, & Tiglath Pilæſſer Regibus Aſſyriorũ, quorũ prior ingentẽ pecuniã à decem tribubus exegit, alter bonã eorum partem trãſtulit in Aſſyrios, vt legimus 2. Reg. 15.d.20. Item rerũ potiente Schalmanaſſer, qui Schomron expugnata, reliquos decem tribuum abduxit captiuos, de quo 17 eiuſdem libri legitur. Poſtremò, & Sancherib, qui aggreſſus & Iehudah atque Ieruſchalaim eſt, quámque inde forti Domini manu fuerit repulſus. His inquam regnãtibus, primæ rerum penes Aſſyrios fuere. Occiſo autem à

Sub quibus Regibus Aſſyrii rerum potiti ſint.

filiis ſuis Sancherib, poſtquam percuſſo ingẽti eius exercitu ab Angelo apud Ieruſchalaim, miſerè ad ſua fugiſſet, inclinare cœpit regnum Aſſyriorũ, & rurſum aſſurgere regnũ Chaldæorũ. Nam ſtatim poſt ægritudinẽ Iechezkiæ, legitur Rex Babylonius, miſſis muneribus, amicitiam eius ambiuiſſe. Paulo pòſt autem cõtra Manaſcheh bellum mouit, illúmque deuaſtato regno, in
Regnũ Chaldæorũ exaltatur. Babylonem captiuũ abduxit. Sic ſcriptũ reliquit Ioſephus lib. Antiq. Iud. 10. cap. 5. Verũ cap. 33. Chroni. 2. lib. legimus Dominum adduxiſſe contra Manaſcheh, & ſuos Principes, exercitus regis Aſſyriorum, qui conſtrictum catenis, incluſúmque ferreis compedibus, duxerunt Babyloniam. Factum fortè fuit, vt qui meruerant ſub regibus Aſſyriorum exercitus, inclinatis rebus illorũ, poſtea militarint ſub regibus Chaldæorũ. Satis certè indicatur, & hîc à Rege Chaldæorum deuictum fuiſſe Manaſcheh, quãdo nõ Nineueh, ſed Babel captiuus ductus eſt. Porrò quomodo à Chaldæis Aſſyriorum poteſtas ſoluta, ac Nineueh expugnata fuerit, nec Ioſephus, nec alii memoriæ cõmendarunt. Certũ tamen eſt iſta, ita vt à Nachum, & hoc noſtro prædicta ſunt, eueniſſe. Ioſephus cap. 12. lib. Anti. Iud. 9, ſcribit id factum anno quintodecimo ſupra centeſimum, à vaticinio Nachum, quod memorat editum regnante apud Iudæos Ioatham filio Oziæ. Hanc itaque Aſchur deuaſtationem, & Nineueh excidium noſter hîc Vates prædicens ait, *Inclinabit manum ſuam*, hoc eſt vltricem potentiam, *ad Aquilonem*: ad hanc enim plagam eſt Iudæis Aſſyria. *& perdet Aſchur*: etenim poſt hanc deſolationem, nunquam Aſſyrii regnum habuiſſe leguntur. Nam à Chaldæis ſumma rerum ad Medos & Perſas, ab his ad Græcos, inde ad Ro-
Nahum 3. d. 18. manos tranſiit: vnde Nachum circa finem, Dormitarunt paſtores tui, rex Aſchur, conſopiti ſunt nobiles tui, diſperſus eſt populus tuus in montibus, & non eſt qui colligat. Dum negat Aſſyriis fore collectorem, indicat conclamatum eſſe de eorum regno. Rectè igitur noſter ait, *Et diſperdet Aſchur, vaſtam ponet Nineueh.* Addit, *Horrida erit ſicut deſertum*: quo ſignificat tam ſterilẽ, atque ſqualidam, horrentémque fore, vt ſolent eæ terræ partes quæ nihil habent aquæ, eóque penitus & infrugiferæ, & ab hominibus deſertæ exiſtunt.

14 *Cubabunt in medio illius greges, & omnes cuiuſuis gentis beſtiæ, etiam onocrotalus, & noctua in ſuperiore liminè eius habitabunt: in feneſtra volucris canet, ſolitudo erit in poſtibus, quia nudata erunt tigna.* Solita Prophetis (vti ſuperius ad verſũ 7, monui) periphraſi, imò hypotypoſi, ſolitudinem & vaſtitatem vrbis Nineueh deſcribit. Ieſch. 13, nõ diſſimili & Babylonis vaſtatio deſcripta eſt. Itẽ Iirme. 50. Quod enim ait, cuiuſlibet gẽtis greges in ea accubituras, ſignificat eã prorſus deſertã, & ruinas eius quibuſvis fore expoſitas. Id auget, quũ ſedẽ illic habituros & onocrotalos & noctuas prædicit, quæ nimirũ aues ibi nidos habẽt vbi nulla eſt hominũ frequẽtia. Et hu' indubiè generis volucres, ſolitudinis amantes, cantaturas in feneſtris eius, ſignificare voluit, quum ait, *vox canet in feneſtra.* Denique & illud, *ſolitudo erit in poſtibus*, remoto ſcilicet oſtio, *quia nudabit*, vel Dominus, vel hoſtis, *tigna*: lacera, ruinoſa, vaſtatáque omnia fore indicat. קאת iuxta Hieronymum, onocrotalum verti, quod videatur à vomẽdo, quod Hebr. קיא dicitur, nomẽ habere. Hæc enim auis, vt Plinius ſcribit lib. 10, quũ ſe rapina cõpleuit, rurſus in os reuomit, & inde demũ in inferiorem aluũ, ruminantis modo demittit. קפד noctuam verti, ſequutus Iudæos, quòd hæc auis in deſertis locis habitare ſoleat, ad quod, nomen קפד nonnihil alludit, nam קפדה exterminationem ſignificat. OEcolampadius, vir præter eximiam pietatem, vt aliis, ita & Hebraicis in literis, eruditione & iudicio incomparabilis, Ibim putat hoc nomine ſignificari: vide in Commentariis eius in Ieſcha. 34. c. 11. Hebræi ſanè nihil in his certi habent. Porrò quod verti, Limen, Heb. dicitur כפתר. Id Aben Ezrah dicit in domibus Paleſtinæ, quæ plana tecta habent, quiddam eſſe quod partes reliquas cõtinet, & ſolet ferè vltimum ex ædium partibus conſiſtere, ſicut apud nos dirutis domibus, parietes reliqui ſtare conſueuerunt. Hoc fortè Hieronymus ſpectans, Cardinem reddidit. Amos 9. a. 1, legimus, Vidi Dominum ſtantem ſuper aram, & dicentem, Percute הכפתר, id eſt limen vel cardinẽ, & trement poſtes. Quod reddidi, Solitudinem, Hieronymus putat & Coruum poſſe verti, ſicut & Septuaginta verterunt: quæ verſio probè ſanè cum præcedentibus conueniret, vt in poſtibus coruum (qui & ipſe deſerta incolere loca conſueuit) ſeſſurum intelligeremus: ſicut in cardine vel limine, onocrotalos & noctuas. Sed dum nullum Bibliorum locum inuenire potui, in quo hoc nomine coruus diceretur, ſolitudinem reddidi: id enim חרב paſſim in Scripturis ſignificat. Quanquam ſoleant nonnunquam, quæ ſunt eiuſdem ordinis literæ, ſibi inuicem ſuccedere, ita fieri poſſet vt pro ע, hic ח repoſitum eſſet. Sed hæc perparum referunt: conſtat hîc maximè vaſtam ac horridam ſolitudinem deſcribi, in quam omnium ſuperbiſſima, opulentiſſima, atque delicatiſſima vrbs conuertenda fuit. Id moneat, celſa mundi tandem euanitura omnia, ne ea vel ſuſpiciamus, vel metuamus, tantùm cæleſtia nobis quærentes, cæliſque in quibus ciues ſumus, dignam vitam agitantes.

15 *Hæc ciuitas illa exultabunda, quæ ſedebat confidẽter, quæ in corde ſuo dicebat, Ego, & præter me nulla: quomodo redacta eſt in vaſtitatẽ, facta accubatio beſtiarũ? quicunque trãſierit per eã, ſibilabit, manũque iactabit.* Inſultatio ineſt

huic verſiculo,&ad priorem Nineueh fœlicitatem antitheſis. Huiuſmodi enim eſt ſenſus eius, Hæc ſic deſtructa,vaſta,& deſerta eſt illa exultabūda,præclaráq; Nineueh,quæ mali omnis expers, & bonis affluētiſſima iugiter exultabat,ac procul omni metu,ſecura ſedebat,cōfidens nimirū ſua & magnitudine & potentia. Ita enim ſecum cogitabat,Ego ſum,& præter me nulla alia:nulla vrbs, nullum eſt regnum qood meæ virtuti non oporteat cedere. Quî ergo factum eſt vt in ſolitudinem ſis conuerſa, accubatio facta beſtiarum, vt quicunque tranſeat, ore ſibilet ſuper te,manúmque iactet,ſtupēs ſcilicet te orbis dominā, vrbiúmque reginam,adeò in nihilum redactā,quod humanis viribus cōfieri haud poſſe credebatur? Similem arrogantiam & Ieſchaiah in Babylone notauit,cap.47.b.8,Nunc inquit,audi iſtuc delicata,ſedens cōfidenter,dicēs in corde tuo,Ego,& præter nulla,non ſedebo vidua,neque agnoſcam ſterilitatem. Hinc autē monemur,quādo Vates noſter Nineueh,ſicut & Ieſchaiah Babyloni,aliíq; Prophetæ,& his,& aliis vrbibus ac regionibus,quibus Dei iram prædicunt, confidentem in iniquitate ſecuritatem, & ingratā de externis iſtis bonis lætitiā,atque exultationem exprobrāt,vt cum timore & tremore in hoc ſeculo verſemur,de ſola Dei ſuper nos benignitate,& gaudētes,&confidētes. Deus eſt qui celſa hic humiliare,& humilia attollere, beata in æternā detrudere miſeriā,miſeros verò beare ſemper ſtudet. Vt gloriam ſemper præcedit afflictio, & humilitas, Pro.15.d.15: ita confractionē anteit ſuperbia,& ruinam ſpiritus ſublimis,Prouer.16.b.8. Diſcamus ergo ſectari humilia, & de Deo ipſo, non de donis eius animos tollere. Ieſcha.22.c.12,& Ieruſchalaim vrbs exultans per exprobrationem vocatur, quum ei vaſtatio prædicitur. Deinde animaduertamus,vt nihil quanlibet viribus præſtet,ſtare poteſt,irato Deo:ita fauente nihil quanlibet infirmum,non inuictum immotúmque perſeuerare. Huius nemo non ſe memorē moneri putat:at ſi perſuaſum id haberent omnes quibus Euangelii gratia illuxit, quanto confidentius,quantóque maiore cū alacritate,quæ ad Chriſti gloriam faciunt,ſectarentur & promouerent,quum nunc ſæpenumero trepidant; vbi minime oportebat, & rurſus confidunt , vbi metuere ſibi conueniebat maximē. Certè ſi Principes & vrbium Magiſtratus qui Chriſtianam cognitionē iactant,à ſolo Deo rerum ſucceſſum,& firmitatem dari verè crederent, quàm fortiter,ſubmotis omnibus quæ offendiculo ſunt,& Deus,quo nemo melius Rempublicā formabit, nominatim ſubmoueri præcepit, plebibus ſuis viam ad ſynceram pietatem munirent : non nunc neſcio quæ comitia,modò concilia ; nunc vim aduerſariorum cauſarentur. Vtinam verò iſti perpenderent quantam contumeliam Deo facerent,dum ſibi & ſuis multa mala timent, ſi iuxta verbum Dei, ſuæ fidei creditos gubernarent, & tutos ſe, & illos fore ſperant, ſi Satanæ ſtudiis contra Deum deferant. Auferat Dominus hanc à ſuis cæcitatem,donétque agnoſcere tandem,quod nunquam non experimur , Deum vnum moderari , ſeruaréque omnia,quo ipſius nos voluntati totos conſecremus,qui quanlibet humilem caſulam ſeruare poteſt, ſi eam etiam totus oppugnet orbis:& contrà,in vaſtam redigere ſolitudinem,meras Nineueh,Babylonas,Romas,etiamſi ſuperorum,iuxtà & inferorum viribus ſubnixæ eſſent.

CAPVT III.

1 VAE inquinatæ *& contaminatæ vrbi illi ſupplantatrici. *Obiurgat iterū Ieruſchalaim.
2 Non audiuit vocem, non ſuſcepit caſtigationem:in Domino non eſt con
fiſa,ad Deum ſuum non acceſſit.
3 Principes eius in illa leones rugientes ad prædam:iudices eius lupi *veſperti- *Id eſt,ad veſperā, acriore tam fame accenſi prædam venantes.
ni,qui ne quidem oſſa comminuere,vſque mane differunt.
4 Prophetæ eius *futiles,viri *procaces:Sacerdotes eius prophanarūt quod ſan *Vel vani. *Vel præuaricatores.
ctum eſt,vim fecerunt Legi.
5 Dominus iuſtus in medio eius(prauitatem admittere nemo debuerat) ma-
ne,mane *in lucem iudicium ſuum proferet, non ceſſabit:prauus tamen neſcit *Id eſt, decretam & meritā vltionem mature immittet.
erubeſcere.
6 Excidi Gentes,vaſtata ſunt propugnacula,deſolaui vicos eius,vt non ſit qui
eos pertranſeat:deſolatæ ſunt vrbes eorum,vt nullus ſit reliquus habitator.
7 Dixi attamen,Time me,ſuſcipe caſtigationem,& non excindetur *habitatio *Templum videtur deſignare.
iuxta omnia quæ aduerſus eam ſtatui:at illi nihilominus accelerarunt,corrum-
pentes vniuerſa ſtudia ſua.
8 Propterea expectate me, inquit Dominus , ad diem quo exurgam in perpe-

'Id est, quo incipiam meam potentiam ita exercere, vt perpetuò posthac ea in orbe timeatur. 'Auferre, tollere. 'Mutato quod erat impurum.

'Id est Iſraelitis.

tuum:'decretum enim penes me eſt'ſublegere gẽtes, colligere regna, effundere
ſuper eos indignationem meam, omnem furorem iræ meæ, quoniam igni zeli
mei vorabitur omnis terra.
9 Quoniam tum dabo populis labium'purum: vt omnes inuocent nomen Do
mini, ſeruiántque humero vno.
10 Trans flumina AEthiopiæ, cũ'filia diſperſorũ meorũ, munera mihi afferent.
11 In die illo nõ erubeſces ob ſtudia tua quibuſcunque me offendiſti: quia au-
feram abs te exultantem ſuperbiam tuam, neque extolles te poſthac in monte
ſancto meo.
12 Reſiduum faciam in medio tui populum afflictum & pauperem: & ſperabũt
in nomine Domini.
13 Reliquiæ Iiſrael non facient prauitatem, non loquentur mendacium, & nõ
inuenietur in ore eorum ſermo fraudulentus: paſcentur enim & cubabunt, nec
erit qui exterreat.
14 Cane filia Siion, iubila Iiſrael: lætare, & exulta in toto corde filia Ieruſchalaĩ.
15 Abſtulit Dominus mala quæ tibi immiſerat, auertit inimicos tuos, Rex Iiſ-
rael, Dominus in medio tui, non timebis deinceps malum.
19 In die illo dicetur Ieruſchalaim, Ne timeas: Siiõ, Ne infirmẽtur manus tuæ.
17 Dominus Deus tuus in medio tui, fortis ſaluator, gaudebit ſuper te in læti-
tia, ſilebit cum dilecta ſua, exultabit ſuper te cum cantico.
18 Afflictos de cœtu auferam, remouebitur abs te qui te opprobrio afficiebat.
19 Ecce ego conficiam omnes affligentes te in tempore illo: ſaluabo claudos,
colligam proiectos, & faciam eos laudatos, dabóque nomine celebri in omnib'
regionibus in quibus ignominia laborauerunt.
20 In tempore illo adducam vos, tẽpore inquam quo vos colligam: quum do-
nabo nomine celebri, & reddam laudatos in omnibus populis orbis, quum abo-
lebo captiuitatem veſtram, id oculis veſtris videbitis, dixit Dominus.

ENARRATIONES.

1 VAE *inquinatæ & contaminatæ, vrbi ſupplantatrici*. Redit ad obiurgãdam Ieruſchalaim Propheta, quia hæc ciuitas Dei, quia in ea agebant quos etſi Dominus ſtatuerat ad tempus hoſtibus tradere, in totum tamen abiicere minus potuit, quàm mater infantem vteri ſui. Idem verò & alii Prophetæ omnes ſolent. Sic Iecheſkel cap. 2, 5, 22, 29, nominatim Iudaicum populum vt Ieruſalemitas corripit, & iram Dei multis & grauiſſimis vaticiniis ob oculos illis ponit: quum vaſtationem aliarum gentium ſatis habeat ſemel duntaxat prædixiſſe: niſi quum Diuinæ contra illos indignationis, cauſa ſui populi conſolandi, iterum meminit. Hunc morem & reliquis obſeruatum, quicunque Prophetas legerit, apertè videbit. Miſerebat ſiquidem Dominum populi ſui, 2. Chronic. vlt. & ardẽtiore, quàm mater poſſit infantulum, amore eum proſequebatur: neque vllis peccatis illius ita moueri potuit vt eum penitus abiiceret. Hunc igitur tãtum amorem præter alia, & tam crebris obiurgationibus, admonitionibus, atque obteſtationibus declarare voluit: vtque præ aliis illos dilexit, ita & caſtigare crebrius ſtuduit. Iterum ergo hîc, vt ſemper in Ieruſchalaim, imago electorum quos Dominus caſtigat ne cum mundo condemnentur, & proiectos rurſum colligit, exhibetur. In aliis autem gẽtibus quibus nullus ad Dominum reditus prædicitur, nec ita crebrò corripiũtur, typus proponitur perditorum, quib' fruſtra etiam omnis admonitio adhibetur, niſi quatenus ea excuſationis illis prætextus aufertur & iuſtus eſſe Deus declaratur. *Væ* itaque inclamat Propheta ſuper Ieruſchalaim, quo dolorem ſuum, ob malitiam eius illi teſtetur, & ipſam ſimul ad dolendum prouocet. *Inquinatam & contaminatam* appellat, ſicut & ſuprà, Populum inamabilem. Etenim Dominus quo purioris vitæ ſtudium populo ſuo ingeneraret, alienúmque à cõtaminatione morum Gentilium redderet, plurima illi de ſeruãda & corporis mũditie præcepit, vti legimus in 3. Moſcheh, à capite 11, vſque 16: vbique enim hanc rationem ſubiicit, Quia ego Dominus Deus veſter: ſtudete ergo ſanctitati, & eſtote ſancti, quia ego ſanctus ſum. Et poſt omnia iſtius generis præcepta, Sacerdotibus in hunc modũ mã-

Cur præcepta tãtopere fuerit Iudæis externa puritas.

dauit, Seruate, inquit, filios Iiſrael ab inquinationibus eorum, ne in illis moriantur, habitaculũ meum inter ipſos profanantes. Ex his, licet de corporea tantùm videatur munditie Dominus præcepta dediſſe, ſatis tamen colligitur quam Dominus in populo ſuo puritatem præcipuè requiſierit, vtique peccati, & iniuſtitiæ. Verùm quũ ſpiritu eſſet admodum puerili, quo ſtudioſiorem illum huius germanæ puritatis efficeret, & de corporũ cauẽdis inquinationibus, tot ei præcepit: eadem ratione, & ab omni Ethnicorum commercio abhorrere tantopere illos voluit: non quòd externam illorum communionem tantopere auerſaretur, ſed cauere voluit ne in cõmunionem impietatis illorum ſenſim prolaberentur. In peculiarem populum illos ſibi de omnibus terræ populis delegerat, vt eſſent ei regnum Sacerdotum, hoc eſt eorum qui verè ipſi ſeruirẽt: & gens ſancta, quæ ſcilicet ab omni malo ſeſe ſubduceret, iiſque ſtuderet totis viribus, quæ verè bona, & honeſta ſunt: vt ita Dei in illis imago vel aliquatenꝰ reluceret, ipſúmque vitæ innocentia, & ſtudio commodandi omnibus, referrent. Proinde quoties ad impietatem & Ethnicæ prauitatis imitationem prolabebantur, pollutos, cõtaminatos, & ſordidatos Dominus queritur, ac ita opprobrat illis quòd vltrò quum ad Diuinam quandam dignitatem ex omnibus populis terræ euecti eſſent, ſeipſos profanarent, & pollutis, alieniſque ab omni cõmercio Dei Gentibus, pares, imò deteriores facerẽt. Idipſum iam Ieruſalem exprobrat hîc & Vates noſter: hácque cauſa *inquinatam ſordidatámque* vocat: volens ita admonere illam vt cogitaret ex quo loco, quámque ſublimi ſorte, omnibus ſcilicet populis & regnis prælata, vt ſedes ciuitáſq; Dei eſſet, in quàm fœdam & abominabilem conditionem ſemetipſam deieciſſet. Huiuſcemodi populi huius profanationem, atque contaminationem, Dominus in Iirme. 3, ſub typo mulieris quæ relicto marito ſuo amatores multos ſectata ſit, inde ita contaminata, vt indigna ſit à marito rurſum recipi, propoſuit. In Iechez. 16, hâc ipſam allegoriam fuſius, & luculẽtiꝰ tractauit. De populo vt puella quadam loquitur. huius primùm facit parentes impuros, patrẽ ſcilicet Amorrhæũ, matrem Chetæam: deinde ſimulatque in lucem edita eſſet, expoſitam, nulláque cura natis recens infantibus adhiberi ſolita, dignatam, vt cuius vmbilicus non fuerit obligatus & præciſus, ipſa minimè lota, ſalève abſterſa. tum proiectam hoc pacto, iámque in ſanguine ſuo conculcari cœptam, ſe aſſumpſiſſe, vitam donaſſe, educaſſe, ornaſſe, ditaſſéque ſupra modum. poſthæc & in vxorem duxiſſe, atque in regnum omnium potẽtiſſimum & florentiſſimum euexiſſe. Illam autem omnibus donis, & ornamentis ab ipſo acceptis, ad ſtupra abuſam, ſéque omni tranſeunti proſtituiſſe. Ad hæc, quũ alia ſcorta mercedem ab amatoribus & dona accipiant, illam amatoribus ſuis mercedem, donáque dediſſe, quo quamplurima poſſet ſtupra cõmittere, atque huius cauſa omnibus in locis ſua proſtibula conſtruiſſe. Hac allegoria & in Hoſchea, & ferè Prophetis omnibus Dominus vtitur. Eodem itaque reſpexit & noſter, eadémque ratione Ieruſalẽ, quæ Sancta, omníque virtutum genere, vt Dei ciuitas, ac inde omni quoque rerum ſucceſſu decora, ornatáque eſſe debuerat, fœdatam & impuratam vocat, eo quòd à Deo ſuo defeciſſet, & omni ſe ſcelere cõſpurcatam prorſus, fœdam, & abominabilem reddidiſſet. Addit העיר היונה, quod verti, *vrbi illi ſupplantatrici*, quæ ſcilicet pauperes & afflictos ſupplantarit, fraudéque circunuentos oppreſſerit. ינה enim ſignificat dolo & iniquitate quempiam opprimere: & ferè vtitur Scriptura hoc verbo, quum de pauperibus, pupillis & viduis non opprimẽdis, fraudéque circunueniẽdis loquitur. Sic 2. Moſcheh 22.d.20, Aduenam לא תונה, id eſt ne circunuenias, néve affligas. Idem legis & 3. Moſch. 19.f.33, & eiuſdem lib. cap. 25.c.14, omnino pro Defraudare atque circunuenire accipitur, vbi de emptionibus cauetur nequis in eis alium fraudet, aut circunueniat. Ex his & aliis locis ſatis liquet ינה idẽ ſignificare quod affligere & opprimere, adhibito dolo & fraude: vti pauperes, peregrinos, fugitiuos, pupillos & viduas impii diuites & potentes obterere ſolent. Iirme. 22.a.3, Iechezk. 18.c.12, & 22.b.7, in eadẽ ſignificatione verbi huius vſum legis. Vulgata editio habet, Ciuitas columbæ. ſignificat enim יונה etiam columbam: quibúſque hæc verſio placet, putãt dictam Ieruſalem columbam, ſicut Ephraim ſtulta columba appellata eſt ab Hoſchea 7.b.6, eo quòd & illi, ſicut Ephraim, nullum cor fuerit ad intelligẽdum quæ ſibi ſaluti fuiſſent. Sed quia de violẽtia hîc in Vate noſtro ſequitur, pauperúmque oppreſſione, prior interpretatio magis arridet. Etiam Iirme. 25.e.38, pro furore Domini opprimente, & 46.d.16, & 50.c.16, pro gladio violẽto & obterente. Furorem, & gladiũ columbæ, noſtra tranſlatio vertit: ſed quàm id quadret, viderint alii.

2 *Non audiuit vocem, non ſuſcepit caſtigationem: in Domino non eſt confiſa, ad Deum ſuum non acceſſit.* His rationem reddit cur vocarit Ieruſalem fœdatam, & contaminatam, *Non* enim *audiuit vocem*, vtique Dei conditoris & mariti ſui, in quo tum omnis illius & dignitas, & ſanctitas, fidéſque ſita erat: dignitas & ſanctitas, quòd nulla alia gens tam magna & inclyta vnquam fuerit, cui fuiſſent leges, viuẽdique rationes tam iuſtæ, vt inſtitutio quam Dominus dederat Iiſraeli. Hinc omnibus populis, ſi iuxta illas leges vixiſſet, gens ſapiens, prudens, & inclyta habita fuiſſet, 5. Moſch. 4.b.7.

Verbum Dei audire radix omniũ bonorum.

Fides verò: quum enim ex AEgypto populum eduxit, ſibíque deſponſauit, hoc vnum pactus ab illo eſt vt verbi ſui eſſet audiẽs. Sic enim dixit Iirme.7.d 21, Tollite hoſtias veſtras,& edite carnem. Neque enim loquutus ſum patribus veſtris, aut præcepi illis, quum ex AEgypto educerẽ, de negotio holocauſtorum,& victimarum: ſed hoc præcepi illis, Auſcultate voci meæ,& ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum. Dum ergo deſiit voci Domini eſſe morigera, ſuos affectus ſequuta,& ſapientiam, dignitatémque, ac ſanctitatem ſuam abiecit: tum & deſpõſationis ſuæ fidem fregit, ſeſeque miſerè profanauit, omni decore & cunctis ornamentis vltrò ſpoliauit, contaminata in fornicationibus ſuis, quibus, cum omnibus rebus quas Deo ſuo prætulit, fornicata eſt. Etenim vt initium ac fundamẽtum totius ſalutis eſt, verbo Domini cum fide auſcultare, ita omnis contrà perditionis fons eſt, illud contemnere. Proximum autem eſt quũ verbum Dei negligitur, vt homo & correctionem omnem reſpuat, ſibi placens, ſuáque omnia pulchra habens, quo nihil eſt ad vitam rectã pernicioſius. Sequitur ergo in Propheta, *Et castigationẽ nõ ſuſcepit*. Hic verò ordo, quum haudquaquam temerè à Vate poſitus ſit, ſingulari eſt obſeruatione dignus. Noluiſſe audire vocem Domini, primùm ponit. ſi enim alii euadere debemus, Deóque ſimiles, Deum ante omnia agnoſcamus, vtq; Deum ſuſpiciamus oportet. Id ſi nobis fuerit datum, non poterimus verbo eius non eſſe audientes. Quis enim eum non audiret, quem omnipotẽtem, optimum, ſapientiſſimúmque, ac nonniſi ſalutaria ſibi auſcultantibus præcipiẽtem, verè credit? Vt igitur totius initium ſalutis eſt Deum credere, ita proximum fuerit, verbis ipſius ex animo auſcultare. Tum quia tota noſtra natura deprauata eſt adeò vt ad malum tãtum prona ſit, abhorrens à bonis: primum omnium quæ ex verbis Domini diſcimus, fuerit, vt caſtigationem ſuſcipiamus. Dum enim ille quæ bona, quæ ſalutaria ſunt, tantum præcipit, omnia autẽ in nobis his aduerſentur, vtique dum quæ Dei ſunt nobis prædicantur & cõmendantur, noſtra vituperantur & damnantur. Hinc abnegationem ſui à ſequentibus ſe Dominus ante omnia requirebat,& omne ſuum Euangelium à prædicata reſipiſcentia,& ipſe auſpicatus eſt,& auſpicari ſuis mandauit. Qui ergo audito verbo Dei, ſibiipſis nondum diſplicent, ſuíque mortificationem nondum meditantur, hoc eſt caſtigationem nondum ſuſceperunt, eos fruſtra illud audiſſe, quanlibet in eo ſibi videãtur ſapere,& de eo diſputare poſſint, nemo qui ſcit quid primum omnium verbum Dei in credentium pectoribus operatur, dubitabit. Neque certè alii fiduciam ſuam in Deo verè collocabunt, vti fiducia ſui & creaturarum aliarum, nulli alii poſſunt decidere. Rectè igitur poſtquam Vates Ieruſalem opprobrauit, non ſuſcepiſſe eam caſtigationem, ſubiicit, *In Domino non eſt confiſa*. Hic verò videre licet, aliud eſſe Deo credere, ac etiam Deum, aliud Deo fidere. Ante omnia ſanè Dei Spiritu præditũ eſſe oportet, quòd animalis homo de Deo nihil queat percipere, deſintque illi aures Sacra audiẽdi. His autem quibus adeſt, illis primum omnium perſuadet eſſe Deum, à quo ſunt & gubernantur ſapientiſſimè omnia. Hinc credunt Deũ eſſe, habéntq; iam huius *τὴν πίστιν*, quam fidem vulgò vocamus, certã nimirũ animi perſuaſionẽ. Hæc cõtinuò ex ſe gignit vt & iis quæ Deus vel promittit, vel minatur, aut etiam præcipit prohibẽtve, fidem habeamus indubitatam: & ex ea ſpe certa expectemus quæcunque promittit, cupiamus quæ præcipit, timeamus quæ minatur,& deteſtemur quæ vetat. Pro modo autem fidei, id eſt ſanctæ illius perſuaſionis, quæ vnius opus eſt Spiritus ſancti in omnem veritatem inducẽtis,& expectatio illa promiſſorum, amórque præceptorum, tum minarum formido, vetitorúmque deteſtatio ſeſe habet. Quo conſummatior illa in vnoquoque fuerit, eo & hæc ardẽtiora exiſtunt. Certè abeſſe nequeunt vbi illa adeſt, neque adeſſe vbi illa abeſt. Vnde ſicut ille Deũ haudquaquam credit, multo minus verbis eius, qui vel ſibi, vel aliis rebus fidit, ſuáque alicuius facit: ita neceſſe eſt quicũque verè fiduciam in Deum habet, antè de verbo eius certò eſſe perſuaſum, indéque ſibiipſi ex animo diſplicere. Qúmque omnia Dei verba Deum nobis prædicent, & quodammodo repræſentent, cuius in nobis reſtitui imaginem ſalus noſtra eſt,& vita æterna, nihil prorſus verborum Dei mẽs fidelis audiet vnde non caſtigationem ſuſcipiat, admonita ſcilicet ſuæ cum Deo diſſimilitudinis, quem niſi totum tota referat, ſalua beatáq; eſſe nequit. Hoc vtinam probè animaduerterent ii fratres qui ex audito Chriſti Euangelio tantùm diſputatores, non etiam ſectatores Euangelii, & aliorum magis quàm ſuiipſorum caſtigatores euadunt. Tum & illis præſtiterat hæc probè animaduerſa, qui iam immites iudices in eos ſunt qui nõ illico ipſorum commentis quæ volunt videri ex Scripturis deprompta, accedunt. Certè ſi Legis doctores ſunt, quod videri volunt, tãto debẽt penitius verba Dei cognoſcere, quanto decet præceptores præſtare diſcipulis, atque ideo omnium maximè ex Scripturis hoc referre, vt ſuſcepta caſtigatione ſentiant,& dẽ ſeipſis humilius,& de proximis benignius: tum in vno Deo ſibi placeant, totáque ab ipſo ſolo fiducia pẽdeant. Quæ ſanè qui nacti ſunt, iis nihil poteſt fingi humanius, nihil dulcius, nihil errorum in aliis & peccatorum tolerantius. Hi verò demum ſtudent fieri omnibus omnia, vt vel aliquos lucrifaciant: neque quicquam prius habent quàm vt omni

ſtudio,totiſque viribus in vnum cogant,quotquot vident timoris Dei habere ſeminarium. Sed ad explicationem Prophetæ. Vltimò opprobrat Ieruſalem, quòd Deo ſuo non appropinquarit,quod appoſitiſſimè poſt præcedentia poſuit. Quis enim omnia bona à Deo, certa, viuáq; ſpe expectet(id quod eſt in ipſo plenè fidere)qui nõ ſimul toto corde ipſi appropinquet,imò prorſus conglutinetur? Nemo ſanè non amabit eum à quo ſibi bona pollicetur:amet igitur multò ardẽdentiſſimè Deum oportet quiſquis ſibi ab ipſo pollicetur omnia. Quòd huius multum in nobis,proh dolor,deſyderatur,cauſa eſt quòd ob inopiam Spiritus,ſtuporémque carnis, nondum ſatis & Deum,& Deo credimus,indéque plus nimio nobis ipſi, & alia præter Deum placent,neq; plena à Deo fiducia pendemus. Indubiè neque pro portione fidei in Dei promiſſiones,erit & fiducia in Deum,próque modo huius,& amor eius, ſtudiúmque ipſi gratificandi, denique & bonitatem eius æmulandi ſeſe habebit. Obſeruandum autem quod ait, *Et Deo ſuo non appropinquauit*. vtcunque enim Ieruſalem vocem Dei contempſerat, indéque caſtigationem ſpreuerat, in alia quàm Deum fiduciam ſuam collocauerat,eóque ab illo ſeſe elõgauerat,adhuc tamẽ vocat Propheta Dominũ,Deum illius. Neque ob id ſolùm,quòd illi olim vt Deo ſeſe dediderat, ſed quòd etiamnum ipſum vt Deum ſuum habebat. Quòd enim Vates illi opprobrat, non audiuiſſe vocem Domini,caſtigationem nõ ſuſcepiſſe,&c. non ita accipiẽdum eſt quaſi illa prorſus Dei vocem audire non ſuſtinuiſſet,& omnẽ eius caſtigationem in totum reſpuiſſet, nihilque in eo cõfiſa,penitus ſe creaturis dedidiſſet. Si huc ſanè prolapſa fuiſſet,nõ potuiſſet dicere Propheta,quod in 5 verſu ſequitur, Dominus iuſt' in medio eius. neq; alia quæ ſequũtur præclara illi promiſiſſet, Dominus Deus tuus in medio tui fortis,ſaluator:& alia. Vrbs erat quæ & reprobos non paucos ſemper habuit: iuxtà autem quia eam delegerat Dominus vt ſuum illic nomẽ inuocaretur, haberétque ſuos illic cultores, nunquam non & plurimos habuit verè pios, veréque filios Dei. Et horũ cauſa,magnifica illa omnia quæ paſſim de Ieruſalem apud Prophetas leguntur,& promiſſa illi ſunt,& exhibita. Identidem autem factum fuit,vt rerum potientibus impiis, vt etiam verè Sancti,voci Domini parũ pronis mentibus auſcultarẽt,indéque in bonis ſeculi inſoleſcerẽt,reiecta caſtigatione,& poſtbabita carnis mortificatione. Sic ſimul accidit,vt cum fiducia,tũ amor in Deum,& ſtudiũ imitandi eius bonitatem plus nimio remitterentur. Id exaggerãs Propheta,quo citius illos ad reſipiſcẽtiam permoueret, dixit eos vocẽ Domini nõ audiſſe, quam nõ ſatis audierãt:non ſuſcepiſſe correptionem,quia oſcitanter illi attenderant:in Domino non eſſe confiſos, quia & ad creaturas nimiũ reſpexerãt: Deo ſuo nõ acceſſiſſe,quia ad creaturas plus ſatis ſe animi illorum inclinauerãt. Hæc ſic accipiẽda, veréque hoc modo interpretari, ſequentia probabunt, & teſtantur alii Prophetæ omnes. Vnde quũ in Iirmeiah 3.a.3, Iechezk.16.e.31, hanc ciuitatem Dominus mulieri aſſimilaſſet quæ marito ſuo deſerto adeò ſe omnibus proſtituerit, vt indigna ſit etiam à viro bono rurſum recipi:adhuc tamen illam quanlibet contaminatam & proſtitutam,vt ad ſe reuertatur inuitat:&pollicetur recordaturum ſe pacti quo eam primum in adoleſcẽtia,eductam ſcilicet ex AEgypto,in vxorem acceperat,& ſempiternum cum illa fœdus icturum:vt condonatis omnibus quæ fecerat,rurſum ſit ciuitas Dei,& filiarum vice habeat ſororem Sedom & Schomron, id eſt habeat ciues pariter Dominũ verè adorantes, etiam inde vbi perditiſſimi olim egerant, eóque horrendis quoque modis afflicti atque deleti.

3 *Principes eius in illa leones rugentes ad prædam: Iudices eius lupi veſpertini, qui ne quidem oſſa comminuere uſque mane differunt.* Hoc verſu & ſequẽti rationem eius Propheta reddit,quòd Ieruſalem vrbem dixit ſupplantatricem,dolóque & vi pauperes opprimẽtem, eóſque nominatim qui id potiſſimũ commiſerunt, quum tueri & vindicare oppreſſos debuerant,commemorat. *Principes*, inquit, *eius leones rugentes*. Rugire,ac quammaximè ferox leo eſſe ſolet vbi nactus prædam eſt. Id quod & Ariſtoteles libro 9, de natura animalium,cap.44 teſtatur, & ſatis etiam colligitur ex illo Amos 3.a.4, Nunquid rugiet leo in ſaltu,ſi non ſit illi præda? Num edet vocem ſuam de cubili ſuo leunculus,ſi non habeat aliquid captum? Nam ſignificat leonẽ non ſolere fremere,niſi quũ habet eſcam. Biduo ſiquidem aut triduo abſque cibo durat. dum ergo quod edat nactus eſt,eſſe ſolet(vt inquit Ariſtoteles)ferociſſimus:indéque eſt,vt ferociæ teſtem vocem edat,horrendũ fremitum. Vult ergo Propheta hac ſiue metaphora,ſiue ſimilitudine ſignificare,auidiſſimè Principes Ieruſalem in prædam fuiſſe intentos:& ferociſſimè,quos nacti fuerant oppreſſiſſe,ac velut dilaniaſſe atque voraſſe. Eadem ſimilitudine vſus eſt, & Iechezk. 22.d.25, taxans auaritiam Prophetarum Ieruſalẽ, Factio, inquit, Prophetarum in re inſtar leonis eſt rugientis,concerpentiſque prædam:animas vorant,& pretioſa auferunt,viduas eius multiplicant in ea. Principes verò ſimiles facit lupis concerpentibus prædam,vt & hic noſter:eiúſque cauſam hanc aſſignat,quòd toti eſſent in fundendo ſanguinem,perdendo animas,congerendo per iniquitatem opes. Noſter verò quo rapacitatem eorum magis explicet, *lupos* illos dixit, non quoſlibet, ſed *veſpertinos*, hoc eſt qui accenſi fame veſperi, vt quid rapiant oberrant : adeóque famelici ſunt,atque voraces,vt & oſſa

commninuāt,idque adhuc veſperi,non vel illa relinquētes vſque mane. Chabakuk 1.c.8,volens
nimiam Chaldæorum,ac vrgentem ad diripiēdum vim ſignificare, Expeditiores,inquit,erunt
leopardis,& acriores lupis veſpertinis. Hoc itaque verſu violētiam & rapacitatem taxauit Prin
cipum & Iudicum,hoc eſt eorum qui Magiſtratu fungebantur,& Regi in gubernādo regno in-
ſeruiebant, eóque loco erant vt iudicium & iuſtitiam facerent, id eſt curarent vt rectè & ordine
omnia gererentur:nemo alium vel fraude circumueniret,vel vi opprimeret, munera reſpuerēt,
2 Para.19 b.6. auaritiam deteſtarentur,veritatem colerent,perſonam non reſpicerent,neque in alteram partē
inclinarēt:ſed omnia iuſto iudicio iudicarēt,vt qui non hominis, ſed Dei iudiciū(vt Iehoſcha-
phat ſuos Iudices monebat)exercērēt,hoc eſt eſſēt quales Domin' in Lege ſua requiſiuit,2. Moſ-
cheh 18.d.13,& 23.h.5, & 5.lib.capite 16.d.18. Huic autem officio ſuo Principes & Iudices Ieruſ-
chalaim,& regni Iehudah,non ſolùm non inſeruiebant, ſed contrà potentia ſua abuſi,quos de-
fendere ab iniuria debebant,eos ipſi prorſus conterebant,atque vorahāt,meri leones, leopardi,
& lupi facti. Hui' auaritiæ, vis & rapacitatis,paſſim illos Prophetæ obiurgāt. Per Michah 3.a.2,
vt incomparabilem Dominus oſtenderet illorum rapinam , & contra populum crudelitatem,
opprobrat eis quòd carnem populi ſui vorarint, pellem ab illis detraxerint, oſſa confregerint,
conſciderintque ſicut in olla parari ſolent,& ſicut caro coquenda in lebete. Qua allegoria ſigni
ficare Dominus voluit,populum per omnia libidini Principum, & auaritiæ patuiſſe,fuiſſéque
ab illis penitus abſorptum, & conſumptum. Huius generis Principum & Iudicum hodie quo-
que haudquaquam exiguus prouentus eſt : ſed nota memorare hìc non eſt locus:tantum creda-
mus, Deum noſtrorum iniquitatem & violentiam non minus videre, atque vlturum ſuo tem-
pore,atque vidit vindicatúſque eſt eorum de quibus hìc Propheta ſcripſit.

4 *Prophetæ eius futiles,uiri proteruæ: Sacerdotes eius profanarunt quod ſanctum eſt, uim fecerunt Legi.* Promi-
ſerat Dominus ſe filiis Iiſrael Prophetam ex ipſis,ne diuinos conſulerent,& augures, omni tē-
pore excitaturum,qui ſua eis placita exponeret,quando audire ipſam vocem Dei deprecati fue
rant. Id & præſtitit, ſuóſque Prophetas ſemper illis dedit. Vnde cum Pſalmo 74.c.9, de extre-
ma populi calamitate canitur, inter cætera & hoc queruntur Sancti, Signa noſtra non vidim',
non eſt Propheta , non eſt apud nos cognoſcens vſquequo. Quanquam ne tum quidē Prophe-
tis ſuis caruerint : prophetabat ſiquidem Hieroſolymis Iirmeiah, & in regione Babyloniorum
Iechezkel,præter alios quorum Scriptura nullam fecit mentionem. Doloris ſiquidem immē-
ſi magis,quàm veritatis,hæc querela fuit: aut certè queſti fuerunt,non eſſe ſibi Prophetam, qui
editis ſignis ipſos è manu eriperet Chaldæorū , vti olim Moſcheh de ſeruitute AEgyptiorum.
Certè & ſigna ſua,quæ ſcilicet olim Deus inter eos, & pro eis fecerat,tum non videre ſimul de-
plorabant. Porrò quum nullum Dei donum ſit cui nō adiunxerit ſemper Satan fucum ſuum,
idem fecit & circa Prophetas. Dominus dedit qui ſuo afflati Spiritu,populum ſalutaria mone-
rēt,quique ea tantum loquerētur quæ ipſe præceperat,atque(vt inquit)in os ipſorū poſuerat. In
horum autem titulum & ordinem fucos ſuos Satan intruſit,eóſque ſanè multos qui prophetiæ
facultatem ſimulantes , populum à verbo Dei ſeducebant . Id futurum præuidens Dominus,
quum Prophetā ſe populo daturum polliceretur, ſimul de falſo propheta, qui ex cordis ſui te-
meritate loqueretur,præmonuit,atque occidere iuſſit. Ex quo ſanè,& ex eo quod ideo Prophetā
pollicitus eſt quòd populus ſuam vocem audire non ſuſtinerēt, tum ne ariolos & diuinos con-
ſulerēt,ſatis liquet,non de ſolo Chriſto hìc promiſſionem factam eſſe: quanquam præcipuè de
Chriſto,ſed & Iehoſcua,ac omnibus ſequentibus Prophetis. Nunquam enim poſtea ipſam Dei
vocem Iiſraelitæ audierūt,& ſemper illis vetitum fuit audire diuinos:eóque omni tempore ve-
ros Dei Prophetas habuerunt. Totos certè cumulos,& choros legimus Prophetarum fuiſſe tē-
pore Schmuelis,atque Eliiah. Hos autem non vt facilè crediderim ſingulos facultate vel prædi
cendi futura,vel aliàs recondita Dei exponendi,poluiſſe,multos tamen tales inter eos fuiſſe cō-
ſtat. Reliqui ad eam velut ſeſe præparantes,ſanctiori vitæ ſtudebant,atque huius cauſa nonnū-
quam ſimul agebāt:eóque prophetare, quod ipſis in communi tribuitur, hymni fortè fuerunt,
& commoda oraculorum Dei recitatio. Quibus quum non adſueuiſſet Schaul,inſiliiſſe in eum
Spiritus Domini rectè ſcribitur, quū eo ſubito afflatus, cum grege Prophetarum reliquo pro-
phetaret. Verùm vt dixi , ſatis conſtat , haudquaquam paucos inter illos Prophetarum greges
fuiſſe, qui inſtincti Spiritu recōdita & futura edicerēt. Id vel inde colligi poteſt, quòd filii Pro-
phetarum,hoc eſt Prophetæ,qui agebant Iiericho,ſubductionē Eliiah prædixiſſe leguntur. O-
mnem igitur eum cœtum, vel certè inter eos aliquos,enthuſiaſmo præditos fuiſſe oportet. Sanè
niſi multi dono prophetiæ , & tamen non omnes pariter , ſed plerique perobſcuro poluiſſent.
non potuiſſent Prophetarum & nomen & locum obtinere tot prophetæ mēdaces . Iam paſſim
& falſorum prophetarum Scriptura meminit , neque eorum ſolùm qui per Baal, ſed & qui per
Dominū vaticinari ſe ſimulabant : vnde quamplurimos prophetiæ titulo inſignes fuiſſe opor-

tet. Etenim vt Cicero de Diuinatione lib.1,ſcribit, Vet⁹ opinio eſt iam vſque ab heroicis ducta temporibus,eáque & P. Rom. & omnium gentium firmata conſenſu, verſari quandã inter homines diuinationem,quam Græci *μαντικὴν* appellant,id eſt præſenſionẽ,& ſcientiam rerũ futurarũ. Et paulo pòſt, Gentẽ,inquit,quidẽ nullã video neque tam humanã atq; doctã,neq; tã immanẽ atque barbarã,quæ nõ ſignificari futura,& à quibuſdã intelligi,prædicique poſſe ſentiat. Ex hac itaque perſuaſione, vt merentur efficacẽ imposturam, qui nullo ſunt erga veritatẽ amore, perfacilè fuit vt diuinis atq; ariolis vbique locus eſſet. Quũ itaque huiuſmodi omnes Gẽtes haberent(quod & adductus ex Deutero.locus apertè teſtatur)nolebant eis carere & Iiſraelitæ. Vbi autẽ audire eos qui ex Domino prophetabãt, non ſuſtinebãt, cõſequens fuit, impietatẽque eorũ dignũ, vt falſis auſcultarẽt. Quorũ imposturis hoc magis etiam impliciti fuerũt, quòd ad ingenitã omnibus curioſitatẽ, etiam impietatẽ, vanitatis & errorũ matrẽ, adiecerũt. Hinc 450 prophetas Baal, & quadringẽtos lucorũ ſola aluit Izabel, 1 Reg.18.c.19. Quib⁹ ad vnũ ab Eliiah trucidatis, rurſum alios quadringentos Achab babuiſſe legimus, eodẽ lib.cap.22.a.6. Cum his itaq; impoſtoribus Prophetarũ ſibi nomẽ falſò vſurpãtibus, veris Prophetis ſemper bellũ fuit, nõ ſecus atque Paulo cum pſeudoapoſtolis: quo factũ eſt vt in nullo ſanctorũ Vatũ, non multa cõtra fraudulẽtos iſtos Prophetas dicta legam⁹: ſacerdotibus quoque impiis, vt hìc à noſtro, vbique ferè iunguntur, & vtrique Principibus tyrãnis. Primi enim in populo Dei hi tres ordines erant: Principes Remp. adminiſtrabant, Sacerdotes procurabãt ceremonias, & Legẽ docebãt, Prophetæ populũ ad officium exhortabantur, & de recõditis Dei iudiciis monebãt. His itaque corruptis non poterat nõ peſſimè periclitari totum populi Dei regnũ. Vt nanque ordine omnia agit Deus, ita quandocũque populo propitiũ ſeſe declarare voluit, dedit vt qui in his tribus ordinibus miniſtrabãt, officium ſuũ probè obirẽt: vti & iratus, Principes illis præfecit, homines nihili, Sacerdotes religionis incurios, Prophetas fanaticos, qui ſua populo pro verbo Dei, ſõnia narrarẽt. Id ſanè Ieſchaiah 3.a.4, ipſe Dominus clarè teſtatur. Itẽ 28.b.6, minatur & Sacerdotẽ & Prophetã velut temulentos nutaturos & impacturos. Iirme. 28.b.8, Sacerdotes nõ dixerunt, Vbi eſt Dominus? & tractantes Legem, me ignorauerunt. Paſtores contra me præuaricati ſunt, & prophetæ per Baal prophetarunt, & ſectati ſunt eos qui non potuerunt iuuare. Rurſus eodem capite, 26, Vt confundi ſolet fur quando deprehenditur, ita confuſa eſt domus Iiſrael, Reges, Principes, Sacerdotes, & Prophetæ eorum. Quarto, c. 9, eadem ferè habet: & paſſim in toto ſuo libro, Principes, Sacerdotes, & Prophetas, tanquam populi duces, impietatis & rapacitatis arguit. Nominatim autem capite 23, multis eſt cõtra pſeudoprophetas inuectus, ſicut & Iechez.13, & Micha 3. Ex his omnibus iam liquet Prophetas, ſiue diuinos ſemper in populo Iiſrael multos fuiſſe, & quoſdam verè Spiritu recondita Dei enuntiandi, ac nonnunquam & futura prædicendi, præditos, propterea quòd charus Deo hic populus, & ideo non hac in re ſolùm præ omnibus Gentibus ab ipſo honoratus ſemper fuerit. Multo plures autem habuerũt pſeudoprophetas, præſertim quum palàm apud eos impietas regnaret. Ii partim per Baal & alias peregrinas ſuperſtitiones futura ſe prædicere fingebãt: partim etiam à Domino ſe afflari mẽtiebantur. Horũ ſtudiũ erat, Principibus & populo, non quæ vera, ſed grata erant, dicere: ventris enim negotiũ agebãt. Id quod cum alii, tum apertiſſimè Iechezkel 22, & Micha 3, illis opprobrarũt. Hinc Vates hic noſter eos vocauit פחזים, id eſt vanos. Nam Iirmeiah 23.f.32, eodem verbo vſus eſt, & mendaciis cõiunxit, dicens de pſeudoprophetis, Errare faciunt populum meum mendaciis ſuis, & ובפחזותם, id eſt vanitatibus ſuis. Fortè & temerarios non incommodè dixeris. Iudicum enim 9.a.4. פחזים dicuntur leues & nullius pretii homines, qui quum nihil penſi habeant, vtique & temerarii ſunt. Addit vero, *viri prævaricationum*. Ipſi enim verbum Domini præuaricabantur, & præuaricari alios docebãt. Iuſtos contriſtabant, & impios cõfortabant, vt eis Iechezkel obiecit. Certè vbique id de eis Dominus queritur, quòd facerent errare populũ ſuum. De Sacerdotibus verò, vt hìc, ita Iechez.22, ac alibi queritur, quòd nullũ habuerint inter ſacrũ & profanũ diſcrimen: & *vim fecerint Legi*, quam neque ipſi obſeruarunt, neque rectè populo obſeruandam tradiderunt. Rudis ſpiritu erat populus, eóque pædagogia quadam, & quæ ruditati eius accommoda eſſet, hoc eſt quæ in elemẽtis mundi, externis ſcilicet quibuſdam religionis rudimentis verſaretur, opus habebat. Internus ſiquidem fidei cultus, & libera dilectionis omnibus expoſitæ officia, perfectiorum ſunt. Vt igitur ſuas Iiſrael etiamnum puer, ad quas propter ruditatem ſpiritus, & vitæ Dei infantilitatem, prorſus propendebat, ceremonias haberet (quẽmadmodum & hodie videmus ceremoniarum percupidos quotquot in ſpiritu nõdum adoleuerunt) multas ſanè illi Dominus dedit, quibus vel aliquem in eo ſui timorem aleret, & à conſortio illos, imitationéque Ethnicorum cõtineret. Perſanctè itaque obſeruari ceremonias illas voluit, qualibet iuſtitia in illis ſita minimè eſſet. Tantum quidẽ admonebatur illis popul⁹ & bonitatis Dei, & ſui officii: attamen quũ fœderis

N.1.

quod inter Deũ & ipſos ictũ erat, memoriam ſingulæ illæ ceremoniæ refricarent, grauem Dei
contẽptum arguebat, vel neglexiſſe illas penitus, vel adhibuiſſe incurioſius. Qui enim tũ nulla
Dei reuerentia mouetur, religioniſq; affectu nõ accẽditur quũ Diuinæ erga ſe dignationis pecu-
liariter admonetur, eum neceſſe eſt admiratione amoréq; Dei admodũ frigere. Hinc Paul' irrita
1.Cor.10.c.20. tionẽ & prouocationẽ Domini interpretabatur, quòd Corinthii ratione Cœnæ Dominicæ pa-
rũ religioſè obſeruata, idolothytis temerè ſe ingerebant, quibus tamẽ vt bonis Dei creaturis, per
1.Cor.11.f.28. ſe vti licebat. Eadẽ ratione & reos corporis ac ſanguinis Domini affirmauit, qui indignè, hoc eſt
irreuerẽter, nõ obſeruata probè Eccleſiæ cõmunione, de pane Domini edebant, & de calice eius
bibebant: ſimul teſtatus, propter indecentem agitationem Cœnæ Dominicæ, immiſſam eis pe-
ſtilentiam. Iã Cœnæ Domini participare, per ſe externus ritus eſt, quem Deus per ſe haudqua-
quã moratur: nihilominus tamẽ, quũ in ea, memoria mortis Domini celebratur, ingratum eſſe
Domino oportet, & parum religioſum qui indecẽter ſe illi ingeſſerit. Ad hæc quũ minuta om-
nia fuerint quæ in ceremoniis illis Moſaicis Dominus exigebat, externa ſcilicet, ſingularem ſa-
nè Dei neglectum arguebat, ſiquem illis rebus adeò leuiculis gratificari conditori ſuo pigebat.
Nobis qui adultiore Spiritu, eóque & libertate omnium externarũ rerum donati ſumus, nullæ
indictæ ceremoniæ ſunt: tantum indicatæ tres, quibus externã noſtrã in Domino ſocietatem
& auſpicemur, & commodè perducamus. Baptiſmo enim, Domino velut conſecramur: Eucha
riſtia, perſeuerãtiam in fide eius teſtamur. Quóque cõmodius & ordine verbum Dei in Eccleſia
doceatur, erroréſq; arceãtur, certos ad id miniſtros ordinamus. hi Prophetarum ſimul & Sacer
dotum locũ apud nos obtinẽt, quatenus plebi ſcilicet ad ædificationẽ pietatis miniſtrant. כהנים
enim quos ſacerdotes interpretantur, miniſtros Hebræis ſignificant. Sacrificiorum autem vſus,
& eorum quæ ad ſacrificia requirebãtur, ſublata ſunt: quia Chriſtus oblatione ſui ſanctificatos
cõſummauit in æternum Heb.10.c.14: noſtrúmque eſt iam nõ pecudes, ſed noſmetipſos, Chri-
ſti exemplo, Deo offerre hoſtiam ſanctam & acceptam. Etenim caro & ſanguis regnum Dei hæ
reditare nequeunt: mortificanda igitur ſunt: idque abnegatione noſtri, & volũtaria crucis ſubla
tione auſpicandũ eſt. Ergo 3 & 4 verſus propriè obiurgant Principes, qui tyrãnos magis quàm
Principes agũt: & Paſtores, Doctoréſque Eccleſiarum, qui lupos potius & impoſtores, quàm id
quod dicuntur, præſtant. Huiuſmodi autem habere, quũ certa iræ Diuinæ vltio ſit, debet nos v-
tique peccatorum, quibus hanc iram meruimus, admonere, & ad reſipiſcentiam ſeriam prouo-
care. Eã ſi ſuſceperimus, dabit nobis Dominus & Principes & Doctores qui ſecundũ ipſius ver-
bum nos ducent: paſcéntque vt quietam & tranquillã vitam cum omni honeſtate & pietate vi-
uere liceat. Qua cauſa Paulus & pro Principibus atque Magiſtratibus orare præcepit. Verè er-
go Spiritu ſancto aduerſantur Catabaptiſtæ, qui externam rerum gubernationem Chriſtianis
non concedunt: atque ita tantum impios volunt rerum potiri, quo ſemper boni perſequutioni-
bus exagitentur, & malis perpetuò liceat Deum blaſphemare, bonóſque offendere: contra id ſa-
1.Timot.2.a.2. nè quod Paulus iuſſit à Deo orare, & Deus ſe timentibus promiſit.

5 *Dominus iuſtus in medio eius, prauitatem admittere nemo debuerat: mane, mane in lucem iudicium ſuum proferet,*
non ceſſabit, prauus tamen neſcit erubeſcere. Quàm indignè ac ſtupidè etiam fecerint Hieroſolymita-
ni, quòd ab impietate ſua, quanquam diligẽter adeò & ſeuerè per Prophetas moniti, noluerint
reſipiſcere, hoc verſu Vates & duobus ſequentibus explicat, *Dominus*, inquit, *iuſtus in medio eius*. Do-
minus qui ex omnibus Gẽtibus eos ſibi in peculiarẽ populũ delegerat, ex AEgypto præpoten-
ti manu eduxerat, aliiſque innumeris beneficiis planè obruerat, is quem cæli & terra compre-
hendere non poterant, ſedem gratiæ ſuæ in hac vrbe ſibi delegerat, Regnum, Sacerdotium, &
Prophetas illi donauerat. Quid? nihil eſt quod ei ad cultum pietatis & ſalutis potuiſſet adiĩcere:
quod ei ſub parabola vineæ Ieſchaiah 5.a.1, exprobrauit. Hæc igitur mouere debuerant, vt ſan-
ctè omnes in vrbe tam ſancta fuiſſent verſati. Etſi tanta bona minus eos ad pietatis ſtudium in-
uitaſſent, perpellere huc certè debuerat vel metus eius. Hinc addidit Propheta, *Iuſtus*. quo vti-
que non indignitatem ſolum, ſed & ſtuporem populi arguit. Siquidem iuſtum nouerant, & di-
ligere iuſtitiam, eóque iniquitatem & deteſtari, atque vindicaturum, dubitare non poterunt.
Certè 2. Moſcheh 20.a.5, id de ſe ipſe grauiter admodum teſtatus eſt. Non modo igitur peruer-
ſe, ſed inſanè etiam fecerunt, qui iuſtum omnium iudicem ſibi tam præſentem, adeò impuden-
ter offendere non timuerunt. Vt enim impudentius peccant, qui plus Diuinæ cognitionis &
beneficiorum acceperunt: ita iure grauius in eos quoque animaduertitur. Hinc dicebat Do-
minus, quum peccaſſet populus conflatione & adoratione vituli aurei, Non aſcendam tecum:
quia populus duræ ceruicis es, ne diſperdam te in via. 2. Moſch. 33.a.3. quo vtique ſignificauit,
quo ſe præſentiorem illis exhiberet (quod ampliore ſcilicet benignitate, & apertiore ſui cogni-
tione præſtabat) hoc eos grauiori animaduerſioni fore obnoxios ſiquid deliquiſſent. Id iudicii
Iudicauit & quum duos filios Aharoni igni abſumpſit, quum alieno igni ad incenſum fuiſſent

vſi,4.Moſcheb 16.c.30.Sanctificari enim vult,vt Moſcheh dicebat,hoc eſt potentiam ſuam no- 3.Moſch 10.b.7
tam facere in iis qui ſibi appropinquant.Et vt Dominus dixit,Seruus ſciens voluntatem domi- Luc.12.f.48.
ni ſui,& non faciens,vapulabit plagis multis. Quod verò ſequitur, *Mane, mane iudicium ſuum in lucem proferet,non deficiet*,haudquaquam ſinet illud in obſcuro permanere:manifeſtius adhuc populi furorem detegit,qui Deum zelatorem,& maturam adeò & celerem vltionem minitantem,tantóque ſæuiturũ grauius,quanto ſe eis adiũxerat clemẽtius,vſque ſceleribus ſuis irritarẽt. Simile Ieſcbaiab 3.c.13,legitur,Stat ad iudicandũ Dominus,ſtat ad diſceptandũ cum populis.Dominus veniet ad iudicium contra Seniores populi ſui,atque Principes eius:vos ſiquidẽ depaſti eſtis vineam,præda pauperis in domibus veſtris.Quo magis autẽ Propheta inſtare ſignificet Domini cõtra impios iudiciũ,& bis *mane* dixit,& adiecit,*Nõ deficiet*:idem & per negationẽ affirmãs. Vulgare autẽ in Scripturis eſt,per mane,maturitatẽ & accelerationẽ ſignificari:ſicut & per negationẽ repetere quod ſemel dictum eſt per affirmationẽ. Propheta enim & iamiam inſtare vltionẽ,& eam luculẽtiſſimam atque inſignẽ,monere voluit,vtique eam quam initio prædixit,qua perdita vaſtatáque omnia fuerunt,ita vt in prouerbium & fabulã cunctis populis vrbs hæc abierit: id quod illi Dominus,1.Reg.9.b.7,& aliàs ſæpe fuerat minatus: ideo quibus potuit,orationem vehementẽ reddere ſtuduit.Iſta verò vel ſaxeũ pectus ad reſipiſcẽtiam mouere debuerãt.Adhuc tamen *prauus*, inquit, *ne ſcit erubeſcere*:id eſt omnis peruerſorum colluuies. hos ſiquidẽ non modo malorũ ſuorũ nõ pœnitebat:ſed tam abfuit vt meliora cogitarẽt,vt ne quidẽ puduerit illos ſuæ prauitatis:frõs meretricis illis facta erat,vt ne,cõfuſi quidẽ,cõfundi poſſẽt,Iirme.3.b.3,&6.b.15. Sunt qui illud,*Mane,mane iudicium ſuum in lucem proferet,non deficiet*,de ciuibus Ieruſalaim intelligunt,qui vt prauitatem omittere debuerint,ita mane & ſedulo iudicium ſuum,vt rectè & ex æquitate cum omnibus agerent,in lucem proferre.Sed cum hoc ſenſu ſequentia non ita cõſonant.Deinde ſi hoc Vates voluiſſet,non dixiſſet iudicium ſuum:ſed ſimpliciter,iudicium. Illud enim ſi de homine ita dicas,ius vel cauſam ſignificat,vt,A cõſpectu tuo iudicium meum prodeat, Pſalmo 17.a.2:id eſt Tu declara quàm innocens ſim,tu ius meum aſſere. Id autem quod verti,*Prauitatem nemo admittere debuerat*: in Hebræo ad verbũm habetur, *Non faciet prauitatem*. Sed omnino hunc ſenſum in Sacra lingua verba iſta faciunt, neque rarò in huiuſmodi loquutionibus agẽtem perſonam verbo Sacræ literæ non præmittunt. Hæc verò Prophetæ,& nos expendamus, quibus vtique propius ſe Dominus adiunxit, præſentiúſque in medio noſtri habitat,quàm veteri populo contigerit vnquam. Quòd ergo Paulus 2. Corinth .6.d.17,monet à malis ſeparemur,& immundum ne tangamus: vt quemadmodum ſanctus eſt Deus noſter in medio noſtri habitãs,& nos ſancti ſimus.Nihil commune eſt Chriſto & Belial:ne ſit igitur & nobis Chriſtianis commune quicquam cum filiis Belial. Moueat & quòd iuſtus Deus paſſim prædicatur, qui nullã inultam iniuſtitiam relinquet,ſed reddet vnicuique iuxta opera ſua.Denique quum omnia coniecturam haudquaquam vanam afferant,& hac noſtra tempeſtate Deum mane mane, id eſt admodum maturè,iudicium ſuum contra ſui cõtemptores in lucem prolaturum: excitet vel huius metus,aliquod in nobis reſipiſcentiæ ſtudium.

6 *Excidi Gentes,vaſtata ſunt propugnacula,deſolaui vicos eius, ut non ſit qui eos pertranſeat:deſolatæ ſunt urbes eorum,ut nullus ſit reliquus habitator*. Hoc verſu Vates oſtẽdit vnde id quod dixerat,Mane mane,id eſt citiſſimè adfore iudicium Domini, ciues Ieruſchalaim verum agnoſcere iure debuerant. vaſtauerat ſiquidem iam pridem Dominus per Reges Aſſyriorum omnes circumquaque regiones, decem tribus ſedibus ſuis eiecerat,atque transferri in Aſſyrios fecerat:neque longè antè & Manaſcheb Regem Iebudah captum,Babylonem curauerat abduci,de quo ſuperius aliquid dictum eſt. Hæc vtique fidem illis facere debuerant,in foribus eſſe vt & ipſi impietatis ſuæ pœnas darent, quum illa quotidie incrementa acciperet: id quod Prophetæ futurũ iugiter prædicebant. Iſta itaque regionum euerſio & Gentium exciſio, quæ per Reges Aſſyriorum facta iam erat, & fieri iterum per Reges Chaldæorum incipiebat, videtur fuiſſe de qua hîc Dominum Propheta induxit memorantem,*Excidi Gentes, vaſtata ſunt propugnacula,&c.* Quo verò ſanabiles inter Iudæos plus perterrefaceret,non vno verbo Dominum teſtari facit Gentes ſe exeidiſſe,ſed per diſtributionem enumerantem propugnacula,vel arcẽs,loca vtique munitiora,vicos & vrbes. Hæc omnia ait ſe vaſtaſſe Dominus & deſolaſſe,vt nemo in eis ſit futurus reliquus. Id quod ſanè paſſim,tum per multas regiones factum Iudæi viderant.Sed ita ſtupidis & obſtinatis in malo animis erant,vt nihil hõrũ animaduerterent: quod & aliàs,nominatim verò, ac multis Iechez.23. a.3,illis obiecit,præcipuè autem quòd nihil eos mouebant quæ Samariæ & decem tribubus fratribus eorum ob impietatem ſuam acciderant.Non diſſimilis obſtinatio & nos (prob dolor) tenet.Quotus enim quiſque eſt qui tam cruenta & diutina Italiæ bella,iram Dei cõtra eã impietatem,eáque ſcelera,quibus & nos obnoxii ſumus,agnoſcat? Plurimum quidem vitiorum ab illa natione accepimus: quæ vt bonis vitæ præſentis eſt affluentiſſima,ita nullo ſcelerũ genere non

inquinatiſſima: ſed quis dubitet qui illam ignis Diuinæ iræ diu iam vaſtat, & nos correpturũ, vt ſicut impietatem illius & ſcelera imitari libuit, ita & pœnas quas perſoluit experiamur. Exarſit dudum furor Domini memorabilis & in alias nationes, ſed quæ idololatria, dolis, crudelitatéque etiam inſignes ſunt. Quum itaque & apud nos hæc mala plus nimio matureſcãt, quis operum Dei vel aliquatenus obſeruans, non videat, breui & vltionem quam illi experiuntur, nos quoque ſenſuros?

7 *Dixi attamẽ, Time me, ſuſcipe caſtigationem, & nõ excindetur habitatio, iuxta omnia quæ aduerſus eam ſtatui: at illi nihilominus accelerarunt, corrũpentes vniuerſa ſtudia ſua.* Hoc eſt, quanquam iam paſſim deſæuire incœperit in Gẽtes circum te, atque adeò & in fratres tuos decem tribuum, indignatio & vltio mea: tibi tamẽ Ieruſalẽ, quãtumuis ingratæ, atque perditæ, dixi, Vtcũque merueris & tu dare pœnas grauiſſimas, time vel adhuc me: ſit tibi vel aliqua gratificãdi mihi cura, teſtare aliquã nominis mei reuerẽtiam, & ſuſcipe caſtigationẽ, diſpliceant tibi tua ſtudia, pudeat vel adhuc vixiſſe tam ſcelleratè, inſtitue vitæ correctionẽ, ne & te flamma furoris mei corripiat & deuoret, ne excindatur habitatio, iuxta omnia quæ contra illam ſtatui. *Habitationem* itaq; nominis ſui intellexit templũ præclarum illud ſuæ erga illos dignationis inſigne. Inde enim reſpondebat precantibus, & vitæ doctrinam dabat: inde vt ſui cognitionẽ, ita & ſalutem in omnem populum deriuabat. Quæ autẽ cõtra hanc nomini ſuo dicatã manſionẽ ſtatuerat, ac definierat, 1. Reg. 9. b. 7, Schlomoh prædicta legimus: ea ſanè, vt in exemplum hæc domus eſſet, & quæ quũ quis audierit, tinniant illi ambæ aures, 2. Reg 21. c. 12: ea denique quæ fecerat Schilo, vbi initio nomen eius habitauerat, hoc eſt vbi coli peculiariter, præſentémq; ſe quærẽtibus exhibere voluerat, Iirme. 7. c. 11. At illi properarunt corrũpentes ſtudia ſua, hoc eſt continuo ad peiora, & mane, hoc eſt ſedulo, prolapſi ſunt. Eadem Dominus & 6, atque 8 Iirmeiah cum populo hoc expoſtulauit: ſed & in Prophetis reliquis omnibus paſſim ſimilia occurrunt. Vtinam verò & nobis dicta hæc agnoſceremus, quibus diu iam clementiſſimè Deus parſit, grauiſſimè ira eius in aliis nationibus ſæuiente. Dũ enim ille ad pœnitẽtiam hac ſua lenitate prouocat, deditque mirificam verbi ſui cognitionem, vt nemini deſint qui ad timorem illius inuitẽt: nos continuò deteriores reddimur, ac deprauatius viuimus: idque non ii ſolũ qui ex profeſſo caſtigationẽ Dei reiiciunt, verùm ii quoque qui Euangelio Chriſti dediſſe nomen videri volunt. nihil penſi habentes illud, quo gratia Dei in eo plenius prædicatur, eo ſeueriorem quoque reſipiſcentiam operari in omnibus, qui vera ipſum fide receperunt. Sermo eſt regni cælorum: cæleſtem igitur vitam affert, quocunque in corde receptum fuerit. Qui ergo ſcientiam Euangelii, ſine vita Euangelio digna iactant, Euangelium ſanè blaſphemant & blaſphemari apud incredulos faciũt, quod impunè ipſis haudquaquã cedet.

8 *Propterea expectate me, inquit Dominus, ad diem quo exurgam in perpetuũ: decretũ enim penes me eſt, ſublegere gentes, colligere regna, effundere ſuper eos indignationem meam, omnem furorem iræ meæ: quoniam igne Zeli mei vorabitur omnis terra.* Ab hoc verſu iam ad finem vſque facit Vates noſter, more Prophetis ſolẽni, ad vaticinandum de regno Chriſti excurſum, *Propterea* (facit Dominum loquentem) *expectate me ad diẽ quo exurgam in perpetuum*, quandoquidem nõ libet à prauis veſtris ſtudiis reuerti, vt vobis & loco in quo peculiariter benignitatem meam declarare volui, parcerem, ſeruarémque ac protegerem in die iræ, qui dudũ illuxit: agite vos quibus verè nominis mei timor reliquus eſt, expectate me & ſuſtinete, quum exaltabor in perpetuum, hoc eſt quum ita exurgam, & potentiam meam notam faciam, vt in perpetuũ Dominus omnium & vindex agnoſcar: iudicium enim meum eſt, ita decreui ſublegere gentes, & colligere regna. Vt ſiquidem dum conduntur res, egredi à Domino: ita dum intereunt, quaſi rurſus colligi ad ipſum rectè dicuntur. Sic & initio prophetiæ (אסף אסף, id eſt colligendo colligo) Propheta loqui Dominum fecit, cuius vt ſenſum redderem, verti, auferendo aufero. Quidam Hebræorum volunt hic alterum אסף futurum eſſe à verbo סוף, quod ſignificat conſumptum eſt: quaſi dixiſſet per Prophetam Dominus, Colligendo cõſumam. ſed quum ſemper Lingua ſancta, quum intendere ſermonem vult, eiuſdem verbi infinitum, cum ſuo futuro vel præſenti iungere ſoleat, & colligere pro abſumere paſſim in Scriptura accipiatur: malui vt eiuſdẽ radicis, vtrunque accipere. Porrò quod hîc Dominus iudicium ſuum vocat, auferre gentes, &c. idipſum eſt quod prolaturum eum in lucem Propheta ſuperius verſu 8, affirmauit. Quòd verò Domin' ait iudicium ſuum eſſe, effundere indignationẽ ſuper populos, & omnem quidem furorem iræ ſuæ: eo indicauit multò ſæuiſſimã fore ſuã in illas vltionẽ. Id magis explicauit, quum ſubiecit, *Quoniam igne zeli mei vorabitur omnis terra.* Omnem terram dicit, quòd furor iræ ſuæ longè latéque eſſet graſſaturus, à Medis ſcilicet & Perſis vſque ad AEthiopiam, & à monte Tauro vſque ad fœlicem Arabiam. Quæcunque enim inter hos terminos cõtinentur, à Regibus Chaldæorum afflicta & debellata fuere, de quo ſuperius capite ſecũdo, nõ nulla dixi. Hac verò tot regionum vaſtatione declarauit ſe Dominus, ſolum Deum eſſe, atque in manu ſua habere omnia. Inde eſt quod tempus huius, diem vocat ſuæ exurrectionis, quo

nimirum ſeſe extulit:oſtenditque ſe Deum omnibus metuendum ,nihil autem eſſe omnes deos Gentium,quòd ſcilicet ipſo iraſcente,nullus ſuos cultores de manu ipſius eripere queat. Sic exurgere eum pro populo ſuo orat Pſalmus 68.a.1, Exurgat Deus,& diſſipentur inimici eius. Dũ enim impunè ſinit ſceleratos pro ipſorum libidine ferri,dormire & iacêre hominibus videtur: vbi autem vltionẽ de eis ſumit,euigilare & exurgere. Vt in aliis igitur,ita & hîc demittit ſe Scriptura ad modum æſtimationis vulgaris. Addit autem , *in perpetuum*(ita reddidi לעד)tum enim ita exaltare nomen ſuum Deus cœpit, vt ab illo tempore illuſtrius continuò eſſe cœperit. Ad id non parum contulit & Iiſraelitarum per tot regiones diſperſio. Neque enim omnes impii fuere:pii autem quocunque peruenerunt, Dei ſui magnificentiam ſtudioſè prædicarunt,idque tãto feruentius,quanto iã humiliati,Deum religioſius colebant.Quàm præclarè vel per ſolum Danielem, gloria Dei illuſtrata fuit? Agnoſcente ſiquidem hanc tot gentium Rege Nebuchad-nezar,facilè illa & per multa regna potuit ſpargi. Sparſa tamen auctáque multo amplius fuit regnãtibus Perſis. Et ſiquis hiſtorias diligẽter excutiat,inueniet à Terræ deſolatione,de qua hîc Propheta vaticinatus eſt,cognitionẽ Diuini nominis incremẽta in dies accepiſſe. Plurimũ ſanè illam Regũ Perſidis, inde & Alexandri Macedonis in populum Dei benignitas, Deúmque ipſum religio,poſtea & præpotens Machabæorum imperium,promouit.Eodẽ non parũ quoq; momẽti attulit ſacræ Scripturæ in linguá Græcá verſio , quam Rex Philadelphus procurauit: denique & reſtituta Iudæis ab hoc Rege libertas, quorũ Ioſephus memorat fuiſſe centũ viginti millia.Hi poſtea,& alii qui per Aſſyriã diſperſi fuerãt & Aſiæ regiones, Græciam & Italiam inhabitare cœperũt.Quis enim credat,prorſus abolitas decẽ illas tribus,quas Reges Aſſyriorũ in ſuas prouincias tranſtulerant? Soluto vtique regno Aſſyriorũ, ac poſtea & Chaldæorũ, libertatéque facta illis per Reges Perſidis,qui omnes illas prouincias(vt liber Heſter teſtatur)ſub imperio ſuo habuerunt,paulatim in Syriam & Palæſtinã,aliáſque orbis regiones tranſmigrarũt.Sanè & Ephraim cum Iirme.31.e.23,& alibi,reditus ad populũ Dei promiſſus eſt.Rectè itaque tum exurrexiſſe in perpetuum dicitur,hoc eſt,vt æternum iam in terra regnet,potentiam ſuam exerere cœpiſſe,quãdo per Chaldæorũ Reges, Gẽtes excidit,regna ſublegit,&c. Verè enim ex eo tẽpore nomen Dei orbi innoteſcere cœpit.Quanquã iſtud לעד etiam de diuturnitate intelligi poſſit mutationis rerum, Gẽtiúmque vaſtationis,quæ tum cœperat. Nam multis ſanè annis durauit. Sunt qui לעד, ad prædam interpretentur(עד enim & prædam ſignificat) quæ ſanè interpretatio ſequentibus haud malè quadrat. Sed quum verè illa dies,illud tempus fuit quo ita exurgere, & ſuam declarare potentiam Dominus cœpit, vt inde continuò magis ac magis illa orbi innotuerit,malui priorem interpretationẽ ſequi. De hoc vtiq; tẽpore & Ieſchaiah 2.c.26,dixit,Exaltabitur Dominus ſolus in die illa. Expẽdant hinc nunc ſpirituaIiores, annon expectandum ſit vt ſimili ratione vaſtatis vndique regionibus,ac Domini potentia orbi iterum declarata,verus Chriſti cultus ſynceráque fides rurſum reſtituenda ſit.

9 *Quoniam tum dabo populis labiũ purũ:ut omnes inuocent nomẽ Domini,ſeruiántq; humero uno.* Et hoc quidẽ præſtare cœpit ab illo die quo Dominus exurrexit, vt ſe Deum omnium declararet. Quantũ ſiquidem Dei cognitio diffuſa eſt,tãtum & Diuinæ bonitatis aucta fuit confeſſio. Nequit enim qui Deum verè agnouit, eum non & amare,& prædicare. Rectè igitur poſt deſcriptionẽ iudicii quo vniuerſæ terræ Dei gloria manifeſtanda fuit,hoc Propheta ſubiecit,*quoniã tum dabo labium purum*.mutato ſcilicet quod impurum erat. Impurũ & pollutũ labium eſt,dum quiſque quod ſuæ carni probatur loquitur. Vnde Ieſchaiah 6.b.12,ſe & populũ ſuũ polluti labii eſſe cõfeſſus fuit, quòd nõ vt Seraphim Dominũ collaudaſſent,ſanctúmq; celebraſſẽt. Purum ergo & purgatum atque electũ labium eſt,quod iugiter celebrat bonitatẽ Dei:vnde ſubiunctũ eſt,*vt omnes inuocẽt nomẽ Domini*, nõ iã ſoli Iudæi.Futurũ ſiquidẽ erat vt omnis caro ſalutẽ Dei videret: ideo iam nõ ſolum in Iudæa cognoſci Deum,neque in Iiſrael tãtum,externo quidẽ illo,magnũ eſſe nomẽ eius oportuit,verùm ab Oriente vſque ad Occidentẽ celebre glorioſúmq; euadere. Etenim poſtquã aquæ illæ viuæ,de quibus Zacha.14.d.20,è Ieruſalẽ ad Orientẽ & Occidẽtem fluxerunt,hoc eſt dono impulſúque Spiritus ſancti,Euangelii cognitio vndique per orbẽ diffuſa eſt:Dominus regnare cœpit ſuper omnẽ terram, factúmque eſt vt ſit Dominus vnus, & nomen eius vnũ omnibus gẽtibus,quod eſt apud eundem Prophetam. Ab hoc idem cor,eundémque Spiritum Electi vniuerſi acceperunt, & ad finem vſque mundi accipient,quo & inter ſe,& in ipſo vno ſuo Rege, ac Deo,ipſi quoque vnum exiſtant,idem velint,idem quærant:nimirum vt gloria Domini vbique illuſtretur,eámq: quamplurimi agnoſcant,ac inde pii & ſalui euadãt. Hinc Paulus tã anxiè in Chriſtianiſmo perſonã omnẽ, omnéq; diſcrimen reiecit, probaré que ſtuduit,in Chriſto nõ eſſe marem aut fœminam,Iudæum vel Græcum,&c. ſed vnum omnes. Hæc vtinam cordi eſſent iis qui circa externas hodie ceremonias & Sacramẽta tã hoſtiliter decertãt, tetrúmq; inde Euãgelii odorem reddunt,puſillos fidei offendũt, deploratos Chriſti hoſtes mirum in modum exhi

Ad eos qui circa ſacramẽta hodie diſſidia excitãt.

larant. Profectò regnũ Dei intra nos eſt, iuſtitia, gaudium, & pax in Spiritu ſancto eſt, neque aliter in eo viuitur, aut Deo ſeruitur, quàm ſpiritu & veritate, quàm ſyncera prædicatione nominis eius, proximorúmque ſedula ædificatione. Baptiſmus & Euchariſtia, ceremoniæ ſunt quib⁹ commodius ſocietas in Domino, quantum ad doctrinam & admonitionem attinet, colenda erat. Nũc quidã materiam illa faciunt pernicioſiſſimæ diſſenſionis, & ſchiſmatis, quod nihil æquè Euãgelii curſum hodie remoratur. Mutet iſtis vtinam Dominus labium contentioſum & maledicum, & donet labium purũ & electũ, quod ſolã Domini gloriam prædicare ſtudeat, hanc potiſſimum, quòd venerit ſeruare quod perierat, & velit ſaluator eſſe quorumlibet: neque illico reiicere quenquam, ſi vnum aut alterum Scripturæ locum non rectè intelligat, ſi nõ per omnia vt Apoſtoli, ſacramẽtis fuerit vſus, modò vtatur illis vt omnis ſalutis gloria penes vnum Chriſtum maneat, & vt Eccleſiæ vnitas nõ ſcindatur. Certè ſi vitam æternam habet qui in Chriſtũ credit, qui ipſum ſuum agnoſcit ſaluatorem, vt certò habet: cur talem reiiciet homo, eo quòd non in omnibus agnoſcit, quod ſibi videtur agnoſcere ille? Quàm in multis & grauibus errabant Apoſtoli? quámque benignè & indulgenter tamen habuit illos Chriſtus? Hæc quũ monemus, quidam (qui nunc regnum in Eccleſia Sanctorum, imprudentes tamen, quod credo, videntur affectare) interpretantur inſidias eſſe Satanæ, qui ſub hoc pacis prætextu totum quærat Euangelium euertere, tum & noſtræ doctrinæ circa ſacramenta diffidentiam. Vtinam iſti probè animaduerterent aſtum atque inſidias Satanæ, qui certe tum Euangelium abſtulit quũ animos concordiæ ſtudioſos, & errantium tolerãtes abſtulit. Non continuò cõtra Dei verbum pugnatur, quũ nõ recipitur cuiuſlibet interpretatio. Quàm multa illi ipſi perperam in Scripturis interpretati ſunt, quod etiam ex ipſorum ſcriptis côuinci poteſt? Abiiciemus propterea illos? Abſit, dum quidem in Deum fidem & proximos dilectionem ſynceriter docuerint. Veri autẽ cauſæ ſuæ diffidant, iudicabit dies, & modò Sanctis non poteſt eſſe obſcurum. Nos ſolo verbo Dei nitimur, & nullo vel externæ poteſtatis, vel calumniarum, aut grauium proteſtationum præſidio vtimur. Liberum iudicium Eccleſiis deferimus, & Spiritui ſancto apud neminem præiudicamus: quid faciant ipſi, ipſi quoq; viderint. De iis in præfatione aliqua monebimus. Latius patet regnum Dei, quàm iſti modo velint agnoſcere, agnoſcent autem poſtea.

10 *Trãs flumina AEthiopiæ ſupplices mei: cũ filia diſperſorũ meorũ munera mihi afferẽt.* Calamitatẽ quã Propheta prædixit ad AEthiopes vſq; peruenturã, ſuperius vaticinat⁹ eſt. Cõmodum igitur nũc illos & ſalutis participes fore prænũtiat: & facit id, ad oſtendendã ſalutis amplitudinẽ, ſicut illud ad exaggerandã fecit calamitatis atrocitatẽ. Quẽadmodum enim ſuperiori vaticinio, tam latè graſſaturam Dei vltionem ſignificauit, vt & lõgiſſimè ſitos AEthiopes eſſet correptura: ita hoc tam amplam fore ſalutem viciſſim prædicat, vt & vltimi hominũ AEthiopes ea ſint perfruituri. *Flumina AEthiopiæ*, flumina Nili ſunt, qui AEgyptum ab AEthiopibus diſterminat. Nam iuxta Circaſorum oppidum triplex eſſe incipit. Deinde ſemel, iterúmque diuiſus ad Delta, & ad Metilin it per omnem AEgyptũ vagus, atque diſperſus, ſeptémq; in ora ſe ſcindẽs, ſingulis tamen grandis euoluitur. Hæc Pompo. Mela, lib. 1. Ob hanc ergo ſui ſectionem & multas partes, Nilus *flumina* haud ineptè dictus eſt potius, quàm flumen. *AEthiopiæ* autem, quòd limes ſit AEthiopum & AEgyptiorum. Ergo & trans Nilum, apud AEthiopes, Dominum habitaturum *ſupplices ſuos* hìc Propheta prædixit, eóſq; *cum filia diſperſorum ſuorum*. Etenim & ad AEthiopes vſque Iudæi diſperſi fuerãt: vnde inde reuocandos Ieſchaiah 11. c. 11, prædixit. ita enim habet vaticinium, In die illo exeret ſecundo potentiam ſuam Dominus, vt poſſideat reliquias populi ſui, qui reliqui erunt ab Aſchur, ab AEgypto, à Pathros (quam credunt quidam petream Arabiam) ab AEthiopia, ab Elam (quam dicit Hieronymus Perſidis regionem trans Babylonem, in 25. caput Iirmeiah) à Schinear (quæ regio Babyloniorum eſt) & à Chamath (qua Syriam, Ciliciam, & Taurũ deſignari quidam credunt) ab inſulis Maris, hoc eſt tractu Maris mediterranei, Cypro, Græcia, & Italia. Vel hinc ergo liquet ad AEthiopes vſque diſperſos Iſraelitas fuiſſe, quandoquidem inde colligendi erant. Habuit igitur Dominus & trans flumina AEthiopiæ filiam diſperſorum ſuorum. Ii cum timerent Deum, gloriam eius & AEthiopibus prædicarunt. Hinc factum fuit vt & illi Domino ſupplicarent, iam in eum credentes. Nemo enim inuocare poteſt, niſi qui antè crediderit: & credere non poterant abſque prædicante, Rom. 10. c. 14. Vbi autem ab exulibus Iudæis Domini bonitatem prædicari audierant, datúmque illis eſſet vt veritati auſcultarent: Domino ſupplicare cœperunt, & Deum ſuum & omnium Deũ inuocare. Háncque fidem teſtaturi, munera Ieruſalaim vſque deferebãt, ex quorũ numero fuit AEthiops ille præfect⁹ Reginæ AEthiopum Cãdaces, quem baptizauit Philippus, Act. 8. c. 27. Iſtam huius gentis religionem, & Pſalm⁹ 68. 32, prædixit, Venient optimates ex AEgypto, AEthiopia celeriter manus ſuas ad Deũ protendet. Itẽ Ieſchaiah 45, prædictum legimus quæcũque AEgyptus, AEthiopia, atque Sabæi habeant, Ieruſchalaim, id eſt Eccleſiæ ſanctæ propria fore, ipſóſque velut ſeruos & captiuos, il-

Iam ſequuturos,eo quòd in ea Deus ſit,præter quem alius Deus null' eſt. Eiuſdem AEthiopum pietatis,ac quòd hæſerit à Iudæis exulibus apud eos veri Dei agnitio & cultus, argumentum & illud eſt quod de AEthiopibus ſcribit Herodotus, lib.2, ſolitos fuiſſe recens natos circuncidere,quem morē & AEgyptiis atque Colchis obſeruatum teſtatur:indéque colligit Colchos AEgyptios eſſe. Addit his, veritatis ignarus & in aliis quoque vanus, Syrios,Phœnices. & Palæſtinos confiteri ſe eum ritum ab AEgyptiis accepiſſe. Nos ex Diuinis literis ſcimus Circuncisionem ſignum fœderis datum à Deo Abrahæ & poſteris eius: ab his ea peruenit ad quoſcunque peruenit,AEgyptios,Arabes,AEthiopes,Syrios,Colchos. Nullum etenim mihi, vt & antea dixi,dubium eſt,decem illas tribus,quas ſedibus ſuis Rex Aſſyriorum eiecit, ſucceſſu temporis lōgè latéque per regiones fuiſſe diſperſas, præſertim autem eas regiones,quas ſub ſuo imperio Reges Chaldæorum,& poſtea Perſarum,habuerunt.quorum imperium à Bactrianis & Sogdianis, vſque ad AEthiopes,Armenios,& Græciam pertigit. Hinc & in his omnibus regionibus Iſraelitæ fuerunt,atque ideo & proſelyti,propterea quòd nemo verus Dei cultor,eius notitiā nō pro viribus ſtudeat ſpargere. Poſtea deuoluto imperio ad Græcos,inde & ad Romanos,facilè ex Aſia,& in Græciam atque Italiā Iudæi migrarunt. Niſi enim vulgata & Romæ Iudæorū religio fuiſſet,non ita eam ſcriptores Ethnici notaſſent. Iā Horatius qui ſub Auguſto floruit,ſemel Iudæos ob religionē (vt Epicuri de grege porcū decuit) riſit,libro Sermo.1,Saty 5 & 9. Sic ſenſim per omnē orbē ſeminarium pietatis ſparſum eſt,& Euāgelio velut via munita,quod eo ſanè facilius receptum fuit,quò iam apud plures veri Dei,qualiſcunque cultus obtinuerat,& Sacræ etiam literæ,in maiore paſſim autoritate habebātur. Sic & quòd AEgyptii atque AEthiopes, antea per Iudæos à ſuperſtitionibus ſuis nonnihil auocati fuerunt, plurimum indubiè ad id contulit, vt poſtea Chriſti religio apud has gentes, tam magnificè floruerit. Ordine ſua agit Deus, quos prædeſtinauit,eos & vocat,atque ab vtero cum Paulo ad pietatē ſegregat ſuo donatos Spiritu, cuius etiam dum erroribus ſepulti videntur penitus, non obſcura tamen ſe indicia produt. Sic ergo quū deſtinaſſet Deus bonitatem ſuam magnificè in his gentibus glorificato ſuo Chriſto declarare,dedit illis diu antea,& viuere innocentius, quod de illis hiſtoriæ prædicant. vnde quoque Homerus, ἀμύμονας eos vocauit, Iliad. α:& religionis eſſe ſtudioſiores,omniúmq; diuinarum rerum curioſiores. Hinc faciles primùm Iudæis, inde & Apoſtolis aures præbentes,pietate admiranda facti ſunt illuſtres. Sic contempta mundi eligit Deus, vt ſublimia confundat: ſic declarat ſui tātum muneris eſſe, rectè ſapere,piéq; viuere. Etenim hodie apud AEthiopas Chriſti religionem vigere prædicant. Regem feruntur habere multo potentiſſimum, vt pote duob' & ſexaginta aliis Regibus imperitantem. Eum Gyam,id eſt potentem vocant,noſtri Prætoiannem,quidam inde Preſbyterum Iohannem appellarunt,quanquam nullis ſacris initiatus exiſtat. Vtcunque enim & ceremonias iſti habeant, quas Scriptura ignorat, & fortè plus ſatis vulgò Diuos colāt, dum tamen Chriſtus ex Euangelicis literis Seruator omnium apud eos publicitus prædicatur & colitur: indubiè & multi eorum totos ſe illi fiducia dedunt, eiúſque Spiritu docti,etſi ceremoniis vtātur,non fidunt tamen, atque Deum magis in Diuis,quàm Diuos ipſos venerātur,etſi dicatis illis publicis ceremoniis ex ignorantia adeſſe ſoleant. Non autē hæc dico quòd putem Chriſtianis tolerabiles ceremonias,quibus vel ipſis,vel per eas, creaturis aliis, iuſtificationis aliquid vulgò tribuitur. Nā vt ante omnia quærendum Chriſtianis eſt vt vn' adoretur Chriſtus,ita nō poſſūt non deteſtari,quicquid vel quouis modo ad id ſeruiit, vt illius gloria obſcuraretur,& creaturæ ipſi præferrētur,quanquā ſit etiam in his abolēdis,infirmitatis fratrū, ſed ad ædificationem,ratio habenda:ſed quod ſciam nō obſtate errore publico, vbicunque Chriſti Euangelium publicè prædicatur,multos quoque eſſe verè Chriſtianos, id eſt omnem ſalutē ab vno Chriſto expectantes,omnémque vitam ſuam cōmodis proximorū addicentes, vtcunq; ex ignorātia ſæpè etiam admittant ea, ſiue vtēdo quibuſdā ceremoniis ex ſuperſtitione natis,ſiue etiam quærēdo Diuorū interceſſiones, ob quæ videri poſſint,& iuxta Chriſtum,fidere rebus aliis. Nulla profectò gens eſt apud quam non ſit verus Dei cultus obſcuratus,apud plurimas tamen non penitus extinctus eſt, tenuiſſimis ſcilicet ſcintillis duntaxar relictis. Apud quaſcunq; ſcilicet homo ille peccati Mahometh obtinuit, qui brutali ſua ſuperſtitione cōſpurcauit & pridem perdidit Perſidem,Mediam, Armeniam,Aſiam, Græciam, Meſopotamiam, Syriam, Palæſtinam, Arabiam,AEgyptum,Lybiam,omnémque Africam, quæ tertia orbis pars cenſetur, ſolis ferè AEthiopibus iis exceptis, qui Giæ imperiu agnoſcunt, quos Indos Meridionales hodie quidā vocāt. Quanquam & aliqua huius AEthiopiæ pars, quæ ſcilicet AEgypto vicinor eſt, iniuſtitiæ illius particeps eſt. Apud gētes alias quibus Satā intotū Euāgeliu Chriſti extinquere non potuit,ceremoniis à carne inuentis,& admiratione præpoſtera hominum tam viuentium, & delectu humano ſuper alios euectorum, quàm eorum quos ob pietatem cælo donatos vulgò creditum eſt,obſcurare illud conatus eſt, iuxtáque Chriſtu horrendā idololatriam, & omne er-

Quæ hodie religio apud AEthiopiam quam vulgo Indiam vocāt.

rorum genus inuexit. Sed vbicunque tamẽ, etiam dum ita errorum tenebris omnia cæca eſſent, vox Chriſti ſonuit illic indubiè, & oues eius eam exaudierunt, ſequutæque ſunt, paſcuis vitæ inuentis, quanlibet in multis etiam publicum errorem ſequi viſæ ſint.

11 *In die illo non erubeſces ob ſtudia tua quibuſcunque me offendiſti: quia auferam abs te exultantem ſuperbiam tuã, neque extolles te poſthac in monte ſancto meo.*

12 *Reſiduum faciam in medio tui populum afflictum & pauperem: & ſperabunt in nomine Domini.*

13 *Reliquiæ Iiſrael non facient prauitatem, non loquentur mendacium, & non inuenietur in ore eorum ſermo fraudulẽtus: paſcẽtur enim & cubabunt, nec erit qui exterreat.* Octauo, nono, & decimo verſibus vaticinatus eſt Propheta de cognitione, veróque Dei cultu per orbem ſpargendo: his iam tribus verſibus vitam deſcribit quam germana illa Dei cognitio ſolet parere. Primum omnium eſt, omnis faſt⁹ atque arrogantiæ abdicatio. Nam ante omnia abnegant ſemetipſos quicunque Deum verè agnouerunt: vtque ipſum vnum, bona omnia eſſe certò perſuaſi ſunt, ita toti huc feruntur, vt ſibiipſis diſſimiles, illi autem quàm ſimillimi euadant. Hæc prædicit verſus 11. Proximùm eſt, dũ Sancti ſeipſos exuerunt, vt mundo valedicant, ſtudiáque eius & contemnant & arguant: inde eos ille continuò odit & perſequitur: ſed hinc illi nihil fracti, paupères quidem corã mundo ſunt & afflicti, ſed quia ſpem ſuam in Domino fixam habent, vera interim fœlicitate fruuntur. De his vaticinatur verſus 12. Tertium, eſt ardẽs ſtudium peccati reliquias expurgãdi, id eſt prauos huic naturæ ingenitos affectus reprimendi, vt nemo ſcilicet ſui quicquam quærat, ſed tantum quæ vſui ſunt aliis, vt inde ſumma rerũ omnium conſtet inter illos concòrdia, planéque quoddã cæleſtis vitæ floreat ſpecimẽ. Hæc prænuntiat verſus 13. Iam verbotim iſta percurramus. *In die*, inquit, *illo*, tẽpore vtique quo Dei maieſtas, paſſim per orbem populis omnibus eſt reuelata. Huius diei primũ velut crepuſculũ vel gallicinium potius fuit, quũ vaſtatis Oriẽtis regionibus, & eiectis ſuis ſedibus Iiſraelitis, tum & Ieruſalẽ exciſa, & Iehudah quoque in Babylonem traducto, per diſperſos vtróſque Iiſraelitas & Iudæos, cognitio Dei, & apud Gentes ſpargi cœpta eſt. Propior autem diei huius lux acceſſit, quum & Scripturam ſuam Dominus Gentibus donauit, paſſimque in orbe ſtudium acquirendæ veritatis accẽdit. Quæ omnia, vt ſuperius dictum, à monarchia Nebucbad-nezar cœperunt, & ſuccedente tempore continuò auctiora euaſerunt, donec Chriſto glorificato per Apoſtolos, vera & reſipiſcẽtia, & religio Dei paſſim cœpit omni creaturæ ebuccinari. Tum enim dies hic verè exortus eſt, & iuſtos emiſit radios ſol ille iuſtitiæ, de quo Maleachi vltimo a. 2. Verùm antequã meridies illuxerit (qui tũ erit, quum Chriſtus in maieſtate Patris redierit) ingẽtes & teterrimæ errorũ nubes, radiis illius ſeſe oppoſuerũt. At quanto plus quoque tempore, & quibúſque hominibus lucis huius ſolis affulſit, tãto plus & vitæ quæ hìc deſcribitur, reſplenduit. Filii lucis ſumus, Chriſtum ſolem iuſtitiæ & mũdi lucem fide poſſidentes, quo igitur quiſque fide ipſum poſſidet plenius, tanto minus eſt in illo tenebrarum. In tenebris eatenus quiſque eſt, quatenus peccator eſt: cuius quũ ſit nemo proiſus liber, nemini item adhuc meridies illuxit. Hinc Paul⁹ Rom. 13. d. 12, gloriatur appropinquaſſe diem, iuſtum diem eſſe gloriari minimè auſus. Nam ait, Ἡ νὺξ προέκοψεν, ἡ δὲ ἡμέρα ἤγγικεν, id eſt, nox proceſſit, dies autem acceſſit. Plenus ſiquidem dies eſt, luce mundi Chriſto plenè perfrui, quod in hoc ſeculo nemo non adhuc expectat. Dies itaque de quo Propheta hìc loquitur, dicens, *In die illo*, totum illud temp⁹ eſt, quo cognitio Dei, à qua vna omnis & pietas & fœlicitas prouenit, orbi donari cœpit: cuius primum exordiũ Electis fuit, à diſperſione gentis Iiſraeliticæ: luculẽtius crepuſculũ, quũ imperio Machabæorũ, & Sanctorũ Bibliorum in Gẽtium linguã verſione, paulo amplius Dei cognitio paſſim reuelata eſt: iuſtũ enim mane tẽpus Chriſti eſt: meridies vita futura, occaſũ enim hic dies neſcit. Sequitur, *Nõ erubeſces*. Ieruſchalaim alloquitur ciuitatẽ Sanctorũ: ſed quam Zachariah, cap. 2. b. 4, abſq; muro futurã, & ad quam vniuerſas Gẽtes vẽturas prædixit, 14. c. 16, vniuerſitatẽ ſcilicet omniũ Electorũ, vbicunq; gẽtium habitẽt. Ieruſalẽ, quæ terrena eſt, deſitura erat, recepto regno cælorũ, hoc eſt donata Spiritu, qui vitam docet nullis terrenis addictam ceremoniis, ſed libera dilectione ſeruitutem ad ædificationẽ omnibus. Hæc illa ſterilis, & partus omnis atque parturitionis expers, quam ad exultationem & iubilum Ieſchaiah 54. a. 1, & 2, inuitat, affirmans plures fore liberos deſertæ, quam marito iunctæ: intelligens Eccleſiam Dei multo plures habituram filios, hoc eſt veros Dei adoratores, deſtitutam iam externo illo Ieruſchalaim regno, quàm habuerit, quũ ſuo illic Rege, ceu marito frueretur. Hinc itaque loquitur, Latum deſume locum tentoriis tuis, & cortinæ papilionum tuorum extendantur, produc funiculos tuos, & clauos tuos corrobora. Quoniam ad dexteram & ad ſiniſtram erumpes, & ſemen tuũ Gentes hæreditabit, & ciuitates vaſtatas habitabunt. Ne timeas, quia non erubeſces, & non confunderis, quia opprobrio non afficieris: confuſionis enim adoleſcentiæ tuæ obliuiſceris, & opprobrii viduitatis tuæ non eris poſthac memor. Adoleſcentiam intelligit tempus, quo adhuc abſque Deo erat: viduitatem, quum ſequuta idola, Deum deſeruerat, eóque & ab ipſo deſerta

boſtibus tradita fuerat. Hanc ergo Ieruſchalaim ſuperniam, hoc eſt, ita in cælis fide agentem vt nulli loco in terra propriè addici poſſit, & noſter hic alloquitur, dicens, *Non erubeſces* ob ſtudia tua, quibuſcunque me offendiſti, quia iam donata Spiritu ampliore, nunquam ita me deſeres, nunquam, vt antea, omni tranſeunti te proſtitues, hoc eſt ad quæuis pro auxilio & ſalute reſpicies, nunquam obſtinata in malis tuis, tibi placebis ita vt ſolebas, pudoris omnis & pœnitentiæ neſcia. Tametſi enim & Apoſtolorum tempore, Eccleſia maculas & rugas haud contemnẽdas habuerit, ſitque habitura, dum grauata erit hac carne, in qua nihil boni eſt: nequaquam tamẽ conſcelerata iſta ſtudia, & deprauatiſſima vita (qua veteres grauiſſimè identidem Dominum irritarunt) ab eo quo diſperſi Iiſraelitæ per Gentes exularunt, in populo Dei locum habuerunt. Neque adeò poſtea idolis, omnibúſque aliis ſuperſtitionibus ſeſe polluit: nunquam ita incantatoribus & ariolis acquieuit, boc eſt nunquam deſerto palàm Deo, pro terreno rerum ſucceſſu, quibuſlibet ſe Gentium abominationibus dedidit. Nihil vtique tale de reducibus è Babylone Iudæis legimus. At iam nihil magis impium, nihilque quo Deus æquè offendatur, quàm ita ex profeſſo, quæ ipſius ſolius dona ſunt, à Satanæ figmentis (vti variæ Gentium ſuperſtitiones, atque artes illæ magicæ erant) petere, nempe vitam longæuam, valetudinem proſperam, opes, honores, & id genus alia: ac interim omne innocentiæ ſtudium prorſus abiicere. Porrò iſta non ſolùm reprobi in populo Dei, antequam per Gentes diſpergeretur, admiſerunt, verùm & Electi, id quod ex libris Regum & Chronicorum, præſertim vbi deſcriptæ ſunt ſolennes illæ totius populi cõuerſiones, ſub Chizkiah & Ioſchiah, baudquaquam obſcurè colligitur. Et poſtea quidem peruerſiſſimi in populo fuerunt, quòd vel Phariſæorum atque Pontificum, qui Dominum occiderunt, efferatiſſima rabies teſtata eſt: tum zizania in agro Dominico, boc eſt ſcandala in regno Dei ad finem vſque fore Seruator ipſe prædixit. At Electis filiis Dei, poſt illa diſperſionis Iiſraeliticæ tempora, tantum Diuini Spiritus impartitum ſemper fuit, vt etiam quum maderent nonnunquam flagitiis, nunquam tamen ita, vt ante, palàm Deo ſuo tergum verterunt, à creaturis & manuum ſuarum operibus ea petendo quæ ipſius ſolius dona exiſtunt: nunquam etiam tantopere pudorem omnem abiecerunt, atque caſtigationem reſpuerunt. Verùm hæc Spiritus Diuini in ſancto populo incrementa, qui germanè volet intelligere, certámque rationem eorum quæ de populo Dei, tam Prophetæ quàm Apoſtoli ſcripſerunt, aſſequi, is probè animaduertat, quas Paulus huic ætates, & pietatis gradus, tribuat. Pueritiam, quam tot ceremoniarum pædagogia formari operepretium fuit, tribuit illi dum ſub Moſcheh ageret, Gal. 3.d.23. Sub Chriſto adoleſcentem facit: quia remoto iam pædagogo, ad liberum vbique fidei & dilectionis profectum, donec in virum plenæ & adultæ ætatis Chriſti euadat, illum exhortatur Eph. 4.c.13, negat nos iam ſub Chriſto accipere iterum ſpiritum ſeruitutis ad timorem, quo antea ſcilicet populus Dei actus fuit, quum puer à ſeruo nihil differebat: ſed Spiritum quo agnoſcimur à Deo nos in filios adoptatos, quo, teſtimonium præbente ſpiritui noſtro, certa fiducia Deum inuocemus patrem. Fuit igitur populi Dei puerilis ætas, tempus quo pædagogiæ tot ceremoniarum erat addictus: adoleſcit ſub Chriſto: viri ætatem expectat, dum hoc corruptibile induerit incorruptibilitatem. Senium nunquam, quia finem neſcit vita cæleſtis & Diuina. Infantiam ſi quis requirat, ea fuit, tempus quod ab Abraham vſque Moſcheh fluxit. Primus enim credentium pater Abraham conſtitutus eſt, & ſub eo primùm cœpit ſibi Deus certam familiam, certúmque populum ſeligere. In puerili ergo illa ætate, vt iam ex Paulo adduxi, ſpiritu ſeruitutis ad timorem duntaxat fuit Eccleſia prædita, eo Sancti, tanquam ſerui huc agebantur, vt præſcripta ſibi obſeruarent quidem, haudquaquam tamen rationem cur ita obſeruanda eſſent, agnoſcerent: eóque vt ſine proprio iudicio, ita citra ſingularem amorem & animi voluptatem, non aliter atque pueri initio ad mores decentiores & ſtudia literarum, ſolo ferè timore, nullo proptio ipſorum arbitrio, atque ideo citra vltroneum affectum, impelluntur & aguntur. Id autem de populo boc, non de ſingulis affirmo. Sunt pueri ſic probis ingeniis, vt cum voluptate etiam faciant quæ parentibus grata vident, etiamſi non intelligant cur ita faciendum ſit. Quúmque ex re ipſa quam non intelligunt, nullam queant operis ſui delectationem percipere, ex beneplacito parẽtum eam voluptatem tamen capiunt, vt nihil aliud æquè libeat. Sic fuerunt plerique & apud Iiſraelitas, qui non ſine magna animi propenſione, etiam non intellectas ceremonias obſeruabant, tantum ex eo, quòd ita ſcirent placere Domino, quem vnicè amabant: ſed hi ſelectiores fuerunt. Vulgus optimè tum babuit, quum ſaltem timor Dei & exptectatio promiſſionis eius, in officio eum qualitercunque continebat. A ſeruis enim nihil diſtabant, & ſub pædagogo agebantur magis quàm ducebantur. Hunc quum ordinem in rebus omnibus Dominus obſeruet, vt rudia & inchoata vniuerſa paulatim, & ſucceſſu temporis perficiat, mirum non eſt, eundem & in ſuo populo obſeruaſſe. Quæ namque gens eſt, quæ non olim prorſus inculta, barbara, omníſque ciuilitatis expers fuerit, & multo cum tempore ex agreſti immaníque vita ad humanitatem aliquã

Quos gradus pietas, in populo Dei habuer.

Deus omnia tempore perficit.

exculta ſit atque mitigata? Legat quis, quæ de Germanorum moribus ſcripta reliquerunt Cæſar, & Cor. Tacitus, ac conferat, quibus nunc pollent, & mirabitur, quantum, tempus intelligentiæ, induſtriæ, atque vrbanitatis Germaniæ attulerit. Neq; certè apud Græcos ac Italos, ſtatim ita promiſcuè omnes ſapuerunt, vt præ ſe ferunt ii qui primi apud illos ſcripta ad poſteros trãſmiſerunt. Sapientiæ ſtudium, etiam quũ tota credebatur Græcia, totáque Roma plurimum ſapere, apud paucos certè fuit, nẽpe optimates aliquot, & quos illi ad id fouebant, neque facilè quiſquam illud vel æſtimauit, præter eos, qui planè principes erant, aut à principibus in hoc alerẽtur. Quòd ergo in omnibus gentibus & Sanctis ſingulis, atque adeò in vniuerſis ſuis operibus, Deus ſolitus eſt, temporis ſcilicet ſucceſſu, cœpta & imperfecta prouehere atque perficere, hoc ipſum, & in ſelecto ſuo populo præſtitit, vtcunque illum plurimis ſemper præ omnibus Gentibus prærogatiuis donarit. Id quod nemo profectò dubitauerit, qui præſenti animo legerit, quæ de populo Iſraele, ab eo quòd ex AEgypto educebãtur, Sacræ hiſtoriæ memorãt. An non pluſquam pueriliis ruditas, imò ſanè barbarus quidam ſtupor erat, toties aduerſus Deum, cuius magnifica quotidie ſigna videbant, adeò leuibus de cauſis planè furere? Cui iam tribuemus, quòd tam faciles ad quaſvis, quamlibet abſurdas ſuperſtitiones erant? Certè cuius Dominus toties illas obiurgabat, quòd duræ ceruicis populus eſſet, id nihil aliud quàm indocilis quædam, & brutalis feritas extitit. Quid autem quæſo potuiſſet fingi immanius, quàm quũ decentes adeò & humanas ceremonias à Deo ipſo (cuius vocem audierãt, ignem in quo eis apparuit viderant, aliáque portenta eius innumera experti erant) accepiſſent, huc crudelitatis tamen prolabi, vt contra toties repetitum præceptum Dei, liberos ſuos, carnem ſuam, per ignẽ Molech ſacrificarent? quũ non ſint tam feræ beluæ, quæ non pro ſalute natorum ſuorum, ad mortem vſque dimicent, iã huc crudelitatis, quamlibet feralẽ ſuperantis apud priſcos, & filii Dei prolapſi ſunt. Manaſcheh ſiquidem Rex, quo nemo magis impiè vixit, plures abominationes fecit, impudentius templũ profanauit, plúſq; ſanguinis Prophetarũ fudit, filius tamẽ Dei & ſanctus extitit, vtcũq; in eo ſerò ſe vis electionis Dei exeruerit. Nũquã enim alioqui ex animo ita reſipuiſſet, propterea quod non niſi vocet Deus quos prædeſtinauit. Rom. 8. f. 29. Quis nunc credat ex Electis hunc ſolũ ita potuiſſe inſanire? Proinde fatẽdum eſt, verè puerum multáque preſſum ſtupiditate fuiſſe populũ, dũ Moſcheh pædagogo vſus eſt, ſatiſque benè cum illo geſtum, quũ timore Dei, à manifeſta idololatria coerceretur, & qualicunque à Deo fiducia pendens, ſenſim ad tolerabilem ſaltem humanitatem formaretur. Quoque tenuiore ſpiritu polluit, hoc vtique facilius, in quæque corruptiſſima ſtudia prolapſus eſt, quæ ſanè poſteriores Sancti, vtcunque & in illis nimis craſſus ſæpe lapſus, à carne deſignare licet, interim nequaquam admiſerunt. Caro Sanctis, dum hìc agunt, ſemper adhæret, eóque ſuos quoque fructus idẽtidem profert, quo Sancti admonẽtur, Dei, non ipſorum eſſe quicquid iuſtitiæ & ſalutis habẽt. Cui iam mirum, carnem tum plus potuiſſe, quũ Spiritus fuit infirmior? Infirmiorẽ autem fuiſſe in priſco populo, & Paul' apertè affirmat, & vita illorum plus ſatis teſtata eſt. Nam etſi paucos quoſdam, vt Moſcheh, Iehoſua, Schmuelẽ, atque Dauidem, alióſque Prophetas aliquot, Spiritu ampliore donatos legimus, quàm vel tempore Apoſtolorum, ac hodie multos videmus, id publicum tamen ordinem Dei non inuertit. Sæpe in puerili ætate inuenias, qui plus ſenibus aliquot ſapiãt: ita dum omnino ducibus illi populo, & tanto Spiritu potentioribus, quanto ipſe erat Spiritu infirmior opus eſſet, dedit ei, qui de mandato muneri pares eſſe poſſent, eóque Spiritu potentiore, quàm multi etiam in Chriſtianiſmo, præditos. Quanquam & in his ipſis puerilis ſpiritus ſe non raro prodiderit. Vt alia taceam, annon magnum pueritiæ in illis argumentum fuit, quòd tam anxiè omnes de vita hac, eiúſque proſperitate ſolliciti fuere? Certè qui Deum rectè nouit, & Spiritu donatus eſt paulò adultiore, is præſẽtia omnia ita ad veram fœlicitatem obſtare agnoſcit, vt quamprimum cum Paulo cupiat diſſolui, quò Deo fruatur plenius. At vbi hoc votum fuiſſe & veteribus legimus? Timuerũt Deum, amauerunt, & ſtudioſè præcepta eius obſeruauerũt, denique & inſtaurationem orbis, atque meliorem poſt hanc vitam indubia fide expectarũt: verùm tenuis adeò huius cognitio illis contigerat, vt ferè omnia eorum vota ad præſentia bona ferrentur, longæuam vitam, numeroſam ſobolem, rerum omnium ſucceſſum, victoriã contra hoſtes, & id genus alia. Hæc enim illis Deus continuò promittebat, id quod catalogus ille benedictionum, 3. Moſcheh 26, & 5. cap. 38, abundè teſtatur, tum & quæ Abrahæ & Dauidi promiſſa legimus. Sed ita duci, & allici conueniebat pueros, ſicut & eiuſdem generis minis coerceri. Euangelii populus cæleſtibus & æternis, vt Spiritu adultior, promiſſis inuitatur, pœnis tamen nonniſi tẽporariis coercetur, quòd Electos in vitam, æterna illa gehenna contingere nequeat. Memoratur hæc quidem ſubinde, vt & alia impiorum mala: ſed in hoc, vt ſicut electi illam in reprobis horrent, ita & à ſtudiis eorum ſtudeant eſſe quàm alieniſſimi, non autem vt & ſibi eam metuant, Chriſto enim nequaquam verè crederent, niſi ſe redemptos à gehẽna, certò perſuaſi eſſent. Ex his iam liquere puto, quemadmo-

dum populus Dei ante ſui diſperſioné prorſus puer erat, puerilique, hoc eſt infirmo ſpiritu donatus, ita mirum haudquaquam eſſe, iis ſtudiis fuiſſe obnoxium, & in ea ſcelera prolapſum quibus nunquam poſtea ſeſe dediderit. Graui quidem nimis oborto regno ceremoniarum, idololatria paſſim regnauit, & etiamnum apud omnes ferè nationes Chriſti nomen agnoſcentes, regnat: nuſquã tamen ita Sancti ſtupent & bruteſcunt, vt primi ſæpe in priſco populo ſtupuerũt, atque obrutuerũt, pluſquam ferales ſcilicet ſuperſtitiones amplexi. Sẽper inuenias, etiam apud ſimpliciſſimos ac rudiſſimos Sanctos, quos ſi externam eorum religionem conſideres, iurares nihil niſi idololatras eſſe, ſacrã ſalutis anchoram Chriſtum eſſe, primùmque eorum ſtudium, in iuuandis proximis inſumi, quanlibet ex errore pluſquam anxii, & circa humanitus inuẽtas ceremonias, vt ambiendas Diuorum interceſſiones, tum reſtinguendum purgatorium, & idgen' alia occupentur. Proinde ſtudia quibus Ieruſchalaim contra Dominum præuaricata fuerat, & iam futurum Propheta prædicit vt eorum poſthac illam nequaquã pudeat ideo indubiè quòd eis deinceps non eſſet futura obnoxia, fuerunt confeſſæ illæ & horrendæ abominationes variarum & pluſquam feralium ſuperſtitionum: tum & duriſſima illa ceruix, quæ nullis vel beneficiis vel pœnis flecti potuit: frons ænea, cui nullis vel Prophetarum monitionibus, vel portentis etiam, pudor potuit incuti: denique intolerabilis faſtus & arrogantia, quibus ſibi in tam execrãdis abominationibus etiam placuit. Hæc vtique ſtudia, & manifeſtæ huiuſmodi à Deo defectiones, ab ortu diei ſalutis (de quo iam memini, qui tum initium cepit quum Dei cœpit cognitio paſſim reuelari) locum in populo Dei, veráque Ieruſchalaim nunquam habuerunt, ideo neque cauſa eſſe potuit vt ob illa erubeſceret. Condonata nanque illi præterita omnia fuerunt. Cauſã verò eius, quòd non ſit poſthac admiſſura Ieruſchalaim priora ſcelera, hãc Dominus ſubiicit, *Quia auferam*, inquit *abs te exultationes ſuperbiæ, neque poſthac extolles te in monte ſancto meo.* Quum enim nihil ſit in nobis boni, ſintq; ad malum prona omnia noſtra ſtudia, placere ſibi, animos tollere, manifeſtum ſemper Dei contemptum coniunctum habet. Hinc vt Nineueh ſuperius, ita omnib' impiis Prophetæ in primis obiiciũt arrogantiã & exultanté faſtũ. Plus nimio eſt, Deo non eſſe morigerũ: iam id adeò nõ agnoſcere, vt ſuperbias etiã atque exultes, quid aliud eſt quàm manifeſta quædam Dei negatio, & tui cũ Deo adæquatio? id quod ipſi Nebuchad-nezar exprobrat Ieſchaiah, 14.d.13. Quid enim aliud eſt Deũ eſſe, quàm ſibiipſi ſatis eſſe, & ſuis bonis gaudere? Dũ ergo Dominus promittit ſaniora fore Ieruſchalaim ſtudia, & eiuſmodi quorum eam non pudeat rectè vt cauſam huius, promittit ablaturũ ſe ab illa exultationes ſuperbiæ illius, ne ſe poſthac in monte ſancto ſuo extollat. Id autem præſtitit dum Sanctis (qui vbi vbi agãt, viui veræ Ieruſchalaim lapides ſunt, & veri ciues) ſua oſtẽdit peccata, & reſipiſcentiæ reddit ſtudioſos. Vnde etenim inuiſa illa Deo exultatio, quàm ex ſuperbia, qua ſibiipſis homines præter omné cauſam placent? Hæc ergo ſi tolli debeat, noſtra nobis mala oſtendat Deus oportet. Id quum facit, iam afflictos & pauperes reddit, ſed eiuſmodi qualium Seruator dixit eſſe regnum cælorum: eóque beatos pronuntiauit, quibus & peculiariter euangelizator ipſe aduenit. De his itaque verſu
12, Dominus per Prophetã ait, *Reſiduum faciam in te populum afflictum & pauperem*, qui nimirũ vt ſibiipſi ex animo diſplicet, ita omnia mundi abdicat, Domino ſeſe penitus conſecrat. vnde ſequitur, *Et ſperabunt in nomine Iehouæ*: hoc eſt toti pendebunt à bonitate virtutéque Domini. Dum enim ſibiipſis viluerunt, & tanquam pauperes & miſeri, cum ſibiipſis, tum mundo facti ſunt, habere eos neceſſe eſt vnde viuant, & ſalutem expectent: id tum eſt nomen Domini, benignitas & potẽtia Domini. Huic ita fidunt, atque nituntur, vt Dei (à quo omnia ſibi pollicentur) amore mirum in modum exardeſcant, indéque totis viribus gloriam eius inuito mundo prædicare incipiant: eo tum illius inuidia & odio ita ſeſe onerãt, vt ſiquis externa illorum conſideret, iuret omnium miſerrimos, atque maximè inopes eſſe, vtpote quibus igni & aqua paſſim interdicatur, quos ſæpe & coniunctiſſimi ad necem vſque perſequantur. Quanquam autem non omnes filii Dei iſta reipſa experiantur, animis ſunt tamen ſinguli ad ea parati: & hactenus afflicti quòd peccata, tũ ſua, tum aliorum, nunquam non lugent, & externa quoque cruce haud vnquam carent. Sic viuitur in monte ſancto Domini, qui non eſt Siion illa terreſtris: quæ ideo tantum mons ſanctus Domini dicta fuit, quòd ſancti Dei in illa habitarent. In cordibus ſiquidem electorum, non in templis manu factis, aut montibus, in quibus illa ſita ſunt, habitat Deus. Quum igitur corda Domino credentia per vniuerſum orbem pridem ſparſa fuerint, mons etiam hic ſanctus ad fines vſque terræ extenſus eſt. Obſeruãda verò antitheſis eſt in eo quod ait, *Ne extollas te in monte ſancto meo.* Quia enim apud illos habitare Deus delegerat, ſibique inde Ieruſalaim ſanctificauerat, ipſum vtique omnes quamſupplicisſimè agnoſcere Dominum, & adorare Deum debuerant: multóque grauius fuit, quòd ſuperbientes in malis ſuis exultabãt, quàm ſi Deum non ita præſentem habuiſſent. Id & nos animaduertamus, agnoſcentes omnia noſtra Deo eſſe dicata, ſanctam eſſe terram quácunque contingimus: quia vbique nobis Deus loquitur, & mirabilia ſua

oſtēdit. Omnia dicata ipſi cogitemus, vt vbique in timore eius verſemur, ſollicitè dantes operā neqnid admittamus quod ad gloriam ipſius nō faciat. Vbique eſt locus dominationis Dei, vbique beneficiis ipſius fruimur: vbique igitur eum adoremus in ſpiritu & veritate, hoc eſt vniuerſa & dicta & facta noſtra ad illuſtrationē nominis eius ſedulò inſtituamus. Neq; id prætereundum quod Dominus ait, *Reſiduum faciam, &c.* Non enim omnium fides eſt: & vocati quidem multi pauci autē electi ſūt. Vnde & Ieſcha. 10. c. 28, Reſiduum reuertetur, reſiduum Iacob ad Deum fortem. Etſi enim ſit populus tuus vt arena maris, reſiduum in illo reuertetur: conſumptio acciſa, id eſt attritæ, atque ferè conſumptæ reliquiæ, inundabunt iuſtitiam, dum & Gentes veræ religionis fermēto, vbique inficiēt. Hinc & Zachariab 13. d. 20, dixit tertiam tantum in terra partē Dominū eſſe aſſumpturū, cui probatæ per ignē, vti probatur argentū: & exploratæ, vt explotatur aurum, dicturus ſit, Popule meus: & illa viciſſim ei, Domine Deus meus. Porrò de reliquiis ex populo Iſraele ſeruādis, Sanctorúmque delectu, paſſim Prophetæ vaticinati ſunt. Ex eo, qui obſeruans eſt operum Domini, facilè videbit quàm certū ſit quod Paulus præclarè & ſublimiter, vt omnia, alia gratiæ, alia vaſa iræ facit: omniáque liberæ Dei, ſed eidem æternæ & immutabili electioni tribuit. Duo filii erāt primo homini, & alter reiicitur, alter aſſumitur. Noah duos habet benedictionis participes, tertius deuouetur: & alterius tantum ex duobus illis quibus pater benedixit, poſteritas pauculos Dei cultores dedit, domum ſcilicet Abrahæ, reliquis à vero Dei cultu abalienatis. tum & Abrahæ quum duo filii nati eſſent, alteri benedictionis ſucceſſio cōtigit, alter eiectus eſt domo paterna. Sic & Iaacob dilectus fuit, & odio habitus Eſau, priuſquā eſſent editi in lucem. Deinde duodecim tribus quū aliquandiu pariter coluiſſent Dominū, decem defecerunt, duabus reliquis vtcunque Domino adhærentibus. Pòſt & his reiectis, orta luce Euangelii, reliquiæ ex omnibus Iſraelitis pertenues ſelectæ ſunt, quæ ſcilicet iuſtitiam inundarunt per orbem, prædicato vbique Euangelio regni cælorum. Ad quod ipſum plurimi quidē venerunt, & etiamnū hodie veniunt: eiiciētur tamen rurſus, ſed in fine mundi, non pauci, quotquot veſte tantis nuptiis digna non fuerint decorati, qui zizania ſcilicet ſunt in agro Dominico, & putres piſces in reti Euangelico: vnde & Seruator de ſegregandis hœdis in extremo iudicio ab ouibus prædixit. Hæc perpendant qui ſunt veritatis amantes, dúmque eorum ſpiritus, Diuini Spiritus teſtimonium percepit quòd filii Dei ſint, dum amant Dominum, & viuere illi cupiunt (quod eis nonniſi à certa Diuinæ electionis arrha, vnctione ſalutis Spiritu vitæ venit) gratias agant Domino quòd dignatus ſit ipſos vaſa conſtituere gratiæ, in quibus bonitatis ſuæ gloriam illuſtret: diligēter ineffabilem Dei erga ſe dignationem expendant, quo redditus in eis amor Dei flagrantior, & peccata exurat, & iuſtitiam promoueat. non velint verò ingrati adeò eſſe huic incomparabili Dei erga ſe dignationi, vt eam & reprobis faciant communem. Peccāt illi in Spiritum ſanctum tandem omnes, quod remitti eis nunquam poteſt. Id pronuntiauit cui Pater omne iudicium dedit. Mittant igitur Catabaptiſtas, mittant omnes qui diuerſum adſerere audent. Satanæ vis eſt quæ eos exagitat, quo fidei vnicā anchorā electionis Diuinæ certitudinem ſubuertat, & pro Chriſti Spiritu, liberum arbitrium reſtituat: denique efficiat vt ſubmoto vno & vero Chriſto, quiſque ſibiipſi Chriſtus, id eſt ſeruator eſſe fruſtra conetur. Certus ſum de aliis dogmatis, quàm vt continuò fides erga Deum, & dilectio erga proximum in omnibus incrementa accipiant, & præſertim de tam inſolentibus, & præter ea quæ dixi, vnum hoc efficiētibus vt carnales homines tanto ſecurius in flagitiis ſuis perſeuerent, eſſe curioſos, inſigni Satanæ aſtu haudquaquam vacare. Sentiamus ergo quæ videmus ſenſiſſe Chriſtum Dominum noſtrū, vt quæ noſtra ſunt, in nobis iugiter imminuātur, augeſcant autem quæ ſunt Dei. Sequitur,

13 *Reliquiæ Iſrael non facient prauitatem.* Superioribus duobus verſibus, de reſtitutione interni hominis Propheta vaticinatus eſt: in præſenti iam & externi inſtaurationē prædicit ſitam in officiis ſinceræ dilectionis. Conditi in hoc ſiquidem ſumus vt non nobis, ſed proximo viuamus: verum ita deprauatum eſt ingenium noſtrum, vt vbique noſtra tantum quæramus. Totis igitur in hoc incumbendum eſt viribus, vt peccati in nobis, hoc eſt amoris noſtri reliquias continuò repurgemus. Neque enim alia eſt ſalus noſtra, quàm Chriſto conformes, hoc eſt totos per dilectionem proximis eſſe deditos, in quo & Lex omnis perficitur, Deíque in nobis opus cōſummatur, & imago eius reſtituitur. Huc ergo pro viribus enituntur Sancti: idque eſt quod hîc Vates de eis prædicit, *Reliquiæ Iſrael,* hoc eſt qui ex omnibus Gētibus ſelecti, in Deum verè ſperabūt, non facient iniquitatem: quia benè mereri de omnibus, lædere neminem toto pectore ſtudēt. Sicut enim omnis iuſtitia eſt, per dilectionem ſeruire proximo (omnis enim Lex in vno hoc verbo impletur) ita omnis prauitas atque iniquitas in eo deſignatur, quum proximus læditur. De hac iniquitate & prauitate Vatem loqui, ſequentia indicant, *Non loquentur mendacium, & non inuenietur in ore eorum lingua fraudis.* Etenim quæ iuſtitia erga Deum præſtāda eſt, in ſuperioribus eſt deſcripta: ſita enim ea eſt in abnegatione noſtri, & fiducia in Deum, vt dictum eſt. Paſſim autē de iuſtis

hæc Scriptura prædicat, quòd dolo & fraude vacāt, & ex veritate atque æquitate cum proximo agunt. Ecquid præſtabilius, magíſque Diuinum quàm animus candidus & verus erga omnes, qui nunquam aliud verbis ſimulet, aliud in penetralibus ſuis recōdat? Quotumquenque etiam credas eſſe qui omnia ex vero animo cum proximis agat? Certè eum quiſquis fuerit, neceſſe eſt nihil prorſus ſui quærere. At qui id nō ſtudēt pro viribus, neque de populo Dei cenſendi ſunt, locum in generatione quærentium Dominum nullum habēt, neque in monte Domini aſcendēt, Pſal. 15.a.1, & 24.b.6. Iſta rectè iam ſequitur, *Quoniam ipſi paſcentur, & accubabunt, nec erit qui exterreat.* Dum enim Sancti ſpe toti pendēt à Deo, parati ferre quæuis, nemo eos quidem exterrere poteſt, certos ſibi nihil poſſe accidere quod ſalutem ipſis non promoueat. Sic viciſſim dum omnibus benefacere curāt, nulli moleſti, nemo quoque terretur ab eis. Itaque ſecuri omnium, paſcuis ſuis, hoc eſt ineffabili Dei erga ipſos benignitate, ex rebus omnibus eis effuſiſſimè affluente, iugi cū gaudio perfruūtur. Nemo verò aliā ſecuritatem aut tranquillitatem hic expectet, quū Chriſtus dixerit, in mundo ſuos preſſuram habituros. Tum vera requies atque refocillatio cōtingit, quū illius iugum in humeros ſuſtulerimus, Matth. 11.d.30, hoc eſt quū nos ipſius Spiritui commiſerimus totos. Et quicquid externæ vnquam tranquillitatis & ſecuritatis Sanctis contigit, aut hodie contingit, vmbra tantum eius eſt qua perfruitur homo internus, & fide cōſtat, qua ſine nihil non eſt turbulentum, nihil non anxietate & terroribus plenum: vtcunque id homines ſeculi huius, ſtupētes ſcilicet ob voluptates & negotia carnis, interdum non ſentiant. Sed de his & inferius quædam. Valde enim redemptionem per Chriſtū partam, atque adeò gloriam Chriſti obſcurare videtur, terrenam adhuc cum Iudæis rerum fœlicitatē expectare. Obſeruandum & id, quòd prædicens Vates reliquias Iſraelis paſturas, & accubituras, ad allegoriam ouium reſpexit. Qui enim non tutæ & ſecuræ agerent, ſuíſque paſcuis fœliciter perfruerenrur oues, quibus Chriſtus paſtor contigit? Mittuntur enim oues huiuſmodi in medium luporum, & nihilominus illæſæ manēt. De hoc paſtore, & ouiū ſub ipſo fœlicitate, Iechezkel 34.c.10, multis vaticinatus eſt: ipſe quoque Dominus, Iohan. 10.b.11, magnifica eiſdē promiſit. Poſtremò animaduertenda Scripturæ phraſis & in eo eſt, quòd Sanctos ait non facturos prauitatem, non loquuturos mendacium, &c. neque enim hoc ita (vt Iudæi & Catabaptiſtæ quidam intelligūt) accipiendum eſt, quaſi vnquā hic futurum ſit, quod fruſtra Iudæi expectāt, vt Sancti prorſus abſque omni peccato viuāt: neque certè id cuiquam datum eſt, quod (arrogātius neſcio, an ſtultius) Catabaptiſtarum quidam ſumunt. Hi quidem de Prophetarū phraſi nihil ſolliciti, ex eo quod Iohannes in Epiſtola ſua prima, cap. 3.b 8, ſcripſit, Qui facit peccatum, ex diabolo eſt. Item, Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen eius in ipſo manet: & non poteſt peccare, quia natus ex Deo eſt. *Anabaptiſtæ cathari.* Ex hoc inquam loco, contendunt neminem Chriſtianum eſſe qui peccet, & ſe conſtanrer peccare negāt: ſentire quidem ſe agnoſcunt affectus peccati, ſed Spiritum aiunt illos reprimere nequid delinquant. Egoipſe primarium inter illos bis audiui hæc de ſe iactantē: (ſemel enim datū eſt cum eo de his diſſerere) quúmque obiecíſſem illud precationis Dominicæ, Dimitte nobis debita noſtra: reſpondebat eam precationem Apoſtolis datam ante perceptum Spiritum ſanctum: atque negauit poſtea ſic Apoſtolos oraſſe: nec ſe ita orare poſſe, quia mentiri non poſſet, eo quòd nullius peccati eſſet ſibiipſi cōſcius. Hæc Chriſtum teſtor, me ita audiſſe & Bernæ & hîc Argētinæ. Vtrique colloquio graues admodum teſtes affuere, Bernæ totus Senatus, & quos Diacoſios vocāt, vnà cum multis fidiſſimis & honorandis verbi Dei præconibus: hîc etiam ex Senatu duo adfuere, & vnus ex Symmyſtis. Hæc ideo narro, vt videant fratres quò præcipitet illos Dominus qui ob externa iſta, ſchiſmata ſuſcitāt, & ſanctam Eccleſiam cōtemnunt. Nominaui autē teſtes, quòd plerique ſimplicitatis ſpecie, ac Phariſaica grauitate (quā quidam ex hoc hominum genere præ ſe ferunt) ita moueantur, vt nemini quicquam de iſtorū erroribus, ac etiam ſceleribus palàm admiſſis, credere ſuſtineant: non animaduertentes quid ſit Satanam transfigurari in Angelum lucis, & eius apoſtolos irr Apoſtolos Chriſti: tum quantam hypocriſim eſſe oportuerit pſeudoapoſtolorum, qui totam Aſiam à Paulo tam incomparabili Apoſtolo alienarūt. Fateor autē liberter, multos innocētes & charos Dei filios in horū ſectā ſeduci, qui eo illecti quòd eorum anteſignani (qui tamen aut meri ventres ſunt, aut incredibili vi Satanæ rotati, prorſus fanatici) puram, & ad primæ exemplum, Eccleſiam pollicentur, dum à cōmuni eorum qui Chriſtum confitentur, cœtu, in priuatam ſuam factionem anabaptiſmo, vel potius catabaptiſmo ſeducunt. Hos innocentiores nō tā notare, neque grauare inde volo, quàm ſeductorum, & verè pſeudoprophetarum huius factionis, multis iam populis certò cognitos errores, & manifeſtò deprehenſa ſcelera (quæ plurima iam, ac auditu etiam horrenda quidā eorū in agro Tigurino, oppido ſancti Galli, pago Abbacellenſium admiſerunt) detego. Compertum etiam habeo, apud Morauos quendā illorum ducem, qui Auguſtæ poſtea crematus eſt, Chriſti Diuinitatē palàm negaſſe, & ſuos docuiſſe, fore vt ipſi impios terræ perderent: ac nonnulla alia

æquè pernicioſa dogmata. Miſeret me, vt par eſt, eorum quos iſtiuſmodi indubitati ſatanæ apoſtoli, non dicendis erroribus illaqueant: vrit ſcandalum, quo Euangelion, plus quàm credibile ſit, remorantur & obſcurãt. Ideo detractam illis perſonam maximopere velim: & vel eò perpellere quicunque Chriſti ſunt, ne violenta eorum hypocriſi, & tumidis atque monſtroſis verbis (ob quæ plus quàm Chriſtos & Paulos ſe videri volũt) ſtupefacti, ſpiritus illorum explorare negligant, & dogmata non probè explorata recipiant. Dominus qui abſcondita nouit cordiũ, non ſit mihi propitius, ſiquid vel affingo, vel ſupra iuſtum exaggero, ac etiam ſi vel tantillum contra hoc hominum genus, alia quàm gloriæ ipſius cauſa, egero, dixero, aut ſcripſero. Dominus quidem ſtatuit, per iſtos Eccleſiam ſuam probare. vt autem væ illi Dominus dixit, qui ſcãdala ſerit, ita & is iram eius haudquaquam effugiet, quiſquis ſcãdalis pro viribus ceſſarit occurrere. Sed redeamus ad noſtra. Vt ergo ſit & Iudæis quod reſpondeamus, hinc Chriſtum nondũ veniſſe, volentibus euincere, quòd eas Iiſraelis reliquias, quæ nullam admittant prauitatem, nullum loquantur mendacium, nondum videant: & ſit item quo refutentur Catabaptiſtæ, qui contendunt modò tales eſſe quicunque Chriſti ſunt, nec Chriſti eſſe qui tales nõ ſint: obſeruãdum, Facere hic & Loqui, pro ſtudio faciendi & loquendi accipi: vt quod ait, *Non facient prauitatem*, idem ſit acſi dixiſſet, ſtudebit ne faciat prauitatem. & Non loquetur mendaciũ, idem quod, ſtudebit ne quid mentiatur Facit peccatum, id eſt peccato ſtudet. Hanc autem interpretationem, non meã, ſed Scripturæ eſſe, cũ ex præſenti, tum innumeris aliis locis manifeſtò probatur. Hìc ſanè, Nõ facere iniquitatem, non loqui mendacium, populo afflicto & pauperi, ſed qui in Dominum ſperet, Propheta tribuit: ergo Sãctis Eccleſiæ Chriſti, in hac vita. Ii iam dicunt cum Iohãne, Si diximus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis nõ eſt. Et cum Paulo confitentur in carne ſua nihil boni eſſe: eóque mente quidẽ ſeruire Legi Dei, carne autẽ legi peccati, Rom. 7. d. 25. Igitur neq; Propheta, neq; Iohãnes ita negauit Sãctos facere prauitatẽ, atque peccatũ, quòd prorſus nulla in re delinquant, ſed quòd nequeant mente peccatũ facere, hoc eſt, prorſus peccatis faciendis dedití eſſe, id quod nati ex diabolo ſolent. Eſt enim (vt dixi) peccatum facere, peccatis ſtudere, & iniquitati eſſe addictum. Admittunt ſubinde peccatum Sancti: at non eſt hoc eorum ſtudium, ſed lapſus quidam. Vnde mox eos Spiritus Chriſti erigit, qui & Petrum ad amaras lachrymas compulit. Hæc Chriſtianis ſatis erunt: ſciunt enim ſemẽ Dei eſſe Spiritũ Chriſti, qui apud Electos, & ex Deo natos manet. Is cõtra peccatum perpetuo dimicat: cauétque ne illi ſe Sancti totos dedant: at vt non aliquando labantur, non eſt vitæ præſentis. Iudæos rogemus, quid ſit facere Legem, & præcepta, iudicium & iuſtitiam: quod vt paſſim in Scriptura à populo Dei exigitur, ita de multis quoque prædicatur quòd iam illud præſtiterint. De Ioſchiiah legimus quòd fecerit quod rectum eſt in conſpectu Domini, reuerſúſque ſit ad ipſum omni corde ſuo, & omni anima ſua, & vniuerſa virtute ſua, iuxta omnem Legem Moſcheh. Annon huic Scriptura tribuerit, quòd prauitatem nõ fecerit, & mendacium non ſit loquutus? Etenim qui ex toto corde, ex tota anima, & tota virtute ad Deum reuertitur, obſeruátque Legẽm Moſcheh: is profecto nihil prorſus mali cõmittit. Ioſchiiah autem multa & dixit & fecit quæ recta non fuere, ſaltẽ illud, quòd regis AEgypti ſermonibus ex ore Dei nõ acquieuit pacẽ offerẽtib', 2. Chron. 35. d. 22. Ex hoc igitur, & ſimilibus locis, ſatis ei qui nollet eſſe cõtentioſus colligitur, facere Legẽ, facere iuſtitiam, non aliud in Scripturis ſignificare, quàm incumbere Legi Dei, ſtudere iuſtitiæ. Ita, non facere prauitatem, horrere prauitatem, dare operam nequã cõmittas: interim tamẽ caro ſuos ſubinde fruct' ædet. Sed nihil erit ob hoc dãnationis iis qui ſunt in Chriſto Ieſu. Ro. 8. a. 1.

Math. 18. a. 7

Quid facere peccatum & prauitatem

1. Iohan. 1. d. 8

Math. 26. g. 75

14 *Cane filia Tziion, iubila Iiſrael: lætare, & exulta in toto corde filia Ieruſchalaim.*

15 *Abſtulit Dominus mala quæ tibi immiſerat, auertit inimicos tuos: rex Iiſrael, Dominus, in medio tui, non timebis deinceps malum.* Commodùm poſt deſcriptam populi Dei pietatem & innocentiam, de fœlicitate eius Propheta vaticinatur. Ieruſalaim illum, pro ſuo & omnium Prophetarum more, appellat: propterea quòd in hac vrbe, peculiarẽ ſibi ſedem delegerat Dominus, neq; per Prophetas ſolum, ſed & per Filiũ ſelectóſque Apoſtolos, nomen ſuũ in ea celebrari fecit: eóque non modò externum templum, externúmque cultum, ſed verum quoque & æternum, cũ templum tum cultum, hoc eſt veram, Sanctorum & Eccleſiam & religionem in ea inſtituit, atque ex ea in vniuerſum orbem deriuauit. Non inepte igitur, quum Prophetarum tempore, Ieruſalaim ſola in vniuerſo orbe, Dei ciuitas eſſet, ſimúlque expectaretur vt ex ea Euangelion ſalutis ad omnes Gẽtes dimanaret: eius nomine, Eccleſia Sanctorum ab illis vocata eſt. Hanc autem Electorum cõcionem, ſpiritu in vnum collectam, corporibus autem quàm latè orbis patet, diſperſam, & non illã Paleſtinæ ciuitatem, hoc nomine à ſanctis Vatibus deſignatam, inter alia multa, quibus id non contentioſis, abundè probatur, vel illud plus ſatis manifeſtũ facit quod Ieſchaiah 2, & Zachariah vltimo, omnes Gentes ad illam vẽturas prædixerunt. Sed Chriſtianis, & iis qui Prophetis legendis volent ſtudio aliquo incumbere, non Iudæis, iſta ſcribimus: illis ipſa Prophetarum dili-

Quid nomine Ieruſalaim ſignificetur.

gens lectio fidem huius faciet. Cum Iudæis fruſtra omnia egeris, ſi fiduciam generis, atque præpoſteram ceremoniarum admirationem, nō ante omnia ex animo eis ſubmoueris: id quod perdifficile, & apud paucos effeceris: quandoquidem tempus cæcitatis illorum nondum finem acceperit. Ieruſalaim ergo, ciuitatem Sanctorum, vbicunque illi agant, Vates, poſtquam prædixit ſubmota omni arrogantia, & cruce ſuſcepta, confiſuram Domino, & nihil mali admiſſuram, in hunc modum alloquitur, *Cane filia Tziion, iubila Iiſrael, &c.* Multis verbis ad lætitiam & exultationem, & eam quidem maiorem quàm animus capere queat, ſed quæ erumpat in canticum & iubilum, inuitat: volens eo fœlicitatis, qua conuerſa ad Dominum fruitura erat, æſtimationem electis augere: quæ vtique maior infinito eſt, quàm mens queat hominis cogitatione complecti. Hinc qui eā vel aliquatenus deguſtarit, toto iam corde gaudet, toto animo exultat: neſcitque ſibi gaudere, erumpit in cantum, neque eum ſolum, ſed & iubilum, vocē maioris qoàm verbis explicari poſſit, lætitiæ teſtem. Hinc certè Paulus ſemper fidei & Spiritus fructum, gaudium facit: & ad gaudium vbique, atque id perpetuum, hortatur. Vt enim ob peccata cum propria, tū aliorum lugendum eſt (quum tamen extra omnem comparationem, plus à benignitate Dei boni expectetur, & iam percipiatur, quàm mali ab vllis peccatis) debet etiam incomparabiliter maior eſſe, de Domini bonitate, tā in nos, quàm alios, gaudiū, quàm ſit de vllis peccatis dolor & luctus.

15 verſu eandem populi Dei fœlicitatē, ex eorū quæ paſſi erant cōmemoratione, ac velut antitheſi quadā, commendat Vates, atque extollit, *Abſtulit*, inquit, *Dominus, quæ tibi mala immiſerat.* Hebraicè ad verbum habetur, *iudicia tua.* Sic vocat Dominus quæ meritis Iudæis, iuſto iudicio, mala immiſerat. Eodem loquendi modo Iechez. 14. g. 20, vocat quatuor mala, iudicia: gladium, famem, nocentes beſtias, & peſtilentiam. Vt verò ſubindicaret Vates, quas de Ieruſalaim Dominus pœnas ſumpſerat, ex vero & æquo iudicio ſumpſiſſe, iudicia illas potius, quàm alio nomine vocaſſe videtur. Adiicit, *Auertit hoſtes tuos.* per hos enim iudicia ſua, id eſt merita, atque iuſtò ſibi iudicio decreta mala Ieruſalaim præcipuè acceperat. Ex his verò animaduertendum, nihil nos niſi iudicia, id eſt probè merita mala, pati: eáque neminem poſſe auferre, niſi qui & immittit ea Dominus. idem hoſtes nobis excitat, & rurſum tollit. Quæ omnia vidētur captu, ac creditu facillima: ſed ô Deus, quotus quiſque eſt qui ea verè cepit, ſolidéque credidit? Etenim cui datum fuerit, hæc fide percipere, is nulli vnquam offendetur ſe lædenti, nulla ob mala vnquam frangetur. *Quæ vera animi tolerantia.* Huiuſmodi autem hominum quantus quæſo hodie prouentus, vtcunque Euangelion paſſim iactemus omnes, vtcunque etiam iam multi vulgarem eorum Eccleſiam qui dicto vale traditionibus humanis, puro Euangelio ſeſe dediderunt, tanquam impuriorem, & ſibi non ſatis mortuā, abhorreāt, atque ob id anabaptiſmo, nouam ſe iactant Eccleſiam, ruga & macula carentem, colligere: Nā ſatis non eſt dicere, Fero iſta, hæc debentur mihi, gratias ago Domino, ita mea & Chriſtianorum omnium ſors eſt, noſtrum eſt crucem ferre, & idgenus alia, tolerantiam iactantia potius quàm probantia verba ingeminare. Cor per omnia placidū, & nemini ob quamlibet iniuriam vel pilo iniquius quàm ſit ſummè beneficis, Deus requirit. Hoc vbi eſt, nō iis quæ dixi verbis, multo minus quibus inceſſuntur ii qui crucis creduntur cauſam dediſſe, ſed ſummo de his quæ patimur ſilentio, tum verbis & factis quæ ſolidam declarant erga quoſlibet beneuolentiā, tolerantiam teſtabimur. Vtinā agnoſceremus omnes quàm latēs ſit malū hypocriſis, quámque raro id eſſe vel inceperimus, ad cuius ſummū ſæpe perueniſſe & nobiſipſis videmur, nedum conamur perſuadere aliis. Sed ſi probè perpenderemus quæ ſit vera animi tranquillitas, quod gaudium ſpiritus, quæ in cruce gloriatio, tum & quod germanæ dilectionis ingenium: facile peruideremus, plurimum adhuc nobis omnibus ad veram tolerantiam deeſſe. Sequitur, *Rex Iiſrael, Dominus in medio tui, non timebis deinceps malum.* His ſummauit Vates, ac velut vno verbo, omnem populi Dei fœlicitatem expreſſit. Quid enim vel boni deeſſet, vel mali adeſſet, vbi ex Iiſrael Dominus adeſt fons & author bonorum omnium? Certè diligentibus Deum cooperantur in bonum vniuerſa. Rom. 8. e. 28. Et boni nihil deficit timentes Dominum, Pſal. 34. b. 11. Etſi enim quotidie adhuc peccent Sancti, atque ob id ſua iudicia perferant, vt Corinthii peſtem: quo tamē ampliore ſpiritu donati ſunt (cuius beneficio & rarius, leuiúſque, vt ſuperius dixi, peccant, & rationē Diuini iudicii melius edocti, peccatorū pœnas æquanimius ferunt) hoc certè minus quoque experiūtur malorum. Cui autem anguſtiora videntur quæ vt hic Propheta noſter, & alii de Ieruſalaim fœlicitate prædixerunt, quàm Eccleſiā Dei adhuc percepiſſe videat: is cogitet, Prophetas totum diem Domini, atque ideo & meridiem (de quo ſuperius) vaticiniis ſuis complecti, atque ſicut in tempora regni Chriſti præſentis, ita & futuri excurrere. Chriſtus dicit in ſe credētes de morte ad vitam tranſiſſe, iámque vitam æternam habere: & tamen peccatis & malis multis, etiam primi credentium ſunt obnoxii. Quis ergo miretur & Prophetam de Ieruſalaim prædicere, fore vt mali nihil amplius metuat, quanlibet ciues eius inſtar ſint ouium mactationi deſtinatarum, neque externis ſolum, verum & internis malis premātur? Effari certè non poteſt,

Eccleſiā Chriſti percipere quæcunque populo Dei in Prophetis promiſſa leguntur quamuis quædam in hoc ſeculo ita compleri poſſunt.

imò ne cogitari quidem quæ Domino deditos bona manent: perpuſillũ etiam temporis eſt,exi ſtimationi quidẽ animi credentis,vt ea cumulatiſſimè percipiant. quæcunque denique hic perferunt, ad hæc ineffabilia bona promouent. momentaneum enim & leue tribulationis noſtræ, immenſum pondus æternæ gloriæ operatur. Hinc exardeſcentes indicibili quodam gaudio credulæ iuſtorum mentes,quantum poſſunt,illa præſentia concipiunt,atque vt de præſentibus gloriantur,eáque aliis cõmendant. Sic & noſter hic ait, *Abſtulit iudicia tua*, non aufert, *& auertit hoſtes tuos*, non auertet. Qui animæ ſuæ requiem inuenit,quid quæſo mali timeat? At hanc poſſident quicũ-
Math.11.d.28. que Chriſti iugo ceruicem ſubmiſerunt. Sic enim ipſe loquitur, Venite ad me omnes qui laboratis & grauati eſtis,ego refocillabo vos. Tollite iugum meum ſuper vos,& diſcite à me:nam mitis ſum & corde humili: & inuenietis requiem animabus veſtris. Quid quæſo præſtabilius vlli vnquam Prophetæ promiſerunt,aut quid quærat aliud mẽs Dei cognitione donata? Mitto nũc excutere, quòd is qui ederit carnem Domini, & ſanguinem eius biberit, non eſuriet, neque ſitiet amplius. Itẽ quòd hauſta aqua quam ſibi credentibus donat,fons ſit ſaliens in vitam æternã. Tum quòd quæ oues paſtorem hũc ſequuntur, paſcuorum ſatis habent,& ab omni periculo tutæ exiſtunt. Denique quòd vnà cum Patre ad eos venit, manſionémque apud eos facit qui ſermonem ſuum ſeruant. quo ſolo nihil Diuinius non modo à Prophetis prædici, ſed nec ab vllo mortaliũ potuit excogitari. Hinc Paulus tẽpori cogniti Chriſti ea tribuit quæ Ieſchaiah 49.b.7, reſiduo Iſraelis promiſſa legimus,tam profectò magnifica & auguſta,vt magis magnifica & auguſta nuſquam promiſſa inuenias,nec profectò promitti quidem potuerit. Sic(inquit Propheta)ait redemptor Iiſrael, Sanctus eius, animæ contemptæ & genti abominabili ſeruo tyrannorum(ſic vocat reliquias populi ſui)Reges videbunt(ſcilicet quæ præclara tibi faciam)& aſſurgẽt tibi: videbũt Principes, & procumbent coram te,idque propter Dominum qui fallere neſcit,& Sanctum Iiſrael qui te elegit. Sic dicit Dominus, Quum aduenerit tempus beneuolentiæ,exaudiam te,in die ſalutis adiuuabo te,velut theſaurum ſeruabo te:dabóque vt ſis fœderatus mihi populus,vt reſtituas terram & hæreditates vaſtatas poſſideas: vt dicas vinctis,Egredimini:& iis qui in tenebris agũt,Prodite. Ad vias(in locis ſcilicet planioribus)paſcent,& in omnibus quoque locis æditioribus paſcua illorum erunt. Non eſurient,neque ſitiẽt,neque percutiet eos æſtus & ſol: quoniam Miſerator eorum minabit eos,& ad ſcaturigines aquarum aquabit eos. Redegi omnes montes meos in planam viam,& ſemitæ meæ terentur. Ecce illi à longe venient, ecce illi ab Aquilone & Occidente,& illi à Meridie. Canite cæli,exulta terra,erumpite in cantum mõtes,quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum & miſertus eſt adflictorum ſuorum. Huius vaticinii ſenſum reddere,quàm verba adnumerare malui:ne multa opus eſſet interpretatione. Qui ad verbum etiam hæc volet legere,diffidens meæ interpretationi, habet ea apud OEcolampadium fideliſſimè verſa,tum extant & ipſa Hebraica Biblia. Adduxi autẽ hæc copioſius, propterea quòd in eis admodum luculenter expreſſa ſint quæcunque vſpiam de populi Iiſraelitici reſtitutione, & fœlicitate præclara prædicuntur: vt quum videamus Paulum hæc ipſa in Chriſtianiſmo præſtita affirmare, nemo in dubium vertat & alia quæcunque æquè præſtita eſſe, ac quotidie præſtari,quantum quidem Sanctis in hoc ſeculo ea contingere debent: neque expectandũ vt reductis in terram Chenaan Iudæis,primùm impleãtur. Ecce enim nunc(inquit Apoſtolus) tempus acceptum,nunc dies ſalutis:& id tempus acceptum,& is dies ſalutis,de quo adductum iam oraculum loquitur:illud enim citauit,eique hæc ſua, Ecce nunc tempus acceptum,&c. continuò ſubiecit. Iam tum ergo animæ aſpernabili,genti deſpicatæ,& ſeruo tyrannorum, hoc eſt acciſis & attritis Iiſraelis reliquiis quæ ſeruatæ erant,vt populum & regnum Dei reſtituerent,Reges aſſurgere,& Principes ſupplicare inceperant:iam tum vinctos educebant, & è tenebris captiuos producebãt,dum quoſcunque ſcilicet Electos Deo adducebant Satanæ vinculis ereptos. Iam Sãcti æternæ vitæ paſcuis, ſecuri omnis mali,ſub paſtore Chriſto perfruebantur. Montes erant cõplanati,& viæ pulcherrimæ tritæ, vt omnibus eſſet ad Eccleſiam Dei, verum montem Tzijon, veniendi maxima commoditas:eóque veniebant quamplurimi ab Oriente, Aquilone, Occidẽte & Meridie. Indicibili denique gaudio omnia perfundebantur. Laude Dei, cæli & terra reſonabant. Apud omnem enim creaturam quæ ſub cælo eſt, Euangelion annuntiabatur, & fructũ afferebat, Coloſ.1.a.6. Quid verò apud vllum Vatẽ his amplius promiſſum legitur? Si ergo inſigne hoc & cumulatiſſimũ de populi Dei fœlicitate vaticinium, Paulus cõpletum affirmat,ne dubitemus & reliqua Sanctis, quantumquidem in hac vita decet, completa eſſe,atque compleri quotidie,etiam dum externus iſte homo ſuam nihilominus crucem perfert,& Iudæi extra terrã Chenaan peregrinãtur. Fateor tamen iſta, ne Pauli quidem tempore per omnia fuiſſe perfecta. Diei enim huius ſalutificæ,de qua hic Vates loquitur, meridies tunc illuceſcet, & beneuolentiæ tempus quod prædicat, tum conſummabitur, quando Chriſtus expugnato omniũ peccato, regnũ tradiderit Deo & Patri. Interea,vt mors in Sanctos imperium aliquatenus habet,ita & aliis

malis premũtur:quæq; hic,& alibi Spiritus ſanctus per Prophetas de eorũ beatitudine promiſit,
nõniſi fide & ſpiritu percipiũt,ſed id cumulatè adeò,támq; beata perfruitione, vt præ iis quæcũ-
que hic mundus habet,atque ipſam adeò vitã magno cũ gaudio contẽnant,veréque cum Paulo
agnoſcãt & glorietur, ſe largiſſimè & plenius quàm cor queat humanũ cogitare,percepiſſe,quic
quid omnino bonorũ, Sãctis in hac vita vſpiam promiſſum legitur. Quæ enim ſors beatior à
Sãctis hîc expectetur,quàm poſſe cũ Paulo gloriari, Sumus tanquã morientes,& ecce viuimus:
tanquam caſtigati, & non occiſi:quaſi dolentes, ſemper tamẽ gaudentes:quaſi pauperes,multos *Fœlicitas Sanctorum, Chriſtus.*
tamen ditantes:vt nihil habentes,& omnia poſſidentes. Item illud, Stamus & gloriamur in ſpe
gloriæ Dei:nec id ſolum,verùm gloriamor in afflictionibus,&c. Rom.5.a.2. Et rurſum, Verùm
in his omnibus ſuperamus. nã mihi perſuaſum habeo, quòd neque mors,neque vita,&c. Rom.
8.g.38. Et iterum, Nam ego didici in quibus ſum, in his eſſe cõtentus : noui & humiliari,noui & *Philip. 4. c. 11.*
excellere:vbique & in omnibus inſtitutus ſum ſaturari,& eſurire,& abundare, & penuriam pa-
ti: omnia poſſum in eo qui me potentem facit, Chriſto. Siquem igitur mouent, vt putet exter-
nè quoque Sanctos hîc fœliciter regnaturos: Iiſraelitáſque ſecundum carnem,ſuis iterum ſedi-
bus potituros,quæ de conſummatiſſima pace, rerúmque omnium tranquillitate, gladios ſcili- *Eſaiæ 11. b. 6.*
cet in falces,& lanceas in vomeres contundẽdos,& agnum paſcendum cum lupo,&c. Prophetæ *Michææ 4. a. 3.*
prædixerunt: is cogitet quòd Sãcti,quantum in ipſis eſt,cum omnibus pacem habent, & de his
quæ ipſis accidunt, qualiacunque ſint,etiam gloriantur. Eſt ſiquidem iuge in Domino gaudiũ,
& certa pax,fructus fidei,& opus Spiritus. Sicui verò occurrunt quæ de collectione populi à qua
tuor orbis plagis Vates prænuntiarunt, is conſideret viciſſim quòd tempus huius collectionis,
ſuo ſeculo Paulus fuiſſe gloriatur : & Petrus credentibus ſcribit, iam eos ad paſtorem ſuum eſ- *1. Pet. 2. d. 25.*
ſe conuerſos , alludens ad illud Iechezkel 34.c.12, de Dauid paſtore, quem actutum Principem
inter Sãctos,eóſque paſturum illic Dominus promiſit. Siquem autem offendat,quòd de reædi-
ficatione Ieruſchalaim tam multa ſunt prædicta: perpendat ſimul quænam reſtitutæ huic vrbi
Prophetæ tribuant,nempe vẽturas ad illam omnes Gentes:tũ Paulũ apertè nos filios eſſe ſuper-
næ Ieruſchalaim affirmare,ſicut & verum Domini tẽplum. Sicui denique obſtrepat quæ de de-
lectu ac prærogatiua Iiſraelis paſſim leguntur:is animaduertat iuxtà quòd Petrus nos aſſerit eſ
ſe genus electum,regnum ſacerdotum,&c.& quàm firmis Paulus rationibus credentes quoſli-
bet, germanos filios Abrahæ , ac ipſiſſimos eſſe Iiſraelitas in Epiſtola ad Galatas probet . Scio
quidem,prædicente Paulo,dum ingreſſa fuerit in ouile Chriſti Gẽtium plenitudo, hoc eſt quic-
quid vt ingrediatur,inter illas deſtinatum eſt Diuinitus , tum & Iiſraelem totum ſaluum fore.
ſed ita totum intelligo, ſicut Gentium ingreſſuram plenitudinem. Electi tantum ex Gentibus,
ſed ii multi,iam diu ingreſſi ſunt:ita plurimos quoque expecto Iiſraelitas ſaluandos,ſed eoſdem
Electos:ex aliis,vt & in Iiſraele,ventura ſint vaſa iræ,non autem vt nũc, tota gens cæcitate per-
cuſſa. Deinde vt refulſuram Iudæis lucem Euangelii,hinc libenter agnoſco : ita non video quã
fidei analogia terrenam illis fœlicitatem pollicear, aut ad terram Chenaan reditum . Chriſtus
defunctus hîc ſuo munere,ad dexteram Patris in cælos conſcendit, illic deſtinatas nobis man-
ſiones parat,eodem & nos traductur' in hoc ſeculo perpetuam nobis prædixit preſſuram . Quã
ergo ratione dicemus Sanctos poſteriores , cum interna , etiam externa fœlicitate perfruitu-
ros, quod videmus neque promiſſum , neque datum prioribus , ſed nec ipſi Sanctorum capiti
Chriſto. Ad finem vſque mundi Dominus zizania in ſuo agro fore, & in fine hœdos ſegregan-
dos teſtatus eſt:interim autem ſuos accipiendos à mundo vt ipſe acceptus eſt. Paulus Antichri-
ſtum illuſtratione aduentus Domini abolendum demum prædixit:quando igitur illa erit San-
ctorum fœlicitas,illud regnum,& tranquilla bonorum vitæ huius perfruitio? Si autem omnib'
Sãctis ad finem vſque mundi,dum ipſe eos Dominus liberet,crux perferenda eſt:quid aliud cõ-
uertendis ad Chriſtum Iudæis pollicebimur? Certè dirutus eſt medius paries,& facti nos quoq;
ſumus ciues Sãctorum,& domeſtici Dei, Epheſ.2.d.19. Nos vera Circunciſio,germanúmque ſe-
men Abrahæ ſumus. Quòd autem in Luca 21.e.24, Dominus ait,à Gẽtibus calcãdam Ieruſcha
laim,donec Gentiũ tẽpora impleantur:dum id rectè vnà cum iis quæ huic vrbi acciderunt,per-
pendo, non video plus prædictum,quàm dum definitum imperio Gentium tempus adimplea-
tur,Ieruſchalaim fore in manibus Gẽtiũ, ſine illatione in cuius poſtea manu futura ſit:ſicut nec
illud DONEC, Nõ cognouit eam donec peperiſſet primogenitum ſuum,cõgreſſum infert conſe- *Matth. 1. d. 25.*
quutum. Etenim ſicut in Chriſto non eſt mas,neque fœmina,nõ Iudæus,neque Græcus, &c. ita
nihil intererit inter Ieruſchalaim & Romam , nihil inter terram Chenaan, & quamlibet regio-
nem aliam . Ad hæc Ieruſchalaim per Titum vaſtatam , Iudæis Adrianus iterum habitandam
conceſſit, AEliam Capitolinam nominatam,licet per eundem iterum euerſa fuerit. Poſtea au-
tem ſub Chriſtianorum imperio diu admodum floruit : vt ſiquid etiam de reſtitutione eius in
adducto loco Dominus prædixiſſet , iam pridem etiam impletũ eſſet . Denique ſi etiam cõtin-

geret iterum vrbem illam à Iudæis,ſed Chriſto credentibus,habitari (quandoquidem non minus in cælis quàm Paulus, municipatum ſuum habituri eſſent, cæleſtiáque vbi eſt Chriſtus in dextera Patris,quæſituri)de tam ſplendida & magnifica terrenæ vrbis reædificatione, qualem Prophetæ prædixerunt, non video cur eſſent ſolliciti. Proinde haudquaquam veriſimile eſt, vel Chriſtum qui ſuis manſiones in cælo domo Patris, promiſit: vel Prophetas, qui quæ Chriſtus præſtitit vaticinati ſunt, quicquam de terrenæ Ieruſchalaim reædificatione prædixiſſe. alioqui ſi verba eorum de reædificatione Ieruſchalaim vrgeas,& velis terrenã fore, dabis illi & Dauidẽ filium Iiſchai Regem, facies peregrinos muros eius extruentes ex margaritis, pauimentum ex ſappbiris, feneſtras ex cryſtallo, portas ex carbunculis, omniáque loca eius ex lapidibus pretioſis: tum ciues eius facies prædari eos qui ipſos deprædati ſunt, capere eos qui Ipſos ceperunt, & ſimul tamen portabuntur ad vbera, ſuper genua blandietur eis, vt pueris. Hæc & alia multa tuæ Ieruſchalaim carnali tribues parum appoſitè, quæ tamen Prophetæ de ſpirituali, audacibus quidem, ſed iiſdem elegantiſſimis, atque ad ſubducendum animos in admirationem bonorum cæleſtium(quæ propriè nobis Chriſtus Rex cælorũ parauit)appoſitiſſimis allegoriis, & hyperbolis prædixerunt. Nam eadem vera regni Chriſti bona, non minus magnificè & in Euangelicis & Apoſtolicis literis prædicantur: id quod pietate & eruditionẽ ſuſpiciendus Chriſti miniſter Iohannes OEcolampadius, in ſuis in Ieſchaiah Prophetam commentariis egregiè docuit, & in lucem eleganter quoque ac perſpicuè proferet inſigne illud organum Domini Huldricus Zuinglius, qui in eundem Prophetã explanationẽ ad hoc Frãckfordienſe emporium daturum ſe Eccleſiis promiſit. Medium Chriſti aduentũ quem quidam ſtatuunt, quo ſit Eccleſiæ ſuæ iſta externa quoque bona allaturus, non video quibus Scripturis certò probent. Etenim quod Do-

Luc.18.b.8.

minus dixit, Quum venerit Filius hominis, putas inueniet fidem in terra? eum nequaquam ſtatuet: quando hoc dicto nihil aliud ſignificare voluit, quàm ratam in terra fore fidem, quódque paulo antè dixerat, in diebus ſuis fore ſicut factũ fuerat in diebus Noe, eſuros & bibituros homines, &c. Iã quoties Paul⁹ de aduẽtu Domini loquitur, de eo illum loqui haud obſcurum eſt, quo veniet in maieſtate Patris iudicaturus viuos & mortuos. Scio offendi quoſdã, quod nondum in Eccleſia tam præclaram Dei cognitionem, vitæq; innocentiã viderũt, neq. hãc ta latè, vt vaticinia Prophetarum vidẽtur prædicere, ſparſam. Vbi, inquiunt, agnoſcunt Dominũ omnes à minimo vſque ad maximum? vbique celebrant nomen Domini vniuerſæ familiæ Gentium? Sed oportebat animaduertere, hoc, & quæcũque alia eximia regni Chriſti bona, de filiis Dei, quibuſcũ fœdus gratiæ ictũ eſt, & iam ſanctũ Spiritum acceperũt, prædicta eſſe. Ii certè omnes Deum cognoſcunt, amant, & ſequuntur, tametſi moneri eos quotidie oporteat vt voluntati eius ſedu-

Iohan 6.e.45.

lò ſtudeant. Ii ſunt quotquot à Patre audierunt & didicerunt, ſicque tracti, ad Chriſtum fide peruenerunt. Horũ pridẽ quãplurimi vbique Gentium fuerũt, atque etiã multo plures ſunt, quàm quiſquã credat. Neque illicò enim non ſunt Chriſtiani, qui ſcientiam Euãgelii non habent quãpuriſſimam, quíve ceremonias paulo plus quàm par ſit admirãtur. Scientia Euangelii vera, eſt ſalutem à Chriſto expectare, & proximorum obſequiis eſſe deditos. Huiuſmodi nuſquam non multos Dominus habet, quibus vtique non eſt opus vt dicatur, Cognoſcite Dominum, ita ſanè vt veteribus op⁹ fuit, quibus ne tot ſignis quidem & portentis fides fieri potuit vt Dominum, qui ſua eis præcepta dederat, Deum eſſe crederent. Certè hoc Iirmeiah vaticinium, glorificato Chriſto, autor Epiſtolæ ad Hebræos impletũ agnouit, vt abundè cap. 8, & 10, indicat, dum ex eo

*vnde ut boniqui dam hodie Eccleſiam negligant.

abrogationem probat ceremoniarum Moſcheh. Dicã hîc quod ſentio, & vt omnino exiſtimo, non præter Dei verbum: multis hodie tenebras non vno in loco offundere videtur, quòd quæ de Eccleſia Chriſti eximia prædicta ſunt, ante tempus à Patre inſtitutum velint præſtari, quæq; illi iã donauit, & donat, malignius æſtimẽt. Abſolutã Dei cognitionẽ, conſummatã vitæ ſanctitatẽ, rerum omnimodã tranquillitatem, plenũ in creaturas imperium Scriptura paſſim credentibus Chriſto pollicetur, ſed ſic vt in futuro, dũ Dominus cum hoc corpore peccatum omne extinguet, cõpleantur, hîc incipiantur tantũ, & aliquatenus prouehantur. Iam quũ quidam, etiam in hoc ſeculo hæc conſummatè præſtãda putant, partim non agnoſcũt Euangeliũ verè adhuc, & ne Apoſtolorum quidẽ tẽpore exortũ, eo quòd prædicta Eccleſia nondũ planè perceperit: alii modo illud habere negant: nonnulli & externum expectant, Sanctorum regnum & fœlicitatẽ: neque deſunt qui ſe ſuóſque complices ſperent mundum iudicaturos, & occiſis impiis in orbe regnaturos: quod(proh dolor)ſimplicibus quidam Catabaptiſtarum auſi fuerũt polliceri. Vera ſcribo, teſtor Deum. Si autem perpenderemus, qualem Chriſtus ipſe Eccleſiam ſibi delegerit,

Apoſtolorum & præcellentia & infirmitas.

quàm rudes etiam Apoſtolos habuerit, quos tamẽ pronuntiauit eſſe lucem mundi, ſalem terræ, myſteriorum Dei capaces, petras fidei, tonitrua celi, beatos: matris, fratrum, & ſororum loco ſibi haberi: amicos ſuos, quos nihil eorum duæ à Patre audierat celaſſet: dilectos vnicè Patri, ciues cælorũ: gregem quidem puſillum, ſed cui Patri placeat dare regnum: cælorum ianitores, cõ-

uitas mẽſæ Dei,iudices orbis, quid non? At quàm erant iſti ſimul doctrinæ Domini parum in-
telligẽtes,quàm puſilli fide,quàm terrenæ fœlicitatis auidi,quandiu Dominus eos in carne cir-
cunduxit? Tanti autem Dominus ipſe qualecunque rudimentũ vitæ cæleſtis quo donati erãt, &
quas acceperãt Spiritus quãlibet tenues primitias æſtimauit, vt ſatis magnificè ſortẽ illorũ ex-
tollere nõ poſſet. Ecqui humanis verbis ſatis extuliſſet,quod nullo illorũ merito,ſola Dei boni-
tate,ex perditis cœperãt euadere dii,hoc eſt planè iuſti & beati? Iam verò & poſt effuſum Spiritũ
ſanctũ,quàm multa quoque in Eccleſia Chriſti deſiderata eſſe,Acta Apoſtolorũ,& Paulinæ Epi
ſtolæ teſtantur: nihilominus tamen præter eos quos Chriſtus ipſe ſuis titulos tribuit, Sancti &
dilecti Dei,à Paulo vocantur, quibus de diuitiis gratiæ ſuæ vbertim adeò Deus impartiuerit,in
omni ſapientia & prudentia,patefacto arcano voluntatis ſuæ, Epheſ.cap.1.b.8: vt inde vehemen
ter varia eius ſapientia innotuerit Principibus & poteſtatibus in cæleſtibus, Eph.3.b.10. Vt au- Infirmitas Eccleſiæ primitiuæ.
tem cum tanta ſapientia & prudentia conueniebat, quod cum Petro fratres ob id expoſtulabãt
quòd Cornelium & domum eius Chriſtum docuerat,atque baptizauerat? Quod poſt prædica-
tum tot annis Euangelium Paulus cogebatur Hieroſolymis ſe publicitus in templo purificare,
eo quòd cum Gentibus vt eos lucraretur Domino,communicaſſet? Rectè & piè quidem ipſe e-
git,hactenus Iudæis factus Iudæus,quo vt frater agnitus,vel melius illos Chriſtum edoceret,vel
ſaltem caueret ne illi ſua autoritate Eccleſias quas Domino genuerat,damnando ipſum,pertur
barent. Nec inconſultò & Iacobus idem ſuaſit. At ii certè quorum cauſa & hic ſuaſit, & ille pu-
rificationem eam ſuſcepit, ſapientia regni Chriſti nondum abundabant, vt qui expiari volue-
rint,quòd Chriſtus iuſſerat,omnia ſcilicet fieri omnib⁹,quo vel aliquos liceat lucrari. Quomo-
do iam accipiemus quòd & Petrus ipſe non recto pede ad Euangelium ambulabat Antiochiæ?
Quid dicemus de arrogantia, æmulationibus, ſectis, Euchariſtiæ contemptu, cum idololatris
communicatione,ad aperta flagitia præpoſtera conniuentia, de errore circa reſurrectionẽ mor
tuorum,& aliis pleriſque non contemnendis malis apud Corinthios? Cui tribuemus apud Ga-
latas omnimodam ad ceremonias Moſcheh defenſionem, fidiſſimique Apoſtoli ſui faſtidium?
Cur apud Epheſios curioſas profanáſque quæſtiones,& vitã in multis plus ſatis deſidem? Quid
denique & de laudatiſſimis Theſſalonicenſibus ſentiemus,apud quos ignaua curioſitate quidam
fratribus oneri erãt,lugebãt nonnulli plùs nimio mortuos,erant quoque qui non ſeuerè ſatis li-
bidinẽ abdicauerãt? Perlege Acta & omnes Paulinas Epiſtolas: ſanè plurimas, & eaſdem fœdas
nimium in ſponſa Chriſti maculas atque rugas offendes,quanlibet ſimul ſancta,& dilecta Deo,
maioribúſque quàm oculus viderit, auris audierit,& cor queat cogitare,donata prædicetur. Ne
quæramus igitur vt ſpõſam ſuam Chriſtus,antequã tẽpus appetat à Patre conſtitutum,abſque
macula & ruga exhibeat: quúmq; ipſe & Apoſtoli eius magnificis adeò titulis eam ornẽt,quan-
tũvis adhuc in multis delinquat: ne velimus nos eam illis ſpoliare,& nõ agnoſcere qualem Do-
minus ipſe agnouit. Maius eſt humana cogitatione in admirabilem Dei lucem, vt Petrus lo- 1.Pet.2.b.9.
quitur,vocatos eſſe,arrham æternæ vitæ,Spiritũ filiorũ percepiſſe,in cælo habere adſcripta no-
mina,quanlibet multa eiuſmodi infirmitas interim premat. Proinde quum mala in Sanctis of-
fendunt,eorum illos admoneamus,& Deum pro eis oremus: non autem abiiciamus,aut Eccle-
ſiæ Chriſti titulo dedignemur,néve ita imaginemur nobis hîc perfectiora,vt inchoata interim
negligamus. Caro dum grauat,in qua nihil boni eſt,Sancti peccatis minimè liberi erunt. Id ſi
tulit Chriſtus,tulerunt Apoſtoli, cur non & nos feremus? Admonere officii fratres, & orare eis
Spiritus incrementa,noſtrum fuerit: abiicere quenquam,in quo vel aliquid timoris Domini re
luceat,minimè. Ne velim⁹ ſeueriores eſſe ipſo Chriſto & Apoſtolis. Iactatur Eccleſia modò ſur-
ſum ac deorſum,nunc aliquẽ præ ſe fert fidei ſplẽdorẽ,nunc iterũ eſt obſcura: ſic & apud priſcũ Fortuna Eccleſiæ.
populum accidit,& accidet, donec Chriſtus venerit. Nos igitur & noſtrã ſortem dum redierit,
toleremus. antea enim haud ſcio ánnon impudens ſit ampliora requirere, vel expectare quàm
videamus donata tempore Apoſtolorum. Quatuor habuerunt Iſraelitæ Reges,ſub quibus re-
ligio florere fœliciter viſa eſt. ſub reliquis omnibus aut omnino neglecta fuit, nonnunquam e-
tiam oppugnata,aut tepidius certè,ac impuriùs culta. Sic ducẽtis annis ab exaltato Chriſto Ec-
cleſia innumeris,& factionibus & perſequutionibus agitata fuit: quanquam continuò tamen i-
terum creuerit. Poſtea pace ſub Conſtantio,magni Conſtantini patre reddita, magnificè trecẽ-
tis annis, Chriſtianis Principibus rerum potientibus,floruit. A tempore autem Phocæ cœpe-
runt humanæ traditiones in immenſum augeri,miniſtríque Eccleſiarum dominium ſuper gre
gem Chriſti inuadere: vnde ab eo ſemper peius habere cœpit. Nunc rurſum Dei bonitas,miri-
fica nos luce donat,vtinam ſit diuturna,& quamplurimos illuminet. Quantum quidem ad per-
ſequutionum procellas,hæreticorúmque turbas attinet, perſimillima eſt facies Eccleſiæ huius
temporis, ei quam plantarunt Apoſtoli. Nam & illis prorſus eadem obuenerunt, nunquam nõ
imminuit ſæua vis perſequutorum, neque vnquam quietẽ dederunt homines factioſi & hypo-

O.ii.

critæ. Quæ enim Pauli Epiſtola huiuſmodi non perſtringit, ſi non tota cõtra eos pugnat? Mira-
culis noſtra non claret: ſicut nec Prophetæ, ita vt Moſcheh qui primùm Legẽ tradidit illis, flo-
ruerunt. Fortè ſinet iterũ ſuos Deus aliquandiu tyrannorũ vi & hæreticorũ hypocriſi, maléque
ſanis dogmatis agitari, donec vel ipſe aduentu ſuo omnia componat, vel iterum datis piis Prin
1. Timot. 2. b. 2. cipibus, maiorem largiatur trãquillitatem. Pro qua quũ Paulus orare iuſſit, optare vtique eam
licet. ea verò ſi etiam contingat, non erunt illicò omnes verè Chriſtiani, qui de nomine gloria-
buntur, neque factionibus & ſectis Eccleſia liberabitur. Semper pauci Electi fuerunt: qua fronte
nos requiremus vt ſint multi? Stetiſſent Sodomæ, ſi vel decem in eis timentes Deum fuiſſent: a-
deò eximia res apud Deum eſt, vel pauciſſimos ipſius nomen agnouiſſe. Sancti vt lucernæ ſunt,
2. Pet. 1. d. 19. hincinde in caliginoſo loco lucentes, vt inquit Petrus. Quare fruſtra expectabimus vt iuſtis, &
iis cõſummatis ſint omnia plena. Adeò ſupra ſortẽ hominũ eſt hæc Dei dignatio vt filii eius ſi
mus, vt pauci pro multis reputẽtur, & vel tenuis in his paucis innocentia ac pietas, multo maxi
ma cenſeatur, vt certè humano ingenio, non maxima modò, ſed prorſus impoſſibilis exiſtit. Et
hinc eſt vt tam auguſtè ac magnificè & de numero & pietate Sanctorum Scriptura ſubinde lo-
quatur. Quanquam in iis quæ Prophetæ, Chriſtus, & Apoſtoli eximia de Eccleſia, ſiue prædixe
runt, ſiue prædicarũt, non tam præſentia, quàm futura ſpectarint, loquutique ſint de initio ſalu-
tis, vt de tota & iam perfecta ſalute. Id enim & ſpem Sanctis confirmat, conſummandũ in eis eſ-
ſe quod cœptum eſt: ſimul & pietatis in eis ſtudium accendit, quod certè non aliundè efficacius
accendi poteſt, quàm ſi illi probè cognoſcant quanta ipſis Dominus donarit. Vnde tam obni-
Epheſ. 1. c. 23. xè Paulus pro Epheſiis orabat, vt daret eis Dominus Spiritum ſapientiæ & reuelationis in co-
gnitione ſui: illuminatos oculos mentis eorum, vt ſcirent quæ eſſet ſpes vocationis eorum, &
quàm opulenta gloria hæreditatis illius in Sanctos, & quæ ſit excellens magnitudo potentiæ il
Epheſ. 3. d. 18 lius in credentes. Eadem & tertio capite illis orat, dum flexis genibus precatur vt detur eis aſ-
ſequi quæ ſit latitudo, longitudo, profunditas, ſublimitas vtique bonitatis Dei ſuper ſe: cogno-
ſcere dilectionem Dei in Chriſto ipſis exhibitam, omni cognitioni ſupereminentem. Sic ergo
& nos iſta eximia ac maiora, quàm adhuc appareant, quæ Eccleſiæ paſſim Scriptura tribuit, ac-
cipiamus: ſic & nos ad ſpem Sanctorum roborandam, accendendúmque in illis pietatis feruo-
rem, iſtiuſmodi elogiis vtamur, non vt futurorum in hoc ſeculo expectatione ſic ſuſpendamur,
vt & ingrati Deo ſimus de donis præſentibus, & fratres infirmiores faſtidiamus & negligamus.
Vbi timor Domini, etiam qualiſcunque, ibi initium ſalutis: ſimus itaque ad eum excitandum
ac prouehendum fidi Domino miniſtri & cooperarii. Certè ſe ab Eccleſia ſubducere, & nolle o
peram ſuam in docendis, monendiſque fratribus impendere, eo quòd nihil adhuc ſartum tectũ
videant, quòd plurimum paſſim peccetur (id quod proh dolor hodie minimè pauci faciunt) ni-
hil aliud eſt, quàm ſiquis ideo nollet ſerere agros, nollet colere vineas, eo quòd multæ naſceren-
tur ariſtæ inanes, & racemi parcius prouenirent. Mirus artifex Satan eſt: neque prius quicquam
habet, quàm vt à ſyncera, viuáque cognitione bonitatis Dei in nos, animos friuolis occupa-
tos quæſtionibus ſeducat, & fratrum negligentes, contemptoréſque reddat: vnde tum æmula-
tiones & ſtudia naſcuntur, offenduntur puſilli, proditur impiis Eccleſia, exponitur ludibrio E-
uangelium. Suſpectum igitur nobis ſit quicquid non apertiſſimè ad gloriam Dei & fratrum æ-
dificationem fecerit: ne ita futurorum nos curioſitas occupet, vt præſentia Dei dona negliga-
mus. Neſcio quo pacto fiat vt paucos videas non in fœdos errores lapſos, qui hiſce aliquot ſecu
lis futura prædicendi ſibi facultatem arrogarũt. Habemus Chriſtum: vtinam in cognitione ac
imitatione eius fortiter creſceremus. ſcimus nos manere apud Chriſtum vitam æternam, ſci-
mus rediturum, & nos ad ſe traducturum: ſcimus interea nos cruce exercendos, quid requirem?
præterea? Prophetias tamen nolo extinguere, ſed moneo vt diligenter Spiritus iſti prophetici
probẽtur. Certè vt ingenuè fatear quod ſentio, & non dubito me ſecundũ verbum Dei ſentire,
redemptionem & gloriam Chriſti obſcurare videtur, qui externam Sanctis fœlicitatem, & re-
gnũ in hoc ſeculo pollicetur: vbique enim futura & cæleſtia bona morte ſua nobis comparaſ-
Heb 9. c. 11. ſe prædicatur, quare & Pontificem futurorum bonorum, eum Epiſtola ad Hebræos vocat. Hæc
quantumvis tenuiter habeamus, tamen quia per illa conſortes facti ſumus naturæ Diuinæ,
2. Pet. 1. a. 4. quod Petrus teſtatur, agnoſcimus pretioſa nos & maxima promiſſa accepiſſe. Quòd iam car-
ni hic aduerſa omnia accidunt, adeò non debet nos deiicere, vt certam illa etiam fœlicitatis no-
ſtræ partem interpretemur: atque ob id (vt idem Petrus inquit) beatos nos arbitremur, ſentiẽtes
nimirum hoc pacto ſpiritum, vt à perituris his rebus in cæleſtia ſubuolet, impelli, ac ad immor-
talitatem nos (quam, niſi hac immutata carne, percipere non poſſumus) parari. Priſci Sancti mi
Matth. 13. b. 17. nus cæleſtium bonorum guſtauerant: quia etiam multi Reges & Prophetæ videre & audire o-
ptauerant, quæ Apoſtoli & reliqui Chriſtiani audierunt & viderunt, non tamen id datum il-
lis fuit. Ex bonorum igitur præſentis vitæ maiore affluentia, Diuinã illis monſtrari benigni-

tatem conueniebat. Nos propiores facti ſumus vitæ cæleſti: tanto igitur remotiores fieri nos addecet à terrena. Hinc ita de malis vitæ huius, & cruce Apoſtoli gloriati ſunt, quod veteres Sanctos feciſſe haud legimus. Quo itaque plenius adbuc nobis Chriſti regnum affulgebit, tanto ſanè plus euacuari in nobis oportebit regnum mundi. Chriſti ſiquidem regnum, vt non initio, ita nec in fine de hoc mundo eſt. Corruptibile hoc induere oportet incorruptibilitatem: tum perficietur in nobis ſalus Chriſti, boc eſt vita æterna. Quare vbique Paulus ad reſurrectionis, & inde aduentus Cbriſti ſpem, & ad nulla Eccleſiæ aurea ſecula quæ in bac vita Sanctis ſint expectanda, inuitat. Ad Chriſtum conceſſerunt ex ærumnis vitæ huius, quotquot illi crediderūt hactenus: eò cōtendamus & nos, in regeneratione corporum noſtrorum fœlicitatem recepturi. Hæc paulo fuſius volui diſſerere, nulla alia (Chriſtum teſtor) cauſa, quàm vt monerem eos qui iſta dignabūtur legere, ne ad ea quæ Eccleſiæ in hoc ſeculo futura quidam putant, ſiue ſpiritualia, ſiue corporalia, ita cogitatione & ſpe raperētur, vt quæ in præſenti illa Cbriſti beneficio accepit, vel negligerent, vel ſaltem faſtidirent, vnde fratrum infirmiorum & cōtemptum & neglectum ſequi neceſſe eſt. tum vt phraſim Scripturæ in his quæ Sanctis tribuit, probè perpenderent: nec in præſenti vita cōpleri per omnia poſcerēt quæ futuræ vitæ Dominus voluit reſeruare. neque enim de Sāctis aliter in Scriptura prædicatur, quàm quòd ſint ad ea vocati, eáque in cælis olim cumulatiſſimè percepturi. De omnibus fratrum eſto iudicium, ſed (vt Chriſtianos decet) vt verum, ita candidum. Chriſti gloria, & fratrum ædificatio, ſit ſcopus.

16 *In die illo dicetur Ieruſchalaim, Ne timeas Sijon, ne infirmentur manus tuæ.*

17 *Dominus Deus tuus in medio tui, fortis, ſaluator, gaudebit ſuper te in lætitia, ſilebit cū dilectiõe ſua, exultabit ſuper*
te cū cātico. Dies hic eſt (vt aliquoties iam dixi) dies cognitionis Dei, dies gratiæ, dies ſalutis, qui tū oriri cœpit quū orbis cognitione Dei, gratia, & ſalute donari cœpit. Hunc diem Propheta animo totum complectitur: quóque ad ſpē pleniorē corda Sanctorum erigat, quàm auguſtiſſimè, ſed verè de eo loquitur. Verè enim Sancti omnia iam habent & poſſident, quum fidem in Deū habent. Maior etenim & fidei poſſeſſio eſt, quàm vt bumana mens poſſit cogitatione aſſequi: vnde tales Cbriſtus ipſe, vitam babere æternam, & beatos eſſe pronuntiauit, vt iam monuimus copioſè. Iſtā ergo Sāctorum fœlicitatem, Vates volens prædicere, ait, *In die illo dicetur Ieruſchalaim, Ne timeas Sijō, ne infirmētur manus tuæ*: quod nihil aliud eſt quàm quòd Electis, quos Ieruſchalaim & Siiō nominibus (vt ſuprà dictum) intelligit, adnuntiabitur Euangelium. eo recepto habebunt quàm fœliciſſimè, vt nihil prorſus mali eis pertimeſcendum ſit. Simul autem ſignificatio eius eſt, quòd adfuturæ tamen ſint cauſæ timoris. eos enim quibus adbuc imminere mala videntur, ſic ſolemus ad bonam ſpem excitare, Confide, recipe animum, ne timeas. Ad eundem modum & Ieſchaiah 41, 43, & 44, quum de malis liberatio, & ſecunda omnia promittuntur, præmittitur, Ne timeas ſerue meus Iaacob. Vnde verſiculi huius ſenſus eſt, Hactenus annuntiarunt tibi Vates quæ meruiſti, & quibus ad timorem, tuique bumiliationem permouereris: ſed erit, veniet ille dies, de quo iam dicere incœpi, quum Dei interpretes, & internuntii lætiora multo tibi ſint annuntiaturi, & ad ſpem optimam te excitaturi. Ne timeas, dicetur tibi: ne remittantur manus tuæ. quod & ipſum trepidantium eſt, & metu quaſi deficientium. Nam ſecunda & optata erunt omnia, etiam ſi id oculis carneis non ita appariturum ſit. Hæc ſecunda autem & optata, ſequens verſiculus explicat, *Dominus Deus tuus in medio tui*. Omnia bona Deus eſt: eum quum habitura ſit in medio ſui Ieruſchalaim, nihil certè boni deſyderabit. Domini autem nomine, Deum verum, à quo omnia habent quòd ſunt & ſeruātur (quod & ſuperius admonui) ſignificat. Quod verò addit, *Deus tuus*, eo indicat iam tum fore vt hunc Dominum, vnicum & verum Deum, qui illis peculiariter hoc nomen ſuum, non elementis, ſed reipſa dum eos tam potenti, ac omnia, bomines, beſtias, mare, petras, cælum, & nibil non immutāti manu ex AEgypto eduxit, & in terram Chenaan induxit, reuelauerat, vt Deum ſuum agnoſcerent & colerent. Pluries enim iam ab eo defecerant. Eundem autem fortem præterea & ſaluatorem laudat, quo Eccleſiæ fœlicitatem cumulatius voluit exprimere, quæ ſcilicet in medio ſui habitura eſſet Deum verè fortem & ſaluatorē: quorū neutrū adeſſe diis alienis, pridē iam experta erat. Hanc verò vt luculētius ob oculos poneret, addidit, *Gaudebit ſuper te in lætitia*: boc eſt effuſè gaudebit ſuper te: *ſilebit cū dilectiõe ſua*, nihil babēs iam cū illa vel iurgii, ſed totus ſibi in ea cōplacens. Et haud ſcio an voluerit hoc verbo, vim amoris ſingulariter flagrātem exprimere. Nā hæc ſilere, & mutos quodammodo facit amātes, licet rurſum & in exultationē atque iubilū cogat eoſdem erūpere. Vnde & bic ſubiicitur, *Exultabit ſuper te cum cantico*. Quum nanque amor Dei erga ſuos, verbis bumanis explicari nequeat, quicquid omnino in amore vehemēs eſt, & flagrās, illi ſe Dominus comparat, & præfert. Hinc modo patris, nunc matris, tum & mariti affectum ſibi ſumit: quanquam ne vmbella quidem ſit, ſuo in nos amori collatum, quicquid vſpiam vel paternæ vel maternæ, deniq; & maritalis dilectio-

nis reperitur. Pater quanlibet amatum filium poteſt abdicare, mater infantis vteri ſui obliuiſci maritus ſummè dilectam vxorem repudiare: huius nihil admittit Deus: quos diligit, in finem vſque diligit, nec remittere quidem vnquam dilectionem poteſt, ſed perpetuò eam intẽdit. Vulgata verſio habet, Silebit in dilectione ſua: ſed eundem quem dedi, ſenſum facit, etiamſi ſic legas. Similia his multa legimus, Ieſchaiah 40, 49, 52, 54, 60, 61, & 62. Affectus verò dilectionis verſu hoc 17 notati, perquam eleganter exprimuntur in Cantico canticorum. Vtinam autem amari à Deo tam incomparabiliter nos, cordibus noſtris Spiritus ſanctus perſuadeat. Neque enim aliunde in nobis pietatis ſtudium potuerit excitari, quàm ſi verè perſuaſi ſimus quàm charos nos Deus habeat. Sic accenſis ad redamandũ, ſimul & pietatis in nobis feruor exurgit. Nec verò turbet quòd paſſim & peccata Sanctos grauant, atque crux exercet: pro talibus Chriſtus mortuus eſt: tales dilectos ſuos, filiolos appellauit, fratres & amicos. Conſummatè beata omnia percipiẽt quicunque Domino crediderint, & ſermonẽ eius fide ſuſceperint. Diligit hos Pater, & cũ Chriſto manſionẽ apud eos ſibi fecit æternam: nos tantum tantopere à Deo dilectos ne faſtidiamus.

18 *Afflictos de cœtu auferam, remouebuntur abs te qui te opprobrio afficiebant.*

19 *Ecce ego conficiam omnes affligentes te in tempore illo: ſaluabo claudos, colligam proiectos, & faciam eos laudatos, dabóque nomine celebri in omnibus regionibus in quibus ignominia laborauerunt.* Subobſcurus 18 verſiculus eſt: reddidi eum eo ſenſu quem germaniorem ſum arbitratus. מועד tempus cœtus ſolenne ſignificat, vnde & pro cœtu accipitur. Significat igitur Propheta Dominum daturum vt nulli futuri ſint in Eccleſia afflicti, & moleſtia affecti: quia remoti erunt qui opprobrio populum Dei afficiebant. Sequitur, *Ecce ego conficiam affligentes te in tempore illo.* Typus huius in carne, ſub imperio Machabæorum apparuit: veritas autem tanto eſt plenius à Sanctis quolibet tempore percepta, quanto ipſis plenior bonitatis Dei contigit cognitio. Eo quod ſequitur, *ſaluabo claudos, colligam proiectos*, ſignificat ſe quoſlibet cõtemptiſſimos & humillimos, ſalutis participes redditurum: quos & Seruator intellexit, quum parabolam propoſuit patriſſamiliâs iubentis ad cœnã ſuam vocari pauperes, debiles, cæcos & claudos. Simile vaticinium eſt apud Iirmeiah 31.b.8, Ecce, inquit Dominus, adducam eos de terra Aquilonis, & colligam eos de lateribus terræ, erunt inter eos cæci & claudi, prægnantes & pueri ſimul: cœtu magno reuertentur huc. Sequitur, *Faciam eos laudatos, & donabo nomine celebri.* Iſtuc ſatis magnificè præſtitit Dominus in Apoſtolis, qui ve-
Zachar 8.d.23. rè ex iis Iudæis fuerunt de quibus Zachariah prædixit, decem homines ex quibuſlibet linguis Gentium, apprehenſuros laciniam veſtis viri Iudæi, ac dicturos, Eamus vobiſcum: quia audiuimus quòd apud vos ſit Deus. Per plurimas ſanè regiones Iiſraelitæ diſperſi fuerant, & nuſquam non maximè ignominioſè habiti: id egregie ſanè Dominus poſtea conuertit, dum illis Gentibus per populi ſui reliquias Apoſtolos fecit Euangelium annuntiari: quicunque tum non eiuſmodi fuerunt vt laudari ab eis vera fuiſſet vituperatio, ſummo in pretio viciſſim Iudæos
Galat.4.b.15. ſalutem per Chriſtum annuntiantes habuerunt: & vt Paulo Galatæ, effoſſos oculos dare fuerunt parati.

20 *In tempore illo adducam vos, tempore inquam quo vos colligam, quum donabo nomine celebri, & reddam laudatos in omnibus populis orbis, quum abolebo captiuitatem veſtram: id oculis veſtris videbitis, dixit Dominus.* In hoc verſu confirmatio eſt eorum quæ Dominus in præcedentibus dixit. Tempus gratiæ, de quo tã magnificè vaticinatus eſt Propheta, ſatis commendare non potuit. Ecquid mirum? quid enim antea, quàm meræ beluæ vulgò homines erant? & apud ipſos Iudæos quàm exigua vel humanitas, vel pietas? tum quid eſt etiam omnia habere & poſſe, ſi ſpes deſit vitæ futuræ? Ergo præuidens Propheta orbis fœlicitatẽ iſtam ineffabilem, quæ illi cõtigit dum Dei cognitione donatus fuit, (quod, vt iam ſæpe dictũ, à tẽpore collectionis Iiſraelitici populi cœpit) nõ potuit ſibi in prædicando, & ſummis efferendo præconiis, hoc optatiſſimo & pluſquam aureo tempore ſatiſfacere: inde eſt quòd quæ illud commẽdant, toties repetat, ac velut inculcet. Videtur itaque initium huius vltimi verſiculi emphaticos legendum, quod dicitur, *In illo tempore, illo* inquam, quod tam multis extollo, quod tam magnificè prædico, certò adducam vos, tempore dico, quo colligam vos, quo efficiam vt verè glorioſi, laudatíque ſitis omnibus populis, quo denique auertam captiuitatem veſtram, omnémq; miſeriã prorſus abolebo. *Id oculis veſtris videbitis*, & re ipſa percipietis, nõ tãtum ex promiſſis ſperabitis. His, & omnibus ſuperioribus tanquam ſacrã & ſupremã cõfirmationem ſubiecit, *Dixit Dominus*, quaſi dicat Vates, Hæc quæ præclara adeò, & Diuina vobis pollicitus ſũ, ne dubitetis certò euẽtura: neque enim ex me illa dixi: Dominus De' teſtatur, qui & antea cumulatiſſimè vobis benefecit, inauditáq; pro ſalute veſtra, miracula exhibuit, is inquã Dominus hæc dixit, & præſtabit vbertim omnia: tantũ ei fidẽ habete, & æquanimiter, dũ tẽpus horũ appetat, expectate. Hæc verò vtinã ipſe qui dixit, & noſtris animis infigat nequid omnium quæ hic Propheta de Dei populo vaticinatus eſt, in dubium vertamus, aut non & nobis dicta

putemus: vt agnoſcamus & nos noſtra peccata, & timeamus ob illa eius iudicia, ſed ſic vt nihil
tamen ambigamus tandem malis omnibus ab ipſo nos liberandos. Tum autem quum donarit
Spiritu, quo nobisipſis diſplicebimus,& ſub cruce,quancunque ipſe impoſuerit,nos humiliabi
mus, ad hæc, in ipſo fortiter fuerimus confiſi: tum ab omni prauitate abhorrebimus, verita-
témq; ſtudioſè ſectabimur,omnibus humani & benefici,graues aut moleſti nemini. Sic vera Ie-
ruſchalaim, vera Siiõ futuri ſumus,habitabit Dominus in medio noſtri: tum verè Deus noſter
fortis & ſaluator gaudebit ſuper nos, & mirum in modũ noſtra ſalute oblectabitur, auferet om-
nẽ à nobis afflictionẽ,tollet omne opprobriũ,cõficiet cunctos hoſtes & affligentes,vera laude &
gloria donabit malis ſemel vniuerſis liberatos. Hæc verò ſi non illicò apud nos ſint cõſumma
ta,ne deſpõdeamus animos,ne putemus cõtinuò non eſſe Dominũ in medio noſtri. Cõſiderem⁹
De non reiiciendis aut negligendis fratribus infirmioribus peroratio.
Eccleſiam Dei ab eo quòd è Babylone Iudæi ad ſua redierunt,& videbimus ſemper nimia fuiſ-
ſe infirmitate circundatã. Attamen dum vel qualẽcunque Dei timorem habuit, & vnicè dilecta
Seruatoris ſpõſa,& Dei filia extitit, ac incredibilibus planéque cæleſtibus bonis ornata, infini-
to ſanè ſemper reliquæ hominũ turbæ præſtitit. Ne ita vile bonũ timorem Dei reputem⁹, quã-
tumlibet exiguum: eſt initium ſapientiæ, fons vitæ, eſt diſcretor filiorũ Dei & diaboli. Illicò cõ-
ſummari non ſolet, & ſæpe in iis etiam in quibus verus eſt, carnis opera nimium multa videas.
Ne igitur cõtinuò vaſa iræ putemus, ſiquos grauioribus etiam morbis videamus obnoxios. In-
dubiè haud temerè factum eſt vt nullum ferè pietatis exemplum Scriptura paulo magnificen-
tius prædicet, in quo non, vno Chriſto excepto, ſimul inſignem aliquem lapſum notarit. Quàm
fœdè enim lapſus fuit Aharon, Dauid, Petrus? Sed ne Moſcheb quidem perpetuò ſtetit, aut quiſ
quam Sanctorum alius. Vult enim Deus & ex ſuorum infirmitate, bonitatis ſuæ gloriam illu-
ſtrare. Equidem aliquot noui, qui proximo ſexennio, quo Euangelium Chriſti mundus iterum
cœpit perſequi, pro Chriſto mortem fortiſſimè oppetierũt, in quibus paulo antè vitam ſeueri-
orem nemo non deſyderabat: ita tamen corda eorũ timor Dei poſſederat, vt licet plus nimio car
ni per omnem ferè vitã indulſiſſent, vbi eò ventum fuit vt vel negandus illis Chriſtus erat, vel
ſemel tota caro igni tradenda, alacri vultu & cõfidenti pectore mortis duriſſimos cruciatus, vi-
tæ admodum lautæ, delicatæque, quam eis mundus promittebat, prætulerint. Scio etiam adhuc
ſuperſtites, quibus non adeò pridẽ nihil videbatur mollius, nihil opibus & voluptatibus addi-
ctius, qui tamen poſtea maiores quinquagenario mortis certa pericula, tetros carceres, extremã
inopiam, exilium, ac nihil nõ magno animo, & diutiſſimè pertulerũt, ac etiamnũ perferũt. Vt e-
nim mulier proba, & mariti ſynceriter amans, millies potius moreretur, quàm pudicitiã proſti
tueret, aut maritum deſereret: & ſæpe tamen multa admittit quæ ſcit viro ingrata eſſe: ſic habẽt
nonnunquam & Sanctorum mentes: à Deo deficere prorſus non poſſunt, veréque eum amant
præ omnibus, adhuc tamen violẽti adeò ſunt in illis carnis affectus, vt iuxtà nihilominus mul-
ta deſignent quæ nouerunt Deo diſplicere. Ne igitur iudicium de quoquam præcipitemus, pro
bè animaduertamus, vbi ſedem ſibi delegerit Spiritus Dei, qui verè illic abeſſe nequit, vbi au-
res ſunt verbi Dei patientes: nam nati ex diabolo, illud audire haud ſuſtinent. Etenim nemo o-
mnino erit in quo non multa deſyderes, nullis Chriſto medico, & nullo quidem tempore nõ o-
pus eſt, nemini non reſipiſcentia prædicanda eſt. Ad hanc incitemus potius quos videmus pec-
care, non illicò abiiciamus. Elegãter & verè Auguſtinus diſcrimen fecit inter peccantes & pec-
catores, quale eſt inter ſcribentẽ & ſcriptorẽ: hos peccatores vocans qui animũ prorſus peccatis
dediderunt, qui faciunt prauitatẽ, vt ſuperius verſu 13: illos autẽ peccãtes, qui identidem delictis
præoccupãtur quæ ex animo deteſtantur. Id quod nemini quidẽ nõ quotidie vſu venit: adhuc
tamẽ tenet quoſdã error quidã pernicioſus, vt ſola iſta craſſa, ſplendidè veſtiri, lautè paſci, perpo
tare, ſcortari, opes ſtudioſius colligere, fœnerari, & hocgenus alio auerſẽtur, interim arrogantiã,
faſtũ, faſtidiũ fratrũ, languorẽ circa quæſtiones friuolas, factiones, blaſphemias contra Dei ver-
bũ, obtrectationes contra eius miniſtros: mẽdaciis credere, & temerè credita, tum etiam ex pra-
ua ſuſpicione ſuggeſta, ſpargere, & huius generis alia nonnunquã pro virtutibus habeant: ſéque
ter ſanctiſſimos arbitrentur, dum Stoico ſupercilio, caperata fronte, obſcuratis faciebus obam-
bulant, vilibus veſtiuntur, grauibus non verbis, ſed tonitruis, in omnes mortales detonant, ni-
hil non perditum & flagitioſum vociferãtes. Quod expertus ſum, & certa habeo animaduerſio-
ne exploratum, cur non ad Chriſti gloriam & fratrum admonitionẽ teſter? Eorũ qui tam mul-
ti ſunt in fratrum accuſandis vitiis, quos quælibet veſtis paulò cultior, quælibet cœnula lau-
tior, quilibet ſermo hilarior, tantopere offendit, qui perpetuò de excommunicatione quiritan-
tur, perpaucos adhuc, ne dicam nullos reperi, qui non inſigni ſui confidentia intolerabili fratrũ
contemptu, & incredibili neglectus ſui impatientia, nonnunquam & aliis grauioribus malis
laborent, & propè ſemper peregrinis dogmatis, quæ tantum ad ſchiſmata, & nullam ædifi-
cationem conducunt, addicti ſint. Iam & hæreſis opus carnis eſt, & omnibus perpotationibus,

INDEX EORVM QVAE IN ENARRATIONIBVS M.
Buceri in librum Pſalmorum explicantur.

AAron cur prohibitus terram Chanaã adire 387
aaron imposturæ accuſatur 385
aaron quantus coram Deo 366
¶ Abiectibus cur mali æquiparentur 7
Abimelech cur ſale in Sichẽ ſeminarit 393
abimelech nomen regum Paleſtinorũ 191
abimelech rex ne peccaret, à Deo prohibitus 118
Abiſchai quãtam ſtragem ediderit in valle Salis 272
Abnegare ſeipſum quid ſit 168
Abner princeps exercitus apud Saulẽ 276
abner vir raræ virtutis 111
Abominatio ſacrificia abſq; pietate offerre 118
per Abrahæ ſemen cunctæ nationes promiſſionem Dei perceperunt 285
Abſalom author coniurationis in Dauidẽ patrem 113
abſalom forma nemini ſecundus 237
abſalom quod concubinas patris ſtuprarit, vnde profectum 32
abſalomi coniuratio horrenda 57
AbſtinentiaChriſtianũ perpetuò addecet 101
abſtinentiæ & ieiunii differentia Ibidem
Abundare ex erenis, ſæpius diuina ira 313
abundantia rerum tẽpore Salomonis 303
Abuſus ſcelorum 355
abuſus rerum omnium ingens 377
Abyſſus quid ſignificet 446
abyſſus abyſſum aduocat, quid 129.469
abyſſus terræ Hebræis quid 199
abyſſi trepidarunt quid 326
¶ Acclamationes puerorũ Hebræorũ Chriſto factæ 64
Achabus ieiunium 199
Achitophel vir fraudis 131
Achilles præſtanti forma, à pedum pernicitate Homero laudatus 120.156
Accidentia omnia nobis in bonũ cedũt 381
Accipiter columbã quando aſſequatur 161
Acie fracta ordines perturbantur 115
Actiones hominis quatuor 455
actiones hominum mane auſpicari 460
Actum eſt, prouerbium 39 93
¶ Adam Pſalmũ cecinisse fabulantur quidam eo die quo formatus 353
adam veteris ſtudia ablegare debent ſancti 131
adam filii qui vocentur vulgò 57
Adeps in Scripturis quid 109.180
adeps frumenti ſimilago 109
Adminiſtratio recta regni vnde 177
adminiſtratrix iuſtitiæ lex 416
Adoleſcentiæ peccata 158
adoleſcentia viri ætas potior 57
adoleſcentibus vis carnis imperat plurimũ 413
Adonia Dauidis filius maieſtatis reus 57
Adoptionis Spiritum nobis contigiſſe 56
Adorare quid ſit 359
Adrianus templa ſine ſimulachris fieri iuſſit 410
Aduena in terra homo 433
aduenæ iniuriis opprimuntur 465
Adueniat regnũ tuũ cui precationi par.384
in Aduerſitate quid cõſoletur maximè 169
aduerſa cur Deus immittat ſuis, cauſæ tres 183
aduerſa dolent humanæ naturæ 143
per aduerſa à creaturis ad Deum trahũtur homines 184
aduerſis abſterretur à peccatis peccator 161
aduerſis exerceri perfundit lætitia Sanctos 347
de aduerſis Chriſtiani gloriantur 148
in aduerſis nobiſcum ipſi cõmẽtamur 158
in aduerſis quid quiſque de Deo ſentiat aperitur, & quantum ei fidimus 153.287
Aduerſarii malorum qui ſint 75
aduerſa nobus Deo aduerſa omnia 372
Adulatores canibus venaticis ſimiles 171
adulatorum epithera 45
adulatorum improbitas Dauidi quãtas tragœdias ſuſcitauerit 42
adulatorum mores 199
adulatorum vitia 87
adulatoribus quam infenſus Dauid 45
Adulterium Dauidis, peccatum quale 118
adulterinus amor noctu ardentior 103
¶ AEdificia nõ ſemper celebrẽ reddũt 149
ædificare quid, & quare Paulus eo verbo frequenter vtatur 344
AEdomitæ cæduntur in valle Salis 172
ædomitas domos non habere 331
AEgritudo cadit in ſapientem 182
ægritudinis depulſio a placato Deo oranda 114
ægritudinis vis tragicè deſcripta 180
ægritudinem carnificinam eſſe Ibidem
AEgyptus foſſis interſecta 383
ægyptus terra Cham dicta 381
ægyptus vnguentis accomodatiſſima 354
ex ægypto egreſſi Iudæi Dominum tentauerunt decies 321
ex ægypto liberaſſe Iſraelitas quantæ fuerit maieſtatis 152
ægyptii Barbari quare 407
ægyptii Iudæis ſatis noti 339
ægyptiorum ſacerdotes præpoſterè ſapientes 586
ægyptios vocat dracones Scriptura 311
ægyptiaca ſeruitute Deus ſuos quam potẽter vindicauit 317
AEmulorum officia impoſturis plena 55
AEquo corde qui ſint 180
æqua Deum curare 107
æquitatis definitio 367
æquitate nobiſcum agit Deus 427
AEneas forma pulcher 136
AEnigma quid 148.320
ænigmata quibus obſcura Ibidem
Aer cælorum nomine vſurpatur 468
aer ignem refrigerat, & ab aquis reſpirare facit 184
iuxta AEſtimationem noſtram Deum ſæpe loqui 398
AEtas hominum LXX annorum 350
ad AEtatem iuſtam peruenire Sanctos 372
ætas viri potior quæ 57
AEterna quæ diuina 301
æterna quæ in cælis 120
æternitatem iuſtorum Dei cælum & terra indicant 428
AEthan Ezrachita cantor 217
AEthera quid 120
AEthiopes Iudæis ſatis noti 339
æthiopes regem Aſa quam numeroſo exercitu inuaſerunt 143
æthiopes circunciduntur 29
æthiopes religionis ſtudioſi Ibidem
æthiopia AEgypto contermina Ibidem
AEthnschtha pũctus Ebræis ſecant 41.124
¶ Affectus Pauli erga Sanctos 80
ad Affectus mouendos noſtra commotio neceſſaria 68
affectus animi Deus audit 49
affectus in veritatis iudicio vitandi 11
affectus quibus conſtant 189
affectus recondiciores per renes intelliguntur 61
affectuum ſedes renes 103
affectuum mouendorum artifex Dauid 81
affectuum naturalium craſſities expellẽda 109
affectuum repreſſio per ſacrificia intelligitur 40
affectuum tractator Dauid peritiſſimus 65
affectibus rapi, beſtiarum 186
Afflictio turbationem gignit 102
afflictione amor creaturarum euaneſcit 81
afflictiones cumulare poſſumus, proprio cõſilio expedire non poſſumus 88
afflictos extollere conſueuit Dominus 466
afflictos iniuria afficere Satanicum 397
afflictorum mens quantis agitetur fluctibus 88
afflictis adeſſe Deus ſolet 74
¶ Agarenos nullas habere domos 332
Agere coram Deo quid 456
Agilitas corporis in bello exquiritur 115
Agnoſcere noſipſos ſaluberrimum 78
Agri vt diuidantur 324
agricolæ quas euellant zizanias. 437
¶ Ahena flumen 375
¶ Alexander rex Iudæorũ Machabæus 472
Alicuius alienus eſſe, quod quis facit ipſe, aut illi ſit ab alio, Scripturæ mos loquẽdi frequens 275
Alieni qui 168
alieni qui ſint Sanctis 23
alienos deos quos Scriptura vocet 101
aliena pecunia vti, ac dominus nihil inde lucrari, malum 99
Allegoriam in pſalmo 6, cur author vitet 53
Alumni ciere metum 140
¶ Amabili nomine Deus 446
Amalechitis quomodo maiorum peccata repenſa. 398
Ambitio contumeliam abhorret 20
Ambra quid 138
Ambulare coram Deo quid 117.175
ambulare in latitudine quid 425
Amen, Chriſti iuramentum 156
amen quid ſit 226
Amicus amicum celare nihil debet 341
amico fidem quando quis fallere poſſit. 98
ab amicis deſeri, caſtigatio Domini 124
amicitiæ fructus præcipuus ſecreta inuicem communicare 163
Amictus Dei, lux 375
ἀμύμονας vocat Homerus AEthiopes 191
Ammonitæ Ioſaphat regem impugnãt 145
ammonitis bellum intulit Dauid 111
ammonitas funditus deleuit Dauid 26
in ammonitas quantũ ſæuierit Dauid 116
ammoniticum bellum a Dauide geſtũ per-

riculoſiſſimum 130
Ammon Dauidis filius flagitioſus 57
Amor adulterinus legitimo vehementior. 105,& 388
amor conditoris vnde accendi poſſit 376
amor Dei fide gignitur 30
amor Dei in Biblijs præcipuè exigitur 219
amor iuſtitiæ, adminiſtrationis rectæ cauſa eſt 237
amor ſui quando ſeſe prodat 184
amoris excitatrix potentiſſima eſt pulchritudo 226
amoris ſedes in homine 180
amorem creaturarum afflictionibus euaneſcere 85
amorem Dei quid excitet 143
amorem Legis, dilectionem Dei coniunctā habere 430
amore Dei ſalus & pietas conſtat 147
Amplitudo Dei ex humanis nullæ rei æquiparari poteſt 110
amplitudo Dei inueſtigabilis 463
Amplificatio per ratiocinationem 34
amplificationem regni Dei omnes pii orat. 157
¶ Anablatha villa 411
Ancillæ ad manus heræ reſpiciunt 435
Anconæ ornatæ, domus exornant 467
Angeli cur ad laudem Dei inuitantur 374
angeli Deo non conferendi 337
angeli ſemper Sanctis aſſiſtunt 322
angeli præſides paruulorum 135
angelorum cibus manna quomodo 312
angelorum conditio 468
angelorum miniſterio infantes quotidie ſeruari 64
angelorum natura 469
angelorum nocentium legatio mala 313
angelos Dauidi auxilium tuliſſe 165
per angelos ingentia Deus perficit 374
per angelos opera ſua perficit Deus 212
angelos Sanctos tueri 194
Anguſtiati quò fugere debeamus 114
Anima ſtillantem diffluit anxiis 424
animæ nomine quid intelligatur 193
animæ redemptio quam pretioſa 249
animæ reſtitutio 149
animæ ſanitas liberum facit arbitrium 14
de animæ ſtatu poſt hanc vitam in Veteri inſtrumento parum habetur 54
animæ vocabulo, corpus ſæpius intelligitur 60
animam Dei aſſumere quid 152
animam effundere quid 218
animam hominis recreari ex Lege 112
animam in manibus eſſe 444
animam tabe conſumi quid 180
Animalia marina omne numerū trāſeūt 66
animalia multo plura in mari, quam in terra 393
animalis vita per animam intelligitur. 180
Animantes miracula Dei mirè oſtendunt 470
animantes viuas cur olim ſacrificari ſolitū fuerit 232
Animus ad vnum Deum tollendus 342
animus credentis ad Dei iudicium prouocat 231
animus hominis bonorum capax 42
animus malo incrudeſcit 179
animus mœrens, abyſſum iudiciorum Dei non poteſt cognoſcere 73
animi ægritudines Deo querendæ 143
animi lætitia fructus fidei 103
animum non eſſe deſpondendum docet Dauid 214
ex animo quæ non fiunt, Deus abominatur 32
animos hominū Prophetæ quomodo ſemper excitare conentur 119
animos noſtros Spiritus ſancti igne cremari neceſſe eſt 132
animos ſacrificantium Deus poſcit 252
animi Sanctorum quando erigantur 348
Anna vidua laudata 444
Annus coronatur quomodo 282
anni initium apud Iudæos Ibidem
Annoſæ arboris pulchritudo 110
annoſi qui fiant 194
Antichriſtus Mahomet 147
Antilibanus mons 172
Antiochus filiorum Dei primus tortor 347
antiochus in Iudæa primos fecit martyres, ac vitæ futuræ teſtes 57
antiochus templum vaſtauit 309
antiochi rabies 316
antiochi temporibus in qua calamitate Iudæi fuerint 234
antiochia Syriæ, Amath dicta 117
¶ ἀπάθειαν Deus in ſuis non probat 55
Apertè agendum in omnibus 385
Apiculæ gubernationē aſſequi nequim⁹ 195
Apis bos, AEgyptiorum numen 386
Apollonia Iudæis ſubdita 472
Apoſtoli filii Chriſti 193
apoſtoli fulmina Dei 363
apoſtoli in ægrotis curandis quem finem quæſierint 51
apoſtoli in orbē vniuerſum à Chriſto miſſi 251
apoſtoli Iudæi 414
apoſtoli quantum maieſtatem Chriſti extulerint 322
Apoſtema maledictum Legis 212
Apoſtrophon 28
Apri maximè vineas deuaſtant 358
Aprilis menſis quam pluuiam poſcat 282
¶ Aqua pernicies præſentiſſ. 184
aquæ cœnacula Dei quomodo. 375
aquæ, ira a ſignificant 294
aquam quomodo Deus miro modo hominibus adminiſtret 376
aquæ parturierunt quid 317
aquæ validæ 461
aquarum egreſſus quid 393
aquarum inundatione calamitates intelliguntur 219
aquis in Scriptura pericula aſſimilātur 312
de Aquilæ renouatione mira 372
aquilæ ſenecta, prouerbiū vnde natū. Ibidē
¶ Arabes magos non fuiſſe 392
arabes ſēper Iſraelitas infeſtarunt. Ibidem
Arabia fœlix quæ & Saba Ibidem
arabiæ eremus 173
arabicus ſinus Iudæis à Meridie 395
arabicus ſinus ſecatur 184
Arbiter confeſſionis quis eligendus 187
Arbor qualis ſit homo pius 6
arborem areſcere, eſt folia eius areſcere 28
arbores Dei cur dicantur 376
arborum parabola in Scripturis frequentiſſima 7
arborum vſus 377
arboribus ſterilibus cur mali cōparentur. 7
Arca Dei quid 378
arca fœderis, Chriſti typus 343
arca fœderis, præſentiæ Dei ſignum. 328
arca fœderis facies Dei nonnunquam dicitur 380
arca in medio populi Iſrael collocata 317
arca ſæpius locum mutauit ante templum conditum 354
arca teſtimonium fauoris Dei & præſentiæ eius 246
arcam fœderis abſtulit Antiochus 310
arcam quo tripudio Dauid trāſtulerit 144
Arcus doloſus, quid 314
Arioli vana ſectantur 219
Ariſtoteli in natura rerum, Iob par 173
Arma noſtra qualia 155
Armaturæ dies quæ 456
Armenus imperauit vrbs Tharſis 246
Armenta quæ dicantur 66
Aromata diuina res 238
aromata vnde 302
Arrogantia & tumor impiorum 306
arrogantia in oculis ſe prodit 442
Artes honeſtæ frigent 389
Artifex in quo opere lætetur maximè 378
artificum ingenium, dii Gentium 409
Areuna Iebuſæus 443
Arx munitiſſima Deus, quam ſemper adire licet 298
¶ Aſaph princeps Cantorum 252
aſaphi poſteri, poetæ ſacri 380
Aſchiſchah genus mēſuræ apud Hebræos 146
Aſmonei qui dicantur 392
Aſphaltites lacus veſtigia Sodomæ 83
Aſpides carminibus cogi 268
Aſtrorum iudicia fallunt ſæpe 112
aſtrorum ſtupendum opificium 468
aſtris quantum vtendum Ibidem
Aſyndeton frequens in Scripturis 258
Aſſyrii Ezechiam regem impugnant 243
aſſyrii theſaurum templi ſuſtulerunt 308
¶ ἄθεοι qui ſint 64
Attilii Reguli factum fidele donū Dei 97
in Atriis Dei habitare vera fœlicitas 182
¶ Auaritia paupertatem ferre nequit 21
Audaciæ ſedes in homine 180
audire Deū, bona omnia ſecum affert 309
audire, donum Dei 348
auditus tarditas vnde 372
Aures perfodere quid 130
auricularis confeſſio, quid 186
auricularis confeſſionis fructus apud ſceleratos 187
Auſcultare Deo, gratiſſima hoſtia 215
Aues obiectu alarum pullos tegunt 355
Aulæ peſtis qui 368
aulæ principum quales eſſe deberēt, & iam ſint 27
in aulis Dominica dies quomodo tranſigatur 355
aulici Saulis, Dauidi quàm infenſi 64
aulicorum mores 25
aulicos quos eſſe, quos non eſſe deſiderandum 87
Aurora vitæ nouæ quæ 242
Aurum igne purius fit 184
auro homines nihil pluris æſtimant 123
aurum Eccleſia in quem vſum habeat 108
Authoris intentio in explanādis pſalmis 10
authores vetuſtiores in ordinem cogere inhumanum 10
authoritas principibus quibus rebus conciliatur 237
Autumnus optatior vere 57
Auxilium à Deo ſolo expectandum 433
auxilium hominum inane eſſe 464
auxilii Dei certitudo 48

Azotus Iudæis ſubdita 465

B

BAal Peor deus qualis 387
Babylon mons dicta 229
babylonia filia vaſtata 450
babyloniã multis fluminibus irrigari 449
babylonij Iudæis ſatis noti 339
babylonicum exilĩũ futuræ fœlicitatis teſtes effecit primo 58
babylonici exilij tempore plures pſalmos fecerunt Leuitæ 309
babylonica captiuitas 449
Baculus & pedum idem ſunt 149
baculus & virga, caſtigationes Dei repræſentat 150
Barbari AEgyptii 407
Bardus quis 249
Barnabæ ac Pauli contentio 124
Baſchan regio qualis 140.290
¶ Beatus quis 1.183
beati nomen pluribus ex bonis nanciſci 1
beatitudo omnis in cognitione Dei 110
beatitudo vera vnde petenda 107
beatitudinis nomen plurale tantum apud Hebræos 1
Belial pro ſcelere 224
Bellum celeritatem poſtulat 125
bella gerentibus animo opus eſt Ibidem
bella noſtri temporis diuturna vnde 390
bella quæ geſſit Dauid difficillima 212.273
bellica virtus laudatiſſima 136
belligerare inter ſe, Chriſtianorum non eſt 324
Belluæ à Deo eſcas petunt 377
belluæ marinæ variæ atque innumeræ. 66
Benedictionis nomen in Scriptura quomodo intelligatur 35
benedictionem qui odio habeant 397
Benefacere qui non poſſint 115
beneficia Dei hominibus ſemper excidũt 159
beneficia Dei cur in nos conferantur 405
beneficia in Iſraelem à Deo collata typi bonitatis Dei 283
beneficiorum Dei oblectatio, ne amorem eius excludat magnopere cauendum. 58
beneficiorum Dei priſtinorum recordatione eriguntur animi Chriſtianorum. 348
pro beneficiis mala pati, Chriſtianorum. 32
Beneficos natura laudamus 471
Beneuolentia vltronea Dei, prima beneficiorum cauſa 313
Beniamin paruulus cur dictus 291
Benignum eſſe in homines, naturam Dei exprimit 366
benignitas Dei vt commendetur, quid efficiat 219
D. Bernhardi comparatio pulchra 30
Beſſis centeſimæ, vſura 99
Beſtiæ noxiæ, die in luſtra conduntur 377
beſtiis qui ſimiles 186
Bethel locus ſanctus 410
Beth-lehem quæ Ephratha 443
¶ Bibere Chriſtum quid 321
¶ Blaſphemiæ quantum Deum irritent 73
blaſphemias Deus ferre nequit 311
¶ Boni, addicere quibus ſe debeant 4
boni a Deo euehuntur quum premuntur a malis 382
boni alios ex ſeſe iudicant 199
boni bonis delectantur 367
boni de omnibus bene mereri ſtudent 75
bonos Dei quos vocet Script. 175.336.349
boni qui 86.443
boni quomodo malos contemnere debeant 66
bonorum caſtigatione pii exhilarãtur. 307
bonorum erga Sanctos affectus 87
bonorũ illuſio, obſcuratio gloriæ Dei 157
bonorum fons quis 425
bonorũ in aduerſis non obliuiſcendũ. 176
bonis moleſtiam accerſit lingua mendax 423
bonis ſemper mali permiſti 390
bonum omne ſolum Deum eſſe 6
bonum quicquid, id donum Dei 391
bonum quod pulchrum 136
boni vitium vnde 114
boni nemo habet quicquã niſi à Deo 399
boni nihil timẽtibus Deũ deeſſe poteſt. 288
boni velle aliquid libere homo nequit 13
bona à creaturis quærere, fundamẽtum iniuſtitiæ 40
bona cuique ſua à Deo definita eſſe 84
bona Domini videre quid 169
bona eſſe, quæ Deus inter bona numerat, nemo dubitare auſit 57
bona externa euaneſcunt citius 110
bona externa quæ Scriptura promittat ad pietatis ſtudium accendendum 383
bona nobis quam Iudæis præſtãtiora promiſſa 41
bona Sanctorum, typus Chriſti 114
bona temporaria per ſatietatem oris deſignantur 372
bonorum fons 425
bonis externis vetus populus ducebatur. 42
bonis hæreditariis nihil æquè bonum 103
Bonitas abſoluta iuſtitia 406
bonitas Dei in Dauidem ſtupenda 133
bonitas Dei ineffabilis in nos 109
bonitas Dei quanta 399
bonitas Dei quæ 158
bonitas Dei ſemper obliuioni traditur. 119
bonitas Dei vbique inuulganda 251
bonitas mera Deus 373
bonitas perfecta quæ ſit, & quid ei conueniat 6
bonitatis comes iuſtitia, fides, pax 336
bonitas Dei ſignum maximum, quale. 344
bonitas pro miſericordia 38
bonitatis Dei præconium 280
bonitatis & veritatis obuiatio 336
bonitati ſtudere, oportet bonitatẽ Dei implorantem 337
bonitatem Dei ob oculos eſſe quid 365
de bonitate Dei perpetuò loquendum 201
bonitate Dei plena terra 426
Bos animal vtile 386
boues feros & cornu petere, & pedibus conculcare obuium 233
boues onerarii qui 455
¶ Brachium Dei extentum 448
brachium pro robore 317.454
¶ Buccinis ad ſacrificia clangebatur. 167
Budæi encomium 29

C

CAdere cauſa quid ſit 8
cadere ſub rege quid 237
cadentes qui ſint 464
Cæcitas membrorum defectũ indicat. 465
Cælum, Vide COELVM.
Cain qua pœna affectus 197
Calamitas Dauidis a filio expulſi ingẽs. 219
calamitas ex neglectu verbi 425
calamitas Iudæorum vnde 213
calamitatis publicæ nullus dolor 389
calamitate opprimi miſerum 198
de calamitate cuiuſquam, non temere iudicandum 116
calamitates etiam bonis, bono cedunt 307
calamitoſos iniuriis affligere Satanicũ. 396
Calcaneus in Scriptura quid 192
Calchol vir ſapiens 345
Calix, certa malorum & bonorum portio in Scripturis 373
calix ſalutum quid 414
calicis portio in Scriptura quid 84
calicẽ turbido vino plenũ bibere quid 313
Calidum & frigidũ ex eodẽ ore ſpirare. 48
Caliditas quid ſit 95
Calumnia quanta peſtis Ibidem
Calybea oſtia quæ 392
Candaces regina AEthiopiæ 391
Candor omnibus ineſſe debet 11
candor Sanctorum 199
candore fœlicitas indicatur 189
Canes qui dicantur 34
Canonicæ horæ vnde ſumptæ 431
Cantus in pontificatu hodiernus Deum irridens 49
de cantu Eccleſiaſtico quid Gregorius ſtatuerit Ibidem
cantilenæ componuntur nouæ in nouis affectibus 189
cantorum princeps Aſaph 351
cantores an pſalmos etiã dictarint. 227.345
canticum graduum 435
Cappadociæ imperauit vrbs Tharſis 146
Capiſtro muli continentur in officio 185
Captiui ex Sanctis cur inter victores benignius tractentur 389
captiui quos Chriſtus in altũ ſubduxit. 290
captiuitas Iacob quid 355
Caput angelorum Chriſtus 374
caput bonorum omnium in nobis, noſſe Deum 285
caput lugentes & pudore ſuffuſi, deiiciũt. 33
capitis motio, deriſionis ſignum 234
capitis noſtri euector Deus 33
Carbones iuniperorum vrunt vehementius 433
Carmelus mons Iudæis ſubditus 472
Carmen Dauidis Deus quomodo 416
carmina componere ars magna 244
carminibus coguntur ſerpentes 268
carminibus nouis celebrantur quæ afficiunt 361
Caro bona nihil poteſt proficere. 257
caro ſemper à cultu Dei reuocat 423
caro ſemper mortificanda 201
caro ſemper noxia cupit 386
caro ſibi viuere perpetuo quærit 98
caro vt gratitudinẽ erga Deũ interuertat 101
carnis noſtræ ſtupor quantus 351
carnis curas paſtores ablegare oportet 390
carnis dolus ſeipſum extollere 36
carnis peruerſitas timet quũ promittit Deus, quum vetat, optat 387
carnis timor continuo recurſat 311
in carne hac nihil boni 95
Carpere cupide omnia, diabolicum eſſe 11
Caſtigatio Domini humiliat Sanctos 313
caſtigatio Domini vt ferenda 114
caſtigationis diuinæ vtilitas 426
caſtigationem Dei bonam agnoſcere fœlicitas 223
caſtiget Deus quomodo 425
Catachreſis tropus 18
Catus quis 95
cauſæ ementitæ ob quæ impii pios perſequuntur 417

cauſæ noſtræ vni Deo committendæ 63
cauſæ precandi quæ ſint 49
¶ Cedar filius Iſmaelis 432
Cedri Phœniciæ arbores 172
cedrorum ſimilitudine cur potentia tyrannorum expreſſa 7
cedri quid ſignificent 469
cedris robur inſigne 314
qui Celebreos Deum iugiter 286
celebrari Deus tantopere cur debeat 359
celebratio quæ Deo grata ſit 360
celebrationem nominis ſui Deus ante omnia poſcit 118
celeritatem, bellum poſtulat 115
Celſitudine indui quid 355
in Cenſendis dogmatibus quid vitandū. 22
de Centum, quinque vſura moderna peſtilens 58, & 99
centeſima vſura 99
Centurionis fides vnde 392
Ceremoniæ, abſque Deo abominabiles 49
ceremoniæ, nomine iudicii & teſtimonii ſignificatæ 329
ceremoniæ puerilia elementa 252
quibus ceremoniis Deus vituperetur 165
ceremoniæ diuinæ ad quid datæ 164
ceremoniæ externæ quanti faciendæ 222
ceremoniæ fide carere non debent 255
ceremoniæ Latinis quid 422
ceremoniæ religionis elementa 118
ceremoniarū cauſa animū tollere, vanū 24
ceremoniarum vſus quis 155
ceremonias præſtant tātū, qui fide carēt. 30
ceremonias quas quærat caro, ac quas requirat Deus 116
ceremoniis impii qui 155
ceremoniis liberi qui 252
ceremoniis non fidendum 321
ceremoniis quibus Chriſtus Deum coli inſtituit 402
Ceruos glocitare 118
cerui ſerpentes vorant Ibidem
ceruæ Eccleſiam comparari poſſe 137
ceruæ tempeſtate cōſternatæ parturiūt. 173
¶ Chaldæi Iudæis à Deo immiſſi 4·5
chaldæi Iudæos oppreſſerunt 88
Chanaan regio fluminibus caret 188
chanaan regio montuoſa 22
Charitas proximi, Dei donum 2
charitatem exigit Deus 397
chariſſimos quos Deus habeat 155
Chartæ ex lino macerato & putrefacto. 54
Chebar fluuius 449
Chermon mons 229
Cherub quid ſit 112.163
Cherubim cur Paradiſum obſeruarit 107
cherubim qua forma fuerint 365
in Choro ſacræ odæ quomodo modulandæ 390
Chriſtus cur hominis filius dici voluerit. 65
chriſtus etiam angelorum caput 374
chriſtus & Dauid quomodo cōparandi. 143
chriſtus exemplum quod in calamitate nō deſperandum ſit 226
chriſtus in Dauide adumbratus 20
chriſtus inſtaurat omnia 362
chriſtus iudicat iam terram ac omnia 331
chriſtus lapis reiectus 416
chriſtus omnibus imitandus 294
chriſtus ſanctorum magiſter 304
chriſtus patitur in Sanctis indignè affectis 225
chriſtus quomodo ſuos defendat 302
chriſtus ſynceriorem Dei cultū docuit. 118
chriſtus vltima ac perficiens hoſtia 137
chriſti adumbratio, omnis Dauidis vita 108
chriſti amabilitas 303
chriſti cultores liberos ſuos lo loco caſtigare acerbius, ægrè ferunt 388
chriſti de gloria & maieſtate quanta ſperanda 25
chriſti epulum 146
chriſti exultatio admiranda 417
chriſti gloriam precationibus obtineri 52
chriſti glorificatio Dei laudes ampliſſimas excitauit 463
chriſti hoſtes qui 400
chriſti imperium quantum dilatatum 25
chriſti imperium quàm latum 471
chriſti imperium vt recipiat principes, quid faciat 27
chriſti iuſiiurandum 156
chriſti poteſtas quanta 46
chriſti precationes quales fuerint 49
chriſti regnum afflictis eſſe vile 463
chriſti regnum idem quod Dei 21.147
de chriſti regno votum Dauidis 167
chriſti regno quare ſolis & lunæ diuturnitas attributa 346
chriſti ſacerdotes à voluptatibus ſe continere vix poſſunt 388
chriſti ſacrificium ſpontaneum 261
chriſti ſublimitas reuelata quando 400
chriſti virtus vt exerta 363
chriſti vox, Deus Deus meus vt quid me dereliquiſti, quomodo intelligenda 143
chriſto nemo vnquam fuit alienior 139
chriſto quæ de generis humani dignitate dicuntur, competunt primum 65
chriſto vt acclamatum Hieroſolymæ 417
chriſtum ad dexteram Dei ſedere, ſummū in orbem beneficium 145
In Chriſtum ægritudo cecidit 180
contra Chriſtum cauillationes Iudæorū 25
chriſtum corporis forma præſtitiſſe omnibus 140
chriſtum cur tam enixè extulerit Dauid. 118
chriſtum Dauid dominum vocat ſuū. 400
chriſtum hoſtibus omnibus ſuperiorem futurum 255
chriſtū inferos adiiſſe, quomodo 204.106
chriſtum ſacerdotem eſſe ſecundum ordinem Melchiſedec 402
chriſtū ſuper omnia regnare miraculū. 336
per chriſtum vera Hieruſolymorum reſtitutio 370
per chriſtum vt humana natura reparatur 344
à chriſto ſolo rectus liberi arbitrii vſus. 12
de chriſto cantare, Dauidi quam dulcè, & quare 118
de chriſto quæ nobis perſuadenda 24
in chriſto habitat Deus corporaliter 336
in chriſto omnia conſummata quæ in aliis figurata 105
in chriſtū quomodo Pſalmus quadret. 133
chriſtianus quatenus iraſcatur 39
chriſtianus quæ loqui debeat 96
chriſtiani profeſſio quæ ſit 27
chriſtiani eſt ſe totum Deo dedere 468
chriſtiani cur præ cæteris in commendatione diuinæ bonitatis ſeduli eſſe debeāt 222
chriſtiani cur Sabbathi dominicam inſtituerint diem 355
chriſtiani oues inter lupos 316
chriſtiani Romanis exoſi 288
chriſtiano chriſtianus cōfitetur peccata. 186
chriſtiano dolores oēs quæ res excutiat. 175
chriſtianorum eſt peccatores recolligere. 4
chriſtianorum infirmorum vacillatio typo populi Iſraelitici adumbrata olim 385
chriſtianorum nomine quis inaniter glorietur 147
chriſtianorum perſecutiones vnde 316
chriſtianos an deceat iuramentum 155
chriſtianis per Iehouam iurare, propriū. 152
chriſtianos Dei eſſe, & Deum in illis 25
chriſtianos qui exerceant 255
chriſtianos vt Chriſtum, mala plura perpeti oportet 350
in chriſtianis dona Dei ſēper augeſcūt 344
chriſtiani eſt omnibus prodeſſe 18
chriſtianæ ornare quomodo ſe debeāt. 462
chriſtianæ profeſſionis incrementa vnde. 366
chriſtianiſmus in quo ſitus 252
Chryſoſtomi comparatio pulchra 30
Chus Iemini filius 59
¶ Cibus homini neceſſarius 127
cibus viuificus Euchariſtia 404
cibo cupita intelliguntur 372
cibo & potu nihil magis neceſſarium 132
Cicero vir prudentiſſimus 15
cicero reipſa cum veritate conuenit 13
Ciconia in altioribus locis nidificat 377
Cidaris ornamentum regii capitis 444
Cilicia olim Tharſis dicta 146
Cinnora quid 189
Circunciſionem prohibuit Antiochus 310
Citaris ornamentum regum 444
Citrum pharmacopolis quod Arabibus Sandal 338
Ciuem eſſe regni Chriſti quid ſit 22
ciues cælorum quibus moribus præditos eſſe oporteat 24
ciues Hieroſolymæ veri qui 314
ciuis in cælo homo 424
ciues Sionis vt ſimus, ſummopere orandum 24
ciuitas Dei Hieroſolyma 402
ciuitas Dei ſolis ſanctis patere debet 368
ciuitas mortis quæ 402
¶ Clades Syrorū à Dauide facta ingens 119
Clangorem noſſe quid 345
Claues regni cælorum 434
Clementem eſſe quando ſit ſcelus 117
clementia Dei 441
clemētia Dei in eos qui ipſum offendūt. 282
clementiæ Dei qui ſe committunt, tuta eorū 285
Clypeus Deus 335
clypeus Deus vocatur in Pſalmis frequentius 33
clypei pro magiſtratibus 144
¶ Cocitis factum laudandum 16
Cœlum cuius rurſum quam vt pius à Domino derelinquatur 118
cœlum demiſſum videtur ingruente tempeſtate 392
cœlum & terra vindictæ Dei ſeruiunt. 252
cœlum rurſum immutandum 372
cœlum ſæpius variari & mutari 222
cœli cœlorum 468
cœli Deo cur attribuantur 409
cœli qui 344
in cœlis vita perpes & beata 4·9
cœlorum ſtructura admiranda 119
cœlos bonitatem Dei annuntiare quid 252
cœli corpora recreant 282
cœlos demittere quid 462
cœlos ſingulis diebus, nobis materiā prædicandi opera Dei exhibere 220
de cœlis laudare dominum quid 467
in cœlis relucēt opera Dei præcipuè 375

cœlites cur dii vocentur 65
cœlitum conditio terrigenarū melior. 409
cœleſtis Eccleſiæ ac tēporalis diſcrimen. 95
Cœnacula Dei, aquæ quomodo dicātur 375
Cœtus Sanctorum quibus nominibus ſignificetur 436
cœtus ſacri deſiderium nos teneat 230
cœtū in bonam & malam partem accipi 8
in cœtu Sanctorum quid in primis quærēdum 164.167
cœtus ſacri cur inſtituti 164
Cogitatio conceptui aſſimilatur 62
cogitationes Dei quas admirantur homines, quæ 361
cogitationes noſtras Deum non latere 322
cognitio Chriſti vera quæ 23
cognitio Dei ab ira Dei liberat 326
cognitio Dei, laudē Dei veram excitat. 180
cognitio Dei parit amorem 90
à cognitione Dei omnia pendere 310
cognoſcitur Deus vnde 29
cognoſcere Deum omnia, vnde ſcire poſſimus 357
cognoſcere, donum Dei Ibidem
cognouiſſe Deum, æterna vita 122.227
cognouiſſe Deum ſumma fœlicitas 110
Colere agrum & colere Deum 366
colere Deum radix pietatis 405
coli Deus quomodo velit 106
colitur a nobis Deus mente 209
colendus vnus Deus 365
colentes Deum in pretio habendi 97
Colles dici poſſunt dona Dei 336
colles pacem ferent 301
Colloquia bona vel mala vnde proueniās 25
colloquia Chriſtianorū quæ eſſe debeant. 6
Collo duro loqui, quid 313
Columba muta Dauid 165
columba volatu perniciſſ. 162
columbæ aliquando nuntiorum vice fuere Ibidem.
Comites iuſtitiæ qui 2
Comparationi ſæpius nimis imparis as gratiam addit 150
Commemoratio mortis Domini in Eucharistia quid 146
Commendatio diuinæ bonitatis in nobis feruere debet 222
Commentarios hos in Pſalmos qui legere velit, quæ primo diſcere debeat 216
commentamur nobiſcum ipſi in rebus vel aduerſis vel ſecundis 413
Communicantes relinquere conſcientiæ impiorum, quis primus docuit 187
Conatus mortalium omnis inanis ſucceſſum negante Deo 455
conatus noſter ſine Deo fruſtra 438
Conceptui cogitatio aſſimilatur 62
Conciliatio locorū, 2. Samu. 10, & 1. Par. 19. de numero Syrorum à Dauide interfectorum 139
Concilium in bonam & malam partem accipitur 8
Concio Petri vera 304, & 305
conciones Sacras lætanter adeunt Sancti 434
in cōcionibus quæ præcipuè diſcēda. 474
concionatoris Chriſtiani officium 55
Conciues noſtri Angeli 373
Concordia, ſalus hominum 10
Concupiſcentia idem quod voluptas 18
concupiſcentiæ ſepulchra 374
Concurrere quid ſignificet 29
Condamnati, quiſquiliæ ſunt 8
pro Cōditione noſtra nobiſcum agere, condamnare eſſet 114
Condiτrix omnium potentia Dei 359
Condonans iniquitatem Deus 357
Confeſſio auricularis quàm vana 40
confeſſio quid ſit, & eius definitio ſecundū Chriſtianum 186
confeſſio auricularis cur apud Græcos deſita 187
confeſſio vera quæ Ibidem
confeſſione peccatorum quid ſpectandum Ibidem
quid confitendum & cui 187
confitendum ſemper 188
Conflagrationes montium extingui nequeunt 332
Congeries, ſchema rhetorices 2
Congius, genus menſuræ 146
Cōiuratio in Dauidem grauiſſima 213
Conſcientia docet nos omnia mala ob peccata noſtra pati 399
conſcientia Sanctorum 431
conſcientia ſecura nihil beatius 131
conſcientiæ ſuæ reliquit communicantes Nectarius primò 187
Conſenſus quibus debeatur 55
Conſideratio factorum Dei in ſpem bonam erigit 460
Conſilium improborum quale 3
conſilio proximus iuuandus 255
conſilia hominis, hominem perdunt 329
conſilia impiorū ſucceſſum nō habent. 26
conſilia impiorum quomodo a Deo peruertantur 113
conſilia noſtra Deo cognita eſſe 460
conſiliorum impiorum ſumma quæ ſit 3
conſiliis parturitio aſſimilatur 62
conſiliarii, principum paſtres dicti 91
conſiliarii qui optandi, qui vitandi 87
cōſiliarios principum iuſtos eſſe decet. 268
Conſolatio ægris grata 185
conſolatio hominum nullius momenti. 316
conſolatio in aduerſis præcipua quæ 180
conſolatio preces excipit 170.458
conſolationes inter orandū ſanctis occurrunt 168
cōſolatur Dominus omnes de ſua benignitate ſperantes 35
conſolatio animi vera quæ 424
Conſtantia fidei quanta poſſit 430
conſtantiam verbi Dei perpetuam qui teſtentur 417
Conſtantinus Imperator, Mathematicos capite punire iubet 468
conſtantini Magni tempora fœlicia 25
conſtantini victoriæ 471
Conſuetudo humana non ſequenda 17
Cōſummatio prauitatis Deū non inuocare. 95
Contemptus Dei ex opibus 406
contemptus Dei in Saule & Dauide diſcrimen 157
contemptos reddis Deus 394
Contentio pietatem ſimulans vocaliſſ. 394
Contremiſcere quid ſit 38
Contritis Deus auxilium non differt 214
Cōtumelia in Spiritum ſanctum eſt libros ſacros non attentè legere 26
Conuentus colentium Deum frequentant ſæpius pii 164
conuentibus ſacris Sancti cupidiſſime adſunt 128
Conuerſatio bonorum in principio qualis eſſe debeat 97
Cōnuictus malorum vitandus 368
Conuerſio Gentium prophetatur 370
Conuiuia ſacra adquid inſtituta 114
in conuiuiis olim certa portio vini dabatur 375
conuiuia ſacta olim in vſu 414
Copia rerum à ſolo Deo petenda 42
copiæ regum potentia 189
copiæ immenſæ Deo 464
Cor accroſum quid 308
cor creaturis omnibus imperueſtigabile. 375
cor incaleſcit dolore 216
cor in Scriptura quid 165
cor omnium virium fons 222
cor opibus non adiiciendum 377
cor palpitat ſæuiente dolore 213
cor ſyncerum in ceremoniis Dei habere quid 437
cordis blaſphemiam perinde eſſe atque maledictum prolatum ore 77
cordis cogitationes lingua proferūtur 159
cordis oratio vera vnde proficiſcatur 72
cordis perpenſio idem quod voluptas 12
cordis rectitudo quæ ſit 413
corde confracti qui 466
corde mundus quis 152
corde peruerſus quis 367
corde recto qui ſint 180
Core poſteros pſalmos dictaſſe 218
Cornu Dauidis quandiu germinauit 444
cornu rhinocerotis quanta ſit duritiæ 142
cornu monocerotis robuſtiſſimum 363
Coronæ regis Ammonitarum pondus 135
coronam ammonitarum regis Dauidi impoſitam Ibidem.
Corpus Chriſti arca fœderis 388.
corpus oleo vngatur cur 350.
corporis pulchritudo dos inſignis 316
corporis virium fons in corde 376
corporis dotes omnes à Deo eſſe 118
corporis virtus ros naturæ 405
corpora cælis recreari 112
Correctio res amœna 375
Correptionem reſpuere primus impietatis gradus 358
correptus à Deo, fœlix 358
Corruptorum eſt marceſcere 7
Coruorum pulli implumes quomodo nutriantur 466
Cotta Pontifex Max. 15
¶ Creatio prima omnibus communis. 25
creaturæ contremiſcunt filiis Dei 370
Credentis animus ad Dei iudicium contra inimicos prouocat 532
credentes verè perſeuerans etiam in aduerſis 417
credentibus quæ inſeruiant 552
Creta inſula 302
Crocitatio coruorum preces ad Deum 466
Crudelitas eſt pœnas remittere à Deo præceptas 217
Crux ſumma, ius ſummum 262
crucis æſtimatio digna 175
crucis tolerantia quare ab Apoſtolis ſuadeatur 145
crucem deeſſe, dolore ceſſante 55
crucem leniorem reddis ſpes reſurrectionis 104
crucē fugere quàm alienū à Chriſtiano. 143
crucem luxus ferre nequit 22
de cruce gloriantur Chriſtiani 542
cruciari nos oportet 55
cruciari Sanctos interdū ſuprà quàm ferre

poſſe videntur, cur permittat Deus 215
¶ Cubare actio hominis 412
ob Culpam alienam neminem puniri 398
Coltus Dei verus quis 195.319
cultus Dei veriſſimus quis 379
cultus Dei ſimulatus vltionē prouocat. 130
cultus Dei ſpiritualis, Chriſtianis oſtenſus 130
cultus idolorum, fidei quàm aduerſetur. 43
cultus iuſtitiæ qualis 40
cultum Dei contemni, Sanctis dolor maximus 230
cultū Dei ſynceriorem quis inſtituit 218
ad cultum gratum Deus Iudæos elegit. 380
cultores Dei in populo præcipui qui 365
cultores Dei ſemper victuros 371
cultores Dei veri qui 409
cultoribus Dei omnia ſeruire debere 97
Cupiditas à verbo detorquet 435
Cupita ſi Deus largitur, non ſemper beneuolentiæ eſt 323
Cura Dei erga ſuos præcipue demonſtrata quando 314
curam noſtri quantum gerat Deus. 109.213
curis inanibus afflictiones augemus 88
à curis externis quid bonos abſtrahat 2
curioſi rerum futurarum 180
curioſitas Philoſophantium à Scripturæ ſacræ lectione multos deterret 336
Curia olim in portis 439
Curuum in Scriptura quid 114
Cuſchan Iſraelitas opprimit. 388
Cuſtodes qui 441
cuſtodiæ diuinæ certitudo 433
cuſtodit nos Deus quando 413
Cutis ariditas vnde 180
Cymbalum quid 189
Cyprus inſula 301
Cyrus ſeruus Dei 370

D

DAbar lex vnde dicta 422
Dæmonis opera vtitur Deus quando mala immittit 351
dæmones præſtigia in agris exercere 388
dæmones quibus obediant 66
Dal Hebræis quid 323
Damna vnde nobis oriantur. 66
Danielis ieiunium 301
Darda vir ſapiens 341
Darius ſeruus Dei 570
Dauid ad tempus ſceleratorū conſulta ſequutus eſt 3
dauid Chriſtū, Dominum ſuū vocat. 400
dauid cur Dei præco & laudator ſtrenuus 219.232
dauid à puero variis caſibus exercitus 322
dauid etiā è ſeditione cōmerita ereptus 33
dauid & Chriſtus quomodo cōparandi. 142
dauid fugæ locum duodecies mutauit. 82
dauid fiducia ſua alios ad fidem hortatur. 31
dauid hoſtes ſuos quomodo attriuerit. 166
dauid infirmitatis humanæ exemplum memorabile 255
dauid in infernū quomodo nō deſcēdit. 104
dauid mirus in affectibus exprimendis 91
dauid Odas ſuas quando conſcripſerit 70
dauid ouicula Dei 148
dauidis exilium miſerrimum 43.79
dauid quàm latè regnarit 146
dauid rex cur mortem tantopere deprecatus ſit 57
dauidē vt Chriſtū per afflictiones in regnū intrare oportuit 81
dauidis votum ſæuiente Angelo 442
dauidis ſimulatio 293
dauidis filius Chriſtus 137
dauidis votum de regno Chriſti 167
dauidis habitus ex Scriptura 55
dauidis maieſtas, regni Chriſti typus 454
dauidis ieiunium 199
dauidis imperium vmbella pertenuis ad regnum Chriſti 400
dauidi cur Saul & eius aſſentatores tā infenſi 265
dauidis victoriæ 111
dauid qualis homo 114
dauide nemo ſublimius euectus 399
dauid toto animo impotens 254
dauid Kimhi quid Chriſtianis in Trinitatis negotio obiiciat 14
¶ Debbarah liberat Iudæos 388
Debet Deus nemini quicquam 285
Decachordum quid 189
Decalogi ordo & explicatio 152
Decens quid 189
Decipere alios, malis eſt gloriæ loco 86
Declinantium ſtudia quæ 367
Decor Iacob, cur terra Iſrael dicta 243
præter decorum Sancti nihil admittunt 58
Decius Brutus 261
Decurtatio iræ diuinæ 335
Dedecore qui Deum afficiant 464
Dedicatio templi Solomonis pompoſa. 143
dedicationes ædium publicarum & priuatarum in vſu fuiſſe Hebræis 127
Defectionis Dauidē inſimulabat Saul. 270
Delicatè viuunt diuites 250
Deliciæ veræ quæ 150
Delicta cur à Deo condonentur. 373.374
Delinquimus quotidie omnes 3
Dementia maxima quæ 46
Dentes quid in Scriptura 167.169
dentium nomine quid intelligat Dauid. 34
dentium nudatio quid 200
Deprauationes humanæ vitæ vnde 12
deprecatio pœnæ quando iudicē irritat. 396
Deree vnde lex dicta 421
Deſcendere in nos cunctamur 373
Deſerere ſuos Deus nequit 70
deſeri à Deo nequeunt qui illi fidunt 59
Deſertū Iuda, quod & deſertum Siph. 280
deſertum magnum Iudææ à Meridie 313
Deſideriis ſuis relinquūtur qui ſunt à Deo reiecti 185
deſiderabile quid 189
Deſidia Sanctorum morbis pellitur 312
Deuotiones immanes in pſalmis vnde 51
cur deuoueat improbū Sanctus, cauſæ redduntur 396
Deus à Dauide cur dictus gloria ſua 33
deus ab homine effingi cur nequeat 410
deus adorari à ſuis vbique debet 46
deus æternum Deus 372
deus cur à bellica virtute à Dauide celebratus ſit 154
deus, cur Deus Abraham, Iſaac & Iacob dictus 101
deus cur Iſraelis Deus dicatur 149
deus cur non moretur ſacrificia 252
deus cur rarò à veteribus pater dictus 13
deus quare ſeſe ſuis nonnūquam ſubducat 293
deum exorabilem eſſe quando innotuit. 181
deus ratione optima omnia gubernat 191
deus deorum quid 579
deus Eccleſiæ ſuæ nunquam abeſt 147
deus inuocantes ſe deſerēre nequit 138
deus laudis meæ, quid 396
deus natura bonus 337
deus nullius obliuiſcitur 152
deus omnium Deus 291
deus pater inuocandus 6
deus pauperes quomodo conſoletur 86
deus perſonarum non eſt acceptor 38
deus pingues & ſelectiores hoſtias cur poſtularit 230
deus quā mirabiliter nos quotidie ſeruet. 62
deus quando deſeratur 113
deus quanta beneficia vrbi Ieroſolymæ contulerit 243
deus quare lux vitæ noſtræ dictus 33
deus quomodo agnoſcendus ex primo præcepto 152
deus quomodo det regi ſua iudicia 305
deus quomodo ſuos indigne contra ſe ſtomachantes ferat 213
deus quos euehat 393
deus quos tueatur 276
deus ſemper præſens tam improbis quam iuſtis 45, & 46
deus nunquam ſui diſſimilis 389
deus ſolus cor exatiat 2
deus ſolus orandus in afflictione 217
deus ſolus numerum nouit ſtellarum. 220
deus trinus quomodo vnus 14
deus vnde laudandus 144
vt deus cognoſcatur votum piorum 215
deus quomodo noſtra vita dicatur 33
dei contemptus maximus 180
dei definitio pulchra 409
dei dilectio quomodo caput Legis & quare 29
dei dona qualis 36
dei hoſtes qui ſint 64
ad dei iudicium prouocat credētis animus 131
dei Lex quæ ſit, & vnde dicta 5, & 12
dei nomen ad fallendum nunquam adhibendum 28
dei nomen quid ſit 63, & 64
dei nos eſſe quando probemus 418
dei noſſe, quid ſit 9
dei dicitur quicquid eſt eximiè magnū. 210
deus quid à nobis requirat 356
deum recta curare certum eſt 207
deus ſemper ſui ſimilis 132
deo quid deuouendum in nobis 131
dei regnum idem quod Chriſti 147
dei ſolius eſt ſeruare 35
deo patri Iudæi tribuunt quæ de Chriſto dicta ſunt 24
deo quæ nos cōiungant aut diſiungāt. 153
deo nihil res precioſiſſ. 248
deo cauſam committere, hodie ſtultitia habetur 92
deo defēdēte nemo nobis nocere poteſt. 48
deo ſæpius chariſſ. qui maximè iniuſti illi videntur hominibus 38
deum animus noſter quando poſſideat. 49
deum ignorant Iudæi 348
deum ignorantes quiſquiliis inaniores 8
deū in cælis habitare cur dicat Scriptura. 111
deum intereſſe ipſis, principes cogitare debent 330
deum inter homines agere quēquam, quid ſit Ibidem
deum inuocare quid ſit 314
deum nemini quicquam debere 399
deum nobis adeſſe quando ſentimus 88
deum non eſſe, quare impii apud ſe cōcludant 90
deum non metui vbi idola coluntur. 410

in deum peccant qui peccant 155
deum quomodo negent impii 74
deum verè orare quid ſit 51
a deo vno pendere debemus 388
coram Deo agere quid 452
de deo cur impii audire nolint 77
de deo qui nec audire quidem poſſunt 4
dii Gentium quales ſint,& quibus delectē-tur 13
dii qui poteſtate præcellentes 451
deorum filii qui 344
deos alienos quos Scriptura dicat 101
deos non eſſe qui ad credendum quoſdam inducant 15
deos Scriptura quos vocet 271
Dextera fraudis 461
à dextris Deum eſſe quid ſit 103
ad dextram Dei ſedere quid 399.400
dexteritas manuum a Deo 118
¶ Diabolus,ſpiritus calumniator 95
diabolus,vetus perduellis 6
diabolo nati veritatem percipere nequeunt 146
diabolum quis agat 3
diaboli filii qui 353
Dicta noſtra vt comparata eſſe debeant.151
Dicteriis ſcurrilibus qui ſe accōmodēt.100
Dies Ieruſalem quid 450
dies poſterior,diſcipulus prioris 110
dies Dei bonitatem nobis exhibens manifeſte,quæ ſit 360
dies vltus 377
diem à veſpere inchoant Hebræi 157
ad diem vltimum Chriſtus cur nos attollere capita iubeat 173
Diffidentia omnis excludenda de Deo.466
Diffluxiſſe terram quid 142
Dignatio Dei quando nobis luceat 24
Dignitas hominis,ſermone conſiſtit 167
dignitatis humanæ quis particeps 66
dignitas Salomonis 302
dignitate ſpoliari,diuina vltio 396
Dilectio proximi,Legis perfectrix 149
dilectionis erga Chriſtum natura vera. 102
Diluuiu quid nos admoneat 573
Dimicatio nobis perpetua cum quibus 12
Diocletianus Chriſti perſequutor 468
Diſcrimen nullum externarum rerum in pietate 55
diſcrimen nullum tam magnum quo Deus nos non eripere ſoleat ac poſſit 36
diſcrimina in ſumma Sanctos venire oportere 118
Diſſenſiones tum priſcorum,tum recentiorum magis in verbis quam re 10
Diſcipulus Chriſti quis eſſe poterit 24
Diſſentire cupide,diabolicum 11
Diſſimulatores qui 163
Diuidere pro poſſidere 276
Diuinæ potentiæ amplificatio mira 113
diuinitatis regnū olim ſolū remanebit. 148
diuinorum contemptor Antiochus 311
Diuini vatis ſectantur 119
diuinare ex aſtris vetitum 468
Diuitu huius ſeculi cogitationes ſtultæ.149
diuitiæ ad quid proſint 250
diuitiæ Salomonis ingentes 303
diuitiis auertitur vulgus a recto 406
diuitias nisi res fluxa 248
diuitiis non inhiare qui poſſint 248
Diuos quomodo hodie quidam ornent in vanum 301
Diuturnitas ſolis & lunæ cur Chriſti regno attribuatur 346
Dixerunt mihi,pro cogitarunt de me 199
¶ Docere omnia,Dei eſt 14
Doctrina abſque Deo nihil proficimus.425
doctrina Dei,Lex Dei 16
doctrina Lex cur dicta 112
Doeg homo noxius 455
doeg quis,& qualis 158
doeg exterminium in exemplum abiit. 159
Dogmata qui cenſere volut, quæ vitare debeant 149
Dolor ſpe lenitur 116
dolor ſuccum corporis vorat 369
doloris ſedes in homine 182
dolori homo natura obnoxius 71
dolore incaleſcit cor 116
dolore ſæuiente cor palpitat 212
dolores omnes, quæ res leuiores reddat Chriſtiano 175
Dolere apud Deū Sanctos haud dedecet 55
Dolus vnde 184
dolos iam regnare vbique 390
dolis conſtat improbitas 163
Domeſtici fidei qui ſin 97
Dominus dominorum quid 480
dominus quomodo quæratur 160
dominu ſuum Dauid vocat Chriſtū. 420
domine noſter,vox familiaritatis 67
domini nomine qui veniat 417
dominos ſabbathi eſſe Chriſtianos 354
Dominium pleniſſimum hæreditaria poſſeſſio 160
Dominator Beniamin,cur dictus 291
Dominica dies cur a priſcis inſtituta.Ibidē
dominica die iam omnia ſcelera perpetratur impune 355
dominica precatio quanta contineat 50
Domus panis Beth-lehem 443
domus ſignificatio 438
domum extruere quam alius inhabitet,maledictum 174
Dono Dei nemo ſanus abutitur 175
dona cuncta Deo probari 466
dona Dei in Chriſtianis 344
dona Dei fœlices facere 176
dona Dei occultat ſuperſtitio 36
dona Dei omnia 58
dona hominum non moratur Deus 130
dona omnia a Deo eſſe 118
Dorium melos 189
Dormire quando dicatur Deus,& cur. 135
dormire ſecuritatis ſignū euidentiſſimū.34
dormitare ſomnum ſuum quid 314
Dotes animi omnes à Deo 118
Dothan oppugnatum à Syris 394
¶ Dracones beluæ immaniores 469
draconum locus quis Ibidem
¶ Ducat nos Deus quomodo 185

E

EBræorum mos in deſponſandis coniugibus 120
Eccleſia credentium,templum Dei 181
eccleſia Chriſti ceruæ non ineptè comparatur 173
eccleſia Chriſti,coniunx regis Chriſti prima 140
eccleſia Chriſti perennis 356
eccleſia Chriſti primitiua quàm ſplendida fuerit 134.182
eccleſia Chriſti quibus polleat virtutib'.361
eccleſia Chriſtianorum,Sion cæleſtis 365
eccleſia Chriſti vnde nata 443
eccleſia Dei in ſumma pace conſiſtere quomodo poſſet 6
eccleſia,domus Dei ſempiterna 150
eccleſia hic penitus purgari nequit 94
eccleſia in aduerſis vnde cōſolationem recipiat 309
eccleſia, quæ dilectionem Dei non promouent,reiicit 155
eccleſia Sanctorū in domo Dei habitat.159
eccleſia Sanctorum,ſpiritualis Sion 443
eccleſia,terra Domini 335
eccleſia,vinea Domini 328
eccleſia vbi tutiſſima 447
eccleſiæ caput cur Chriſtus dicatur 13
eccleſiæ cæleſtis & præſentis diſcrimen 95
eccleſiæ Chriſti præſtantia 147
eccleſiæ Chriſti qui ſe conſocient, & quomodo 434
eccleſiæ Chriſti typus,terra Iſrael 143
eccleſiæ conuentus, plures ad laudem Dei excitat 272
eccleſiæ Dei municipes,quibus moribus eſſe oporteat 94
eccleſiæ imperiū quomodo gubernet Chriſtus 313
eccleſiæ inſtauratio prædicitur 327
eccleſiæ parens Deus 443
eccleſiæ perennitas vnde 142
eccleſiæ poteſtas 202
eccleſiæ primitiuæ mos in pſalmis & hymnis canendis 49
eccleſiæ qui ineſt,labaſcere nequit 165
eccleſiæ rex Chriſtus 278
eccleſiæ Sanctorum typus Hieruſalem. 336
eccleſiæ ne aduerſemur ſub prætextu obedientiæ 203
eccleſiæ volūtas Chriſtiano ſemper magni facienda Ibidem
eccleſiam Sanctorū perpetuò manere. 436
in eccleſia Chriſti agere,quāta fœlicitas.334
in eccleſia laudes Dei canere decet 144
in eccleſia tantum vera laus Dei celebrari poteſt 314
eccleſiæ Orientales cur Turcis ſubditæ 389
Eclipſis apta dolentibus 342
eclipſibus crebro vtitur Scriptura 170
Ecnephia Græcis,quod Latinis procella 83
¶ Effundere animam quid 128
effuſio greſſuum quid 306
¶ Eglon Moabitarum rex imperat Iſraelitis annos XVIII 388
Ego oratio,quid 396
ego pax,qualis locutio 432
Egreſſus pro actione vitæ 434
¶ Ehud liberat Iudæos 388
¶ El Dei nomen,vnde dictum 113
Elohim nomen Dei vnde dictum 32
¶ Electi variis probantur malis 383
electos errare, tamen non obliuiſci præceptorum 431
electorum plantatio 6
Elementa inter ſe pugnantiſſ. 131
ex elementis hominem eſſe compactum. 151
Eloquentiæ miraculum in Salomone 257
¶ Enallage temporū in Scriptura frequēs.81
Eothuſalmon organo prouocabat Eliſah 189
¶ Epaphroditi cōualeſcētiam Paulus quāto gaudio ſit amplexus 56
Epinicion eſſe pſalmum 18,certum eſt. 114
epinicus victorias celebrare,muſicum fuit 189
Epiphonema tropus 28
Epiſcopi,miniſtros fideles habeant 368
Epithalamia canebantur olim ſponſis 314
Ephraim in fuga coacta a gentibus,cur.318
ephraim quomodo aucta 317

Ephratha, quæ & Beth-lehem 443
Epulum Chriſti 146
epulum gratulatorium 414
epulum regium & ſacrum 146
¶ Equus animal immundum 185
equi virtus ſingularis 192
equitatu valentes, formidabiles Ibidem
Equitat ſuper cælis Deus quomodo 192
¶ Eremitis præſtātiores veri irrecōſulti. 331
Error à via Domini, quis 431
Eructare verbum quid 463
Eruditio diuina quando contingat 307
¶ Ethnici Iudæorū cultū cur irridebāt. 380
ethnicorum religio in iureiurando 97
ethnicorum ſcripta non contemnenda 16
ethnicos in Scripturis interpretandis, non excludendos eſſe 10
ethnicis ſapiētiā admirādā donauit Deus. 16
ethnicis olim vſus voluminū maximus. 219
¶ Euangelii adnuntiatio, perpetuitas Eccleſiæ 147
euangelii dies durabilis 417
euangelii & Legis diſtinctio 112
euangelii officium Ibidem
euangelii fax in orbe graſſabatur quādo. 252
euangelii reuelatio, regni Chriſti euectio 395
euangelii ſumma quæ ſit 145
euangelii tempus iuſtitiam poſtulat 5
euangelio reuelato diuiniora cœperunt patefieri 468
euangelio reuelato quàm ampla bonorum fœlicitas 461
euangelium cur perſecutiones ſuſtinere oportuit 388
euangelium decus Dei omnibus Gentibus oſtenſum 313
euangelium fructum vbique protulit 301
euangeliū iuſtitiam Dei vbique promulgauit 231
euangelium maieſtatem Dei reuelauit. 243
euangelium multas potentias ſtrauit 403
euangeliū quo ſpiritu orbi adnuntiatū. 145
euangelium vbique promulgatum 146
euāgeliū vitæ aut mortis odor quādo. 140
euangelicam vitam naturæ eſſe 11
euangeliſtarum authoritas indubitata 137
Euchariſtia à Chriſto cur inſtituta 401
euchariſtia epulum ſacrum 146
euchariſtia gratulatorium ſacrificium. 396
euchariſtia viuificus cibus 406
euchariſtia loco omnium ſacrificiorū. 164
euchariſtia omnem ſacrificiorum rationem continet 361
euchariſtia quale ſit ſacrificium, & cur ſacrificium dictum 40
euchariſtiæ negotium quale ſit Ibidem
euchariſtiæ quanta inſit vita 404
in euchariſtia quomodo mors Domini prædicanda 95
Euehit quos Deus 393
euehuntur à Deo boni, dum à malis premūtur 381
Euphrates fluuius quo nullus alius vaſtior 301
euphrates regionem Babyloniorum interluit 449
Euri vehementia ſumma 246
Europam à mercatoribus exhauriri 76
¶ Exaltari in Scriptura quid 247
Excubiæ apud iudæos quatuor 316
excubias agere in templo, Leuitarum munus erat 445
Execrationes Dauidis in inimicos vnde. 396
Exercitus Dei 468
exercitus pro aſtris 374
Exhalationes è mari maximæ 446
Exilium cauſam lætitiæ habet nullam 426
exilii ſpes quæ 389
Eximium de ſe nihil ſentiendum 442
Exitium lentum imprecatur Dauid hoſtibus 272
exitu noſtri præludium 389
Expaueſcentia, maledictio Domini 342
Externa quum oramus, qui fructus 52
Extollere caput quid ſit 33
Extremum terræ quid 446
¶ Ezechias rex cur mortem tantopere deprecatus ſit 57
ezechias rex quid glorietur 36
Ezechielis locus cum loco Exodi conciliatur 398

F

FAber fuit Chriſtus, vt quidam putāt. 13
Facies fletu contrahitur 54
faciem beneuolam exhibere, in Scriptura quid 229
faciem deiicere, pudoris ſignum 224
faciem ignominia obtegere quid 294
faciem ſuſcipere quid 444
faciem tabe conſumi quid 480
à facie alicuius fugere quid 68
facie impudentis improbi 367
Facere qualibet, ſolo Deo competit 403
facinora Latinis in vtranque partem alluſi 70
facta Dei qualia 252
facta noſtra vt comparata eſſe debēt. Ibid.
facta partui comparantur 68
ex factis Deus cognoſcitur 380
Factioſorum hominum mores 109
Facilitas Dei, qua preces audit 281
Facundia Salomonis 257
facundia Chriſti 140
Fallere improbos quomodo deceat 193
fallere nulla ratione licet 155
fallitur omnis homo 413
Fama proximi tuenda 96
Fames à Deo immittitur 380
fames calamitas 464
fames graſſans noſtro tempore vnde 390
fames in ſummum periculum adigit 312
Familia per domum ſignificatur 438
familiæ peccata præſtare cogemur 108
familiam Dei fide conſtare 147
familiam ſuam Deus primò caſtigat 70
Faſtus in oculis ſe prodit 441
faſtus improborum 82
faſtus modeſtiam ferre nequit 21
faſtuoſi quomodo ſeſe prodant 75
Fauor Dei initium bonorum omnium. 283
fauor exterorum appetendus 434
fauori ſceleſtorum reprehenſionē eſſe præferendam 457
¶ Feræ magnā nobis præſtant vtilitatem. 27
feras tempeſtate commoueri 172
Feriæ Sanctorum cur inſtitutæ 353
feriandum cur Ibidem
Fermentum cur non in ſacrificiis 231
Fertilitas & abundantia terræ bonis promiſſa 180
ad Feſta lunam factam eſſe 377
Fæx hominum nunc in aulis regnat 287
¶ Fiat voluntas tua, quomodo intelligendum 374
Fictor noſter Deus 306
fictio hominis inmirabile opus 452
Ficus mendax quid 37
ficui cur populus Hebræorum à Chriſto aſſimilatus 7
Fides Dei quid 219
fides diuinitus infunditur 29
fides augetur ex Dei auxilio 267
fides commoditati coniungitur 258
fides lampadi aſſimilatur 30
fides viua quæ Ibidem
fides non iuſtificans quæ ſit 30
fides quid dicatur 19
fidem ſacrificia teſtantur 252
fides ſolida quæ 252
fides Theologis quid 29
fidem ſolam iuſtificare cur dictum à veteribus Ibidem
fides viti aſſimilatur 30
fidei addictio quæ gignat 219
fidei appellationes variæ 30
fidei comites, iuſtitia, bonitas, pax 399
fidei comites qui ſint 83
fidei domeſtici qui 97
fidei elogium 18
fidei è terra progerminatio 336
fidei fructus, animi lætitia 87
fidei in Deum quanta ſit vis 34
fidei lux vbique lucere debet 36
fidei nomine quæ vita indicetur 258
fidei principalis articulus 430
fidei vnde i anta tribuantur 29
fidem abſque ſacrificiis eſſe poſſe 258
fidem non eſſe omnium 109
fidem verbi prædicat terra 427
fide Deum circundari quid 345
fide iuſtificari, moderni quomodo intelligant 32
fides non ceremoniis populum à Deo æſtimari 89
fide quies ſeculi futuri inchoatur 259
fidem qui non habet, Legem non facit 30
fide ſua iuſtus quomodo viuat 149
à fide prouidentia & religio pendet 427
in fide Dei ambulare quid 165
in fide Dei ingredi quid 336
de fide omnium Gentium vaticinium. 288
fideles quomodo poſſint inimicos ſuos cōtemnere 21
fideles terræ qui 367
fidentes ſibi Deus ſaluare ſolet 35
fiducia Dauid in Deum ingens 38
fiducia erga Deū certa, animum recreat. 87
fiducia ex ſtudio Legis 425
fiducia in Deum vnde nobis creſcat 242
fiducia Sanctorum vnde 328
fiduciam in Deum quis collocat 40
fiduciam quid firmet maximè 315
Figmentum Dei homo 426
Filius ancillæ ſeruo minor 336
filius hominis Chriſtus cur dici voluerit. 65
filius in Scriptura quid 338
filius patris obſeruans 406
filii donum quale 439
filii Adam in Scripturis qui 135
filii Belial qui dicantur 214
filii Dei quibus notis ab aliis dignoſcātur. 4
filii Dei quibus addicti rebus, aut alieni eſſe debeant 2
filii Dei ſecundum Iudæos quis 24
filii Dei vt ſimus, vnde ſit 25
filii hominis quid ſint 464
filii mortis qui 371
filii Prophetarum, qui diſcipuli eorum. 194
filii viri quid 32
filiorum regni nota certa 158
filios nos Dei eſſe, miraculum ingens 336
filios Dei quos Scriptura vocet 272

cum filiis Dei eſſe Sancti delectantur 46
filia Tyri pro Tyro 238
filia vaſtata Babylonica 450
Finis diuitum, quis 249.250
fines terræ, quid ſignificet 24
Finitio Dei, iræ in nos quid 355
Firmamentũ materiã exhibet laudis Dei. 282
Firmitas oraculorum Dei 427
firmus cur Spiritus dicatur 256
Fiſcella os capiſtrare 223
¶ Flagitioſi qui ſint 2
flagitioſi quomodo ſint reſurrecturi 8
Flatus vnde 446
Flumen, Euphrates dicitur in Scriptura abſoluté 302
flumina cuncta è terra bullire 151
flumina emanare ex petra 301
fluminũ perennitas miraculũ magnũ. 376
Fluuii auxilium Dei ſignificant 241
fluuiorum vſus 344
¶ Fœdus Dei & ſanctorum 223
fœdus Deo cum quibus 344
fœdus Domini quod ſit 257
fœdus ſuum quam ſanctè Deus colat 381
in fœdere Dei non perfidè agere, quid 234
fœdus cum Deo, quid 259
fœdus nouum inter Deum & nos, quomodo confirmatum 344
fœdera Dei cum quibus inita, & qualia fuerint 380
fœdera Dei Sanctorum conſolatio 322
fœdera olim in æs vel ſaxũ incidebãtur. 251
fœdera olim quomodo, & quibus materiis incidebantur 344
Fœlix iure quis dicatur 222
fœlicem Dauid quem iudicet 2
fœlicitas conſummata quæ ſit 1.& 2
fœlicitas futura, quæ 233
fœlicitas hominis, vitæ inculpatæ eſſe. 233
fœlicitas impiorum caduca 207
fœlicitas malorum, oppreſſioni innocentiũ eſt coniuncta 307
fœlicitas regni Chriſti 362
fœlicitas Salomonis labefactata ſub mortem 239
fœlicitas ſanctorum merces 227
fœlicitas temporum Dauidis 461
fœlicitatis nomen plurale tantũ apud Hebræos 2
fœlicitatis noſtræ conſummatio quæ 354
Fœnus cur Neſech dictum Hebræis 97
Fons Iſrael, quis 291
fons ſcelerum 260
fons virium corporis in corde 376
fontis nomine, rei origo intelligitur 291
fontes auxilium Dei ſignificant 241
fontes ex petris oriri 311
Forma Dei nulla 409
formæ decor in Salomone 236
formæ præſtantia in nobilioribus. Ibidem
formator Eccleſiæ, Spiritus ſanctus 443
formatio hominum mira 453
formata fides quæ 30
Formido quando euaneſcit 265
Fornicatio quare idololatria 388
Fortis ſolus Deus 390
fortium filii qui 271.345
fortitudo Hebræis quid 87
fortitudo Salomonis 237
Fortuna exercitus à ſigni conditione agnoſcitur 275
fortuitum fieri nihil 59.277
Fouea tenebroſa quid 341
Incidit in foueam quam fecit 71
¶ Fratres omnes omnibus ſumus 11
pro fratribus quo quiſque animo eſſe debeat 386
fratres ſubinde inuiſere geſtiebat Paul.⁹ 46
fratrum peccata vt ferenda 295
fraternitas vera in quibus vigeat 444
Fraus vnde 184
fraude opes non quærendæ 276
fraude ſe à latronibus eximere, Dei voluntas 98
fraudem in corde concinnari 75
fraudulentus quis 368
Fremere inane, quid ſit 19
Fremitus in Scriptura quid ſignificet. 241
Frigus nocturnum noxium in calidioribus regionibus 433
Fructus ac prouentus bonorum 6
fructus & ſeminis nomine, quid intelligatur in Scriptura 15
fructuum adeps, quid 330
Frugibus montes & colles pleni in fertilibus annis 311
Frugalitas fortitudinem, iuſtitiam, ac prudẽtiam complectitur 90
frugalitati opponitur nequitia Ibidem
Frumentum cælorũ, Manna cur dictũ. 322
frumenti adeps 467
¶ Fucum abominatur Deus 405
Fuga nemine inſequente, vitio diuina 91
fugæ locum Dauid duodecies mutauit 80
fugæ ſedes in homine 280
fugacitas vitæ præſentis 350
fugere quò debeamus anguſtiati 114
fugiendi mali quomodo 163
Fulmen quid 469
fulmina ſulphurea eſſe 83
fulmina vnde 272
fulminum genera 83
fulminibus Deum ſuam bonitatem oſtẽdere 111
Fulgura vnde 446
Fulgetra vnde 272.276
Fumare contra aliquem quid 327
Fundamentum iniuſtitiæ quod ſit 42
fundamentum initium ædificii 64
fundamenta iuſtitiæ, quæ ſint 2
fundamenta quomodo poni ſolita 251
Funes quid ſignificent 12
funes vis impiorum 463
funiculi menſorii ad agros diuidẽdos. 103.314
Fures, Latinis pro ſeruis 117
furum cognomen ſeruis olim datum 283
furari, cupiditatis iniquæ 253
Furor impiorum prodeſſe, non obeſſe poteſt bonis 92

G

GAbalæ imperant Iudæi 478
Gadara Iudæis paret Ibidem
Galatis imperat Paulus 232
Gaudium cordis verum, vnde 122
gaudium ex ſatietate 350
gaudium fidei comes 82
gaudium in pſalmis vnde 172
gaudium ſolidum cõgaudẽtes expetit. 364
gaudium ſolidum vnde 93
gaudium ſpiritus in carnem redundat 104
gaudii materia quæ ſit 593
Gaulonitis Iudæis paret 471
Gaza Iudæis ſubdita Ibidem
¶ Gebalitarum origo incerta 338
Gelu vnde 446
Gemmas multum æſtimant homines 127
Genarum nigror vnde 180
Geneſeos initio cur opera Dei deſcribantur. 466
Gehenna quid apud Hebræos 34
gehennæ cruciatus 342
Genti cura mollicula apud diuites 25
Gentes ad Eccleſiam Dei peruẽturas, olim vaticinatum 359
gentes per Dauid ad Deum reuocatæ 92
gentes quæ Chriſto ſe oppoſuerunt, quàm miſerè perierint 27
gentes verum Deum, cũ idolis coluiſſe. 116
gentium ius quid dicatur 15
gentium nomine quid intelligatur 19
gentium omnium ſalus per Chriſtum communis 364
gentium ſalus prædicitur 414
gentium ſalus vnde Ibidem
Generis humani dignitas explicatur 66
¶ Gideon liberat Iudæos 388
Gihon riuulus Ieruſalem interfluit 241
Gilead mons 229
¶ Glacies vnde 467
Gladius regni Chriſti 240
gladius vtrinque incidens, quid 470
gladius in labiis 272
Glocitare ceruorum 228
Gloria mea pro lingua mea 374
gloria principibus quibus concilietur 236
gloria pro mente 55
gloria vera populo Dei quãdo cõtingat. 381
gloriæ Dei intereſſe impios reprimere. 419
gloriæ Dei quàm ſtudioſus fuerit Dauid. 53
gloriã ſuam cur Deum nominet Dauid. 53
gloriam Dei illuſtrari, ante omnia petunt Sancti 415
gloriam hominis mentem eſſe 55
gloriari de Domino quid ſit 193
gloriatio de verbo Dei vera quæ 265
¶ Gradus vitæ conſceleratæ 98
Græci Iudæos oppreſſerunt 89
græci primùm Iudæis bellum intulerunt ex Europa 238
græci vitiorum calicem biberunt 313
græcorum Eccleſia de confeſſione, quid ſit opinata 187
græcia inſula dicta 308
Gramen in tectis naſci 440
Grando pro glacie 467
grandines vnde 446
Gratia cuius nihil præferatur 635
gratia ſtatuitur liberum arbitrium 14
gratia ſua Deum nos præuenire 438
gratiam inuenire in oculis regia quid 236
gratiarum actio ex ſatietate 350
gratiarum actio iugis ex fide naſcitur 89
gratias Deo pro omnibus rebus agẽdas eſſe 174
Gratitudinis erga Deum ratio 592
Gratulationes in pſalmis vnde 177
gratulatorium epulum 414
Gregorius imaginum in templis defenſor 411
Greſſuum effuſio quid 306
Grex manus Dei nos, quomodo 360
¶ Gubernationis Dei miraculum 114
gubernator nauigantibus quàm reuerendus 156
¶ Gynæceum Salomonis 338

H

HAbitatio Dei, vbi 445
habitationem omnes mortales quærunt 438
habitationes commodiores vbi 393
Hadad aduerſarius Salomonis 308
Hæredes nos Dei eſſe ingens miraculũ. 336
hæreditas honoris ſempiterna quæ ſit. 275
hæreditas Dei quæ 438

hæreditaria poſſeſſio pleniſſimum dominium 103.159
Hectorem inſigni fuiſſe pulchritudine, 136
Heman cantorum princeps 117.341
Henochi exemplo Deus rapit ſuos maturius 372
Herilem parſimoniam fures facere 117
Herinacius animal quale 377
Hermon mons 172.445
Herodes Petrum incarcerat 437
herode regnante venit Chriſtus 139
Heroes pedum pernicitate laudantur. Ibid.
¶Hilarii encomium 186
Hin menſuræ genus 146
Hinnon vallis 55
Hippus mons 172
Hiram rex Tyri 138
Hirundines hominibus cohabitant 334
Hiſtoricorum libri plerunque bona multa habent 16
¶Hodie te genui, quid ſit dictum 13
Holocauſtorum ſacrificandorum ritus cur inſtitutus 13
Homo à cælitibus quid differat 65
homo nihilum 160
homo peccati quis ſit 25
homo pius, arbor qualis 6
homo qualis ſit 177
homo quantum Dei ductu indigeat 148
hominis filius Chriſtus cur dici voluit 65
hominis vita quibus peragatur 3
hominem animam redimere nõ poſſe. 148
hominem eſſe, quid ſit 78
hominem in hominis vitam arbitrium habere, magnum aliquid 330
homines Deo non conferendi 337
homines nos, & quales creauerit, qualéſque velit Deus 58
homines vt vindemiet Deus 315
hominum inuenta ſequi, non eſt impietas. 5
hominum conſolatio apud Sanctos nullius momenti 316
homo homini amicus 454
homo nihili 90
hominibus deſertis Deum maximè auxiliari 77
Homicidii lex poſt diluuium 157
Honoratos reddit Deus 393
honorandus beneficiis quæ adhibeamus. 471
Horæ canonicæ vndæ ſumptæ 431
Hoſtia Deo gratiſſima quæ 118
hoſtiæ altaribus alligabantur 417
hoſtiæ gratiores quæ 130
hoſtiæ quibus Deum placare debeamus. 40
Hoſtis Sanctorum vltimus mors 347
hoſtis imperio tradi ſors dira 396
hoſtes, aquarũ vi intelliguntur infeſta. 141
hoſtes Chriſti qui 400
hoſtes ſuos, cruce qua Deus exercet 160
hoſtes Dauid quorum fuerint typus 10.168
hoſtes Dei eſſe hoſtes noſtros, ſolatium afflictis 338
hoſtes Dei gramini comparantur 440
hoſtes nobis præualere caſtigatio Domini. 114
hoſtes vincere, Domini ſolius 69
hoſtium atrocitas conſolationem quando pariat 195
de hoſtium deiectione lætari, quando dilectioni non aduerſetur 56
hoſtium filiorum Dei exitus 333
in hoſtes, ſynceros nos eſſe oportet 108
hoſtibus etiã infenſiſſimis fauent Sancti. 55
hoſtibus ſuis dira cur imprecentur Sancti. Ibidem
ab hoſtibus etiam mirabiliter ſeruamur hodie 62
cum hoſtibus etiam ſynceriter agendũ. 382
hoſtilis vis aquis deſignatur 356
¶Hucim lex vnde dicta 412
Humana natura vt per Chriſtum reparatur 344
humanæ vitæ deprauatio vnde 12
humanæ leges quatenus ligent 17
humanas res Deus quomodo moderetur. 419
humanitas quæ Græcis φιλανθρωπία 155
Humilia intuetur Deus 446
humilibus adeſſe ſolet Iacob Deus 73
humilitas Dauidis typus Chriſti 356
¶Hymni ſacri quomodo pſallendi 390
Hypallage tropus 28
Hyperbole ſchema, quo cõceditur amplius dicere, quando dici quantum ſatis eſt nõ poteſt 32
Hypocriſis in innoxios ſæuiat quando maximè 358
hypocriſis peſſimæ morbis 112
hypocriſis quantum Sanctis inſidietur. 184
hypocriſi Deum placare velle temerariũ. 50
hypocriſim quantum Deus deteſtetur. 153
hypocriſim quàm ſæpè vlciſcatur Deus. 389
hypocritæ ſecuri degunt 154
hypocritarum deiectio ſuperbia eſt 36
Hypotypoſis ſchema 19
Hyſſopus ſacrificiis quibus adhibeatur 157

I

IAbin rex 332
iabin rex affligit Iſraelem annis xx. 388
Iacere Deum quid ſit 34
Iacob filii veri qui 153
Iacobus multis exercitus aduerſis 130
Iael virago 331
Iah, nomen Dei quid 288
Iannia Iudæis ſubdita 471
Iaræban Salomonis aduerſarius 301
¶Ichnographia & typus Chriſtianorum. 32
¶Idòla cur inſtituta videãtur & in Scripturis deteſtentur 410
idòla Dei nos admonere nequeunt. Ibidem
ſine idòlis templa diu Romæ fuerunt 410
idolorũ apud cultores habitare, Dauidi moleſtum 43
ab idòlis nil niſi moleſtiæ expectandæ 101
idolorum inanitas irridetur 409
idolorum cultores quales Ibidem
idololatris inhabitare fidelibus moleſtiſſimum 79
idololatris nihil tam durum quod non ferant 108
idololatria cur in Scriptura abominatio dicatur Ibidem
idololatria Dei irriſio Ibidem
idololatriæ quantum Manaſſes fuerit deditus 3
idololatriam quis facile vitet 158
Idumæi Iudæis ſubditi 471
idumæos atriuit Dauid 17
¶Iebuſitis bellum mouet Dauid 109
Iedithun ex principibus cantoribus vnus fuit 176
Ieiunium generale quod ſit 102
ieiunium non eſt vulgarium ſpirituũ. 119
ieiunium ob quæ ſuſcipiendum 102
in ieiuniorum obſeruatione quæ libertas veteribus fuerit Ibidem
ieiunium ab Eccleſia indictum quale. Ibidẽ
ieiunium quod Iudæis præcepit Deus. 148
ieiunium verum quid 102
ieiunium monachorum quale 102
ieiunii diſſimulationem præcepit Dominus 397
ieiunii & abſtinentiæ differentia 105
ieiunia ab Eccleſia inſtituta eſſe 102
ieiunia Sanctorum multa 102
Iephtah liberat Iudæos 389
Ieremias qua ratione ad reſipiſcentiam vocare Iudæos tentarit 17
Ieruſalem cur ciuitas Dei dicta 167
ieruſalem cur mons Baſhan dicta 189
ieruſalem diuinitus inſtituta 416
ieruſalem in montibus ſita 336
ieruſalem exhilarans terram 402
ieruſalem quando à Dauide expugnata. 399
ieruſalem ſupernæ ciues quibus beneficiis à Deo afficiantur 145
ieruſalem verior quæ 434
a ieruſalem ſalutis initium 152
Ieroſolymæ reſtitutio à prophetis prædicta 370
ieroſolymis Sabæa & Arabia à meridie. 302
ieroſolymitanæ vrbis ornatum cur Dauid tantum petit 157
Ieſu hominis euectio 400
de Ieſu ſeruatore noſtro gloriandum 6
¶Ignis aëre leuior 468
ignis in Scriptura pro diuina vltione 378
ignis pro bello metaphoricõs 314
ignis conflagratio quid in Scriptura 135
igni nil voracius 184
ignem fulgurũ ab aquis non extingui. 446
ignes fulmina dici 112
¶Illicitum fit ſæpe quod erat licitum. 156
¶Imago Dei in bonis reſtituta 7
imago inanis impiorum memoria 308
in imagine ambulare quid 116
Imaginum adoratio 412
imaginum vſus attẽperatus vt eſſe debeat. Ibidem
imaginum doctrina inutilis 412
imaginum vſus vnde in Eccleſiam irrepſerit Ibidem
Imbecillitas noſtra agnoſcenda 191
Imber vnde 469
imbris beneficium 181
Immutatio noſtra per ſacrificia intelligitur 40
immutatio orbis, vt intelligenda 372
immutat omnia Deus pro arbitrio 393
Imparitas nimia ſimilitudini gratiam ſæpius addit 110
Impelli a Domino in malũ quãta res ſit. 48
Imperium Chriſti mirificum 400
imperium Dei in omnia 374
imperium vnius tot ferre, miraculum. 470
Impii cur à Deo bonis afficiantur 306
impii Legem Dei cur non intelligant. 426
impii præualentes non nos occidunt 457
impii quàm horrendè pereant 78
impii vehementi caſtigatione Sanctorum lætantur 140
impiorum cogitationes nocturnæ 119
impiorum filii impii 392
impiorũ fœlicitas à Sanctis deploretur cur. 307
impiorũ fœlicitas infirmiores offendit. 107
impiorum libidini expoſitum eſſe morte durius 214
impiorum magiſtratus quantum aduerſetur bonitati 119
impiorum pœnæ Deo ſolatio 447

Impiis in ſuos quanta Deus permittat 161
impiis regnantibus populus ad impia deducitur 61
Impios eradicabit Deus 259
impios ſemper exagitari 197
impios ſemper rerum ſucceſſu florere 74
Impii ſibiipſis plurimum placent 210
impiis Deus vice virgæ vtitur 314
Impietas Iſraelitarum mira 311
impietas quando regnet 310
impietatis conſummatio quæ 354
impietatis gradus 253
impietatis incrementa vnde 357
Impoſſibile fit ſæpe quod erat poſſibile 156
impoſſibilia conari ridiculum 209
Impoſtorem vocant Moſen Iſraelitæ 385
Imprecationes pſalmorum vnde 51
Improborum nomine qui intelligendi. 218
improbus, Dei gladius 210
improbi vt pudefiant, cur orant ſancti 427
improborum, ac eorum qui ipſis conniuent diſcrimen 3
improborum conſilium quale ſit. Ibidem
improbis euenit quod bonis malum intentant 298
Improbis nil tranquilli 541
Improbos fallere haud indigoū ſanctis 195
improbos radicitus extirpabit Dominus. 208
improbitas quibus conſtet 163
improbitatis odium, adminiſtrationis rectæ occaſio 227
¶ Inane quicquid homines conantur 216
inanitores ipſa manitate peccatores eſſe. 277
inanitatis noſtræ rationē Deus cur habeat. 373
Inareſcere quādo ad homines trāſferatur. 7
Incōmodorū leuamen vnde petendum. 218
in Incendiis ventum turbine graſſari 83
Inceſſus Dei 291
Incrementum, amplificationis ſpecies 5
Incredulitas Iſraelitarum execranda 383
Incurui qui ſint 453
Indignè qui Euchariſtiæ participent 40
Indignatio concoctionem remoratur 180
Indulgentia Dei incomparabilis 313. 376
Induſtria omnis abſque Deo vana 438
Inertium eſſe, manus in ſinū recondere. 311
Ineſſe Deo omnia 57
Infans fouendus quomodo 441
erga infantes charitas parētum ſtupēda 64
infantia quibus gloriā Dei prædicet. Ibidē
infantilitati Iudæorum ceremonias datas eſſe 235
Inferi Latinis vnde dicti 54
inferni ſignificatio 341
inferna per ſuperna regi 210
inferos Chriſtum adiiſſe credendum 105
Infinitum omnes modos in ſe cōplecti. 64
Infinitiuus ſæpe pro præterito imperfecto vſurpatur Hebræis, Latinis & Græcis. 458
Infirmiores vt ferendi & quo exemplo. 295
infirmitatis noſtræ rationem cur Deus habeat 373
Infortunium omne 168
infortunio non ſuccumbendum 210. 379
infortunia inundatione aquarū intelligi 519
Ingeniis magis teneris præditi qui nobiliores 33
Ingratitudo populi Iſrael in Dauidem fera 32
Ingredi cum malis quid ſit 3
ingreſſus vitæ, actionem ſignificat 433
Inimici quām ſynceriter diligendi 62
Inimicos mentiri nobis, quid ſit 183
inimicos terram lingere, quid 305
iniquitas Hebræis quid 87
iniquitas neque ſemper præualere 358
iniquitates malorum cauſæ 441
Initium ſalutis à Ieruſalem 151
Iniuriam ferre quam inferre libētius, Chriſtiani hominis eſt 171
iniuriam paſſos vindicat Deus 464
iniuria opes non quærendæ 227
iniurias noſtras Deo curæ eſſe 38
iniurias tolerare fortiter vnde quis diſcere poſſit 331
ſi ad iniurias noſtras Magiſtratus cōniueat, quid nobis agendum 370
Iniuſtus cuiuis extremis malis dignus 397
Iniuſtitiæ fons & radix, quæ 40. 84
Innocentes beati & qui 413
innocentes lædere abhorret natura 529
innocentes opprimit fœlicitas improborū. 277
innocentes quare Deum tam vehementer ament 78
innocentia beneuolentiam Dei habet 399
innocentiæ cura generat fœlicitatem 405
innocentiæ iactatio Sanctos quam addeceat 108
Innocuos defendere, regis munus 301
Innouatio noſtra, quam vtilis 143
Inopes Chriſtus quomodo fouet 303
inopum preces Deum exaudire 397
inopiam vnus Deus dat 303
Inquilini montis Dei qui ſint 251
Inquinamēta pro peccatis in Scriptura. 155
Inquirere animum in bonam & malā partem accipi 419
Inſania Dauidis ſimulata 193
inſania peccatorum horrenda 20
inſani Hebræis qui 46
Inſenſatos ſuos eſſe Deus non vult 195
Inſidiis petuntur Sancti ab impiis 418
inſidiatores, quando nocere non poſſint. 168
Inſolentia improborum quanta 181
Inſtaurare omnia, Dei eſt 54
inſtaurationē Eccleſiæ cur ōnes petāt. 434
Inſtructa fides quæ 30
Inſtrumentorum muſicorum variatio quotidiana 189
Inſulæ amplæ quæ 365
Integer quis 95
integritas quomodo accipiatur 115
Interiora quomodo laudent Deum 375
Inteſtinorum contractio vnde 180
Intueri non poſſumus quos exoſos habemus 46
intueri pro obſeruare 413
Inuertit Deus prauos 214
Inuidia quid 180
inuidia petebatur Moſes 386
Inundationes fluminū, vim hoſtilem ſignificant 435
Inuocatio Dei, ab eius ira liberat 316
inuocatio gemina, ingentem animi dolorē ſignificat 118
Inuocare Deū, in Scripturis quid ſit. 91. 413
inuocetur rité quis 114
¶ Ioab quantam ſtragem in valle ſalis ediderit 272
Iob naturæ peritus 173
Iob vir qualis 216
Ioannis Euangeliſtæ locus de Iuda proditore explicatur 225
Ionathæ erga Dauid fides 97
Ionici mali 189
Ioppe Iudæis ſubdita 47
Iordanis ſecatur 184
Ioſeph fortuna fuit inſigni 536
ioſeph in AEgyptum ſingulari Dei conſilio miſſus 380
ioſeph quibus malis exercitus 381
ioſeph, pro toto Iſraele 319
Ioſue ſortibus terram ſanctam diuiſit 203
Iouem tonuiſſe, beneuolentiæ ſignum Poetis 112
¶ Ira Dei ignota hominibus 330
ira Dei, momentum 175
ira Diuina pro vltione intelligenda 22
ira profliganda cum aliis vitiis 39
iræ Dei in nos diſſolutio 336
iracundiæ ſedes in homine 182
iraſcendū quomodo homini Chriſtiano. 39
Irriſoribus Dei ſe non miſcendum 102
¶ Iſboſeth rex cōſtituitur in Ephraim. 176
Iſeh, Hebræis quid dicatur 8
Iſmaelitæ homines fraudulenti 428
iſmaelitas non habere domos 332
Iſrael populus qui verè 192. 317. 467
iſrael ſanctus, in Scripturis quomodo dicatur 24
iſrael typos non plenè renatorum 385
iſrael vinea dicta, quomodo 233
iſraelem impii ſemper infeſtarunt 440
iſraelitæ egreſſi ex AEgypto, decies Deum tentauerunt 325
Iſraelitæ lateres facere cogebantur in AEgypto 322
iſraelitæ impii, Gentes vocati ſæpius 78
iſraelitarum regio Deo ſelecta 325
iſraelitarum verorum inter impios agentiū, calamitas 334
iſraelitas non omnes eſſe qui dicuntur. 152
¶ Ituerere expedito, quid Scriptura ſubindicet 126
¶ Iuda trib' mare rubrū primòīgreſſa. 407
iuda tribus Dauidem regem habuit ſola per ſeptem annos 115
Iudæa regio ferunda 148
iudææ ſterilitas vnde 393
iudææ termini 345
Iudæus quomodo incircunciſus 355
iudæi alieni à vera ſobole Dauidis, quare. 347
iudæi cæremoniolis potius quàm Dei bonitati fidunt 233
iudæi de paſſione Chriſti quid cauillentur. 143
iudæi exemplar eorum qui Chriſtum inanè oppugnant 273
iudæi, omnibus in rebus naturæ tribuunt aliquid 377
iudæi immolare idôlis coguntur ab Antiocho 310
iudæi nos derident in articulo de deſcenſu Chriſti ad inferos 104
iudæi nunc populi Dei nomine non cenſentur 395
iudæi quare à Gentibus oppreſſi 83
iudæi rebus externis ducebantur 44
iudæi ſanguinem iuſtorum quomodo perſoluant 198
iudæi tempore Titi excæcati 309
iudæorum calamitas hodierna 334
iudæorum cæcitas 145. 348
Iudæorum defectione, iuſtitia Dei illuſtrata 355
iudæorum gloriatio vana 153
iudæorum iuſiurandum 155
iudæorum præſtantia 20

Iudæorum res exiguæ à Babylonica captiuitate 466
Iudæorum ritus amplecti,quàm Ethnicorũ præſtat 417
Iudæorum ſortem & nos manere 200
Iudæorum triumphus de Chriſto Ibidem
Iudæos contentioſos eſſe 145
Iudæos contriuit Euangelium 403
Iudæos Euangelium audiuiſſe,etiam Paulus probauit 121
Iudæis agnoſcere regnũ Chriſti,negatur. 55
Iudæis non ſemper obluctandum 157
à Iudæis ſalus in orbem venit 185
Iudas proditor ſuis deſideriis quare relictus 185.457
Iudæ Iſchariotis vmbra,& figura quis fuerit 514
Iudas typus eorum qui cum Sanctis agunt perfidè 185
Iudex Deus omnium 552
iudex orbis iuſtus Deus 69
Iudicem Deum ſæpe appellant Sancti 397
iudices,deorum nomen habere 330
iudices terræ in Iſrael qui fuerint 467
iudicum officium quod 263
Iudicare ex gratia,malum execrandũ 331
iudicare rectè de rebus,officii omnis caput 367
iudicet Deus quomodo 286
Iudicium, ceremoniæ,teſtimonium,idem. 319
iudicium pro æquitate 159
iudicii diuini ſecuritas quibus rebus conſtet 163
iudicii extremi cogitatio etiã malis ineſt. 15
iudicii & iuſtitiæ differentia 78
iudicii recti radix 416
ad iudiciũ Dei prouocat credẽs animus. 231
in iudicio Dei qui ſubſiſtere poſſint 313
iudicia quomodo exercebat Chriſtus 403
iudicia cur Lex dicta 122.426
iudicia Dei bona & vera 122.301.415
iudicia iuſta apud verum Deum 331
iudicia ſua Regi,quomodo det Deus 300
iudiciorum Dei rationes noctu maxime rimamur 317
iudicia oris Dei quæ 380
iudicia publica olim in portis publicis habebantur 339
iudiciorum Dei qualitas 430
iudiciorum tempus apud Hebræos 45
iudices corrupti improbi dicebant bonos 210
Iugum quid ſignificet 20
iugũ Chriſti ſuſcipere ſolida fœlicitas 27
Iugerum quid 445
Iulianus inſignis Chriſti hoſtis 472
Iuniperorũ carbones vrere vehemẽtius. 432
Iuramentum quid ſit 97
iuramentum,ſynceræ fidei profeſſio 153
iuramenti fides haudquaquam violãda. 97
iuramentorũ religio,iuſtitiæ fundamẽtũ. 98
iuramento fallere plus eſſe quàm ſimpliciter fallere 153
in iuramentum abire,imprecatio 370
iuramenta à Chriſto prohibita 156
iuramenta quatenus præſtanda 174
iurantes,manus tollunt 308
iuraturos Chriſtianos Prophetæ prædixerunt 162
iurandi formulæ apud Hebræos 346
iuſiurandum à Deo præceptum eſſe 155
Ius Gentium quod ſit 15
ius ſummum,ſumma iniuria eſt 162
ius naturæ quid ſit Ibidem
ſui iuris non ſunt qui Dei ſunt 23
iureconſulti ſacerdotes appellantur. 331
Iuſtus & bonus in Scriptura idem 463
iuſtus,quis ſit 8.189
iuſtus ſua fide quomodo viuat 39.149
iuſti,pacis filii 301
iuſtorum in impios dominium 249
iuſtos aduerſa multa pati oportere 226
Iuſtitia à miſericordia nõ diſtinguẽda. 147
iuſtitia anteacta à malis non liberat 399
iuſtitia Dei Chriſtus 336
iuſtitia Dei quid dicatur 147
iuſtitia Dei ſempiterna 430
iuſtitia indutos quid 356
iuſtitia in quibus ſita 418
iuſtitia perfecta,vita æterna 9
iuſtitiæ quod fundamẽtum, & quos habeat comites 8
Iuſtitia ſua,quid Dauid intellexit 35
iuſtitiæ comes,bonitas,fides,pax 336
iuſtitiæ Dei ſecreta qui didicerunt 423
iuſtitiæ è cælo deſpectio 336
iuſtitiæ nomine quæ vita indicetur 158
iuſtitiæ & pacis mutua exoſculatio 336
iuſtitiæ nomine quid intelligãt Hebræi. 147
iuſtitiæ rex quis 401
iuſtitiæ ſacrificia qui faciant 40
iuſtitiæ ſtudere quid 95
iuſtitiam,bonitatem eſſe ſummam 201
Iuſtificatio vera quid ſit 30
iuſtificari nos,atque ſaluari ex fide, quomodo liqueat 39
Iuuare,Dei eſt 195
iuuentutis filii qui 438
iuuentutis robur 470

K

KAb,menſuræ genus 146
Kadeſch deſertum 572
Kadmoth deſertum Ibidem

L

LAbare non poteſt qui in Domino innixus 535
Labia demittere,geſtus illudentium 139
Labor noſter omnis ſine Deo fruſtra 438
Labore ſuo frui poteſt timens Deum 439
Lachrymæ Chriſti propter excidium Hieruſalem 143
lachrymas pro cibo habere quid 118
Lactiscopia puello antẽperata miraculũ. 64
Lædendus nemo 381
lædendi alios ſtudium à Sanctis procul eſſe debet 363
Lætitia ab vno Deo 350
lætitia leuitatem habet 180
lætitia impiorũ eſt,alios in ſcelera ruere. 74
lætitia vera vnde 431
lætator in nobis Deus quando 378
Lamenta Sanctorum maxima cur 58
Lapis reiectus Dauid caput anguli factus. 417
lapſus pedum quid 306
Laqueus venantis quid 351
Latẽre Deum poſſe nihil 453
Lateres conficere cogebantur Iſraelitæ 329
Latibulum tutiſſimum quod 275
Latini inferorũ nomẽ vnde deducant 54
Latronum luſtra in deſertis 76
in manus latronum venire , Dei voluntatẽ eſſe 68
latronibus etiam fidem iuratam præſtandã eſſe Ibidem
latrocinium quorundam ſit ars 76
Lauare manus quid 164
Laurentii Vallæ encomium 19
Laus Dei vera quæ,& vnde 133.180
laus ex ſatietate 350
laudis ſacrificio Deo nihil gratius 145.471
laudem externam quomodo Papiſtæ aucupantur 5
laudes Dei celebrare,Sancto optabile 189
laudes ſuas Sãcti quomodo cõmemorẽt. 36
laudibus Dei cur Sancti adeò delectari debeant 466
laudandus Deus cur,& vnde 144.446
laudari Deus cur velit enixè 361
Lautitiæ veræ quæ 150
Lazaros eſſe debere filios Dei 210
¶Lectio Scripturarum ſacrarum cum Spiritu,quam æ frugis 20.121
Lectum ſæpius commutat æger 215
Legati angeli 468
legatis impii quid ad malum valeant 387
Lenitas Dei mira 433
Lentum exitium imprecatur Dauid hoſtibus 193
Leonis natura in captandis feris 140
leonis prædam inuadentis natura 77
leoni rugire vnde ſit peculiare 138
leones cur nutriat Deus 372
leones qui dicantur 34
leonum robur 394
leonibus hoſtes ſuos comparat Dauid. 167
Leuare manus quid 387
Leuiathan cete immaniſſimum 377
leuiathan Hebræis quid 66
leuiathan Pharao dicitur 318
Leuitæ tempore exilii Babylonici plures pſalmos fecerunt 309
leuitarum munus 445
leuitarum hæreditas Deus 105
leuitæ cur ſacerdotio donati 112
Lex à Deo deriuatur 18
lex bona quæ iubet,quãdo perfici queãt. 13
lex creaturarum ſtupenda 469
lex,cur Libri ſacri dicti 16
lex de homicidiis poſt diluuium lata 157
lex Dei quid 15.16.122
lex inſcripta mentibus 16
lex naturæ,quæ Ibidem,& 12.14
lex perfecta,cui nihil adiici poteſt 155
lex,cur timor dicatur 122
lex quæ præcipiat 350.351
lex vitius peccati quid 21
lex mutationem cur non recipiat 122
legis amatæ fructus 418
legis & euangelii diſtinctio,ſecundum neotericos 122
legis finis Chriſtus 140
legis nota varia,& officium 122
legis ſtudium apud pios quantum 482
legis ſtudioſus,arbori confertur beatæ 6
legis ſumma,proximum diligere 444
legi quomodo poſſit ſatiſfieri,& quando. 5
legi Dei viuendum neceſſariò 413
legi naturæ quantum tribuendum 14
legem Dei impii quomodo diſſipent 429
legem inuertere Iudæi ſoliti 155
legem Hebræi quomodo diſtinguant 128
legem penitus quis impleat 153
legem,viuendi,rectéque agendi rationem præſcribere 122
propter Legem Iudæi omnibus gentibus olim præſtabant 373
leges de feriis & dominicis diebus,ab Imperatoribus latæ 355
leges humanæ quatenus ligent 17
leges obſeruandæ quæ 18

leges ſanctiores, neglectiores 389
legum ſons Deus 11
legibus ſe maiores ducunt impij 306
¶ Liba Latinis quid 131
Libamina, quæ ſanguine conſtant 306
libamentum quid, & vnde dictum 103
Libanus mons 372
ex Libro viuentium deleri, quid 196
libri qui amplectendi 16
libri ſacri quomodo legendi 26
libros Legis combuſſit Antiochus 311
Liberi bonorum quales 405. 439
liberi præ Deo odio habendi 369
liberorum donum 439
liberorum ſacrificium vnde 388
liberos ſuos Hebræi idolo Molech exurebant 102
Liberum arbitrium ineſſe homini 13. 14
liberi arbitrij vſus rectus à ſolo Christo 12
Libertate beata fruitur, qui Deo ſeruit 27
Libido ardorem habet 180
libido maiorum, ſeniorum exemplo ferenda 377
Licentia continentiam reijcit 81
Ligamina quid ſignificent 20
Liliorum comparatione Sancti quomodo exprimuntur 7
Limax teſtudinum ſpecies 168
Lingua fraudulenta, res peſtilens 438
lingua hominum φιλολόγους 94
linguas maiorum, in Scriptura quid 167
lingua mendax, humanas res turbat 438
lingua, præcipua hominis gloria 104
linguæ cur tradantur quæ ſunt cordis 159
linguæ iniuriæ plurimæ 195
linguæ vir quis 457
linguarum ſtudium, inſtrumentum vitæ fœlicis 390
linguaces eſſe mendaces 456
Lipote 81
Litæ quid 182
Literarum bonarum diſciplina, inſtrumentum fœliciter viuendi 390
Lites mouent boni improbi 110
¶ Locus elegans Ieruſalem 401
in omni loco, ac omnibus ſeculis, Deus coli & adorari voluit 130
locũ peculiarẽ ſibi Deus cur conſecrarit. 36
Locuſtas ſemper ſubſiſtre 397
Longæuitas vera quæ 114
longæuitatem cur Sancti ſibi precẽtur. 314
Loquela, hominis dignitas præcipua 104
loqui Christi auus quomodo debeat 96
loqui ſubmiſſe, precantium 107
loqui veritatem in corde, quid ſit 95
loquendi facultas hominis decus 229
¶ Lucerna pedum quid 428
Lucifer ſtella 157
Lucretia ſtuprata à Tarquinio 16
Luctus Sanctorum 19
Lug, menſuræ genus 242
Lugentes caput deijcere 33
Lumborum moleſtia quid 184
item mutatio 396
Lunæ vices, res admiranda 120
lunæ vſus 177
Lupato equi in officio continentur 185
Lupi qui dicantur 14
lupi oues Christi diſcerpentes 433
Luto fingere vaſa cogebantur Iſraelitæ 319
Lux Dei 131
Luxin Scriptura quid 211
lux pro vita vera 150
lux vitæ noſtræ quare Deus dicatur 33
luce amictus Deus quomodo 373
lucem velociorem ſonitu eſſe 172
lucerna Dauidis perpetuo lucens 444
Luxus abhorret crucem 81
¶ Lydis imperauit Tharſus vrbs 146
lydium melos 189

M

MAceriæ impulſæ qui ſimiles 87
Machabæi illuſtres 292
machabæorum imperium quàm latũ. 471
machabæorum tempore Iudæi mala multa perpeſſi 131
Machalath quid 341
Machina cæli & terræ quid nobis indicet 487
Macies vnde oriatur 180
Magiæ ſpecies Deus interdixit 169
Magicis artibus qui ſe dedant 180
Magorum Christum adorantium hiſtoria, quid doceat 302
de magis Christo munera afferẽtibus. Ibid.
Magiſtri ſubtilioris veſtigationis apud Iudæos 351
magiſtratus, improbos deteſtari debet. 368
magiſtratus vt parentes colendi 153
magiſtratui etiã impio multũ tribuẽdũ. 96
magiſtratui imputandũ quicquid committẽ te illo peccant ſubditi 31
Magnatum violentia 331
Magnificentia Dei ſuper cælos, quid 63
Mahometh Antichriſtus 146
mahomet ilius perditionis 83
ad mahometem defectio 146
mahometanorum potus 394
Maieſtas Christi quando intrepidè aſſeretur 21
maieſtas Dei vnde agnoſcatur 312
maieſtatis diuinæ contemplationem idola profligant 410
Maiores peccata minorum luere ſæpius. 399
Malo incrudeſcere animum 179
malos æternum perire, ſed quomodo 2
malis quomodo à ſanctis cõtemnendi & fugiendi 9. 163
mali ſibi ipſis tantum amici 85
mali ſibi tantum viuunt 7
malorum aduerſarij qui ſint 75
malorum natura quæ 163
malorum potentia non formidanda 149
malos execrantur boni 367
malos nunquam quiete viuere 2
malos punire, boni principis officium 302
per malos Deus ſuos affligere ſolet 161
malis ſæpius numum defertur, etiam à Sanctis 96
à malis tutum eſſe, bono ſatis videtur 75
mala à quibus pati oportet 114
mala cur nobis immittantur 391
mala externa quæ Chriſtiani inter bona numerant 51
contra mala externa quomodo orandum. Ibidem
mala noſtra agnoſcere, pietatis gradus 353
mala [illegible] in bonum immutat 264
mala ſolus Deus depellit 371
mala ſua cuique à Deo definita eſſe 139
malis ſæpe immerguntur ſancti, emergunt tamen 161
de malis alienis non temere gaudendũ. 56
in malis, bonorum remittẽndum 276
male audire, ſtrenue cauendum 96
Malitioſi qui 3
Maledictũ quid à blaſphemia differat. 96
maledictum quis amet 397
Man angelorum cibus quomodo 32
Manaſſes cum peruerſis conſpirauit 3
Mandatum cur Lex ſit dicta 112
Mane precari, Sanctis ſolitum 41
mane pro mature 460
Manſiones filiorum Iſrael circa Arcam, & ſitus earum 317
Manſueti qui ſint 146. 159. 315
Manſuetudo quid 448
Manus Dei potens 448
manus ſignificationes multæ 110. 164. 316
manum Domini eſſe, quæcunque nobis accidunt 218
in manu Dei eſſe omnia 359. 393
manus in ſinum recondere inertium 311
manuum expãſio, precum ſeriarum geſtus 460
manuum prudentia quæ 314
manibus currere quid 391
manibus elabi poteſt nemo 256
manibus puris quis 132
manus oſculari, obedientiæ ſignum 35
Maon deſertum 117
de Marco, Pauli & Barnabæ diſſidium. 180
Mare Deum vidit, quid 317
maris mediterranei inſulæ & peninſulæ, 302
mare quanta monſtra alat 393
mare terram quòd non inuadat, ingens miraculum 190. 375
maris cor quid 145
maris tranquillitas à Deo 393
maris faſtus quid 345
à mari vſque ad mare, quid 302
mare mediterraneũ ad Occidẽtem Iudææ. 313. 391
in mari relucet gloria Dei 190
Marinorum animaliũ ſpecies diuerſiſſ. 66
Maritus abſque præſidio vxoris viuere nequit 439
Martij ſerpentes infeſti 168
Martyres primi quando primum eſſe inceperint 57
martyres vnde vocentur 133
martyrum feſta cur inſtituta 354
martyrum memoriæ vt celebrandæ 418
Maſchal quid 248. 320
Malchil 183
Maſcula virtus Sanctis donatur 1
Materia in dijs Gentium 409
Materia laudandi Deum, quæ 144
Matres cur magis à liberis diligantur 199
Matutinum tempus ad orandum opportunum 44. 458
matutina eccleſiaſtica vnde 355
Maxillarum ſatietas quid 378
¶ Mediator Dei & hominum Chriſtus. 243
Medicus mentium ſacerdos 186
in Medio terræ regem eſſe, quid 311
Meditatio Legis, vera ac falſa 6
Melachim angeli, miniſtri Dei 468
Melchiſedec rex quo tempore, & vbi regnarit 401
Mel cur in ſacrificijs non adhibebatur 155
melle abundauit regio Iſraelis 330
in Membranis cõuolutis Iudæi Legem habent ſcriptam 119
Membris Chriſti, Dauid ſemper præ oculis verſari debet 118
Meminiſſe pro ſeruocare 399
Memphis regia Ægypti 386
Mendax omnis homo 418
mendacium in Scriptura quid 87
mendacium Legi aduerſari 432

mendaciũ quicquid cogitant mali. 418. 419
mendacii ſectatores qui 219
ad mendacia ingeniũ hominis pronũ 388
mendaciis Deum fauere non poſſe 168
mendaciis proprijs ſeipſos perdunt impij 456
mentiri inimicum quid 183
mentiri inimicos victori 117
Mendici plerunque ſcelerati 209
mendicitatem ſuis imprecatur hoſtibus Dauid 372
Mens, hominis gloria 35
Menſam parari in conſpectu inimicorum, ſecuritatis ſignum 150
Menſoris virgis terra diuiditur 310
Mercatorum latrocinia impunita 76
merces ampliſſima obſeruantibus Legẽ. 113
merces Sanctorum, fœlicitas 113
mercedis vocabulum quomodo intelligendum 114
Meridies vera 208
Merito ſuo vnuſquiſque mala patitur 399
meritis æquare quæ Deus donat, nemo poteſt 114
Meſech filius Iapheth 4·2
Meſopotamia quæ & Syria fluminum. 346
meſopotamiæ Tyranno ſeruiunt Iſraelitæ annos octo 388
Metonymia ſacræ linguæ peculiaris 3
Metus humilitatem habet 180
metus qui impios apprehẽdit, maximus. 95
metus ſedes in homine 195
metu Dei vacare, impietatis initium 74
metuere Deum radix pietatis 405
¶ Midianitæ imperãt Iſraeli annis vij. 388
midianitarum excurſiones 332
Miles optimus quibus virtutibus præditus. 115
Minha ſacrificium quale 130
eiuſdem ſpecies quinque 131
Miniſtri Dei quãdo rei animũ adijciãt. 370
miniſtri Eccleſiæ, angeli 442
miniſtri ſacræ doctrinæ quales eſſe debeat. 444
miniſtris verbi qui aduerſatur, Deo aduerſatur 20
miniſtris verbi de victu proſpiciendum. 211
per miniſtros ſuos Deus facit miracula. 345
miniſterio noſtro deputati angeli 468
miniſteriis publicis prauos non adhibent boni 367
Minorum fratrum mos in recipienda largiore eleemoſyna 359
Miraculum maris maximum, ſic ſeſe continere 190
miracula Dei, hominum operibus occultatur 393
miracula Dei per totũ orbem ingentia 312
miraculorum Dei nulla ratio 219
Miſer, aut fœlix quis 275
miſerorum miſerator Deus 188
miſeria humana 350
Miſericordia impia quæ 381
Miſpatim Lex vnde dicta 145
Miſuoth Lex vnde dicta Ibidem
Miſaar mons quis ſit 129
Mitraim AEgyptus aliâs 324
¶ Moab pellunium Iſraelis 276
moabitæ Ioſaphath regem impugnãt. 145
moabitas dimidiatos excidit Dauid 155
moabitis bellum intulit Dauid 212
moabitis Iudæis ſubdita 472
Moderator omnium Deus 284
Modeſtiam iactus ferre nequis 22
Modus ætatis humanæ 350
Molech qui Latinis Saturnus 202
molech idolo vbi ſacrificabatur. 54
Moleſtia ex lingua mendaci 435
moleſtiam animi auertunt carmina 45
moleſtiã ſuis quomodo Deus rependat. 381
moleſtiæ dicuntur idola Gentium 387
moleſtiis homo natura obnoxius 48
Monachorum in AEgypto orationes breuiſſimæ 50
Monita recta reprobos reddũt deteriores. 21
monita ſuſcipiat, qui non ſapit 26
Monocerus a Rhinocerote quid differat. 142. 361
Mons ſanctus Dauidi quid 33. 94
in montem Domini qui aſcendant 152
mons ſanctus Ieruſalem 401
montis nomine quid intelligatur 229
per montem ſuum Dauid quid intelligi voluerit 176
montes dici poſſunt Dei dona 336
montes etiam fidelibus obedientes eſſe. 66
montes in medio maris ſiti cur 241
montes irrigari per pluuiam 376
montes pacem terere 301
montes prædæ qui 314
montes tangere quid 281
montium nomine regiones in Scripturis deſignantur 229
montium conflagrationes inextinguibiles 353
montium inſtructio mira 381
montium vſus 377
montibus altiſſ. par iuſtitia 120
Montanus hæreticus peruerſi ſpiritus 201
Monumenta vetuſta perdita multa 335
Moriah mons Dei 152
Morbi corporis calamitas 465
morbi cur Sanctis immittantur 217
morbi peccatis debentur 183. 214. 372
morborum nouorum genera, vnde 390
morborum ſubleuamen à quo petendũ. 218
morbos caſtigationem Domini eſſe. 176. 214
in morbis ſanandis Apoſtolorũ ſcopus. 51
Mori, non mori quid ſit 204
moriantur cur nonnulli citius 295
mors Chriſti hoſtis vltimus 400
mors intempeſtiua beneficii loco, cui contingat 56
mors pro vita habetur ſpe reſurrectionis. 205
mors Sanctorum cur precioſa coram Domino 414
mors ſeruis libertatem affert. 341
mors, vltimus Sanctorum hoſtis 346
mortem qui non guſtabunt 249
mors præmatura diuinæ indignationis argumentum 56
mortẽ cur tãtopere Sancti horruerint. Ibid.
à morte quomodo ſeruari poſſimus 16
mortui ſeculi qui 452
mortuos etiam Chriſtum adorare 147
mortuorum memoria breuis 342
mortuorum ſtatus in Scriptura quibus deſcribatur nominibus 55
mortua fides quæ 59
mortales vniuerſos Domini eſſe 251
mores qui Chriſtianos deceant 222
morum corruptio ex mercatura 76
Moſes cur cælũ & terram teſtes vocet 255
moſes cur non venit in terrã ſanctam. 387
moſes iuſtitiam ſuam quid dixerit 36
moſes quandiu vixerit 349
moſes quantum coram Deo valuit 366
moſes vir Dei 349
moſis mirabilia Iſraelitæ in AEgypto recté non intellexerunt 385
moſe nihil manſuetius 386
moſes reip. ſtudioſiſſimus Ibidem
¶ Mulieres velare caput, cur iuſſæ 16
mulierũ olim fuit victorias celebrare. 189
Mulus animal immundum 185
mulorum vſus apud Iudæos 186
Mundus gubernationem Dei negat 191
mundus nos odit 96
mundus nunquam ſui diſſimilis 20
mundus quos in precio habeat 96
mundus regnum Dei recipiẽs, qui ſint. 361
mundus ſemper a cultu Dei reuocat 413
contra mundum Chriſti victoria 403
mundum reſtituere, vnius Chriſti 313
Munus quid 396
munera Dei quanto in precio habenda. 60
munera excæcant 27
Murmur ex cogitatione intenta 5
murmur in precatione Dauidis, quid ſit. 44
murmur populi contra Moſen. 385
Muſcus an res ſtillans 238
Muſicæ efficacia ad laudem Dei 189
muſica religioni oppoſita Ibidem
muſica modulatio, pugnãtes facit affectus Ibidem
¶ Myrias quid 34
de Myſterio trinitatis non temerè verba facienda 34
myſteria Scripturæ quomodo facile intelligantur Ibidem

N

NAbal Carmelita quid obiecerit Dauidi 207
Nablum quid 189
Nabuchodonoſor ſeruus Dei 370
Nares fumare iratis 309
Natus quid in Scriptura 74
Natura abhorret a læſione bonorum 179
natura Ciceroni quid 13
natura humana, quomodo per Chriſtum reparetur 344
naturæ communio quam Chriſtus nobiſcum habet, vnde probetur 145
naturæ corruptela 356
naturæ ius & lex 12
naturæ lex propriè quæ 11. 15
naturæ ioi corporis virtus 401
natura duce ad virtutem perueniri poſſe. 12
natura magis ſibi viuit quiſque, quam aliis 330
naturali iure ad peccandũ nos mouemur. 15
¶ Nebulæ cur Deus inſideat 122
nebulæ tempeſtatis tempore in atram nubem denſantur 122
nebulæ vnde 446
Neceſſitatem mortis etiam bonos conſtringere 72
neceſſaria affatim adiiciuntur Deum timẽtibus 209
neceſſaria huius vitæ petere à Deo haud malum eſſe 62
neceſſaria non tantũ nobis Deus dedit 376
Nectarius epiſcopus Coſtãtinopolitan' 187
Neemiæ luctus inſignis 370
Negatio Dei, conſilium improborum 91
Negotia omnia mane auſpicantur 460
Neomeniæ feſtum 318
Nequitia quid ſit ſecũdum Ciceronem. 90
¶ Nigredine miſeria deſignatur. 189
Nilus riuulis totam AEgyptũ interſecat 313
Niniuitarum ieiunium 119
Niues vnde 446

Nobiles impii annoſæ arbori cōparātur. 110
nobiliores magis tenetis ingeniis præditos eſſe 55
nobiliores ſemper præſtantiori forma 136
Nomen Dei quid 63
nomen dei ad talicandum nunquam adhibendum 98
nomen Dei extare in ſecula 447
nomen Dei Iacob, quid ſignificet. 130
nomen Dei illuſtrare, Sanctorū gaudiū. 169
nomen Dei, pro fortitudine Dei 162
nomē Dei ſanctificare cupidè debemus. 131
nomen Dei à quibus vanè vſurpetur 454
nominis boni præſtantia 96
propter nomen ſuum, peccatores ſeruat Deus 385
nomen Dei vel ſemel falſò aſſumpſiſſe, quam periculoſum 98
nomine Chriſti ſaluamur 304
nomine Dei nihil magis verendum 97
in nomine Domini venire, quid 417
Noſcere quid in Scripturis 153
noſſe Dei quid ſit 2
noſſe Deum ſummus fœlicitas 116
Notæ quibus filii ab aliis dignoſcantur 4
Noua ſuſpecta, & meritò 10
nouitate vitæ quomodo proficiamus 24
Nox ad expendenda acta noſtra idonea. 39
nox in quatuor partes diuiſa Iudæis. 317. 430
nox, pro tempore aduerſo 460
noctis vſus 377
noctem cogitationi operum Dei miniſtrare oſtium 111
noctem quamlibet nouum Dei opus exprimere 120
noctes totas Sabbathi, pii olim in precationibus conſumebant 353
noctu hominem ad ſe redire 220
nocturno tempore etiam precibus in templo incumbebant quidam 445
Noxa quid 394
Noxius quis 367
noxium Sanctis nihil 352
noxia conari 109
¶ Nubes quid 375
nubes, aquæ dicuntur 117
nubes Hebræis robuſti dicuntur. 311
nubes ſuper aerem 468
nubium incolæ Sancti 144
nubium ſtillatio pinguedinē terræ parat. 181
Numa rex Romanorum ſecundus 410
Numen ſacratum Deo contingere, piaculum 151
numina fluminibus à priſcis cur data 376
numina Gentiū, figmenta eſſe hominū. 361
Numerus ſeptenarius in Scriptura quid. 86
Nutare nunquā, Dauidi quid ſit dictum. 94
¶ Nycticorax ſolitudinis 369

O

Obedientia, regnum auguſtum facit. 339
Obeſſe, noxius voluptas eſt 44
Oblatio populorum communis quæ 361
oblationum vſus ad quid inſtitutus 130
Obliquum in Scriptura quid 113
Oblitum Deum eſſe ſuorū quādo credimus. 68
Obmuteſcere ſolemus in grauioribus cogitationibus 184
Obſeruantia Sabbathi cur tam ſeuerè præcepta 354
obſeruantiam Dei perpetuò perſiſtere. 111
Obtrectatores Deus reiicit è ſua Repub. 96
obtrectationis vitium quanta peſtis, & quam vulgare hodie 95
¶ Occidentales, affectibus cōtinētiores. 192
October menſis quam pluuiam velit. 288
Oculi ſublimes taxantur à Prophetis 367
oculos igneos eſſe 272
oculis cum viſu probationem ineſſe 82
¶ Odas ſuas quando Dauid cōſcripſerit. 70
Odium improbitatis, adminiſtrationis rectæ occaſio 337
odii ſedes in homine 172
odio perfecto odiſſe impios oportet Dei ſtudioſum 378
odiendi malos cauſa quæ 430
Odor vitæ bonis, quæ malis odor mortis 259. 240
odorē vitæ Paul⁹ quomodo ſe appellet 90
¶ Oeconomorum rapinæ 22
¶ Offendicula à nobis nihili, ſed à Deo maximi æſtimantur 6
offendicula vel morte cauenda 17
offendicula virorum quid 182
offenſio maxime vitanda in vſura 22
offenduntur infirmi ex calamitate Sanctorum 194
Offerre noſipſos debemus 152
Officium nominis Chriſtiani quod 96
officium Principum 331
officii omnis caput, rectè de rebus iudicare 367
¶ Og gigas 289
Og rex vbi regnarit 229
¶ Oleum natura ſua iuuat corpus 154
oleo nihil delicatius 130
Oleæ plantatæ aureæ 439
oliuæ comparatione cur ſancti expreſſi 7
inter Olias ſedere quid 189
¶ Omnis, de mulis dictum 196
omnia omnibus fieri, Chriſtiani eſt 17
omnia propter filios Dei condita eſſe 355
¶ Onocrotalus auis quæ 369
¶ Opes contemnere qui poſſint 248
opes fugiendæ quæ 377
opes impiorum euaneſcere 109
opes ſeculi qui rebus omnibus præferunt, quam infœlices 249
opum Eccleſiæ verus vſus quis 87. 191
opes vnus Deus dat 393
opibus creſcētibus, opū creſcit ſtudiū. 406
opes rapina non quærendæ 176
opes ſummæ Deo 464
opulentiorum conditio periculoſa 350
Ophir locus Indiæ, auri optimi ferttilis 238
opinioſis quantum tribuamus 351
Opinationem de Deo habens mali, non fidem 30
Opis diuinæ certitudo 433
ab ope ſalus quid differat 133
opem Domini quis expectet 451
opem Domini ſemper eſſe præſentem. 398
Oppreſſo Deus refugium 70. 77
Opprobrium proximi depellere, Chriſtiani eſt 96
opprobrium nominis diuini res deploranda 295
Optandi formulæ apud Hebræos 41. 93
optatiuum Hebræi non habent 45
Optimates qui 464
optimates cur dii dicti 470
Opus animi vera precatio 51
opus beatorum proprium, laus Dei 170
opus Dei quomodo ſuper nos appareat. 350
opus ſabbathi quodnam 353
opera bona botris aſſimilantur 30
opera bona non excluduntur à fide 19
operum ſuorum memoriam cur Deus perpetuam eſſe voluerit 311
opera Dei quomodo inueſtiganda 404
opera cuncta Deo probantur 466
opera Dei cur liberis noſtris inculcāda 310
opera Dei cur omniū oculis expoſita. 448
opera Dei eximia 404
opera Dei in cælis qualia ſint 119
opera Dei qualia, & quam abſoluta. 190. 374
opera Dei qui non cogitent 117
opera Dei quid indicent 467
opera Dei ſolida ac vera 247
opera mea, pro carmine meo 137
opera omnia, Dei eſſe 58
operum bonorum fons, fides 149. 102
operum Dei conſideratio animos preſſorū erigit 317
de operibus Dei vt loquendum 173
ex operibus ſolùm Deus à nobis rectè cognoſcitur 111
operarii iniquitatis 460
Opificium hominis admirandum 455
¶ Oracula Dei certa 356
oracula Dei mirificè recreant 414
oraculis matutinū tempus peculiariter dedicatur 460
Oratio quid 50
oratio anxia vnde 37
oratio cælorum quæ ſit 120
oratio vera quam ardens ſit 44
orationis vis quis 87. 396
orationem quæ promoueant 42
ad Orationem Sancti cur alios tātopere inuitent 51
orans ſemper viciſſim promittit 153
orantis conditio graphicè deſcripta 158
cur oremus quæ Deus vltro facit 51
oratur rectè quando Ibidem
orandum perſeueranter 337
orandum pro quibus 56
inter orandum conſolationes Sanctis occurrunt 168
inter orandum Dominus ſemper ſuos conſolatur 108
oranda quæ ſint 50
orant anxie ſancti 168
Orbi, in qua ſint miſeria 194
orbitatis conſolator, Deus 288
Orbis quomodo indies renouetur 288
orbem totum Chriſti eſſe 25
Ordo Decalogi 138
ordo mirabilis quo Deus ſibi res ſeruire facit 370
ordine ſuo Deus omnia gerit 145
ordines perturbari fracta acie 115
Oreb princeps Midianitarum 331
Organorum in eccleſiis abuſus 189
Orientales calidiores nobis 127
orientaliū regū ſtudium circa magiam 180
orientalium vena ex carotis 194
Origenianam noſtro ſeculo Eccleſiam turbat. 146
origenianorum error confutatur 400
Origo mulitiæ vnde 40
Ornatus puellis peculiaris 462
¶ Os dilatare quid 330
oris pallor vnde 180
oris peccata varia 153
ore veritatem quis ſequitur 352
ex ore ſermo, vt riuus è fonte ebullit 110
¶ Oſſa ſecari dolet maximè 130
per oſſa amici intelliguntur ſæpius 142
oſſibus virtutem ineſſe maximam 455
Oſanna quid 417
Oſcitantiæ comes interitus 88

P iiii.

Oſculo manus Regum, teſtabantur antiqui ſe ſubditos illis eſſe. 27
¶Oues Dei qui 149
oues currentes ſubſiliunt 408
oues Sancti cur dicti 148
ouibus ſal quàm neceſſarios & vtilis. Ibidẽ
Ouium mores, prouerbium vnde natum. 148

P

PAcudim Lex dicta vnde 412
Paleſtini imperant Iſraelitis annis xl. 389
paleſtina vnguentis plurimum olim vtebatur 339
paleſtinorum reges omnes, olim Abimelech appellati 192
Palma cur victores coronabantur 354
palmæ fructus dulciſſimus Ibidem
palmæ ſimilitudine Sancti cur expreſſi 7
palmiū virtutes aſſimilantur 30
palmus menſuræ genus 116
Paludes fertilitati obeſſe 324
Pamphyliæ imperauit Tharſus vrbs 346
Panegyri ſacra arceri Dauid tulit moleſtiſ. 118
panegyros ſacros boni adire quantum ardeant 178
Panis pro cibo 369
panis inſtar populū Dei vorare, quid ſit 91
panis vires in homine 376
Panormitani encomium 186
Parabola quid 241.350
parabola arboris in Scripturis frequentiſſima 6.7
parabolæ quibus Chriſti hoſtes ad reſipiſcētiam admonentur 26
parabolæ quibus tectæ 310
Paradiſus vbi 288
Paradoxon quo Dei potētia prædicatur. 155
Paran deſertum 172
Paraſiti cupediarum ſectatores 199
Parentes præ Deo odio habendi 565
parētū nomine qui etiā intelligatur 152.168
Paris pulcher 536
Pariet inclinato ſimiles qui 376
Parſimoniam herorum fures facere 117
Partes Eccleſiæ quomodo coire poſſint. 55
Partus facta comparantur, parturitioni cōſilia 62
parturientis dolores max. 159
Partiulos cur ſuos, & quos Domin' vocet 64
Paſſeres hominibus cohabitant 334
Paſſiones Sanctorum, paſſionis Chriſti figuræ 124
Paſtor cur Deus dictus 148
paſtor ouium Dauid 451
paſtoris operā quantum indigeāt oues. 148
Paſcendi rationem Dauid à puero didicit. 149
Pater cur Deus 12 ab omnibus inuocetur. 13
patri Deo ſpiritus noſter ſemper commēdandus 178
quod pater Deus præceperat, filius Chriſtus vetare noluit 155
patrum malitiā Deus ſua bonitate vicit 384
patrum prauitatem in filiis quomodo vlciſcatur Deus 316
patru propugnator potētiſſimus Deus. 365
patrum ſcripta quo loco habenda 11
Patientia ſpem gignit 170
Paolus cur tam frequens in orationibus. 52
paulus iuſtitiam quid vocat 36
paulus quam cupidè fratres inuiſerit 100
paulus quàm diu verbum prædicarit 124
pauli & Barnabæ contentio 117
paoli regnum apud Galatas 240
pauli iuſiurandum 156
paulo lex quid 115
paulo nemo plus paſſus 22
paulo vincto, verbum non vinctū erat. 400
Pauperes Deo peculiariter curæ. 395.406.407
pauperum filii, pro pauperibus 301
pauperum non ſemper obliuiſci Deum. 75
pauperum reſtitutio à Deo 393
pauperibus erogare, verus Dei cultor. 406
paupertatem auaritia ferre nequit 10
Pax quid 335
Pax ego, quid 434
pax ex ſatietate 350
pax, fidei comes 89
pax Iudæorum ac Chriſtianorum quàm diuerſa 41
pax multa quibus 431
pax per ſomnum atque tranquilliū ac figurata 33
pax quomodo colenda 595
pax Sanctorum quæ 301
pax vnde, & qualis quærenda 434
pacis cauſa quæ 305
pacis comites, iuſtitia, fides, bonitas 336
pacis filii iuſti 302
pacis nomine in Scriptura quæ ſignificantur 201
pacis rex verus quis 408
pacem amplectantur Sancti 314
pacem montes & colles ferre 302
pace ſumma quis frui poſſit 33
¶Peccatum quid ſit verè 154
peccatum aduerſorum cauſa 316.397
peccatum in Spiritum ſanctum quod ſit. 51
peccatum pro pœna 180
peccati agnitio ex oratione 58
ſine peccato nullus 575
peccata condonat Deus 183.440
peccata ingenuè Deo fatenda 184
peccata inter orandum occurrere 158
peccata maiorum in iunioribus quomodo puniantur 398
peccata qui vitant, ſæpius peccant improuidè 118
peccatorum ablutio vera quæ 256
peccatorum ſarcinam ſenſiſſe quātum tormentum 184
peccata in Scripturis ſordes dicuntur. 555
peccatis cur Deus nonnunquam conniueat 398
peccatis mala deberi 399
peccatis morbi acerbiores imputandi 112
peccatis purgari, ſalus noſtra 372
peccatis qui mortui 12
peccata nobiſmetipſis imputanda 591
peccatis qui premitur, beneficiorum Dei nō eſt capax 372
ex peccatis iuſtitiam Dei illuſtrari, Dei opus 256
peccatorum expiatio in Chriſti ſanguine ſita 281
peccatori non diffidendum 33
peccatoris nomen quis mereatur 2
peccatores diaboli eſſe 12
peccatores etiam de Eccleſia eſſe 94
peccatores inanitate inaniores 277
peccatores in Scriptura qui 286
peccatorum remiſſio beneficium Dei primarium 372
peccatorum hominum via quæ ſit 3
peccatoribus quibus Deus propitius 373
peccare, in Scriptura multa habet ſignificata 39.114
peccare toto animo, quis nequeat 3
peccet quis ſemper 458
peccantes caſtigat, ſed non abiicit Deus. 388
Peculium Dei Iſrael 315
Pedis menſura 116
pedum velocitas à Deo 515
Pelagianorum de libero arbitrio opiniones falſæ 13
Pelicanus auis ſolitaria 369
Peluſium Ægypti 246
Pentecoſtes die quomodo Deus ſuam potentiam oſtendit 362
Penuaria quæ ſint 461
Peregrini obnoxii iniuriis 465
peregrinos nos eſſe in hac terra 217
Perfructio Dei vnde naſcatur 286
Perfugium quid ſit 113
Periclis eloquentia 237
Periculi magnitudo, ardorem precationis excitat 169
pericula cōmunia depellere, fortitudinis 137
pericula Dauidis maxima 512
pericula humana quis contemnat facile 33
periculis à Deo eripi bonos, multa teſtātur exempla 390
in periculis quod conſilium principibus, & populo capiendum 133
periclitātes in mari quomodo iactētur. 391
Periſſologia Scripturæ ſolita 2 2
Periurium malis ſemper in promptu 75
Perpes vita in cælis 409
Perſæ Iudæos oppreſſerunt 88
Perſecutiones Dauidis, Chriſti fideliū quomodo repræſentent calamitates 41
Perſequutores Sanctorum vt pereant 188
Perſonæ mutatio ſubita, in Pſalmis frequens 272
Pertinacia Iudæorū, miſeros eos reddit. 133
Perturbatio in cælo nulla 12
perturbatio miſera 180
Peruerſum quid 105.554
peruerſitatis fructus qui 110
peruerſitatis nomine laudari velle, quorum ſit 74
peruerſitatis noſtræ exemplum Iſrael. 386
Peſtem immittunt mali angeli 323
peſtilēntiæ perpetuæ noſtræ ætatis vnde. 390
Pete à me, quid declaret 25
Petra diuiſionum 413
petra ſpiritalis Paulo, ex qua Moſes aquam excuſſit 413
petræ cur Deus aſſimiletur 33
Petrus ad tempus peccator fuit 3
petri prædicatio vera 504
petri ſtupor cum liberaretur ex carcere. 417
Petulantia improborum 518
¶Pharao à Deo reiectus 185
pharaonis cor 387
Phariſæus in ſe confidens, cur damnetur. 36
phariſæi Legem deprauarunt 555
[illegible] 445
[illegible] quid 255
Philiſtæi ad internecionem quærūt Dauidem 19
philiſtæi ſibi victoriam aſcribentes, puniuntur à Deo 314
philiſtæos Dauid tertiò cecidit 555
philiſtæi imperant Iſraelitis annis 18 389
philiſtæorum genus hodie durare 21
Philoſophi vitæ veræ doctrinam tradere conati, fruſtrati ſunt effectu 112
philoſophorū ſcripta, plura bona cōtinent 6
philoſophia ſuperna cur nobis data 10

philoſophiæ ſacræ,loca apta quæ 332
Phœnices ancillantur Iudæis 466
Phrygium melos 189
¶ Pietas amore Dei conſtat 147
pietas maiorũ,impijs non patrocinatur 399
pietas vera totũ ſe dedere Deo 208, 251,& 253
pietas vnde hodie frigeat 118
pietatis initium & fons quis 158, 234, & 406
pietatis internæ ſtudioſi,certe montas religi-
oſé colunt 163
pietate vera neglecta, externa quoque ne-
gliguntur 255
Pinehas vxor dolore Arcis captæ mortua 234
Pingues terræ qui ſint 147
pinguedine in Scriptura quid intelligatur
209, 221, & 278
πίστις Græcis vnde deriuetur 89
Pius vni Deo ſe addicit 100
pius quomodo iurabit 98
pij à quibus perſequutionē patiantur 417
pij cur oues dicti 148
pij quos auerſentur 96
pij ſolum inter Sãctos habitare cupiũt 314
Piſculentis delicijs carnes cõmutare,an ſit
ieiunium 202
¶ Pleonaſmus,vitium rethorices 33
πληροφορία Paulo quid 30
Pluuia pratis ſectis,quàm grata 301
ſine pluuia viuere nos non poſſe 285
pluuia ſerotina quæ 284
pluuia ſpontanea quæ 288
pluuia vt naſcatur 115
pluuiæ vtilitas 376
pluuiæ vnde 446
pluit Deus etiam ſuper improbos 188
πνεῦμα ἡγεμονικὸν Spiritus ſanctus cur di-
catur 257
πνεύματα λειτουργικὰ Angeli dicti 394
¶ Pœnæ deprecatio iudicem exacerbat 396
pœnas quas poſcat Deus 117, & 398
Pœnitere ſine intermiſſione,vera confeſſio
188
Pœnitentia Dauidis ſeria 255
pœnitentiam ex precatione naſci 51
Poetæ ventis alas affingunt 111
poetarum de Ioue tonante ſentẽtia Ibidem
poetarum libri non omnino mali 16
poetis proſopopœia non inſolens 167
Polieo frumenti genus 471
Pompa Dauidis qua arcam in ſuam tranſtu-
lit ciuitatem 244,& 399
pompa Iudæorum in victorijs 391
Poni in manus Dei quid ſit 77
Populus ad impia deducitur impiis regnan
tibus 60
populus beatus qui clangorem nouit 345
populus Dei fide, non ceremonijs cenſetur
89, 153, & 195
populi amorem princepsſibi cõciliare quo-
modo poſſit 236
populi fremitus ficut procellæ maris 437
populi irreuerentia erga Deum 389
populi noui & veteris diſcrimen 56
populo,Dauid quam charus fuerit 129
populorum nomine quid intelligatur 19
Porcos immolauit in tẽplo Antiochus 310
Portæ iuſtitiæ quæ 416
portæ mortis quæ 391
portæ quare dictæ ſempiternæ 154
portæ Sion quæ 339
portas confirmari quid 466
Portenta quibus Iſraelitæ ex manu Pha-
raonis erepti 335
Portio Deus quorum 426
Potens ſolus Deus 417
potentia Chriſti 470
potẽtia Dei,ex tonitru oſtenditur 114,& 171
potẽtia Dei humanæ ſtupiditati ſemper ex-
cidit 119
potentia Dei ſuos recreat 173
potentia malorum non formidanda 349
Potentia ſumma Deo 465
potentiæ Diuinæ penſiculatio,religionis au
ſpicium 63
potentiam Dei tremendã in tempeſtatibus
ſe proferre 111
potentiam ſuam Deus quomodo exhibuit
die Pentecoſtes 469
potentias omnes antecellit Deus 446
potentiorũ furiæ quando contẽnantur 415
potentiorũ tutelæ quàm Dei, minus ſe cõ-
mittendum 416
potentioribus defertur ſũma obediẽtia 190
Poteſtas omnis à Deo conſtituta 17,& 27
poteſtatem a natura reueremur 59
poteſtatẽ in creaturas ex parte amiſimus 66
poteſtate ſua abutens,priuilegia amittit 187
poteſtates mundi quibus viles 463
Potum fletu miſcere quid 370
potu,cupa intelliguntur 372
¶ Præceptum cur Lex dicta 122
præcepta Dei pura eſſe Ibidem
præceptorũ obſeruatio quũ deſeritur,Deus
deſeritur 113
præcepta Dei parum expendentes obruteſ-
cunt 185
Prædicatio Chriſti vera quæ ſit 14
prædicatio Euangelij, Eccleſiæ perpetuitas
147
Prædicatorum fratrum conditionẽ,ſucceſ-
ſiuis veri ſuperant 331
prædicare Deum ritè quis poſſit 144,& 153
Prælatio reproba mentẽ quomodo præ-
cipitat 389
Præſentia Dei ex fide Chriſti 364
præſentia Dei,gloria Eccleſiæ 336
præſentia Dei vbique 453
præſentia Dei vera & interior 571
Præſidium Dei hodie poſtponitur hominũ
præſidio 193
præſidio Dei tantum fidendum 219
Præſtigiæ idolis accedunt 410
Prauitas pro pœna 119
prauitatis mores,parens ſcelerum 381
Precatio quid 49
precatio Sanctorum,& oculis & animo ele-
uatis in cælum 257
precatio vera opus animi 51
precationis Dominicæ explicatio Ibidem
precationis piæ fructus ingens 51,& 159
precationem quæ promoueant 49
precem fide fuſam conſolatio excipit 272
preces Sanctorum, laudes Dei ſemper præ
mittunt 114
preces ſeriæ quantum poſſint apud Deũ 37
preces ſuas Sancti quomodo auſpicãtur 369
precum præcipuus fructus 52
Precari verbis,nõ mẽte,eſt Deũ irridere 50
precandi cauſæ peculiares 42
precandi habitus apud veteres 199
precantium mos eleuare manus 164
Preſter Latinis quid 87
Princeps Chriſtus qualis 145
princeps pius quid quærat 131
princeps quis eligendus 87
principes conuictum malorum vitare de-
bent 369
principes cur ſcuta terræ dicti 144
principes de Deo quid ſentire debent 125
principes Dij vocantur,& quamobrem 127
239, 330,& 331
principes inſidijs obnoxij 216
principes qua ratione ſubiectos regere de-
beant 325
principes quales optandi 436
principes quomodo victoriam conſequan-
tur 475
principes beneuolos eſſe oportet 394
principes veri quomodo cum ſuis agãt 128
principes ab omnibus venerari æquum eſt
252
principum de Deo cognitio exigua, Reip.
perditio 118
principum modernorum rabies 27
principes religioſi quomodo omnia inſtitu
ant 159
principum nomine quid intelligatur 19, 20,
& 470
principum officiis Spiritus ſanctus neceſſa-
rius 157
principum fortem mutat Deus 363
principum violentorum caſus 329
principibus bonis regnantibus,regnat Deus.
436
principibus qu busvirtutibus cõcilietur glo
ria & autoritas 136
principibus ſumma gloria ex fortitudine
337
pro principibus orandum 27,& 188
in principibus plurimum ſitum eſſe 139
Priuilegium quis amittat 188
Priuata fœlicitas ſine publica ſtare nequit
439
Procella quæ venti vis dicatur 83
proceres Rex cognitos habere poteſt,& de-
bet 87
proditio Iudæ quibus figurata 114
profunda quæ ſint 440
promiſſa Dei in aduerſis in memoriam re-
ducenda 169
promiſſa Dei quæ & qualia 359
promiſſionum Dei firmitas 437
pronus ad miſericordiam Deus 373
Prophetæ defecerunt quando 310
prophetæ ſæpius vltra typos rapti 242
prophetarum conatus in excitandis homi-
num animis 119
propinquitas Dei quid 372
propitiatorium Chriſtus 243
proprietates Dei tredecim 373
proſopopœia poetis familiaris 11,& 167
proſperitas impiis cognitionem Dei auſert
427
proſperitas impiorum euanida 307
proſperitatem quam ſibi pij precantur 384
Prouidentia Dei 378
prouidentia Dei quomodo conſiderãda 184
prouidentiam Dei qui negent 190
a prouidentia Dei pendere omnia 199
in prouidentia Dei,quid nonnullos offẽdat
191
Proximus quis 27
proximi dilectio leges omnes ſummat 17
proximo,non nobis viuendum 18
proximum diligens,iuſtus dici poteſt 8
proximus re & conſilio iuuandus 122
Prudentem eſſe quid ſit 92
Pruina vnde 467
¶ Pſallere quomodo deberemus 389
pſallendi vſus quomodo increuerit 49
pſallendi vſum etiam Hieronymi tempore
vitiatum fuiſſe Ibidem

pſalmi Eccleſiaſticis exercitiis potiſſimum ſelecti 389
pſalmi à literis, iuxta ordinem alphabeti cõſtructi 157
pſalmi à quibus dictati 127
pſalmi quibus,& ad quid ſcripti 41
pſalmi vt legendi 348
pſalmorum diuiſio apud Græcos, Latinos, & Hebræos diuerſa 19
pſalmorum libri quinque 171
pſalmorum theſaurus reconditus 10
¶ Publicæ vtilitatis gratia non licet in fraudẽ proximi iurare 98
publica miniſteria quibus deleganda 367
Pudoris ſignum caput deiicere 33.234
Pueri in vtero matris quam miraculoſi 64
in pueris omnia miraculis referta Ibidem
Pueritia viri ætas potior 57
Puellarum ornatus peculiaris eſt 462
Pugillus méſura minutiſſima, qualis item 216
Puluere aſpergebantur ieiunantes 199
in puluere iacebant olim lugentes 370
Pulchrum quid 180
Pulchritudo corporis dos inſignis 157
punire malos boni Principis officium 302
Pupilli nomine quis intelligatur 77
pupilli obnoxii iniuriis 465
pupillos Deo peculiariter curæ eſſe 195
pupillorum pater Deus 288
purgandi vim byſſopo ineſſe 156

Q

QVærẽtes Dominum, qualem inueniãt 168
quærentibus regnum Dei, omnia adiiciuntur 405
Quæſtiones vtiles eſſe,& quomodo mouẽdæ 30
quæſtus, boni vmbra 425
quæſtuoſa iam pretioſa 390
¶ Quercubus cur mali æquiparentur 7
Querulatio quando augeatur 341
querulatio Sanctorum, quid ab oratione differat 51
Querulantes contra ſe Sanctos, Deus patiẽter ſuſtinet 322
¶ Quieſcit qui ſilet 181
quieſcere Deum quid ſit 34
quietem à bono agere quid ſit 216
quinque libri Pſalmorum 478
quiſquiliæ quid ſit 8

R

RAbah vrbs inſignis 403
Rabah metropolis Ammonitarũ 176
Rabinorum ſcripta lutulenta Ibidem
Rhamnus ſpina magna 269
rami defracti Iudæi 369
Raphia Iudæis ſubdita 478
in Raphidim tentant Deum Iudæi 322
Rapina opes non quærendæ 277
Ratio fidei, omni poſcenti reddenda 24
ratio quæ iubet rectè facere, lex eſt 11
ratio recta hominibus multum imminuta Ibidem
ratio mẽ ſubducenda 26
rationi propriæ indulgentes, labaſcunt 386
ratione viuimus, non impetu ſenſuum 14
¶ Rectus cur ſpiritus dicatur 156
rectus in Scriptura quis 162
rectum in Scriptura quid 114,189,& 394
rectitudo cordis quæ 423
Redemptio nobis cur contigit 405
redemptio populi Dei quæ ſit 162
redẽptionis opus cur Chriſto peculiariter traditur 364
Reditio Dei ad nos quid 335
relicti nobiſipſis quomodo ſumus 255
Religio Domini purior ſole 122
religio vera efficaciter quomodo inſtituatur 63
religio vera vnde incrementũ accipiat 219
religio vnde procedat 407
religionis contemptum lugent Sancti 173 & 435
religionis elementa, ceremoniæ 118
religionis fundamentũ timor Domini 194
religionis inanes eſſe, Deum non inuocantes 91
religionis inſtaurator ſtudioſiſſimus Dauid 125
religionis nomine Deus peccantium Sanctorum velat perſequutiones 316
religionem non omnes natura docet 15
religionẽ populi Dei, non ceremoniis cenſeri 89
religione ſoluti, ſceleratè viuunt 120
religioſi ceremoniis tantùm qui 95
Renaſcentia Electorum tantum 350
renaſcentia quibus negata 12
renati, ſerui Dei Electi 371
Renes in homine primi omnium generantur 118
renes in Scriptura quid 61,103,163,& 453
renes ſpinoſi quid 308
Renuntiatrices quæ dicantur 289
Rependit Deus ſtudia ſua vnicuique 397
rependere nõ rapta, prouerbialis figura 194
Reprehenſionem bonorum, fauori ſceleſtorum præferendã eſſe 457
Reprobi ex monitis rectis deteriores 18
reprobi quid habeant cognitionis de Diuinitate 90
reproborum facta qualia 457
Res humanas Deus quomodo moderetur 419
rerum abundantia, benedictio Dei 503
rebus omnibus vti licet, ſed Deo tantum oblectemur oportet 139
Reſpub. optima quæ 439
reſpub. ſalua quando 438
rerum publicarum peſtis nocentiſſima adulatio 87
Reſipiſcentiæ autor Chriſtus 390
Reſtitutio noſtri quid 336
Reſurrectione Chriſti ſpẽ noſtrã niti 144
reſurrectio Domini, via ad ſempiternũ Sabbathum 354
reſurrectionis ſpes omnia leuia reddit 103
Retaliãdi ſtudium Sanctis abeſſe debet 364
Rete in Scriptura quid 160
Reuelationes Spiritus, Eccleſiæ attemperandæ 58
Reuerentia Dei Lex cur dicta 111
reuerentia Dei ra vltione impiorum 181
reuerentia erga Chriſtum vera quæ 108
reuerentia quæ Deo exhibenda 159
Rex populi caput 190
regis iubilatio quid ſignificet 376
regis munus primarium quod 302
regis ſalus, populi ſalus Ibidem
aut regem aut fatuum naſci oportet, prouerbium vnde natum 447
in Regem quæ peccantur, in Rempub. peccantur 225
de quo rege nobis gratulandum 67
reges, Dei adminiſtratores eſſe 132
reges qui donaria in templum miſerũt 372
reges patrum loco debent eſſe populo 192
Regum duo libri priores Chriſtianis neceſſarii 218
regum habitationes aſyla eſſe 166
regum nomine quid intelligatur 20
regibus quanta reuerentia debeatur 59
regum piorum mos in prædicandis beneficiis Dei 145
in regum præſentia, ſumma ſecuritas 182
pro regibus orandum 87.436
Regnum Chriſti pax & gaudium 322
regnum Dei, idem quod Chriſti 147
regnum Chriſti ſpirituale 85.468
regnum Dei accipere, non ingredi 94
regnum Dei hodie ſolum in Gentibus permanet 146
regnum Dei mundo quando contigit 362
regni Chriſti fœlicitas 363. & diuturnitas 275,& 346
regni Dei virtus, vbi nulla poſſit apparere 147
regni recta adminiſtratio vnde 137
regni Salomonis termini 136
regni ſtatus perditiſſimus, vbi mali gubernant 85
regna montiũ nomine intelliguntur in Scriptura 276
regna pro Gentibus 242
¶ Rhinoceros a monocerote quid differt 142
Rhinocolura Iudæis ſubdita 478
¶ Ridere Deus quomodo dicatur 11
Riuuli auxilium Dei ſignificant 248
¶ Roboam Salomonis filius degener 239
robur Dauidis Deus 113,& 416
robur Dei, nonnunquam pro Arca fœderis 379
robur Deo dare quid 198
Romani calicem biberunt viſionis 313
romani Iudæos oppreſſerunt 88
romani Iudæa potiebantur quum Chriſtus veniret 139
romani Principes Euangelii hoſtes extincti miſerè 470
romanorum Imperatorum tempore Chriſtiani perſequutiones patiebantur 133
romanos contriuit Euangelium 410
Ros naturæ, corporis virtus 406
ros pro miſericordia Dei Ibidem
ros terram fœcundat Ibidem
rore paſci pullos coruorum 466
Roſarum ſimilitudine quid in Sanctis declaretur 7
¶ Rugitus leoni attribuitur 138
Rupi cur Deus aſſimiletur 113

S

SAba quæ Arabia fœlix 308
Sabæos, magos non fuiſſe Ibidem
Sabathæi Ibidem
Sabbathum quibus rebus deputatum à Deo 354
ſabbathi ſanctificatio 152
ſabbathus quæ agẽda, vnde à Sãctis diſci poſſint 353
ſabbathiſmus verus 354
Sacerdos Dauid dictus cur 402
ſacerdos mentium medicus 186
ſacerdotis munus quod 402
ſacerdotes Baal numini ſuo quàm addicti 233
ſacerdotes interficere curat Saul 258
ſacerdotes iuſtitia vt induendi 443,& 444
ſacerdotes Teſtamenti veteris præcipui 365
ſacerdotes veri qui 402
Sacrarium Dei qui ſint 242
ſacraris ſplendores quid 399,& 401

ſacraria Dei ingredi quid 307
Sacrificia ad quid inſtituta 128
ſacrificia cuius rei fuerint ſignum 40
ſacrificia externa cuius nos admonere debeant 378
ſacrificia iuſtitiæ vera 40
ſacrificia mortuorum quæ 387
ſacrificia noſtra noſipſi 417
ſacrificia pacifica quæ,& cur inſtituta 130
ſacrificia quando & cur abrogata 151
ſacrificiorum fiducia reiicienda Ibidem
ſacrificiorũ vſus ad quid inſtitutus 40.130
ſacrificiis quid a Deo peterent Iudæi olim 130
Saccus in Scripturis quid 394
ſaccus veſtis publice lugentium 176
ſacco induebantur ieiunantes 376
Sagittæ fortitudinis Chriſti 140
Sal,canalibus imponitur, quem oues lambant 148
ſal cur omnibus ſacrificiis additus 130
ſal vbi reperitur,ſterilis eſt locus 393
Salem Ieruſalem dicta 371
Salmon mons 289
Salomon,Deus populi Iſraelitici 357
ſalomon etiam Pſalmos dictauit 227
ſalomon gratia orationis quantum valuerit 236
ſalomonis facundiam omnes Reges amauerunt 237
ſalomon quàm latè regnarit 146
ſalomon ſub mortem deſipuit 339
ſalomon typus Chriſti 236,238,301,& 302
ſalomonis fœlicitas 438
Saluatores Euangelici 340
Salus ab ope quid differat 154
ſalus Dei quid 219
ſalus a Domino ſolo petenda 191
ſalus amore Dei conſtat 442
ſalus nulla,pietate deficiente 268
ſalus rebus noſtris vnde petenda 103
ſalutis dies quæ 417
ſalutis initium à Ieruſalem 151
ſalutis Sanctorum radix prima 2.405
ſalutis ſumma quæ 407
ſalute amicici quid 444
pro ſalute principum quantum orandum 119
ſalutes faciei eius,quid 119
ſaluum eſſe,quid ſit 2
Samaria Iudæis ſubdita 471
ſamaria montis nomen habet in Scripturis 119
Samuel ſuam rectam populi adminiſtrationem,quomodo vocarit iuſtitiam 36
ſamuel quantum coram Deo valuit 366
ſancti cur mundo non accepti 10
ſanctis omnia bono cedunt 276
a ſanctis quid Deus requirat 351
ſancti cur oues dicti 148
ſancti etiam imperfectè, iuſti ſunt 2
ſancti fortiter ſperant 168
ſancti inſurgentes in ſe quomodo contemnere poſſint 11
ſancti laudes ſuas quomodo commemorẽt 36
ſancti propter peccata quomodo puniãtur a Deo 161
ſancti qui in terra 200
ſancti quid orent 84,& 395
ſancti quomodo dona Dei prædicent 97
ſancti quomodo omnia poſſideant 160
ſancti nonnunquam contra Deum ſtomachantur 199
ſancti vnde hoſtibus ſuis dira imprecentur 51
ſancti quomodo aduerſus tentationes ſe muniant 306
ſanctorum citra fidem nemo aliquid orare audet 51
ſanctorum erga bonos affectus 101
ſanctorum gaudium quid 58,& 169
ſanctorum hoſtis vltimus,mors 346
ſanctorum hoſtes veri qui 195
ſanctorum paſſiones cuius rei nos admonere debeant 114
ſanctorum profectus ex precatione 51
ſanctorũ in zelum vt impii excipiant 295
ſanctos caſtigat & humiliat Dominus 113
ſanctos cum Domino iudicaturos eſſe 8
ſanctos etiã ad mala pronos eſſe natura 156
ſanctos fœlicitas conſequitur immenſa & æterna 150
quæ ſancti indigna patiuntur, in his Chriſtus patitur 113
ſanctos ſæpe indigniſſimè loqui propter afflictiones 215
ſanctos cur periclitari ad extremum ſinat Deus 316
ſanctis delectatur Deus 445
ſanctis per nomẽ Iehouæ iurare proprium 151
ſanctis ſecunda omnia 70
ſanctis ſolitum,mane precari 45
in ſanctis omnia vera, & viua vigent & agunt 56
ſanctis ſunt omnia vſui 7
ſancta à ſanctis excoli debent 325
ſancta non abiicienda canibus 449.450
ſanctificetur nomẽ tuum,ſanctorum votũ primum 385
Sandal,pharmacopolis nunc citrum 138
Sanguis ex ſolius Dei ſententia fundẽdus 102
ſanguinis frigor vnde 180
ſanguinem in Sacris guſtare,aliquibus in vſu fuit 102
ſanguinem qui fundit, fundetur etiam ſanguis illius 157
ſanguinarius quis 46.64
Sanitas a ſolo Deo 391
Sapiens verè quis 303
in ſapientem ægritudo cadit 180
ſapientes eſſe nos ad malum tantum 390
Sapientia Dei recondita in Lege, quibus aperiatur 419
ſapientia nulla vbi deeſt timor Dei 413
ſapientia pro communi ſenſu aut prudentia 393
ſapientia quanta præſtet 106
ſapientia virtutum parens 6
ſapientiæ Dei immenſitas 466
Sapere quid ſit 91
Satã contra bonos furere facit peccatores 10
ſatan idolis præſtigia addit 410
ſatan locos Scripturæ perperam citat 351
ſatan obedientiam tollit 330
ſatan quos oppugnet 431
ſatan mppèr per antonomaſiã dicitur 31
ſatanæ coſtiſa caro feruentius ſequitur 101
ſatanæ filii exercent Chriſtianos 164
ſatanæ filii perſequuntur pios 427
ſatanam impii reterunt 454
contra ſatanam Chriſti victoria 403
ſuo ſatana qui inerent 368
ſatellites ſatanæ impii 431
ſatellitium Dei 468.469
Satietas etiam vilium abeſſe debet 203
ſatietas fide conſtat 330
ſatietas oris quid 37
Saturnus,qui Hebræis Molech 101,& 188
Saul a Deo cur reiectus 157
ſaul peccare frigebat 417
Saulitica miſericordia 168
ſcabellum pedum Dei, Arca fœderis 365
Scelera Sanctis inter orandum occurrere 158
ſcelera qualia ſint peccata 158
ſcelera in Regibus deteſtatur Deus 59
ſcelera ſua laudare,intolerabile 110
ſcelerum fons,quis 160
ſcelerati ex populo Dei tollendi 437
ſcelerati quàm fruſtra frendeant contra iuſtos 309
ſceleratorum ſucceſſus vrit Sanctos 357
ſceleratis an Deus ſuos obiiciat 183
Sceptrum ferreum quid ſit 26
Schechar potus qualis 124
Schirion mons 171
Scholaſtici quid verum dicant ieiuniũ 101
Schiſmata noſtra vnde 390
de Scientia Dei dubitatio vnde oriatur 307
Scriptura quando ſequenda, & interpretanda ſimpliciter 111
ſcriptura ſana cur data 16
ſcriptura ſacra quomodo ãplectẽda.Ibid.
ſcripturæ fons Chriſtus 140
ſcripturæ mos,breuiter loqui 8
ſcripturæ quomodo nihil addendum, & nihil detrahendum 17
ſcriptura quanti doceat,& quàm proſit hominibus 128
ſcripturam ſacram ſine Spiritu mortuã eſſe Ibidem
ſcripturæ quo ſimplicius exponũtur,eo certiores 182
ſcripturas interpretari, Dei donum 10
ſacræ ſcripturæ, ſcripta nullius conferenda 121
Scripta veterum & prophanorum quomodo legenda 16
Scortari,peruerſæ libidinis 253
Scutum Deum vocare,Pſalmis frequens 33
ſcuta terræ,pro Principibus 144
Scythopolis Iudæis paret 471
¶ Secretum Domini quod ſit 160
Sectæ noſtri temporis vnde 390
Seculum duas generationes comprehendere 134
a ſeculi vanitate quid auocet 471
Securus qui confidit Domino 351
ſecuri qui ſint 149
Securitas iudicii Dei vnde 163
ſecuritas præpoſtera vnde 184
ſecuritas Sanctorum quæ ſit 149
ſecuritatem parit Legis ſtudium 430
Sedec lex cur dicta 423
Sedes peſtilentiæ 8
Sedere,Hebræis quid Ibidem
ſedere actio hominis 451
ſedere ad æternitatem Dei refertur 138
ſedere ad dexteram Dei quid 400
ſedere coram Deo quid 275
ſedere cum malis quid ſit 8
ſedere Deum quid ſit 21
ſedere in ſede deriſorum quid ſit 8
Selah vox,cur in Pſalmis addatur 33
ſelectiſſimos exercet Deus 386
ſeligi a Deo quid 38
ſemen Abrahæ Iudæi à Pſalte dicti 380
Semiſſis quid 116
Semitæ Dei quæ ſint 259
ſemitas in corde habere quid 334
Senatus olim in portis 438

Senectutis filii quales Ibidem
Senes viribus imbecilliores 199
Seniorum grauitas. 470
Seir mons 171
in Senſum reprobum tradi quid 501
de ſenſu quū conſtet, verbis offendi non eſt Chriſtianum 50
Sententiam eandem ſub verbis in ſpeciem diuerſis ſæpius latere 10
Septimus dies ad quid deputatus 555
Septembri menſe Iudæi annū incipiunt 181
Septies in die laudare Deum quid 451
Septuaginta interpretum verſio Gentibus olim adſueta 125
ſeptuplex repenſio quæ 326
Sepulchrum idem quod infernus 453
ſepulchra cur ſemper patentia videantur 48
ſepulchri nomen varium apud Hebræos 54
ſepulchri vocabulo quid intelligatur 104
Serenus Maſſilienſis Epiſcopus 418
Sermo Chriſtiano pro re ſacra habēdus 156
ſermo præcipua hominis gloria 104
ſermonum demonſtratio in ſapientia 181
in ſermonibus lapſus perlubricus 118
Serpentes carminibus cogi 168
Seruatorem Deum agnoſcere, Deo gratiſſimus cultus 112
Seruans bonitatem in milibus Deus 373
Seruum Dei eſſe, conſolatio Sanctorū 429
ſerui Dei germani qui ſint 397
ſerui peccato qui ſint 15
ſeruorum oculi ad dominos 435
ſeruorum cognomen apud Latinos & Iudæos 183
contra ſeruos Dei temerè nihil moliendum 38
ſerui olim apud Hebræos aures perfodiebantur 118
Seruire Deo, regnare eſt 87
Seruitutis ſpiritum priſci habuerunt 56
Seueritatem pro nomine Dei ſuſceptā, Deo placere 387
Sextarius genus menſuræ 146
Sexus omnis quum de pietate agitur, diſcrimen non habet 1
¶ Siggaion inſtrumentum muſicum 12
Sibæ in Dauid coniuratio 113
Sihon Rex Amorrhæorum 190
Signi conditio fortunam exercitus oſtendit 173
ſigna victi demittunt Ibidem
Sim populi 102
ſilentio maris, tranquillitas intelligitur 393
Silere quid ſit 39, 169, 181, 281, & 439
Silo ſelecta à Deo 124
Siloe aquæ exiguæ 241
Similago adeps frumenti 466
Simile egregium 367
ſimilitudines quæ delectent 486
Simplices qui 418
ſimplices lædere, natura abhorret 375
ſimplicia apud Sanctos omnia 36. 88
Simulachrum in templis Romæ quandiu nullum 410
ſimulachra cur vbique in Scriptura damnentur 409
Simulachrorū ſuperſtitio, noſtro tempore pernicioſa 410
Simulationem improborū hodie facilè cerni poſſe 22
Sinai deſertū quinque habere nomina 171
ſinai mons 188
Sion cæleſtis, Eccleſia Chriſtianorum 365
in ſion Chriſtus quomodo natus 339
ſion in Aquilonari vrbis Ieruſalē latere 145
ſion veram libertatem Electis parit 93
ſion populus Dei 181
in ſion regnare Dauidem quid ſit 21
ſion vera & ſancta 19
Siſera Princeps militiæ 332
Sitis adigit in ſummum periculum 391
ſitim excitat metus 140
¶ Soan vrbs AEgypti 321
Sodomitarum perditio, minæ Domini 83
Sol vitæ, Deus 335
ſol heroi ſimilis 110
ſol cur ſponſo ſimilis Ibidem
ſol iuſtitiæ Chriſtus 111
ſolem mari ſe condere tradunt Poetæ 453
ſol quantum prædicet Dei maieſtatem 110
ſolis obſcuratione, orbis redemptio manifeſtata 109
ſolis cur non meminerit Dauid, cæli fabricam extollens 65
ſolis vſus 377
ſole exoriente orbis renouatur 110
Sola, particula illa quantum offendat 30
Solertes qui ſint 95
Solitudines vaſtæ circa Iudæam 391
ſolitudines vaſtiſſimæ circa Ieruſalem 437
Somnus pro vita tranquilla 438
ſomnum ſuum dormitare, quid 114
Somnium fœlicitas impiorum 307, & 308
Sonus animum quantum moueat 189
ſonitu lux velocior 172
σωφροσύνη Græcis, quæ Latinis temperantia 90, & 501
Sors Chriſti calamitoſior, quàm vllius à condito orbe 140
ſors Chriſtianorum 318
ſors quorum Deus 103
ſors piorum & impiorum diuerſa 196
ſorte diuiduntur agri 314
ſortium interpretatio, ſpecies magiæ 179
ſortibus Terra ſancta diuiſa eſt 103
¶ Specus capaces in Iudæa 167
Spes firmata bonorum quando 144
ſpei ſedes in homine 180
in ſpem bonam quid maximè erigat 406
ſpem Sāctorum quidnam maximè firmet 191
ſpe dolor lenitur 11
à ſpe in homines, omnes reuocandi 464
Sphragis Sanctorum 158
Spinis cur mali æquiparentur 7
ſpinas ollæ calorem intercipere 168
Spiritus contentus, cor calefacit 127
ſpiritus oris Domini quid 190
ſpiritus cur rectus dicatur 156
ſpiritus ſpontaneus cur dicatur Ibidem
ſpiritus cur liber dictus Ibidem, & 157
ex ſpiritu omnia cum Deo agenda 372
ſpiritus animales aerios eſſe 189
ſpirituum ſupernorū mētio in Euāgelio frequentior 468
Spiritus ſanctus, virtus Dei 190
ſpiritus ſancti epitheta varia in Scripturis 156
Spiritus ad petendum ſæpius impellit quæ Deo viſa ſunt 17
ſpiritu Dei emiſſo animantes creantur 178
ſpiritum ſanctum cur Deus mittat 149
ſpiritus fructus præcipuus gaudiū de Dei bonitate 157
pro ſpiritus incremento preces fundendæ continuæ 423
Spithamen menſuræ genus 116
Sponſus Eccleſiæ Chriſtus 443
ſponſalium mos apud Hebræos 120
¶ Stabilitas rebus noſtris vnde petenda 102
Stabula paſcuis propinqua eſſe debere 148
Stare quid Hebræis 2
ſtare in iudicio quid ſit 8. 9
ſtare in via peccatorum quid ſit 2
ſtare ſignificatu vario 393
Statuarum vſum à Gentibus in Eccleſiam irrepſiſſe 418
ſtatuas ornare, res nihili 105
ſtellarum numerum ſolus Deus nouit 110
ſtellis quomodo indat Deus nomina 466
Sterilium adiutor Deus 288
Stoicorū ἀπάθεια ficta, nunquā præſtita 58
ſtoicorum dogma cum Scriptura vbi conſentiat 46
ſtoicorum figmentum inane 181
ſtolidus quis 349
Studium Dei fœlicitatem generat 405
ſtudium Dei quomodo reuiuiſceret 136
ſtudia ſua vnicuique rependit Deus 397
ſtultitia ſceleri coniuncta Deum neſcit 90
ſtultitia ſumma & pernicioſa 331
¶ Suadelā in labiis Salomonis feſtiuaſſe 437
Suaueolentia rerum quarundam res Diuina 188
Succeſſus omnis à Deo 33
ſucceſſum rerum externarum cur ſibi Sancti precantur 354
ſucceſſum rerum homines dementare 78
Succum corporis vorat dolor 369
Sumptuoſiſſimi ſunt idololatræ 412
Superbos deiicit Deus 78
Supercilium tollere, prouerbium vnde ortum ſit 74
Superna, inferna regere 110
Superſtitio, Dei dona occultare 56
ſuperſtitio inſtabilis 386
ſuperſtitio impiorum quàm deteſtanda pro 85
ſuperſtitio ſeculi huius, etiā grauiſſima patitur 102
ſuperſtitio, vel pretioſiſſima ab homine extorquet 388
ad ſuperſtitionem, hominis ingenium pronum Ibidem
ſuperſtitionem quis facilè vitet 153
ſuperſtitionum autor Satan 358
ſuperſtitioſi quando pudefacti 363
Supinitas vnde 184
Supplicationes Eccleſiæ non ſpernēdas eſſe 103
ſupplicationes publicas ante expeditionem bellicam haberi, olim conſuetum fuiſſe 135
ſupplicationibus Dei, cœtus ſacer peculiariter deſtinatus, & cur 361
Surgere, actio hominis 451
ſurgere ſignificata plura habet Ibidem
Suſcipere faciem quid 443
Suſurrones clāculari, homines inter ſe committunt 386
Suum cuique natura pulchrum 36
ſuis Deus quàm præclarè adſit 314
ſua cum iniuria aliena quærere, impiorum eſt 90
¶ Synagoga quid 310
ſynagogas deiecit Antiochus Ibidem
Syncerita s, ſalutis noſtræ pars 162
ſyncerè agendum cum omnibus 182
Synecdoche figura in Scripturis frequēs 8, 18, & 153
συνεζευγμένον ſchema 8

Syria fluminum, quæ Meſopotamia 346
ſyria quales generet mulos 126
Syri cæduntur in valle Salis 171
ſyri Iudæis parent 471
ſyri oppugnarum Dothan caſtrum 194
ſyros atterit Dauid 26.122

T

TAbernaculum Dei, Dauidi quid 94
tabernaculum, pro vxore & liberis 351, & 351
tabernacula Cham pro AEgypto 314
in tabernaculis verſari quid 351
Tacere quid 169
Tanniticum Nili oſtium 311
Tardus ad iram Deus 373
Sex. Tarquinii facinus execrabile 16
Tauri Baſchan quales 140
taurorum concilium qui dicantur 191
¶ Tecta plana in Syria 440
Tēpeſtates potentiam Dei declarare 111.288
de tempeſtatibus vt ſentiendum 173
tempeſtatibus terret homines Deus 361
tempeſtatibus ingruentibus cur gaudere debent pii 173
Templum cur Deus populo Iſraelitico fieri mandauerit 130
templi ædificandi ſumptus 154
templum incredibili pompa à Salomone dedicatum 243
templum, portæ iuſtitiæ 416
templum a Chaldæis concrematum 435
templum qua violentia tempore Antiochi deſtructum 310
templum ſanctum quod Dauidi dictū 46
templum Deo gratiſſimum, mēs ſancta 155
templū, ſignū præſentiæ Dei olim 138.246
à templo robur Dei quomodo 291
in templo manere nonnunquam conſueuerunt olim Sancti 163
templa Romæ idolis vacua inſtituit Numa 410
Temperantia quid ſit, & eius definitio 90
Tempus aduentum quando 149
tempus confeſſionis quod 188
tempus idoneum ad laudandū Deum, Sabbathum 353
tempus matutinum pro proſperitate 460
tempus precationis ſolenne 184
tempus quo hic viuendum breue 217
temporis negligentia iam magna 377
in tempore Deus ſuis, etiam ſi videātur derelicti, auxiliatur 79.212
tempora ad orādum Sanctis peculiaria 164
tempora in Sanctis mutantur varié 219
Temporariis bonis fœlicitatem finire, miſerum 307
temporanea pluuia 282
Tenebræ quid 406
Tentatio grauiſſima, bonis calamitatem, ſucceſſum malis accidere 305
tentationi carnis, fidei ſententia ſubiungenda 306
tentare Deum in Scriptura quid 312
Tepiditas Chriſtianorū, cauſa perſequutionis 310
Terrere in Scriptura quid ſit 21
Terra fidem verbi prædicat 457
terræ fundamentā ſubuerti, quid 214
terra hominē cum beſtiis per vices vti 377
terra Iſrael, decor Iacob cur dicta 243
terra mari ambitur 241
terra obliuionis 342
terra Dei vbi 450
terra recta quid 400
terra rurſus immutanda 371
terra viuentium quæ 413
terræ ſterilitas à Deo eſt 393
terræ fundatæ in aquis miraculum 152
terram ad inhabitandum cur Dominus dedit 389
terram citius deſtruendam, quàm vt derelinquatur pius 118
terram omnem Dei eſſe 151
terrā opulentiſſimā conſēnunt filii Iſrael 386
in terra abſque cælorum virtute nihil naſci 120
Terræmotus, potentiæ Dei ſignum præclarum 378
terræmotu redemptio orbis manifeſtata 211
Termini ætatis humanæ 350
Tertia pars, centeſimæ vſura 92
Teſtamentum quod fœdus 344
Teſtimonium cur Lex dicta 149
teſtimonium, indictum, ceremoniæ, idem 319
¶ Thabor mons 345
Thaburius Iudæis paret 471
Thalmudici libri quæ ſtatuant 155
thalmudica ſcripta à puritate ſermonis Biblici deflexerunt 276
Thalmudicorum de meditatione Legis Dei ſententia 6
thalmudicorum opinio de diuiſione maris rubri 448
Thargum Ieroſolymitanum, liber Thalmudiſtarum 332
Tharſis vnde dicta 245
de naui in Tharſis euntē tempore Salomonis, locus corrigitur 303
tharſis vrbs mercatu & portu inſignis 246
Theman regio 322
Theologia communis & certiſſima 57
Theologi iuramentum cultus Dei portionē dixerunt 152
Theologorum de fide definitio 19
Thoi Rex Amath, quæ poſtea Antiochia Syriæ dicta 117
Thom Hebræis quid 162
Thorah Hebræis vnde Lex dicta 16.422
Thus vnde proueniat 308
thure nihil odoratius 132
¶ Tibia, inſtrumentum muſicum 470
Tibiis robuſti qui 466
Tigris Babyloniorum regionem ſecat 449
Timor Dei in primis exigitur in ſacra Scriptura 219
timor Dei viuus, initium pietatis 234
timor Domini, integritatis initium 72
timor Domini, quid 294
timor in Scriptura quid ſit 46
timoris Dei ingenium 406
timore Dei qui vacui ſunt 160
timori ſancto, gaudium coniunctū eſſe 430
timori tremor coniungitur 17
cum timore ſeruire Domino quid ſit Ibidē
Tiſchri menſis, qui nobis September 182
Tuus templum deſtruxit 309
Titi in Iudæos imperium vaticinatum 313
¶ Tonitruum vnde dictum 172
tonitru ſuam bonam voluntatem Deus oſtendit 111
tonitru exercitus AEgyptiorum conturbatus 329
tonitrui vox terrifica 292
tonitrua vnde 172.400
Torrentes Belial, quid ſignificet 214
Tormentum nullum mendacis linguæ conferendum 428
tormentum Sanctorum duplex 448
tormētum Sāctorum maximū quod ſit 46
Torpor vnde 184
Tranſfugæ Dauid ſequentes, obærati 108
Tranquillitas atque pax per ſomnum figurata 34
tranquillitatem qui habeant ſolidam 276
tremor quo gaudēdum in Deo quid ſit 26
tremor gaudio coniungitur 27
ad quod Tribunal prouocandum 372
Triduò ieiunarunt aliquoties Iudæi 201
de Trinitate contra Iudæos 24
de trinitatis myſterio non temerè diſputandum Ibidem
Triumphantiū mos in extollēdis ſignis 131
¶ Turbo Latinis quid 152
turbines vnde 446
Turca cur imperet Eccleſiis Orientalibus 382
turcas internecioni dabit Euangelium 403
Turris Stratonis 471
Turtur auicula imbellis 312
Tuſcorum origo 431
Tutela Dei qua curamur 379
de tutela Dei ſemper confidendum 452
Tutor ſuorum Deus 436
tutorum rapinæ 92
¶ Tympana mulieribus olim in vſu fuiſſe 291
Typhon Græcis quid 83
Typus ipſiſſimus regni Chriſti, regnū Dauidis 362
typi ratio 142
Tyrannis iræ Diuinæ argumentum 388
tyrannis mons prædæ dicta 314
tyranno vni ſeruire, miraculum 350
tyrannidi ſuæ, Principes à regno Dei metiunt 27
tyrannidem inuadere, quantam vigilantiā poſtulet 87
Tyri Iudæis ſatis noti 339

V

VAfri qui ſint 93
Vah, lætantis vox 201
Valetudo proſpera impiorum, pios offendit 306
valetudine bona Sanctos eſſe 331
Vallis fletus 334
Vanum videre quid 425
vanū, quod Deus dixerit, eſſe nō poteſt 86
Vanitate conſtat improbitas 163
Vaſorū omnia genera ex luto fingere cogebantur Iſraelitæ 319
vaſis confracti cura nulla 182
¶ Vecordia humana in cultu Diuino 152
Veniam orantes ſemper recipit Dominus 323
veniam ſcelerum quomodo quis conſequi poſſit 186
Ventris bona pèreuntia 210
ventris cura quò nos protrudat 375
ventrem tabe conſumi quid 180
Ventum turbinis in incendiis graſſari 83
vento procelloſo concitatur mare 393
venti vnde 446
ventos nuntios Dei eſſe 224
ventis alas fingunt Poetæ 375
Verbum Belial quid 214, & 367
verbum Chriſtus 345
verbum Dei in cælis conſiſtere 417
verbum Dei, gladius vtrinque incidēs 164
verbum Dei abiicere, impietatis gradus 153
verbum Ioſephi quid 38
verbi Dei contemptus, malorum ingēītum

cauſa 392,& 425
verbi miniſtris de victu proſpiciendum 121
verbum non vinctum Paulo vincto 400
verbo ſolo ſanitas datur 391
verba Dei audire Sancti quomodo cupiant 304
verba noſtra priuſquam efferãtur, Deo cognita eſſe 451
verbis offendi, dum de ſenſu conſtat, non eſt Chriſtiani 31
Veritas benignitati coniungitur 158
veritas Dei quæ 119,& 131
veritatis fides, Latinis quæ dicatur 25
veritatis impia quæ 381
veritas Sanctis magna 36
veritatis cognitio, initium beatæ vitæ 160
veritatis & bonitatis obuiatio 336
veritatis nomine quæ vita indicetur 158
veritatis oppugnatores qui 415
veritatis regula Scriptura 110
veritatis ſalus quæ 195
veritati quando maximè reſiſtatur 110
veritatem cordibus perſuadet Spiritus ſanctus 155
veritatem loqui in corde, quid ſit 171
veritatem quam à nobis Deus requirat 156
veritatem ſuam Deus noſtris immittit mẽtibus 425
ex veritate omnia cum Deo agenda 371
Veri accuſentur qui 27
veris delectatur Deus 445
verum ſui ſimile eſſe 110
verum vbique ſequendum 16
veri cognitio donum Spiritus ſancti 13
verè credentibus quàm magna ſint factu facilia 66
Verna ſeruo humilior 336
Vermiculis pulli coruorum paſcuntur 466
Verſari coram Deo, quid 166
Verſutus quis 367
verſutorum ſedes quæ ſit 3
Veſani qui 44
quòd Veſicam cieat metus, naturale 140
Veſpere, pro tempore aduerſo 460
Veſpertinum officium 202
Veſte pullata, animi ægritudo oſtenditur 231
veſtis regia quæ 240
veſtium ſplendidarum vſus à Deo hominibus cur datus 138.139
Veteres cur raro Deum, Patrem dixerint 13
veteres quomodo ieiunarunt 101
veterum mos in conuiuiis 84
¶ in Via Dei ire quid 439
via Domini, pro Sanctis Domini 213
via peccatorum quæ 3
via, pro ratione certa viuendi Ibidem
via recta quæ ſit 158,& 334
viæ Domini 154,& 317
viæ, in Scriptura quid 18.116
viam ire ſeculi, quid 455
à via erraſſe in Orientalibus regionibus exitium proximum, cur 391
Victimæ populo Iudaico cur mandatæ 145
victimis gratius Deo, ſe totum illi dedicare 116
victus ab vno Deo 438
victi qua pœna a Dauide abſumpti 155
Victoria omnis à Deo 133.333
victoria verbi Dei 465
victoriam quantam nobis Deus contulerit 68
victorias publicas celebrare epinicius, mulierum olim fuit 189
Victorius Epiſcopus Romanus 108
Videre diuinum Dei 358
videre pro cuſtodire 413
videre pro delectari 415
videre, Propheticum 166
videndi verbo Hebræi vtuntur variè 42
Viduæ, obnoxiæ iniuriis 77.465
viduarum vindex Deus 188
viduas peculiariter Dei eſſe 195
Vigiliæ apud Iudæos quatuor 316
vigiliæ ſactæ nõ vulgarium ſpirituum 103
Vigor Spiritus quãdo in homine repreſſus 157
Vilitas Eccleſiæ vnde 134
vilitates hominum, Hebræis quid 87
Vincula, calamitas 465
vincula ob peccata hominibus immittũtur 391
vincula quid ſignificent 10
in vincula propter ſcelera coniiciuntur homines 391
Vinctorum preces audit Deus 196
vinctorum liberator Deus 188
Vindemiet homines Deus quomodo 313
Vindictam de impiis cur Sancti petant 77
de vindicta nobis non cogitandum 195
Vindicans iniquitates patrum in filiis Deus 373
Vinum Orientalium ex carotis 194
vinum rubeũ in Iudæa præſtãtiſſimum 213
vinum ſacrificiis cur additum 131
vini portio admenſa olim in conuiuiis 273
vini vtilitas 376
Violentus quis dicatur 118
Violentia impiorum liberari, cur poſtulent Sancti 428
Vir bonus non deſerit in ſe confidentes 156
vir bonus, quæ velle queat & debeat 97
vir linguæ, quis 456
vir orationis 396
viri nomen, quid aliquibus ſignificet 2
viri Belial qui dicantur 224
viri nudis capitibus eſſe in Eccleſia iuſſi, cur 16
Virga ferrea quid ſit 16
virga hæreditatis quid 309
virga, paterna caſtigatio 344
virga panis quid 380
virga qua vtitur Deus in ſuos 161
virga paſtores quomodo vtantur 149
virgæ vice, impiis vtitur Deus 324
Virtus bellica à Deo 118
virtus Dei Spiritus ſanctus 290
virtus haud vulgaris, in vanũ nõ iurare 115
virtus omnis à Deo 133
virtutis Dei ſigna 115
virtutis exactor Deus 89
virtute nihil illicibilius 90
virtutes omnes, naturales eſſe 12
virtutes quomodo reſtaurentur 13
virtutum fons, amor Dei 165
Vis malorum non perpetua 441
vis quæ ad mortem & peccatum trahit, eadem 12
virium omnium fons, cor 221
viribus deficientibus, manus concidunt 316
Vita æterna, iuſtitia perfecta 2
vita bona, à fide inſeparabilis 30
vita Conditori approbanda 2
vitam corporis impii tuentur pertinaciſſimè 3
vita fungi, quàm defungi, cur fœlicius 56
vita hominis quibus peragatur 5
vitam longæuam Sancti cur cupiant 409
vitam noſtram omnẽ in manu Dei eſſe 18
vita longa & commoda vulgò, & noui Teſtamenti Sanctis contigit 194
vita moderata decet religionem 388
vita noſtra à Lege Dei quãtum diſcrepet 5
vita noſtra Deus quare dicatur 33
vita noſtra quomodo dirigatur in conſpectu Dei 47
vita vera, quæ ſempiterna 575
vita vera & ſolida quæ ſit 111.445
vitæ æternæ & præſentis comparationes 57
vitæ animalis ſedes 180
vitæ autor & ablator ſolus Deus 179
vitæ beatæ initium quod 160
vitæ conſceleratæ gradus 99
vitæ fugacitas, pœna peccatorum 350
vita futura priſcis non tam reuelata, quam poſt Chriſtum glorificatum 56
vitæ hominis partes quatuor 451
vitæ neceſſaria quæruntur anxiè 438
vitæ præſentis bona quoq; vt omnia à Deo proficiſci 31
vitæ præſentis modus iuſtus, beneficiũ Dei 56
vitæ præſentis ratio tecta, ſatis ad beatitudinem 34
vitæ præſentis, priſci cur amatores 56
vitæ præſentis ſtatus caducus 110
vitæ præſentis ſucceſſus veteribus promiſſus 207
vitam æternam nobis ex bonitate Dei donatam eſſe 575
vita hominum qualis 116
vitam innocẽtem petunt à Deo Sancti 337
Viuant ſibiipſis tantum, qui 7
Viuificare Hebræis, quid 300
viuificari in viis Dei, quid 424.425
Viuificatio noſtra quid 336
Vitis lignum præaridum 439
viti comparatur Iſrael 327
viti fides aſſimilatur 30
Vituli adorationẽ vbi didicerint Iudæi 386
Vituperant Deum qui 464
Vitia plurimum fallunt, etiã ſanctiſſimos 118
vitiis nihil æquè execrabile 90
¶ Vltio Dei nobis intẽtata, quomodo mitiganda 390
vltio Dei per Angelos 313
vltio Dei vbi ſæuiat 329
vltio dirior, Sodomorum euerſione indicatur 83
vltio Diuina ſubita 56.83
vltio Diuina, ſpoliari dignitate 396
vltionis calicem, qui biberunt 313
vltionis quæ impios manet, vis inexplicabilis 83
vltio Dei in improbos, gloriã Deo parit 188
vltionis Diuinæ ratio 3
vltiones celebriores quæ 358
vltionum Deus, cur dicatur Dominus 357
vltionibus externis, quid Deus indicet 398
vltionibus truculentiſſimis, Deus fidei conſulit Ibidem
¶ ad Vmbilicũ perducere prouerbium vnde natum 119
Vmbra inanis homo 117
vmbra mortis, deſertum cur dictum 83
vmbra mortis quæ 354
vmbræ in Iudæa raræ 148
Vmbratiles homines 111
Vnguẽtum capitale, caſtigatio bonorũ 457
vnguentum etiam oſſa penetrat 397
vnguẽtũ Spiritus fauoris Diuini, quale 354

vnguentorum vſus non vetitus 576
vnguenta in lautioribus conuiuiis adhibebantur olim 150.457
vnguentorum vſus in Perſia natus 354
Vnicornes qui dicantur 54
Vniuerſos in fine ſaluandos eſſe, error 400
Vnus Deus, quomodo trinus 24
¶ de Vocibus diſputare vbi de re conuenit, abſurdum 522
Volumen quid ſit 119
Voluntas Dei in omni promiſſione excipienda 556
voluntas Dei mutari non poteſt 27.52
volũtas Dei vt impleatur, ante omnia precantur Sancti 52
voluntas noſtra Diuinæ voluntati conformatur precatione Ibidem
volũtatem Dei ſæpius latêre, etiam ſuos 55
voluntaria peccata quæ ſint 158
Voluptas amantis Dei 466
voluptas animæ cæleſtis 278
voluptas quæ & conſcientia 22
voluptas vera, quæ 149
voluptatis ſedes in homine 180
voluptati quæ inſeruiant, Deus etiam nobis ſeruiit 559
Voluptuoſa, pretioſa iam 590
Vorare, quid in Scriptura 259
Vortex, Latinis quid 83
Vota impiorum, etiam ſi illis cõtingant, in contrarium cedunt 385
vota impiorum impia 407
votum Sanctorũ præcipuum quod 250.253
vota quæ Deus probet 255
vota Sanctis continua 369
vota ſpontanea quæ 428
vota vnde 145
votorum in præſtatione quid ſpectandũ 98
Voueat quis 525
Vouendum Deo quid Ibidem
Vox Dei quid in Scripturis 545
¶ Vrbs habitationis quid 395
vrbis Hieroſolymæ epicheta 401
vrbes in Scripturis montium nomine vocantur 129
vrbibus ciues boni quantum proſint 439
Vriah fidiſſimus ſeruus Dauid 559
Vrſi qui dicuntur 34
¶ Vſura Iudæis quomodo prohibita, quomodo non 97
vſuræ hodiernæ ratio 98
vſuram quamlibet damnare, incõſultum 99
in vſura Chriſtiano quid ſpectãdum Ibidẽ
vſuras dabit citius, quàm accipiet Chriſtianus 500
Vſus opum, Eccleſiæ iuſtus 501
¶ Vtilitatẽ cõmunem procurare fortitudinis 237
Vtri ſuſpẽſo in fumo, Dauid ſimilis 417
vtribus olim liquores ſeruabant pretioſiores 266
¶ Vulpium pars erunt, quid ſit dictum 281
¶ Vxor erga virum reuerens quæ 27
vxor organum imbecillum 439
vxor præ Deo odio habenda 269
vxorem donum Dei eſſe 207

X

XErxi, Cilices contra Græcos, centum naues ſuppeditarunt 247

Z

ZAchæus in via peccatorum ſtetit 3
¶ Zeeb Princeps contra Iſraelitas 332
Zelator veræ religionis Dauid 294
Zelotes Deus 116.284
¶ Ziph ad deſertum Iuda pertinebat 278
Ziphitæ, prodendi Dauis auidi 260

BIBLIOTECA
0657986

EXCVDEBAT ROBERTVS STEPHANVS
IN SVA OFFICINA ANNO M.
D. LIIII. PRID.
ID. MAI.